

2505

BIBLIOTECA
CENTRAL
DE LA RIOJA
EX LIBRIS

Biblioteca de Stâ Maria la Real de Naxera. N.2.C.7

IN PSALTERIVM

Dauidis Israelitarum regis & uatis diuinissimi, Ioan. Baptistæ Folengij Mantuani Monachi Casinatis commentarij, summa fide, mira luce, grata breuitate, ex ipsa Hebraica ueritate confecti & absoluti.

CHRISTIANO LECTORI.

Ecce tibi, Christiane Lector, absoluta tandem FOLENGII *theologi citra cõtrouersiam consummatissimi, in omnes Dauidis odas doctissima planeq3 diuina commentaria: in quibus sanè siue raram viri eruditionem, spiritú sue ardore flagrantem animum consideres: siue sensuum candorem & acumen, mysteriorũ item rerumq3 abditissimarũ luculentã explicationem: siue etiam aptã concinnamq3 versuum & sententiarũ connexionem spectes: siue fidam deniq3 diuersorum interpretum collationem: quin & non minus appositas quàm iucundas atque vtiles suis locis digressiones, cohortationes, admonitiones (vt teres interim puræ dictionis filum, ac bene latinarũ vocum proprietatem, quæ Romanam elegantiam illam veterem, grauitatemq3 Theologicam, planè referant, omittam) diligentius expendas: hæc inquam omnia, nisi summa laude admirationeq3 digna esse iudicaueris, omnem mihi fidem (qua apud me nihil est antiquius) abrogari uolo.*

His igitur feliciter fruere, ac valẽ.





R/3.418

Cum rerum ac uocum, & Psalmorum etiam, quo quisq3 inueniendus sit loco, Indice locupletissimo.

BASILEÆ, PER MICH. ISINGRINIVM.



Anastasius Cæsenas monachus pio Lectori S. D.

NOn te latet, sat scio, Christiane Lector, quantum gratiæ & veneris eiusmodi egregijs alioqui monumentis conciliet autoris cōmendatio. Siquidem Apellis picturæ vel solo nomine vulgò cōmendabantur. Habes igitur in omnē Dauidicā poësim à IO. BAPTISTA *Folengio, viro iam inde à puero sacris literis erudito, peneq́ detrito, cōmentaria perpetua, quæ tibi multis nominibus debent esse quamgratissima. Quis enim vel felicius, vel sanctius hasce diuinas odas enarrare possit, quàm qui ab ipso ferè lacte in his versatus fuerit, ac velut enutritus? quiq́ profundissima sensa non minus lachrymis, quàm indefesso studio elicere studuerit? Sub hæc scriptores qui in suo theatro perstiterunt, laudem apud posteros immortalem tulerunt: at qui secus, multorum & sannas & rhonchos experti fuere. Quare non est quòd hîc timeas Folengio, quin in propria steterit harena, vt si quis alius: illudq́ lepidum Euripidis dictum, in quemuis potius, quàm in eum competat:* τέκτωνος γὰρ, οὐκ ἔπραττος ξυλουργικά. *Accedit verò ad operis cùm venustatem, tum decorem, quòd vir iste omni superior laude, non aliter loquitur, ac viuit: eo quippe est ingenio, ijs moribus, vt nihil mitius, nihil rursus inculpatius fingi possit. Quòd si modestiam quæris, ea est, vt vix passus sit à summis viris exorari, quò tantum thesaurum impertiret studiosis: nec vnquam annuisset, nisi hoc vno euictus ariete, ne scilicet diuinam concitaret iram, si blattis potius, quàm Christianis hominibus harum vigiliarum copiam facere dignum duceret, tantum abest vt inde vel gloriam, vel nominis celebritatem aucupari speraret homo à fastu alienissimus. Cæterùm quod ad rem attinet, ita dictionis filum attemperauit, vt mediocriter eruditi non arceantur à lectione, multò minus verò doctiores orationis politiam ac nitorem huic nostro felici seculo à Deo optimo maximo condonatū, desiderent. Porrò momis & nasutis quis vnquam satisfecerit? Boni quiq́ (vt spero) saltem iudicabunt tantum huic in sacris debere Mantuanos, quantum olim in profanis suo Maroni. Optimi verò censebunt eò amplius Christi Ecclesiam debere Folengio, quò Dauidis carmina sunt Maronianis excellentiora, ac sibi vtiliora. Habes proinde frequentes paraphrases doctas æquè ac dilucidas: allegorias vt pias & solidas, ita nunc primùm excogitatas. Digressiones verò cognitu dignissimas, quæ te vnicè oblectare poterunt, si propius & diligentius rem inspexeris. Ad hæc non paucos Noui ac veteris instrumenti locos offendes, quos ti operæprecium fuit subinde citare, ita in gratiam Lectoris obiter breuiterq́, sed tamen doctè explanat. Verùm illud cumprimis in votis habuit vir eximius, vt corruptos hominum mores informaret, rem profectò nostris exulceratis temporibus opportunissimam. Ita uerò carpit & mordet, vt nihil minus agere videatur: ita morbos contrectat, vt vbiq́ præsentissimum adhibeat pharmacum: nusquam ferè non abstinens ab acrimonia, nusquā nō præ se ferens & Christiani & monachi pectus. Sed hæc & longè commodiora, re melius deprehendes, quàm vt ego possim, aut velim præfari. Illud tantùm addam, hunc vnum esse huius memoriæ, quem cum veteribus theologis non iniuria conferre possis, si reconditam eruditionem, atq́ maximam grauitatem non oscitanter expenderis. Cessabunt iam, opinor,* ἀναλφάβητοι *quidam blaterones, qui se demum eruditulos arbitrantur, si in monachorum inscitiam stolidissimè debacchentur, cùm ipsi ne micam quidem eruditionis habeant. Sed hoc vtcunq́ to-*

lerabile, niſi & impudentiam cum ignoratione haberent coniunctam, quæ dicacitatis & maledicentiæ mater eſt & origo. quanquã hæc ἀπροσδιόνυσα, aliàs fortaſſe tempeſtiuius. Tu verò Lector candide, deſpectis interim Orphei vel Pindari profanis hymnis, plectro & odis ſanctiſsimi Regis Dauid fruere potius, cumq; ijs Folengij doctiſsimis lucubrationibus, quæ tibi tuisq; cõmodis, magnis ſudoribus confectæ ſunt, & inuulgatæ: atq; alia id genus plura, quæ ζὼν θεῷ propediem è nigris cucullis exibunt candidiſsima, præſtolare. Neq; enim plus valebit tetra vulgi ἀχαριστία, quàm albi doctorum calculi. Bene vale, quiſquis es ſacrarum literarum ſtudioſus.

Apud Caſinum, anno à Chriſto nato M. D. XLIII.

Ioanni Baptiſtæ Folengio Nicodemus frater S. D.

NOn ignoras frater, longoq; rerum vſu iam didiciſti, curſum equorum fauore perniciorem fieri: atq; illam tandem non vulgarem cenſeri laudem, quæ ex notæ ſpectatæq; virtutis teſtimonio oriri ſolet. Hoc quidem dixiſſe volui, non quòd de ardore mentis tuæ quicquam dubitem, ſed vt currentem adhibito calcari vehementius impellam, feruoremq; fauore, quantuluſcũq; is demum ſit, augeam. Ad haſce nuper oras Euganeas quædam pia religioſaq; abs te edita, & ab Iſingrinio luculenter typis impreſſa, in nõnullos pſalmos peruenere cõmentaria, non inſuauia quidem lectoribus, non ingrata, nõ vel ab ipſis eruditiſsimis viris neglecta. Mirum quàm prona (ſic illi referunt) in dictione ſint, facilia, arguta, atq; adeò ſtrictim collecta, vt nihil tamen deſideretur copiæ & lepõris. Quo fit vt à pleriſq; non infimæ claſsis hominibus laudetur phraſis, à nonnullis orationis nitor, venuſtas, copia: ab aliis item concinna ſimilitudinum frequentia, atq; apta vocum proprietas & elegantia. Quid? lucubrationes iſtæ tuæ à probis omnibus laudantur, & ad cælum vſq; extolluntur. Referunt (aiunt) Folengij ſcripta veterum autorum politiem & grauitatem: cuncta, vt ſacra tractari debent, præclara, ſequentia, aperta, libera, &, quod pios mirum in modum delectat lectores, Chriſtum vbiq; ſpirantia. Sed & illud, inquiunt, mirandum, quòd ſi interdum exteram pellem aut plumam induere contingat, id agit quod aſtutiſsimam agere fulicam non ignorat, quæ fœtum aquilæ neglectum vt ſuum alit. Addo & illud, quòd & nos & noſtra conſpuere ſolitis, hæc eadem non minus placent, quàm arcta nobis neceſsitudine coniunctis. At ego ſenſuum candorem, & (non falſus ſum) profunditatem, raramq; myſteriorum dilucidationem exoſculor, cùm ob plura, tum maximè quoniã à fratris pectore cæleſti, vt opinor, afflato ſpiritu prodiere. Verùm tu interim, vt ſemper gloriæ propriæ contemptor fuiſti, tuæ nõ ignarus mediocritatis, non ſemel tuis in cõmentarijs te nihil prorſus eſſe clamitas. Sic enim de te loquens in quodam teſtaris pſalmo: Scio quòd in me non eſt bonum. Gratia Dei ſum id quod ſum, qui dat omnibus et velle & poſſe. Probè id quidem. Alio item loco: Poſſum, inquis, omnia. Sed in quo? aut qua alia ab re? num à naturæ dotibus? num à viribus illis planè cum ſuo arbitrio fractis, quas cum homine naſci, cum ipſoq; creſcere & enutriri cernimus? haudquaq; ſed in eo qui me confortat. Quare, frater optime, cùm minimè diffitearis Dei gratiã id efficere quod es, ac perſpicuũ ſit ſublimẽ illam maieſtatem non dedi-

dedignari citra omne meritum tuum inſtillare deſuper quod tu ſpargas, quod nobis impartiaris, quod hactenus Dei oſores ad bonam frugem pellexit, ac Deo tandem plenos ſpirituali reaccendit cupidine, te oro, & per venerandos piorum parentũ noſtrorum cineres atq; oſſa obteſtor, ne opponas obicem, néue irritam facias gratiam. Aperi os, corq; exere, ac felici ſucceſſu ad calcem vſq; iam cœptum opus deducere cura. Id quidem probi appetunt ad ſolatiũ: id improbi quoq;, ad perditæ deploratæq; ſuæ uitæ remedium obnixè flagitant. Heus tu num abnues? non credo, vel eò maximè, quòd otiũ in Caſino nactus, nihil tibi eſſe debet antiquius, quàm vt hac in re orbi ferè vniuerſo, non ſolùm amicis, qui te literis obruunt, fiat ſatis. Vale, ac numini admonenti prompto auſculta animo. Patauij, Nonis Auguſti, M. D. XLII.

Ioan. Baptiſta Folengius Nicodemo fratri S. P. D.

ET tu frater me in nemoribus latitantem interpellas? Né ne tam alta ſcribere opinantur amici? Cæcum id prorſus eſt amoris genus, quod in amicis eam videt excellentiam, quam ne ſtatam quidem virtutis formã appellarent ſemidocti. Ego enim quid de me, meisq; ſcriptis ſentiam, non ratò hiſce in cõmentarijs tum dico, tum, ne erret Lector, ad rauim vſq; clamo: ſyncerum me ſcilicet tantummodo eſſe ſcriptorem, nempe cui pro ſcopo Dei ſit honor, & ſuſq; deq; religio: nihil præterea. Quare meis in monumentis nihil aliud in primis quærere debent amici, quàm amplam erga omnes charitatem, atq; in Deum fidem. Tantùm eruditionem in re ſacra non oſtento. Quæ tamen, ſi in me aliquã eſſe iudicant, ea tandem eſt, quæ meam vbiq; præ ſe fert, vt tu eam vocas, mediocritatem, non grandiora illa Sophocleo (vt aiũt) digna cothurno, quæ tu frater alioqui mihi charior oculis proprijs de me æquè prædicas, ac de incognito omnino hoſpite quis rudis prorſus atq; expers iudicij prædicaret. Amor enim mi uero te in me audaculum aliquantiſper facit. Verùm ego interea meo me ſpithamo metiens, adeò ex ſuperfluis amicorum laudibus non efferor, quin me eſſe Folengiũ cogitem, hominem nimirũ natum Hyadum tempore, idcirco ab aquis illis nõ abhorrente, quas Chriſtus in Dauide vſq; ad animã ſuã intraſſe queritur. Hæc eſt crux vitæ, hæ proborũ deliciæ, id duri cum mundo certaminis theatrũ, forſan & trophæũ: cuius quidem labores etiam tu mecum experiris Nicodeme. Experitur & Theophilus noſter, cuius ingenium noſtro æuo rarum atq; inſolens, ſemper infenſum fuit ranis. Sed cùm edentulæ ſint, nihil aliud quàm coaxant: qua quidem re non tam iram quàm riſum viatoribus excitare ſolitæ ſunt. Sed ad propoſitum redeo. Ain' tu meas expectari lucubrationes? En habeant qui expectãt: en noſtri exilij fructus (quo enim alio appellabis nomine hanc vitam?) en nemorum partus, en meæ fidei confeſsio, en quid tandem meus toties inſtipulatus à mundo animus reſponderit. Exeant itaq; in publicum, poſtquã ſic vultis, ac tu me in primis hortaris Nicodeme, cuius beneuolentiam tam charam habeo, vt nihil mihi charius eſſe poſsit, & feſtiuius. Vale. Albanetæ, Idib. Decemb. M. D. XLII.

Herculi Gonzagæ principi excellentiſsimo, ac Dei Eccleſiæ Cardinali & docto & pio, Ioannes Baptiſta Folengius monachus Caſinenſis S. D.



N fructus mei in Caſino ocij (primitias informes, & tanquam urſæ partum ineffigiatas haud dudum urſus habuit) te autore Princeps inuulgari aliquando debuiſſent, nõ ſemel dubius cogitaui. Quòd enim plagis illis orbis, quæ Deum uerè colunt, mei animi cõceptus aperirem, nihil mihi omnino timendum erat, cùm nihil, quod ueniam facilè nõ impetraſſet, me dicturum ſperarem. Sed illud deterrebat, te in fronte libri poſito id attentaſſe. Noueram ſanè quem uirum interpellaturus eſſem, Herculem nimirum Chriſtianum, nouum Ariſtidem, Pontificem tandem magnum (maximũ te poſtea uidebimus) & eruditum. Verebar equidem, ne dum à uitæ iuſtitiæ deerrantes homines pungere, quaſiq; à fuga reprehendere curarem, te, alioquin ab hac ſcena remotiſsimum, prætextu tituli in cæterorum numerũ obtrudere clàm uoluiſſe iudicarer. Verùm ſimulac tua in mentem mihi uenit prudentia, atq; antiqua tuæ familiæ coniuncta cum maieſtate lenitas, rem eam aggredi non ſum ueritus, quã aliàs forſan detrectaſſem. Sume itaq; Antiſtes ullo abſq; næuo ſuſpicionis, non dico fortunæ riſus, in cuius labijs reſidet adulatio, ſed puluerulentã, laborioſiſsimámq; in pſalmorũ amphitheatro exercitationem, utpote à monacho, qui longè à doctorũ hominum cõgreſſu relegatus, librorúmq; præſidio deſtitutus, ſed re una ſolùm contentus, à curis mundi ociatur, ad Dei honorem, atq; in gratiam ſuæ ſanctæ plebis aſſumptam, illiq; fortaſsis non pœnitendam, modò tu robuſtiſsimus adſis Alcides: qui, ut legere aliquando hi uelint, qui tibi nunc parent dicto, non tam horteris, quàm ipſe quoq;, uel fictè, ſi lubet, lectites. Cæterùm quòd meum fuerit conſilium, poſt tot eruditiſsimos aliorũ cõmentarios, poſt doctas uigilias, poſt ultimam ferè manũ, ad illa etiã quæ caſto hiſce præſertim temporibus uelanda fuerant ſilentio, uoluiſſe tanquã ſpectrum quoddam non amplius uiſum apparere, nouit Dei ſpiritus, qui inſtigauit: norunt amici, norunt & qui bene emunctas habent nares.

res. Mucidos enim meis à ſcriptis ſanequàm procul arceri tam cupio, quàm quis alius à ſuis. Nam cùm pituita ægrotent, in ſecernendis odoramentis falluntur: ut falluntur de more obloquutores, inuidi, atq; ociosa ista, omentatáq; inertium fucorum lues, quibus ut plurimum alueoli magis usui sunt, quàm libri: quíq; more pecudum, sine literis, sine Deo, sine ulla unquã rectè actæ uitæ significatione perire soliti sunt. Obsecro, quid tu tum cogitas, cùm portenta istiusmodi religionis tuos grauissimos appetere congressus audis? Fastidis, credo, nondum introductos. Quid cùm loqui occœperint? mera somnia, gerras, patinas, risus Gnathonicos, plausus, & demum insulsa omnia, & fucata. Hanc igitur orbis corruptelam (sic adulatores atq; supinos homines appellare soleo) ut à spiritus sancti amœnitate alieniſsimam esse & uides, & patientissimè nonnunquam, quæ tua est modestia, toleras, ita ego quidem tuo à sanctissimo, atqueadeo cæterorum principum contubernio procul esse & cupio, & oro, & per CHRISTI sponsam uobis creditã obtestor. Vale, & tenerum nepotem rebus, ut cœpisti, seriis assuefacito.

Quicquid enim aquarum nouus hauserit cuniculus,
tibi acceptum referent posteri.

Albanetæ Casini.

INDEX PSALMORVM, IN *quo primus numerus pſalmum, ſecundus verò folium indicat.*

AD dominũ cùm tribularer clamaui. Pſal. 120. fol. 395
Ad te domine leuaui animã meã. 25.86
Ad te domine clamabo, Deus meus ne ſileas à me. 28.99
Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis. 123.400
Afferte domino filij Dei, afferte domino filios arietum. 29.102
Attendite populo meus legem meã, inclinate aurem ueſtram. 78.283
Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes. 49.198
¶ BEATVS uir qui non abijt in conſilio impiorum. 1.1
Beatus uir qui intelligit ſuper egenum & pauperem. 41.169
Beatus uir qui timet dominum, in mandatis eius cupit nimis. 112.368
Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. 32.117
Beati immaculati in uia, qui ambulãt in lege domini. 119.379
Beati omnes qui timent dominum, qui ambulant in uijs eius. 128.410
Benedic anima mea domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. 103.341
Benedic anima mea dño, domine Deus meus magnificatus es. 104.344
Benedicam dominum in omni tempore ſemper laus eius in ore meo. 34.126
Benedictus dñs Deus meus, qui docet manus meas &c. 144.435
Benedixiſti domine terrã tuam. 85.303
Bonum eſt confiteri domino, & pſallere nomini tuo altiſsime. 92.319
¶ CANTATE domino canticũ nouũ, cantate domino omnis terra. 96.327
Cantate domino canticum nouũ, quia mirabilia fecit. 98.331
Cantate domino canticum nouum, laus eius in Eccleſia ſanctorum. 149.447
Cœli enarrant gloriam Dei. 19.60
Confitebor tibi domine in toto corde meo. 9.24
Confitebor tibi dñe in toto corde meo, in conſilio iuſtorum &c. 111.366
Confitebor tibi domine in toto corde meo, quoniam audiſti omnia uerba oris mei. 138.425
Cõfitemini dño quoniã bonus, quoniã in ſeculum miſericordia eius. 118.375
Cõfitemini dño quoniã bonus, quoniã in ſeculum miſericordia eius. 135.423
Confitemini domino, & inuocate nomẽ eius. 305.348
Confitemini dño quoniã bonus. 306.352
Cõfitemini dño quoniã bonus. 307.357
Confitebimur tibi Deus, confitebimur & inuocabimus nomen tuũ. 75.277
Conſerua me domine quoniã in te ſperaui 16.42
Credidi propter ꝙd locutus ſum. 116.374
Cùm inuocarem exaudiuit me &c. 4.8
¶ DE profundis clamaui &c. 130.414
Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? 22.71
Deus auribus noſtris audiuimus, patres noſtri narrauerunt nobis. 44.178
Deus noſter refugiũ & uirtus. 45.189
Deus deorum dñs locutus eſt. 50.202
Deus in nomine tuo ſaluum &c. 54.213
Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos, iratus es. 60.228
Deus Deus meus ad te de luce &c. 63.234
Deus miſereatur noſtrî & benedicat nobis. 67.245
Deus in adiutoriũ meũ intende. 70.261
Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiã tuam filio regis. 72.265
Deus uenerunt gentes in hæreditatem tuam. 79.291
Deus ſtetit in ſynagoga deorũ. 82.298
Deus quis ſimilis tibi, ne taceas. 83.299
Deus ultionũ dominus, Deus ultionum liberè egit. 94.322
Deus laudem meã ne tacueris. 109.361
Diligã te domine fortitudo mea 18.49
Dilexi, quoniam exaudiet dominus uocem orationis meæ. 116.373
Dixi cuſtodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea. 39.160
Dixit inſipiẽs in corde ſuo, nõ eſt Deus. 14.37
Dixit iniuſtus ut delinquat in ſemetipſo. 35.141
Dixit inſipiens in corde ſuo. 53.212
Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis. 110.364

Dominus

Dominus regit me, & nihil mihi deerit. 23.80
Dominus illuminatio mea, & ſalus mea. 27.95
Dominus regnauit, decorem indutus eſt. 93.322
Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ. 97.328
Dominus regnauit, iraſcantur populi. 99.332
Domini eſt terra & plenitudo eius. 24.83
Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me. 3.6
Domine ne in furore tuo arguas me. 6.15
Domine Deus meus in te ſperaui. 7.18
Domine Deus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum. 8.21
Domine quis inhabitabit in tabernaculo tuo. 15.40
Domine in uirtute tua lætabit̃ rex. 21.67
Domine ne in furore tuo arguas me. 38.155
Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui & nocte coram te. 88.309
Domine refugiũ factus es nobis. 90.315
Domine exaudi orationem meã, & clamor meus ad te ueniat. 102.337
Domine non eſt exaltatum cor meum, neq; elati ſunt oculi mei. 131.416
Domine probaſti me, & cognouiſti me. 139.426
Dñe clamaui ad te, exaudi me. 141.439
Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationẽ meã. 143.434
¶ ECCE quàm bonum & quàm iucundum, fratres habitare in unum. 133.420
Ecce nunc benedicite dominum omnes ſerui domini. 134.421
Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me. 59.225
Eripe me dñe ab homine malo. 140.429
Eructauit cor meum uerbum bonum. 45.182
Exaltabo te domine, quoniam ſuſcepiſti me. 30.106
Exaltabo te Deus meus rex, & benedicã nomini tuo 145.437
Exultate iuſti in domino, nam rectos decet laudatio 33.120
Exaudi domine iuſtitiam meam. 17.46
Exaudi Deus orationem meã, & ne deſpexeris deprecationem meam. 55.214
Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor. 64.236
Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ. 61.231
Exaudiat te dominus in die tribulationis. 20.65
Expectans expectaui dominũ, & intendit mihi. 40.163
Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob. 81.296
Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius. 68.247
¶ FVNDAMENTA eius in montib. ſanctis. 87.307
Inclina domine aurẽ tuam & exaudi me. 86.305
In conuertendo dominus captiuitatem Sion. 126.405
In domino cõfido, quomodo dicitis animæ meæ. 11.32
In exitu Iſraël de Aegypto. 114.370
In te domine ſperaui, non confundar in æternum. 31.109
In te domine ſperaui, non confundar in æternum. 71.261
Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite Deo. 66.241
Iubilate Deo omnis terra, ſeruite domino in lætitia. 100.334
Iudica domine nocentes me, expugna impugnantes me. 35.133
Iudica me domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum. 26.92
Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam. 43.176
¶ LAETATVS ſum in his quæ dicta ſunt mihi. 122.398
Lauda anima mea dominũ, laudabo dominum in uita mea. 146.440
Laudate dominũ omnes gentes, laudate eum omnes populi 117.375
Laudate dominum, quoniam bonus eſt pſalmus. 147.441
Laudate dominũ de cœlis, laudate eum in excelſis. 148.445
Laudate dominum in ſanctis eius, laudate eum in firmamento uirtutis eius. 150.448
Laudate nomen domtni, laudate ſerui dominum. 135.421
Laudate pueri dominũ, laudate nomen

domini. 113.369
Leuaui oculos meos in mõtes, unde ueniet auxilium mihi. 131.296
¶ MAGNVS dominus & laudabilis. 48.194
Memento domine Dauid, & oẽis mansuetudinis eius 132.417
Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. 51.207
Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo. 56.218
Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. 57.221
Misericordias domini in æternum cantabo. 89.311
Misericordiam & iudicium cantabo, tibi domine psallam. 101.335
¶ NISI dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt &c. 127.408
Nisi quia dominus erat in nobis, dicat nunc Israël &c. 124.401
Noli ęmulari in malignantibus, neq; zelaueris facientes iniquitatem. 37.145
Nónne Deo subiecta erit anima mea. 62.232
Non nobis domine nõ nobis, sed nomini tuo da gloriam. 115.371
Notus in Iudęa Deus, in Israël magnum nomen ęius. 76.278
¶ OMNES gentes plaudite manibus, iubilate Deo. 47.192
¶ PARATVM cor meum Deus, paratum cor meum &c. 108.360
¶ QVAM bonus Israël Deus his, qui sunt recto corde. 73.269
Quàm dilecta tabernacula tua domine uirtutum. 84.310
Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. 2.3
Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarum. 42.173
Quid multiplicati sunt qui tribulãt me. psal.3.pag.6
Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate. 52.210
Qui confidunt in dño, sicut mons Sion. 125.403.
Qui habitat in adiutorio altissimi 91.317
Qui regis Israël intende, qui deducis uelut ouem Ioseph. 80.293
¶ SAEPE expugnauerunt me à iuuentute mea. 129.413
Saluum me fac domine, quoniam defecit sanctus. 12.33
Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ usq; ad animam meã. 69.255
Si uerè utiq; iustitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum. 58.223
Super flumina Babylonis. 137.424
¶ TE decet hymnus Deus in Sion. 65. 238.
¶ VENITE exultemus domino, iubilemus Deo salutari nostro. 95.325
Verba mea auribus percipe domine. 5.11
Voce mea ad dominum clamaui, uoce mea ad Deum. 77.281
Voce mea ad dominum clamaui, uoce mea dominũ deprecatus sum. 142.432
Vsquequo domine obliuiscéris me in finem? 13.35
Vt quid Deus repulisti in finem? 74.272

FINIS.

TABVLA IN PSALMOS PER LOCOS COMMVNES.

LAVDATIONES.

In pſalmorũ libro aut laudatur Deus, aut ad eum laudandum fiunt adhortationes, in quibus eius cùm erga alios, tum potiſsimum erga Iſraëlitas beneficia cõmemorantur. Vt pſal. 8. 29. 33. 47. 48. 65. 66. 76. 81. 92. 93. 95. 96. 97. 98. 100. 103. 105. 106. 107. 111. 113. 114. 115. 117. 119. 134. 135. 136. 138. 145. 146. 147. 148. 149. 150.

PRECATIONES.

Aut oratur. Pſal. 16. 26. 43. 84. 67. 90. 126.

In morbo. 6. 38. 39. 88.

Peccatorum uenia & expiatio. Pſal. 19 25. 51. 130.

Auxilium petitur cõtra aduerſarios & improbos potiſsimũ, in quo inſunt querelæ & imprecationes. Pſal. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 12. 13. 17. 25. 27. 28. 31. 35. 36. 40. 42. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 64. 69. 70. 71. 74. 79. 80. 83. 85. 86. 89. 94. 102. 108. 109. 123. 140. 141. 142. 143. 144.

GRATIARVM ACTIONES.

Aut aguntur ei gratiæ, in quo ineſt & laudatio. Pſal. 18. 21. 30. 31. 34. 40. 66. 77. 116. 118. 124.

FAVSTAE PRECATIONES.

Aut eſt fauſta precatio, uel omen. Pſal. 20. 72. 122.

INVECTIONES.

Aut ſunt improbos inuectiones, cum precibus coniunctæ. Pſal. 5. 7. 10. 12. 35. 36. 40. 52. 53. 55. 58. 109. 120. 135.

PRAECEPTIONES.

Aut docetur aliquid, & ad rectè uiuendum traduntur præcepta. Pſal. 1. 2. 4. 11. 15. 19. 23. 24. 32. 34. 37. 41. 45. 46. 49. 50. 62. 63. 73. 78. 82. 91. 95. 97. 99. 101. 112. 119. 121. 125. 117. 128. 129. 131. 132. 133. 137. 139. 151.

PRAEDICTIONES.

Inſunt & de Chriſto oracula Pſal. 2. 14. 16. 17. 22. 24. 50. 53. 68. 75. 82. 85. 86. 94. 97. 98. 110.

Et de Eccleſia. Pſal. 51. 87.

Atq; hæc plerunq; inter ſe mixta ſunt.

IOANNIS BAPTISTAE FOLENGII MANTVANI, DIVI BENEDICTI MONACHI, IN PSALMOS ALIQVOT, iuxta Hebræam ueritatem, commentarius.

ARGVMENTVM.

Totius uoluminis Pſalmorum argumentum CHRISTVS eſt, qui cùm duas in ſe habeat naturas, modò hanc, modò illam, idcirco frequenter per pſalmos ferè omnes interſerit, ut doctiores habeant unde ſuam defleant ignorantiam, & rudiores unde ex reuelata per CHRISTVM ſapientia gaudeant.



EATVS uir qui non abijt in conſilio impiorum.

Sapientes illi qui in huius mundi ſapientia turgent, & ſe extollunt, beatitudinem uitæ cõmodis metiri ſolent. Ex ipſis doctiores, uirtute ipſa quidem, ſed proprio ingenio acquiſita. Nos uerò beatitudinẽ eſſe dicimus, Deum timere, humana omnia deſpicere, cœleſtia quęrere, nihil quod homini poſsit accidere intolerandum putare, in Dei lege die ac nocte uerſari, ſpretis interim omnib. quę afferre ſolet calix aureus Babylonis. Hæc ſumma eſt beatitudinis Chriſtianæ, quam nos affabrè docuit Dei filius in terris, quando illos ipſos beatos appellauit, quib. pauperies, luctus, manſuetudo, miſericordia, benignitas, cordi eſſent. Sed alij (ô cæca ingenia) in iocis, in riſibus, in omni libidinũ genere, in latis fundis, in ocio & pluma, in tyrãnide, et cæteris id genus monſtris & portentis, illam eſſe ducũt.

B Abire, ſeu ambulare in conſilio impiorũ, eſt illorum impia ſequi ſtudia cõſiliaq́; quę prorſus aliena ſunt à Deo: cum impius is uerè ſit, qui Deo cõtempto, et ſciẽs & prudens malum agat. At cum conſilium à prudentia proficiſcatur: prudentia uerò alia bona, alia mala cum ſit: conſilium item, & bonum & malũ: bonum ad eos ſolummodo ſpectat, qui diligenter ac cautè inquirũt, quibus uijs & medijs, ad beatitudinem ueram pertingant: malum autem ad illos, qui diuerticula peruerſtigant, quibus iam conceptam malitiam ad effectũ perducant. Beatus igitur uir eſt, ſeu, ut in hebræo habetur, Beatitudines uiro ſunt, qui non ambulauit in peſsimorum hominum conſilijs, qui ignorant Deum: & qui ad eorum nutũ, qui ſemper deteriora conſulunt, minimè uiuit: quiq; ab æſtu illo cordis irrequieto, quo die noctuq; excruciantur miſeri, longè abeſt. Quàm felix profectò eſt talis qui ſic non ambulauit,

Et in uia peccatorum non ſtetit.

Peccatorem in hoc loco appellant quidam exteriorem hominẽ, aperteq; peccantem: eum uidelicet, qui in peccatis diutius uerſatus, omnibus palàm per ſcelerſtam apparentiam ſeſe nefarium exhibet. Eſt ſanè impius, qui nõ credit. Eſt peccator, qui uita & moribus præ ſe fert incredulitatẽ. Mala enim deſideria in ſe habet impius, malaq; cõſilia, ac peſsimas cupiditates, quę uitia in interiore homine inſunt: peccatoris autem ſenſus, atq; ipſa omnino membra, earundem ſunt cupiditatum, cõſiliorumq;, ac curarum omnium, quæ à ſolida cordis tranquillitate, quam beatitudinem libenter appellamus, abhorrent, & inſtrumenta, & adminicula. Sed incidũt nonnunq; etiam ſancti ipſi uiri, in uiam peccatorũ, cum ſepties in die cadat iuſtus, qua ratione quæſo: hac ſanè, ut ex lapſu cautiores facti, quàm ſint in uia iuſtitię uitrei, quamq; nutantes & fragiles, non ignorent. Non ſtant tamen, hoc eſt, nõ permanent, non perſeuerant, ſed agnita peccati turpitudine, de uia peccatorũ ad uiam iuſtitiæ ſtatim regrediuntur. Porrò uiam hominis in ſcripturis eſſe quicquid agit, quicquid conuerſatur, uiuitq;, & omnia quibus perſtudiũ hæret, ſiue bona, ſiue mala ſint, exiſtimamus, ſicut in hoc pſalmo uidere eſt.

c Nouit, inquit, Dominus uiam iuſtorum, & iter impiorum periбit. Ecce uiæ nomen ad utrunq; appoſitum.

Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Vir enim ſic affectus, omne, ut eſt adagium, tulit punctũ. Primùm damnauit propheta conſilium impiorum, ſtudia ſcilicet cordis impia: deinde apparẽtia opera mala, quæ ſunt peccatorũ uiæ: nunc tertiò mortiferam doctrinam. Ad quæ quidem omnia pulcherrima utens analogia, beati uiri uoluntatẽ in lege Domini, conſiliјs in primis opponit impiorũ: deinde fructũ emiſſum in tempore ſuo, id eſt, opera ſecundum Deum facta, uiæ peccatorũ: poſtremò folia, quæ ſunt uerba doctrinæq; fidei, quę opponitur cathedrę peſtilentiæ. Nam in ſpiritus arbore truncus, ſiue lignum, eſt fides: fructus, opera: folia uerò, doctrina, Sed & radicẽ huiuſce feliciſsimi ligni in hominis corde fixam, charitatẽ tum in Deum, tum in proximũ unà cum fide eſſe affirmamus. Nec quidem audiendi ſunt illi, qui ſanctiſsimæ huius arboris truncum, radicémue, aut ramos tantummodo laudare ſolent, licet ſterilis & ſiccæ: errãt enim. Nam nihilipendendam eſſe arborem cenſemus, in qua neq; in foliјs uiror, neq; in fructib. aut odor, aut ſapor, aut decor cernatur. Ita porrò fides, ita charitas, ita harum ſocia, per quam æterna ſperantur bona, abſq; elegantia operũ, doctrinæq; ſanctitate, & pulchritudine, flaccidæ ſunt ac uanæ. Quid ſibi tandem uelle in hoc primo uerſu prophetam putamus? Id ſanè, ac ſi diceret: O mirè felicẽ uirum illum, qui praua ſceleratorum hominũ conſilia nõ eſt ſequutus, neq; eorum qui nefariè uiuunt ſocius effectus, quorundam doctrinam, qua ueluti peſte quadam letali inficiuntur alij, adamauit.

Sed in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Legem non tantùm ſcriptam in hoc loco intelligo, quantum quodcũq; nouit quis per ſecretas animi aſpirationes placere Deo, atque ad ipſius ſanctiſsimi no
D minis gloriam facere. Id enim pro lege habet, & ea quidem, quæ uel ipſi iuſto, alioqui à lege libero, ſit poſita. In hac enim ſuam omnem uoluntatem, omne deſiderium, omnem conatum adhibet, die ac nocte, hoc eſt, ſine ceſſatione. Vult ſemper, et deſiderat uir iſte beatus ea quæ Dei ſunt, & odit aduerſa. Nam quemadmodũ is qui, ut ait eximius ille uates, muſam meditatur auena, toto pectore, toto ore, flatu, oculis, auribus, in hoc incumbit, non audit alia, non attendit, non uel ea quæ ſub oculis ſunt, uidet, totus in carmine delectatur, ſibi placet, ſibi, etſi ſolus ſit, uel ab alijs irrideatur, canit, & totus tandem in fiſtula eſt: ſic uir iſte beatus, ſed altiori quadam ratione, meditatur in ſola Dei lege die ac nocte, non ſtatutis horis, ut docent quidã, & ridiculè: quos quidem interrogare libet. Si amanti illi Terentiano uſq; eò inſanire licuit, ut ſuæ Thaidi diceret: Fac dies noctesq; me ames, me deſideres, me ſomnies, me expectes, de me cogites, me ſperes, me te oblectes, mecũ tota ſis, meus fac ſis poſtremò animus, quando ego ſum tuus. Si ſic, inquã, inſano amanti licitũ fuit tam ardentes amoris notas in amicã exprimere, quid à nobis tepidioris ignis putamus exigi ab ipſo legis autore, qui adeò feruida in ſuis amat, ut ignis conſumens nõ grauetur appellari? Conſumit enim ac macerat ignis iſte diuinus affectus cæteros, deſideriaq; irrequieta in anima illa, quã ſibi per amorem cõiungi uoluit, ut nihil aliud cupiat, nihil amet, nihil expetat, nihil deniq; aut uideat, aut ſentiat præter illum, in cuius penè naturam, ueluti ferrũ candens in ignis naturam cõuerſum, tranſmutatur. Maſſa enim ferri, ſi ſemper in igne ſit, uenis omnibus ac poris ignem ipſum amplectens, iam ignis, non ferri uim præferet. Quomodo igitur anima, quæ, quaſi ferrum in igne, ſemper in uerbo, in ſapientia, in Deo eſt poſita, quicquid agit, quicquid ſentit, quicquid intelligit, Deus non erit? Verùm non id ſolum,

Sed erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

More hebræo lignũ pro arbore poſuit: & eſt ſenſus, Vir iſte ſimilis erit arbori ad ripam fluminis alicuius amœni conſitæ, qui non tantùm ſecundum legis prę ſcriptum, aut iuſſiones principum & prælatorum, ſed ſponte ſua bonarũ actionum

A num fructus producet in ſuo tempore: hoc eſt, quando ad proximorũ ſalutem ſe promulgandi occaſionẽ nactus, ſiue in his quæ animæ incolumitati conducunt, ſiue in his etiam quæ cõmoda uitæ efflagitant, ad omnia opera, ad omnes perſonas, ad omnia loca, ad omnes fortunas, modo compertum habeat ſe gratum fore Deo, indifferens erit. Vnde, oro, uerba illa tam parum chriſtiana, cum quis à miſero quopiam requiſitus ut ſibi det operã in aliqua ſua neceſsitate, clamet, Heus tu, quid me obtundis? ſine me meum negocium agere, alia curo. O quàm longè is abeſt à re illa, cuius ſe cupit uideri per uitæ apparentiam atq; obſeruantiã aſſertorem. Talis profectò ignorat quo tempore dandus ſit fructus ille ſuauis, cuius odore illectus Deus ad animam tranſit, cum illaq; familiariſsimè conuerſatur. Is enim fructus ille eſt, quẽ Pſaltes ait bonam arborẽ dare in tempore ſuo: hoc eſt, ad ſui cõditoris gloriam proferre illud totum quicquid eſt in aliorũ ſalutem, nec quærere quę ſua ſunt, ſed quæ multorũ. Neq; ſanè uerendum, ut prę ſoli incõmodo fructum ferre nequeat: etenim fluentis ſpiritus ſancti illis alluitur ac fœcundatur, de quib. aſſerit in ſuo euangelio Dominus: quòd qui biberit ex aqua illa, quam ipſe daturus eſt, non amplius ſitiet. Et eſt perinde ac dicat, Arbor, cuius radices meis undis abluuntur, certiſsimã fœcunditatẽ habet, nihilúe minus timet quàm ariditatem, aut ſitim pati. Iam uerò illud dicere eſt operæpreciũ hic, arborem quæ ſit plantata, haud quæ ſe plantauit, deſcribi: contra illos quidem, qui ſibi nimium, ſuis q; operibus, aut arbitrio credunt, & tribuunt, atq; propterea ſeſe plus nimio palpant, alios damnãt, ſe excuſant, ſibiq; ipſis tantummodo placent, ſimiles nimirum Thraſoni illi tam uulgò celebri, magis, quàm ſit ouum ouo. Eſt iſtuc, ait, datum profectò, mihi grata ut ſint quæ facio omnia.

Et folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet proſperabuntur.

Nec mirũ ſanè: nam à beati uiri ore & uita, nec uerbum, nec doctrina unquã
B effluet, ac fruſtra cadet. Cur ſic, oro? quoniam Dei eſt, & Dei uerbum manet in æternum. Folium igitur conuenientiſsimũ erit ſanctam nuncupari doctrinam: ſicut fructus opera bona in beato uiro & dicuntur, & ſunt. Atqui folium ligni ad gentium ſalutem fore præuidit Ioannes in Apoc. Nec ab re quidem, cum doctrina ſanctiſsimi illius ligni, cuius eſus uictori in carnis pugna promittitur, ſola ea ſit, quæ olim in conſilio ambulantibus impiorũ, ſtantibusq; in uia peccatorũ, ac in peſtilentię cathedra ſedentibus, ſeu, ut in Hebręo legitur, in cathedra irriſorũ, hoc eſt, blaſphemantiũ, in deriſumúe habentiũ uerba uitæ, opem, ſalutemq; attulerit. Quî, quæſo, in terrã cadere, ac deperire poterit uerbum illud, quod cæteris omnibus, & iſta etiam ipſa, quã uidemus, cœlorũ pulchritudine ac forma tranſeunte, æternũ permanet? Quomodo fieri illud facile poterit, ut doctrina ea, quæ nihil aliud docet quàm Dei uerbum æternum, æterna nõ ſit? Marceſcere igitur, atq; euaneſcere non dicã illud, quod ut æternũ ſit, neceſſe eſt. Eſto à multis ueritatis uerbũ contemnatur, inuictũ tamen maneat oportet, cum Dei ſit, propterea æternũ. Vides, ni fallor, arborem in amœnis aquarũ ripis conſitam ſemper uireſcere, fructuq; uberrimo incurueſcere, uel eo quidẽ, qui & maturus ſit, & in tempore ſuo productus. Ita fermè ſunt hi, qui nunq; abſq; Dei lege ſunt: nam omnia quæcunq; facient ſemper proſpera erunt, ac Deo probata. Quis modo ambigat, omnia, etiam peccata ipſa, diligentibus Deum in bonũ cooperari, cum legimus cuncta beato uiro feliciter obuentura? Peccata inquis? Durũ profectò: ſed tamẽ ea uidetur ratio eſſe, quã & diuus affert Auguſtinus, q; cognito caſu, cõſiderata q; laſus fœditate, uir ſanctus mox ſibi iraſcitur, ſe exactius cognoſcit, líbrat q;, & cautius ſe in poſterũ habens, pro cõdonata uenia eum qui donauit ardentius amat: nam cui plus dimittit, plus diligit. Cedunt ergo pijs omnia in bonũ & ſalutem.

Sed non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis quem proijcit Ventus à facie terræ.

Diuus Hieronymus obelo notat ſecundo loco poſitum, *non ſic*, quod in hebr. non habetur. Item illud, *à facie terræ*, ſupereſt: quod quidam additũ putant à Græcis, explicandæ ſententię gratia. Iam enim uates eximius uirũ impium, atq; adeò infelicem & miſerũ, à uiro beato & pio diuerſum deſcribens, ait: Non eo modo

C ligno feraci, atq; frondiferæ arbori aſsimilabitur uir impius, & qui nullius legis uinculo tenetur, quemadmodum uir beatus aſsimilatur: nec quicquid aget, ut ille, proſperabitur ac in bonum cedet. Is enim cum ſolitus ſit impia ſua conſilia ſequi, uana ſtudia, letales hæreſes, ſectas, fœdasue doctrinas, & quicquid illi in mentem uenerit, cõtempta ueritate, nõ poteſt non docere uana, nihilq; bonorũ fructuum afferentia, cum malus ſit. Is ultra non proficiet, aiebat Paulus: inſipientia quippe eius manifeſta erit in omnibus. Nõ diu igitur erit quicquid eſt, quod agit, aut molitur: nam uolente ſpiritu illo, qui ſe abhorrentem à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu fatetur, diſsipabitur, proijcieturue, atq; inſtar puluerís tenuiſsimi, uel, ſicut legũt Hebræi, leuiſsimæ paleę, quæ uento aliquo & turbine exagitata, miníme eodem in loco ualet conſiſtere, uolutabitur: dum interim beatus uir, tanquã arbor fixis altè radicibus ſtabit prorſus inconcuſſus, ac fructum ſuo in tempore permaturũ proferet. Quod autem impij, impiorumq; ſtudia, ac curæ, paleis comparari debeãt, Ioannes exprimit, cum autore Matthæo, dicit paleas igni comburendas. Quare cum ſcelerati, uirique athei eodẽ ſe habeant modo,

Non reſurgent in iudicio, neq; peccatores in concilio iuſtorum.

Hoc eſt, quando iſtorum uita iuſtitiæ norma examinari contigerit, cauſa cadent. Quomodo enim ante iuſtitiæ tribunal declamare pro iuſtitia poterũt, cum ſemper hoſtes iuſtitiæ extiterint? In concilió ne iuſtorum reſurgent hi, qui conſilijs, quæ impia ſunt, ſtulta, prorſusq; à Deo aliena, de diametro pugnãt cum iuſtorum conſilijs, quæ pia ſunt, atq; deiformia omnino? Reſurgent tamen, ſed nõ ad reſurrectionem uitæ, quod ſanè eſt reſurgere in iuſtorum concilio. Adſtabunt enim miſeri, & qui obſtinati in malis è uita migrarunt, ante Chriſti tribunal. Qua ſpe quæſo? hac quidem, ut pronunciato iudicio, dataq; ſententia, mox
D ſeſe ad æternos cruciatus protrudant: cum interim illi, qui non ſteterunt in peccatorum ſemitis, regnum illud, quod illis cœleſtis pater à mundi exordio præparauit, feliciter accipient, atq; æuo fruentur ſempiterno. Cauſa uerò prædictorũ à propheta infertur, cum ait:

Quoniam nouit Dominus uiam iuſtorum, & iter impiorum peribit.

Quos nouit Deus eſſe ſuos, hoc eſt, quos prænouit per fidem atq; amorẽ fore ſuos, ac propterea beatos, & in uitæ libro conſcriptos, hos ipſos agnoſcit, fouet, amat, tutatur: atq; illorũ uita curæ illi eſt maximæ, cum contrà ſceleratorũ uitam auerſetur, et idcirco pereant. Quî, rogo, perire non debet iſtorum uita funditus, cum ipſam, ſua ipſorum culpa, non agnoſcat Deus, deq; ipſa curam non habeat, ſed tanq; alienam atq; incognitam perire ſinat? Nouit ſanè quidẽ Deus omnes, ſed bonos ſolummodo, uti oues proprias fidelis paſtor, & cognoſcit, & proprio appellat nomine: quia illos, illorumue mores et uitam approbat, ac, uti res charę ſolent, ſeruat & protegit. Cæterũ uitam iuſtorum definiunt noſtri eſſe fidem, diuinorumq; præceptorũ curam, atq; obſeruantiã, nõ elumbem, aut languidam, ſed uirilem et perſeuerantẽ: iuſtumq; ex fidei robore, ac eorundem præceptorũ adimpletione cenſeri, & iudicari: malos uerò atq; iniuſtos contrà. Aiunt enim illos ipſos iniuſtos eſſe, qui abſq; fide uiuunt, qui & impij: aut qui mandatorum legem tranſgrediuntur, qui & peccatores. Sed qualem iuſtitiam eſſe ſtatuũt, cuius roboris? quam faciem? quam uim? illam ſanè (ne de illa dicam, quam philoſophi in diſtributiuam, cõmutatiuamq; partiri ſolent, perexigua planè, ſi ad noſtram conferas) quæ in fide, ac mandatorũ cuſtodia ſedem habeat. Nec tamen illam alteram idcirco perexiguã dixi, quòd non aliquid eam eſſe arbitrer: ſed quia humana cum ſit, iſta eſt diuina. Quam ob rem quantũ res diuinæ ſupereminent humanis tantum & iuſtitia, & iuſtus ille, quem modo celebramus, præſtat iuſtitiæ, iuſtoq; illi, quem philoſophi tantummodo laudant, & agnoſcunt. Quam tamen iuſtitiam humanam, adeò exactè ſeruari uult noſtra hæc, ut qui illam uiolauerit, ſe uiolatam expoſtulet. Porrò cauendũ ne in hoc, ut in ſimilibus, parum docti ſe multum torqueant, cum legunt uiam iuſtorum hic dici à propheta, & iter impio-

A impiorum, non uiam. Eadem quippe dictio eſt tum Græcis, tum Hebræis, atq; idem ſignificat, ſiue uiam, ſiue iter, ſiue etiam uiuendi modum & genus dixeris. Quod quidem optimè intellexiſſe uiſus eſt paraphraſtes, qui ait: Agnoſcit enim Dominus modum uiuendi iuſtorum, & gratus eſt illi. Sed uitæ genus illorum, qui Deum non habent præ oculis, interibit.

PSALMVS II.



VARE fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania?

Hic quæri ſolet à nonnullis, quis autor pſalmorum fuerit, cum leguntur quorundam titulos alijs magis quàm Dauidi inſcribi. Ego enim ut quibuſdã haud infimæ claſsis autoribus aliquantiſper aſſentiar, facile mihi perſuaderi patior, pſalmos omnes à Dauide compoſitos. Quòd ſi reclament, & titulos opponant diuerſos, ut ille eſt pſalmi, cuius initium, Domine refugium factus es nobis: ubi in titulo legimus, Oratio Moyſi hominis Dei. Reſpondebitur, non ſemper prophetarum uerba adeò ſecundum literam debere intelligi, ut nihil ſpiritualium rerum ineſſe arbitremur. Moyſes enim aſſumptus ex aquis interpretatur. Quocirca cui potius huiuſce rationis titulum, ac pſalmũ conuenire dicam, quàm illi, qui ab aquis baptiſmi aſſumptus, purificatúsue, atq; ob id homo Dei factus, eiuſcemodi decentiſsimam ſuæ aſſumptionis precationem in ſpiritu concinat? Quid iterũ de pſalmis Solomoni aſſcriptis cenſendum? Ego illi Solomoni eos refero, de quo in Canticis lego: Venite, & uidete regem Solomonem cum diademate: nõ alteri illi, cuius concubinarũ numerus tam magnus in Regnorũ libris exprimitur. Pacificus enim interpretatur Solomon: quamquidem interpretationẽ ſibi excellentius uendicat Dei filius, quàm Dauidis filius. Pacificus ne fuit Solomõ ille, qui tam uarijs libidinũ generibus, uti bellaciſsimis
B hoſtibus obnoxius fuit? nõ credo. Quare ne in his, quæ aut nihil, aut parum conducere exiſtimo ad pſalmorũ intelligentiam, nimius ſim, illud de pſalmorum autore perinde dici poſſe arbitror, atq; de libris Iob dixit Gregorius. Superfluum, inquit, eſt inquirere quis autor fuerit libri Iob: cum certiſsimũ ſit, à ſpiritu ſancto eſſe ædítum. Vtcunq; ſit, quę de hac re opiner, breuibus exponere uolui: eo animo tamẽ, ut quicquid aliter ſapientiores attulerint, illud amplecter, & pro uero habeam, modo ex ſapientium numero ſint. Pſalmus igitur iſte Dauidi reuelatus de Chriſto, acerbiſsimas eius per Iudæos ac gentes contexendas exponit perſecutiones: quarum quidem atrocitatem præſentiens in ſpiritu tantus uates, admiratúsue tumultũ eum concitantiũ audiciam, quid ipſo Dei filio glorificato futurum ſit præcinit, atq; ait: Quare fremuerũt gentes, et populi meditati ſunt inania? Hebr. Vt quid tumultuatæ ſunt gentes? quod quidem expreſsius aperuit paraphraſtes. Quæ, inquit, dementia fecit exteras nationes inter ſe conſpirare, & ludaicam factionem rem ſtultam animo concipere? Quid, oro, ſtultius unquam excogitare poterant, quàm uelle extinguere autorem uitæ? Eradamus, inquiunt, eum de terra uiuentium. Licet enim pleraq; quæ à diuo Hieronymo per futurũ, à nobis per præteritum leguntur, dubium ſenſum reddere uideantur: intelligentiæ tamen nihil obeſt utrum legas, fremuerunt, an frement, modò uim, intentionemq; ſpiritus uaticinantis attendas. Gentes enim milites Romani ſunt: populi uerò qui meditati ſunt inania, Iudæi, nimirum tali elogio in ſcripturis ferè omnibus antiquis appellati. Laudate, inquit, Dominũ omnes gẽtes, laudate eum omnes populi. Vt quid igitur Romani milites tumultuati ſunt in CHRISTVM? qua utilitate? Certè abſq; ratione impoſsibilia conati ſunt. Opprimendús ne erat rex regũ, & dominus dominantiũ, ab uno uix cognito in terris Cæſare? Sed hæc tam impia, impijſsimi tyranni ſicarijs cõcedamus: uos appello Iudæi. Quãta uos inſania dementatos dicam? uos, inquã, qui Dei populus, qui filius chariſsimus atq; dilectus appellari uultis, ut tam uana, tam inſulſa, tam riſu digna moliri audeatis? Vos uitã mori cogitis? Vos, ne mundus uniuerſus poſt illũ abeat, cui cœlum, cui tellus, cui paret mare, & ipſi obediũt dæmones, æternæ prouidentiæ fre

C num ponere tentatis? Vana omnino ſunt hęc, atq; irridenda. Verùm quid de plebe miſerrima, ac omnium uiliſsima, cuius proprium eſt diſsidia ciere, loquor?

Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

Reges terræ, duo ſunt Herodes. Alter enim cũ pueros interimi iuberet, puerũ IESVM interimere eſt arbitratus. Alterum uerò legimus in IESV necem Pilato conſenſiſſe. Porrò principes in unũ qui cõuenerunt, fuerunt Annas, Caiphas, & cæteri ſacerdotũ principes, ac ſcribę, qui conſpiraverant, ut ſi quis IESVM profiteretur, è ſynagoga illa nefaria expelleretur. Hi igitur omnes adſtiterunt, hoc eſt, non ſubita, citoq; tranſeuntia illorum fuere conſilia, ſed diu in malitia perdurantes, nouasq; in dies meditati inſidias, tandem conuenerunt in unum, ut IESVM dolo tenerent, & occiderent. Primã enim ſuam iniuriam in patrem, cuius filium amantiſsimũ tam dirè trucidarũt, machinati ſunt: in filium poſtea. Idcirco primùm ait conueniſſe illos in unum aduerſus Dominum, poſtmodũ aduerſus CHRISTVM eius Putás ne ô tu, qui legis etiamnum perſecutiones in CHRISTVM eius deſiſſe? Nõ deſunt, crede mihi, in noſtra etiam ætate, Herodes, non Pilati, non principes, nõ ſacerdotes, nõ gentes, non Iudęi, quil, icet parum inter eos conueniat, utpote mutuis inter ſe odijs, contentionib. ſimultatibus, diſsidijs, atrociſsimisq; perſecutionibus ferocientes: in hoc tamen unum conueniunt, ut ſuis malis moribus ac turpi uita, CHRISTVM in ſimpliciũ animis extinguant. Nullus locus tutus, nullaue hominum conditio, ne in ipſis quidem abditiſsimis antris & clauſtris, tam latens eſt, quô non penetret labes hæc execrabilis, atq; odioſa. Sed quid inquit ſpiritus?

Dirumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum.

D Diapſalma eſt, & pauſa ſpiritus, ubi ſubita introducitur perſona. Dauid enim cùm ex dolore eorum quæ in uitæ autorem impij erant facturi, tum ex conſideratione miſerrima futurorũ temporũ cõmotus, ac penè extra ſe factus, parum ſubſtitit: poſtmodũ uerò à ſpiritu experrectus, in hæc uerba flebiliter prorupit: O fideles, ô æternæ Hieruſalem mei conſortes, dirumpamus uincula eorũ: ne eorum perfidiæ cõſentiamus: ne ad turpiſsimos eorum mores, quibus nos quibuſdam ueluti nodis ac pedicis irretire contendunt, aſpiciamus. Audierat enim uates olim patribus fuiſſe cœlitus dictum, Recedite à tabernaculis hominũ impiorũ, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorũ. Proijciamus à nobis iugum ipſorũ: nam quæ dicunt, facite: quę autem faciunt, facere nolite. Periculoſiſsimũ ſanè atq; adeò grauiſsimũ iugi genus imminet ſimplicium ceruicibus, cùm illos quidem homines, à quibus eorum ſalus ac uita pendêre debet, cernunt impiè uiuere, omniaq; illa quæ ſuauiſsimo CHRISTI iugo contraria ſunt, edocere, ſecq; ui quadam impudentiſsima ad ea obſeruãda adſtringi, quę ne minimo quidem digitulo tangere ipſi dignantur. Verùm non me latet, hunc tertiũ pſalmi uerſum aliter à nõnullis intelligi. Volunt enim, & optimè quidem, uerba illa fuiſſe Iudæorum mutua ſeſe rabie cohortantiũ, ac dicentiũ, Dirumpamus uincula eorũ, id eſt, patris, & eius filij CHRISTI IESV, ſiue CHRISTI & eius diſcipulorum, ut ſentit Ambroſius, quibus nos uincire cupiunt. Vincula enim ac iugum per indignationem ſanctiſsimũ Dei Euangeliũ etiamnũ uocant Iudæi, quo tamen nihil liberius, atq; ad aſſequendã æternam felicitatem expeditius inueniri poteſt. Abijciamus, inquiunt, à nobis pollicitationes illas ſuas æterni regni. Quid? illas, illas terrificas gehennæ minas, quibus nos in ſuam ditionẽ ſeu ui, ſeu pauore, & illo quidẽ uano, iurare uolunt, ſpernamus. Scindamus illorum rationes: leges, iura, dominium, à ceruicibus noſtris excutiamus: contrarij quippe ſunt operibus noſtris. Sic eñ loqui ſolent, ait Auguſtinus, hi, qui CHRISTI iugũ nolũt ſibi imponi: Ecquis, oro, faſtus, modeſtię, crucisq; imperiũ ferat?

Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit illos.

Quod Dauid, cæteriq; prophetę Dominum aliquando ſedentem, aliquando

ſtantem

A ſtantem faciunt, item ambulantem, ſubſannantẽ, in ira loquentem, & id genus alia, fictio perſonæ eſt, & anthropopathia, qua humani affectus Deo attribuuntur, quo dicta penitius animo inſideant. Quapropter cum Deũ legimus aliquos irridere, ut hic, illos ipſos ſtatim impoſsibilia, riſuq; digna conari intelligimus. Cumq; in furore, aut ira loquitur, illorum audaciã confractum iri, ac prorſus obtundendã eſſe demonſtrat. Vlterius, loqui in Deo, idem eſſe quod facere, cognitio eorum quę de diuina potentia, eſſeq; æterno ac uno, in perſonis diuinis cõcepimus, nos admonet credere. Conſideremus quæſo, q̃ pulchra antitheſi rem narret propheta. Illi, ait, cum tumultu conuolant, perſtrepũt, infremũt: Deus contrà quietus, et in cœlis, ubi nulla poteſt eſſe animi perturbatio aut ægritudo, ſedet. Illi anxiè loquuntur, conſulunt, ſtatuunt, cõſpirant: Deus autẽ ridet, ſubſannátue illos, uti ſolet pugil aliquis fortis, ſi eum tenellus puer ſternere adnitatur.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.

At quando loquet ad eos in ira? Tũc ſanè quando ſuos irritos fuiſſe conatus, ac uana, cõfirmato CHRISTI regno, & ſtudia & cõſilia cognoſcent. Quando ſubita, cum nõ ſperabitur, ueniet cõtritio, ut ait Eſaias, & cõminuentur ſicut conteritur lagena figuli cõtritione perualida. Quando illos ad æquitatis normã iuſtitiæq; ſeueritatẽ librare cœperit. Quando ipſum minitantẽ, atq; illam tam horribilem, iuſtiſsimam tamẽ, ſententiam pronunciantem audient, Ite maledicti in ignem æternũ. Putás ne parũ pauebunt? Quod, oro, ſignum aliud, aut argumentum magis euidens diuinæ ultionis, nedũ iræ, ab impijs expectandũ erit? Quis maior à Deo furor, quàm ſe tam irreuocabiliter detrudi ad cruciatus, uel ob id unum miſerrimos, quia æternos? Sed & eadem nunc manet ſeueritas, atq; iræ diuinæ ſignum, & impetus, illos, quos modò maximo cum dolore cernimus moliri neſcio quæ contra ſupremi iudicis legem & inſtituta: falſa edocere, noua induce
B re, abrogare ſolita, & eadem quidem ſancta, ac antiquis patribus admodum probata: furere, inſanire, & putidos quoſdam per uulgus interſpergere mores, & ritus. Nec eſt quod quis hic ſtatim clamet, me hunc huius, aut illum illius ſectæ inſimulare. Vniuerſalis enim eſt ſpiritus ſententia, nec quæ à me homuncione ad priuatos homines retorqueri debeat. Tunc, ait, loquetur ad eos. Quos eos? Eos, inquam, quos ſpiritus contra Dominũ infremituros, atq; eius uineam deuaſtaturos præſenſit, nõ tantum ſicis aut contis, quantum malis moribus, feritate, tyrannide, ac turpiſsima omnium uita, & doctrina. Ad eos enim qui eiuſmodi farinæ ſunt, cuiuſcunq; conditionis, cuiuſcunq; ſectæ, cuiuſcunq; uel nominis, uel gradus extiterint, decretum hoc pertinet.

Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montẽ ſanctum eius, prædicans præceptũ eius.

Notanda eſt emphaſis, Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo. Ego ipſe, quem olim tam indignabundi cõtempſiſtis, & quem turpiſsimo mortis genere condemnaſtis. Ego, cuius leges & præcepta nuper cum clamaſtis, Dirumpamus uincula eorũ, diſcindere attentaſtis. Ego ille, contra quẽ tam atrociter repugnaſtis, dicentes, Nolumus hunc regnare ſuper nos, conſtitutus ſum rex à Deo patre. Haud quidem regnũ mihi, uti plerique agunt mortales, arrogaui: ſed conſtitutus ſum, nõ à me, uerùm ab eo, rex. Quàm bene profectò res ipſa ſucceſsit. A uobis cõtemptus, deſpectus, altæq; tandem cruci affixus, ac morte omniũ ignominioſiſsima affectus, conſtitutus ſum rex uniuerſorum, ſuper Sion montem ſanctum eius, quæ eſt eccleſia fideliũ, cuius umbra fuit priſca illa Hieruſalem. Porrò Sion multis in locis meminit Dauid, utpote ſedis Dei præcipuæ, è qua diuina dabantur reſponſa: eò enim ſacerdotiũ ac regnũ à Deo ordinatum erat. Ibi templum, ibi ritus ſacri, ceremonię, & cuncta illa, quę in terris tunc ſancta appellabantur, ac quæ diuinam præſentiam, fauoremq; præ ſe ferre, atq; teſtari poterant. Enimuero in Sion ſuper Dauid ſolium Chriſtum ſeſſurum, quò illud in iudicio corroboraret, ut inquit Eſaias, & iuſtitia, non armis carnalibus, neq; ad tempus, ſed in ſempiternum, apud omnes celebre erat. Et tunc quidem hæc omnia per cunctas nationes de Sion iactabantur, ex qua legẽ aliam ab illa, quæ Moſi olim data fue

C rat in Sina monte, emanaturam affirmabant. Itaq; Chriſti hominis regnum in Iudæa primum, & in Sion principium habuit, fidelium alioqui eccleſiam adumbrante, quæ uerius ſpeculatrix glorię magni Dei dici poteſt, quàm illa umbrarũ plena. Atqui hoc in regno Dei filius conſtitutus, patris gloriam, non ſuam, erat prædicaturus: propterea ait, Prædicans præceptũ eius. quod perinde intelligo, ac ſi dicat: Ego aſcitus rex, ac à patre conſtitutus, non aliud docui, quàm quod mihi ille cõmiſit, qui miſit, & conſtituit: nõ enim iniuſſus acceſsi, ſed uocatus, ſed miſſus, ſed conſtitutus. Quî, rogo, aliud prædicarẽ, quàm quod iuſsit ille, qui me conſtituit, & miſit? Ita dominus IESVS cum in carne hac ærumnoſa eſſet, paternæ iuſsionis haud immemor, idem ipſum diſcipulis iamiam ad laborẽ prædicationis accinctis mandauit. Ite, inquit, docẽtes ſeruare eos quæcunq; præcepi uobis. Sed quale tandem id fuit præceptũ? qualis iuſsio, quo parum altius uim ſpiritus indagemus? Ea ſanè quod omnibus per Chriſtum promulgandum erat, ſibi patrem dixiſſe, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hoc certè tanquã firmiſſimum decretum, nedum quidẽ ab ipſo Dei filio diuulgandum erat, ſed in acta quoq; referendũ: quod ſanè quidẽ exactiſsimè poſtea per quatuor illos diuinos ſcribas factũ fuit. Proinde ſi res optimè expendantur, nihil aliud ad nos ueniens Dei filius in mandatis à patre accepiſſe uiſus eſt, q̃ ut cunctis ſe dei filiũ per ſigna uitæq; ſanctitatem, & doctrinam eſſe demonſtraret: quod quidem eſt, eundem ipſum eſſe æternã uitam, ac pacem. Nam tam alti myſterij notionẽ habere, ſumma eſt, ac diffinitio æternæ beatitudinis. Hæc eſt, inquit, uita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum uerũ, & quẽ miſiſti IESVM Chriſtum. Vita itaq; æterna, hoc eſt, mundi ſalus eſt, cognoſcere Chriſtum eſſe filium Dei. quid ni? Mortẽ omnino pro hac confeſsione, & illam atrociſsimã libenter oppeterẽ, nedum iurarem ſic eſſe. Ecquod igitur aliud præceptum à patre habuit Chriſtus, quàm ut
D mundo exponeret ſe Dei filiũ eſſe, hoc eſt, æternam uitam gratis per ipſum mortalibus apportatã? Quocirca ſe à patre filiũ uocatũ, quod idem aiunt eſſe, quod genitũ, declarans Chriſtus, uitam æternã ſe apportaſſe declarauit: quod idem ſanè eſt, quod illud, de quo loquitur uates uel per uatẽ ſpiritus, in hoc loco, Filius meus, inquit, es tu, ego hodie genui te: hoc eſt, te in hac etiam ætate, ac uitæ ſtatu admodum infelici naſci, & apparere uolui: uel, ut ſentit Auguſtinus, ſignificare hodie, te ſempiterna generatione, ac ineffabili modo, genui filiũ per omnia mihi perſimilem, eiuſdem ſubſtantiæ, eiuſdem potentiæ, naturæ, uirtutis, deitatiſq;: hæc enim in terris docuit Chriſtus, hæc pater ipſe, qui uſq; modo operatur, unà cum ſuo ſpiritu miris modis, ac obſcuriſsimis rationibus ſuis inſtillare non ceſſat. O beatũ illum, cui tam ſublimis arrha ſpiritus in carne hac mortali contingit.

Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ.

Hic pater filium, quò petat, monere introducitur, ne nõ ſciamus quàm arden ter humani generis ſitiret redemptionẽ. Muta enim iam olim in antiqua illa ætate erant omnia, ac ſurda: nec qui ſuũ aduerteret languorẽ inueniebatur: in tantum ſanè unuſquiſq; in malorum ſtupore obdurauerat, atq; amiſſo ſenſu non erat qui uulnera ſentiret. Morbo enim ignorato quis opem poſtulat? Admonendus igitur is erat, qui & noſtras culpas agnoſceret, atq; ipſis iam mortiferis ex diutino uſu & conſuetudine factis proprio ſanguine, & nece mederetur. Poſtula inquit pater ad filium. Tunc enim filius uiſus eſt poſtulare, cum carnem aſſumens factus eſt homo: etenim ipſe ſecundũ quod homo interpellat pro nobis, mediator factus, hoſtia ac ſacerdos. Poſtulauit, quãdo paternæ iuſsionis dicto parens, tot diras paſſus eſt contumelias, ſputa, clauos, ac mortem tandem, haud ipſi, ſed nobis debitam. Hoc certè modo æterna cum Chriſto IESV poſtulanda eſt hæreditas: neq; unquã aliter à uiris illis, quibus nihil in uita antiquius eſt, quàm ut duriter uiuant, beatamq; hæreditatem uitæ incõmodis, non delicijs, ac nimia carnis cura adeant, actum fuit. Quid ſibi igitur hic uult pater? hoc ſanè, Poſtula ô fili: ſi enim popoſceris (hoc eſt, ſi carnẽ aſſumpſeris, mortémue obieris) ueluti hæreditario iure tuos, tibi omnes orbis ſubdam nationes. Hæreditabis enim orientem,

A tem, partesq; occiduas: meridianas item plagas, ac ipſum gelidum Aquilonem, atq; ultima terrę poſsidebis. At nunc, ut ait Apoſtolus, necdum uidemus omnia Dei filio parêre. Quid ergo? nõ omnes obediunt euangelio. Obedient profectò, ac uelit nolit uniuerſus ei ſubijcietur orbis tum, cum dominus ad iudicandum uenerit cum ſenatoribus terræ.

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.

Hebr. ſic: Conteres eos in uirga ferrea. quæ quidem litera magis intentionem ſpiritus uidetur exprimere, quàm ſi legas, reges. Cui & adſtipulat paraphraſtes. ut ſit ſenſus: Aſper eris, ac durus aduerſarijs: qui ſi rebellare uoluerint, ſceptro tuæ iuſtitiæ inflexibili, ac ſeueritatis, perinde illos cõteres, atq; ſolet à figulo uas coctum conteri. Eiuſmodi fermè ſimilitudine uſum eſſe Hieremiã legimus, qui confracta laguncula corã ſenioribus, dixiſſe fertur uice domini: Populum iſtum, & urbem iſtam confringam, ſicut hoc uas cõfringitur, quod reparari non poteſt. Sic Chriſti hoſtes, ſic rebelles fidei, ſic crucis oſores, ſolent comminui, ut in æternum reſtitui nequeant. Nulla enim res adeò à priſtina remota eſt integritate, q̃ ſi uas ui perfringas uitreum, aut uaſculum aliquod è terra coctum, baculo conteras ferreo. Quod quidem alio in pſalmo uas perditũ appellat uates. Factus ſum, inquit, ſicut uas perditum. Etenim quæ ſimilitudo aptior unquã à propheta excogitari potuit, q̃ quum impio, infideli, ſuperbó ue, ac ambitioſo, in die iræ uſq; eò conterendo, ut ne ueſtigiũ quidem eius ullum amplius à quoquam cerni poſſit, uas figuli comparare uoluit, quod potenti uirga aliqua è ferro confringatur? Quis unquam uaſculi eiuſmodi minutias unà coire poſſe iterum ſomniabit? quis tam pertrita reſtituet fragmẽta? quis, quæſo, illos ad priſtinos reponet honores? ad amatas ſedes? ad tam ardenti ambitione quæſitos gradus? ad faſtum? ad tyrannidem? Atqui ut maxime uas cõminutum integrari queat, ſemel tamen æternis
B pœnis addicti, hoc longius à reparatione abſunt, quo diutius dant pœnas, & has quidem interminabiles. Siquidem apud inferos nulla poteſt eſſe, aut pietas, aut redemptio. Si ceciderit, ait, lignum aut ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, ibi erit. Porrò ſciendum, iram, furorem, uindictam, uirgam ferream, & multa alia id genus, hebraiſmum frequentem eſſe in ſcripturis. uix enim aliter res diuinæ ab humana lingua exprimi poſſunt.

Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.

Conſideranda ſemper eſt in humanis rebus, ſiue dulces, ſiue amaræ ſint, tum Dei bonitas, tum iuſtitia. Suprà enim nos ſpiritus peramanter admonuit, ne improborum perfidiæ faciles præbeamus aures, atq; illorum malitiam probemus, cum inquit, Dirumpamus uincula eorum. Modo eoſdem nos hortatur, ut intelligamus, erudiamurq;, id eſt, ut æqui ſimus iudicij, ac conſilij: necnon in his quæ à nobis agenda ſunt, doctrina uerbi Dei præuia inſtruamur. Quæ maior iam poteſt eſſe cùm iuſtitiæ, qua nos ex peccatoribus iuſtos efficit, non imputans peccata, tum bonitatis demonſtratio, per quam æternorum bonorum ad hæreditatem gratis inuitamur, & quodammodo uel inuiti trahimur? Ait ergo, Et nunc: quaſi dicat, Simulatq; ô reges addiſcere potuiſtis, quàm diræ maneant Chriſti hoſtes calamitates, iam uel ſerò ſapite. Me enim conſtituto rege, ne mœrore cõtabeſcatis, ne conqueramini, non parum uobis præſtare arbitremini, quòd illi pareatis à quo uerus eſt intellectus ac eruditio. Cæteræ quippe eruditiones ab hoc ſolo uim habent, & præſidium: imò uanæ ſunt, ac prophanæ, abſq; huius uel ope uel gratia. Pulchrè & illud gloſſæ: Iam contrito luto, iam innouati eſtis, iam fortes eſtis regere uos.

Seruite q̃ Domino in timore q̃, & exultate ei cum tremore q̃.

Sic ſic inquam eſtote reges, ac præſides, ut uos tamẽ eſſe homines agnoſcatis. Tunc enim princeps, rex, aut præſes (cum præſidem dico, aut principem, eum dico qui non tantum rempubl. aliquã ciuium gubernat, quantum qui animas) Domino ſeruit, dictoq; paret in timore, cũ adeò diligenter, atq; ea autoritate ſuos cu

C rat, ut ſe tamẽ in cœlis oculatiſsimum habere iudicem cogitet. Nanq; ex tali animaduerſione quidam oriri ſolet in iudicandis alijs timor, quo quodam ueluti frenо retractus iudex, ægritudines illas omnes animi, quib. corrumpi ſolẽt iudicia, expuit à pectore, atq; ab ſeſe abigit. Quotus enim quiſq; eſt, uel ex religioſioribꝰ quidem uiris, qui in promulgandis ſententijs & iudicijs, aut in exequendis promulgatis, ſeu etiam in inferendis pœnis, metum hunc moderatum præ oculis habeat? Putant enim nõnulli, dignitates, atq; officia ipſa, nõ miniſteria in dignitatibus & officijs à Deo expeti, & probari. Ex quo ſanè errore uix ferendo, naſcitur plerũq; uanitas quædam animi ac lætitia, pro adepto magiſtratu, eouſq; geſtiẽs, ut nullum alium fructũ in illo ſuo, ut uocant, gradu capere uelle uideant, quàm quòd à ſubiectis ſub haſta quodãmodo tranſeatur, cum obuij fiunt. Ridicula plane res eſt, atq; ab animis ingenuis prorſus exibilanda. Non tibi, ait græcum illud epigramma, ô aſelle, ſed quia deam uehis. Quare huiuſmodi parũ urbani homines à ſpiritu admonentur, ut Domino in timore ſeruiant: quòd ſi tamen exultandum ſit, cum tremore exultent. Verum ne timoris, ſeruitutiſq; nomine audito ſuſpicaretur aliquis, ſeruitutem eiuſcemodi coactam expeti ac requiri, mox addit, Exultate ei: ſeu, ut alij legunt, de eo, benigniſsimo uidelicet patre, non de ueſtra dignitate & honore. Iterũ uerò, ne lætitia atq; exultatio in geſticulationẽ & temeritatẽ iret, ex qua leuitas animi procedit, in tremore, inquit. Solet enim inconſideratum gaudium neglectum părere. Itaq; ſenſus erit, O uos reges, ô uos iudices, ô uos qui reſpublicas, qui ciues, qui aliorum animas regitis, ac iudicatis, uos Deo ſubditos eſſe perpendite, illum cum timore colite: de tanto rege, non de ueſtro magiſtratu ac gradu gaudete, cõtremiſcentes tamen ſemper ne in iudicijs ueſtris, ne in pœnis ab reis expoſcẽdis, ne in imperijs, in moribus, in uita, in doctrina illum offendatis. Atqui hic tandem uides metũ cum exultatione permiſtum:
D ex qua re nobiliſsima quædam pars fidei, uel ea in primis præcipua exoritur, cũ quis de ſe, ſuiſq; bonis ac uirtute pauidus, timet Dei minas, flagraq; illa quæ à Dei lege aberrantibus infligi ſolent, uereẽ: ſed rurſum de ſalute, ob promiſsiones humano generi factas ab illo, qui ſolus in attendendis promiſsionibus uerax eſt ac ſtabilis, ſecurus perſtat, & in Domino etiam atq; etiam gloriatur ac gaudet.

Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur dominus, & pereatis de uia iuſta.

Primùm enim, ne in multis morer, uolunt Hebręi particulam hanc tribus modis poſſe legi: aut ut nos legimus, aut, adorate purè: aut, oſculamini filiũ. Sed magis propriè duabus ultimis quàm prima utimur, cuius tamen is ſenſus eſto: Apprehendite diſciplinam, hoc eſt, ſpiritus increpationes illas quæ per uerbum ſanctum Dei fiunt, ne detrectetis, quin potius ueluti munimentũ quoddam aduerſus ea omnia, quę uobis in agendis rebus obeſſe poſſunt, ſuſcipite. Erudimini, in quam, haud in ſuperficie quidem, ſed ſummo ſtudio, ardentiq; cura, atq; animo contendite, quemadmodum illius monitis & correctionibus uoſmet alioqui rebelles, ſubiugetis: perindeq; tenaciter huiuſmodi apprehendite diſciplinã, ac tenete, atq; hi ſolent qui pugno tenent aliquid, ne effluat. Illud uerò, adorate purè, ſic intelligi poſſe arbitror, q̃ ipſe Deus optimus maximus, ſolus uerè adorãdus, ab homine coli debeat purè & ſyncerè, hoc eſt, nullo noſtro in eius obſequio, permiſto proprio aut amore, aut cõmodo. Nullum enim fucum, nullam hypocriſim, nullam cruſtam admittit puriſsima illa ſimplicitas. Proinde maximopere nobis pertimeſcendum erit, ne nos qui aliquid uideri uulgò uolumus, dum abſq; huiuſmodi diſciplinę atq; eruditionis freno, ſeruire poſſe Deo aut credimus, aut credere fingimus, duos, quod aiũt, parietes de una fidelia dealbare uelimus. Iam tertiæ lectionis is erit ſenſus: Filiũ Dei, à quo noſtra omnis eſt ſalus, libenter audite, ſuſcipite, amplexamini, eius expetite amicitiam, non perſequamini, non in eum fremite, nõ aduerſus eum conuenite, ne ſi quando iraſcatur, pereatis de uia iuſta, hoc eſt, ne excæcati, deinceps, quô eundum ſit uobis, non uideatis, & ſic in peccato ueſtro moriamini. Quod quidem obueniet,

Cum exarſerit in breui ira eius.

Id eſt,

A Id eſt, cum ſubitò, cum nõ ſperatur, repentina ſuperuenerit de improuiſo calamitas. Illud enim, ne pereatis de uia iuſta, prætendere iſtuc uidetur, ne ſcilicet de mundo exterminandi, in æterna ſupplicia protrudamini. Via quippe iuſti, ſeu uia iuſta, recta uiuẽdi ratio appellari poteſt. Siquidem uita hæc noſtra ea eſt, per quam duo nobis monſtrantur itinera: unum, quo ad futurã illam aliam immortalem uitam: alterum, quo ad miſerrimã alteram illam inferorũ properamus mortem, quę ſanè breui, atq; inſperata futura eſt hora: nam nõ uideo quid iam longũ in hac breuiſsima uita dici queat, quam ex Græcis unus umbræ ſomnium appellandã eſſe cenſuit. Hebræi habent, modicũ, cuius dictionis is erit ſenſus: Ne modicam quidem eius iram feretis, quid magnã? Vaſa quidem eſtis fictilia uix uſui apta, & iam exterminio obnoxia. Tunc uerò, ſerò licet, ſentietis q̃ illi quidem felices fuerint ac beati, qui totam ſpem ſuam, fiduciãq; in Deo, nõ in huius mundi fauore ac gratia collocauerint. Sed quid opus uerbis? quid multis moneo, ut huic regi ex animo ſeruiatis? quandò is eſt, ut planè beati ſint, quicũq; ipſum regem adorant, & in eo confidunt. Sat ſit igitur hoc unum monuiſſe, & iterum atq; iterum inculcaſſe, Beati omnes qui confidunt in eo.

PSALMVS *Dauid, cum fugeret à facie Abſalon.* III.

Omine quid multiplicati ſunt qui tribulant me?

Pſalmus iſte reuelatus fuit Dauidi, cum à facie filij ſui Abſalon, ut in Regnorum libro ſecundo legitur, ſeſe fuga ſubtraheret. Tunc enim in ſpiritu illi, uti umbræ, ac præludio, domini IESV mors, perſecutio, & demum è tumulo reſurrectio oſtenſa fuit. Ex qua quidem uiſione & ſpectaculo, hanc mirabilem compoſuit odam, que tum ipſi, qui multa à proprio filio, à Iudæis, à ſuo populo eſt paſſus: tum uel maximè, ueriſsimeq; Dei filio, qui eadem, & atrociora, in terris à ſuis pertulit, conuenientiſsimè aptatur. Propterea cum
B Chriſtus ipſe, aut loqui, aut, quod hominis proprium eſt, pati aliquid in pſalmis introducitur, hi omnes loquuntur, patiunturq;, quotquot ad eius ueneranduin corpus attinent, quorum ipſe caput eſt: nec ſecus quidem fit, ſiue ſit Dauid qui loquitur, aut patitur, ſiue anima alia, ſiue tota eccleſia. Chriſtus enim tum eſt, ut umbræ ratio, acueritas conueniat, qui & loquitur, & patitur, cum ait, Domine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? Quàm multi ſunt, clamat Chriſtus, qui me affligunt. Quo tamen meo merito? Quô, malùm, quorundam progreſſa eſt feritas, ut uel de meis propriis alumnis unum ſecum trahant contra me? Siccine filios enutriui? Siccine uiros tam diros, tam omnis humanitatis expertes alui, qui aduerſum me tandem inſurgerent? Quis hic nõ fleat periculum animæ, quæ ſe hoſtium cuneis, atq; his fortiſsimis, circunſeptam uidens, clamare cogitur, Heu quàm multi ſunt hoſtes qui me inſectantur? Videt ſanè miſera hominis conditio, tauros hinc pingues, illinc canes multos circum ſe ſtare: à dextris, à ſiniſtris, ab omni undequaq; latere ſalutem ſuam à mundo, à carne, à ſenſibus, à peruerſis hominibus impeti, & non uociferabitur, Quàm magnus illorum numerus eſt, qui ex compoſito, factoq; impetu in me, hoc eſt, in rem tam debilem atq; infirmam inſurgunt? Aiunt enim à ſpiritu ſancto edocti, tentationes à dæmone diuerſis artibus exerceri. Aut enim à fronte eum ferire aſſerunt, cum ſpem felicis exitus in rebus maximè nefarijs pollicetur, & ſuggerit: aut à tergo, quando ob memoriam malè anteactæ uitæ oblectat, ſeu nimium terret incautos. A dextris etiã ab arte ſua nõ ceſſat perfidus, nobis adblandiens, ac uim atq; opem ad aſſequendas uirtutes, quo nos ad cenodoxiã impellat, addens. A ſiniſtris tandem nos impetit, cum abiecta ſimulatione, nobis & cæſim & punctim cominus aperto iam marte uim infert manifeſtam.

Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus illi in Deo eius.

Grauiſsima omnium hæc eſt tentatio, cum animæ alioqui nimium per ſe pauidæ, obijcitur ab hoſte, non eſt ſalus tibi à Deo tuo. Te, inquit, contemptui habet, non te audit. Quod quidem accidit, cum Deus animas penè uidetur non ſo-

C lum deſeruiſſe, ſed & illis aduerſari tum, cum nimium diu, ut ſibi uidetur, ſub aduerſitatum pondere laborare apparent. Heu quàm dura tunc eſt uita, quàm intolerabilis, quàm odioſa. Nulla certè omnium inuenitur aduerſitas cum hac comparanda, ne mors quidem ipſa. Verùm tu hoſtium deriſionem aduerte, cumq; Deo tuo atrociſsimũ illud in cruce improperium audi: Confidit in Deo, liberet eum nunc ſi uult. Vah ille Deus, quem hic tanti facit, & in quem ſperare iactitat, non fert opem, quare non eſt ſalus illi in Deo eius. Nemo certè homo eſt, qui in diuturnis tentationibus aliquando non fathiſceret, planeq; deſperaret, niſi mox fides præſtò eſſet, quæ queribundæ illi admirationi, qua anima ſeſe à nimiũ multis circumuentam conqueritur, reſponderet:

Tu autem domine ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Hic ab Hebræis ſelah interponitur, nota nimirum exaltandæ uocis, ſeu animi ad ea quæ dicenda ſunt, intendendi. Atq; eſt, quaſi id dicat afflictus: Impetat orbis uniuerſus, urgeat, lædat, uulneret, ac in me cuncta ſua, ſiue ſupera, ſiue infera ſint, agmina moueat, quid timebo? Quid me illis obijcere trepidabo, cum tu Domine ſuſceptor meus ſis, meq; tuteris, ac ab illorũ telis uendices? Falluntur ſanè hoſtes, cum de me dicũt, nõ eſt ſalus illi in Deo eius: quandoquidem tu, ô Domine, me ſub tuę protectionis alas nõ aliter & ſuſcipis, & cõgregas, quàm ſolet auis aliqua ſuæ prolis ſtudioſa, atq; amantiſsima. Vidés ne ô lector quid agat fides? Tu igitur, clamat in nobis fides, ſuſceptor meus es, gloria mea: hoc eſt, tu ſolus es gloria illa mea, qua gloriari & poſſum, & debeo. Alij enim genus, diuitias, patriã, honores, addo & iuſtitiã propriã, propria opera, proprias religiones, ut lubet, iactitent: ego autem, uel inuito mundi faſtu, uſq; ad raucedinẽ uociferabor, quòd tu ſolus es, in quo meam ſpem omnem ac gloriam collocaui. Neq; uerò mihi opus erit caput, mentis, atq; adeò animi indicium, præ confuſione ac dolore humi
D figere, ut hi ſolent qui capite damnati ad ſupplicium ducuntur, cum tu caput ipſum meũ erigis, ac me tandem glorioſum reddis: hoc eſt, tua me gratia iuſtum facis, & ſaluas, quę ſanè eſt unica mortalium omniũ gloria & exaltatio: ex quo quidem non amplius pudibunda fronte, aut demiſſa, ſed hilari atq; aperta incedam. Porrò hîc caput, minimè erit abſurdum, mentem, ſeu humanum intellectum appellare mauis, in Chriſto intelligi, erectum quidem ad expreſſam patris uiſionẽ, & contemplationẽ, quam ſanè ab illis ſuis primis incunabulis excellentius aſſecutus eſt, quàm intellectuales omnes aliæ creaturæ: & quam ſubinde alia capitis exaltatio eſt ſubſecuta, ſimulac cœpit à patre mundo oſtendi. Quando enim in CHRISTO diuinitas ipſa in terris cœpta eſt manifeſtari, tum & illius caput, id eſt, Deus ipſe in illo homine cognoſci potuit: nam caput Chriſti Deus, ut ait Paulus. Hanc enim gloriã, capitiſue exaltationẽ, alio loco exoptauit filius ipſe, cum patrẽ hoc modo allocutus eſt: Pater, inquit, clarifica me apud temetipſum, hoc eſt, fac me cognoſci filiũ tuũ: quod idem eſt, quòd exalta caput meũ. Verùm uos perſecutores mei, quo uultu iactare audetis, haud eſſe in Deo meo mihi ſalutem? quomodo, quæſo, iſtuc? longè enim aliter ſeres habet, q̃ uos optaſtis: nam

Voce mea ad dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

Hîc filius Dei ſe ſemper à patre exauditũ cum orauit, gloriatur. Et exauditus eſt, ait Paulus pro ſua reuerentia. O fiduciam noſtram. Pater, inquit, ago tibi gratias, quoniam exaudiſti me: ego autem ſciebam, quoniã ſemper me audis. Quis, oro, adeò ſibi diffidens eſt, ac de ſe, ſuaq; uirtute atq; ope deſperãs, quin ſpem ſumat atq; animũ, cum hoc tam certum de Dei bonitate erga ſe recolit teſtimoniũ? Cum clamore, ait Paulus, ualido, & lachrymis orauit patrẽ. Quæ rogo, bonitas, quæ benignitas cum illa cõparanda, qua nos Deus ſe in filio ſemper audire teſtetur? Hæ quidẽ ſunt lachrymę, hi gemitus, hic clamor, haud noſter, noſtrarumue precum aut modus, aut numerus, quibus intercedentib. à Deo audimur. Vult ſanè pater, atq; à nobis & lachrymas & ſuſpiria exigit, ſed eo pacto ac lege, ut ipſarum lachrymarũ uim atq; efficaciã, ſui filij lachrymis & precibus acceptũ referamus.

A mus. Cadit, crede mihi, noſtra omnis præſumptio, hiſce fidei ac ueritatis conſide
ratis rationibus. Sed ad inſtitutũ redeamus. Exaudiuit me, inquit, de monte ſan
cto ſuo. In omni, ait, loco ſemper exaudit me Dominus: ſed potiſsimũ in monte
ſancto ſuo, hoc eſt, de excelſo ſuæ gloriæ throno, ac ſolio. Hebræi habent, De
mõte ſanctitatis ſuæ, qui Sion eſt, typus nimirũ eccleſiæ. Promiſerat enim Deus
ſeſe in medio populi ſui habitaturũ, ac ſe ad arcæ propitiatoriũ orantes exaudi tu
rum, unde diuina ſolita erant hauriri reſponſa atq; oracula. Ecquis hic non uidet
ueritatis imaginem ab illis umbroſis rebus, & imaginibus caducis, ſolidam ema
naſſe? Arca enim eccleſiam adumbrabat, propitiatorium Chriſti carnem, qua
nobis propitiatio factus eſt, ſalus & uita. Mons uerò ſanctus, è quo nos iri exau-
ditum teſtatur Deus, ipſa diuinitas: quæ Chriſto homini, atque adeò eccleſiæ
ſuæ ſanctæ uim dedit, illi ut ex duabus naturis in unitate perſonæ, unum eſſet
cum patre, hoc eſt, unus Deus: iſti uerò, ut ex participatione gratis conceſſa, una
eſſet & ipſa cum Deo, uoluntate & amore. Exauditur itaq; anima, facileq; impe-
trat quicquid rogat, ſi è monte ſancto Dei, hoc eſt, ſi è diuinæ in Chriſto naturæ
fide ac perſuaſione haudquaquã uacillante ſpem firmam rogata obtinendi, ſu-
mit, non aliunde. Etſi quidem leuandi ſunt oculi noſtri in montes, ut admonet
Dauid, auxilium tamen noſtrum à Domino ſperandum erit, de monte ſcilicet
ſancto eius. Quis, inquit, requieſcet in monte ſancto tuo? Quis adeò montis ſan
cti huius amans erit, ut in illo requieſcat, uiuatq; non ſecus quàm ſolet amans eſ-
ſe in amato magis quàm in ſe? Habitat igitur in monte ſacto Dei, id eſt, in Chri-
ſto eius filio, atq; propterea in eius eccleſia, is qui nullo alio è loco, nulla'ue alia
è re, & ope, ſuum exoptat auxilium, præterquam ab ipſo Dei filio, qui mons
Domini præparatus in uertice montium, ab Eſaia dicitur. Cæterùm uocis nomi
ne, & clamoris, cùm ſæpe aliàs, tum potiſsimum hoc in pſalmo, uult uates arden
B tem in Chriſto fuiſſe affectũ intelligi, cum oraret: qui uel tum maximè quidem
per illud Euangelij conſiderari poteſt, ubi ipſum Dei filium in agonia factum,
ſanguineas guttas exudaſſe narrat. Ab hoc enim archetypo, neq; aliunde, quẽ-
admodum cæterarum uirtutum, ita & orandi nobis exemplum petendum erit.

Ego dormiui & ſoporatus ſum, & exurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit mẽ.

Hic nulli dubium eſſe debet, Chriſti mortem ſignificari: qui quidem ſicut ue-
rus erat homo, ita uerè mortuus eſt, & propria ſe uirtute è tumulo excitauit. Dor
miui, inquit, mortis ſomno in cruce, & in ſepulchri gremio ſoporatus ſum. Nam
quemadmodum Chriſti mors, ita & iuſtorum, ſopor uerius, propter futuram re-
ſurrectionẽ, dici poteſt, quàm mors. Sed quid anima illa, quæ ſe iam ſentit exau-
ditam à Deo? Ego, inquit, ſimulatque intellexi me, meosq; gemitus ac ſuſpiria
Deum reſpexiſſe, leniter ſoporata dormiui: depulſoq; timore, atq; diffidentia o-
mni amota, lectulo me meo curis uacua commiſi. Vide ſecuritatẽ hominis Deo
fidentis. Alioqui cor curis exæſtuans, ac cõſcientiæ ſtimulis exagitatum, corpus
omne conſumit, atq; ab oculis ſomnũ aufert. Et ego aliquando miſer & infelix,
cum Elia præ tædio ac laſsitudine uiæ huius uitæ, quam ſemper maximo meo
damno inquinaui, ſub una iuniperorum ſedens, dormiui in peccatis. Sed neque
hoc ſatis: nam in peccandi delectatione ſoporatus prorſus à uera uita exanguis
iacui. Verùm ſtimulo iam tandem infixo, quo mihi cœlitus eſt dictũ, Vſq; quo
piger dormis? exurrexi: non quia uolui, aut multũ conatus ſum, ſed quia Domi-
nus ſuſcepit me: aut, ut legunt Hebræi, quia Dominus ſuſtentauit me, ſcilicet ne
poſthac cadam, & moriar omnino. Quamobrem

Non timebo milia populi circundantis mẽ.

Vt lubet multiplicentur qui me affligunt, in me cõſpirent, inſurgantq;, ac de
me dicant, Nõ eſt ſalus illi in Deo eius: non deinceps uerebor, quò me iterum in
letalem aliquem ſomnũ protrudant. Vide quæſo, uiri pectus ſtabile, in malisq;
obduratum, atq; in Deo firmatũ, quod nihil, ne myriades quidem quamuis nu-
meroſas hoſtiũ pertimeſcit. Omnia enim æqualia putat eſſe in hoc mundo, uani

C tati nimirum obnoxia, citoq; prætereuntia. Deum enim, quem unicè diligit, timet: atq; homines, per Deum. Idcirco non est quod tam pauidè quis uiuat, cum tyrānus plagas, exilia, bonorum honorúmue depopulationes, carceres, damna, triremes, boias, eculeos, locorumq; mutationes, & mortem tandem intētat, cum his atque huiuscemodi corporeis admotis tormentis, amplius quid faciat, ut ait Dominus, non habeat. In animas enim ius exercere non possunt tyranni, atque plagiarij isti: qui tamen cum numerosi admodum sint, passimq; uel in ipsa parua decurionatus manu, nedum in regnis appareant, nemo est tam infracto animo, qui aliquando illorum ferociam non timeat. Quapropter

Exurge Domine, saluum me fac Deus meus.

Iacere dicitur Deus humano more, quando ex occultissimo suo, iustissimo tamen iudicio, bonis sinit malos præstare, atq; eos premere: exurgere uerò, quando ex liberatione suis præstita, diuinam suam potentiam, quæ antea iacere uidebatur, & suscitat, & manifestat: tunc enim apparet quòd non dormit, neq; dormitat qui custodit Israel. O Domine, inquit, in cuius resurrectione omnium sita est salus, exurge iam demum, tuam demonstra potentiam ac uirtutem, & me libera. Cæterùm, quod ait Augustinus, mos est scripturæ, ut sæpe Deo tribuat, quod ipse in nobis facit & operatur, ut hic: tunc enim, ait, nobis Deus surgit, cum nos ei surgimus. Ergo, dicet aliquis, nos prius surgimus, quàm nos Deus (hoc certè uelle uidetur Augustinus) excitet, ac nobis surgat. Sed alia disputatio est. Fac igitur ô Domine IESV nos à luto, ab humo, à peccandi cōsuetudine, à sopore ac nocte profundissima æternę mortis surgere, atq; in te transire. Quod enim aliud transfugiū esse potest, quod idem turpe non sit, præter id quo transfugimus, ut ait ille, à dominis agrestibus, à nocte scilicet, à mundo, à peccato, à morte, ad lucem, ad Deum, ad innocentiam, ad uitam? Propterea enim Christus
D mortuus est, & resurrexit, ut nos peccatis mortui, iustitiæ uiuamus, non ut perpetuo somno in peccatis obdormiscamus.

Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti.

Transacta beneficia memorat, quo cœlestem patrem ad uētura prouocet. Dici non potest, q̄ ipse æternus benefactor ad dona sua in memorem animam transfundenda propensus sit. Diuus Hieronymus ex hebręo sic legit: Quoniā tu percussisti omnium inimicorū meorum maxillam. Quibus quidē uerbis uolunt Iudæos in Christum uerbis maximè ac maledictis peccasse, designari. Haud solum autē eum impudentissimè negarunt, sed blasphemias insuper, dicteria, ac contumeliosissimas irrisiones addiderunt. Vah, inquiunt, qui destruis templum Dei, & illudebāt ei. Dignū quippe est, ut in ea ipsa corporis parte, qua quis peccauit, ipse mulctæ, talionis lege, subiaceat. Sensus igitur erit: Non timebo populum quamuis numerosum me circundantē: quoniam dētes, maxillasq; illorum, hoc est, eorum blasphemias ac maledicta, quibus ueritatis cultoribus obtrectant, fortiter comminuere es solitus. Sine causa, addit: id est, ipsa sola malitia illos ad hoc impellente, non quòd illud meritus sim. Multum admodum ad retundendas hęreticorum blasphemias, obtrectatorúmue maledicentiam, facit doctrina humana: sed fermè nihil est ad uim illam, quæ à Deo cœlitus infertur, & quam quidē sæpe in Concilijs ecclesię uniuersalibus experti sunt Græcorū hæretici, uicti magis à sancta quorundam simplicitate, quàm ab argutissimis doctorū disputationibus. Disputandū sanè est (fateor) cum hæreticis, doctrina quidē, sed multo tutius sanctitate uitæ. Non conturbor, ait Velleius apud Ciceronē flumine inaniū uerborum, nec subtilitate sententiarū, si orationis est siccitas. Siccitas uerò ista, ac ieiunitas in Christianorū concionibus & disputationibus, est ipsa spiritus absentia. Ecquis est qui spritus sancti succo uegetus, rhetorē quamuis eloquētem, sed absq; huius ui & uirtute uerba effutientem, uereatur? Confidite, ait Dominus IESVS, ego uici mundum. Eadem ratione & electi, per ipsum, non per se, aut per suam literarum copiam, uincere posse confidunt. Sermo meus, dicebat Paulus,

A Paulus, in oſtenſione ſpiritus & uirtutis eſt, ut fides ueſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in uirtute Dei. Vides, uides, inquam, celebrandorum conciliorum robur, & fundamentum? Vides qui inter alios, publico edicto, ad ſancta illa comitia, uel ab extremis mundi regionibus euocandi ſunt?

Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.

Repreſsis itaq; maxillis, retuſisq; ſannis, in Deum, Deiq; amicos conſpirantium, iam demum exoptata apparet ſalus, quæ quidē ab ipſo Deo ſolummodo ſperari debet. Idcirco duo hic propheta dicit. Vnum, quòd Deo ipſi tantummodo noſtra referenda ſit ſalus, & liberatio: huius enim, ſuos, etiam ubi omnia conclamata uidētur, ac planè perdita, de improuiſo liberare mos eſt. Alterum uerò, quòd ſalus eiuſcemodi ad Dei populum ſolummodo pertineat. At qualē aſſerimus Dei eſſe populū? Eum ſanè, quem uirum beatū ſuprà in primo pſalmo appellauit ſpiritus. Eum dico, qui nullo actionum ſuarū habito reſpectu, malæne an bonæ ſint, ſola Dei miſericordia ſcit ſe liberandū, & qui uel in media ipſa morte, ac ſepulchro, in eo cōfidit. Soli enim fermè ſemper in tentationibus deſperantes pereunt. Porrò ut inflammatiorē affectum demonſtret uates, ſubitò perſonā mutat, Deumq; alloquitur dicens, Et ſuper populum tuum benedictio tua: hoc eſt, tuos bonis cumulare conſueſcis ô Domine. & eſt metaplaſmus. Benedictionem Dei in ſcripturis frequentiſsimè legimus eſſe beneficentiam ac liberalitatem: nam cum dicere in Deo idem ſit quod facere, conſentaneum item erit, benedicere, benefacere intelligi. Vnde illud: Benedicens benedicam tibi, & multiplicabo te. Hinc & illæ tam crebræ cœlitus patribus factæ in lege antiqua benedictiones, Abraæ ſcilicet, Iſaac, Iacob, Ioſeph item, atque aliæ alias paſsim per ſcripturas. Hinc rurſus translatum putant quidam ad homines, ut ſuperioris benedictio pro bona imprecatione, felicique omine accipiatur: non ſanè excogi-
B tata ad demonſtrandam quorundam animi leuitatē & tumorem, qui ſibi adeò ferè ſemper adblandiunt, ac placent, cum cernunt ſubditos incuruari, & preſſo poplite petere benedictionem, ut cum ſuam illam, protenſis digitis, crucem diſſecare occeperint, mimos eos dicas, aut perſonatas ſimias: adeò & genu, & brachio, & collo, & limis (ut ſic dicam) oculis, benedictionem porrigunt. Eáne animi uanitate proferenda eſt ſalutis nota? Veſtræne ſunt huiuſcemodi benedictiones, ô mortales, an illius potius, quem manſuetiſsimè nunc orat uates dicens, O Domine benedictio tua ſuper populum tuum maneat? uel, quod clarius atq; elegantius à paraphraſte accepimus: A' te ſolo expectāda eſt ſalus uera, qui in populum te cognoſcentem mirificè ſemper fuiſti liberalis.

PSALMVS *Dauid, ad uictoriam in Canticis.* IIII.

Vm inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi.

Prophetæ in ſpiritu de gentium ab idolis cōuerſione ad ueram pietatem, cultumq; ſolidū, pſalmus iſte innotuit: & eſt lætū canticum, ac, ut græci appellāt, προσκέλευσις, hoc eſt, uehemēs adhortatio ad fidendū Deo, in quo ſolo totius uictoriæ noſtræ uis ac robur conſiſtit: & qui finis noſter eſt, adumbratus quidē ſub titulis illis pſalmorū crebris, in finē ſcilicet. Pſalmus hicigitur hortatur omnes, ac tuba ueluti quadā militari uocaliſsima prouocat ad inuadendas hoſtiū copias, illisúe fortiter reſiſtendū: quia certiſsima promittitur de bello uictoria, & triumphus. Verùm illi in organis quondam, nablis, & cęteris inſtrumentis muſicis pro uictoria aut adipiſcēda, aut iam adepta, Deum orabant, illiq; gratias agebāt: nos uerò in cordis gaudio præſentiq; animo, ac iuſtitię ſacrificio tantummodo. Præterea illud eſt cum Auguſtino conſiderandum, quo nos admonet, Chriſtum in pſalmis continuum eſſe, ſemperq; loqui ac uerſari, ſiue caput ſit quod loquitur, ſiue membra cætera. Verū in Chriſti uoce, ut ipſe ait, unumquemq; ſuam agnoſcere poſſe, & debere uocem. Nam ipſe aliquādo dicit, quod ſibi ſoli conuenit, nec tamen ſe à noſtris uerbis dirimit, imò à ſuis propriis ad noſtra redit, & à noſtris interdum ad ſua proptia tranſit. Qui enim cum Augu

c ſtino in pſalmorũ enucleatione ſic ſentit, nõ multũ torquebitur, ſi in quaſdã literæ interdũ ſalebras inciderit, quibus minus Deo digna dici à propheta nonnunquam uidebuntur. Itaq; tantus uates, utpote nobile CHRISTI membrũ per fidem effectus, atq; adeò fideliſsimus quiſq; Dei amicus, in hoc pſalmo gloriatur de diuino fauore, non de humano, in cõſpectu maximè carnaliũ quorundã hominum, qui uiam crucis, aſperã ſcilicet & difficilẽ, irrident: ipſiq; quantum poſſunt, & lingua, & uita aduerſantur, ac detrahunt. Ait igitur, Cum inuocarẽ exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ: hoc eſt, Deus iuſtificator meus, & is, à quo mea omnis dependet iuſtitia, quiq; meæ teſtis eſt innocentię, cum anxiè eius implorarem auxiliũ, exaudiuit me. Iactat ne ſe hic de iuſtitia ſua uir ſanctus? Iactat ſanè, ac proprias nonnunquã celebrat laudes, ubi diuinũ honorẽ, non proprium reſultare poſſe cõfidit. Hi enim tutò ſuas prædicant laudes, qui è noſtro iſto ſanctorũ uulgo minimè ſunt: qui quidẽ ſancti ſeipſos nondũ integrè abnegarunt, qui ſua omnia chara nimiũ habent, qui nihil aliud quàm ſuũ nomen, haud Dei, illuſtrari cupiunt: quicquid habent, à Deo ſe habere ignorant, atq; ad hoc, ut alij ſentiãt. Volebamus, inquit Paulus, uobis tradere non ſolum Euangeliũ, ſed etiam animas noſtras. Vide, oro, calorẽ Pauli in fratres, ô tu, qui nihil aliud in donis tibi cœlitus datis expiſcaris, quàm tuũ nomen ac cõmodum. In tribulatione dilataſti mihi. Narrat uir ſanctus, ſui clamoris effectũ, iuſtitiæq; exitum, & uim, quę eiuſmodi eſt, quia mentis tranquillitas acquiri ſolet, & ex qua quidẽ ſummum cordi innaſci gaudium exiſtimamus. Cor enim ut mœrore conſtringi cernimus, ita & gaudio contrà dilatari. Quod tamen gaudiũ nunquã, ne ſemel quidem, niſi pacata prius conſcientia, alicui contingit. Mala nanq; conſcientia, uidelicet à facinorum fluctibus ſceleratorũ exagitata, nunquã quieſcit, ſed cor miſerandum in
D modũ concerpit, ac uaſtat. Cor noſtrum dilatatũ eſt in uobis ô Corinthij, aiebat Paulus. Atqui rurſum hic Pauli cõſiderãda eſt in Corinthios tum charitas, qua uel ipſa ſaxea corda emolliri poſſent, tum gaudium, ex bona eorundẽ conuerſatione. Videtur enim uates hoc in loco totam ſuę ſupplicationis ſummã in hoc locaſſe, ut corde libero, patenti, ac ut alio in pſalmo uocat, mundo & cãdido, donaretur. Sciebat enim ex cordis libertate, atq; innocentia, pacẽ animi erumpere ſolitam, qua in terris alia certior nulla eſſe poteſt. Sint mihi regna, ſint magiſtratus, ſit uel ipſius orbis imperiũ, ne hilum quidem faciendũ duco, ſi ueluti rapax Tityi uultur, meam excarnificet conſcientiã ſtimulus. Gratanter igitur applaudit ſibi uates, & ait: In tribulatione, quam afferre ſolet mundus, homo, peccatum, mors ipſa, me dilataſti: hoc eſt, mihi de conceſſa liberatione gaudiũ præſtitiſti, atq; in anguſtijs redacto latiſsimum ſæpenumero de improuiſo campum aperuiſti. Putas ne cum uiro huiuſcemodi lætitia affecto, poſſe affici tyrannum? adulterum? parricidam? draucum? paticũ? furem? rerum ſacrarũ uiolatorem? decoctorẽ? malum ciuem? malum principem? malũ ſacerdotem? malum monachũ? Deuaſtat (crede mihi) funditusq; concerpit cor, quicquid ſedem in eo habet, quod terrã ſapit, atq; illud omne quod ſenſus hos brutos alit, & oblectat. Cœleſtis enim originis cum ſit cor, haud facile adulterinas ſuapte natura admittit cogitationes. Alioqui naturarum ubi diuerſitas, ibi diſcordiam eſſe neceſſe eſt. Affectus carnis, ſeu, ut noſter habet interpres, prudentia carnis mors eſt, ut ait Paulus: affectus autem ſpiritus, uita. Quid magis aduerſum in re ulla eſſe poreſt quàm uita & mors? caro & ſpiritus? bellũ & pax? Cæterùm quia fidei ſemel exauditæ eſt, ſe iterum, ne ingrata exiſtat, exauditum iri ſperare, orat denuò,

Miſerere mei, & exaudi orationem meam.

Pugna enim carnis cum ſpiritu, cum nunquam in hac uita ceſſet, idcirco nunquam à liberationis deſiderio eſt ceſſandũ. Ingemiſcimus, ait Paulus, expectantes adoptionem filiorum Dei, redemptionem corporis noſtri. Hoc enim deſiderium ſi adſit frequens, frequẽs eſt oratio, & ea quidem, cui facilis ad diuinũ contemplãdum aſpectum pateat aditus. Illum quidem uirum, ne horulæ punctum, ab oratione ceſſare arbitror, qui in continuo liberationis affectu uiuẽs, nihil tam

in uita

A in uita expetit, & quærit, quàm quomodo ſua uota omnia, ſtudia, appetentiæq; omnes, atq; affectus, Deo probentur.

Filij hominum Vſquequo graui corde?

Blandè, peramanterq; mortales omnes propheta admonet, uel in primis cordatiores, quos (ſecundū Hebræos) inclytos appellat Hieronymus: & ait, O filij uiri, ſeu inclyti, quos uidelicet Deus nobili, diuinoq; effinxit animo, eia quouſq; plumbeo, depreſſoue, ac nō quærente, quæ ſurſum ſunt, corde, uitam traducitis anxiam? O filij haud amplius Dei, propter turpitudinē peccati, ſed Adę: qui terreni, non cœleſtis Adæ imaginem præſtatis: quiq; illius præuaricationem imitamini, non CHRISTI obedientiam, uſquequo graui atq; obſtinato corde uiuitis? De ſimplicioribus enim deque his qui in ignorantiæ tenebris uolutantur, nulla ferè debet eſſe admiratio, ſi à ſolidæ ueritatis ſcopo aberrāt: ſed uos, ô inclyti, qui donorum cœleſtiū amplitudine prædiți eſtis, qui ſapientes, qui prudentes, qui religioſi, Deiq; ſerui per emphaſim ab omnibus ubiq; gentiū appellamini, uſquequo cor in uobis ſtupidum, graue, terrenarumq; rerum ambitione, & cupiditate languidum, planeq; emortuum cernitur?

Vt quid diligitis Vanitatem, & quæritis mendacium?

Nónne de uobis illud Hieremiæ dici ueriſsimè poteſt, quo queritur falſum hæreditaſſe patres, ac uanum abſq; utilitate? Quid, quæſo, uaniusq; quid magis mendacio, uanitatiq; obnoxium, quàm ſic terrena ambire, & amare, ac ſi nulla eſſet poſt hanc mortalē immortalis uita? regnumq; Dei in huius mūdi bonis elementisq; conſiſteret, & nō potius ſpirituale foret? Mendax enim ea eſt arbor, quæ loco fructuū, folia duntaxat producit. Mendax uitis, quæ expectata ut faciat uuas, facit labruſcas. Mendax arcus, & fallax eſt, qui à ſcopo exorbitat. Veram ne igi-
B tur, ſolidamq;, ac ſibi cōſtantē eſſe dicā in uobis religionē, & non potius falſam, flaccidam, & nutantē omnino, cum uos uidero tam anxio ſtudio mundum, mundiue faſtum, & gloriam, cōtra fas omne, tum quærere, tum paſsim, etiam uſq; ad ambitus culpam, in omni loco, in omni gradu, atq; ab omnibus mercari? emere? aucupari? meretricioq; quodāmodo ritu lenocinari? Verùm cum ratio, ſiue humana mens, uoluntate atq; intellectu perficiatur: uoluntatis autem primum atque ſummum ſit bonum, finis adeptio: primum uerò & ſummum ſit malum, à fine ſeiungi: bonum item intellectus cum ſit uerum, malum autem, falſum: nemo eſt (niſi prorſus in literis plumbeus ſit) qui non fateatur illum falſa, uanaq; & amare, & ſectari, qui omnia illa affectu perſequitur, & quærit, quorū adeptione, ueluti à turre aliqua ſublimi, à fine debito, bonoq; ſolido ac minimè uacillante, deijcitur. Sperat aliquis, exempli cauſa, lumē à tenebris, aurū à nube, uitā à morte poſſe excuti: is errat omnino, quandoquidem à ſole expectandum ſit lumen, aurum è terra, à Deo uita. Nam quemadmodū principium uitæ Deus eſt, ita & finis. Omnes enim nos qui uitali hac aura fungimur, ab eo ipſo ſumus, in ipſo uiuimus, & mouemur. Eodē ſanè modo & ratione, uel luci ſolem, uel auro terram eſſe, liquêre poteſt. Atqui in animę rebus haud ſecus eſſe arbitror: ſiquidem cum Deus ipſe ſummum ſit bonū, ſumma felicitas, ſummaq; animorum trāquillitas, & pax, atq; idē omniū rerum certiſsimus quemadmodum autor, ita & finis: indubium relinquitur, ut ab omnibus qui ratione utuntur, ſolus, uti bonū & finis, ſolisq; mediis, adminiculisue illis quæri debeat, quæ & uera & ſolida ſint, atq; ad aſſequendū quod optant idonea. Ego gloriā meam non quęro, aiebat ſapientiſsimus magiſter. Eſt qui quærat, & iudicet. Vide, ſi potes, ſummā æterna conſequendi. Aut tu ſi nullū fructū alium tuarum actionū expetis, quàm uulgo honorari, laudari, digitoq;, ut ait Satyricus, mōſtrarier, debito excidiſti medio. Quid, obſecro, in rebus diuinis terrena cōmiſces? Finis enim cœleſtium rerum ſpiritus eſt. Regnum item ſuum Dominus non eſſe de hoc mundo aſſerebat: tu tuū hic præſcripſiſti, hic uis, hic amas, hic mordicus tenes. Quamobrē à ſanctiſsimo uate admonemur, ne tandiu uana pro ſolidis, falſa pro ueris, fucata pro apertis dea-

C memus. Nam à finis adeptione ís abeſt lõgè, qui nõ à falſis mediſs ea deligit, quę uerè nos manuducunt ad finẽ ipſum, ac bonum, qui Deus eſt. Ecquid igitur ullo ab alio externo bono, uos, ô filij hominum, tantopere exaltari cupitis?

Scitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum.

Felix ſic: Et ſcitote, quòd ſegregauit dominus ſanctum ſuum. Hic uolũt Chriſtum intelligi, circa quẽ res miras operatus ſit pater. Et interponitur diapſalma. Huic igitur nitendum eſſe ſoli, quia ſolus uerè magnus exiſtimandus eſt, cætera uerò tantilla, condita omnia proclamant. Magnus profectò mihi uidetur mundus: ſed quid ad Dei filium, qui ait, Ego uici mundum? Maiori poſtea quadam admiratione afficior, cum angelicarum naturarum excellentiã conſidero: cum uerò eundem ipſum lego in ſcripturis Dominum dici exercituum, & cui adſtant ipſi beati ſpiritus quotidie acclamãtes, Sanctus, ſanctus, ſanctus, eidemq; adminiſtrãtes: umbras ipſos eſſe, præ illo, exiſtimare cogor. Quid porrò terrificas dęmonũ naturas magnificiam, qui, ut ſacer refert Euangeliſta, credunt, & ad tantum nomen contremiſcunt? Nonne hic eſt, cui cœleſtia, terrena, atq; inferna ipſa omnia ſimul genu flectunt? Quàm deflenda quorundam hic eſſet miſerrima conditio, qui non ſolum mundũ quidem ipſum, alioqui mira, ac planè diuina ornatum pulchritudine, uerumetiã ipſam carnis fæcem, libidinẽ ſcilicet, molliciemq; deteſtandæ copulæ, hoc eſt, breuiſsimam uoluptatũ horulã, perenni cœleſtium ſuauitatũ fonti anteponunt. Scitote, ô miſeri, quoniã mirificauit Dominus ſanctum ſuũ: id eſt, filiũ ſuum, quem, ut ait Paulus, conſtituit hæredẽ uniuerſorũ, & quem Daniel ſanctũ ſanctorũ, alius uerò dominũ dominantiũ appellat, mirũ omnibus, mirabilemq; fecit: quod mirificare uno uerbo noſter reddidit interpres. Quid, oro, huius magnitudini comparandũ? Regnáne? magiſtratus? ampli fun
D di? amplę ditiones? plena æraria? intolerabiles uectigaliũ exactiones? mutuáne illa, ut uos uocatis, nunquã tamen reſtituenda? quid dona, ut modo fit, coacta? Vana proculdubio ſunt hęc omnia, ſi ad illam ſancti huius potentiã mirificã conferatis. Iam & illud ſanè nõ prætermittendũ, cur Felix legat, ſegregauit. Hi enim qui in excutiendis ſcripturis, emunctioris ſunt naris, nobis tradiderũt, idem eſſe, atq; eundẽ prætendere ſenſum, ſegregare, & ſanctificare. Nam quod diuino cultui multis in locis antiquę legis ſegregabatur, id amplius prophanũ non erat, ſed ſanctũ. Vnde legimus ſabbatũ ſanctificatũ, hoc eſt, ſegregatũ, totumq; Domino conſecratũ. Primogenita item tam crebrò legimus ſanctificata, quod eſt diuino cultui ſegregata, ac ſacris ritibus addicta. Nec porrò ſecus illud Hieremiæ intelligi oportet, quo legitur: Priuſquam de uulua exires ſanctificaui te, & prophetã in gentibus dedi te: hoc eſt, antequã naſcereris, ego te in futurũ mihi prophetã ſegregauerã. Ita etiã Paulum uideo ab utero matris ſuę ſegregatũ: ſic Barnabam, ſic alios aliàs paſsim in ſcripturis. Diuus Hieronymus legit, Cognoſcite quoniã mirabilẽ reddidit Dominus miſericordẽ ſuum. Alij uerò, Quoniã manifeſtauit Dominus ſanctum ſuũ. Idẽ tamen omniũ ſenſus. Pater quidem mirificauit Chriſtum eius filium, et mirabilem effecit, cuiq; opera facere dedit, ut inquit Ioannes, quæ nullus alius fecit. Et quẽadmodũ pater ipſe illũ gloria, & honore inſignem, à cæterorũ uulgo ſegregauit, ita eum ſuum eſſe filiũ, in uirtute, ut ait Paulus, manifeſtauit, ac definiuit. Non refert igitur utrum legas, ſanctum, an miſericordem: eſt enim, ut dixi, ſanctus ſanctorum, & uniuerſæ uiæ eius miſericordia & ueritas. Quid (ait) in pluribus immoror? Is Dei ſanctus tam patri charus eſt, ut omnes, quotquot ad eum clamauerint, pater illicò exaudiat.

Dominus, inquit, exaudiet me, cum clamauero ad eum.

Ad ſanctum ſcilicet ſuum, & miſericordem, tanquam mirabiliter (ut ſic dicã) mirificatum. Atqui hic uides Dei teſtimonium quomodo ſuos ui aliqua oppreſſos, ob idq; ad eius auxilium confugientes, ſtatim audiat, atq; inter aduerſitatum turbines, & tentationum, ſpectabiles reddat: uerũ id beneficio, atq; interceſsione Chriſti ſancti ſui, qui, ut ait Paulus, factus eſt inter Deum & homines media-

tor,

A tor, adeò ut quicunq; eius nomen inuocauerit, ſaluus futurus ſit. At uos ſapientiores, & quibus ſunt curæ cæterorum animæ,

Iraſcimini & nolitę peccarę.

Diuerſa enim cum ſint in repub. Chriſtianorum membra, uti in ciuitate ſunt magiſtratus uarij, uariuſq; cultus uitæ: in qua tamen hi qui primarij dicuntur, illorũ qui minutioris ſunt plebis curam habent, his fauent, atq; eos, cum opus eſt, caſtigant, ſubq; ciuili diſciplina, tum publicis, tum priuatis legibus coërcent: hi, inquam, primi, quemadmodum ſapientia & doctrina uegetiores ſunt, quàm cæteri è uulgo: ita eos modeſtia, ac, qua maxime præſtare alijs debent, animi moderatione in reprimendis à culpa ſubditis, ornatos eſſe oportet. Quare admonentur, ut, poſtquã naturis omnium inſitum uidetur, ut primos uix frænare poſsint iræ motus, iraſcantur quidem in multitudinis noxas, ſed ea tamen æquabilitate animi, ne quid nimis, ut eſt adagium. Nam quicquid lacerato, aut dixeris, aut feceris animo, punientis impetus, non corrigentis charitas dici debet. Quocirca nunquam arguendi aliorum peccata, alicui ſuſcipiendum eſt negocium, niſi placato prius animo, atq; indicet conſcientia, ſe magis dilectione in puniendo moueri, quàm ira, aut furore. Caducum eſſe omne illud, quod abſq; charitate fieret, aiebat Ambroſius. Cæterum iram nonnunquam peccatum nõ eſſe compertum eſt, motus maxime naturales ſi non exceſſerint limitẽ. Sæpe item motu quodam concitatiori ex ingenerata in nobis infirmitate, pœnaq; à Deo ob peccatũ illata, inferueſcit ira: quę raro iudicium expectans rationis, ui omni comprimenda eſt, ne ex peccato, aut nullo, aut digno uenia, in quod eſt prolapſa in capitale deuoluatur. Eſt & ira laudabilis, & expetenda, quam zelum libentius appellauerim quàm iram: quo, quadam ueluti ſanctiſsima excandeſcentia, aut in propria, aut in aliorum peccata mouemur. Sed hiſce omnibus iræ partibus, eſt alia quædam

B belluina magis, quàm humana, longè nocentior: quæ planè rationis metas perrumpens, ferina rabie, aut in ſumendis ab reo pœnis, aut in exaturanda ſui cordis erinny, contra hoſtes incaleſcit. Ex qua quidem miſerrima iræ parte naſci ſolent homicidia illa tam crebra inter homines eos, qui in ciuitatibus ſectas, & ſimultates fouẽtes, ne uagientibus quidem in cunis parcere ſolent, cũ deſæuiendi in hoſtes offertur occaſio. Quàm ergo cauendum, ne ira, qua ueluti uirtutis, ac iuſtitię inſtrumento uti debemus, à rationis dominio ſeſe ſubtrahat, atq; illi imperet, cui tanquã ancilla obſequi par eſt. Quòd ſi etiam rationis terminos iram deſerere aliquantulum, ob iniuriam acceptam, in aliquo uideris, (de ijs qui ſponte ſua mali ſunt, malignicq;, ac ad exuſcitandam nõ ſolum ſuam propriã, ſed & aliorum iram in cæteros, ſunt proni, non eſt modo dicendum: conclamati enim ſunt, & planè immedicabiles) admoneatur, ne ſol occidat, dieſq; claudatur, antequã ira reſideat, & furor. Iraſcitur quoq; & nõ peccat is, qui ſic anteactę uitæ ſuę curſum, ſibi iratus deplorat, ut eiſdem illis ipſis præteritis non deinceps inquinetur peccatis. Ille, inquam, iraſcitur abſq; culpa, cuius animus adeò in ſubditorum uitia excandeſcit, ut ea ipſa tamen, quorum cauſa efferbuerat, non amet, & ſectetur. Quis, oro, talem ferat iudicem, qui in alium iratus, quia clàm furtũ fecit, ipſe palàm furetur? qui mulcta adulterum uix à paucis deprehenſum afficit, ipſe uerò alterius uxorem publicè poſsidet? Quare à ſapientiſsimo uate additur,

Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.

Licet enim ſenſus hemiſtichij huius per ſe obſcurus ſit, obſcurior tamẽ ex oratione paululum duriuſcula redditur: quæ quidẽ, meo iudicio, planior erit, ſi pro cõpungimini legeris cõpungite, cuius hic erit ſenſus: Mortificate, rationiq; irã, quam contra alios concepiſtis, & cuius incendij uobis conſcij eſtis in cubilibus, hoc eſt, in cordis ueſtri latibulis, ac receſsib. ſubigite, conſiderantes an illud prorſus, quod lynceis penè oculis in alijs uidetis, propter quod in irrationabilem excandeſcentiã ſæpenumero prolabimini, exhorreſcatis. Felix ſic: Cogitate in corde ueſtro ſuper cubili ueſtro, & ſilete, hoc eſt, redite ad cor: & in quiete mentis ueſtræ, liberę ſcilicet ab omni irrationabili motu, cognoſcite quę dicimus, & ſilete,

C quieſcite, ceſſatéue ab omni iræ impetu effreni. Secretum enim cordis cubile, ab aliquo mali appetitu atq; iraſcentia ſic tangi permitto (poſtq; homines eſtis) ut ſileatis tamen, quieſcatisq;, hoc eſt, ut prorſus ceſſantes, deſideria illa ueſtra tam longè ab æquitate remota haudquaq; ſequamini. Paulò ſecus Diuus Hieronymus legit ex hebræo: Loquimini, ait, in cordibus ueſtris ſuper cubilia ueſtra, & tacete. Et eſt perinde, ac ſi dicat: Confitemini Deo, ipſumq; in cordibus ueſtris laudate, ac ſuper cubilia ueſtra, id eſt, in ſecretioríb. adytis animæ, tacete, cõ quieſcite, abſtinetéq; ab inſaniis iſtis ueſtris longè à ratione ſemotis. Quin potius

Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.

Hic iuſticiæ ſacrificium uult uates intelligi omnẽ uirtutis cultum, quem qui amat & ſectatur, etiam ſi nunq; ad perfectiorem uirtutis eiuſdem terminum deueniat, ipſe tamen ad uirtutem conatus, Deum mirabiliter promeretur. Quid ueſtri mihi boues, inquit, ô inſenſati? Quid uictimæ? quid ipſi cultus exteri abſque animi pietate? Sacrificate mihi potius iuſtitiæ ſacrificiũ: hoc eſt, errores omnes animi, uitiaq;, ac libidinũ turpitudinem, uti letales dipſades auerſati, curſum eum, qui ad aſſequenda cœleſtia in futurum, in præſentiarũ uerò candorẽ animi, præmonſtrat iter, arripite: Deum in omnibus concelebrate, illi ſoli iuſticiam ueſtrã adſcribite, uobis uerò aliud nihil, prẽter peccatũ. Omnia inquã, ueſtra, ut illi ſolũmodo ſit gloria, dijudicate, reprehẽdite, mala eſſe prędicate. Alioqui cruſta eſt ac fucus, iſta ueſtra iuſtitia & cultus, propter quem in Deo uos ſperare dicitis. Neminem enim unq; dixerim uerè in domino ſperare, niſi illum qui Deo ipſi iuſticiam illam, de qua loquimur, tanquam ſuauiſsimi odoris uictimã, ad aras, ut ſic loquar, humilitatis, modeſtiéq; iugulauerit: quod quidem eſt, quicquid rationalis ſacrificij, ſanctorum ſcilicet deſideriorũ, actionumq; illarũ

D quæ potiſsimum à cordis puritate ac candore proficiſcũtur, à nobis prodierit, id totum Deo acceptũ referre. Verùm diuus Auguſtinus cenſet iuſticiæ ſacrificiũ eſſe cor contritum & humiliatũ, quod ſe puniendo mactet Deo: quod ſanè fieri puto, per bona poſt pœnitentiam opera, quibus de ueteri uita ad nouam tranſit. Sed cur Propheta ſtatim poſt ſacrificium iuſticię ſubintulit, Et ſperate in Domino? Quia licet uir ſanctus non ſolũ ſuas actiones, ſuaq; ad uirtutem ſtudia ac uota ipſa cordis Deo continuò litet, ſed & ſeipſum totum, quicquid eſt, & corpore, & animo tanq; holocauſtũ illud antiquum, ad honorem Dei accendat, exploratiſsimũ tamen habet, hic uirtutũ præmia condigna tribui nulla: nam quæ à Deo ſperantur bona, cœleſtia ſunt, & quæ ſenſu corporeo percipi nequeũt. Siquidẽ quæ non uidemus, ſperamus, atq; ea per tollerantiam præſtolamur. Rurſus quia de ratione actus humani eſt, ut ad finem ſibi naturalem concinnetur: finis uerò perfectiſsimus, & is naturalis, hominis, æterna eſt felicitas, quę à ſolo Deo ſperari oportet: idcirco à propheta ſubinfertur, Et ſperate in Domino, hoc eſt, quemadmodũ ſacrificiorũ iuſta, Deo ipſo ſolummodo conuenire fatentur ubiq; omnes: ita cùm eorum, tum cęterarũ optimarũ actionũ ac rituũ prędmia, ab illo expectari fas erit. Verum quoniam uix, ut diuus ait Auguſt. inuenitur, qui bona illa quæ ad animũ pertinent, & amet, & inquirat, aiũt quidã quaſi deſperantes,

Quis oſtendet nobis bona?

Quis in hac errorum ualle, labyrinthòue inextricabili terrenarum cupiditatum, ac laborum penè intollerabiliũ, ſolicitudinumq; pelago, æterna hęc bona, quæ nobis à Deo ſperanda ſunt, & ad quę nos ſuſpirare hortaris, demõſtrare poterit? Quis, oro, in tam profunda tenebrarũ caligine, atq; adeò æterna nocte, facem aliquã lucidam, nobisq; cœcutientibus pręuiam, proferre audebit? Quis tot in malis, & ijs quidem continuis, oſtendet nobis bona? Impoſsibile hoc ſanè uidetur eſſe. Vide te quæſo, rationis humanę quęſtionem, quæ niſi carnis incommodis, aut commodis, æterna metiri ſolet. Quis ais?

Signatum eſt ſuper nos lumen uultus tui Domine.

Hic lumen uultus Domini, interpretari non audeo rationẽ, ſeu rationis lumen,

A mẽ, cum prudentiam carnis lego mortem ab Apoſtolo appellari. Quinetiam hanc eſſe iudico meretricem illam ſpecioſam in prouerbijs Solomonis, ſapientiam ſcilicet humanã, ſeu rationis lumen, quæ niſi ſpiritu frænet, uſq; adeò inſanit, ut uel contra Dei ſapientiã, iuſtitiamq;, & uerbum, diſceptare non uereatur: & quæ, cum ſibi uni tantummodo lucida ſit, hoc eſt, ſibi ſapiens, ſibiq;, ſpreto Deo, molliter nimium adblandiens, cęca eſt omnino. Itaq; huiuſce luminis ſuper nos obſignati hãc eſſe intelligentiã arbitrati ſunt quidã, ac ſenſum, ut ſit uates, ſeu animus alius purgatiſsimus, qui ſe lumine aliquo raro, nec omnibus cõceſſo, offuſum ſentiens, temerarię quorũdam quęſtioni reſpondeat. Dixerunt enim: Quis oſtendet nobis bona? Hic autẽ, Signatũ eſt ſuper nos lumen uultus Domine, hoc eſt, peramabili tuę ſupramũdanę illuminationis præſentia, per uerbum tuum, per ſpiritum tuũ, per filium tuũ, per ſanctam legem tuã, ſignata eſt atq; oſtenſa in nobis lux ſpiritus ſancti: haud rationis humanæ, quę non poteſt non propriã amare, fouereq; cæcitatẽ, ac ſui iudicij tenebras & caliginẽ proprio-rum conſiliorũ non libenter amplecti. Huic enim ſententię uide an Paulinę illæ crebræ adſtipulẽtur: Ne contriſtetis, ait, ſpiritum ſanctũ Dei, per quem obſignati eſtis in die redemptionis. Quid alia illa ad Corinthios ſcribẽs? Et qui obſignauit nos, inquit, deditq; arrham ſpiritus in cordibus ueſtris. Potésne igitur ex his quæ dicta ſunt animaduertere, quoddã aliud eſſe lumen ab illo per ſe (heu nimium) languido, rationis humanæ, nobis qui credidimus à Deo datũ? Quis iam ambigat luminis huius appellatione, cognitionẽ diuinorũ intelligi, qua ſe ſentit anima mirabili atq; inſueto modo attactã, ac ueluti cerã molliter impreſſã, & obſignatam ſpiritus ſancti beneficio ac dono? Donaſti nos, ait, ô Domine, cognitionis tuæ, alioqui humanum excedentis intellectum, raro quodam lumine ac radio: cuius ui atque afflatu, quàm clarè cernimus in nobis aliud eſſe nihil,
B præter peccatum, tenebras, caliginem, errores: in te autẽ, lucẽ, bonum, uitam denicq; immortalem, atq; omnium rerum perfectionem. Quæ ſanè omnia ne cute quidem tenus intelligere eſt potis ratio hæc noſtra per ſe cæca, imagine tamen Dei alioqui inſignita, ſed deturpata prorſus, ac penè abolita, ob turpem peccandi conſuetudinẽ. Ecquid iam aliud ualet tenuis (ut de me dicam) pars hæc mei affectare? ad quæ niti? cum quib. aduerſari? niſi cum propriis tenebris? cum propria cæcitate? cum carnis uoluptatibus? cum præſentis uitæ commodis, ac crucis odio? Senſum enim iſtum quem poſui, prophetæ ſpiritui quadrare non dubito, cùm ex ſuprà memoratis omnibus, tum ex Felicis litera, cui & conſentit paraphraſtes. Ait enim Felix ex hebræo: Exalta ſuper nos lumen uultus tui: uel, extolle uexillum luminis uultus tui Domine. Qua quidem litera admonemur, uatem oraſſe à Deo lumen, quod in ſe non eſſe cõpertiſsimũ habebat: alioqui cur exorare cõtenderet, quod rationi ingenitũ ſciret? Orat igitur anima, quę ſe ſuaq; exactiſsimè pernoſcit, ſpiritus Dei lumen ſibi dari, datúmue augeſcere, atq; ait: exalta ſuper nos Deus cognitionis tuæ lumẽ. Extolle, inquã, tui uultus lumen, ſeu uexillum, quod in hac dura cum carne acie ſequamur. Extincta enim tui in nobis cognitione, quod aliud certius inter bellandum ſequemur ſignum? Dic, oro, animæ meæ, firmabo ſuper te oculos meos, ut & ego me tuis ijſdem oculis obfirmatũ, hoc eſt, tuæ cognitionis lampade illuſtratũ, ac obſignatũ omnino ſentiã: ex qua quidem lætari, dieſq; feſtos agere ualeã, dum alij interim gaudent ditati affatim, multiplicatiue terrenarum rerum bonis ac lauticia. Quapropter infertur,

Dediſti lætitiam in corde meo.

Atq; aliam quidem ab illa, qua ſolent affici diuites illi terræ, qui ob frumenti, uiniq; abundantiam, id eſt, ob terrenarum rerum omnium affluentiam laſciuire conſueſcunt. Cæterùm Hebræis is uerſus integer eſt, hoc modo: Dediſti lætitiam in corde meo, à fructu frumenti & uini multiplicati ſunt. uel, ut legit Felix: Cum frumentum eorum & muſtum multiplicati ſunt. Olei, non eſt in hebræo, nec in uetuſto hexapli pſalterio Origenis ſe inueniſſe diuus teſtatur Hierony-

C mus: quanquam ſententiæ non officiat, cum de bonorum abundantia terrenorum, qua gaudent huius mundi diuites, intelligatur uerſus. Verùm non deſunt, qui ſuſpicantur de pane ac uino ſacrificij altaris, hic Dauidem uaticinatũ fuiſſe: & ſanè, ut mea fert opinio, per quam optimè, licet ab alijs reclametur. Volunt enim uatem, ſimul ac cunctos ſuperius, quotquot ſunt mortales, ad ſacrificandum uniuerſale illud iuſticię ſacrificiũ inuitaſſet, ad ultimam ac ſummã ſacrificij ſpeciem tranſijſſe, ab illis ipſis primis omnibus antiquis uictimis adumbratã, qua multiplicati fideles, ueram bonorum abundantiã poſsident, cum illi interim falſam atq; umbratilem ſentient. Sed de hoc ſacramento aliàs forſitan, cum commodior locus prouocauerit.

In pace in idipſum dormiam & requieſcam.

Gaudeant illi, ut lubet, in frumenti, uini, olei, cæterorumq; bonorum eiuſmodi opulentia: ego in hac pace cordis ac ſpiritus gaudeo, paucis ſcilicet contentus emoriar, & requieſcam: nihilq; aliud in hac mortali uita expetam, aut inquiram, ſpe ea fultus, quòd cætera omnia facilè adijcientur mihi.

Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

Vnde miſer ex me mihi bonum aliquod arrogem? nam tu Domine ſingulariter, hoc eſt, tu ſolus hanc mihi ſpem firmam attuliſti. Illi enim multiplicati, ab ſeſeq; auulſi ac planè diſtracti & diſpalati, in illa ſua rerum multiplicatione lætentur: ego uerò uni Deo, ac ſingulari, in æternum adhærebo. Hic, hic, inquam, mundanarum rerum prorſus oblitus, in mentis tranquillitate ac pace, obdormiam: in futuro autem fœlicitate omni, bonorum ſcilicet aggregatione et copia omnium beatus & quietiſsimus, requieſcam. Iam & ultimò illud conſiderandũ, quod ait, In idipſum, idem prætendere quod unà, uel ſimul: & eſt in Hebræo perinde, ac ſi legas: In pace ſimul dormiam, & requieſcam. Eadem enim dictio
D eſt Hebræis, qua ſuperius uerſu ſecundo, ſecundi pſalmi eſt uſus, in unum ſcilicet, hoc eſt, ſimul. Atq; huius tandem in idipſum, is poteſt ſenſus exprimi, ne non ſua deſit copia ſpiritui: Sine metu ô Domine, fauore tuo ſolummodo contentus, unà cum diuitibus illis, imò quid unà dico? magis feliciter quàm illi, & iacebo, & obdormiſcam: quoniam tu ipſe Domine, qui ſolus potes, uel ea quę non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, uocare, & recenſere, ſingulari quodam modo me ab omni metu, perturbationéue animi liberum habitare facies. Illud enim, Conſtituiſti me, Hieronymus legit, habitare feciſti me.

PSALMVS V. *pro hæreditatibus ad uictoriam.*

VIt Felix, ad uictoriam idem præſeferre, quod ad effundentem ſanguinem, ſcilicet Chriſtum, hæreditates uerò eſſe utranq;, tum Iudęorum, tum gentium Eccleſiam, quæ in hoc pſalmo laudes canit effundenti ſanguinem, filio uidelicet Dei, qui ſolus pro omniũ ſalute, ſanguinem in cruce largiſsimũ effudit. Cætera de titulorũ interpretatione, partim in præcedentis pſalmi titulo dicta ſunt, partim cum occaſio occurrerit, dicentur. Et cum totũ pſalterium de Chriſto, ut iam eſt dictum, interpretari debeat, in hoc pſalmo ipſe filius Dei, ſiue Dauid nobiliſsimũ eius membrum, ſiue quæuis anima alia, quæ ſe à periculis undiquaq; circunuentã cognoſcit, orat Deum, ne ad ſuas ſurdus preces appareat. Et hic notanda eſt in primis familiaris prophetę tautologia. Cum enim uerba dixiſſet, addidit clamorẽ: ne, tamẽ in hoc manens, ſubiunxit uocẽ orationis meę. Siquidem repetitæ ſententiæ prætercq; quod ardentiorem animi affectum in orante oſtendunt, ſeipſas quoq; mutuò interpretantur. Porrò clamor in ſcripturis, cordis eſt, non uocis: quando enim clamat animus, corq; ad Dominum uociferatur, clamorẽ iſtum attendit Deus. Ne ſileat, aiebat Hieremias, pupilla oculi mei. Non enim ſilet, aut mutus eſt oculus, cum lachrymas funderе minimè ceſſat. Quis unq; ſibi perſuaſum habuit, Deum oris uoce abſq; ſenſu mentis delectari? Quocirca cordium afflictorũ deſideria ſunt, quę clamant: ut ſemper anxio cum deſiderio clamant liberari hi, qui in carcere detinentẽ, ſiue e-

dant

A dant, ſiue bibant, ſiue etiam dormiant, aut uigilent. Et hęc iugis illa eſt oratio, de qua dicitur, quòd oportet ſemper orare. Clamat itaq; cum Chriſto, anima, iam propter fidem fiduciæ ardorem, in Deum transfuſa:

Verba mea auribus percipe Domine, intelligę clamorem meum

Hoc eſt, ipſo intellectu atq; intentione clamorem meum attende, ſerioq; percipe quid ſibi uolunt cogitationes meę intimę. Vocat enim ſuos irrequietos affectus ad amatum, humano more, uerba, clamorem, uocem. Ita flagrans amor, aiebat Caſsius, cum ſe intra ſe cohibere non ualet, non intelligit quo ordine, qua lege, quáue ſerie ebulliat, ſolummodo contentus ſuſpiriis. Clamat fides, clamat amor, clamat affectus, lachrymæ, gemitus: hæ enim uoces ſunt animæ, quæ nutu minimè, ut ait ille, aut uoluntate prodeunt, ſed motu magis erumpunt. Hinc ui e timor ſuas habẽt uoces meticuloſas, dolor gemebundas, amor iucundas. Sic tandem ſolent orare illi qui ab homine quopiam exaudiri efflagitãt, repetitis ſcilicet eiuſdem ſententiæ uerbis, quò facilius quod cupiunt exorent. Neq; aliter uates animę admodum efflagitantis exaudiri affectum exprimere debuit, quàm illius generis uerbis, quibus humanus iudex flecti conſueſcit.

Intende ꝟoci orationis meæ, rex meus & Deus meus.

Tu qui propriè mihi es tum rex, tum Deus, conſidera quàm ualido cordis affectu ad te orem. A ꝟquo enim alio habui ut ſic clamarẽ? Quem ad iſtum meum clamorem, alium habui impulſorẽ præter te? Tu igitur qui dediſti ut ita clamem, perpende an mihi fruſtra clamandum ſit. Cæterùm rex meus, ille audet dicere, in cuius mortali corpore, ut ait Paulus, non regnat peccatũ, ſed ſanctitas, & iuſtitia, hoc eſt, ipſe Deus. Atq; hic noſtra omniũ deprimitur arrogãtia: nam quemadmodum ipſe fecit nos, non ipſi nos, ſic ipſe regit nos, nõ ipſi nos. Deuiat enim prorſus, atq; à uia iuſtitiæ aberrat is omnino, qui ſe ſibi non Deum proponit du-
B cem & regem: quod quidem facile illis accidit, qui à ſe potius in ſuis actionibus quàm à Deo, cuius gratia, ſi quid boni agunt, aliquid eſt, dependent.

Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies ꝟocem meam.

Solet enim mane eſſe, ſimul ut recedente noctis caligine, lux prima emergere cœperit. Et eſt, ac ſi dicat, Statim me exaudies: quæ uox conceptam indicat certitudinem ac fidem, in orante omnino neceſſariam. Id certò ſcio, ait, facies. Præterea quandiu in tenebris, & cæca errorum nocte uerſatur homo, non exauditur à Deo, qui lux uera eſt, lampasq; ardẽtiſsima: cuius quidem beneficio ac dono, cum illuſtrari contigerit, illicò exauditur. Atq; illud ſanè conſiderandum, non dixiſſe uatem hora tertia, ſexta, aut plena luce, ſed mane ſummo, hoc eſt, cum primum tenebræ mentis expelli occeperint, exaudies. Quàm hic caſtè, atq; ex animi medullis ponderanda eſſet Dei in nos facilitas, atque adeò promptæ eius ad mortalium clamorem aures: non enim extinctis plenè in nobis peccati tenebris, diuinus tamen ſentitur fauor, præſentiaq;. Sedentibus, inquit, adhuc in tenebris lux orta eſt. Quid illud? Adhuc illis loquentibus, ego dicam, adſum. Scilicet norma hæc benignitatis parum, ut cætera uirtutum exempla, à nonnullis animaduerſa, quibus ita aliorum calamitates ſtomacho ſunt, ut ne extremus quidem halitus miſerorum, nauſeam eorum ſedare ualeat. Putant enim ſe nimium præbere contemnẽdos, niſi turgidi ſint, difficiles, duri, ad pietatemq; plumbei, crudeles, torui, & pluſquam ferrei. Tu itaq; Domine, quoniam in te uno confido & ſpero, idcirco ſtatim exaudies.

Mane adſtabo tibi, & uidebo, quoniam non Deus uolens iniquitatem tu es.

Iam illud in ſcripturis mirabile cernitur, quod hoc mane ſit tam familiare ſpiritui. Legimus enim (non eſt animus omnia omniũ rerũ citare teſtimonia) Leuitas mane ſolitos ſtare ad Deo canendũ. Proinde id tẽporis patres antiqui, etiam priuatim oraturi, ſanctiſsimè obſeruauerũt, hodieq; obſeruãt. Nec mirum ſanè: animus enim hoc tempore ad perueſtiganda diuina experrectior eſt, quàm cum interdiu omnia circunſtrepunt. Verùm quia & mane, & ueſperi, & quacunq; hora uenimus oratum, abſq; dubio exaudimur, modò non deſit cor atque intelle-

C ctus, anima ſcilicet precationis: uidetur mane iſtuc ſenſum aliũ hoc in loco ſecre
tiorem, ſpirituíq; propiorẽ innuere uelle. Eſt ergo mane, gratiæ illuceſcentis tem
pus, quod luxit, ut ait Paul. in cordibus noſtris ad illuminationẽ cognitionis Dei
in facie Chriſti IESV, donec, inquit ſponſa, aſpiret dies, & inclinentur umbræ.
Neq; illud ab re eſt, quod in lxxx. pſal. legimus: Mane, ait, oratio mea præueniet
te. Mane igitur adſtabo tibi, hoc eſt, nõ amplius iacebo, nõ amplius in luto ſor-
deſcã, nõ amplius reſupinus ociabor: ſed mane, id eſt, cum me ſtatim tuus ille ma
tutinus afflauerit ſplendor, diuinoq; calore irradiauerit, adſtabo erectus. Penè
hic dixi noſtrũ arbitriũ nullũ. Nam cum hominis dignitatẽ, naturæq; eius ſubli-
mitatẽ intueor, eum uideo maximis undequaq; ſuffultum à Deo donis, & in pri
mis libero arbitrio. Quis hoc, niſi in animarũ cognitione omnino ſtupidus ſit, in
homine eſſe non aſſerat? Cũ uerò meã ipſius animaduerto ad malũ procliuitatẽ,
atq; ut cum uulgo dicã, neceſsitatẽ, totus exhorreſco, ac penè adducor, ut illud
uel nullũ omnino, uel quammínimũ eſſe ſupicer, adeò nullã in me cerno eſſe fir-
mam, líberamq; in deligẽdo bono uoluntatẽ, ſed totus mei diſsimilis factus, uix
horæ momento in boni propoſiti optione perſeuero. Ita profectò ad huiuſcemo
di me adegit infirmitatis meæ conſideratæ opinionẽ, malus mos, malus habitus,
malaq; in peccatis cõſuetudo, ac quaſi obductũ callũ. Atq; hinc de me propterea
dictũ illud Eſaiæ uaticiniũ uereor: Quod ſi, inquit, nõ dixerint iuxta uerbũ hoc,
nõ erit eis matutina lux, ſed corruent, & eſurient, & cum eſurierint, iraſcentur, &
maledicẽt Deo ſuo: & ecce tribulatio, tenebræ, diſſolutio, anguſtia & caligo per
ſequens, & nõ poterunt auolare ab anguſtia ſua. Cur, quæſo, nõ expaueſcã, cum
lego, quòd non poterunt auolare ab anguſtia ſua? Si non poterunt, ubi arbi-
trium, cum arbitrium nihil aliud ſit, quàm ſui libertas? Nuſquam opinor, ſi à iu-
D ſtitiæ ſole ſemotũ fuerit: alioqui neq; ipſa ſalus æterna, aut beatitudo firma eſſe
poterit & æterna, abſq; matutinæ lucis huius beneficio, & dono. Itaq; cùm arbi-
trium, tum cætera illa bona quibus hominem à belluis diſtare cernimus, fateor
eſſe ut per ſe aut parum, aut nihil ad conſequenda cœleſtia ualeant: cum ipſa ue-
rò luce, atq; ipſi æterno bonorum fonti unita, omnia & uelle, & poſſe Omnia, in-
quit Paul. poſſum. Sed in quo? aut qua alia ab re? num à naturæ dotibus? num à
uiribus illis planè confractis, quas cum homine naſci, cum ipſo ue creſcere, &
enutriri uidemus? haud quaquam, ait, ſed in eo qui me cõfortat. Porrò hunc uer
ſum hoc modo interpretatur paraphraſtes (cum paraphraſtem cito, Campen-
ſem intelligo) Summo mane componam ad te precationem meam, & uidebo
me aſſequutum quod uolebam. Videbo, inquam, infirmitatem meam aliàs mihi
prorſus ignotam. Videbo, quô mihi ſit eundum, cum interim abſq; huiuſce lu-
cis radio halluciner omnino, & cæcus ſim. Incipiente enim cognitionis luce in
me, te uidebo: in cuius contemplatione illud cernitur, quod non Deus is es, cui
placere poſsit iniquitas. Videtur hic Græcis, iniquitatem pro omni genere pec-
cati debere accipi, quod extra æquitatis ſit normam. Anomia, dictio quæ hic po
nitur, non propriè iniquitatem ſignificat, ſed eſſe omnino extra rationis legem:
unde anomos is eſt, quem nos exlegem dicimus. Vide Eutymium. Senſus igitur
erit, quòd Deus eius naturę ſit, qui non patiatur in ſuis diutius immorari peccati
tyrannidem, ſed eam ueluti rem ſibi infenſam atq; odioſam, à ſuis longè propel
lit. At tu in ſequenti uerſu Dei iudicium tremendum perpende.

Non habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniuſti ante oculos tuos.

Hiſce enim tam crebris nominib. iniquitatis, malignitatis, doli, iniuſtitię, uult
Dauid impiorum animas & mores, in omnem prauitatem demerſos, plenamue
eorum malitiam exprimere: quemadmodum illius generis uerbis, non appro-
babis, non habitabit iuxta te, non permanebunt ante oculos tuos, odiſti, perdes,
& ſimilib. alijs, diuinum de illis iudicium exprimit. Namcum Deos illos pro-
pter ipſorum prauitatem ac faſtum deteſtetur, non fert eos diutius bonis eſſe mo
leſtos. Ergo tam copioſa uerborum ſylua, Dei indignationem in prauos homi-

nes

A nes aperuit. Non habitabit, inquit, iuxta te malignus: hoc eſt, non patebit apud te locus maligno, improbo, peruerſo, noxio. Quomodo enim ſtipula iuxta ardentem ignem ſtare poterit, & non ardebit? Qua ratione mors cum uita, tenebræ cum luce perſeuerabunt? Diſcedite à me, ait, operarij iniquitatis. Atqui hic mihi conſidera, quo plenius rem pertractemus, per iniquitatis operarios nõ tantum publicos iſtos peccatores, quos etiam mundus ipſe execratur, deſcribi: ſed & illos quoq; quorum facies cum uideatur ſanctiſsima, ſunt tamẽ ſepulchra dealbata: & qui licet mundo uafrè admodum imponere calleant, Deo tamẽ ſecretorum cognitori ſunt noti, imò, ut uerius dicã, incogniti. Amen, inquit, dico uobis, nõ noui uos. Ante oculos tuos, anthropopathia eſt, atq; idẽ ualet, quod non eos diu ſuſtinebis in conſpectu tuo ſtare, tantopere illos deteſtaris: exemplum nimirum à cõſueto hominum more deſumptum: nam quos uehemẽter execrantur, eos non poſſunt niſi toruè intueri. Vnde illud: Tollatur impius, ne uideat gloriam Dei. Quod quidem clarius in ſequentibus aperit, cum ait:

Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.

De iniquitate ſatis eſt dictum, nunc de mendacio dicendũ. Mendaciũ hoc loco erit omne illud, aut factũ, aut dictum, aut à moribus profectũ, quod ſimplicio res animas à recta exorbitare facit. Siquidem cum Deus ſumma ſit ueritas, quicquid contra eius doctrinam factum, dictúmue fuerit, id mendaciũ ſit neceſſe eſt. Vide, oro, quantum fermè deteſtabiliores ſint hi, qui mẽdacia loquuntur, quod hæreticorũ proprium eſt, atq; hypocritarũ, quàm operarij iniquitatis. Argumentum à pœna. Nam cum uates pronunciaſſet, illos qui operantur iniquitatem, odio eſſe Deo: loquentes mendaciũ, ait, ab ipſo perdendos: ut grauius omnino uideatur à Deo perimi, quàm odio haberi. Quod dictũ ſanè eſſe uolui, ut uideãt
B fucati Chriſtiani quid agant: optimeq; perpendant, an quicquã horrendum magis eſſe poſsit, quàm incidere in manus Dei uiuentis. Neſcio enim an mihi utile eſſe poſsit, unà cum habitu hoc lugubri, ſquallorem quoq; uultus, ac graues oculos circunferre: Euangeliũ cùm ore, tum moribus, inter fratres profiteri: animus uerò meus ſexcentis mundanarũ rerum curis defatigatus, nihil aliud, uel in ipſiſſimis ſecretioribus templi partibus, uel cogitet, uel moliatur, quàm quomodo ſuas expleat cupiditates. Vidésne mendacij formam? uides quò ſe ingerat monſtrum hoc horrendum, periculoſum, maximoq; dignum odio?

Virum ſanguinum & doloſum abominatur Dominus.

Quaſi hæc ſumma ſit totius improbitatis, quenquam occidere: quod quidem fit non tantum pugione, aut enſe, quantum odio, cordeq; inimico. Quare multis prius improbitatis partibus connumeratis, concludit uates hoc epilogo. Dixi quod Deus noſter is eſt, cui iniquitas haudquaquã placere poteſt, & apud quẽ locum non habet malignus, coramq; ſtare non ualet iniuſtus. Dixi quod odio habet omnes qui operantur iniquitatem, perditq; omnes eos qui loquuntur mendacium. Ne igitur auditorem diu ſuſpenſum teneam, in ſumma uirum ſanguinũ & doloſum abominatur Dominus. Hi ſunt enim fructus eorum, qui ſponte mali ſunt, omnia ut dolis, odijs, ſimultatibus, falſis pollicitationibus, aſtu, ſimulataq; amicitia, & hypocriſi immiſceant, atq; eò tandem progredi audeãt, ut uel ipſum innoxium ſanguinẽ ardentiſsimè ſitiant. Quę demẽtia cum hac cõferenda, mentem ſcilicet homini datam ut proſit cęteris, totam ad lędendũ conuertere? Atqui paſsim uidere eſt quàm amplum per uniuerſum ferè orbem ſit factũ theatrũ eorũ qui reſpub. moderantur, tum inſaniæ, tum crudelitatis, adeò ut periculoſiſsimũ iam ſit, & capitale, ciuibus eſſe iuſtis. Inenarrabile, ait Lactant. eſt, quod ſit aduerſus eos, qui malefacere neſciunt: & nulli nocentiores habẽtur, quàm qui ſunt ex omnibus innocẽtes. Audent igitur homines improbiſsimi, miniſtri eſſe iuſtitiæ, qui feras immanitate uincunt? Hæc Lactantius pro conditione ſui temporis conqueſtus eſt. Nos uerò optimè nobiſcum agi ducimus, ni peiora ſint quæ quotidie in ciuiũ pernicie moliri lupos, quos, ut ait, idem, non uẽtris rabies, ſed cor-

C dis efferauit,non ſine lachrymis cernimus.Cæterùm in hoc loco uirũ ſanguinum appellat uates uirum auidum,ſtudioſumq; effundendi innoxiũ ſanguinẽ, quem nos ſanguinarium dicimus: & quem nõ ſolum eum eſſe intelligimus,qui manu, ferroq; aliquem interimit,ſed qui odio, ut dixi, iraue, ac maleuolẽtia inſequitur. Quémnam iam latet,quòd qui odit fratrem ſuum,homicida eſt? Iam illud notandum,non immeritò homicidæ fraudulentum à uate copulari: nam qui aliquem fallit,ut ait Eutymius,aut in pericula conijcit,eum occidere uidetur.

Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo.

Elegans profectò antitheſis emphaſi perornata. Sint illi iniqui, ait, ut lubet: ſint maligni,iniuſti,impij,doloſi, ſanguinarij: ego multa, atq; admodum ampla miſericordiæ tuæ abundantia fretus,particeps minimè illorũ ero, alioqui tamen deterior,quàm illi,futurus forſan. Illi è pijſsimo ſinu tuo egrediuntur, ego uerò ingredior. Illi abs te ſua uoluntate abalienati,abſq; ullo timoris freno uiuunt: ego autem introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuũ in timore tuo: hoc eſt,cum trepida,filialiq; ueneratione,&,ut ait paraphraſtes,reuerenter maieſtatis tuæ rationẽ habebo.Hic uates ad ueterẽ adorãdi morẽ,qui in templo manufacto fieri uidebatur,alludit.Egreſsis igitur illis abs te,ego ad te ueniã. Equidem hoc in loco impudentes quorundã orationes reprehendi arbitror, qui ſimulatq; perfractas quaſdã ſuas preculas in tẽplo publico faucibus magis quàm corde manſas obtulerunt, putant ſibi Deum uel multis nominibus deberi: qua quidem parũ conſiderata ſui ratione turgidiores facti, licentius quodammodo propter familiaritatẽ,ut ſibi uidetur,cum Deo initam,peccare audẽt. Errãt profectò,ignorantes uim totam orationis in animo ſitam eſſe,nõ in faucibus & pa-
D lato. Hos enim manſuetiſsimũ in modũ carpens propheta inquit: Non in præſumptione, aut ſupercilio, coram te meã fatebor indignitatẽ, peccatiq; languorem detegam: ſed cum reuerentia,ac timore te colam,te uenerabor, te adorabo.

Deduc me in iuſtitia tua propter inimicos meos.

Vix à paucis prophetæ prudentiã cõprehẽdi,uel hoc uno ſuſpicor,quod cum ſit totus tropis & myſterijs etiam per ſyllabas ſingulas inuolutus, præteritur tamen aliquando adeò integrè,ut penè ſatius ſit ab huius interpretatione abſtinere,quàm tam ſomniculoſe oſcitare. Aſsiduus enim cõmentariorum lector,à mea hac ſententia (credo) non diſcrepabit. Senſerat quidẽ uates ſe paululũ præ ijs, quorum uitia cõmemorauerat, de ſe iactantius iudicaſſe: quocirca ne in uanam aliquam opinionem,aut gloriam prolaberetur,mox pedẽ,improuiſum aſpris ue luti qui ſentibus anguem preſsit humi nitens,repreſsit: ac faſſus eſt,ſi quò per uir tutum gradus eſſet eundum,eò per Dei manus ſeſe deductũ iri. Domine, ait deduc me in iuſtitia tua: hoc eſt,per bonitatẽ tuã,qua iuſtus es,& bonus,deduc me: ut quemadmodũ tu es,ita quoq; ego ſim,& bonus,& iuſtus.Aut (ſic cogimur aliquando ſenſus uarios opinari in re præſertim tam obſcura, ne diuinus ſpiritus ſuo fraudetur intellectu) deduc me,quo iuſtitiæ tuę ſolidæ,& ueræ,nõ falſę,aut, quæ eſt natura humanę iuſtitiæ,nutãti,ſtudeã. Hanc, quęſo,mihi da mentẽ,ut nihil mihi probet,nihil rectũ,nihil ſanctũ à me reputetur, niſi quod tibi probari cognouero: ac quicquid ſtatueris,quantũcunq; mundo,carni,id eſt, mihijpſi diſpliceat,placeat tandẽ. Deduc me,inquã, in te, & ſat eſt. Nam quicquid in Deo eſt, cũ Deus ſit,idcirco iuſtitiã Dei, ipſum eſſe Deũ oportet: quare deduci in iuſtitia Dei,erit deduci in Deo.Et eſt cõſiderãdũ, quod in ſcripturis plerũq; Dei iuſtitia pro ea, qua ipſe iuſtus eſt, hoc eſt, undequaq; perfectiſsimè bonus, accipi ſolet, ut in hoc loco. Cęterũ anxius animę ſuũ periculũ nõ ignorãtis affectus à uate ex primit,cũ orat ſe ꝓpter inimicos ſuos in Dei iuſtitia deduci. & eſt ſenſus,Inimici mei ſũmo me ſtudio,ac peruigili cura obſeruãt,ſicubi pręcipitare poſsũt: nec mihi eſt integrũ tam uafras eorũ inſidias,niſi tuo ducatu, uel cognoſcere, uel declinare: Da,oro,illorũ impias non ſequi ſuggeſtiones,prauaq; cõſilia,quę quidẽ tã

turpia

A turpia ſunt, támue fœtida, ac malè olentia, quàm malè olent ſepulchra patentia, à quibus paſsim grauiſsimũ exire odorẽ ſentimus. Quid multis utor? Quemadmodum enim ſepulchrum apertum iamiam expectare mortuum uidetur: ita illi, abſq; ullo honeſtatis operculo, in hoc incumbunt, ut me deuorent, & extinguant. hos enim timeo. Quis, niſi amens ſit, tam cruentos hoſtes atq; implacabiles, non extimeſcit? quapropter deduc me in iuſtitia tua, ac

Dirige in conſpectu tuo ϒiam meam.

Felix ſic legit: Rectam fac coram me uiam tuam. & hæc lectio magis ſpiritui quadrare uidetur: cuius ſanè mentem doctiſsimè, ut cætera, exprimit paraphraſtes. Fac, ait, plana ſit ante oculos meos, uia qua itur ad te. atq; idem fermè Symachus. Explana, inquit, Domine uiam meam ad te: hoc eſt, expedi, repurga uiam tuam coram me, ut inoffenſe gradiar, atq; ad optatum finẽ perueniam. Fac me uidere uitam te dignam. Atqui uiam hanc quam ſibi explanari poſcit uir ſanctus, uiam mandatorum Dei eſſe arbitror, quæ quidem affabrè perpurgatur, inoffenſéq; curritur, cum noſtrum per iuſtitiam ſolam, quam eſſe definiunt in omnes dilectionem & charitatem, cor dilatatur. Etenim cum Deus amor ſit æternus, atq; ad omnia pertingens, inq; rebus omnibus diffuſus: ad huius imitationẽ, noſtra omnis felicitas cõſummatióue perfectiſsima redditur. Nam bonum eo diuinius exiſtimatur, quo in plures magis diffunditur. O immenſum facilitatis Dei pelagus in mortales omnes, ubi ipſius iuſtitia, ipſius bonitas, ipſius uia, qua inſiſtere, quamq; amplecti debemus, noſtra iam adeò facta eſt, ut eò, quò nos ipſe, abſque merito noſtro, deſtinauit, certiſsimè, quaſi ex nobis deueniamus. Interim uerò orandũ, Tu Domine dirige in cõſpectu tuo uiam meã: hoc eſt, fac id agam, in eo uerſer, illud ſequar inſtitutum, quod tu probas, nõ quod ego, cuiusq; tu in teipſo
B exemplum exhibes, & cui ſoli uerum ſucceſſum aſpiras. hoc ubi dederis, quî iam hoſtes hoſce meos, quamuis audaces, atq; inexorabiles, carnẽ ſcilicet, mundum mundíq; amantes, pertimeſcam? Tantum enim abeſt ut huius generis hoſtes, ſeu dæmones, ſeu homines ſint, metuam: ut etiam, te autore, illorum ferociam tanti faciam, quanti ſolent muſcas, aut pulices, elephantes.

Quoniam non eſt in ore eorum ϒveritas: cor eorum ϒvanum eſt.

Narrat, nec ſine lachrymis quidem, propheta, inſidiantium probis hominibus, uitia, ac uerſutias. In ore eorum, ait, non eſt ueritas, ideo neq; Deus. Non eſt, aiunt Hebræi, in ore eorum rectum, interiora eorum inſidiæ. Sed idem ſenſus, qui is erit: In ſermone quorundam nihil eſt, cui tutò fidi poſsit. nec ſanè mirum: nam cor eorum, ſeu animus, ſeu, ut alia habet litera, intimũ, ſpurcitijs oppletum eſt. Quicquid enim loquuntur, mendacium eſt: quicquid cogitant, uanũ: quicquid moliuntur, immundum, inſidiarumúe plenum, ac planè noxium. Etenim à ſummo bono, æternáque ueritate auerſi, quomodo falſa, parúmue ſibi conſtantia, aut loqui, aut animo uoluere non poterunt? Et amplexati ſunt, inquit Hieremias, ſtercora. Non poſſum interdum (fateor) non ſupremum in modum admirari, unde tanta ſit huic uitio mentiendi, uis ac robur, quod uel ipſos rerum ſacrarum miniſtros & ſacerdotes interdum adeò ſtrictim connodet, ut nihil ſibi magis uelle uideantur in ſuis pactis, conuentis, pollicitationibus, aut id genus alijs, quàm mentiri. Ex quo quidem mentiendi habitu & conſuetudine, illud ſæpe euenire oportet, ut etiam in his quę ſibi admodum officere poſſunt, ſi mẽtiuntur, aperta fronte mentiantur. Quid ergo?

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant.

Non te moueat temporũ mutatio, plerunq; etiã in eodẽ uerſu, ut hic, frequẽs: familiare quippe prophetis eſt idioma, phraſisq; cõſueta. Cæterum quis tam ferreus, uel ex Dolopũ gente, qui à lachrymis tẽperet, cõſiderans quibus cum, tum aliàs, tum noſtro hoc infelici æuo uiuitur? Sepulchrũ patens, ait, eſt guttur eorũ: linguis ſuis doloſe agunt: ſeu, ut alia eſt litera, Lingua ſua falsò blandiuntur. Vidésne hoc ſchemate adulatorũ frequentiam exprimi? Adeò enim iſtius generis

c hominum increuit numerus, ut uix iam, quis uerus sit amicus, qui uera dicat, dignosci queat. Postquã enim impostorũ technis, dolis, astu, mẽdacijs, falsisq; blãdimentis infectus est orbis, suspecta iam facta sunt omnia. Verùm qua ratione dictũ sit, sepulchrũ patens eorũ guttur, uideamus. Quemadmodum enim sepulchrũ reseratur, ut mortuũ admittat: ita illi sua illa noxia blandiloquentia in hoc incumbunt, ut simpliciores illecebrarũ hamo pellectos uorẽt, & extinguãt. Eliquant enim blãdiusculas suas quasdã astutiolas prudẽtes, si Deo placet, uiri, quó incautos illectẽt, attrahant'e, & sic miseros inescatos deglutiãt, ac funditus perimant: ut non minus de illo, qui eorũ illecebris irretitur, actũ dicas, q̃ de illo qui iam positus sit in sepulchro. Porrò cum stomacho huiusce fœdissimi sarcophagi maleolentia est cõsideranda. Linguis suis, ait, dolose agunt. Nulla profectò res unquam rei alteri tam similis fuit, q̃ linguæ dolosæ & fraudulentæ, tumulus patens est similis. Quid fœdius, oro? quod sepulchrũ putridis cadaueribus plenum tam malè fœtet, quàm lingua simulatoris? q̃ fraudulenti? quàm dolosi? Hebrei habent, diuidere ac partiri, loco illius, dolose agebant: uel, ut est alia litera, falsò blandiuntur. Nam huiusce generis homines nõ ut res habet, aut ut corde cogitant, loquuntur, sed diuidunt, partiunturq; uerba ad eorũ gratiã, quibus uolunt imponere, cum interim quæ uera sunt tegant. Quos quidẽ diuus Iacobus in sua epistola ait ex eodem ore dulce & amarum proferre. At tu Deus

Iudica illos.

Destrue illos, condemna, illisq; uim aufer, atq; illorum fastum infringe, tu qui odisti omnes operantes iniquitatẽ. Si enim in nos carnis ardor desæuit, si animi extollentia, si fraudulẽti homines, si bilingues, si hi, quorum doctrina tam malè olet, quàm malè olere solent sepulchra, amoto operculo: hos omnes, uti hostes
D tuæ sanctissimæ uoluntati obluctantes, destrue spiritu oris tui.

Decidant à cogitationibus suis.

Hoc est, irrita fiant illorum consilia. Fallantur (obsecro) frustrenturq; suis conatibus, atq; omnibus suis in rebus uarij sint, fluxi, incõstantes. Nõ, quæso, quod cupiunt, adipiscãtur. Quàm sæpe maligni homines, hi dico, quibus ratio data est, ut cum ratione, qua potissimum à cæteris animantibus dissimiles esse debent, uiuant, atq; alijs prosint, consilia in aliorum perniciem effingunt? quæ tamen, ut est in alio psalmo, æquissimo Dei iudicio, stabilire nequeũt. Hinc enim illæ tam crebræ sunt in nonnullis falsæ, inconstantesq; pollicitationes, iuramenta, simulationes, dissimulationes, ac plus quàm Sardonici risus.

Secundum impietatem eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine.

Vide iustitiæ normã. Fas enim est, ut quemadmodum uirtutũ præmia à probissimis, quibusq; expectari debent, ita iustissimo æquilibrio nefariorum scelera sint ponderanda, ac mulctanda. In magnitudine igitur, ait, impietatis ipsorũ, secundumq; quod eorum commeruit prauitas, à te, atq; adeò à tuis, longè illos expelle, ne nobis diutius imponant. Quod quidẽ scilicet à facie Domini propelli, grauissimum pœnarũ genus esse existimo. Eo enim expellẽte, quis locus tutus? In miserrimo certe uitę genere manere, ac tãdem postea in gehennã decidere necesse est illos, spe omni sese inde explicandi sublata. Quis, oro, casum huiusmodi illorũ reparabit, qui idcirco cadũt, quia spõte se sua à diuina ope, atq; æterno bono tam infeliciter subtrahũt? Neq; tamẽ, ait uir sanctus, me tantũ mouet istorum improbitas, &, qua in me crudelissimè ferociunt, malignitas, quantum quod nec tibi parcunt summo bonitatis fonti: nam te irritauerunt Domine. Quò amplius eorum potest ascendere impietas? Potest' ne homo quispiã ad tantum prauitatis culmen excitare animũ, ut Deum ipsum cõtra se prouocet? Aut is, credo, demẽs est, aut prorsus à Deo destitutus. Sed quis illorũ futurus sit exitus, qui Deum in se prouocant, uel uno Hieremiæ testimonio sciri potest. Siquidem cum dixisset Dominus, Nunquid me ad iracundiam prouocãt? mox addidit, Nónne seipsos in cõfusione uultus sui? Expelle itaq; illos abs te: quod sanè debes, cum propter

multa

A multa, tum potiſsimum propter iuſtitiam: nam te impudentiſsimè, ô Domine, ir
ritauerunt. Quid ſceleratius excogitari potuit?

Et lætentur omnes qui ſperant in te, in æternum exultabunt & habitabis in eis.

Petierat propheta Dominum, ut impiorum ſtudia & conſilia refringerentur, ac euaneſcerent: nunc petit, ut eos qui illius ſe fidei commiſerint, ita iuuet, quò ſempiterno gaudio lætari queant. Perpende, te obſecro, qualis illorum futura ſit merces, qui ſpem omnem ſuam, haud in ſe, ſed in Domino collocauerunt. In æternum, inquit, exultabunt: ſeu, ut alia habet litera, ouabunt, more ſcilicet triumphantiũ. Quod quidẽ gaudij genus propriũ eorũ eſt, qui iam defuncti corpore, uitam degunt cum Deo. Sed ſi ad præſentẽ quoq; uitã gaudiũ hoc referre malis, quid ni affirmẽ aliud in hoc mundo tam ſolidũ, tamq; uerum eſſe nullum, præter id, quo anima Deo unita per ſpem, atq; amorẽ, afficitur? Cæterùm quid tam in rebus humanis exultabile? quid tam triumphali ouatione dignum, quàm Deum in ſe habere, ueram ſcilicet uitam, ueram beatitudinem, uerum bonum, ueram ſalutem? Hæc illa eſt fœliciſsima aliàs nobis facta promiſsio. Inhabitabo, inquit, in eis, & inambulabo: & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iuſto.

Hæc ſolida eſt gloria, in Domino gloriari. Quod quidem nulli hominum conuenire arbitror, niſi illi, qui rebus omnibus humanis peſſundatis, Deum ſuper omnia diligit: quod ſanè eſt diligere eius nomen: nam ipſe eſt nomen ſuum. Dum alij, inquit, in ſeſe, ſuiſq; fortunis, ac amicis gloriãtur, te interim diligẽtes in te ſolo gloriabuntur, quoniam tu benedices iuſto. Cauſam reddit uates, quamobrem gloriabuntur. Et eſt perinde, atq; dicat, Cur in æternum exultabunt ſancti? cur habitabis in eis? cur gloriabuntur in te? Reſponſio: Quoniam tu benedices iuſto: hoc eſt, iuſto benefacies, non ſinesq; diu à malis ac peruerſis hominibus iu-
B ſtitiæ ſtudioſum diuexari. Omnis igitur ſalutis noſtræ ſumma, ſuper ampliſsimæ Dei beneficentiæ, gratiæ, miſericordiæq́ue cardines uerſatur. Sint uirtutes, ſint dona, ſit uoluntas, ſit arbitrium, gratia demum eſt quæ nos ſeruat. Atq; hic conſideranda eſt piorum hominum cõſolatio, quibus nimirum dicitur: Etſi maligni uobis homines maledicunt, confidite, quoniam Dominus ille, à quo gratiæ omnes deriuantur, is eſt, qui ſecretiſsimo quodam modo (uobis forſan ignoto) benedicere ſolet iuſto, atq; ipſum circunquaque bona ſua uoluntate, ceu clypei tegumento protegere, ac munire. Quamobrem ſequitur:

Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.

Diuus Hieronymus ex hebræo legit, coronabis: ſed non officit ſenſui, qui is erit: Tua quidem bona erga nos uoluntate, tua, inquam, dignatione & beneuolentia, non noſtro ſtudio, cura, aut merito tuti ſumus: ac in tantis hoſtium impugnationibus haud quaquam deijcimur, ſed fortiſsimè ſtamus. Quemadmodum enim miles in acie prælians, ſiue à dextris, ſiue à ſiniſtris, aut eminus, aut comminus ab hoſte impetatur, totum ſe umbone tegit: ita homo in uirtutũ theatro enutritus, ſi ſit aduerſis hoſtium telis, & his igneis, circunuentus ac laceſsitus, de ſe ſtatim, deq; propria uirtute deſperat, ſed totum ſe ſub Dei benignitate, ac miſericordia, ceu ſub tutiſsimo clypeo, protegendũ committit. Muro tuo inexpugnabili, ait alio in loco ſpiritus, circũcinge nos Domine. Haud dubiũ quidẽ, murum hic inexpugnabilẽ, Dei potentiã, uirtutemq; præ ſe ferre. Ita hoc loco, uoluntatẽ Dei, illius dignationẽ, &, ut ait paraphraſtes, gratioſitatem & fauorem prætendere arbitror: cuius ui, atq; ambitu, circunſepti fideles, nullum tam atrox eſt bellum, quod non facile perferant, utpote qui non ignorent ab ipſo Deo fortiſsimo uires omnes ſuas pendere: à ſe autẽ aliud nihil, præter metũ, infirmitatẽ, lapſum, mortẽ. Verùm hoc ſecundũ eorum ſententiã, qui aſſerunt ſalutẽ omnẽ noſtram ex mera Dei uoluntate, ſoloq; eius propoſito, abſq; noſtra ulla tum fidei, tum actionũ oblatione fore: quod Latinos ferè omnes pro cõfeſſo habere uideo, ſecus Græci. Sed alienior hæc eſt materia, & ut inſtituto noſtro deſeruiat. Illud interim pro cõperto habendũ, ita in re ſalutis cum Dei uoluntate ac propoſito, noſtrum

c concurrere arbitrium, ut neſcias aliquãdo, cui magis faueas: quanquã ego libentius gratiæ, hoc eſt, benigniſsimę Dei uoluntati, ac propoſito, primas tribuere ſoleam: quæ ſanè perſuaſio & fides, tutior mihi ſemper uiſa eſt, atq; eam alijs probatum iri ſemper efflagitaui: modò nos cautes immotas, aut rupes nolint eſſe, ut pleroſq; ex gratiæ aſſertoribus hiſce in temporibus uelle uideo.

PSALMVS VI. *In organis ſuper ogdochordo.*

ANIMAE ſecum reputanti quàm ignoranter, quamq; uitioſe præteritam trãſegerit uitam, horrendus quidam, ſi ſapit, occurrit ob futurum iudicium pauor. Vnde perterrita clamat:

Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me.

Ogdochordum, ne in multis nos morentur tituli, inſtrumentũ erat octo chordarum, quo, alternatim cum organo, à muſico pulſato, oda hæc inter alias ſolita erat decantari. Quid uerò octonarius ille neruus, aut organũ, aut uiciſsitudo illa harmoniæ ſignificet, dicant alij. Nos interim ad inſtitutũ. Ira igitur, & furor Dei, in hoc loco, ut in pleriſq; alijs ſcripturæ, horrendum eius iudiciũ ſignificat: quod ſanè nemo, niſi is qui in hac uita diuinã implorat ueniam, euadere poterit. Atqui in primis eſt ex animo conſiderandus perterritæ animæ ſtimulus, quo intus in ipſis cordis medullis exagitatur, in hac dictione, Domine. Quæ quidẽ inuocatio non ſine profundiſsimo gemitu & ſingultu ab ijs proferri poteſt, qui & proprios norunt lapſus, & quæ iam pœna ſe maneat præſentiſcunt. Verũ cum Deus abſq; animi perturbatione iudicaturus ſit: & cum furor, & ira in ſupremũ iudicem cadere nequeat: ſcriptura tamen non niſi per uerba inter homines cõſueta, qualis nunc ſit, aut qualis ad iudicium illud uniuerſale futurus expectetur, exprimere
D ualet: Cum exarſerit, inquit, in alio pſalmo, in breui ira eius. ſenſum igitur uerſus huius doctiſsimè, ut ſolet, aperuit paraphraſtes, cum ait: Domine ne pro ira, quam aduerſum me, licet meritò, concepiſti, caſtiga me: neq; pro bili, quam ego moui tibi, ſupplicĩ ſume de me. Quis, quæſo, iratum Dominũ ferat? Correptionem, inquit, ego infelix, patre dignam non recuſo, ſed tantopere ſæuam, tam diram, tam immanẽ, ut ſcilicet cõmerui, quî feram? Vide, oro, num huic ſimile olim petiuerit Hieremias: Corripe me, ait, Domine, ueruntamẽ in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Peccaui, clamat hic anima ſaucia, peccaui. num id nego? num res meas, ueluti ſanctas, uendito? num iuſtitiã? num ſpiritum? num ſuſpiria? num crebras, & has diutinas, orationes oſtento? hoc ſolum enim è meo depromere poſſum cordis promptuario, peccaui. At tu Domine, licet meruerim, quæ æterna eſt, mortem, noli me iuxta meritum meum damnare, nec debitas de me, oro, pœnas exige. Imò Domine,

Miſerere mei, quoniam infirmus ſum.

Iram equidẽ, ultionemq; peccatis meis debitã deprecor, miſericordiã precor: nam infirmiorẽ me eſſe ſentio, q; ut manũ tuã tam grauẽ ſuſtinere ualeã. Quod ſi quidẽ humanę uires ſunt põderandæ, quodnã aliud reperit animal tam infirmũ, tam debile, tam deiectũ, tam ignauum, q; homo, ille præſertim, cuius cor, uermis continuus conſcientiæ,, hydra omni truculentior, turpiſsimè exedit? Quare

Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea.

Dolor enim, ait, qui moleſtiſsimis cõſciẽtiæ morſib. me rodit, oſſa ipſa aduſq; ſenſu carẽtia peruenit, atq; ea miſerabiliter conturbat. His enim uates uerbis intimæ ſuæ afflictionis uehemẽtiam exprimẽs, nos naturæ doloris admonet: cuius ui ac intẽtione, ſentimus, ſummoq; cum periculo noſtro experimur oſſa ipſa cocuti, ac labefactari. Geliduſq; per ima cucurrit oſſa tremor, ait eximius ille, & poeta, & philoſopus. Rurſus non erit abſurdum oſſa pro mentis uiribus interpretari: quæ & habitus uirtutũ appellari poſſunt, licet non admodũ rectè, qui ſanè à perturbationibus infinitis uitijſq; animi enerues facti: atq;, ut ſic dicam, euirati, ex noſtrarum imperfectionum commiſtione perlangueſcunt, in tantum, ut iam

non

A non oſſa, ſed caro quædã mollis, & infirma dici potius debeãt. Quid igitur dicã?

Anima mea turbata eſt ualdę.

Pulchra admodum in hoc loco metaphora ab Eutymio ponitur. Quoties, ait, quis ad iram irrationabilem, aut ad prauas cõcupiſcentias fuerit ſtimulatus, tunc diabolus immodicè ſpirans, animam ſolet & corpus perturbare, nõ ſecus ac uali dus uentus in mare irruens: miſcentur enim ambo, atq; æſtuant, nec propriũ aliquem locum, aut ordinem ſeruant. Propterea non ineptè arbitrati ſunt quidam, hic animam, omnem uim illam intelligi, qua uiuimus & ſentimus, ex mortis memoria, pœnarumq; horrore ſummè deiectã, & conſternatam: quemadmodum & illud de Chriſto intelligi oportet, Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortem.

Sed tu Domine uſquequo?

Pleniſsima affectus reticẽtia. Vſquequo? uide quid addi debeat. Vſquequo, ait, tuam illam ſolitã opem ſic diuexato, ſic fracto, differes? Vſquequo tam infeliciter turbabitur anima mea, & uenter meus? Quouſq; horrendum iſtuc doloris monſtrum in me deſæuiet? Diu, inquit, abs te neglectus ſum, cum tamen auxilio tuo quammaximè indigerẽ. Vbi igitur es Domine? uſquequo abes? Cõtemplare, te obſecro mi lector, ad quantũ interim deueniat dolorẽ anima, quę in medio ipſo uerborum conatu intercipitur, ac mutit. Poſtquã enim dicere cœperat, uſquequo non ſubuenis, à memoria ſtatim peccatorũ, quibus longè diuulſa fuerat à tam amantiſsimo patre, ueluti ab acutiſsimo iaculo traiecta, elinguis redditur, contentaq; ſolummodo ſuſpiriis, tacet: poſtea uero à ſpiritu admonita, qua uia quóue medio, cõmoti iudicis ira ſedari queat, ſtatim à mœrore euigilans clamat,

Conuertere Domine & eripe animam meam.

Tu qui auerſus es à me, inquit, propter fœditatẽ peccati, ita ut nihil iam mihi ob oculos uerſetur, niſi mors, timor, terror, deſperatio: reuertere ad me, ut prius,
B atq; eripe animam meam. Hunc ſenſum ſecutus paraphraſtes, Redi, ait, Domine ad ſolitam clementiã. Viro enim maximis in perturbationibus animi conſtituto, uidetur Deus auerſus, ac ueluti ſe alió recepiſſe, cum eum ſinit aliquandiu, nõ ſine mirabili diſpenſatione, excruciari. Orat igitur ut ad ſe reuertatur, hoc eſt, priſtinũ ſuum fauorem exhibeat, quaſiq; ſeſe ab ira recipiens, ab imminenti exitio, ac quo maximè affligitur dolore, eripiat.

Saluum mę fac propter miſericordiam tuam.

Neſcio an diuinius exprimi poſſet huius hemiſtichij ſenſus, quàm à paraphraſte eſt expreſſus. Libera, inquit, ô Domine, animam meam à malis, habita ratione non tam peccatorum meorum, quàm benignitatis tuæ immenſæ. Quid huic addendum putas? quid, quæſo, lachrymas noſtras frigidiſsimas? quid planctus? quid actiones? quid affectum illum mordacem, quem compunctionem appellamus, præferimus? Saluum me fac, inquit. Quî uerò? propter iuſtitiam meam? propter merita? propter, uel uſq; ad mortem, labores, ſudoresue extremos? Minimè quidem: at propter unam tuam miſericordiam: ut neruum totum, uimq; omnem ſalutis, Dei miſerationi, & pietati acceptum referre diſcamus. Non propter uos faciam, dicit Dominus, notum ſit uobis: ſed propter nomen ſanctum meum.

Quoniam non eſt in mortę qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?

Dici facile non poſſet, quantum præſentis uitæ amantes fuerint antiqui patres. Huiuſmodi enim deſiderij ratio ea eſſe uiſa eſt, quòd illis nõ tam perſpicuè futuræ uitæ ſtatus fuerit reuelatus, quemadmodum poſtea nobis, Dei filio glorificato. Quocirca ipſe in Euangelio certiorem ſui regni notionem tunc fuiſſe aſſerens, hoc modo ſuos alloquitur diſcipulos: Beati eſtis, qui uidetis & auditis, quæ uidere & audire multi reges & prophetæ concupiere. Quo ergo ueteres illi futuræ uitæ bona minus perſpecta habebant, etſi non dubitarint ea omnia mortalium omnium excedere captum & intellectum, hoc fuerunt præſentis uitæ cupidiores. Rurſus, quia ex ſuo obitu, ſuoq; à bonorum cœtibus ſeceſſu per

c mortem, uidebant improbos rerum potituros, Deiq; honori & religioni, quam
sanè semper ante omnia cordi habuere sanctissimi illi uiri, insultaturos: uidebãt
etiam cùm demigrassent, nefarios homines illam adhuc teneram in terris, fastu
atque ambitione calcaturos. Nónne istud idem diuinus ille exoptauit antistes,
qui lectulo cubans, agensq; animam, huiusmodi orauit affectu? Domine, si ad-
huc populo tuo sum necessarius, non recusabo laborem. Cernebat enim uir pru-
dens, ex suo obitu tenerum suum gregem à lupis exterminandũ: quod quidem
nec suos latuit alumnos, qui beatam animã iamiam cœlestem requiem subeun-
tem, lachrymis insequentes clamabant, Cur nos pater deseris? aut cui nos desola
tos relinquis? inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Hinc ergo tam anxiè
perfectissimi uiri orabant seruari in uita. hinc & orabant in præsentiarũ nonnul-
li, ut ea habeat, quî conditoris bonitatem, cultumq;, dignis laudibus extollant,
& dilatent. Non est in morte, ait, qui memor sit tui. quasi dicat: Quid me Domi
ne tam citò mori cogis? cur me immaturo ueluti fato absumis, cùm apud uita de-
functos nulla tui extet memoria? In sepulchro enim quis te unquam celebrabit?
Mortuus ac tumulo mandatus, poterit ne tuas laudes proferre? cultũ tuum lon-
gius extendere? beneficia ne tua immensa inter mortales prædicare? Huic simile
orasse Ezechiã regem legimus, cùm uitam sibi prorogari expoſceret. Quia non
infernus, ait, id est secundũ Hebræos, sepulchrum, confitebitur tibi: neq; mors,
hoc est, neq; mortui laudabunt te. Non moriar, inquit Dauid, sed uiuam. ac mox
causam addit, quam ob rem uiuere in corpore cuperet: Et narrabo, inquit, ope-
ra Domini. Ingens nimirum indiciũ, uitam propterea diuinitus homini datam,
ut sui conditoris cultum, quantũ in se est, amplificet: non ut eum uitæ fastu, pra-
uisq; moribus, uel coarctet, uel corrumpat etiam, ut nonnullos agere uidemus,
qui ad decrepitos usque annos prouecti cùm sint, attritiq; in Dei, ut uocant, ser-
D uitio, nondum tamen malè olentem animam ex humo attollere didicerunt. Iam
(credo) palàm factũ est, quid sibi uolunt hic mortis atq; inferni nomina. Hanc
quidem interpretationem hi qui uetustissimos, atque adeò uerissimos Hebræo-
rum libros cõsuluere, nos docuerunt. Latini uerò ab eo quòd terra reconduntur
mortui, ac infra nos ponuntur, inferos appellant. Cæterum in Genesis libro legi
mus, Iacob in mœrore illo suo dixisse: Descendam ad filium meum lugens in in-
fernum. Quis, oro, tantum uirum censeat prædixisse se in locum pœnarum de-
scensurum? dicere enim uoluit, sese in luctu sub terra in sepulchro per mortẽ iri
conditum. Infernus igitur sit ipsum sepulchrum: inferi uerò ipsa cadauera. Non
nego tamen, sensum, quem modò dicturus sum, hic posse accommodari. Aiunt
enim per mortem peccatum intelligi, quo cum quis fœdatur, amens statim fit, &
cæcus omnino. quocirca in sorde illa letali manentem, impossibile est Dei me-
moriam salutarem habere. Infernum porrò exponunt esse locum pœnarum, in
cuius obscuritate neque proprij reatus resipiscentiam, neque peccati odium, ne-
que laudis diuinæ studium haberi posse. Ante mortem, ait Eutymius, pœnitere
quem potest: post mortem uerò retributionis tantummodo tempus est. Vide,
quæso, quàm abundans in sensibus sit uatum spiritus. Vide, inquam, an in horri
da mortis memoria ac inferni, ubi nihil uidetur esse nisi mœror, dolor, despera-
tio, queat anima nondum ad scoriam usque repurgata, laudare Deum, quem ob
anteactæ uitæ scelera, cogitur tanquam alter Adam, aut Cain, fugere. Hi enim
solummodo diuinas celebrare laudes sciunt, quorum mens ita suo unita est au-
tori, ut nihil iam quod terrorem ciere possit, aut cogitent, aut sperent. In horro-
re igitur mortis atq; inferorũ, quis dignè laudat Deum? Quis rursum defunctus
uita, ac tumulo conditus, suis ciuibus nomen sanctum Dei prædicabit? Aut quis
peccatorum mole obrutus, iamq; infernis tenebris atq; ignibus destinatus, non
magis execrabitur, quàm extollet Dei cultum? Certè non mortui laudabunt te
Domine, neq; omnes qui descendunt in infernum.

Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum.

Hyperbolæ audentes sunt, doloris nimirum amplificandi causa adhibitæ: im-

possibili

A poſsíbili enim modo ſe precaturũ pollicetur. Quid non promitteret (ut in uotis uidemus) expaueſcens conſcientia? Cuncta quidem plus quàm difficillima, modò à tam diris abſolueretur pauoris morſibus. Laborauí, inquit, ſuſpirãdo, plangendo, lachrymãdo, adeoq́ in his defatigatus ſum, ut largo imbre lachrymarum lectum meum lauerim: quod quidem impoſsíbile uidetur. Sed talibus utimur, cum dolemus acerbius: neq́ aliud hic ſanè uult uates, quàm inſtantiã, uehementemq́ orationis ardorem demonſtrare. Conceditur (inquit Fabius) dicere amplius, quando dici quantũ ſat eſt, non poteſt. Felix ſic habet: Natabílem reddam per ſingulas noctes lectũ meum: hoc eſt, efficiam ut natet lectus meus in lachrymis meis. Vides ardentes in propheta affectus? Audiamus (ait Eutymius) nos homunculi tanti regis pœnitentiã, eamq́ imitemur. Sanctiſsima profectò, atq́ tam ſancto monacho digna adhortatio, modò noſtri temporis pœnitentes, pœnitentiæ ſummam ac uim, in neſcio quibus propriæ uoluntatis afflictationibus, abſque intimo ſucco, minimè ſtatuerent: quibus quidem de more quotidie peractis, rurſus idem ſunt, ad pias ſcilicet actiones frigidi, inconſtantes, duri, difficiles, moroſi, atq́ omnibus, qui uel parum ab illo ſuo præcipiti propoſito, ac falſa pœnitentiæ imagine diſſentire uidentur, obtrectantes. Verùm non negauerim prophetã re ipſa, aut ſi re nõ ualuit, uotis tamẽ ueris, propoſitoq́ nõ ficto præſtitiſſe, ſi quid inflãmatius ore protuliſſet, cũ ut ignis tam æſtuãtis deſiderij, ignem illum alterum concupiſcentiarũ reſtingueret, culpasq́ deleret, tum ut nos tepidioris naturæ homines ad flãmam illam, qua uerus pœnitens uri debet, excitaret. O normã cœlitus ijs datam, qui anteactæ ſuæ uitæ rationem ſecum exactiſsimè reputãt. Laborauí, inquit, non ſimplicí quodã modo, aut in ſuperficie, ſed in gemitu meo: uel, ut legit paraphraſtes, fletu lamentabili. Poſtea adijcit: Lauabo, ſeu natare faciam lectũ meum, non ſemel ac iterum, ſed per ſingulas noctes. Cer
B nis aſsíduitatẽ laboris in pœnitẽtẽ? Cur uerò in nocte? num dies à carnis cruciatibus eximẽdus? Perdiu enim uariæ ſolent noſtri ſecreti ſilentiũ interturbare cogitationes, quæ raro in unum, perſeuerante lucis ſtrepitu, quo mirum immodum diſtrahimur, coire poſſunt. At nox, cùm ex defectu lucis, qua (ut dixi) facile in uaria diſtrahimur phantaſmata, tum ex alto rerum omnium ſilentio, ac quiete, nos magis acuit, excitatq́ ad res animi pertractandas. Cõmodiſsimum enim id temporis ad nobiſcum ratiocinandũ eſſe dixerunt patres. Illud porrò, lachrymis meis ſtratum meum rigabo, præcedentem particulam explicat.

Turbatus eſt à furore oculus meus.

Furorem appellat Propheta horrorem illum iam in corde conceptũ, uerùm extra per membra ipſa peruagantem. Nam de furore illo ſuperius dicto in Deo, nõ dici, hebræus indicat. Diuus enim Hieronymus ſic reddit: Caligauit præ amaritudine oculus meus: uel oculus ſimpliciter, uel tota hæc corporis habitudo, & facies, præ dolore aſsíduo decolorata, ac natiua ſpecie deſtituta. Inter cæteros enim effectus, quos dolor cum lachrymis permixtus párere conſueuit, reddit in primis faciem rugoſam, totumq́ corporis habitũ carioſum, tabidum, penitusq́ deformatũ: &, ut alia habet litera, plus quàm ſenilem, et cadaueroſum. Hic igitur uates intelligi uoluit, ſuccum ſibi omnem corporis deperijſſe, ſeq́ prorſus contabuiſſe. Nec ſanè mirandũ, quòd ſancti Dei uiri tam crebris interdum queſtibus ſuum dolorẽ proferant: nam præter id quod nobis qui inter pœnitentiæ lamenta uitam traducimus, in exemplũ proponuntur, eſt conſiderandũ, quòd Deus in ſuis indolentiam non requirit, quemadmodũ neq́ ipſe in terris præſtitit, ut ſanguineus ille ſudor in horto, uel ſolus, teſtari poteſt. Quòd ſi electis omnis abeſſet dolor, ubi crux illa, ſine qua Chriſtianorũ uita eſſe nõ debet? Queri uerò adlamentaríq́ apud Deũ, ac eius opem expoſcere, animi eſt pij admodũ, Deumq́, ad quem confugit, pro patre habentis: qui quidem, cùm nihil ſit adeò indulgens ac miſericors, lamentis huiuſmodi, quæ à corde attrito, ſimul & amante, procedunt, non offenditur, ſed delectatur.

Inueteraui inter omnes inimicos meos.

c Cur, quæſo (dicet aliquis animæ, quę tam queribundè ſuum depromit laborem & dolorẽ) tanta pateris? Vnde hæc tam dira afflictio? Inueteraui, inquit: hoc eſt, nondum nouũ indui hominẽ, qui ſecundum Deum creatus eſt: adhuc ſeruio legi carnis. Inueteraui, inquã, & in uia iuſtitiæ (quemadmodũ ſenes cernimus ci tò, uel in tantillo labore defatigari) abſq; uigore ſpiritus fatigatus ſum. Inueteraui dico, ac (quod cũ ſingultibus, & ſemel, & bis, & tertiò proferre cogor) turpiſsi mè inueteraui. Siquidem nouum haudquaquã eſt hoc meum cum hoſtibus certamen, cum dolore, cum luctu. Annoſum enim eſt, utpote quod mecum unà ex matris meæ utero ſit exortum, mecumq; cum ipſis annis ſubcreuerit.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ, quoniam exaudiuit Dominus vocẽ fletus mei.

Vt animum recepit uates, utq; ſenſit ſe iam, fugatis tenebris, conſolationis radio tangi ac perluſtrari, inſultat hoſtibus, atq; ait: Diſcedite à me, faceſsite, abite quotquot malum machinamini. Iam plus ſatis audiui, perſenſiq; ueſtra inimica in me odia. Recedite, inquã, ſpe ueſtra impia deluſi: nam Dominus meo lamentabili fletu, clamoſoq; eiulatu, & lachrymis, placatus eſt. Ille enim qui mihi dedit ut tam largo lachrymarũ imbre deflerem, ad eumúe confugerem, is ad dona ſua iam demum reſpexit.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Hæc omnia eundem ſenſum habent, ut interim à ſuperuacanea illa in hoc loco, inter orationem deprecationemq; differentia ceſſemus. Illud magis conſiderandum, quomodo ardeant, exundent, uiuaq; ſint omnia in ſanctis. Neque id rurſus prætereundum, quod in hoc uerſu Felix legit, ſuſcipiet: quò intelligas ſummè confidentis orationem eſſe, quòd exauditurus ſit Deus in poſterũ, cum modo exaudierit: alioqui genus eſſet ingratitudinis haud mediocre, illum, qui
D iam ſe ſenſit exauditum, iterum exaudiendum ſe minimè ſperare. quocirca à uate eſt dictum, ſuſcipiet.

Erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei: cõuertantur & erubeſcant valdę velociter.

Et hic animaduertenda eſt tautologia: nam hæc omnia, erubeſcant, cõturbentur, conuertantur, idem uolunt ac diſcedant, licet diuerſam habere uideantur intelligentiã: atq; eſt Hebręis perinde atq; dicas, dilabantur, rurſusúe cum ignominia ſuo fruſtrati conſilio ad propria reuertantur: ſimilitudine nimirum à uictis in acie mutuata, qui pedem cum ignominia & pudore referunt. Nónne & de ipſo quoq; dæmone, infenſiſsimo mortalium omniũ hoſte, ſcriptũ apud ſacros autores legimus, quod ſemel in pugna ſpiritus ab uno aliquo ex electis deuictus, indignabundus ac cõfuſus ita pedem retrahit, ut nunquã poſtea cum illo in eo genere peccati congredi audeat? Fortiſsimũ hoſtem, qui cum manũ conſerere pertimeſcamus, ſimulac ad primũ, & hunc leuiſsimũ ictum confuſus, dat terga. Cæterùm ſentit Eutymius dictiones, ualde uelociter, omnibus ſuperioribus uerbis adijciendas. Optat, ait, propheta, atq; imprecatur illos quãocyſsimè hæc omnia pati. Verùm, dicet aliquis, quomodo ſancti Dei uiri, uel cum primis Dauid, tam dira aliquãdo uiſi ſunt hoſtibus ſuis imprecari? Sic enim dicere poſſumus, quòd cum oratio ſit opus animæ, cogitationibus, intimiſq; affectibus cum Deo colloquentis, eò diuino afflata ſpiritu ſępenumero trahitur, ut mira quædã, atq; ineffabilia uideat, ac patiatur: multa inſuper interdũ ei iudicia, alioqui recõditiſsima, ſummi iudicis reuelentur, quę quidem corporeis uoluptatibus addictis minimè ſunt nota. Ita Dauid, cæteriq; præclari Dei interpretes, incredibili quodam in ſuis precibus ardore, atq; ecſtaſi, in Deum ipſum rapti, cernunt quantum flagris & damnationi prauí homines ſint proximi. Tunc enim, quę Deum optimũ, optimè iuſtiſsimeq; in reprobos decreuiſſe cognoſcunt, eadem illa, quò boni minus à ſpe firma dilabantur, accelerare rogant. Nec quidem, cum Deum ſuper omnia & uenerentur, & diligant, ab eo quicquam petere queunt, quod non certò ſciant ipſum ultrò daturum. Cauendum tamen, ne carnis affectu aliquo moti, aut ira, audeamus temerè tyrannis, aut alio modo Dei hoſtibus, mala imprecari,

aut

A aut de illorum infortunijs gaudere, dolereue in ſecũdis illorum rebus. Nondum enim ad illam ſupremam diuinorũ cognitionem, nos tardi atque hebetes, aſcendimus, qua reuelata facie, quæ in huiuſmodi rerum diſpoſitione ſit Dei uoluntas pernoſcamus. Potius autem ex hiſce ſanctorum imprecationibus doceri debemus, quàm longè à cœleſti fauore proiecti ſint, ac perditi omninò hi, quos, quia pater illos, ſua ipſorum cauſa, non traxit, ardens dæmon contra electos tam dirè furere facit. De quibus tamen orandum erit, ut, ſi fieri poteſt, conuertãtur ad Dominum ualde uelociter, atq; illis millies illud Domini inculcandum, Ne tardetis conuerti ad Dominum: ne differatis de die in diem, & dicatis, Miſeratio Dei magna eſt: ſubitò enim ueniet ira eius, & in tempore uindictæ diſperdet te. uel illud Eſaiæ: Subitò dum non ſperatur, ueniet contritio.

IN FINEM PSALMVS DAVID, QVEM CANTAuit Domino pro uerbis Chuſi filij Gemini. VII.

DOMINE Deus meus in te ſperaui.

Titulus huius pſalmi haud uno modo redditur. Alij enim, ut hic uides. Alij ſic: Exercitatio Dauid, quando cecinit Domino ſuper uerbis Chus ſtirpis Beniamin. Alij uerò aliter. Volunt enim dictionem hebræam, quam exercitationem nonnulli interpretantur, errorem etiam poſſe reddi, aut interpretationẽ, aut angorem, quod magis placet, aut ſolicitudinem, aut muſicum quoque inſtrumentum, quo canebatur hic pſalmus. Nos, ait Felix, hęc omnia Chriſto adaptamus: nam & angorem & ſolicitudinem quãmaximam habuit, & paſſus eſt à Iudæis ipſis, qui Chus dicuntur, & filij dexteræ (ſic enim interpretantur Beniamin) etenim filij dexteræ fuerant, omnes uerò aliæ nationes filij ſiniſtræ. Quid per dexteram, niſi miſericordia? & quid per ſiniſtram, niſi Dei
B ira deſignatur? Verùm ipſi Chus erant, id eſt, Aethiopes nigerrimi, atri, obcæcati mente & corde, cùm ipſum Dominũ crucifixerunt. hæc Felix. Nos autem ad pſalmi mentem uertamus ſtilum, ne in enucleandis pſalmorũ titulis, nodum in ſcirpo quærere uideamur. Dei itaq; filius hic eſt qui loquitur, qui noſtras aſſumit calamitates, qui ueluti colonus in terris, ut ait uates ille, labores, dolores ue ſuos & noſtros exponit. Ille igitur abſq; peccati labe qui fuit, tanquam omnium ſceleſtiſsimus, tot diros ſponte ſua patiẽ cruciatus: nos uerò uel ab ipſo uitæ exordio perditiſsimi, ne tantillum quidem pœnarum, quas cõmeruimus, non niſi fracto animo ac queribundo toleramus: hinc enim omnia iam facta ſunt nobis odioſa, in omnibus moroſis ac duris: offendunt omnia, pungunt, lacerant, mordent, uel ipſæ quidem edentulæ res, atq; innocuæ, nobis aut pauori, aut faſtidio ſunt. His tamen, & nobis cognitis, & cæteris pluſq; manifeſtis, audemus neſcio quid perfectioris uitæ ac ſtudij præferre, noſtrasq; uenditare ſanctimonias non erubeſcimus: quarum quidem umbram, & hanc tenuem, uix, ueluti per tranſennã ſemel uidimus. Sed ad Dei filium reuertamur, qui hoc in pſalmo ſummam totius perfectionis, cuius ipſe autor eſt, effigiat. Si enim generali quodã modo, quædam in hoc pſalmo poſita intelligi arbitramur, ut ſunt illa: Si eſt iniquitas in manibus meis. Et, Iudica me Domine ſecundũ iuſtitiam meam. Nemo tanta cum fiducia unquam orare potuit, quanta innocentiſsimus Dei filius. Si uerò de crimine falſo alicui intentato accipienda ducimus, alicui noſtrũm etiam, cum duce noſtro Chriſto, conuenire credimus. Equidem, ut de me dicam, peccatorũ omnium maximum me eſſe fateor: attamen non propter hoc, illos qui falſa in me moliuntur, quiq; eorum maximè inſimulãt, quæ, ne per ſomniũ quidem, unquam cogitaui, et qui à uirtutũ itinere, aut ſalutis curſu me remorari cõtendunt, excuſare debeo, aut malum illorum animũ approbare. Imò uitam ipſam, res, fortunas, & denicq; quicquid ſum, effundere mens eſt, & debeo, potius q; illorũ ſcelera, fœdosq; mores, ac uitã omnium turpiſsimã & inquinatiſsimã laudare, aut obtegere. A' profeſsione igitur fidei ſuæ in Deum, ut ſanctos decet, precem auſpicatur anima, & ait, Domine Deus meus in te ſperaui. Non ego in gladio, inquit, nõ in uiribus,

c non in ſcientia, non in meritis, non in amicorũ tum copia, tum excellentia meorum, ſed in te Domine mi Deus ſperaui. Certiſsimum quidem eſt, illos, qui uerè Deo fidunt, deſeri ab eo non poſſe: cùm neq; uir bonus eum queat deſerere, qui ſuæ ſe fidei penitus commiſerit. Quis talem, peruerſum non cenſeret hominem? Porrò ſpem noſtri definiunt eſſe uim illam, qua æterna ſperantur: hoc eſt, cum fiducia minimè uacillante expectantur, & quam ex Dei gratia, atq; ope, oriri non eſt qui ambigat: cuiq; patrocinãtur, ac uim ſuppeditant opera illa, quæ à charitate erga Deum proficiſcuntur, quæq; ſpem ipſam tanquam ardentes faculæ præire ſolent: alioqui abſq; bonarum actionũ fructu & decore ſperare, temeritas potius, quàm ſpes, appellari debet.

Saluum mẽ fac ex omnibus perſequentibus me, & libera mẽ.

Quoniam igitur in te ſperaui, & quoniã impoſsibile eſt eos, qui in te ſperant, ſuo fruſtrari uoto ac ſpe, idcirco ſerua me, tutareq; ab hac tam numeroſa me perſequentium multitudine. Num me abs te totum pendentem in cruentas illorum manus cadere permittes? Ad quem, oro, alium, ſi abs te deſeror, confugiam? nunquid ad me ipſum uitro ipſo fragiliorem? num ad amicos fortunæ magis de more obſecundantes, quàm honeſto, quàm decori, quàm ueræ amicitiæ? nunquid mundi me huius tam inconſtantis fidei cõmittam? Ne uiuam ſi id tento. Serua tu igitur me ô qui potes, meq; miſerrimũ in modum catenis uitiorum innodatum libera. Timeo enim ne tandem deceptus cõprehendar. Quis, rogo, tam eſt ingenio perſpicaci, tam prudenti, tam acri, cui hoſtium technæ tam uariæ ſint notæ? Et ſi tamen ſunt, quî poterunt ſine te ſuperari? Exime igitur me ô Domine,

Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neq; qui ſaluum faciat.

Quàm, bone Deus, elegãter uates leonis prædam corripientis, dilaniantisq; imagine, ferociam, ardentemq; iram hoſtium, noſtram inſectantiũ ſalutem, expreſsit? & eſt ſenſus: Ne, quæſo, corripiat hoſtis tanquã leo animam meam, neq; dilaceret, dum non eſt qui eripiat. Pulchra profectò ſimilitudo. Nullũ enim animal tam audax eſt, quod cum leone potiſsimum prædæ inhiante, concurrere audeat. Quis, oro, tam diras fauces à paſtu immunis auertet? Cẽſet Eutymius hunc pſalmum illi maximè conuenire, qui ab immanibus exagitatus tentationibus, cum Domino ſuas cõputat rationes: ut perſecutores ſint dæmones: leo uerò, ipſe infelicium ſpirituũ omnium princeps ſatan, qui cùm animas in deſperationẽ rapere molitur, nemo ex omnibus inuenitur, qui illas è cruentiſsima eius ingluuie redimere ualeat, niſi ſolus animarũ amantiſsimus Deus. qui quidem ſenſus admodum piis affectibus probari ſolet. Cæterum haud facilè dici poſſet, quàm immenſus ferarum ſit numerus earum, quæ præclariſsimos quoſque uiros à ſchola Chriſti, ſecum ad inhoſpitas ſyluas, tetraq; nemora trahere conant. Etenim quæ feræ, quæ belluæ adeò immanes ſunt, quæ tam atrociter in umbroſis ſaltibus minutiores animantes inſectentur, ac uaſtent, quàm uaſtent animi candorem, libido, ira, cupiditas, odium, rabies, ambitio? Quæ ars igitur? quæ induſtria? quod, quantumuis ſolers, ingeniũ, aut conſilium, nutantem hanc uitam noſtrã à tot malis redimet, cùm non ſit in rebus conditis, qui ad eam redimendam, ſeruãdamq; ſufficiat, niſi tantummodo Deus? Redimet ne homo hominem? hoc eſt, peccator peccatorem? ſordidus ſordidũ? cæcus cæcum? quis unquam hoc uidit? Solus igitur ille, qui, quemadmodũ ab omni peccati labe integer uixit in terris, ſic bonorum omnium autor eſt, atq; idem eorundem bonorum & finis, & requies.

Dominẽ deus meus ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis: ſi reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis, inanis.

Eſt hic conſideranda illius confidentia, qui alicuius inſimulatus ſceleris ab aliquo, ſeſe diris deuouet. Felicitas ſanè maxima eſt cõſcientiæ, nihil conſcire ſibi, ac nulla culpa impalleſcere. Si igitur feci iſtud, hoc eſt, ſi uerũ eſt quod mihi obiiciunt aduerſarij, & de quo tam malè audio: ſi, inquam, meis in manibus inuenitur iniquitas, id eſt, mihi adfuit, in hoc genere peccati, de quo accuſor, cõſenſus:

D

ſi me-

A ſi meipſum ulciſcor, quæ maxima eſt iniquitas: ſi alicui malum unquam pro malo reddidi, tunc non exaudies: atq; ita tua ope denudatus, ac gratia, cadã, & deficiam. Iam tunc hoc merui. Videtur hic hebræus paululum à noſtro uariare ſenſus. Si iniqui, aiunt, & praui aliquid unquam molitus ſum, ſi iuncto mihi conſuetudine, pacisq; fœdere adſtricto malum rependi, cadam meritò abs te reiectus. nam ſecundum eorum literam ſic legi poteſt: Si conatus ſum perdere quẽquam, qui pacẽ & amicitiam meã ex animo expetiuit, quod quidẽ minimè feci: ſed magis perſequentem me nulla cauſa, defendi, amauiq;: inanis, ac uacuus tuo auxilio, eò corruam, quô me hoſtes impellunt. Diuus uerò Hieronymus ſic uertit: Si reddidi retribuentibus mihi mala, & dimiſi hoſtes meos uacuos. Vide perfectionem animę. Non ſolum, ait, facientibus mihi mala par pari nõ retuli, ſed illos quoq; non dimiſi uacuos beneficijs, & largitionibus.

Perſequatur inimicus animam meam: & comprehendat, & cõculcet in terram vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

Ardens deuotio, atq; animo optimè ſibi conſcio digna. Animæ nomine ſeipſum intelligit uates, id quod frequẽs in ſcripturis eſt. Vitæ porrò in terrã conculcatio, uitæ eſt extinctio. Gloriæ uerò in puluerẽ collapſio, eſt nominis ac famæ, qua ſibijpſis boni ſuperſtites ſunt, abolitio. Atq; hic ſelah interponitur, nec immeritò. Siquidem quàm candido pectore, uel in hoſtes ipſos eſſe debeamus, mirandũ nobis in hoc loco proponitur exemplum. Senſus igitur eſto: Si talia commiſi, quemadmodũ ignobile iſtud uulgus de me iactitat, perſequatur me hoſtis, uel homo, uel dæmon ſit, non recuſo, poſtquã ſic merui: uerùm ita perſequatur, ut etiam comprehendat: adeò rurſus cõprehendat, ut nuſquã effugiam. Quid? ubi cruentus ille comprehenderit, conculcet illicò, proſternatq; uſq; in terram, ui
B tam adimat, ac demum gloriam omnem meam, famæq; & nominis memoriam in tenuiſsimum puluerem deducat: hoc eſt, ad nihilum adeò redigat, quò funditus peream. O mirabiles prophetæ affectus. Quis idoneus, ut haſce ardentes exaggerationes intelligat? Perſequatur, ait, dæmon, caro, mundus, fomes peccati. Comprehendat, id eſt, in lege peccati meam deducat animam captiuam, ac laceram. Conculcet in terram uitam meam, affectus ſcilicet omnes animæ, terrenis rebus, mundoq; ipſi ſeruire faciat, Gloriam item meam in puluerem deducat: intellectum uidelicet meum, qui gloria eſt animæ, induret, obfuſcet, obtundat: unde à gratia tua deſertus, penitus obbruteſcat. Quid, quæſo, aliud imprecatus eſt Hieremias cum dixit? Recedentes à te, in terra ſcribentur.

Exurge Domine in ira tua.

Satis dira imprecatione, deuotionéue ſe uates purgauit in ſuperioribus: nunc orat hoſtiũ oppreſsionẽ. Dum enim ſinit Deus, occultiſsimo quodam, æquiſsimo tamẽ iudicio, prauos homines licentius in bonos deſæuire, iacenti ſimilis uidetur, ac dormiẽti: aut certè, ut audacius dicam, deiecto, prorſusq; uiribus deſtituto. Inenarrabile quidem eſt, quomodo diuina illa maieſtas, quos maximè uult defenſos, indefenſos relinquat: atq; eorum, quos odit, iniurijs patiatur eſſe obnoxios. Ait igitur: Exurge Domine. Cur quieſcis? cur differs? iuſtitiã tuam hîc inuoco. Oſtende, te obſecro, potentiam tuam in ira, hoc eſt, in ultione & uindicta. qua commotiones, graueſq; iras me inſectãtium reprimas. Felix ſic: Exurge Domine inter iracundias tribulantium me. Cui & conuenit paraphraſtes: Commoueant te, ait, furores hoſtium meorum: ut dictio, Ira, ad inimicorum rabiem, referatur, non ad Dei uindictam. Quanquam quid uetat, Deum, ut tanquam iratus ad innocentiæ defenſionem exurgat, inuitare? Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, aiebat Paulus.

Exaltare in finibus inimicorum meorum.

Hoc eſt, facte omnibus altiorẽ: cunctiq; tuam ſupereminentẽ potentiã, illam nimirũ qua omnes omniũ terminos excedis, perſentiãt. Scribit Eutymius hîc, fines hoſtiũ, pro eorũ morte accipi. Cum altus, inquit, ſis, & ſublimis, ita etiã appa

C re,atq; oſtende te hominibus. Huiuſmodi autem apparebis in finibus,hoc eſt,in morte inimicorũ tuorum. Mors enim uniuſcuiuſq; finis eſt. Hæc Eutymius. Quę quoniam uiſa ſunt digna ſpiritu prophetæ,libenter hic cæteris aſſuimus.

Et exurge Domine Deus meus in præcepto,quod mãdaſti,& ſynagoga populorũ circũdabit te.

Cernis ne quantis argumẽtis utatur uates ad exorandam diuinam opem? Ab iſs enim quæ ipſe Deus obſeruari iuſsit,argumentatur. Tu,inquit,exurge eo modo,quo uis homines inter ſeſe mutuis exurgere beneficijs. Mandaſti quidem ut nos inter nos æquè iudicemus,ac miſeros è ſceleratorum manibus uindicemus. Tu iam præſta,quod præcepiſti. Tu tuam,ne mendax,uanus, tyrannidiſq; appetentiſsimus ab improbis appelleris,uindica cõſtitutionem. Quod ſanè ſi feceris, tum ſynagoga, tum populorũ corona, cœtúsue frequẽs gentiũ circunuallabunt te,ad te recurrent, te amplexabuntur, ad te, qui ob tuam de me neglectã curam, auerſi retroceſſerant, reuertentur. Per me enim tuus ad te reuocabitur populus, tuumq; ad cultum aggregabitur,unaq; frequentiſsimus ad tuas coibit aras. Neſcio equidẽquo pacto id accidat,quòd impijs regnantibus in Dei eccleſia paſtoribus,greges facilè ad impietatẽ prolabantur, quaſiq; à Deo abducãtur, cum interim tamen culpam omnẽ in greges ipſos reijciant. Ita pij, probiq; cum regnãt, populus ad Deũ,uelit nolit colligitur. Quare ſemper cùm à lege naturæ, tum ab ea quæ mandata eſt literis,cautum fuit, ne quis ad gubernandas reſpublicas, cœtusq; ciuium,ac conuentus,aſciſceretur,niſi is,qui & religione,& uitæ ſanctitate cæteris præſtaret. De iſs uerò qui honores,aut gradus, nõ ſecus ut canes leporẽ, inſectantur,in hisq; adipiſcẽdis die noctuq; immoriuntur,licet indocti,ineptiq;, ac tam longè à probis moribus extorres, quàm longè exulãt à cœleſtibus bonis
D dæmones,non eſt præſentis inſtituti dicere. Videant hi qui promouent.

Et propter hanc in altum regredere.

Cœleſtis enim pater cum ſinit ſanctum ſuum gregẽ, ſynagogam ſcilicet populorum,à malis opprimi,uidetur ſolium regni ſui dereliquiſſe,ac ad ſuorũ iniurias cõniuere,neq; bonorum amplius partem,ut boni ſolent iudices, tutari. Cum autem ſuorum ſe uindicem, defenſoremq; manifeſtat, uidetur tum ſolium regium denuò repetere,atq; iterum in altum cõſcendere,ut iudicet. Idcirco rogat uates: Tu qui diſsimulare uideris, & qui iam nõ putaris ab aduerſarijs meis in tuo ſede reſolio,quiq; longè abeſſe à tuis cẽſeris,regredere,reuertere in altum,in ſolium, ad iudicium. Tu qui miſerorum es arbiter, iudica cauſam tuam: & ſi nõ propter me,qui extrema quæq; merui,at ſaltem propter hanc tuam congregationẽ, quæ ex falſò intentata mihi calumnia,penè in maleuolorum conſenſit mẽtem. Tenera enim admodum eſt multitudinis opinio,& quæ, quemadmodum ad deteriora, ita ad meliora facile inflecti queat, modò eius generis uita præditi ſint illius moderatores,quòd ipſis uiuentibus nemo peccare audeat.

Dominus iudicat populos.

Hebræi legunt,iudicabit,idemq; Græci. & eſt uerbum ardentiſsimę fidei,atq; adeò certiſsimæ in Deum. Cuius quidẽ ſenſum ita explicat paraphraſtes: Quam prouinciam (exurgendi ſcilicet ad iudicandum oppreſſorum cauſam) non grauatè ſuſcipiet Dominus,& iuſtè iudicabit populos. Et cum ita fore credam,

Iudica me etiam ſecundum innocentiam meam,& ſecundum iuſtitiam meam ſuper me: uel, quæ in me eſt.

Nullam meam eſſe iuſtitiã, atq; innocentiam, ſi ad tuam cõferatur,certò ſcio, cum ne aſtra quidem ipſa munda ſint in conſpectu tuo: olimq; in angelorum choris reperta ſit iniquitas. Quis ſe gloriatur mundum habere cor? Verùm ſi me cum iſtorum uita componas, conſcius mihi quidem, in eo maximè de quo me accuſant, eius iuſtitiæ, atque integritatis uideor eſſe (donáne tua obtegere poſſum?) ut ſperem me abs te actutum iuuari. Id ergo facias precor, petoq; ut quemadmodum cæterorum,ita etiam meæ rationem habeas innocentię. Certus enim ſum aduerſarios meos malam habere cauſam.

Con-

A *Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum.*

Deficiat ergo, finemq; habeat iam tandem, obſecro, improborum malitia, qui me, nulla mea in eos culpa, tam crudeliter adfligunt. Et diriges iuſtũ, hoc eſt, des ei optatum rerum ſuarum euentum, cuius ea eſt uoluntas, ut abſq; nefandorũ hominum, ſi fieri poteſt, impedimento, in iuſtitię ſemita gradiatur. Porrò iuſtum ne deſerere poteris, quem tu ſic eſſe uoluiſti. Tu es enim Deus,

Scrutans corda & renes.

Hoc eſt, eorũ quæ cogitamus, de quibus ue oblectamenta capimus, es perſcrutator. In corde enim cogitationũ ſedem eſſe, nemo fermè eſt quẽ lateat. Cęterùm quia in renibus, ut aſſerunt Phyſici, ineſt affectus ille gignẽdi cæteris uiolentior ac uoluptuoſior, renes pro uniuerſali oblectamentorum ſede ponit propheta. & eſt ſenſus: Tu Domine intimarum etiam cogitationum, & cupiditatum es explorator. Vides, inquam, ubi uerus ſit amor, ubi fucatus. Itaq; uera cum hæc ſint, illi propterea tutò iudicium committitur contra iudicium hominum, qui ferè ſemper iudicant ſecundum apparentiam, cum Deus interim intueatur cor. Olim enim Abſalon à multis habitus eſt iuſtus, Dauid uerò peruerſus: ex quo illum ſecuti ſunt, hoc relicto. Iob rurſus ab amicis ipſis ſuis reputatus eſt peccator: ipſi autem non ſolum quidem aliis uiſi ſunt iuſti, uerumetiam illi, uiro alioqui iudicij haudquaquam humani, ſed planè diuini. Vides mortalium ferè omnium in aliis iudicandis cæcitatem? Nónne filius Dei inter ſuos ſeductor turbarum appellatus eſt? nónne publicanorum amator, potatorq; uini, Phariſæi uerò iuſtiſsimi? Quotus enim quiſq; eſt, uel ex eorum numero, qui religioſiores uidentur, cui iuſsio illa, qua admonemur, ne ante tempus iudicemus, ſit cordi? has enim partes, hoc tribunal, hanc ſedem occulta hominum diſquirendi, ſeruauit ſibi Deus. Quocirca temeritas eiuſmodi cùm ab omnibus, tum uel maximè à bo- B norum cœtibus prorſus euelli debet, ac eliminari.

Iuſtum adiutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde.

Secus Felix: Scutum meum ſuper Deum, aut in Deo. Et ſic dictio, iuſtum, ſeu iuſtè, ſeu potius iuſtus, ad præcedentis uerſus finem pertinet, ut ſic legas: Scrutãs corda, & renes Deus iuſte: uel, ut eſt in hebræo: Probator cordiũ & renũ Deus iuſtus. Ait igitur uates, totam fiduciã ſuam, ac ſpem, in Deo ſitam eſſe, qui iuſtus eſt. Eſtq; quaſi epiphonema ad ea quæ dicta ſunt. Nec mirum ſi per tranſnominationem ſcutum pro fiducia poſuit. nam quemadmodum ſcutum, illum quem tegit, fidentẽ ac ſecurum reddit: ita ille, qui in omnibus huius mundi aduerſis, quæ adeò multa ſunt, ut numerari nequeant, Deum pro ſcuto habet, tutus efficitur, ac fidens. Quem ſanè fauorem, recto ſolummodo qui ſunt corde, ſentiunt & experiuntur: hi dico, qui optimè de Deo cogitantes, haud huc, illuc ue incertis opinationibus peruagantes, curui incedunt.

Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens: nunquid iraſcitur per ſingulos dies?

Hic Dauid ſacro numine afflatus, præuidit hoſtium ſuorum ultionem, quę ſanè tanta cum inſtãtia, animiq; ardore, in ſuperioribus petiuerat: atq; ob id ſemetipſum conſolans clamat: Deus, iudex eſt iuſtus: ideo nõ me inultum ſinet. Fortis item eſt: utpote qui, quæcunq; uult, facit. Longanimis rurſus tamẽ eſt: expectãs ſcilicet omnes ad pœnitentiã. Sed nunquid iraſcetur per ſingulos dies? Minimè, inquit: ſiquidem longanimis eſt, ac patiens. Et quia non quotidie uos punit, ſed ſuffert, iramq; diſſimulat, quò malos in ſe animos emolliat, ad pœnitentiamq; attrahat, nolite ob id improbiores effici. Nam niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum uibrabit. Verùm quoniã Hebræis diuerſa eſt lectio ab hac noſtra, diuerſus quoque exoritur ſenſus. Sic Felix: Deus iudex iuſtus, & Deus iraſcitur per ſingulos dies. id eſt, quia iuſtus eſt, indignatur quotidie, quia iſti nouis quotidie eum ſceleribus ad iram prouocant: unde mirum, ni acceleret ultionẽ, ſic frequenter irritatus. Paulò diuerſius paraphraſtes. Deus, inquit, & iuſti eſt iudex, & eius, qui ſceleribus ſuis Deum irritat aſsiduè. Quid ſi alium adhuc adhibeã ſenſum? Alia

C enim ab ijs omnibus oblata litera effecit, ut aliam quoq; ſuſpicarer intelligẽtiam. Non iraſcetur, ait, per ſingulos dies: hoc eſt, Deus qui mihi uidetur iratus, me tandiu in afflictionibus laborantem deſerens, non ſemper mihi iratus erit: quandoque enim miſericordiæ memor erit, & mutabit ſortem. Sed quoquomodo ſe res habeant, uos qui tantopere mihi infeſti eſtis,

Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & parauit illum.

Aſſerit propheta, ſummi iam iudicis imminere in impios mulctam, niſi quã primum reſipiſcant, conuertanturq; ad ipſum. Per gladium enim, pœnarũ acerbitatem: per arcum uerò celeritatem intelligi uult Eutymius. & rectè quidem. Enſis enim cum uibratur, ſeu, ut legit Felix, acuitur, aut collimatur, apparatus eſt ad inferendam alicui mortem. Idem & de arcus tenſione dici conuenit: qui tunc tendi, parariue dicitur, cum oculis neruus aptè, ne ſagitta à ſcopo aberret, admouetur, ſed rectà petat. quanquam Felix legat, Direxit: quod ſanè uerbum celeritatem magis uulnerum indicat, quàm ſi legas, parauit. Iam nec illud omittẽdum quod admonet Eutymius. Craſsioribus, ait, uerbis propheta ſæpe uti ſolet, ut auditorum hebetudini conſulat. Hac ratione gladium Deum uibrare, arcum tendere, telaq; iaculari, atq; alia bellica inſtrumẽta habere dicit, ut auditoribus timorem augeat, ac per nota eis nomina lapideam eorum mentem concutiat. Verùm huiuſmodi armis non indiget ille, qui aſpectu ſolo facit terram tremere, & in cuius manu eſt omnis ſpiritus. Hæc Eutymius.

Et in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.

More hebræo uaſa ſunt inſtrumẽta. Vnuſquiſq;, ait Ezechiel, uas interfectionis habet in manu ſua. Vaſa igitur in eo parata, ſunt ſpicula in arcu poſita, quę ſe-
D cum mortem portant. An uerò ſpicula huiuſmodi letalia ſint, ſciunt hi, qui modò in mari Egæo, & Punico, cum Schytarum & Arabum claſſe confligunt, ubi nullo alio armorum genere, tam immaniter proſternuntur noſtri, quàm ſagittarum imbre (ut ſic dicam) ac nimbo. Illæ enim cum hamatæ ſint, uenenoq; præſentaneo illitæ, raro à ſauciorum corporibus abſq; anima euelli poſſunt. Sed quibus tandem ſagittas illas diuini iudicij parandas dicit? ardentibus nimirum odio, ſtudioq; nocẽdi. Contra hos certè tela omnia tum humana, tum diuina, leges, iura, ſcitaq; omnia collimantur. Paraphraſtes uerò aliter intellexiſſe hanc dictionem, Ardentibus, uiſus eſt. Præparata enim, ait, apud ſe habet tela mortifera: parabit ea, quo modo ſolent qui ardẽtiſsimè perſequuntur aliquem. Vtrumuis enim ſenſum accipias, non errabis: modò non ignores, uaſa illa in arcu parata, mala illa eſſe, quæ ex ipſa diuini iudicij celeritate, in ſceleſtiſsimos quoſq;, uariarúmue cupiditatum, ac libidinum flamma incenſos, torqueri ſolent.

Ecce parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Aſſueſcendum eſt in primis eiuſmodi tropis hebræis, in ſcripturis cùm omnibus, tum maximè odarum huius generis, in quibus à plurali ſæpenumero tranſitur ad ſingularem, & contrà. Hic enim cum ſuprà dixiſſet, Conſumetur nequitia peccatorum. modò dicit, Ecce parturijt, aduerſarius ſcilicet, peccator, impius, ſceleſtus. Neq; ſanè aliud ſibi uult uates in hac partus, parturitionisúe translatione, quàm ſignificare, perditos homines, circaq; aliorum perniciem intentos, totos eſſe in excogitando, concinnandoq; exitio alicui: neq; aliud uerſare animo, uerbis agere, factisq; moliri, quàm ut aliquem, ſeu ui, ſeu dolo, è medio tollant. Atqui cogitationum exordiũ, conceptui: conſiliorũ anxia illa ad nocendum diſpoſitio, parturitioni: factum uerò partui aſsimilari poteſt. Sic enim legit Felix: Ecce enixus eſt iniquitatẽ, poſtquã concepit afflictionem. Quam quidẽ diſtinctionem omnibus peccatis, quæ, ut noſtri partiri ſolent, ſuggeſtione, delectatione, atq; opere perficiuntur, cõuenire arbitror. Concipit aliquis animo formas illas irritabiles, quas obijci nobis à dæmone ſcribit Lactantius: huiuſmodi enim conceptus, niſi prudẽs aliquis informem illum adhuc, atq; inanimũ conterat, prauo pedetentim effigiatur oblectamento, alituríq; cõſenſu: qui porrò iam grandis

factus,

A factus, cupit, laboratq; in lucem prodire, quod Latini parturire appellant, ac tandem prodit: isq; fit partus actione nefaria, ac facinorosa. Sensus igitur erit: Ego, ait, dixi, quòd nisi conuersi fueritis, gladium suũ uibrabit æternus iudex: sed quia nulla facta est conuersio, ecce, iusto Dei decreto, parturijt impius iniustitiam: uel, ut habet paraphrastes, Ecce sceleratus ille parturiet iniquitatem, nocere magnopere cupiens: concipiet animo stultum & molestum laborem, & tandem pariet rem nihili. Sanè quàm rem nihili. Nam

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam quam fecit.

Verissimum illud esse adagium, quotidie & uideo, & miror: Consiliũ scilicet malum cõsultori pessimum. Illud etiam: Mali corui malum ouum. Quàm multi enim, dictu miserabile, suo se gladio iugulant. Quot consilia quorundã leuium animorũ intercisa? quot deliberationes formantur animo, quæ aut morte, aut casu aliquo inopinato, intercipiuntur? Ignorant miseri, quòd in suo Deus arcu parauit uasa mortis: quæ censet Eutymius uaria esse genera mortis, gladiũ scilicet, ignẽ, aquã, terræmotũ, hiatum terræ, ægritudines uarias, quibus aceruatim quotidie oppleri tumulos sepulchrorũ cernimus. Nónne arcus diuini celeritatẽ esse fatemur, cum miseros istos, de quibus hic uates loquitur, uidemus ad pedes nostros, aut ense, aut fuste, aut apoplexia etiam ictos, uel angina intercepto spiritu suffocatos occumbere? Quid de tãtillo araneoli morsu, aut præsentaneo scorpij aculeo dicã? Quot heri, Deus bone, lætissimo uidimus genio cœnam uel usq; ad gallicinium produxisse, cras uerò, ad summũ perendie, exhalasse animã? ô incerta mortalium consilia. Sensus igitur is erit: Foueam effodit miser ille: neq; hoc satis, eam ipsam apertam reliquit, sperans ut ego imprudens in eam incidam. Verùm longè illi diuersum eueniet: corruet enim ipse in eam, nunquã illinc extra-
B hẽdus. Quibus sanè uerbis nihil aliud nobis significari uoluit, quàm hostes istos nostros sceleratos, eadem ipsa, quæcunq; nobis mala cogitant, ac ui omni intendũt, absumptura. Ecquis iam tam pusillæ fidei uir est, qui uel ex uniusistiusmodi psalmi testimonio contentus, totum se nolit Deo in aduersis cõmittere, sperans fore, quòd malos tandem malè perdet æquissimus arbiter? Absalon enim à crine, Iudas uerò Christi, hoc est, innocẽtiæ proditor, à collo pependit. Quid Iudęi? nónne de terra ablati sunt? nónne funditus à gratia diuulsi?

Conuertetur dolor eius in caput eius: & in vertice ipsius iniquitas eius descendet.

Ecce affectus iniquitatis quò iniquum pertrahit. En quomodo in cœlum expuunt temerarij. Studium enim illud suũ, ait, tam anxium (dolorem id uocat uates, seu, ut legit Felix, laborem. Quid nõ cum dolore ac labore molitur impius?) anxietas inquam illa tam studiosa me interimẽdi, in ipsius caput recidet: nedum quidem in caput illud suum perunctum, sed in ipsum quoq; intellectum, quem hic per eminentiam, uerticem appellat. & est ac si diceret: Non solum enim corporea illius moles tuum iudicium sentiet, uerumetiam mẽs ipsa, atq; intellectus indurabitur, obbrutescet, in sensumq; reprobum sua sponte præcipitabitur. Ita enim orare possunt hi, quibus Dei uolũtas adeò perspecta est, ut nihil iam petere aut uelint, aut possint, quod non certò sciant futurũ: atq; in hoc, sicut in cæteris diuinis dispositionibus, toti in Deum ipsum transformati, omnia illa solummodo cupiunt, amant, uolunt, quæ ipse æterna lege & uult, & ordinat. Ita enim erit. Ego autem ab illorum insidijs liberatus,

Confitebor Domino secundum iustitiam eius, & psallam nomini domini altissimi.

Celebrabo, inquit, Dominum secundum iustitiam illam suam, qua me sui cultorem ab impijs, eorumq; moribus, & fœditate eripiens, illos tandem, ut meriti sunt, perdidit. Nulli porrò dubium esse debet, confessionem, quod diuus asserit Hieronymus, non pœnitentiam semper, sed gratiarum actionem sæpenumero ac laudem significare. Vnde illud: Confessio & pulchritudo in conspectu eius: nam ornatissimis moribus, uitæq; pulchritudine ac candore, laudari Deum conuenit. Atque hic idem esse, confiteri Domino, & psallere nomini Domini altissi-

c mi, censeo. Quod quidem illud est, quo in oratione Dominica petimus sanctificari nomen Dei. Hoc agunt illi, qui haud fictè, & in superficie, sed ex animo credentes, fiduciamq; suam totam in Deo collocantes, quæcunq; illius sunt, uerbis, moribus, gestis, ac uitæ integritate profitentur: quò mundus ipse, alioqui per se ad malum procliuis, habeat, unde in nobis benedicere, non maledicere, aut oblatrare nomini sancto Dei ualeat.

Super torcularia, seu ad githith. PSALMVS DAVID VIII.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.

Theophylactus in commētarijs super Ioannem censet Hebræos solitos cantare hunc psalmum tempore antiquæ legis in festo Scenopegiorum mense Septembri, quòd iam conuectis frugibus, factisq; uindemijs, gratias hoc psalmo bonorum omnium datori Deo agerent. Alij asserunt githith instrumētum musicum extitisse, quo cum psalmus iste cantabatur. Adeò uariant, apud interpretes, de titulis psalmorum opiniones. Quoquo modo sint illæ, exploratissimum nos habemus hunc psalmum decantari solitum ab anima illa quæ ex admiratione rerum conditarum, in quibus summa conditoris sapientia ac bonitas maximè relucet, obstupescit, totáque extra se posita exclamat, Domine Dominus noster quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra. Hebræi legunt, Domine, Domine, seu Domine dominator: quare illud primum diuinitati Christi Iesu conuenire, secundum, humanitati, coniectamus: & est acsi diceret, Deus here noster. Nos interim hoc modo: Domine rerum omnium opifex ac seruator, qui Dominus, per specialem quandam tui cognitionē, factus es noster, quàm admirabile est nomen tuum: hoc est, q̄ admirandus es tu. Nomen
D enim Dei esse eius gloriam, famā, cognitionē, qua ipsius bonitas, maiestásue cognoscitur, facilè nobis persuaderi patimur: ac, ut ait quidam ex Hebræorū rabbinis, nomen eius ipse est, & ipse nomen suum. Et nomina insuper habet omnia, ut ait Hermes, quoniā unus est pater: uel potius, quod idem asserit, nomē habet nullum, quoniā pater est omniū. Verùm hæc aliàs. Nunc, quantum ad institutū nostrum attinet, dicendū, hic animam sanctā mirum in modum stupore affici & admirari, quomodo tam sublimis appareat Deus in rebus conditis: qui tam longè, tam latè, támue profundè innotescit, q̄ altè, quā longè, quàm latè, eius incōprehensibilis bonitas cernitur, & se passim uidendam exhibet. Atqui hanc esse illā in Paulo latitudinē, longitudinem, profunditatē, sublimitatémue, quā ut comprehenderēt Ephesij, ipse flexis genibus Deū orabat, arbitrati sunt quidam. Cæterùm ex effectibus, atq; rerum conditarū ordine & concinnitudine, notionē de Deo cum habeamus, eos ipsos effectus partim naturales, partim naturam ipsam excedere dicimus: sed cum hi, secundū naturæ legē, uimq; illam rebus ab initio ingeneratā cœlitus procedant, illi magis ad ea pertinent, quæ gratiæ, fideiq; mysteria continent. In utriscq; tamen admirabilis, ac super omnia sublimis apparet Deus. Idcirco dicendum: Domine, Domine, inquam, nostrū omnium, q̄ meritò magnifica fama nominis tui per uniuersas terrarū regiones est sparsa: quàm sublimis, q̄ excelsus q̄ ab omnib. quotquot hanc terræ uastitatē incolūt, prædicaris.

Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos.

Magna sanè sunt argumenta tuæ maiestatis in terra: sed nō minora, quæ apparent in cœlis. Quod ibi decus? qualis ordo? qualis cōcentus? Quod nos legimus, Quoniā, Quę, uel Qui, legit Felix, hoc modo: Quàm admirabile est nomē tuum in uniuersa terra, quæ dedit confessionem tuam super cœlos: uel, qui eleuasti laudem tuam super cœlos. Sed unde rursus admirabile nomen tuum redditur?

Ex ore infantiū et lactentiū perfeciſti laudē propter inimicos meos, vt deſtruas inimicū et vltorē.

Hic temeritas summa esset, hunc uersum secus interpretari, quàm summa sapientia interpretata est tum, quū Iudæis obmurmurantibus hoc modo satisfecit, si tamen lapideis animis unquam satisfieri potuit: Nunquā legistis, ait, quia ex

ore

A ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? Proinde ego quidem uatis excellentiam, atq; adeò ſpiritus ignem, ignisq; eiuſdem celeritatem uix à perfectiſſimis uiris comprehenſam, nedum retentam, contemplans, facilè adducor, ut credam hic ſanctiſſimũ Dauidis pectus, cum cœpiſſet uelle res illas, quibus potiſsimum Dei gloria & maieſtas apparet, enarrare, à ſpiritus uelocitate interceptũ, mirabile infantium & lactentium argumentum interpoſuiſſe: quod quidem in Iudæorum perſecutionibus in Dei filium, cuius laudes in omnibus ſuis pſalmis celebrare nititur, fore præuidit. Quid ni mirabile dixerim? Antequam enim Dei filius noſtræ huius miſerię particeps factus, omnis iuſtitię normam in terris fabri caſſet, legimus à ſanctis uiris dæmones à miſerorũ corporibus eiectos, claudos rectis inceſsiſſe plantis, leproſos emundatos, ac tandem mortuos ad uitam reſtitutos. Quod uerò pueri, & hi lactentes, ore illo ſuo balbutienti & imperfecto, perfectã fecerint laudem Deo, quis legit unquam? Nonne hoc inter miracula, uel ea quidem, tum ab antiquis, tum à noſtris elegantiſsimè decantata, cõnumerandum? Verùm ſi qui ſunt, qui hoc in pſalmo allegorias diligunt, pulcherrimæ admodum ſunt, ac ſparſim per cæterorum libros coniectæ. Ego quidem hunc totum laborem, mihi tantummodo ut ſatisfacerem, meo maximo incõmodo deſumpſi. Scio certè & ego quoq; cum illis, eos, qui non in ſuaſorijs humanæ ſapientiæ uerbis, ut ait Paulus, ſed ſimpliciſsimo modo, crucis diuinitatem in ſuis libris pertractant, paruulos, atq; infantes poſſe appellari. Scio rurſus humiles, modeſtos, patientes, innocuos, & qui nullo alio cibo paſci, aut uolunt, aut cupiunt, niſi cœleſti, lactentes uocari. Eſt infans, ſub cuius lingua mel eſt, & lac. Eſt lactens, qui duo ſponſi ſugit ubera illa, quæ uino meliora eſſe canit ſponſa in amatorijs Canticis. Sed hæc & eiuſmodi, ſicut ſuo loco poſita, margaritę quædam ſunt precioſiſsimæ, & quæ mirabilem in modum me afficiunt: ita non ſua ſede
B collocata meum reddunt animum (ut alij afficiantur non quæro) à guſtu illo, quem afferre ſolent ſolidi in ſcripturis ſenſus, planè refugum, & neſcio qua ſorte, aridum ac ieiunũ. Proinde ut illa excellentiſsima ſint, cedroq; digna: mea hæc ita accipi uelim, tanquam ab homine in ſolitudine ſeſe inter pœnitentiæ lamenta macerante, atq; otio iſtiuſmodi imaginationibus nõ prorſus abutente, ut non abuti mei ordinis uiros ſemper concupiui. Neq; enim à recto intelligentiæ ſcopo aberrare dici debeo, ſi extollendæ diuinæ uirtutis materiam, nõ minus admirandam elegantiam libertatémue, ac ingenij acrimoniam in pueris, ſuppeditare affirmauero, quàm cætera in uniuerſo cõdita. Num abſq; magna aliqua ratione factum putem, quòd uatum eximius exemplum puerorum inter miranda rerum exempla, quibus uel uſq; ad cœlos, maieſtas conditoris celebratur, interpoſuerit? Si initium eius tenellæ ætatis cogitas: ſi innatam in parentes cum riſu uel cognitionem, uel manſuetudinẽ: in iram ac ueniam, facilitatem: ſi malè prolatam, atq; in ſaliua natantem balbutiem: ſi tatham, ſi mammã, ſi luſus, ſi iocos, ſi fletus tandem illos in rem omnem faciles conſideras, omnia certè amabilia uidentur, & neſcio quid præ ſe ferentia laudis diuinæ: cum nulla ferè ſit domus, quæ uerè appellari queat, aut læta, aut felix, in qua tener infans non uagiat, & perſtrepat. Quid memorem pericula illa infinita, à quibus non niſi manifeſta cœleſtis numinis ope, ſanctorumq; angelorum miniſterio, eripitur puer? Verùm ut non ſit aliud, illud in primis dignum uidetur conſideratione, quòd ex tam tenera ætate, nos Dominus intelligere iuſſerit, quid ſit nobis à cœleſti patre ſperandũ. Si uos, inquit, cum mali ſitis, hoc eſt, amore proprio corrupti, poteſtis tamen bona data dare filijs ueſtris, nulla etiam expectata gratia: quanto magis nouit pater cœleſtis bona dare uobis. Igitur, ut iam tandem finiam, uidetur propheta, cum immenſam Dei bonitatem in humanum genus prædicare inſtituiſſet, noſq; in dignam tanto largitore imitationem excitare, poſt exclamationem ſui maximi ſtuporis teſtem, de pueris ſtatim ſubieciſſe in hunc ſenſum: Bonitate Dei in mortales omnes plena adeò eſt terra, ut ad cœlos uſq; pertingat, imò illos ſuperet. Hãc enim ita admiror, & omnem excedentem intellectum iudico, ut nihil ſuprà.

c Quocunq; me uerto, paſsim in oculos tantæ bonitatis argumenta incurrunt, radiiſque ſuis meam totam offundunt mentem. Sed quid opus uerbis? uel in ſola illa tenella puerorum ætate ſic elucet, ſic reſplendet, ſic eſt perſpicua, ut ex illorum ore, qui adhuc ſuum illud lallare exprimere nequeunt, hoſtium Dei maledicentia abundè confutari poſsit. Ex ore igitur paruulorum, non ex ſermone, quia infantes ſunt: ſed ſuo modo, ut cætera agunt inanima, quæ ſuo etiam modo norunt ſuum fateri cõditorem, maieſtas diuini nominis prædicatur. Opera, inquit, manuum eius annunciat firmamentum, cum tamẽ ore careant atque animo cœli. Cæterùm non illud omittendum, quod loco Perfeciſti, Felix legit, Fundaſti uirtutem: uel, ut alia habet litera: Initium feciſti tuæ uirtutis prædicandæ. Siquidem paruulis prædicantibus illis, de quibus Paulus ait: Eſtote malitia paruuli, ſanctam legem Dei, fit robur ſpiritus, inualeſcitq; ac in auditorum animis initium uirtutis uim ſumit: quo quidem adaucto, uelutiq; alimentis quibuſdam ſpiritalibus alito, ad perfectiſsimum uitæ ſtatum fit tranſitus. Inimicum uerò & ultorem, quos deſtruendos dicit, aiunt quidam eſſe Iudæos, qui impudentiſsimè, non iam diſsimulato marte, Dei filio infenſi fuerunt in terris: qui tamen & ultores appellari queunt ob id, quòd iniurias Chriſto illatas, propterea quòd à Deo non eſſet, qui ſabbatum nõ ſeruaret, iuſtas, atque in lege præceptas affirmarent: & ſic Dei contumelias ulciſcebantur, ultores, ſi Deo placet, zelantiſsimi. Verùm cum alia ſit litera Hebræis, uidetur alius prætendi ſenſus: ut is ultor ſit, qui ſe uelit contra Deum ulciſci. quare ſic reddit paraphraſtes: Vt deſtruas, ſeu ſubuertas inimicum, & eum qui ueluti uindicem ſe oppoſuerat tibi. Quas uerò iniurias ulciſci uelit, neſcio: niſi fortè improbo pro iniuria ſit, ſe factum hominem ratione præditum: accepiſſe legem, qua ſecundum rationem uiuere oporteat: &
D demum innumera Dei beneficia in humanum genus quotidie in oculis habere. hoc certè ſcio, prauiſsimum quenque, & qui iam in peccatis obduruit, nolle eſſe Deum, ut licentius peccare poſſet. Quare maxima ſe iniuria affectũ putat, cum ſit lex & Deus.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

In prophetis enim parum referre dicũt, per unum tempus, an per aliud legas. Prius dixit, Eleuata eſt. perfeciſti laudem. modò uero uidebo. Et eſt perinde ac legas, Video, ſeu uidi. Et uidetur cauſam ponere propheta, cur tantopere Dei in homines bonitatem miretur: ex cõtemplatione ſcilicet rerum conditarum, cùm omnium, tum illarum maximè, quæ in cœlis tanto ornatu conſpiciuntur. quod quidem animæ illi præſertim euenire neceſſe eſt, cuius ſtudium ac uoluntas, fractis interdum corporeis iſtis membrorũ repagulis, per ampla diuinarum ſedium theatra ſpaciãtur. Verùm cum Deus tam nobilis opificij autor ſit, tanquam immenſi operis artifex, atq; idem quemadmodũ initium, ita & finis: nequit anima ſatis mirari, quî id accidat, quòd cũ tantus ſit, adeò ſeſe deijciat, ut hominis fermè nihili tam benignè, támue paternè curam habeat, ſic illum euehat, ſic extollat, ſic perornet. Vnde ſubdit,

Quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quia reputas eum?

Atqui candidior hic à paraphraſte ponitur ſenſus, quàm qui multum à me debeat illuſtrari. Ait enim: Quoties uideo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam, & reliquas ſtellas, quas elegantiſsimo ordine in illis collocaſti, tunc ſic apud me cogito: Deus bone, quid eſt miſerabilis homuncio, ut tu illius rationem habeas? aut Adæ nepos, ut tu inuiſere illum, aut amicitiam contrahere cum illo dignum ducas? feciſti illum tantum non Deum. At tu uide quomodo ſinguli ferè apices in propheta, ſingulas ex ſe flammas eiaculentur. Non contentus enim dixiſſe, quoties uideo, ſeu ſuſpicio cœlos: dicit, tuos. Neque hoc ſatis, addit præterea, opera digitorum tuorum. Neque his rurſum moratus, cum ſubiecíſſet, ſtellas: ſubintulit, quæ tu fundaſti. Plumbeã prorſus animam illam eſſe arbitror, quæ huiuſmodi affectuũ telis non transfodiť. Ad hæc, opera digitorum tuorum

dicit,

A dicit, propter uaria ſpiritus dona, tanq; nodos quoſdã in digitis: nam in ſcripturis, Dei digitus eſt ipſe ſpiritus ſanctus, propterea quòd quemadmodũ digitus eiuſdẽ eſt ſubſtantiæ cum manu, atq; adeò cum reliquo corpore: ita ſpiritus eiuſdem eſt cum patre & filio ſubſtantiæ ac naturæ, idemq; Deus. Aut quod uidetur ſentire Eutymius, ut magis mirabilis appareat conditor, qui talia, ac tam immenſa corpora, tantilla diuinæ ſuæ potẽtiæ parte ſit fabricatus. Porrò quòd lunæ ſtellarum ue mentionẽ faciat, omiſſo ſole, ea uidetur ratio: quòd quo tempore conſpicitur luna cum ſtellis, is non uideatur: quocirca cum hæc ſuſpicere ſe canit, apoſitè de ſole tacuit. Non deſunt etiam qui cenſeant, lunæ haudquaq; fieri poſſe mentionem abſq; ſolis intelligentia, quippe quæ ad hoc, haud aliunde habet unde luceat: nam abſq; ſolis radio, corpus ea eſt iners, tardum, tetrum, obſcurũ. In alio quoq; pſalmo, omiſsis ſtellis, atq; ipſa luna, tantũmodo ſolis meminit. Tu fabricatus es, ait, aurorã & ſolem. Cœli igitur, ſol, luna, aſtra, omnisq; firmamenti ornatus reliquus, ab ipſo ſummo rerũ opifice fundata ſunt: hoc eſt, adeò in primogenio ſuo ordine ſtabilita ſunt, ut dimoueri minimè ualeãt è ſede ſibi præſcripta. Senſus ergo is erit: Iurè obſtupeſco, demiror q; tuam immenſam erga nos, ô Deus, bonitatem, qua ſic terra eſt referta, ut ſupra cœlos etiam magis q; dici poſſit, euadat. Etſi enim inſani illi ac temerarij, tantam tuam excellentiam aut ignorant omnino, aut cognitam demoliri conantur: pueri tamen, & hi lactentes, & ſciunt & prædicãt. Quòd ſi uel parum oculos attollo, ſi cœlum ſuſpicio, ô quàm ingens decus tuum in illo reſplendet: ibi ſol, ibi luna, ibi ſidera, ibi ornatus infinitus. Quis hæc animo pertractans non extra ſe admiratione rapiatur? Tu tantus, tam immenſus, tamq; immenſi artificij opifex, caduci uaſculi, quod homo eſt, plane q; uitrei, & nihili, eam geris curã, ut nihil fermè aliud cogitaſſe uidearis, quàm ut moribundã hanc carnis molem, ſexcentisq; miſerijs obnoxiã exaltares? Tan-

B tum non feciſti eum Deum. Quid?

Minuiſti eum paulominus ab angelis.

Siquidem ſolo corpuſculi onere, moriẽdiq; neceſsitate, ipſis beatis ſpiritibus, qui dij uocantur, quia diuinus illis aſpectus plenius q; cæteris creaturis communicatur, minor eſt homo. Eo excepto, nõ uideo cur homo non dici debeat maior angelis, ſimulatq; Dei filius ad patris dexteram, humanam collocauit naturam: adeò quòd filius Dei idẽ ſit, qui & filius hominis. Vlterius, nónne clamat Apoſtolus, quòd ſunt omnes adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſsi propter electos? Maior ne eſt ille qui miniſtrat, an is cui impenditur miniſterium? qui alijs obſequitur, an cui obſequium præſtatur? Atque ob id forſan probabilior uiſa eſt aliquibus litera qua legũt, Minuiſti eum pauliſper à Deo. Sed hæc magis de Dei filio, qui ob carnis aſſumptæ naturam inferior eſt patre, dici arbitror, quàm de ullo alio homine. Nec illud interim ſatis intellectu facile eſſe opinor, quo dicunt ipſum Dei filium etiam angelis, nedum Deo, propter moribundæ carnis infirmitatem, minorem: cum lego Dionyſiũ aſſerentem, Chriſtum uti hominem etiam ſummos angelos purgare, illuminare ac perficere. Neque illud obſtare credo quod Paulus ſcribit: Eum uerò, inquit, quem modico, quàm angeli, minoratum eſſe uidimus IESVM Chriſtum, propter paſsionem mortis, gloria & honore coronatum. Siquidem aſſerunt hic legi debere, modico quàm Deus: quemadmodum ibi, Minuiſti eum pauliſper à Deo. Sed de ijs alij. Nos qui in hoc pſalmo uolumus naturæ humanæ dignitatem extollere, ne ab inſtituto noſtro recedamus. Atque in primis illud ſuperius dictum non omittendum, Quid eſt homo: in hebræo non tantum hominem ipſum, quantum ærumnoſam ac ſordidam eius natiuitatis conditionem ſignificari. Quocirca ſaluator, quò noſtram omnem humilitatem miſeriamq;, ſolo peccato excluſo, ſeſe ſubijſſe teſtaretur, filium hominis, hoc eſt, mortalem, ærumnoſum, abiectũ, atq; unum è uulgo ac infima plebe ſe libenter appellabat, eumq; titulum ſibi propriũ fecit. Ex quo uolunt quidam diſtinctionem illam, qua nos aliqui filios rectè hominum nuncupandos aſſerunt, Chriſtum uerò filium hominis, prorſus repudiandam, cùm in ſcripturis maximè

C antiquis paſsim ſit uidere, filium hominis quemlibet hominẽ dici: ut illud, exemplí cauſa: Quid eſt homo quòd innotuiſti ei, aut filius hominis, quia reputas eũ? Vel illud ex hebræo: Nolite confidere in principib. in filio hominis, in quo non eſt ſalus. His itaq; medullitus introſpectis, illud cogitatu iucundiſsimũ exoritur, quomodo gratia hominis dignitati annexa fuit, cùm Chriſtus per omnia nobis ſimilis fieri uoluit, abſq; peccato, ut ait Paulus.

Gloria & honore coronaſti eum Domine, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

O miram prophetarum conuenientiam. Nónne tibi uidetur Dauidem hic illud Moſis replicaſſe? Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ut præſit piſcibus maris, & uolatilibus cœli, & beſtijs, uniuerſæq; terræ, omnicq; reptili quod mouetur ſuper terram. Quæ ergo alia tam excellens gloria? Quis honor cum illo conferendus, quo ad imaginem ſimilitudinémque ſui conditoris factus eſt homo? Cui unquam alij ex rebus conditis tam amplum imperium cõceſsit Deus, ut ei diceretur, Replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, uolatilibusq; cœli, & uniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram?

Omnia ſubieciſti, ait Dauid, ſub pedibus eius, oues & boues, & vniuerſa pecora campi.

Verùm Paulus ſcribens ad Hebræos, de Chriſto Dei filio, hunc locũ interpretatur. quæ quidem interpretatio adeò uera eſt, ſpirituiq; prophetico germana, ut nullam aliam fas ſit admitti. Sed in hoc tamẽ rurſum mihi excellentiæ conditionis humanę memoria refricatur, cùm ſuccurrit animo, per amantiſsimũ noſtri generis Dei filium, omnia diuinæ dignitatis quæ ſunt, reliquis nobis cõciliata, conceſſaq; illius dono & beneficio. Quapropter quicquid de hominis dignitate lex ſacra enarrat, Chriſto primum uti capiti, inſtauratoriq; noſtro competit, ac de eo
D iure omni intelligi oportet. Cuius tamen dignitatis, tanto unuſquiſq; copioſius fit particeps, quãto ſpiritu illo diuino, quo mediatore dij appellamur, largius fuerit donatus. Sed heu nos miſeros, qui magna ex parte excellentiſsimũ illud potestatis munus, dum ipſi conditori ſubditi eſſe nolumus, amiſimus. Verùm adhuc ſpes eſt recuperãdi dominij his qui uerè Chriſto credunt: quorumq; imperio ex ſummi opificis mandato, & dæmones & montes, & quicquid uſpiam eſt, obtemperat. Omnia certè ſubiecta ſunt illis qui ex Deo nati ſunt, & qui iam in terris uitam uiuunt cœleſtem, quibusq; etiam ipſi beati cœlites & ſeruiunt & miniſtrãt. Cæterùm oues in hoc loco, ſunt minorum pecudum greges: boues uerò maiorum armenta. Pecora porrò campi, feræ agreſtes, quibus non ſine ratione eſt additum. Inſuper, auxeſis eſt: & eſt perinde ac dicat, Videte ô mortales, admirandam Dei benignitatẽ: ſatis non habuit tot pecudes cicures uſibus ueſtris mancipaſſe, adiecit & feras. Nullæ enim tam ſunt immanes, tam diræ, tam noxiæ, quas homo natura et arte, ſuo imperio nõ ſubijciat, utilitatémue ex eis non capiat. Atqui ut uno uerbo tãdem rem totam definiã, & ſuperi & inferi, illi, qui ſe penitus Deo addixerit, ſubijciuntur, & parent. Nec profectò ab ulla alia eſt cauſa, quòd tam crebris exagitamur aduerſis, quàm quia cõditoris nos uoluntati, ut par eſt, inuiti obtemperamus. Regnum ergo in res conditas obtinebimus, ſeu potius recuperabimus, ſi priſtinam animæ dignitatem, ut ait Eutymius, ſeruauerimus.

Volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.

Volucres cœli, uolucres aëris intelligit, pro quo ſæpenumero cœlũ in ſcripturis ponitur. Præterea cùm maris piſces omnis generis ſubiectos eſſe homini dixiſſet, ſe haud bene ſub piſcium nomine belluas marinas cõprehendiſſe ſuſpicatus eſt. Idcirco poſt piſcium cõmemorationem mox addidit, Et qui perambulãt ſemitas marium: ſeu, ut legit Felix, pertranſeuntia ſemitas maris: cautè quidem, ne illud, Qui, ad piſces, nõ ad monſtra marina referas. Eam ob rem à paraphraſte ſic redditur: Piſces qui natant in mari, & quicquid uſq; degit in ullis aquis. Nam maris mõſtra, Balenas, Orcas, Priſtes, Phyſetros, & id genus alia innumera quis piſces dicat? Aiunt uulgò id in mari eſſe, quicquid in terris naſcatur: quæ quidem

opinio

A opinio in tantũ doctioribus etiam uiſa eſt uera ac celebris, ut ſcribant rerum quidem omnium, non ſolum animaliũ, ſimulachra in mari eſſe, uuam, gladium, ſerras, cucumin uerò & colore & odore ſimilẽ. Notat etiam Felix eſſe quorundam opinionem, qui hunc hemiſtichiũ, quem dicimus de monſtris marinis intelligi, ad hominis ingenium referant, & dicant: Tantum ei tribuiſti ingenium, ac ad omnia mentis acumen, ut pertranſeat ſemitas maris.

Domineꝰ Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.

Admiratione eadem, atq; eodem ſpiritus ardore, quo cœpit pſalmum, deſinit uates. Quo exemplo monemur, quòd interdum flagrantiori aliquo affectu, ne uerba Deo dare uideamur, diuinum opus inchoare contigerit: poſtea uerò, quæ humana eſt natura atque intentio, fugax ſcilicet ac uaga, frigere mens cœperit, mox uel in calce ſaltem recaleſcat ſpiritus.

IN FINEM *pro occultis filij. uel, Vincenti ſuper morte inſipientis.* PSALMVS DAVID IX.

CONFITEBOR tibi Domineꝰ in toto corde meo.

In finem pro occultis filij, uel pro morte filij, ſeu, ut notat Felix, ſuper morte inſipientis. Eſt pſalmus igitur, ſecundũ illos, qui putãt eum celebrandum pro morte filij, laus pro gratiarũ actione, de infinitis beneficijs humano generi à cruce & morte filij Dei exhibitis: quæ occulta dicuntur, ob id quòd crucis myſteriũ occultum in priſcis illis temporibus ſemper extitit: angelis quoq; ipſis à ſeculis æternis abſconditum, ut ait Paulus. Hi uerò, qui titulum Felicis approbant, aiunt gratiarũ actiones eſſe, pro morte inſipientis, ſcilicet antichriſti, & cuiuſcũq; alterius (ſic ipſe ait) Chriſtianæ fidei inimici. Quod
B quidem fore credimus, cùm erepto prorſus è manu principis mundi huius dominio, Chriſtus regnum, ut ait Paulus, tradiderit Deo & patri, Deuſq; erit omnia in omnibus. Sit ut lubet titulus, nos potius quàm ardenter, quámue ex animo referendæ ſint gratiæ Deo, ob dona mortaliũ generi collata, per filij Dei cruorem ac necem conſideremus. More ſuo propheta cupiens alijs mouere affectũ amoris & gratitudinis, eodem ſeſe ardere demonſtrat. Nam ſumma circa mouendos affectus in hoc poſita eſt, ut is qui perſuadere nititur, prius ipſe moueatur. Confitebor, ait, in toto corde meo: hoc eſt, agam gratias tibi ô Domine, non more eorum qui te ore ac ritibus colunt, corda autem illorũ abs te longè abeunt: ſed in toto corde meo, animo ſcilicet toto ad hoc affecto, & ardente, adeò ut nihil aliud prius habeat. Mirum ni uideas, in rebus omnibus illis, quæ ad interiorem hominem formandũ, uirtutesq; animi adipiſcendas attinent, cor omne, affectus, amorem denicq; omnem, ac curam à Deo expeti: alioqui illud unum ad quod inueſtigandum nati ſumus, diſſipatis ſtudijs, diſtractoq; in plura ingenio atq; animo, in quirere, nónne hominis eſt ocio ac uita ipſa prorſus abutentis?

Narrabo omnia mirabilia tua.

Legimus enim in Iob: Cum uix paruam ſcintillã eius ſermonum audierimus, quis poterit tonitruũ magnitudinis eius intueri? Peraudax itaq; hyperbole eſt, animi ſummè in Dei amorẽ flagrantis index, quo etiã impoſsibilia conari fateatur. Quod enim uult ſæpenumero, non quod facturus ſit, pollicẽ uir in Dei amore peruſtus. Ecquis potis eſt mirabilia omnia Dei enarrare, cum ſint inenarrabilia, quia infinita? Porrò aſsidua beneficia ac dona, quibus humanum genus Dei eſt miſericordiam benignitatemq; expertũ, appellat uates mirabilia, quæ ſunt, ut ait Eutymius, trophæa ueluti quædam de inimico admirãda. Cæterùm, illum in toto corde confiteri ac laudare Deũ dicimus, cuius cor non eſt aliqua, ne tantilla quidem parte, caducis rebus inhærens, ſed Deo penitus affixum.

Lætabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo altiſſimeꝰ.

Vide, te oro, gratiſsimi animi candorẽ. Fatetur enim ſic ſe exhibitũ ſibi fauo-

C rem æſtimare, tantiue facere, ut in perpetuum de eo lætaturus ſit, gratiasq; acturus. Memor fui, inquit alio in pſalmo, Dei, & delectatus ſum. Solus enim uerum ac ſolidum Deus eſt bonum, quo lætari nos decet: cætera uerò, quibus lætari ſolent homines, mœrores potius merentur appellari, quàm gaudia. Si nulla res cõdita, uel inter primos beatorum ſpirituũ choros poſita, ſatiare poteſt humanam mentem, ſatiabit'ne tantillum gaudij huius mundi, quod adeò fugax eſt, ac præcipitans, ut neſciam an fulgur celerius è cœlo eiaculentur nimbi? Senſus igitur: Non in auxilio humano, quod infirmum eſt: non in curribus, non in equis, non in ſtructis copijs, non in rebus qualibuſcunq; mundi huius labilis, nõ in propria iuſtitia & uirtute: ſed in te ſolo lætabor, nomenq; tuum pſalmis, atq; odis celebrabo, licet omni ſit laude altius, ac ſublimius.

In conuertendo inimicum meum retrorſum, infirmabuntur & peribunt à facie tua.

Cõnumerat propheta beneficia, quibus lętari, gratiasq; agere intendit. Diuus Hieron. ex hebræo ſic reddit: Cum ceciderint inimici mei retrorſum. atq; hinc uir ſanctus hunc uerſum cum ſuperiore uelle cõnecti uidet: ut legas, Pſallam nomini Dñi altiſſimi, cum ceciderint inimici mei retrorſum, & corruerint, & perierint à facie tua. Alij interim hoc modo: Dum fugabitur inimicus meus à te, hoc eſt, cum amplius opem diſſimulare nolueris, tunc aduerſarij mei peribunt à præſentia tua: ut ſolent uicti, contra faciem uictorum ſtare nõ audentes, terga dare: & ita dum timore acti fuga ſibi præcipites conſulunt, facilè aliquò impingunt, in déue cadunt, & pereũt. Haud raro enim in ſcripturis faciẽ pro præſentia accipi, ſcit uel mediocriter in illis eruditus. Eccleſia ad ſponſum: Cum per tuę paſſionis merita, ac uirtutẽ, ô dilecte, antiquũ hoſtem fugaueris, nouiſſimaq; abolebitur mors, tunc illi quidem infirmabuntur, prorſusq; uiribus denudati peribunt, ho-
D ſtes ſcilicet fidei, hæretici, peruerſiq; doctores. Interim uerò finis, quẽadmodum cõminatus es, regnare hypocritas: nam nondũ impletas eſſe iniquitates Amorræorum, uel hoc uno ſuſpicor, quòd ad uniuerſa flagitia etiamnũ cõniuet Deus.

Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam: ſediſti ſuper thronũ, qui iudicas iuſtitiam.

Tu interim, ô Domine, cum ego uiribus impar illis eſſem, pro me ſtetiſti, cauſæq; meæ patrocinium ſuſcepiſti. Ecquis iam tam orphanus, támue deſtitutus cliens eſt, qui ſe miſerũ ſub tanto patrono expoſtulet? Facit Deus iudicium noſtrum, in fauorem q; cauſæ noſtrę ſententiã profert, & ab hoſtibus noſtris quamuis potentiſsimis opprimi ueremur? Sedet pro tribunali ille, qui ſolus iudicat iuſtitiã, & de cauſæ naufragio dubitamus? Non equidem ſupremus ille iudex inter noſtri huius æui iudices connumerandus eſt, qui adeò interdum iuſtitiæ ſunt oſores, ut in deliberandis iuſtitię cauſis, illud unum maximè uideantur in primis profiteri, ut iuſtitiã opprimant, benemeritos de ſuis eiuibus conculcent, & peſſimè meritos extollant. Hinc (credo) eiulatus illi mœſtiſsimi uiduarum, orphanorum, innocuorum q; ciuium, nõ ſolum per domos, ac tecta propria, ſed, quod infelicius eſt, in teterrimis carceribus audiuntur.

Increpaſti gentes, & perijt impius.

Adeò uel ſola Dei increpatio, bonorum q; uirorum cum Deo, ad extinguendam hoſtium rabiẽ, ſufficit. Senſus: Tu impios iſtos humani ſeminis hoſtes tantum increpaſti, & perijt eorum dux. Et hic more ſuo Hebræus numerum mutat. Quid faciet ſatan, immundorum omnium ſpirituum princeps, ſi gladio ipſe ſpiritus feriatur, cum ad ſolam obiurgationem ſuis factam, pereat?

Nomen eorum deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi.

Hæc enim tota exaggeratio, in æternũ ſignificat. Vult hic uates omnimodam illorum extinctionẽ intelligi, ut nulla cauſa eſſet reliqua poſt mortem, quam ob rem nominari poſſent. E medio enim mundi huius ſublata principis tyrannide, per Chriſti mortem: cultu illius deleto, deletis q; impijs illis ritibus, & ſacrificijs: deletum eſt & nomen, ita ut iam per orbem uniuerſum, uix nominis Iouis, Mercurij, Apollinis, Dianæ, cæterorum q; huius generis monſtrorum ſuperſint reliquiæ.

A quiæ. Ita & eorum, qui ſceleribus, prauiſq; cupiditatibus, & ſordidis libidinibus uitam ſuam omnem conſpurcantes, in hoſtium caſtra trāsfugiunt, cum uita tran ſit & nomen, & fama, & quicquid eſt, quod poſt mortem etiam bonos uiuere facit in hoc mundo. Nomen enim illud quod peracto uitæ curſu ſupereſt improbis, noménne eſt, an potius uitæ tranſactæ labes, memoriaq; execrabilis, atque æternum dedecus?

Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti.

Hic uerſus quamuis uariè enarretur, tamen hoc unum dicam, quòd Hebræi pro dictione frameæ, legunt uaſtationes, ſeu ſolitudines, ſeu potius depopulationes: ſenſus tamen idem cum noſtro, qui is erit: O inimici, ueſtræ depopulationes, ueſtræ uaſtitates, in ſempiternum (id enim in finem ſignificat) conſumptæ ſunt, iam finem habent, iam poſthac non dabitur deuaſtandi facultas. Et eſt in dæmones, atq; in eorū cultores inſultatio. Iam, inquam, ciuitates ueſtras, quæ hominum corda erant, euertit Dominus, & deſtruxit. Vide aliud, ſecundum aliam literā, inſultandi genus. Vos ueſtras uaſtitates feciſtis æternas? uos noſtras ciuitates euertiſtis? Memoriáne illorum, quibus extrema quæq; comminabamini, unà cum ipſis interiit? Non erit ita: nam Dominus, qui noſtrę fauet cauſæ, in æternū permanet. Vnde mox addit, Periit memoria eorū cum ſonitu, & Dominus in æternū permanet. Verùm ſi cui magis ſimplex noſtri interpretis arridet litera, non contradicimus, ſed eo modo quo res ſacræ probari debent, & probo, & exoſculor. Huius igitur is erit ſenſus. Frameas, hoc eſt, arma, telaq; inimici, quæ ſanè in acie ſpiritali multa admodum ſunt, per filij Dei aduentū prorſus è manibus illius cruentis excuſſa: ſubindeq; illorum ciuitates, corda ſcilicet hominum, ſumma olim impietate ædificata, per uerū unius Dei cultum deſtructa iam eſſe.

B Pluſquā æreus ille eſt, cui iam cōpertum non ſit, quàm acuta hoſtiū arma fuerint, quàm iræ immanes, quàm ampla tyrānis, quàm uaſtū imperium dæmonū in orbe terrarū ante acceſſum ad nos diuini uerbi: quo quidē fortiſsimo duce ſeſe pro nobis in acie offerente, acutæ illæ hoſtium frameæ obtuſæ ſunt, è pugno eiectæ, ac penitus ui omni denudatæ: ipſi uerò terga dederunt, eorumq; imperiū & nomen extinctum eſt. Tam enim robuſtos hoſtes planè deiectos fatebimur, & debiles illos, qui ius in animā habent nullum, timebimus? Sæuire quidem in nos, uel inuitis nobis, poſſunt: uincere uerò, minimè, niſi uolentibus nobis.

Periit memoria eorum cum ſonitu.

Hebręi habent, Periit memoria eorum cum ipſis. Vtrunq; enim abolēdos omnino eſſe hoſtes noſtros, præ ſe fert. Nam quemadmodum ſonitus, tandiu ſonitus eſt, quandiu auditur: mox uerò non eſt, ſed prorſus euaneſcit, cum deſierit: ita improbi homines, uel dæmones, atq; eorum mancipia, deſæuiunt quandiu à iuſtiſsima Dei prouidētia permittuntur, mox nō ſunt. Periit enim memoria illorum cum ipſis, ut ne ueſtigium quidem famæ illorum ſuperſit, ipſis è medio ſublatis. Porrò quid inanius ſonitu excogitari poteſt? In ipſo enim ſuo ſtrepitu, ac boatu, quis non perterretur? eo tamē ceſſante, atq; in aere reſoluto, nihil, ne memoriam quidē, ſupereſſe uidemus. Ita tu caue putes maiores eſſe potentiæ & uirtutis, hoſtium humani generis terrores ac ſtrepitus, cum nos illis ſuis nocendi artibus aggrediuntur, quàm ſit fragor, ſonitus, aut ampullarum tumor: modò nos nobis non deſimus. Atrociores enim uidentur his, quibus nondum uirtus crucis eſt nota. Itaq; de medio reuulſis hoſtibus,

Dominus in æternum permanet.

Is dico, de quo ipſi hoſtes inſultantes dixerant, Eradamus eum de terra uiuentium: hęres enim eſt, occidamus eum: declarauit tandem ſe eum eſſe, qui uerè ſolus ſit, & permaneat, cum interim cætera omnia, præ illo, caduca ſint, ac nihili. Neq; hic illud, quod dicit Eutymius, prætereundum. His uerbis, inquit, ſemel receptæ fidei ſtabilitas, atq; ipſius eccleſiæ incommutabilitas denotatur. Nec ſanè mirum. Siquidem in Euangelio legimus amātiſsimum noſtri Dominum dixiſſe

c Petro, Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua. Scimus enim Dei filium rogaſſe patrem, ut non deficiat illius eccleſiæ fides, qui ſumus nos: & ueremur ne Turca, aut hæreticus, aut impij quorundam Chriſtianorum mores illam extinguant? Illud forſan uerendũ, ne eiectis illis, qui hucuſq; filij regni uiſi ſunt, tradatur uera Dei cognitio atq; hæreditas, peccatorib. & publicanis. Iam milites, iam ipſi militum duces cõmiſcent arma libris: atq; inter tormentorum ſtrepitus audimus uerba fidei, ſacramq; legẽ libenter admitti. Quis amplius miretur Beniamin lupum rapacem effectum Paulũ: cum noſtris quoq; diebus cernimus ferociſſimum illum urſum, agnum factum? Quæ res iam ulla quorundã ſupercilium retundere eſt potis, ſi hæc non poteſt? Quam profectò ueriſsimum illud Oſeæ eſt, quod legimus, Deum ſcilicet uocare ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.

Parauit in iudicio thronum ſuum: & ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iuſtitia.

Non te rurſum mutatio temporum moretur. Hęc omnia quæ hic canit uerſus, iudicis integritatẽ denotant. Nam cui deſit aut iudicij rectitudo, aut mens æqua, aut iuſtitiæ zelus, is omnino à iudicandi munere ſecludi debet. Cæterùm, quod aliàs diximus, cum Deus ad ſceleratorum hominum flagitia cõniuere, nec opem ſuis ſtatim afferre uidetur, quaſi à throno iudicij deiectus ſit, ſuſpicamur: cùm uerò ſuos iam abſq; diſſimulatione ab improborum manibus liberat, tum ipſum iuſtitiæ tribunal aſcendiſſe, iudicareq; quotquot uſq; gentium ſunt in æquitate, dicimus. Atqui ſub tentationum malleo deſudanti tetra ſunt omnia, plena mœroris ac deſperationis, adeò ut penè, uel ipſi perfectiſsimi uiri, eò quandoque impatientiæ impellantur, ut dicant, Non eſt Deus. Vides quò nos interdum noſtra obtrudat ſanctitas? Verùm ille, qui nouit etiam infinitis rebus finem ponere,
d quiq; ſuum probè cognoſcit figmentum, tum, quando maximè eſt opus, accedit: atq; illos flagrantiſsimis ſuis afflatibus, quibus uel ipſe duriſsimus adamas emolliri poſſet, in abditis animæ receſsibus admonet, ac dicit, Ego ſum, nolite timere. Tantum porrò abeſt ut nimium perfractè feramus, quicquid rerum aduerſarum in nos deſæuire iuſſerit Deus, ut etiam infracto pectore, ac uti decet robuſtiſsimi ducis CHRISTI IESV imitatorem, amplexemur, nedum toleremus. Parauit, ne dubitemus, in iudicio thronum ſuum: ſeu, ut habet Felix, Direxit in iudicio ſedem ſuam, ut iudicet in æquitate, & iuſtitia. Quod ſi adhuc hæſites, quid ſibi uelit throni huiuſce apparatus:

Factus eſt refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

Poterimus ne uereri, quin Dominus ſit pauperum refugium, atq; eorum adiutor, in tempore potiſsimum tribulationis (hę ſunt quidem opportunitates opem implorãdi) cum credimus eum iudicare in iuſtitia, & æquitate? Super quem, ait, reſpiciam, niſi ſuper pauperem, & contritũ ſpiritu? Imò, neſcio quo ſecretiori modo, cum ſit æquiſsimus omnium arbiter, pauperem tamẽ ſpeciali quodam fauore proſequitur, & tutatur. Sed quis uerus ſit pauper, aliàs dicemus. Non omnes enim qui uicatim, oſtiatimq; plenis manticis interdum ſtipem quærunt, pauperes Chriſti dici debent. Quod ſi tamen huiuſmodi quærendi cibi mos in Dei eccleſia uiſus eſt æquus, ac, ut ſic dicam cum opulentiorum uenia, neceſſarius: illum uerò, quo etiam ſanctimoniales cernimus paſsim per uillas cum aſellis circumcurſare, quis probus ferat?

Et ſperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

Hi enim, qui Dei nomẽ, hoc eſt, Deum ipſum, ut iam dixi, nouerunt ex æquo & iuſto, iudicium proferre ſolitum, illo ipſo ſolummodo nituntur, eiq; fidunt, in neminem alium in ſuis ærumnis & afflictionibus reſpiciunt, eum ſolum inuocãt, quærunt, lachrymis ac ſuſpiriis ad ſibi opitulandum prouocant. Quàm bonus, ait ille, ſperantibus in ſe, animæ quærenti eum: id eſt, animæ illi, quæ de eo aſſiduè ſolicita eſt, & cui omnis in primis cura eſt, ut illi placeat, ac cum uate illo dicere audet, Etiam ſi occiderit me Dominus, in ipſo ſperabo. Sperent igitur quot-

quot

A quot fideles ſunt in Domino, nullo reſpectu ſiue meritorum, ſiue demeritorum habito: ſed ſolummodo hoc fidei ardore acti, quoniam Dominus non derelinquit quærentes ſe: alioqui aut nimius erga merita nos amor obcæcabit, aut demeritorum exacta nimium conſideratio ad animi deſperationem adiget. Illa enim ſicut præmittenda ſunt nobis ad ſepulchrum, ita hæc deteſtanda: ſed eouſq; ut neq; in illis confidamus, neq; ob iſta admodum diffidamus, ſed totam ſalutis noſtræ ſummam in bonitate Dei, gratia & miſericordia ſitam eſſe credamus, damnationis uerò in nobis tantummodo.

Pſallite Domino qui habitat in Sion, annunciate inter gentes ſtudia eius.

Cum talis ſit Dominus, quemadmodũ dixi, pſallite illi in cœtibus ſanctorum, quæ Sion eſt: hunc laudate, huic ueſtras odas, hymnos, cantionesq;, non ſcorto, aut lenoni adſcribite. Sed cur hoc? ut nimirum quamplurimi eius uirtutem, bonitatemq; agnoſcentes, uno uobiſcũ grege facto, ac ouili, eius item cõcelebrent ſtudia illa, quæ ſuperius mirabilia appellauit uates: ſeu ſtudium & curam, qua, ueluti pater uniuerſalis, erga genus humanũ afficitur: ſeu etiam, quod ait Aquila, immutationes. O dictionem auream. Quid ni ego, uel uſq; ad ſpiritus à corpore diuiſionem, tam mirabiles Dei immutationes prædicem? extollã? diuulgemq; omnibus? Qui longè, ait Paulus, erant, facti, ſunt propè in ſanguine Chriſti. Ecce immutatio una. Vis' ne aliam audire? Habitantibus, inquit, in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Abiecti enim aſſumpti ſunt, mortui ad uitam reſtituti: & tandem Deus homo factus eſt, & homo Deus. Hæc ſtudia ſunt, hæ artes, hæ immutationes, quæ de Deo cogitanda ſunt, atq; ab omnibus propalanda. Spargite in uulgus, ait paraphraſtes, admiranda eius conſilia.

Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt, non eſt oblitus clamorem pauperum.

B Hoc eſt, non relinquẽs Deus innocuum ſanguinem inultum, eorũ pauperum ſcilicet, recordatus eſt. Videtur Deus nonnunquã pauperum oblitus eo modo, quo ſuperius in hoc eodem pſalmo eſt dictum de iudicio eius diſſimulato. Cum enim non requirit, uidetur oblitus. Cum uerò requirere, hoc eſt, ulciſci, uindictamq; de perſecutoribus pauperum ſumere cœperit, palàm fit ipſum nõ eſſe immemorem clamoris miſerorum. Nam inferius dicitur: Deſiderium pauperũ exaudiuit Dominus. Porrò pauperes Chriſti non ſecundũ inediam, pecuniarúmue indigentiam ſolummodo iudicari oportet: uerùm hi ſunt, qui ab ipſo ſeruatore noſtro Deo, in Euangelio pauperes ſpiritu appellantur: hoc eſt, qui nulla in re uitæ huius ſua bona ſtatuunt. A' mundo enim deſpecti & contempti, ſua ſe ſponte ab omni ſuperuacaneo affectu abdicant: oblatos honores reſpuunt: præteriti cum riſu ferunt: deiecti, in ordinemq; redacti, ne ſummum quidem uultum mutant: laceſſiti iniuria, tacent: in calumnijs, in preſſuris, in uerberibus, in contumelijs, in infamia demum, ac deriſione, idem uultus, idémque animus & cor, fixum ſcilicet in Deo. Sciunt enim nihil adeò in hoc mundo tanti æſtimandum, cuius uel beneficio, uel iniuria, ne tantillum quidem à perſeueranti contemplatione cœleſtium rerum auerti debeant. Alioqui nimia dum carnis teneritudine affecti, ad leuiſsimum quenq; fortunæ morſum animo deſtituimur, aut ineptiſsimè ad eius plauſum geſtimus: fit ſanè, ut quas horas in rebus homine dignis collocari par fuerat, totas in ſpinoſis iſtis euentis, atq; adeò dubijs & uarijs, animo pertractandis conſumamus. Cæterùm hæc omnia inferiora, aut ſirenæ ſunt, aut canes: hæ cantu, illi adlatratu, nos à boni propoſiti tramite, qui arduus eſt, uiroq; forti dignus, deturbare contendunt. At per illum ſoli ſpiritu pauperes, expedito atq; imperterrito gradiuntur paſſu.

Miſerere mei Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis.

Quaſi iam omni tentationũ genere defunctus ſit uir ſanctus, nunquã ſic Deo gratias agere conſueuit. Sed quia præteritos per Deum uicit ictus, iterum ſe ſperat uictoria potiturum. Atq; hæc eſt continua pectoris erga Deum affecti exercitatio, gratias de uictoria præterita agere, ſed nihilominus Dei miſericordiã, atq;

opem implorare ut iterum uincat. Nunquã enim in hoc mundo perfecta ſperanda eſt quies: nam cum nos tutos, quia uicimus, arbitramur, tum magis ſæpenumero recrudeſcit pugna, & fortior eo fit hoſtis, quo minus expectatur. Ait igitur: Miſerere mei Domine, uide humilitatẽ meã. hoc eſt, deiectionẽ meam: uel, ut legit Felix, afflictionem meam, ex perſequentibus me odio. Ab iis enim, qui nos odio inſequuntur, quem alium exitum expectari par eſt quàm afflictionum? Quod quidem periculum ut perpendat Dominus, ac uindicet, ab anima ſuæ miſeriæ conſcia, ardenti huiuſmodi precatione inuitatur.

Qui exaltas me de portis mortis.

Quî cum fiducia non clamem? Tu enim ille es, qui me erigis, atq; à mortis ianuis ac faucibus retrahis, cuius ad limen iam miſer acceſſeram. Iam enim de me actum erat: ſed tu, quæ tua eſt pietas, à limine illo tetro me ad uitam reuocaſti. Num propterea me ſic extuliſti, ut uitam in luxu, ocio, & deſidia tranſigam? ne uiuam, ſi hoc uolo: uerùm

Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Hoc eſt, ut mirabilia illa tua, ut ſtudia, ut in mortales omnes, & cõſilia, & beneficia, prædicem, atq; in ſanctorum cœtibus enarrem. In prauorum enim hominum conuentibus hæc potius obtegenda ſunt, quàm diuulganda. Portæ in ſcripturis, haud raro pro locis publicis, conuentibusq; popularibus, ubi uel iudicia, uel conciones habebantur, poni conſueuerunt. Ad hoc enim, inter cætera quæ uſui erant populo, ciuitatum portæ deputabantur, utpote loca, tum ciuibus, tum ruralibus uiris ſatis commoda. Nobilis, ait Solomon, in portis uir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ. Portæ igitur mortis, ut rem paucis abſoluam, iudicia ſunt mortis intentata à tyrannis, concilia ſceleratorum, cœtus ue, ac cõciones
D hæreticorum, & demum quæcunq; ad mortem pertrahunt, uti ſunt peccata, & deſperatio. Per portas enim haſce teterrimas eſt iter ad mortẽ. Portæ uerò Sion, ſunt iudicia, congregationesq; bonorum, ſancta concilia, caſti mores, exemplaq; optimæ uitę, ac tandem quicquid ad Sion, cœleſtem ſcilicet Hieruſalem, nos manuducit. In his itaq; portis, Dei ſunt laudes annunciandæ. Neminem porrò ab hoc munere immunem eſſe arbitror, ſimulac Deus unicuiq; mandauit de proximo ſuo: modò is, qui annunciare inſtituit, ea ſit doctrina, ac uitæ ſanctitate præditus, ut uita reſpondeat uerbis.

Exultabo in ſalutari tuo.

Felix, In ſalute tua. & eſt ſenſus cõnectendus cum ſuperiori uerſu: quo innuit uates, ſeſe idcirco miſericordiam conſequi optare à Deo, ut in ſanctorum collegio & cœtu, innumera ſuæ bonitatis dona enarrare ualeat, ac cum lætitia de accepta ab ipſo ſalute teſtari. Ideo paraphraſtes: Vt conſcribã, ait, & commemorem uarios te laudandi modos illis, qui uerſantur in portis Sion: & gaudio afficiam eos propter ſalutẽ tam miraculoloſe allatã mihi per te. Venite, inquit in alio pſalmo, & uidete quanta fecit Deus animæ meæ. His dictis, denuò ad decantandum Dei iudicium redit, quod contra hoſtes populi ſui fecit, & ait:

Infixæ ſunt gentes in interitu, quem fecerunt. In laqueo iſto, quem abſconderunt comprehenſus eſt pes eorum.

Diuerſa ſimilitudine eandem ſententiã dicit propheta, quæ eſt: Malum quod, alijs parauerunt, in ſuum ipſorum caput recidit. Lacum, inquit ſuperius, aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit: ſimilitudine nimirũ à luporum uenatione ſumpta, qui foueis capi ſolent. Præterea de laqueo iſto in alienã mortem abſcondito, hoc eſt, doloſe excogitato, quod aliud exemplũ conuenientius citare debeo, quàm illud Amon? Is enim eodem ipſo in patibulo, quod Mardochæo parauerat, ſuſpenſus interijt. Quod ſanè exemplũ, uel ſolũ, uellere illorum aures deberet, qui dignitate aliqua ſublimi à principe ſuo donati, nihil prius habent, quàm ut carnifices ſuorum ciuium appareant. Sed

Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum cõprehenſus eſt peccator.

Aper-

A Apertiſsimum admodum indiciũ illud eſt, unde cognoſci Deus queat, æquitatis ac iuſtitiæ amans eſſe, cum prauos ipſos ſeſe ſuo illo gladio, quo alij interitum concinnauerãt, iugulare ſinit. Cognoſcetur igitur Dominus, ne uereamini, cum pauperes, cum afflictos, cum deſtitutos ac contemptos, cœperit in iudicio liberare: quem alioqui duri homines cognoſcere renuunt: Aegyptijs nimirum perſimiles, qui, niſi ab aquis comprehenſi, pedem à perſequendis Iudæis referre contempſerunt. Hi enim ſuo conatu fruſtrati, unà cum ſuis illis curribus atq; equis obruti fluctibus interiere: quorum cadauera, ad æternã poſterorũ memoriam, ſuper littus maris, ut in Exodi libro legimus, inſepulta iacuere. Cæterùm dum in hac uita uiuitur, quis tam nefarius eſt, qui uelit ſe nefariũ confiteri? Quare à perſpicaciſsimis quoq; ingenijs uix deprehendi poteſt, quis malus ſit, uel ne. Sed ſimulatque Deus ad iudicium obeundum uenerit, thronumq; ſuum æquiſſimum, ut iudicet, aſcenderit, deprehendetur illicò miſer ille, teſte ſola conſcientia. Deprehendemur certè & nos ex operibus manuum noſtrarum tum, cum omnis fucus, ſimulatióque illa, quæ modò uirtus cæcis uidetur, aberit, locumq; cedet. Hic uerò interpoſita dictio ſelah, admonet rem eſſe narratam, dignam omnino quæ animo reponatur.

Conuertantur peccatores in infernum: omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum.

Epiphonema eſt, ad omnia ſuperiora ſpectãs, ab animoq; de ſalute ſibi præſtita exortum. Abeãt, inquit, peccatores, faceſſantq; ſuo maximo exitio, ad inferos, uti olim Datan & Abiron, rebelles legislatori abiere. Abeãt et unà cum illis gentes uniuerſæ, quibus curæ non eſt Deus, quæq; nulla tenentur religione. Indigni enim ſunt uita, qui uitæ autorẽ non cognoſcunt. Totus, fateor, cohorreſco, dum hæc cõmentor. Quàm mihi uerẽdum eſt, ne in eorũ numero adſcribar, qui facilè tam beneficũ Dominum obliuiſcuntur. Vna enim cum ſit in homine uis memo-
B riæ, quẽadmodum una eſt uoluntatis, atq; intellectus: unum expetere oportet, quod ſolum ipſa, uel quod ipſum attinet, recordetur, ſicut illa unũ ſolum uult, ille intelligit. Is Deus eſt. Alioqui in diuerſis phantaſmatis, atq; appetẽtijs, tres iſtæ animæ partes occupatę, ſæpe omiſſo Deo, ad turpia memorãda, aut appetenda, aut cognoſcẽda, & amãda etiã, reuoluunt. Quid igitur inſanię, aut potius impietatis, & in Deũ ingratitudinis, cor meũ incitat ad illud appetendum, quod Deus non ſit? num meo in pectore unà ſimul eſſe queũt Deus & mundus? num faſtus & humilitas? num puritas & libido? num mors & uita? Illa enim quẽadmodum animam undiquaq; felicẽ reddunt, ita hæc bonũ omne, uel in primis Dei cognitionem, longè à corde propellunt: unde miſerabilis quædam exoritur in memoria ſtupiditas, in uoluntate peruerſitas, atque in intellectu tarditas & hebetudo: quibus ſimul concurrentibus, ac in animæ pernicię conſpirantibus, ea facilè una ex illis fit, quæ, ut ait uates, obliuiſcuntur Deum. Sic igitur illis eueniet,

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

Ad tempus enim patitur iuſtus, ſed in æternum non deſeritur (ſic in finem ſignificat) imò in memoria æterna erit iuſtus. Patientia pauperũ. Hebręi habent, Expectatio, ſeu ſpes manſuetorũ non interibit in æternũ, licet aliquãdo uideatur nutare. Mirum, quod aliàs me dixiſſe recolo, quantũ benigniſsimus Deus fauere ſoleat miſeris & ærumnoſis: diſsimulat tamẽ aliquando, ad eorumq; lachrymas conniuet, ut ſentiant, uel ſerò, nullam in terris ſperandã eſſe beatitudinẽ: illudq; ſolum, & expetendum, & diligendũ, quo abſente, illa quoq;, quæ uidentur mundo excelſa & felicia, ſummæ deſpectionis plena ſint, & miſeriæ. O ſi hemiſtichij huius uerba literis aureis inſculpi animo illorum, qui nimium muliebriter mundi moleſtias tolerant: quid tolerant dico? intuentur potius, concederetur: PATIENTIA pauperum non peribit in finem.

DIVISIO.

EXurge Domine, non confortetur homo.

Iam Dauid, ſimulatq; uictorias per Dei miſericordiam partas commemo

C rauit in ſuperiori parte huius pſalmi, idq; totũ diuinæ retulit acceptũ prouidentiæ: orat modò, ut ea etiã ratione cuncto ſuo populo adeſſe uelit, ne improbi criſtas erigentes, ſupra modum inſoleſcant. Ait igitur: Exurge Domine, qui dormire uideris, cum non fers opem: ueni in auxilium noſtrũ. Non, quæſo, cõfortetur homo. Hæc dictio, Homo, cum neglectu eſt pronuncianda, & cum ſtomacho: quaſi diceret, homuncio futilis, uitroq; fragilior, ne inualeſcat, non præualeat, ubi tu es iudex ac fautor: uel, ut alia habet litera, non temerè agat. Videtur hic mihi uates breuibus quorundam leuitatem, naturamq; paululũ, quàm fas eſt, audaciorem, uoluiſſe exprimere. Hi enim aliquando cum cæteris omnibus ſint & doctrina & moribus inferiores, audent tamẽ ad omnia, quę tractanda ſunt, ſiue humana, ſiue diuina ſint, ſuum ingerere iudicium, ne dicã temeritatẽ. Sed quia id uitij genus immedicabile fermè uiſum eſt humanis rationibus, orat uates, ut à diuina manu reſcindatur, ne in futurum, quod ait Felix, corroboretur.

Iudicentur gentes in conſpectu tuo.

O terrificam imprecationem. Gens, inquit, ſcelerata hæc: hæc, inquam, quæ coram mundo uult, etiam cum manifeſtiſsima legis iniuria, pro lege ſtare uideri, ac iudicare: reprimatur, oro, abs te, arguaturq;, ac tandem eius cauſa in conſpectu tuo uentiletur, iudicetúrue, qui falli non potes.

Conſtitue Domine legislatorem ſuper eos, vt ſciant gentes quoniam homines ſunt.

Hoc eſt, da illis aliquem, qui ſuam illam arrogantiam reprimat. Vel, ut reddit Felix: Pone Domine iugum ipſis. Potentes ſe faciunt, ſed à Deo uel leuiſsima caſtigatione uiſitati, cernũt ſe nihil aliud eſſe, quàm homines. Diuus Hieronymus legit Terrorem, ubi nos legimus Latorẽ: quaſi uates Deum oret, ut tyrannis, tyrannorumq; ſatellitibus ac magiſtratibus, terrorem per ſigna & portenta immittat, ne tam immaniter in Chriſti pauperes deſæuiant: ſed cum cernũt ob horren-
D da illa prodigia eſſe certam quandam prouidentiã & uirtutem pluſquam humanam, cui omnia obtemperare, uelint nolint, oporteat, ab incœpto reſiliant, confitentes ſe eſſe homines, & nihil aliud præterea. Huic ſentẽtiæ noſter adhærens paraphraſtes, ſic reddit: Incute Domine terrorẽ illis, & oſtende gentes illas impias ſibi, ut ſentiant homines eſſe ſe miris modis miſerabiles: uel, ut alius habet interpres, Vt cognoſcant ſe eſſe quid mortale, caducum, ærumnoſum, nil poſtea. Qui enim de ſe ſic ſentit, quomodo in ſuæ naturæ conſortes tam crudelis erit? tam dirus, tam immanis, ut ipſos ueluti belluas quaſdam excruciet & interimat: ſe uerò ut Deũ haberi efflagitet? Verùm in re noſtra magnopere foret, ſi nunquã (poſtquam à nobis nil niſi arrogãtia, faſtus, tumor, ac cum ſuperbia iunctus neglectus ſperari poteſt) noſtris ceruicibus concuſſor aliquis, durusq; monitor deeſſet, ſiue tyrãnus is eſſet, ſiue lex aliqua iniqua, ſiue morbus ſæuior aliquis, ſiue aliqua alia extrema calamitas: ut uel hoc modò edocti admoneremur, nos homines eſſe, hoc eſt, miſeros, calamitoſos, bullã, umbrã, imò umbrę ſomnium. Hic interponitur ſelah. Quàm uerò aptè, ſciunt hi, qui ob continuam propriæ miſeriæ conſiderationem, ſeipſos, tanquam feras aliquas indomitas, & timent, & fugiunt.

PSALMVS X. SECVNDVM HEBRAEOS.

Vt quid Domine receſsiſti longè?

Querelis paſsim ſcatet hic pſalmus animæ, diuinæ prouidẽtiæ imperſcrutabiles receſſus inueſtigare conantis: ſed fruſtra. Quis enim profundiſsimũ iudiciorum Dei pelagus perſcrutari poteſt? Cur impij proſperantur, ait Eſaias? Quis, oro, tam in fide robuſtus eſt, qui ſecum reputans, uirum iuſtum nullo modo malum, quod queat auertere, laturum: Deum uerò iuſtiſsimum, atq; adeò ipſam iuſtitiam, cum omnia poſsit, tolerare bonos à ſceleratiſsimis quibuſq; opprimi, quaſiq; non uidere, quæ hic aguntur, non aliquando nutabundus exclamet: Vt quid Domine receſsiſti longè? hęc ſecũ. Solet profectò Deus afflictis atq; ęrumnoſis adeſſe: ſuperbos autem, & in aliorum iniurias promptos, deijcere. Quî fit igitur, ut tandiu ſinat bonos à malis diuexari? Abeſt certè procul, nec uidet, aut curat humana. Hæc ſecum expendens anima mœrore aliquo immenſo affecta,

A fecta, quemadmodum de his apud Deum patrem expoſtulare cogitur, ita non poteſt eum non rogare, atq; opem in tantis rerum difficultatibus nō implorare. Ait itaq; : Quare homines permittis temerè & caſu ferri, quò ſors iubet, nec ulla eorum cura tangeris? Num prorſus omnem de tuis expuiſti cogitationem? Metaphora nimirum hæc, ſumpta ab ijs uidetur, qui procul à ſuis poſiti, relictorum nulla tanguntur cura. Porrò anthropopathia eſt, qua, dum ſinit Deus perditos homines pro ſua libidine debacchari, ac bonos affligere, procul ſtare dicitur, receſsiſſe, auertiſſe ſe, dormire, & ſimilia alia pati.

Deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?

Felix: Vt quid occultaberis in tempore, in tribulatione? Videtur hic uates innuere uelle, ac uice miſerorum conqueri, Deum longè abeſſe: aut ſi adſit, oculos, tempore quo ipſi aduerſis agitantur, tegere, ne iniurias, quas ab improbis tolerant, uideat. Cæterùm opportunitates, quas hic nominat propheta, tempus ſcilicet ad ferendas afflictis ſuppetias idoneum, ipſe Deus nouit: nos enim ad tam alta iudicia perſcrutanda prorſus hebetes ſumus.

Dum ſuperbit impius, incenditur pauper.

Turgeſcit impius, ac ſuperbia inflatur, cum, nemine cōtradicente, imò omnibus applaudentibus & laudantibus, regnat: ſuaq; deſideria fauente, ut ſic dicā, uniuerſo, ut lubet, implet. Quę peſtis maior, quàm noſtris ineptiſsimis plauſibus improbos in improbitate ſtabilire? atq; id agere laudibus, quòd qui ſordidi ſunt, ſordeſcant magis? Interim uerò quòd exitialis hæc flamma in dies magis inualeſcit, incenditur pauper, affligitur, cruciatur, zeloq; fidei totus exæſtuat. Impoſsibile enim eſt, hominē diuini honoris ſtudioſum, abſq; extremis animi cruciatibus poſſe intueri, quę quotidie in rebuſpub. in urbibus, in priuatis ędibus, in tem
B plis, in ipſiſsimiſq; templorum penetralibus perpetrantur. Nullum ignis genus eſt, ne illius quidem, quem ex Phlegetonte ipſo ardenti deriuari aiunt, cum hoc comparandum. Alia litera ſic habet: Præ ſuperbia ſua inſectatur improbus afflictum. Vnde exclamat paraphraſtes: Sūma arrogantia impius perſequitur pium. Neq; hoc mirum ſanè, poſtquā ſuos in hoc mundo Deus iuſsit in crucis amplexibus debere emori. Verùm uide arrogantium exitum.

Comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant.

Hebræis eſt, cōprehendantur. Quæ extimeſcenda imprecatio uatis eſt, in ſpiritu cernentis, eos nullo modo poſſe reſipiſcere. Quid hoc iudicio calamitoſius? Quid tam horrendum, uel in ipſis inferorū ſedibus, unquam uiſum eſt, quàm impium hominem intueri mille nefandorum operum maculis conſpurcatum, nolle, propterea non poſſe, ad æquiorem mentem tranſire? Hinc enim fieri æquiſsimo Dei iudicio ſanctiſsimi aſſerunt uiri, quòd qui longo habitu in peccatis induruere, minimè queant, niſi maximo miraculo, in reſipiſcentiam uenire: ſed potius, ut alius reddit interpres, apprehendant beneplacita, quæ excogitauerunt. qua quidem re nil infelicius, aut dici, aut excogitari poteſt. Num id uerum eſt, peccatorē hominem inueniri, cui, quod malum corde concepit, exequi permittitur ac perficere? Hæc enim infœliciſsima eſt comprehenſio, qua irretitur is, qui ideo derelinquitur à Deo, quia ſponte ſua malus eſt: diuinæq; bonitati, quæ æquè omnes ad ſe prouocat, blandeq; inuitat, reluctās, haud aliunde, ſed à ſeipſo, atq; à uoluntarijs, propríjsq; conſilijs in præceps agitur. Eſt rurſus alia litera: Coadiuuantur, inquit, in conſilijs, quæ cogitant. Neq; hoc rarū inter nos. Nónne quotidie cernimus omnia ferè, quæ ad luxum, quæq; impia ad uota perditorū hominum faciunt, abundè, à quo fato neſcio, ſuppeditari? Quis iam ditior inter ciues? quis agris, honoribus, donis, facultatibus, liberis, tam potens? Hæc enim omnia impium hominem adiuuant ad maiorem ignorantiam tum Dei, tum ſui: quo ſanè morbo neſcio an ſit alius tam lethalis.

Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ.

Hic monet Eutymius, Quoniā ſeu Quia, dictiones apud Hebræos non ſemper

c cauſam reddere, ſed aliquando aduerbium eſſe confirmandi: interdum etiam, iuxta uſum idiomatis, ſuperfluas eſſe, ſed ſolummodo poſitas eſſe ornatus cauſa. Senſus igitur: Adeò enim prævaluit error ac uitium huiuſcemodi, ut non ſolum non inueniatur qui peccatorem à uia illa ſua nefanda auertat, ſed neq; deſint qui laudibus eum extollant palpentq;, in his præſertim quæ effrena illi libido ſuggerit, ac quæ infinita concupiſcentiarũ flamma proponit. Verùm longè alium ſenſum eſſe oſtendit Hebræa litera, quæ ſic habet: Nam laudat impius de deſiderio animæ ſuæ. Cuius ſenſum ita reddit paraphraſtes: Placet enim impius ipſe ſibi, & facit quicquid illi petulantia animi ſuggerit. Neq; hoc ſatis: ſiquidem, ut alius inquit interpres, improbus laudat ſuos cõplices, ob ea quæ ipſe ſpurciſsimis deſiderijs affectat animo: eadem enim & ipſi ſectantur. Chaldæus uerò ſic: Quare iactatur impius ſuper concupiſcentia animæ ſuæ? Vide quantum uarient interdum interpretationes, ac æquè deſudent interpretes, in his maximè quæ ex amphibola breuitate fiunt mutila.

Et iniquus benedicitur.

Felix: Et iniquus benedicit blaſphemanti Dominũ. Quid hac impietate grauius? quid ſceleſtius? Ad tam enim olidam rerum fæcem peruentum eſt, ut non deſint, ut ait paraphraſtes, qui adulent iniquo tam manifeſtè blaſphemo in Dominum? Mens igitur prophetæ eſt, improbos ac ſceleroſos illos in hoc uerſu deſcribere, qui & ſeipſos & alios peruerſitatis nomine, cum aperta Dei contumelia ac blaſphemia laudare ſoliti ſunt. Nedum quidem hoc, ſed ab alijs etiam complurimis laudantur, ac, ſi Deo placet, ad cœlum uſque extolluntur: adeò præpoſterè uiuit, uel ea ſanè uita, quæ iam omni facinoroſæ audaciæ obnoxia ſit. Quid iam, oro, adoleſcentes natura ſimplices ad temerarios illos alieni thori congreſſus, ad furta, ad homicidia coniecit, niſi genus iſtuc nefandorum hominum, qui
D cum bona ſua omnia in ganeis decoxerint, interq; aleatores ac paraſitos conſenuerint, corruptores tandem puerorũ efficiuntur, & illorum maximè qui facultatis patriæ profuſiores uidentur? Sed quemadmodum hi inter ciues, cum nonnullis alijs uitiorum monſtris tolerantur, ut ſunt uſuræ, arteſq; meretriciæ, ludi illiberales, & ſimilia: ita nullo modo in rerum ſacrarum adminiſtratione ferri debent, ne, quod aiunt, ad ingenium lupus. Malus enim ſuarum rerum cuſtos, bonus haudquaquam aliorum eſſe poterit.

Exacerbauit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret.

Faſtum hic minimè tolerandum, atque arrogantiam illorum, quos ſuprà peccatores & iniquos appellauit, uult uates oſtendere. Irritãt igitur illi Dominum, inq; ſuum exitium prouocant, coguntq;, ut ſic dicam, ſua illa in malis pertinacia. Qui enim eius generis maculis conſperſus eſt, raro ad ſynceriorem uitæ ſtatum ſe transfert, ſed potius ſecundum multitudinẽ iræ ſuæ non quæret. uel, ut diuus interpretatur Hieronymus, ſecundum altitudinem furoris ſui non requiret. cuius is ſenſus erit: Secundum quod profunditas iræ ſuæ atque ſuperbiæ eum extimulat, non curabit de Deo: conſilia tantum propria requiret, ſequeturq;, non Dei. Ideo ſubiungit uates: Non eſt Deus in conſpectu eius. Vide quò nos trahit mens improba, corq; ad iniquitatem uegetum. Verùm ſi uellet quis uerbum è uerbo reddere, ſic eſſet uertendum: Improbus præſublimitate naſi ſui non requiret: ut naſum ſublimem ferre, ſuperbiæ indicium eſſe non ignores. Hi quidem nunquam requirunt, id eſt, nil penſi habent, neminem metuunt: nunquam inquirunt, liceat necne, quod agunt, an deceat, an ſit utile, an honeſtum, aut minus: ſed in omnibus ſuo arbitrio, libidine, ac ferarum more, impetu feruntur. Ex qua quidem impudentia illud emanat, quòd

Non eſt Deus in conſpectu eius.

Vel, ut diuus legit Hieronymus, Non Deus in omnibus cogitationibus ſuis. hoc eſt, id ſunt omnes eius cogitationes, id caput omnium illi eſt conſiliorum, quòd non ſit Deus. Parum aliter Felix: Non eſt Deus omnes cogitationes eius.

id eſt,

A id eſt, quicquid cogitat, non eſt Deus: ſed gloria, ſed ambitio, ſed faſtus, ſed ficta religio, pecunia, furor, ira, ſcortatio: ſibi enim perſuadere nititur, quòd qui hæc puniat, nō ſit Deus. Atque hoc eſt quod alio in pſalmo dicit, Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Qua quidem perſuaſione qui infecti ſunt, nihil non turpitudinis moliri audent. Quare,

Inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.

Adeò, inquit, indies magis corrumpitur eius uita, ut nunquam ſperes meliora. Iam prorſus de illo cōclamatum eſt. Secus Hebr. Idcirco Felix ſic: Proſperantur uiæ eius in omni tempore. Nullum certè aliud tam terrificū poteſt eſſe iudicium, quam cum Deus ſinit res impijs ad uota ſuccedere. Atq; hinc illud eſſe arbitror, quod Dominus ait: Miſereamur impio, ne diſcat facere iuſtitiam. Talem equidem, ô Domine, nollem miſericordiam. Senſus ergo: Quicquid enim inſtituit uir improbus, proſperè ei ſuccedit. Cupit ille quicquid libuerit, nec difficile potitur cupitis: ita ut iudicium ſententiaue Dei ab eo prorſus ſemota uideatur, cum ſecundū eius merita nō iudicat. Vnde alia eſt litera ex Hebræo, hoc modo: Iudicia tua, ô excelſe, ab illo ſublata ſunt. quod noſter interpres ſic reddit:

Auferuntur iudicia tua à facie eius, omnium inimicorum ſuorum dominabitur.

Aliquāto lucidius habet Hebræus: Altè à cōſpectu illius iudicia tua. hoc eſt, ardua illi tua erunt iudicia, quæ minimè apprehendere poterit. Ille enim modis omnibus, omniq; hora ac loco nocere dat operam: quid uerò de ſe ſtatuas, ignorat prorſus. Quare turgidior factus, atq; efferatior, confidit ſe, uel ſolo flatu ſuos poſſe ſternere aduerſarios. Idcirco Hebræis eſt: Omnes inimicos ſuos flatu proſternet. Queritur uates, & ego quidem cum ipſo, tantum potentiæ ac ſucceſſus, dari improbis, ut uel ſolo ſpiritu, ſi tantùm moti grandius ſpirare cœperint, obuios quoſq; ſibi hoſtes ſternere ſeſe poſſe putēt. Solent enim qui eiuſmodi ſunt,
B dum eis omnia pro animi ſententia eueniunt, ſortis ſuæ miſerrimæ, ac conditionis oblíti, mirum in modum tumere, & immane, neſcio quod ſpirare, præſertim cum ira conciti, & ſuperos & inferos in aciem prouocant. Hinc; illa tantæ ſecuritatis perſuaſio originem habet, de qua uates in ſequenti uerſu ſic:

Dixit enim in corde ſuo, non mouebor à generatione in generationem, ſine malo.

Hoc eſt quod dicere uult: Cogitauit firmauitq; id apud ſe: ſic credidit, neque aliud ſibi perſuaderi uoluit. Non mouebor: uel, ut legit Felix, Non elabor à generatione & generatione: hoc eſt, per multa ſecula non nutabo, nihilq; accidet incommodi, eò quòd nihil infortunij experior. Sine malo. præciſa locutio, ſed tumoris plena: addendum eſt, uiuam, ſeu, ero: ut dicas, ſine malo uiuam, aut ero. Ad tantam' ne mentis inſaniam deuenire poteſt homo aliquis, ut hæc dicat? Scilicet par eſt, ut quæ Deo tantūmodo conueniunt, ſibi arroget. Perſuaſum 'ne habet Adæ filius longiſsimo ſe uicturū tempore, in uita hac tam labili, nec incommodi quicquam accepturum? ſemper felix ero? ſine malo uiuam? Quid, quæſo, id aliud eſſe ducimus, quàm quòd olim ſtultiſsimus ille angelus dixit? Similis, ait, ero altiſsimi. Quid illud rurſum, quo perſuaſi primi parentes, comederunt uuam illam acerbam, per cuius guſtū, quicquid iam uiuunt poſteri, totum etiamnum coaceſcit? Eritis, ait ſerpens, ſicut dij.

Cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine & dolo: ſub lingua eius labor & dolor.

Deſcripta ſuperius improborū felicitate (ut eos tam digno honeſtem uocabulo) tranſit propheta ad uias illorū nocendi, opprimendiq; innocuos, manifeſtandas, & dicit, quòd omnia quæ loquitur uir improbus, execrabilia ſunt, & digna odio, cum omnibus maledicat, obtrectet, ſpernat omnes ac uituperet. Sed hic occultioris neſcio quid intelligentiæ uidetur innuere litera, quæ eſt Hebræis: Improbus, aiunt, implet os ſuum periurio. nec ab re aſſerunt uerbum, Implet, poſitum, cum is mos & conſuetudo illis ſit, qui Deo & hominibus infenſi ſunt, quòd non tantum deierare contenti ſunt, niſi pleno ore, multaq; obteſtatione præ ſe ferant ſeſe ex animo, & uerè deierare. Simulachrū hoc impietatis, forenſib, in con-

C tentionibus clarius, q̃ alio in loco cerni poteſt. Porrò pro maledictione, quicquid uulgò docetur, quod aut hæreſim ſapiat, aut turpem uitam, intelligunt quidam: quemadmodũ paſtoris benedictionem, doctrinæ ac uitæ ſanctitatem prætendere arbitrant̃: alioqui ubi in paſtore ſcientia & ſanctitas locum non habent, cur eum paſtorem uerius dicam, quàm opilionem, nõ uideo. Quòd ſi tamen horum alterutrũ, quæ noſtra eſt debilitas, tantũmodo eſt expetendum, malo ſanctitatem uitæ. Sat enim doctus eſt, qui ſanctus eſt. Amaritudine, hoc eſt, ut ait Euthymius, iracundia: cum non niſi ſumma exagitatus iracundia loqui poteſt. Hebræi habent, fraude: quod quidem bene conuenit cum dolo: quanq̃ pro dolo, alia litera habeat, auaritia. V trunq̃ enim perditorũ hominum conſuetudini beliſsimè quadrat, qui omnia & ſupera & infera arrogantiſsimè confundere ſoliti ſunt. Sed de auaritia poſtea. Sub lingua eius labor & dolor. Num tibi uidetur hic uates dicere, ac eiuſmodi uerborum cõgerie atteſtari, illius generis homines, cunctas ſuas actiones, atq̃ intimos animi motus omnes, mendaciis, dolis, fallaciis, periuriisq̃ cõmiſcere? Quid laborem, doloremq̃ continuũ in tam malè affectis pectoribus memorem, cum iniquus nihil non moleſtũ, & quod prius in ſe, in aliis poſtea, laborem dolorémue pariat, loqui poſsit? Hebræi habent: Sub lingua eius moleſtia & prauitas, ſeu iniuria: nam quicquid lingua eius profert, iniuria eſt, ac prauitas. Verùm poſtquam linguæ tam præſentaneũ uirus per ſe admodum exitiale eſt, ut meritò ſerpentib. illis cõparari queat, qui in ſiticuloſis Aphricæ littoribus enutriunt̃, quiq̃, ut ſcribit Plinius, ſolo ſibilo cæteros ſerpentes fugant, frutices nec contactos necant, afflatos uerò exurunt: tamen adhuc illi animum ad execrabiliora, ac magis deteſtanda promouent. Nam,

Sedet in inſidijs cum diuitibus, in occultis, vt interficiat innocentem.

D Ecce aliud peruerſi cordis indicium. Iniquorum enim uitam comparat propheta, tum leoni in ſpecu aliquo latitanti, prædamq̃ expectanti: tum latroni qui in deſertis locis, aut ſaltibus uitam degens, clàm habitat, ſileq̃, ut prætereuntes adoriatur. Verùm cum diuitum fiat mentio, ſeu, ut eſt in Hebr. Sedet inſidiãs in atriis: uidetur aliud genus latronum ab illo, quod clàm degit in nemoroſis locis, exprimere uoluiſſe: eorum ſcilicet qui in ipſis aulis, atriisq̃ principalibus reipublicæ populos deprædantur. Et ſic erit ſenſus: Cum alij in deſertis ac ſolitudinibus inſidientur, latrocinẽtúrue: hi domi, ac in urbibus: illi hoſpites, iſti ciues expoliant. Ab illis interdum pietatem aliquam prodijſſe, & uidimus, & experti ſumus: ab iſtis, ne umbram quidem, adeò ſuorum ciuiũ ſanguinem, peculium, fortunas, uitam tandem expetunt. Ad hæc, quis crudelior unquam uiſus eſt, aut latro, aut prædo, aut pirata quoq̃, quàm is qui uſuris, nefandiſsimisq̃ uerſuris ac depeculationibus integras reſpublicas exhaurit? Quid putas aliud ſibi uoluiſſe Hieremiam, cum ait? A' minimo uſq̃ ad maiorẽ omnes auaritiæ ſtudent. A' propheta uſq̃ ad ſacerdotẽ cuncti faciunt dolum. Hi ſunt igitur qui ſedent inſidiantes in atriis, in aulis, in ipſis intimis uiſceribus ciuitatũ (ne dicam modò de illis, qui quaſcunq̃ uoluerint res undiq̃ uenãtur, atq̃ emunt, ut poſtea quanto libuerit precio diſtrahant) ut interficiant innocentem, æriq̃ alieno obſtrictum, atque eum quidem, cuius nullo ſuo uitio, res alius decoxit.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt.

Aſsiduam perpetuamq̃ inſidiatoris narrat attentionem uates: qui cum pertranſeuntem aliquem uiderit, ſumma diligentia, uel irreuerberatis oculis obſeruat, quomodo eum comprehendat: ſumpta nimirum ſimilitudine à latronibus, haud multum hiſce à noſtris domeſticis diſsimilibus, qui totis in hoc uiribus incumbunt, quomodo miſerorum calamitatibus res ſuas accumulent. Et quod hic legimus, pauperem, nomen magis miſerabile exprimunt Hebræi. Eadem enim dictio, oppreſſum, uiribus exutum, confractúmue ſignificat: ut ferè ſemper eos appellat uates, qui obteri ſolent, bonisq̃ omnib. denudari ab impijs: eo depingere intendens, quales ab illorum rapacitate reddantur, haud quales fuerint

anteaquam

A anteaquam illis facti eſſent obnoxij, alioqui quomodo iam cõfractis, ac ad ſummam inopiam redactis inſidiarentur?

Inſidiatur quaſi leo in ſpelunca ſua.

Quis hic non miretur tantam uatis in translationibus copiam? Animus eius eſt, ut oſtendat his ſimilitudinem tropis, quàm ardenter flagrent peruerſi, nefarijſq; homines, atque adeò ipſi ſpiritus nequam, innocẽtes uel uſque in cinerem redigere. Ait enim, illos plus quàm leones callere inſidiandi artes, plus quàm latrones, plus quàm aucupes. Nam quemadmodum leo in antro delitescens ſpeculatur, ſi quod ex minutiori grege animal incautum, nihilq; inſidiarum aduertens pertrãſeat: ita improbi, ita dæmones, incautas animas, ſi ex ijs forſan è mandra aberret aliqua, contemplantur.

Inſidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.

Perſtat propheta in metaphora leonis, & ſic ordinanda eſt litera: Ipſe inſidiatur rapere pauperẽ, ut rapiat pauperem. hoc eſt, inſidiatur ut rapiat, quia pauper eſt, quia fidelis, quia Dei amicus, quem ipſe infelix odio habet. Sed cur rapit? ut attrahat eum, hoc eſt, ut eum deglubat, ac diſcerpat. Iam illud non omittendum, quô uates pathos mouere intendit, cum dicit, ſecundũ ueriorem literam, Inſidiatur ut rapiat pauperẽ, ut rapiat pauperem: quas duas clauſulas non ſine ſingultu autoris prolatas fuiſſe exiſtimo. & eſt ſenſus, Illum, illum, quem à calamitatibus par fuerat eximi, inſectatur, & miſeriam miſeriæ accumulat. Neq; illud quoq; ſilendum, quòd Hebræi, Attrahit eum, cõnectunt cum ſequẽtis uerſus principio: ut ſit ſenſus, Attrahit eum ut dilaniet: dilaniabit enim abſq; ulla cõmiſeratione, quicunq; in illius rete aut laqueum inciderit. Litera enim Hebræis hæc eſt: Inſidiatur ut corripiat afflictum. Corripit afflictũ, cum trahet eum in rete ſuum. Qui
B ſenſus, quia uiſus eſt uerus, mihi admodũ arriſit, nec alium quærendum eſſe cenſui. Tamen ne noſter interpres ſuo etiam ipſe defraudetur, interim dicendum,

In laqueo ſuo humiliabit eum.

Id eſt, dolo & calliditate, qui nefandorum hominum laquei ſunt, illaqueabit eum, ac ad terram deijciet, proſternetq; & occidet. Inclinabit ſe, & cadet, ad pauperem referunt. & eſt ſenſus, quòd pauper inclinabit ſe, hoc eſt, ob atrocitatem afflictionũ, ad terram incuruabitur, & cadet tandem, cum dominatus fuerit pauperum, cum ſcilicet impius manus ſacrilegas exerexerit ſuper innocuos. Et hæc ſecundum literam noſtri interpretis. Verùm, quoniã, ut dixi, huius uerſus principium, ſcilicet, In laqueo ſuo, connexum eſt Hebræis fini præcedentis: & ille ſenſus uiſus eſt, quem ſequi debeam, ab hoc non declinare animus eſt, tum ob multa, tum uel maximè, quòd uates in ſimilitudine à leone in inſidijs latitãte mutuata perſeuerat. Sic enim Hebræi: Cõprimit ſe leo, deijcit, & cadit uiribus eius cœtus confractorũ. Ferè idem Felix: Subſidebit, inquit, humiliabit, & cadet in fortitudine eius exercitus contritorũ. Quæ metaphora, ut idem ſæpe repetam, eſt à leone ſubſidente, & inclinante ſe in ſpelunca, ut incauta animãtia capiat, deſumpta. Quemadmodũ enim ille comprimit ſeſe, & incuruat, & deijcit, ut eo fortius in prædam inſiliat: ita miſerorum oppreſſores, ita hæretici, ita adulatores ſeſe, uafri homines interdũ demittunt, & ſe cum deiectis deijciunt, cum flentibus flent, quo cõmodius hiſce doloſis artibus ineſcatos opprimant, & cõminuant. Sic uides, quomodo ex peruerſorũ hominum, nec minus dæmonum uafra ac doloſa deiectione, cadat exercitus contritorũ. Eo enim iam robore ſunt, ut innoxiorum facile multitudinem, quam exercitũ uocat ob aſsiduam cum hoſtibus conflictationem, proſternere queant. Sed unde hoc, quæſo?

Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus.

Si quis auet rationẽ intelligere, cauſámue non ignorare, quam ob rem improbi, omni humanitate exuti, tanta cum ſæuitia miſeros ciues inſectentur, decipiant, irretiant, fraudent, diſpolient, extinguãt, ut in huiuſmodi nocendi ſtudio, atq; arte, rapacitatem latronum, leonum truculentiã, ac dolos aucupum ſuperent: eam

C esse dicit propheta, quòd dicunt in corde suo, hoc est, secum cogitãt, definiuntq́ꝫ, non esse Deum, qui rerum præsentium curam habeat. Auertit faciem suam, inquiunt, ne unquam ista, quæ hic fiunt, uideat. Nõ curat quæ hic agunt homines. Excidit illi prorsus de humanis actibus memoria. Hinc enim aptè admodum, ut cætera paraphrastes: Persuasit, inquit, sibi Deũ negligere hæc, & auertere faciem suam ab his, nec habiturum unquam rationem horum. Quare his tam inhumanis, tamúe diris, nec omnino tolerandis actionibus consideratis,

Exurgę Dominę Deus, & exaltetur manus tua, nę obliuiscaris pauperum.

Iam uates cõnumeratis pauperum Dei calamitatibus, transit ad sanctarũ animarum preces ac gemitus, quibus Deũ ipsum, quò tandem ad suos respiciat, sumatq́ꝫ pœnas de improbis illis, qui feritate ac sæuitia, uel cũ ipsis Hircanis tigribus contendere possent, orare soliti sunt. Et primũ, ut Dei potentia, quæ iacere dicitur dum non succurrit, sese exerat demum, rogat: nec tamdiu suos sinat cultores ita inhumaniter à malorũ petulantia tractari. Exurge Domine Deus. Satis iam superius de his familiaribus tropis prophetæ est dictũ. Ad sensum igitur: Expergiscere Domine ad ultionem. Exaltetur manus tua, hoc est, leua in altum, percussurus ualidius, manũ tuam. Metaphora quippe hæc inde sumpta uidetur, quòd hi qui aliquem paulùm atrociter percutere intendunt, dexteram, quantũ in sublime possunt, leuant. Ne obliuiscaris pauperum. hoc est, ne neglige tuos omni humano auxilio destitutos: his fer opem, ne quando à maledicis dici cõtingat, te facile illorum obliuisci, quos tibi cordi esse in primis oportuit.

Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in cordę suo, non requiret.

Est perinde, atq́ꝫ si dicat: Qua bonitate, quáue patientia, impium ferre potes tam manifestè blasphemum, ut audeat dicere non esse Deum? nõ esse prouiden-
D tiam in cœlis ullam, quæ sit ista curatura? Hebræis autẽ sic est litera: Cur lacessit improbus maledicto Deũ? dicit in corde suo, non requires. Atqui uel ex hoc unico uersu perpendi potest, sanctos Dei uiros, non sui causa, sed gloriæ diuinæ gratia, uindictam efflagitare: proinde summam hic animi indignationem, ob læsam Dei gloriam, in sanctis uidere est. Primum enim hoc indicat interrogatio, Cur lacessit impius Deum? Deinde personæ mutatio, postremùm oratio mutila, Non requires. hoc est, apud se cogitat impius, quòd tu Deus nõ requires, neq́ꝫ ultionem sumes. Vides quomodo Dei bonitate ac patientia abutuntur nonnulli? Mira nimirum impietas, diuinam indulgentiam, patientiamq́ꝫ, ab improbis stupiditatem reputari.

Vides quoniam tu laborem & dolorem consideras, vt tradas eos in manus tuas.

Sensus est: Oblatrat enim peruersus ille maledicus, te non inquisiturũ de suis actionibus: at secus experietur infelix. Vides siquidem tu, & laborẽ, doloremq́ꝫ hominum omnium iniuria affectorum cõspicis: iramq́ꝫ, & furorem illorum, qui iniurias inferũt, optimè cõsideras, & subtiliter (sic ait Eutymius) magno cum examine discernis, ut in futurum eos pœnis tradas. Hæc sanctus monachus. Tradi uerò in manus Domini, est ab eius iudicio puniri, req́ꝫ ipsa experiri, quòd Deus non sinit in perpetuũ, licet ad tempus dissimulare uideatur, malos in bonos desæuire. Similitudo nimirum ab operantibus accepta, qui tum opus exequi dicuntur, cum illud in manus accipiũt. Sic Iurisconsulti, sic aduocati, sic procuratores, sic cæteri causarum disquisitores, pupillorũ ac uiduarum, illarum maximè, quæ ueræ uiduæ sunt, ut ait Paulus, causas in manu habere dicuntur, cum eas à luporum ingluuie, ut tenentur, uendicant.

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.

Pauper, orphanus, pupillus, uidua, in scripturis pro quocũq́ꝫ ab omnibus destituto, & qui omnibus omnium iniurijs facile obnoxius est, accipi solet. Et quia Deus his potissimum, qui ab hominibus prorsus deseruntur, citius consulere, opemq́ꝫ illis ferre consueuit, scriptura propè adagij loco, eum iudicem esse uiduarum, pauperum orphanorumq́ꝫ, omnium scilicet afflictorum, iactitat. Horum igi

tur

A tur cauſa, ait, tibi eſt derelicta. uel, ut legit Hebræus: Super te relinquet oppreſſus. hoc eſt, cauſam ſuam tibi committet oppreſſus. nam pupillorum ſemper, quę tua eſt bonitas, curam habere es ſolitus. Malè enim ſe haberent res noſtræ, hoc eſt, mortalium, ſi tyranni, ac cætera huius generis monſtra, impunè, & pro libidine in miſeros ciues graſſarentur: ipſi uerò omni humano auxilio denudati, nec Deo quidem eſſent curæ. Nolite timere, ait Moſes ad populũ: ſtate, & uidete magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie. Aegyptios enim quos nunc uidetis, nequaquã ultra uidebitis uſq; in ſempiternum. Quàm uellem animo libero, atq; humano, huiuſmodi tractarent comminationes, mundi principes, atq; animarum antiſtites, & rectores. Quod ſi tamen faſtus aliquis, aut arrogantia à mundo illis conceditur: quid monſtri id eſt, in Dei eccleſia, in templis, in ipſis quoque ſacrarum ſepium cellulis & antris, mortuorum ſcilicet domicilijs, inueniri ſuperbiam, & dominandi ambitionem? Cuperem equidem, ſic me Deus amet, cum meo Paulo, anathema fieri à Chriſto, modò ſanctiſsimum eius nomen & gloria, paſsim ab omnibus magis, quàm propria celebritas, quàm magiſtratus, quàm mundus iſte concupiſcentiarum omnium irrationabilium nutritor, amaretur. Felix profectò religio Chriſtiana, Felix princeps, Felix ciuis, ſi ea ſibi ratio ne uiuendum in terris arbitrarentur, ut bona ſua omnia in cœlis eſſe iudicarent & crederent: Chriſtusq; ardentius coleretur, quàm æs, aut rerum mundanarum poſſeſsio, & ſcortum, & ſi quid turpius eſt.

Contere brachium peccatoris, & maligni, quæretur peccatum illius, & non inuenietur.

Confringe, inquit, potentiã improbi, in qua tam arroganter cõfidit. Non nos moueat ad diſtinctiones inter peccatorẽ & malignum, nominum uarietas: abſurdæ plerunq; ſunt, & parum ad inſtitutũ facientes. Logice enim tractandarũ ſcri-
B pturarum ſpiritualis eſt, ac quieta: nõ illa contentionum pleniſsima, quæ cum nimium audax ſit, ac in partiẽdis omnibus importuna, plerunq; nos in ſuis illis bellacibus diuiſionibus, adeò diuidit & confundit, ut ignoremus quẽ maximè ſenſum in ſcripturis ſequi debeamus. Hic enim cupit, oratq; uates, illorum, qui iam ad omnis generis flagitiorum culmen peruenerunt, brachium, potentiã ſcilicet atq; imperium conteri. Quæretur peccatum illius, abs te uidelicet. Quod melius expreſsit Felix: Inquires, inquit. Et eſt ſenſus: Poſtq; cœperis illius improbitatẽ per iudicium inquirere & inueſtigare, qui interim dicit in corde ſuo, quòd nõ requires: poſtquã, inquam, cœperis inſtituere quæſtionẽ, eiusq; mala denudare ac iudicare, ſtatim iniquitas eius quæ alijs noceat, nõ erit, deſinet, euaneſcit. Vel, non inuenietur qui malè agat, iudicio tuo æquiſsimo perterritus. Cęterùm, quomodo non etiam iuſtiſsimus quiſq; ſtatim à lite ceſſabit, cauſæq; cedet, ſi in iudicio cum Deo illum intrare contingat, quando coram ipſo, ne aſtra quidem ipſa munda ſunt? atq; olim in beatis angelis prauitas inuenta eſt? Multo magis igitur cum malorum operationes excuti cœperint, euaneſcent omnino, terga dabunt, proijcienturq; tanquam quiſquiliæ leuiſsimæ à facie uenti.

Dominus regnabit in æternum, & in ſeculum ſeculi: peribitis gentes de terra illius.

More ſuo uates de conceſſa diuinitus ope gratulationem celebrat. Certè ſuos Deus deſerere non poteſt. Ideo in omnibus fermè pſalmis, in quib. pro liberatione à malis oratur, ſubiuncta eſt ſimul & gratiarum actio pro iam percepta. Ita in hoc pſalmo, poſt ardentiſsimam contra miſerorum oppreſſores imprecationem, tanquã exorato iam Domino, impetrataq; in illos ultione, gloriari ſanctos, hoſtibusq; inſultare facit, hoc modo: Dominus regnabit in æternum, & in ſeculũ ſeculi: peribitis gentes de terra illius. hoc eſt, negabãt illi Deum curam rerum humanarum habere: ridebantq; eos, qui Deum rerum omnium prouidentiã habere, cunctáue exactiſsimè dijudicare ac regere, aſſeuerabãt. At ſecus, ſuo maximo malo, experti ſunt: eum ſcilicet ſempiternum omnium regem, potentiſsimumq; iudicem eſſe. Vos gentes impuræ & exleges, eradicabimini inpræſentiarum de hoc mundo, qui illius eſt, non ueſter: poſtea uerò de terra illa uiuentiũ, cuius Do

C minus rex ipſe eſt æternus, ſumma cum ignominia arcebimini. Hoc idē poſt patrem cōminatus eſt Solomon, in ſuis Prouerbijs dicēs: Impij de terra perdentur.

Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus.

Cauſam reddit uates quamobrē Dominus iudicio in ſceleſtos homines ſeueriſsimo uſus ſit, atq; utatur continuò, ut de terra illius funditus extirpentur, quæ eſt maxima omnium pœnarum. Non quis mihi modò teterrimos inferorū ignes, aut ſulphureos halitus, cruciatúsue cæteros animarū, miſerorum in imo Phlegetontis lacu iacentium memoret: ſecludi enim à felicisſimo Dei aſpectu in æternum, ea eſt pœnarum omnium acerbiſsima. Deſiderium, ait, pauperū exaudiuit Dominus. Quid putas quantum commoueant pij patris animū, gemitus illi afflictorum? ſuſpiria? ſingultúsue ab imis cordis radicibus euulſi? quid lachrymæ illæ? quid planctus? quid eiulatus uiduarū, orphanorumq;, & omnium illorum, qui ob continuas minas, oppreſsiones, depopulationes, cædes, cōfiſcationesq; (quod aiunt) bonorum, querelis magis ac lamentis uitam miſeram ſuſtentant, quàm pane, aut alio cibo ſimili? Hæc nempe ſunt deſideria, quæ à Domino exaudiri clamat uates. Porrò quid cenſes aliud expeti poſſe à uiro illo, cuius corpuſculum in terris utcunq; uictitat, cor autē eius in cœlo fixum ac uegetum, ardet totum cum Deo unitum, atq; per amorē & cognitionem in ipſum prorſus transformatum, niſi ut in terra, quemadmodum in cœlo, fiat Dei uoluntas? ut eius ſanctificetur nomen? utq; illius tandem adueniat regnum? hoc eſt, ut blaſphemi, ut maledici, ut diſſeminatores diſsidiorum, ut impuri, ut rapaces, ut ſimulatores, elati, ambitioſi, tyranni demum de terra extirpentur, quò pax, quò iuſtitia, quò tranquillitas, quò charitas tum in Deum, tum in homines, ob illorum ſcelera fugatæ, redeant, in ipſaq; locum habeant, & nobiſcum habitent?

D *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.*

Non mirū ſanè eſſe debet, ſi Dominus aures illas ſuas pientiſsimas, ad cor noſtrum prę̄paratum ad exorandum aliquid, quod eius ſit uoluntatis, porrigit, cum ipſius præparationis ille autor ſit, ac dator. Quare ſic reddunt Hebræi: Diriges cor eorum, auſcultabit auris tua. Nam quid oremus ſicut oportet, ipſi neſcimus, ut ait Paulus: multo minus quomodo, aut quo exordio rem tātam inceptemus. Sed ipſe Chriſtus adiuuat infirmitatem noſtram, ac poſtulat pro nobis. Vides igitur, uelle præparari, nedum quidem præparationem ad orandū, donum Dei eſſe, modo altiſsimis illis primis ab Deo oblatis inſpirationibus nō reluctemur. Porrigit enim Deus, atq; offert homini ſua dona: non cogit tamen, ut illa admittat: quanquam aſſenſus illi etiam, & uoluntas, & ipſa quoq; poteſtas ad amplectendum bona, non ſecus donum Dei ſint, quàm illud eſt, quo aſsiduis cœlitus admonemur afflatibus, ueluti à ſolis radijs, ne lucem oblatā aſpernemur. Verùm & illud interim fatendū (ne quæ donorum omniū ſit uis ignoremus) arbitrium quoq; noſtrum inter diuina dona in primo rerum exordio homini data, cōnumerandum: quo, tanquam oculo, ut nonnulli aſſerere uidentur è nobis effoſſo, id ferè fit, quod diuus ſcribit Dionyſius, ac ſi quis, ſole ſuos radios ſanis largiente oculis, ſibi oculos eruens, ſolaris luminis particeps fieri poſtulet. Paraphraſtes enim ſic hunc uerſum reddit: Deſideria piorum audiuiſti Domine, gubernabis corda ipſorum, præparabis aures tuas precibus eorum.

Iudicare pupillo & humili, Vt non apponat Vltra magnificare ſe homo ſuper terram.

Felix ſic: Vt iudices orphanū, & pauperem. ac ſi dicat, Auſcultauit auris tua, de quibus te interpellant miſeri, ac eorum deſideria & uota exaudiſti, ad hoc ſanè, ut iudices illorū cauſam, qui humano prorſus deſtituti ſunt patrocinio, ne ultra homo adijciat adeò inſoleſcere ſuper terrā. Vt quid enim ob uires, aut uirtutes aliquas tibi diuinitus conceſſas, aut potentiam & dignitatem plerunq; in immerito collocatā, homo è terra prognate intumeſcis? Dominus enim eſt qui humilium cauſam tutatur. Tu interim homo bulla, tua ſorte mortali teipſum metire. Notat Felix in hoc loco henos poni, ubi nos hominem legimus, quæ dictio hominem planè abiectum, & uilem ſignificat: quare melius putat hoc modo legendum,

A dum, Ne pergat conterere, homo ex terra, id eſt, homo abiectus & uilis, qui ex terra eſt, terrenaq; meditatur, cæteros ex terra. Vel, ut ipſe quoque interpretatur: Ne addat amplius ut opprimat homo ex terra. id eſt, homo impius, terrenusq;, ne pergat conterere iuſtos. Quocirca ſic reddit paraphraſtes: Vindica pupillum & humilem, ne mortalis homo poſthac uim audeat inferre.

PSALMVS DAVID IN FINEM, XI.

IN Domino confido.

Pſalmus eſt, mortales omnes, modò uelint, in Chriſtum, qui finis eſt noſter, perfectaq; uirtutum omnium conſummatio, dirigens. Olim enim Dauid à facie regis Saul profugus, nullis in locis, ob exploratorũ uigilantiam, tutus conſidere diutius poterat. Quacunq; enim in ſede latuiſſet, aut quocunq; proficiſceretur, illi non longo interuallo ſequentes, eum tandem coegerunt, ut relicto regno Iſraelis, ad Philiſtęos trãsfugeret, hoc eſt, ad idololatras. Vide quid agat interdum perſecutionum acerbitas. Illos igitur tam paſsim ſibi infenſos exprobat uates, conqueriturq;, cur uirum eum, qui ſemper in Domino fuerit confiſus, adeò moleſtè infectarentur, ut ne in deſertis quidem locis ſeſe oc cultandi daretur facultas: imò de latebra in latebram, de monte in montem oberrare, tanquam auiculã timidam, cui nuſquam nidos ſtruere concedatur, impellerent. Vmbra prorſus hæc omnia ſunt eorum, quę nunc accidunt. Sunt ſanè undiq; circa nos moleſtiſsimi hoſtes, qui nõ ſinunt animam, quoquouerſum ſe uertat, tutam eſſe. Modò enim importuniſsimas ingerunt cogitationes, arduam eſſe uiam uirtutum, nos uerò debiles: quocirca nos fruſtra conari. Modò etiam, quid ſtulti molimini? Si prædeſtinati non eſtis, quô ueſter is durus tendit labor? Rurſus etiã perſuadere nituntur, uitã illã, quæ in pietatis exercitio deſudat, miſeram
B eſſe, & ærumnoſam: contrà autem, mundanarũ rerum cupidos ac ſectatores, bonorum omnium lautitia abundare. Quare cum tam periculoſè ſeſe nobis inſinuare nitantur ſuggeſtiones, ne cedamus tam malo ſuaſori, à patribus admonemur. Offert enim dulcia dæmon unus, alius aſpera & amara: caro prouocat, trahunt ſenſus, illectat mundus, perterrefacit lex. Tu ne cede malis, ſed tota fiducia tua ſit in Domino: ac dic, in Domino confido.

Quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer?

O meæ cogitationes, ô tetri ſpiritus, ô adulatores. Qua impudẽtia me hortari audetis, ut deſerta uia Dei, quæ recta eſt, ac tuta, ad ſolitudinem, ad montes incultos, ad terrã minimè peruiam & aquoſam, profugiam? Timidis enim auibus, ut paſſer eſt, ſolet is eſſe mos, ut de agro in agrum, de monte in montem errãdo demigrent, ſimulatq; nulla eis ab aucupibus nidificandi conceditur libertas. Vide, oro, aliam eo periculoſiorẽ cogitationem, quo occultam magis. Tranſmigra, ait, in montem, hoc eſt, in proprium ſenſum, in proprium conſiliũ, in proprium amorem. Iam paſſer es, prudẽs ſcilicet iam es, quid uereris? (ait Hieronymus, paſſerẽ in ſcripturis pro prudẽtia accipi interdũ) iam quidẽ dignus es, ut alios inſtruas. Quid in imis latitas? Deſere iam tandem loca hæc campeſtria, atque ad montes propera. Cur tu perinde, atq; ille, non dignus es, qui ad altiorem gradum proueharis? immeriti aſcendũt: tu meritiſsimus præteriris? Nónne uides tuã in ſementem deſinere plantam? Vbi tuorũ laborum fructus? ubi inedia? ubi curæ illę tam anxiæ, ſi uotis optata non reſpondẽt, ſuccedunt q;? Cernis, ô amice, quàm nos occultè adlatrent canes, latẽtes ſcilicet cogitationes? At tu, ſi ſapis, prudẽtiſsimè reſpondeas: In Domino, non in rebus hiſce lõgo ſpacio inferioribus, quàm ea ſint, ad quæ expetẽda factus eſt homo, cõfido: hunc amo, hũc uolo, uel ruat mundus.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Dicat aliquis, cur bone uir in Domino hoc tuo confidis? Quoniã, inquit, ecce peccatores, ecce dæmones, ecce adulatores, qui bellicis præparatis armis, inno-

c centes, quando maximè non comprehenduntur, aggredi ſoliti ſunt. Huiuſmodi enim naturæ hi ſunt, propter iam conceptam animi puritatem, & ſimplicitatem, ut facilè ab acutioribus ſeducantur ingenijs, ac ſuggeſtionibus, ni præſtò adſit Deus, qui horum potiſsimè fautor eſt & defenſor. Porrò per ſagittas, pharetram & arcum, totum belli apparatum intellige, ſiue corporeum, ſiue ſpirituale id ſit. Per illud uerò obſcurum, quo recti, ut ait propheta, impetuntur corde, inſidias: quod Græcis ſignificantius una dictione exprimitur, ἐν σκοτομήνῃ, qua noctem ſignificāt, quādo maximè luna eſt obſcura: quod Latinis eſſet obſcuriluniū. Quæ ſanè omnia occultas hoſtium inſidias prętēdunt. Quo quidē nocendi genere uti ſolent dæmones, adulatoresq; & amici illi, qui affectu carnis magis, quàm ſpiritus, erga nos afficiuntur. An neſcitis, ait paraphraſtes, quoties impij tetenderunt arcus, aptauerunt ſagittas ſuas ad neruum, hoc ſtudioſè agentes, ut clàm tela ſua iacularentur in eos, qui candido ſunt pectore, ipſi quidem lædere ſtuduerunt?

Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt.

Aliam cauſam ponit, quamobrē Domino fidere debeat. Condidiſti, ait, tu Domine leges, iuraq; omnia. Tu mandata, quæ mandaſti cuſtodiri nimis, tanquam uirtutum ædificium erexiſti. Illi autem & leges, & iura, & mādata impudentiſsimè deſtruxerunt. Siquidem, tempus faciendi Domine diſsipauerunt legē tuam. Hunc eſſe huius uerſus ſenſum affirmat diui Hieronymi litera. Leges tuas, inquit, deſtruxerunt. Verùm cum ſecus habeant alij, uiſum eſt etiam alium præter di ſenſum. Aiunt enim, fundamenta diruta ſunt: ac ſi uates afferat, res ſuas adeò deiectas, euerſasq; à fundamentis eſſe, ut nihil prorſus ſupereſſet ſalutis: quocirca eo ardentius confidendum eſſe in Deo, quo maior eſt calamitas.

Iuſtus autem quid fecit?

Quid commeruit? quid tantum delinquere potuit, ut in uita tandiu perduret,
D quò illud propriis cernat oculis, de quo iam olim conqueſtus eſt Elias? Aras, inquit, tuas deſtruxerunt, prophetas occiderunt, & ego derelictus ſum ſolus. Plena commiſerationis hæc eſt interrogatio, nec pathetico uacat affectu. quaſi diceret: Ego miſer, qui nocui unquam némini, omnibus autem nec requiſitus profui, tamen ab amicis deſeror: deuincti beneficijs partim me produnt, partim contumelijs inſectantur, partim etiam uel eo uſque impellunt, ut nullum uſpiam mihi ſuperſit confugium. Atqui neq; ob id animum deſpondeo, ſed in Domino eo fortius confido, quo magis ab hoſtibus meis impetor, & affligor. Is enim in cœlis, omnibus ſupereminens reſidet, cunctaq; mortalium, quæ hic aguntur, intuetur, examinat, iudicat.

Dominus, inquam, in templo ſancto ſuo: Dominus in cœlo ſedes eius.

Felix ſic: Dominus in tēplo ſanctitatis eius. Quod ſi quis adhuc ignorat, ubi habitet Deus, audiat prophetam alium. In ſanctis ſuis, ait habitat Deus, & in cœlis præſidet. Hîc enim in terris nobiſcum per gratiam, donaq; illa ſua ſanctiſsimi ſpiritus, ac lucē eam, qua nos in ſe totos rapit, conuerſatur: Illic uerò in cœlis perfectiſsima uiſione, æternoq; bono, ac felicitate, præſidet, & ſuos beat. Talis igitur is eſt, in quo ſpem meam omnem collocaui. Nec ab re quidem: nam

Oculi eius in pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

Dicendum in primis hic eſſe arbitror, in pauperem, non inueniri in Hebræo: ſed tantummodo ſic, Oculi eius conſiderant, palpebræ eius probant filios hominum. uel, ut reddit paraphraſtes, Dominus in cœlo habet ſolium ſuum, unde oculi eius contemplantur omnia, & palpebræ illius obſeruant diligētiſsimè quæcunque deſignant poſteri Adæ. Quare is ſenſus eſto: Dominus non ſolum uidet, ac ſua illa rerum omnium, ut ait Eutymius, exquiſita ſcientia cognoſcit, ſed iudicat etiam, æquiſsimaq; ſtatera mortalium omnium actus librat. Palpebræ enim pro obtutibus ab Hebræis uſurpantur: unde alia litera ſic habet: Eius intuitus explorāt filios Adæ: ſeu, ut legit Felix, probant, hoc eſt, diſcutiunt, exami-

A minant, diligentiſsimeq; attendunt quicquid moliuntur filij Adæ, homuncio-
nes ſcilicet fragiles, & nihili.

Dominus interrogat iuſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Rurſus legendū eſſet, Dominus probat, ſeu exquirit, ut ſenſus apertior redde-
retur. Et uide, an Felicis litera penè integrum ſenſum faciat. Dominus, inquit, iu
ſtum probabit & impium, & diligentem iniquitatē odio habuit anima eius. Cla-
rius adhuc paraphraſtes: Dominus, ait, obſeruat & iuſtum & impium: ſed eum
qui amans eſt iniquitatis, odio perſequitur ex animo. Vnde in primis admone-
mur, quid ſit animā Dei odiſſe aliquē, hoc eſt, ex animo, ac ſeriò. Hac enim peri-
phraſi intimū odium exprimere uoluit. Porrò is diligere iniquitatem dicitur, cui
non ſolū ipſa placet iniquitas, ſed & qui eam defendit, amatq; ardentiſsimè. Nec
nos moueat, quod tum hic, tum aliàs, Deum habere animā legimus, oculos, pal-
pebras. Sacrarū rerum ſcriptura, cuius propoſitum eſt, omnibus, uel ipſis mulier
culis quidem, ut conſulat: non uult, cum nobis de ineffabili Deo eloqui inſtituit,
aliter loqui, quàm more humano, ac ueluti de homine, eiusq; natura & effigie,
nos loqui conſueuimus. Sic enim ad Eſaiam locutus eſt Dominus: Calendas ue
ſtras odiuit anima mea. hoc eſt, ex animo, non fictè odiui. Cæterùm Deus mira-
bili quodam artificio iuſtū aduerſis examinare, perpolireue eſt ſolitus, non ſecus
quidem quàm ſolet aurum aurifex ignitis prunis, ac flamma: ex qua quidē arte,
id quod ſyncerum eſt, facilè ſecerni poteſt, ac dignoſci: fæx uerò iacet, nihilq; æ-
ſtimatur. Ita Deus ſuos per tribulationum ignē excoctos, in lucem educit, ut om
nibus palàm, quantum dona tanti opificis ualeant, innoteſcat. Falluntur ſanè hi,
qui ſecus quàm per anguſtias & ærumnas, excelſum ſibi uirtutis iter patêre exi-
ſtimant: cum rerum harum ui atq; acerbitate, mundanarū rerum amor extenuari
ſoleat, non ſecus, ac ſub malleo ferreo bracteola. Nam quemadmodū ab auro in
B fornace poſito euaporat quicquid alienæ materiæ admixtum fuerat: ita diuinus
amor eo perfectior redditur, quo minus iam res conditæ diliguntur. Verùm tu,
ſi ſapis, quid pœnarum improbos maneat, animo perdende.

Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Non poſſum equidem non ſupremū in modum mirari, ac ſimul dolere, ſi ſit ul
lus uſpiam gentiū, qui iam audeat eſſe malus, ſimulatq; paſsim & legit & audit,
quàm horrenda ſint illa, quæ à ſummo rerum omniū iudice parata ſunt illis, qui-
bus cum integrū ſit, manū uel ad ignem, uel ad aquā porrigere, ad ignem potius,
quàm ad aquā admouent. Pluet, inquit, ſuper peccatores laqueos. Alludit enim
(ni fallor) uates, ad Sodomorum euerſionem illam tam tetram, ubi nunc lacum
Aſphaltem, bitumē euomentē limi, eſſe affirmāt, cuius natura ſulphurea eſt. Ho-
rum quippe exterminiū, propter inſignē ſuam immanitatem, pro qualibet dira
atq; horrida ultione uſurpari ſolet. Pœna profectò tam execrabili uitio cōdigna.
O terrificos cruciatus. Sed ô pœnas omnes ſuo horrore ac fœditate ſuperans ui-
tium. Poteſt ne? uerúmne eſt? Chriſtianum hominē ad tantam mentis cæcitatem
deuenire, ut membra illa non iam amplius corporea, ſed ob ſacrā undam ſpiritua
lia effecta, tam deteſtandæ copulæ proſtituat? Non credo, licet audiam, licet ui-
deam. Quare ad propoſitū reuertamur, ne tam ſanctas odas, patiſsimi huius ui
tij uel memoria conſpurcet. Laquei enim ſunt ea omnia, quæ nos implicant, irre-
tiuntq;, & ne euadamus, perſtringunt. Quæ ſanè, licet cum ſuperioribus tormen
torum generibus, quantū ad carnē attinet, horribilia ſint, & metu digna, & quæ
uerius in futuro ſeculo apud inferos mortiferis inquinati peccatis experientur,
quàm impræſentiarum: tamen neq; ab iis ſunt modò immunes peccatores in ani
ma. His enim æquiſsimo Dei iudicio laquei cæcitatis animi, atq; deſperationis,
ſtupida cum hebetudine intellectus permixtæ iniiciuntur. In hos, inquā, in mo-
dum pluuiæ diuinitus proiiciuntur concupiſcentiarum ignes, atq; iræ, ſulphurq;
deteſtandi nominis & famæ perpetrati ſceleris. Spiritum rurſus procellæ in illos
iaculatur Deus, quemadmodum meriti ſunt: tempeſtatem ſcilicet, horroremq;
illum, & confuſionem, quæ continuis ſtimulis, uel uſq; ad amentiam, exagitant

C conſcientiam. Et hæc tandem omnia pars calicis eorum: hoc eſt, talia bibent. Et eſt metaphora à ritu antiquo mutuata, quo per conuiuij modiperatores ſua cuiq; uini portio, quam hauriret, ſtatuebatur. Ita, ea ſimilitudine, quicquid nobis à Deo uel obuenit, uel ſtatuitur, amarum ſit, uel dulce, calix noſter eſt ac portio: quam uelimus, nolimus, bibere neceſſe eſt. Sed de calice aliàs.

Quoniam iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.

Hoc ultimo pſalmi uerſu rationem reddit, cur Dominus, ex more, bonos exploret, perficiatq; aduerſis: malos uerò deteſtetur, atq; in eorum exitium & perditionem, uerberet. Iuſtus enim cum ſit Deus, non poteſt non amare iuſtitiã, hoc eſt, ſecundum phraſim hebræam, iuſtitiæ cultores. Quare non abſq; ratione eſt dictum, quod iuſtitiam dilexit, & æquitatem uidit uultus eius: & eſt perinde ac dicat, æquitatem aſpicit, illiq; fauet. Solent enim qui alicui rei fauere uolunt, non ſolum uerbis ac nutibus, ſed & geſtu ac uultu exhilarato præ ſe ferre animi fauorem. Porrò hæc legens quis iam iuſtitiæ ſtudio defatigari poteſt, quamlibet malam gratiam rependat mundus? Sat ſit, obſecro, nos, qui ſub truci aduerſitatum malleo expolimur, Deo charos eſſe. Sat ſit, inquam, tam æquum iudicem cauſam noſtram ſereno, fauentiq; uultu aſpicere. Non nos malæ fortunæ acerbitas ab inſtituto deturbet, poſtquam perpetuam, quoad uixerint, ſuis domeſticis exercitationem in cruce eſſe decreuit Deus.

PSALMVS DAVID *ſuper octauam.* XII.

Saluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus.

D Pſalmum hunc canit uir ſanctus: quanquã quis ſanctior Chriſto? Is enim ille eſt, qui uerè, uel ſolus, huius mundi pericula, & miſerias dignoſcere, queriq; potuit in terris uiuens, utpote cui non ſolum ea, quæ in imo hoc mundi diuerſorio tractantur, nota erant: ſed & quæ in ipſo patris cor de æterna caligine cunctis mortalibus obtecta ſunt, erant aperta. De ogdochordo, ſeu octaua, iam eſt dictum in ſuperioribus. Vir igitur ſanctus, ut dicere inceperamus, cum Dei filio queritur, quòd rerum ſumma penes improbos, ſed in primis apud delatores & adulatores, poſita ſit: qui quidem primas in rebuſpub. nacti dignitates, innoxios quoſq; opprimunt. Nullum ſanè uulnus acerbius arbitror poſſe perpeti, uel regnũ, uel rempub. aliquã, quàm cum peſtilentiſsimi homines rerũ ſummã gubernãt, bonorúmue nulla prorſus ratio habeẽ. Et quia paſsim per orbẽ fermè uniuerſum idẽ error uſqueadeò iam proſerpſit, ut ne loca quidem ſancta ab hac exitiali labe immunia ſint: propterea uir tum Dei, tum ſanctæ illius eccleſię ſtudioſus queriẽ, quoniã defecit ſanctus. Sed primũ feruenti ac exęſtuanti animo exclamat: Saluũ me fac Domine, ſerua ô Domine, ſuccurre, fer opem. Ita ſanè exclamare ſoliti ſumus, cum nihil, in re aliqua, omnino ſubſidij ſupereſſe cernimus: niſiq; Deus actutũ opituletur, actum de nobis putamus. Defecit ſanctus: uel, ut alia habet litera, conſumptus eſt ſanctus. hoc eſt, nulli boni ſuperſunt. Enallage numeri eſt. Credentiũ numerus admodũ diminutus eſt. Nam fidi qui ſint, atq; integri, iam inter mortales eſſe deſierunt. Omnes enim, uel in primis hi, qui aliqua prædi ti ſunt & dignitate & potentia, quæ ſua ſunt quęrũt, non quæ IESV CHRISTI. In ipſis enim diminuta eſt ueritas uitæ, quia corrupta. Diminuta eſt ueritas doctrinæ, quoniam aut inerudi ti ſunt, aut falſa docent: diminuta eſt ueritas iuſtitiæ, pacis, beneuolentiæ & charitatis tandẽ in populos. Atqui querelas haſce à propheta in illos, qui autoritatem & potentiam ſuper alios nacti, improbè uiuunt, prolatas eſſe, illud eſt indicium, quod in ſequentibus canitur, Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Qui quidem pauperes, ſilentij & quietis cupidi cum ſint, libenter à uulgi ſtrepitu latitant, cum interim peruerſi quidam audaculi ſeſe ad omnia ingerunt, ſe oſtentant, ſe tamen, ac cæteros infeliciter perturbant. Porrò uix dici poſſet, quantum propheta noſter infenſus ſit omnibus uniuerſali quodam modo pec-

A do peccantibus ex malitia ac conſulto: ſed doloſos potiſsimum, atq; illos, qui duplici ſunt corde, execratur omnino. Et aptè quidem bona omnia à filijs homi num excidiſſe expoſtulat uates. Nam ab illis ipſis quidem, à quibus ſumma uitæ perfectio deriuari debuit, mala omnia emanarũt, emanãtq; in dies magis. Quid propterea à reliqua uulgi multitudine expectandũ ſit, tu qui legis iudica: ſiquidem ut cætera abſurdiſsima, quæ uulgò fiunt, omittam,

Vana locuti ſunt vnuſquiſq; ad proximum ſuum: labia doloſa in cordę & cordę locuti ſunt.

Mendacia quiſq; loquitur cum ſocio ſuo, & apud amicũ lingua loquitur fraudulenta, cui duplex animus ſcelerata ſuggerit uerba. Sic paraphraſtes. Quid ni igitur dicã, queraṙq; paſsim per aulas, per plateas, in nundinis, in domib. quoq; ſacris, nedum prophanis, mendacia audiri? deceptiones? ſimulationes? dolos? poſtquam audio ſpiritum aſſerentem unumquenq; uana cum proximo ſuo eloqui? Porrò labijs doloſis in corde, & corde loqui: uel, ut ait Felix, labiũ adulationum in corde, & corde loquentur, eſt, cum quis eò malitiæ peruenit, ut malum inferre proximo ſitiat, bonũ tamen uerbis polliceatur. Interim enim applaudit, arridet, adulatur, tempus expectans uenenum euomendi. Hi cum tantummodo ſibijpſis amici ſint, idcirco alios fallere, & decipere, ut inde ſibi emolumenta & commoda comparent, ſumma arte inueſtigant. Simulatores enim iſtiuſmodi generis homines appellantur, fæx ſcilicet orbis terrarum, ac nautea, omni latrina graueolentior. Verùm,

Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.

Cernis ne quanti uir probus iſtiuſmodi doloſorum hominum peſtem faciat? aut quantam animo concipiat indignationẽ? Diſperdat, ait, Dominus uniuerſa labia fraudulenta: linguamq; nõ niſi turgida, grandiaue, & arrogantia loquentẽ
B confundat. Falſis enim blanditijs & aſſentationibus, iungit uates magniloquentiam, illis ſolitam, qui malis artibus iam demum feſsi, ad ſedem aliquam concupitam, uix ui deuenere. Sed in ſequentibus, quæ ſit lingua magniloqua, uerbaq;, ut ſic dicam, ſeſquipedalia, elegantiſsimè ediſſerit.

Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?

Videntur hic imprudentiſsimi illius generis homines id uelle dicere: Nos linguis noſtris magni, potentesq; erimus. Labia noſtra, os ſcilicet noſtrum penes nos eſt. Iam quæcunq; libuerit eloqui, eadem & facere licebit: nemo enim eſt, quem uereamur. Quis noſter Dominus eſt? quis ſuperior? Decernamus, ſtatuamus, ordinemus: nonne os noſtrum in noſtra eſt poteſtate? Quis iam noſtra audebit reprehendere ſtatuta? leges? ordinationes? plebiſcita? diffinitiones? Perpende, te oro, quò nos aliquando noſtra propellit temeritas ac cum arrogantia iunctus cõtemptus, ut neminem ne Deum quidem, pertimeſcamus. Nihil enim mentiri, nihilue fingere, aut decipere, pudet, dummodo noſtris ciuibus formidabiles, ac pertimeſcendi ſimus.

Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus.

Hic uerſus cũ uariè legatur, in idem tamen recidit ſenſus: ut intelligas ſcilicet, quòd Dominus diu miſeros ſub anguſtiarũ onere laborare non patitur: quòd ſi diu, nõ tamen in æternum. Nouit enim pius pater miſerendi tempus. Illud uerò non prætereundũ, quod Hebræis, Prę, ſeu Propter, geminatur. Aiunt enim, præ uaſtitate afflictorũ, præ gemitu, ſiue eiulatu pauperum, nunc exurgam. Quæ ſanè geminatio haud modicã in ſe habet dinoſim ac pondus. Hic igitur inopes & pauperes, intelligi uult uates, bonos & innoxios, qui malorũ fraudib. deceptionibusq;, & iniurijs, adeò obnoxij ſunt, ut miſerabilem in modum, nõ affligantur modò, ſed prorſus obterantur. Ex quo, cũ intolerabiliores, quàm ferre queat humana cõditio, interdum patiantur iniurias, uelint nolint, ingemiſcere, ab imisq; prę cordijs ſuſpiria trahere coguntur. At Deus, cui derelictus eſt pauper, & qui tum miſeris opitulari eſt ſolitus, cum ipſi ſuam potiſsimũ miſeriam, & ſentiunt, & fa-

C tentur, tam iniuſtis oppreſsionibus motus, ait: Nunc ad horum auxilium exurgam, qui hucuſque dormire uiſus ſum.

Ponam in ſalutari: fiducialiter agam in eo.

Hoc eſt, collocabo afflictos in ſalute, eoſq; liberabo. Paraphraſtes ſic: Collocabo pauperē eo loco, ut tutus futurus ſit ab illo, qui lædere uirulenta lingua ſua conabatur illum. Sed illud conſiderandū quod Felix legit, Ponam in ſalute: loquetur pro ipſo. Eſt mutatio numeri. Nam cum Dominus dicat: Ego Exurgam, & ponam in ſalute pauperē, hoc eſt, ſeruabo illum: ſtatim uates ſubiungit ex ſeſe, Loquetur Dominus pro ipſo paupere: quaſi aſſerat, uaticineturq; illud Euangelij, Non enim, ait, uos eſtis qui loquimini, ſed pater ueſter qui in cœlis eſt, ille eſt qui loquitur pro uobis. Tamen nec ſuauiſsimo quidem affectu caret id quod nos legimus, Fiducialiter agam in eo: hoc eſt, meos cum omni fiducia pauperes faciam, ac uigore, res ſuas agere, uel eouſque, ut nihil in diris illis ſuis afflictionibus trepident, ſed robuſtiſsimè perſtent. Nonne hanc diuinā Dei opem ſanctiſsimi ſenſerunt martyres, cum mortem cæteris moleſtiſsimā tam gratanter, támue imperterrito animo oppetierunt? Quid illi, qui ibant, ut ſacra ponūt annalia, gaudentes à cōſpectu concilij, quoniā digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati? Nónne amoris pleniſsima, ac fiduciæ, uox illa fuit Pauli? Curramus, ait, ad propoſitū nobis certamen, aſpicientes in autorē fidei, & conſummatorem IESVM, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, cōfuſione contempta. Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis ueſtris deficientes. Sed & illud quoq; admodū caſtiſsimis mentibus placere ſolet, quo ſentiunt aliqui in hoc uerſu prophetam futuræ felicitatis noſtræ ſtatum præuidiſſe: miſerorū ſcilicet, piorumq; omniū ſalutis ſummam totam collocandam eſſe, haud amplius in iuſtitiis
D illis carnis antiquæ legis, ſed in ſalutari patris, hoc eſt, in Chriſto eius filio, qui factus eſt nobis ſalus & uita & redemptio. Nam uiderunt, inquit ſenex ille prudentiſsimus, oculi mei ſalutare tuum. Huic enim ſententiæ uidet fauere Chaldaica translatio, quæ ſic reddit: Ponam redemptionē populo meo. Quænā alia poteſt eſſe redemptio, q̄ Chriſtus IESVS, qui redemit nos, et lauit, ut ait Paulus, in ſanguine ſuo? Redemptionē, inquit in alio pſalmo, miſit populo ſuo: hoc eſt, filium ſuum miſit populo ſuo. Quis populus eius? nónne credentes? nónne illi qui tum hic, tum paſsim in ſacra lege, pauperes, egeni, inopes, ęrumnoſi, et quorū dignus non erat mundus, ut ait Apoſtolus, appellantur? His igitur fauet Deus, ſuumq; ſemper ab ipſis rerum primordijs, pollicitus eſt auxiliū. Fallere enim non poteſt ipſa ueritas, neq; ſtare nō poteſt promiſsis. Quocirca nefas eſt uereri, ne ad ferendas nobis ſuppetias exurgat, ac dum à mūdi huius oppreſsionibus exagitamur, ne nos ponat in ſalutari ſuo, poſtquā ſe nobis affuturū promiſit: nec eius eloquia ſint niſi pura, uera, quibusq; toto animo fidere debeamus. Nam

Eloquia Domini eloquia caſta, argentū igne examinatū, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

Quàm longo interuallo inter ſe differunt eloquia Domini, & eloquia hominum. Vana locuti ſunt unuſquiſq; ad proximū ſuum, ait uates de filijs Adę, labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt. Eloquia uerò Dei, ait eſſe caſta, pura, ſyncera, & quod ſimpliciſsimæ Dei naturæ conuenit, ſimpliciſsima, & abſq; fuco. In pleriſq; enim mortalium conuentis, in pactis, in fœderibus, in ipſis etiam doctrinis ſępenumero errores inſunt, mēdacia, doli. In diuinis uerò eloquijs quid aliud expectandum cenſes, quàm rectitudinem, fidem, ueritatem, conſtantiam? Proinde uerendum haudquaquā eſt, ut is qui ſumma & æterna eſt ueritas, nos ſua lactet blandiloquentia, aut inanibus pollicitationibus, cum eius uerba & promiſſiones, ut inquit paraphraſtes, candidiſsimæ ſint, ipſoq; argento, igne diligentiſsimè expurgato, puriores. Pulcherrima ſanè ſimilitudo. Iam, inquit, eius uerba omni uanitate defæcatiora ſunt, quàm ipſum ſit argētum, plumbo, aut alia adulterina cōmixtione depuratū, coctúmue ſepties, hoc eſt, pluries. Scripturæ enim

mos eſt,

A mos eſt, per ſeptenarium numerum, indefinitũ ſignificare, ait Solomon: Argentum electum eſt iuſti lingua. Quod tamen de uiro iuſto non tantum intelligi oportet, quàm de Deo ipſo: quanquam iuſtitia ipſa potius, quàm iuſtus appellari debeat. Probatum terræ, græciſmus eſt, pro purgatum à terra, ut omnino purum ſit. Totus enim is uerſus uariè admodum ab Hebræis legitur. Sermones Domini, ait quidam interpres, ſermones puri: argentũ excoctum in catino, uel, ut alius reddit, in uaſe alchimico terræ, depuratum ſepties. Felix uerò ſic: Argentum igne examinatum à Domino terræ, purgatũ ſepties: ut illud in Catino, ſeu uaſe alchimico, alludat ad modum depurandi argentum in uaſe fictili: Id uerò à Domino terræ, præ ſe ferat argentum publicum, manifeſtum, & quod tanti ab omnibus æſtimetur, quanti res pura, haud adulterina æſtimari par eſt. Vtcunq; enim uariet lectio, ſenſus non uariat, quo puriſsimo defæcatóue argento, ac exactiſsimè depurato, dicta Dei propter eorum ueritatẽ, æternamq; certitudinem comparat propheta. Quocirca paraphraſtes, poſtquã dixit pollicitationes Domini candidiſsimas eſſe, atq; argento ipſo igne diligentiſsimè expurgato puriores ſubiunxit, à quo arte et inſtrumentis ad eam rem aptis, ablatum eſt quicquid inerat terræ impurioris, idq; ſepties repetita concoctione. Quòd uerò in ſacris literis argentum, uel doctrinam, uel uitam puriorem, quemadmodũ aurum tum fidem, tum charitatem ſignificet, manifeſtius eſt quàm ut à me, qui aliud ago, refricetur. Ergo impoſsibile eſt, quin Deus propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum ad afferendum auxilium exurgat, eosq; ponat in ſalutari. Siquidem illius excellentiæ ſunt diuina uerba, & promiſsiones, ut ſint tanquam argentum purgatiſsimum, ac ſummè defæcatum: & eſt maioris ponderis dictio, quàm ſi ſolummodo dixiſſet, ſicut argentum.

Tu Domine ſeruabis nos: & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.

Secus Felix: Tu Domine cuſtodies eos: cuſtodies eum à generatione hac in
B æternum. Atqui hic notandum, ſummoperè neceſſariam eſſe intelligendis pſalmis troporum cognitionem, quibus utuntur Hebræi: uel illius maximè, quo ſubitò, cum non aduertis, fit uel perſonæ uel numeri uariatio, ut hic: Cuſtodies eos pauperes ſcilicet: Cuſtodies eum, hoc eſt, pauperẽ. Senſus igitur: Tu Domine, quando tuæ pollicitationes adeò puræ ſunt & ueræ, ut nihil purius ac uerius eſſe poſsit, ſeruabis optima fide, quæ promiſiſti, & nos tutaberis perpetuò, ſeruabisq; ab huiuſmodi peſsimo hominum genere. Quid, quæſo, aliud hortari nos uoluit Petrus, quando Iudæos admonuit dicens, Saluamini à generatione praua, quàm quod nunc uates orat? Difficillima ſanè res eſt, circa molã, quod aiunt, triticeam uerſari, & nõ polline dealbari: uel ad profurnium ſedere, nec fuligine denigrari. Porrò ſicut picare proprium picis eſt, ita in prauorum conſuetudine, prauitate non affici fermè impoſsibile. Quare Dominum precatur, ut nos à generatione hac (quod quidem cum ſtomacho eſt legendũ) tutetur: quaſi dicat, à generatione iſta, quæ cùm ob innumera cœlitus beneficia ſibi data, & grata & ſyncera eſſe deberet, facta eſt omnium generationũ peſsima, ingratiſsima, impuriſsima. Verùm quoniam labilis, ſors eſt humana, quî tantam uel per ſecretiores paſsim orbis angulos coniectam malitiam, uitare poterimus, niſi tu nos cuſtodias, ac perpetuò ſerues? Quis in terris iam locus tutus? quæ urbs? quæ domus? quod tugurium etiam unius hominis uix capax, quod prorſus immune ſit ac liberum? quodq; non ſubrepat aliquando uel dolus, uel fraudulentia, uel ſimulatio, uel incõſtantia, uel bellua illa omni Lernæa hydra crudelior perfidia? Quàm uerum igitur eſt illud quòd defecit ſanctus? quòd diminutę ſunt ueritates à filijs hominum? qui tamen cum dicto citius, ab una illa atq; inuariabili unitate ſeſe diuellere ſoliti ſint, circunquaq; ſecuri obambulant, nihilq; uerentes utranq; in aurem ſtupidi obdormiunt. Idcirco à propheta dicitur,

In circuitu impij ambulant.

Hoc eſt, quoquo uerſus te feras, circunfuſi ſunt undiq; peruerſi homines, ob-

c errantq; tanquam in corona maligniſsimi dæmones. Quis igitur tutus? Audiui, ait, alio in pſalmo, uituperationem cõmorantium in circuitu. At unde tanta malorum colluuies? Reſpondet paraphraſtes, haud ego: Cum principatum nacti fuerint, qui inter homines perditiſsimi ſunt. Verùm

Secundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

Per ea quæ dicta ſunt, nulli dubium eſſe debet, hunc pſalmum in primis compoſitum eſſe in aſſentatores, ac ſordidi ingenij homines, qui ob facilitatem primum, ad ſublimiorem aliquem gradum euecti, nihil non agunt, quò ſuam libidinem de ciuium miſerijs ſatient: ſi tamẽ ſatietas ulla, aut modus ullus in exaturanda cupiditatum erynni ſtatui poteſt. Hi ſunt enim plerunq;, qui ex humili fortuna ad primas dignitates in bonorum perniciem aſciſcuntur: quibus quidem nulla tum amplis regnis, tum rebuſpublicis, tum religionibus quoq; ipſis priuatis, peſtis nocentior eſſe poteſt. Proinde ſapientes multo optabilius cenſuerunt habere principem ſtultum & malum, conſiliarios uerò & miniſtros bonos, quàm hos malos, principem bonum: propterea quòd per miniſtros agunt omnia principes, audiunt, uident, loquuntur. Quare cum hi perditi ſint, quãlibet boni principes exiſtant, omnia peruertunt, ac in reipublicæ perniciem detorquent, quantumuis ab ipſis principibus inſtituta ſint, & ſapienter, & piè. Atqui quomodo non experimur quotidie ueriſsimã illam Solomonis ſententiam? Dum regnant iuſti, lætatur populus: dum autem dominãtur improbi, gemit. Senſus igitur erit: Mala omnia ſuprà cõmemorata eueniunt nobis, cum tu, ô Domine, ſicut altus es, atq; profunda iudicia tua, exaltaſti eos immeritiſsimos, feciſtiq; ut tanquã dij in terra, uulgi ſtolidi opinione haberentur: cum tamen nihil aliud ſint, q̃ filij hominum, hoc eſt homines uiles ac nihili. Huic enim ſenſui alia ex Hebræo litera
d quadrat admodum, cum ait: In circuitu impij ambulant, cum exaltabuntur uiliſſimi filiorum hominũ: uel, ut interpretatur Felix, Cum exaltabunt̃ opprobria filijs Adæ. Sed nulla melior Chaldaica: In circuitu, inquit, obambulant impij, ſicut hirudo, uel ſanguiſuga, quæ ſugit ſanguinem filiorum hominũ. Ecquis tam alta hæc Dei iudicia perſcrutari potis erit?

VINCENTI, PSALMVS DAVID XIII.

VSQVEQVO Dominẽ obliuiſceris me in finem?

Is pſalmus totus affectibus ardens, ab anima illa decantat̃, quæ prorſus ob uarios perturbationũ occurſus exagitata, nullum euadendi modum per proprias uires inuenit. Ex quo de ſe ſuaq; uirtute diffidens, cum Domino uidetur cõqueri, cur tam tardè ſubueniat. Talem enim animi deſperationem haud ſemel Dauid in ſuis illis, tum à Saule, tum à proprio filio, exuſcitatis perſecutionibus, expertus eſt: ſed eo maximè tempore, quo à patria & regno exulabat. De pſalmi titulo, quem Felix interpretatur, effundenti ſanguinẽ, ſatis ſuperius in quarto pſalmo eſt dictum. Nam certè cui alij noſtram ſalutem committere debeamus, non uideo, niſi fortiſsimo illi, qui deuicta morte, profligatoq; inuiſibilium hoſtiũ exercitu atq; imperio, non armis ferreis, aut telis, ſed cruore proprio ac nece, uictor tandem euaſit. Circunuallata igitur anima, & penè ab circun curſantium uariarum perturbationum impetu obruta exclamat, Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? Neminem quidem eſſe arbitror, uel mediocriter in ſchola ſpiritus exercitatum, qui ignoret quas animi conſternationes, anxietates, cruciatúsue experiatur anima illa, quæ in inquiſitione ueritatis, exercitioq; ſeipſam ſuperandi, ac proprios motus, innatasue cupiditates atque appetentias rerum diuerſarum innumeras, occupata, torquetur, anxiaq; ui quadam ſolicitudinum, pulſuue, ut ſic dicam, irrequieto concitatur. Hinc enim ſuam ipſius conſiderans imbecillitatem, proprijq; acuminis hebetudinem & languorem: illinc uerò potentiſsimorum hoſtium inſidias & laqueos aduertens, qui eo atrociores ſunt, quo eorum pars maior inuiſibilis eſt, angitur ſupra modum, utpote quæ ſe miſerrimam

A miſerrimam reputat, dum ſuam in longum miſeriam protrahi cõſpicatur. Quocirca illud ſæpenumero illi obuenire eſt neceſſariũ, ut inter tot rerum difficultates atq; anguſtias perſtricta, dubitet interdum ſuam à Deo negligi ſalutem. Eò enim aliquando dubietatis ipſi perfectiſsimi quoq; uiri adiguntur, ut quid in re ſalutis opus ſit facto, deliberare neſciant: ſed tum potiſsimum, cum res ſuas adeò ab hoſtium dolis circunuentas uident, ut ferè nullus elabendi modus appareat. Clamant igitur ferè attoniti, Vſquequo Domine tuorum non recordaris? Eſto quòd ad tempus noſtra non cures, num hæc tua obliuio erit in finem, hoc eſt, in perpetuum? Oblitum Deum noſtri dicimus, cum eum curam de nobis non habere ſuſpicamur.

Vſquequo auertis faciem tuam à me?

Hoc eſt, uſquequo, quaſi nolens uidere quæ hic aguntur, ut hi ſolent qui indignabundi, cum rogantur, auertunt faciem, tuum ſubtrahis fauorem? Quare ſic reddit paraphraſtes: Quouſq; auertis tanquam iratus uultum tuum? Quouſq;?

Quandiu, inquam, ponam conſilium in anima mea? dolorem in corde meo per diem?

Vide quantam commiſerationem, hiſce repetitis ſententijs, mouere intendit. Quandiu, inquit, mecum ipſe conſultabo anxius? Hic ſanè mihi conſidera, quid noſtra ualeant conſilia, cum noſtra ſunt: his enim noſtras in dies magis accumulari curas, & has quidem ſuperuacaneas experimur. Quid cor, cum perplexitate illa infinita humanorũ conſiliorum exeditur? Quàm quidẽ neceſſarius ſit rebus noſtris diuinus fauor, ſciunt hi qui in pugna hac carnis moleſtiſsima iam planè attriti ſunt. Qui ſi certè nos ob innatam nobis malitiam, in anguſtijs uiuere permittit: hoc eſt, ſi auertit faciem ſuam à nobis, nulla noſtra uigilantia, nulla circunſpectio, nulla cautio ad aſſequendum finem, ad quem adipiſcendũ facta eſt hu-
B mana natura, ſufficiunt. Nam quo magis nos à malorum congerie, Dei auxilio deſtituti, conabimur extricare, hoc magis intricabimur. Dolorem.) Clarius Hebræi, anxietatem ſeu mœrorem. Vnde paraphraſtes: Quouſq; uanis curis animam meam affligam, quæ nihil præter mœrorem continuũ pariunt? per diem uerò, iugiter, quotidie, abſq; requie.

Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?

Vſquequo perfidos homines? uſquequo dæmones? uſquequo carnem hanc petulantem ſines in me ferocire, criſtaſq; erigere? Quouſque atrox hæc pugna, in qua hoſtibus meis prorſus ſum impar, perdurabit? æternáne erit? Quãdiu ſubiecta erit anima mea uanitati, etiam nolens? Quandiu ſeruio legi peccati & mortis? Hoc certò ſcio, quòd qui in carne ſunt, ut ait Paulus, placere Deo non poſſunt. Quare tu Domine, qui omnia ab æterno reſpicis,

Reſpice & exaudi me Domine Deus meus.

Conuenientiſsimè enim uerbo Auertis, oppoſuit uerbũ Reſpice: & eſt perinde ac ſi dicat: Habe, quæſo, calamitatis meæ rationem, & tandem poſt tot gemitus ac ſuſpiria exaudi me. Tu ſanè meam noſti indigentiam: tu gemitus, tu lachrymas non ignoras. Cur igitur more irati, auertis faciem, & non reſpicis? nónne te in Dominum, in regem, in ducem, in Deum meum elegi, in quem ſolum confidere debeam? Hebræi habent, Reſpice, reſponde mihi: quaſi diceret, Annue ô Domine, ac reſponde, qua demum uia elabi poſsim.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.

Eodem conſilio uates, quo ſuprà, petit ſibi uitæ lucem impartiri, atq; oculos illos quibus ueritas cernit, illuminari: hoc eſt, prementiũ malorum tanquam grauedinem ac tenebras quas mortis ſomnus, deſperatio ſcilicet, conſequi ſolet, diſpelli. Vnde Felix: Ne quando obdormiam mortem: ſeu, ut ipſe interpretat, dormitionem æternæ mortis incurram. Alioqui quomodo mortem hanc omnibus debitam deprecaretur? Senſus igitur erit: Abſterge ô Domine mei intellectus oculos, à caligine illa qua per tales ueluti quoſdam tentationũ uapores, cataclyſimq; obnubilati, penè cæci facti ſunt. Nam niſi tu præſtò ſis, quid noſtra conſi-

C lia? quid conatus? quid animi uires agere poterunt? Quomodo ego quidem ex me eò euadam quò nõ is ſomnus obrepat, eaq; occupet oſcitantia, quã indubita tus interitus comes ſequat? Solis enim diuino lumine, ſuo uitio, deſtitutis, mors datur æterna. Illud uerò conſiderandum, quòd electi, quibus ab hoc ſeculo demigrare cõtingit in uitam, quodammodo moriuntur: hoc eſt, ut ſemper uiuant, ab hac uita decedunt: mali uerò ſic moriuntur, ut ſemper mortui ſint. Quod quidem infeliciſsimũ mortis genus tum illis accidiſſe non dubitamus, cum illorum, Deum oblitum eſſe in finem, in perpetuum ſcilicet, haud dubij ſumus. O miſerri mam illorum conditionẽ, qui adeò impiè uitam hanc uiuunt temporariã, ut æter nam amittãt. Aeterna uerò uita amiſſa, quid, oro, aliud expectandum ducimus, quàm mortẽ illam, quę idcirco terrifica eſt, ac malis omnibus obnoxia, quia æter na? quia perpetua? quia interminabilis? Quare, uide Domine, & conſidera,

Ne quando dicat inimicus meus, prævalui aduerſus eum.

Cernis quàm trepidula aliquando fiat anima, cũ non ignorat periculum? Cernis quàm nõ ceſſandum ſit ab imploranda Dei ope? Reſpice, ait, exaudi, illumina, ne in extremo illo meo obitu, in quo rei ſumma abſoluetur, hoſtis pręualeat, iactetq; ſeſe, ac dicat, me pugna ceſsiſſe: tum dico, quãdo mors aderit, nec ulla ſalutis ſpes erit reliqua. Quò mihi, rogo, tunc erit confugiendum, quando uitalis, ingraueſcente morbo, reſpiratio intercludetur, uox aberit, perlangueſcẽt oculi, frigida extrema, atri ungues, cadent malæ, rigebit frons, ac tandem relicto corde, anima frigidum deſeret corpuſculum? Alia litera habet, Superaui eum, pro Prævalui. Vtcunq; litera ſit, uox eſt in aduerſarij conſternatione exultantis: quę quidem inſultatio plerũq; uictis ſolet eſſe acerbior, quàm ipſa mors. Senſus itaq; is erit: Habe, quæſo, Domine rationem mei periculi, & exaudi me cum tam crudelibus inimicis colluctantem: ne fortè dicat hoſtis exultans, factus ſum illo ſu-

D perior: uici tandem, occubuit. Et hoc quidem modo,

Qui tribulant me exultabunt, ſi motus fuero.

Felix: Tribulantes me: ſeu, ut alius legit, infeſtatores mei exultabunt, cum lapſus fuero. Solent enim in monomachia certantes, admodum geſtire, lætari, uiresq; colligere, ſi hoſtem ſuũ uel paululum labare greſsibus uiderint. Porrò conſilium omne noſtrum ac deliberatio in hoc noſtra firma eſſe debet, ut mori malimus, quàm uel ſemel peccando Deum offendere. Huic enim propoſito inſiſtere, in hanc curã incumbere, niti ac tota ui animi intentos par eſt eos omnes eſſe, qui ob fuſos, fugatoſue hoſtes ac dæmones, trophæa uictoriæ in ſublimi ſuſpendere efflagitant. Quo quidem genere triumphi, neſcio an aliud, uel in deuictis Perſis, Turcis, aut Pœnis celebrius eſſe poſsit. Verùm ſumma adhibenda eſt diligentia, ne in medio ipſo pugnæ feruore meticuloſi nutemus, &, ut ait uates, moueamur, ab inſtituto ſcilicet noſtro ac propoſito: quod ſanè eſſe debet, ne à pugna niſi victores ſecedamus. Cæterùm in pugna huiuſmodi non parum facit, ſi quibus potiſsimum armis uti oporteat, non ignoretur. Quare à propheta adijcitur,

Ego autem in miſericordia tua ſperaui.

Duræ ſunt, ait, conditiones belli, dubij euentus, hoſtes fortiſsimi: & ſi omnia circunſpicio, meq; exactè conſidero, victoriæ ſpes extat nulla, niſi in te. Quocirca in miſericordia tua, non in me, meisq; uiribus & actionibus, quamuis, ut mihi uidetur, ſanctiſsimis, & ſemper ſperaui, & nunc ſpero. Vides qua acie collimatus ſit ſpei gladius? Perpendis quò te, de Domini bonitate fiducia prouehat? Ignoras ne adhuc quibus telis minaces illi tui hoſtes confodiendi ſint? Ita è contrario, non eſt in bello illo, quod fit in carne, miles adeò accuratè, uel ſeptemplici ære circundatus, hoc eſt, omni uirtutum genere circunſeptus, qui facilè non occumbat, ſi hoc unum ſpei telum deerit.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſsimi.

More ſuo uir ſanctus de condonata ſibi victoria, quam totã in Dei miſericordia ſitam

A dia ſitam eſſe aſſeruit, gratias agit. Dignus profectò ille eſt, qui totam ſuæ uictoriæ ſummam à Deo pendere credit, cui Dominus opituletur, atq; eius cor ſolido perfundat gaudio: quemadmodum & ſpei & fidei comites ſemper ſunt, pax & gaudium: ex quo iugis illa, de perceptis ſpiritus donis, gratiarum actio, enaſci ſolet. Nequit ſanè confundi, qui in Domino ſperat. Exultabit igitur cor meum in ſalute mihi præſtita, tot exantlatis rerum difficultatibus, modò in ſpe: tunc uerò exultabo in Deo IESV meo, cum uidebo eum ſicuti eſt, cognoſcamq; eum, ſicut cognitus ſum. Interim enim cantabo, agamq; gratias tam benigno Domino, ubi ultus fuerit iniuriam, ut canit paraphraſtes, qua affecerunt me hoſtes mei. Cur tali Domino & patrono, meas omnes ingenij uires, mea ſtudia, measq; lucubrationes, meas uigilias, non dedico? Ille, ille eſt, qui per acceſſum eius filij ad nos, bona omnia contulit: nam ipſe eſt omne bonum. Vnde ad Moſen loquitur Deus: Oſtendam, inquit, tibi omne bonum. Ille, ait Paulus, qui unigenitũ ſuum nobis dedit, quomodo non omnia bona cum ipſo dedit? Illud poſtremò notandum: Pſallam nomini Domini altiſsimi, in Hebræo non inueniri, ſed à pio aliquo interprete à pſalmo ſeptimo mutuatum, huicq; additum.

Vincenti Dauid, ſeu danti æternitatem.

PSALMVS XIIII.

Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.

Pſalmum hunc dicatum uincenti, aut danti æternitatem, Chriſto ſcilicet bonorum æternorũ omniũ erogatori, in eos compoſitum eſſe, qui dum rerum potiuntur, Chriſti pauperes abſq; commiſeratione aliqua crudeliſsimè, ac pro libidine diripiunt, &, ut ſcribit uates, comedunt, affirmant
B doctiores. De huiuſcemodi quidem potentium immanitate conqueritur apud Michæam Dominus dicens: Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriauerunt, & oſſa eorum confregerunt, & cõciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ. Hoc igitur modo in terris malè habitus uir ſanctus, miratur, ac apud Deum, quid ſibi uelit tam ſæua ſuperiorum atrocitas, expoſtulat: & ait, Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Cum omnibus, ſecundum Damaſcenum, natura ingenita ſit cognitio, Deum eſſe: neq; tam nota ſint prima principia, quàm hoc: tamen cum quis adeò ſceleſtus eſt, ut ſibi uitam totam in perpetuis uitiorum ſordibus traducendã eſſe arbitretur, atq; ob id Deum contemnat & execretur, dicit proculdubio in corde ſuo, non eſt Deus. Licet enim ore id non dicat, ſic tamen uiuit, ut prorſus Deum eſſe neget. Ait de his Paulus: Dicunt ſe noſſe Deum, factis autem negant. Præterea illi, quibus iam Deum eſſe innotuit, acerrimum eum exactorem uirtutis eſſe, atque omnium iudicem, ignorare non poſſunt. Quare neq; prauis cupiditatibus facilè obtemperabunt, neque impietate ulla afficientur, præſertim ſi eò ſint cognitionis euecti, ut quemadmodum eum eſſe, ita & optimum eſſe non ignorauerint. Ex qua quidem profeſsione id naſci ſolet, quòd ſicut Deum & eſſe, & optimum eſſe cognoſcunt, ita eum ſummo ſtudio, curaq; omni, & diligentia, & colunt, & amant. Nam ex huiuſmodi cognitione is amor oritur, qui ex ſe ſtudium, ac eum ipſum, quem ſupra omnia diligit, imitandi ardorem parit. Reprobi uerò, etſi quantum ſatis ſit notionis diuinæ à benigniſsimo omnium Domino habeant, ut inexcuſabiles ſint, ut ait Paulus: eò tamen ſæpe iniquitatis adducuntur, ut Deum non eſſe, qui ſua uideat ſcelera, ſibi perſuadere conentur: atq; in re alia, quàm in Deo, ſibi confidendum eſſe exiſtiment, quæ ſit illis Deus. Siquidem cum in ſolo Deo confidendum ſit, id neceſſariò Deus tuus erit, in quo cõfidis. Quod ſi in alio, quàm in Deo uero confidis, iam Deum negaſti, iam dixiſti in corde tuo, non eſt Deus. Proinde qui confidit in Deo, is Deus illi erit. Qui in opibus, qui in operibus, qui in homine, iam & opes, & opera, & homo, Deus illi erunt. Vide, oro, quàm facilè, uel non aduertentes, ita efficimur inſipientes, ut dicamus, non eſt Deus. Itaq;

C ut iam finiam, is qui non ſapit quæ Dei ſunt, quíq; ignorat Chriſtum eſſe Dei ſapientiã, inſipiens factus, dicit uita, & moribus, licet forſan ſecus fateatur lingua, non eſt Deus. Eam ob rem mala arbor ac radix infecta, bonos cum non ualeat afferre fructus, à uate infertur:

Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis.

Corruptum & integrum in rebus ſolummodo corporeis cum opponantur, in his quæ uacant corpore, tranſumptiuè dicuntur. Nam animi integritatem dicimus, perfectam ad Deum conuerſionem: quemadmodum ab ipſo auerſionem, corruptionem appellare ſoliti ſumus. Corrupti ſunt, ait, ueluti carnes putridæ, in ſtudijs ſuis: hoc eſt, in cordis radice mala, ac peruerſa. A' corde enim mala omnia ortum habent. Nam cum Deum eſſe negent, in quo omnis ineſt puritas: & mente & corpore inquinati euadant neceſſe eſt: atq; ob id per omnia reprobi, in ſtudijs, in curis, in conſilijs, in amoribus, in actionibus quoq; ſuis prorſus obbrutescunt. Primùm enim gradum ſceleratę uitę, aiunt ſancti Dei uiri eſſe, in animo ſtatuere Deum non eſſe: proximũ uerò, uitæ actiones deprauare: hoc eſt, nihil rectum, nihil ſanctum, nihil cum ordine, aut uelle, aut agere. Ex qua quidẽ re, tum Deo in primis, tum bonis omnibus, ſicut ſanis putrida cadauera, ſunt abominationi. Nec ſanè mirum: nam recto iudicio præditis, nihil habetur uirtute ſuauius: uitijs uerò nihil magis deteſtabile, & iniucundum. Quare Solomon, uir prauus, inquit, abominatio eſt iuſtis. Porrò cum diuus Paulus, Chriſtum illis, quibus eo nihil amœnius atque odoratius afferri poterat, prædicaret, aiebat: Odor ſumus alijs uitæ ad uitam, alijs autem mortis ad mortem. Hinćq; aſſerebat Solomon, ſceleratum uirum abominationem eſſe illi, qui rectà graditur.

D *Non eſt qui faciat bonum.*

Eſt perinde ac ſi dicat: Non eſt cadauer, quod non nauſeam cieat. Et quemadmodum inter illa quæ naturã ipſam hominis proſternunt ac deijciunt, fœtor ponitur: ita nil tantùm pij hominis animum angit, & planè affligit, quantum mala ſceleratorum uita, & mores. Animus enim ſuum habet odoratum, licet incognitum, illis maximè qui nullum aliud odoramentum aut ſuffitum eſſe exiſtimant, præter illum, quem roſacea aqua permixtũ cirthacum aut ladanum excitat: aut quem etiã tantilli ſoricis umbilicus è molliculis emortui animantis pellibus euaporans, ad delicatas noſtrarum matronarũ nares emittit. Scilicet puella ſponſo haudquaquã eſt placitura, niſi prius ſit undiquaq; libidinoſis illis ſuffumigationibus perluſtrata. O noſtrorum ciuiũ mores, ô impenſas in alenda Chriſti inedia impenſius erogandas, quàm in enutriendo in rebuſpub. luxu & libidine.

Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominũ, ut uideat ſi eſt intelligens aut requirõs Deum.

Quaſi attonitum ac ſtupidum, uates Deum facit, atq; admirãtem, omnes adeò à recta deflexiſſe, neminemq;, qui bonis actionib. daret operã, inueniri. De cœlo, ait, reſpexiſſe. Humano enim more hęc à uate, & his ſimilia, dici ſępe legimus. Nam cum ubiq; uerè ſit Deus, ac per omnia diffuſus, in cœlo tamẽ eum eſſe, atq; habitare, omnib. ubiq; eſt iam perſuaſum. Vnde Eutymius: Quaſi ex alto cœnaculo procumbere & ſpectare Deum facit propheta, cum tamẽ & ubiq; ſit, & omnia exactiſsimè pernoſcat. Simile fermè & illud eſt in Geneſis lib. Cumq; uidiſſet Deus terrã eſſe corruptã, dixit ad Noe. Item illud de Sodomitis: Deſcendam, & uidebo, an iuxta clamorem, qui ad me peruenit, omnia commiſerint. Illud rurſus, Deſcẽdit ut uideret ciuitatem, & turrim: anthropopathia eſt, noſtro prophetæ admodum familiaris. Contemplatur igitur Deus ſublimi tanquã è ſpecula, an inter Adæ filios ſit intelligens & inquirens Deum, hoc eſt, ſi eſt qui intelligat, ſapiatúe quæ bona & recta ſunt, quæq; ad bene, beateq; uiuendum cõducunt. Cæterùm, illum abſq; errore Deum inquirere dicimus, qui eum in ſpititu & ueritate, uti ſpiritalem naturã decet, & colit & ueneratur: atq; interim fucatis abiectis operationibus, aut ritibus, illum, ut patrem, nõ minus timet, quàm diligit, ab eoq; bona omnia, quæ tum ad corpus, tum ad animũ maximè ſpectant, plena cum fiducia

A ducia rogat. Inquiritur rurſum Deus, ac utcunq; intelligi poteſt, uita optimè inſti
tuta, orationumq; ſtudio, & feruido, & pertinaci. Paraphraſtes enim ſic legit: Do
minus è cœlo contemplatus eſt poſteros Adæ, ut uideat num ſit in tanto homi
num numero cordatus quiſquam, qui Deo ſtudeat eſſe charus.

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonũ, non eſt vſq; ad vnum.

Noſtri temporis homines hæc omnia ad priſcos referunt, utpote qui ante ſum
mi patris, per eius amantiſsimum filium, conciliatam gratiam, in iuſtitiæ opera
tionibus enerui erant, ac prorſus hebetes: ſecus uerò impræſentiarum, ſimulatq;
ſecum, ipſe ueniens, & robur & uim bene operãdi nobis attulit. Illi ut lubet: nos
audacter dicimus, ne unum quidẽ eſſe modò, cuius ſanctitas non omnino ſordi
da ſit, atq; impura, ni recẽs ſemper gratia illum excitet, moueat, purget, attrahat.
Omnes, ait, declinauerunt. A' quo obſecro? à Deo, à bono, à uita. In quod uerò?
in ſe, in ſua ſtudia, in omne malum, in mortem. Sequuntur enim iam omnes (non
falſus ſum) omnes, inquam, ſequuntur, non quæ uerè bona ſunt, ſed quæ illis
bona uidentur: non quæ Ieſu Chriſti, non quæ proximi, ſed quæ ad ſe, ſuumq;
commodum augendum attinent. Hos quidem deplorat Eſaias hoc modo: Om
nes, ait, quaſi oues errauimus, unuſquiſq; declinauit in uiam ſuam, relicta ſcilicet
uia Dei. Ne, quæſo, noſtras ambagibus palliemus imperfectiones. Res enim
hæc accuratius, quàm à nobis fit, eſt perpendenda. Stupiditas quidem periculo
ſiſsima ea eſt animi, cum quis ſe ſibi bonũ eſſe perſuadere nititur, cum tamen ſex
centis, ne amplius ſex, aut ſeptem dicam, ſe obnoxium eſſe maculis, uel uno die,
cernat. Neq; enim illa ſolummodo letalia eſſe peccata exiſtimo, quę uel à ſicariis
publicis, uel à fœneratoribus, aut adulteris & maleficis, perpetrari nouimus: ſed
illa etiam, quę intus interdum, ut in comœdiis accidit, tranſiguntur in deſideriis,
B in uotis, in appetentiis, in anxietatibus tãdem illis animi irrequietis, quibus non
aliter ambitionis, odij atque auaritiæ ſtimulis exagitamur, quàm ſolet canis, aut
equus, ardente Sirio, ab œſtris compungi. Sed ad propoſitum reuertamur. De
clinare in hoc loco idem eſt, quòd Dei legem reijcere, ac bene operandi ſtudium
relaxare. Nam qui iuxta Dei præſcriptum ſtudet uiuere, is fidus ceu ſeruus do
minum comitatur, nec alió declinat: qui uerò illud contemnit, & eum qui iuſsit,
contemnit, ab illoq; ſe ſubtrahit, atq; alió deflectit. Inutiles ait, hoc eſt, ut hebræus
reddit interpres, adeò computruerunt, ut Deo & hominibus nauſeam ciere poſ
ſint. Quî non eos inutiles adpellabimus, cum ſint membra putida, & planè emor
tua? Quis uerò unquam ad uſum aliquem, membrum adhibuit huiuſcemodi
affectum, quod niſi à reliquo corpore reſecetur, periculum eſt, ne totum corrum
pat? Ita impij, ita ſceleſti illi, qui ob uitæ impuritatem, & Deo & hominibus in
uiſi ſunt, cum charitatem, quæ uita eſt animæ, non habeant, nihil uiuum, nihilq;
uegetũ agere queunt, quia mortui ſunt: & Deus ipſe, non eſt Deus mortuorum,
ut ſacrum teſtatur Euangelium: Non eſt qui faciat bene. Horrendum profectò
uerbum, & iudicium. Quod ſanè, ut maius habeat pondus, facit uates, ut à Deo,
poſtquam de cœlo proſpexit, omniaq; exactiſsimè explorauit, proferatur. Quo
quidem uerborum tropo, uoluit exprimi, ſceleratos illos palàm fuiſſe perditos,
uulgoq; deploratos: ut nonnullos noſtra quoq; ætate eſſe cernimus, & maximo
cum incommodo uniuerſi penè orbis experimur. Porrò illud non abſq; energia
eſt additum, Ne unus quidem.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſe agebant: venenum aſpidum ſub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum.

Hi tres uerſus neq; in græcis, neque in hebræis exemplaribus habentur. Sed
quorundam eſt opinio, in ſeptuaginta interpretũ traductione hos olim habitos:
quod ſanè, ex eo quòd ab apoſtolo, qui illorũ conſueuerat uti translatione, in epi
ſtola ad Romanos ſunt poſiti, cõiectari poteſt. Alij uerò, quibus et ego aſſentior,

C putant apoſtolum, ex diuerſis locis, quod de cordis humani impietate hîc ſcribitur, congeſsiſſe. Vtcunque ſit, illis omiſsis, quæ in pſalmo quinto ſunt dicta, cætera proſequemur. VENENVM aſpidum ſub labijs eorum.) Aiunt rerum naturalium indagatores, aſpidem anguem in Aphrica gigni, cuius quidem ictui nullum extet remedium. De hac enim letali ſerpente legimus, quòd obuia quæq; uiuentia præſentaneo ſuo ueneno perimit: & uocatur ab autoribus aſpis ſomnicuioſa, quòd ſomnū letiferum percuſsis immittat. Cui uerò alij uitio aptius quàm rancori ac oblocutioni comparari queat, non uideo. Nam rancor in uaſe, ſicut id totum inficit, & putêre facit: ita in animo aliquo miſerrimo poſitus, cor ipſum totum, in quo ſedes eſt animæ, corrumpens, ad os tandem peruenit: ubi linguam aggreſſus, eam contaminat: unde neceſſariò uomitus quidam ater obtrectationis erumpit, à quo quidem illi, qui audiunt, facilè inficiuntur. Sub labijs, ait: hoc eſt, ſub lingua, ſub uerbis. Hebraiſmus eſt, & eſt ſenſus: Quicquid loquuntur uenenum eſt mortiferum. QVORVM os maledictione & amaritudine plenum eſt, ueloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.) Omnia inquit, eorum uerba blaſphemiæ ſunt, irriſiones, maledicta. Hi enim ſunt, qui in iniurijs acceptis par pari referunt, uel interdum non laceſsiti.

AMARITVDINE.) Ex illa enim maledicentia, facilè mentis indignatio & rancor, qui hic amaritudo nuncupatur, deprehendi poteſt. Eſt adagium ſatis uulgo tritum, quod qui amarum gerit in corde, dulce expuere nequit. Omnis amaritudo, clamabat Paulus, atq; ira, tollatur de medio ueſtri. Signum enim animi huiuſce generis morbo affecti, ſunt torui illi aſpectus, pallor, macies, ſilentium, cum illo maximè, quem odio inſequeris: cum cæteris uerò, obtrectatio, ac perpetua, etiam in ſacris occupatus, maledicentia. VELOCES pedes eorum ad effundendum ſanguinem.) Mirum profectò eſſet, niſi poſt amaritudinem,
D indignationemq; animi, mors ſequeretur, uel ea quidem, qua frater odio occiditur, uel qua ferro. Vtrunq; enim perficit cor maleuolentiæ ueneno infectum. Vides odij ſummam? Vides quò te trahat animi indignatio? Cernis ad quẽ finem te ducat infecti cordis amaritudo, ut illum, quem filius Dei proprio cruore & morte uiuificauit, tu odio atque indignatione interimis?

CONTRITIO & infelicitas in uijs eorum: uiam pacis non cognouerunt.) Contritionem hanc in corpore, infelicitatem uerò in anima eſſe arbitror. An à felicitate ſolida & uera (hæc enim inferna felicitas miſeria eſt) ceciderit, unde infelix dicitur ille, qui à recto exorbitans, ac, ut inquit uates, declinans, ſimul cum eiuſdem propoſiti hominibus inutilis factus ſit, non eſt qui dubitet: cum omnes pro confeſſo habeant, illum infelicem, ac planè extinctum eſſe, & deploratum, qui dicit in corde ſuo, non eſt Deus. Ex qua quidem animi infelicitate, qui eſt æternus quidam in conſcientia terror & horror, aliud emanat ulcus extrà in membris, quam contritionem hic appellamus, nec prorſus ipſis ethnicis autoribus ignotam. Nam cum Catilinæ ſæuitiam, atque in rempublicam Romanam indignationem uellet exprimere Salluſtius, ſic de illo ſcribit: Color exanguis, fœdi oculi, citus modò, modò tardus inceſsus, prorſus in facie, uultuq; uecordia inerat. Atqui quotidie in oculis ſunt exẽpla, quàm liuidi ſint, quàm fœdi, quàm uecordes, quàm uix aſpectu tolerabiles ſanguinarij homines, & hi, qui nihil tantum in uita amant, quàm ut cæteros homines & odio & ferro inſectentur. Hinc rurſus hypocritæ, hinc alieni, ſeu honoris, ſeu æris appetentes: hinc inuidi, hinc illi qui non ſuas depereunt mulieres, miſerè effigiantur: ut ſanè aſſeuerare non dubitẽ, contritionem continuã in improborum corporibus ineſſe, & quam quidem ab interna illa infelicitate, corroſione ſcilicet conſcientiæ, deriuare dicimus. Verùm unde hoc tam tetrum emanat uirus? ob quam cauſam, oro? Quia uiam pacis non cognouerunt. Fidem hic, uiam pacis eſſe arbitror: qua quidem iuſtificati, ut ait Paulus, pacem habemus ad Deum. Quæ ſanè eſt, cum ſecura redditur conſcientia, ac credit, Deo, omnia quæ agimus, grata eſſe. Alioqui cum dubiæ ſunt noſtræ in re ſalutis actiones, dubia & ipſa redditur ſalus:

quæ

A quæ tamen niſi in certiſsima perſuaſione ac fide, quòd eam aſſequuturus ſit, uiuenti datur nulli. Non enim ulla alia iniuria tam cum moleſtia affici poteſt Deus à ſuis, quàm cum ancipiti animo rogatur: ac dubiè, quod ipſe certiſsimè daturus eſt, petitur. Hæc igitur ea eſt cognitio pacis, quam uates aſſerit à reprobis ignorari. Vbi enim mens fluctuat, corq; curis ac ſtudijs exagitatur dubijs, pax ibi eſſe non poteſt. NON eſt timor Dei ante oculos eorum.) Hæc tandem totius noſtræ peruerſitatis ſumma eſt, abſentia ſcilicet diuini timoris. Qui quidem cum ſit ſapientiæ exordium, imò ipſa ſapientiæ perfectio, non poteſt non maximope re ſui cultores extollere, hoc eſt, ex hominibus heroas facere, cum eos à peccati contagione immunes reddit. Siquidem timor Domini, ut ait Solomon, expellit peccatum: quo quidem ab anima ſemoto, ac per ſpiritus gratiam, non ſolum eo, ſed & ipſius fomite reſtincto, pax cordis, arrha ſcilicet ſalutis, peccati ſedem occupat, fitq́ue unum cum Deo anima per amorem in campo ſedatæ conſcientiæ. Ita è contrario, ſimul ac Domini timor eſſe inter complures deſijt, cernimus, noſtroq; maximo dolore experimur, illud quod in Oſæa legimus: Non eſt ueritas, ait, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, homicidium, mẽdacium, furtum & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Poterat' ne elegantiori penicillo noſtri æui conditio depingi? Quæ, oro, mala à corde illo abeſſe poſſunt, à quo abeſt ueritas, miſericordia, pietas? His enim ſecluſis, illa actutum ſubeunt.

Nónne cognoſcent omnes qui operãtur iniquitatẽ: qui deuorant plebẽ meam ſicut eſcam panis?

Perſtat propheta in inſtituto: atq; hic tangit illos, qui facilè ſibi ſubditos perinde exagitare ſolent, ac obterere, uti ſolet panis obteri dentibus, & deuorari. Quare ſic reddit paraphraſtes: Mirum profectò eos, quibus mãdata eſt cura plebis, poſſe eò amentiæ peruenire, ut licere credant opprimere miſeros, & deuorare populum meum, non maiori commiſeratione, quàm deuorari ſolet fruſtum panis. Nónne cognoſcent? quaſi dicat, Re ipſa certè uidentur de Deo nihil unquam legiſſe, aut propríj muneris & officij, parum memores eſſe. Dura profectò increpatio: ſed quæ noſtris à magiſtratibus, rerúmque publicarum primoribus, exactè perpendatur. Nónne cognoſcent aliquando quàm malè egerint? Cognoſcent ſanè, ac per pœnas experientur, quod nunc ſcire diſſimulãt. Et ut maximè inpræſentiarum cordis improbitatem tam altè ex longo habitu abſconditam uidere non poſsint, ex ueriſsimo tamen conſcientiæ teſtimonio ſentient tandem quid ignorauerint, quod maximè ſciri oportuit: tunc dico, quando, ut minatur Solomon, turbabuntur timore horribili, & præ anguſtia ſpiritus gementes dicent: Ergó ne errauimus à uia ueritatis? & iuſtitiæ lumen non luxit nobis? ſolque intelligentiæ non eſt ortus nobis? Laſſati ſumus in uia iniquitatis & perditionis, & ambulauimus uias difficiles: uiam autem Domini ignorauimus. Quid noſtra nobis profuit ſuperbia? quid faſtus? quid ambitio? Tranſierunt omnia illa tanquam fumi umbra. Vide, obſecro, ad quantam interdum cognitionem perueniant acti plagis, qui in croceis uiuentes, uix, an Deus eſſet, ſuſpicabantur. Vt cibum panis.) Hyperbole eſt, qua bonos ab improbis ſuperioribus, rectoribúsue multitudinis prorſus atteri ſignificatur. Litera quę hic eſt Hebræis, ab hoc paululum ſenſu deuiat. Felix ſic: Populum meum commederunt panem: uel, ut alius habet, uorant plebem meam in cibo panis. Idcirco huius literæ ſenſum hunc eſſe arbitror, quòd uorant Dei plebem tum etiam quando comedunt panem. Adeò enim infelices ſunt, ut ne uictus quidem eorum quotidianus ſit abſq; macula & infamia: ut id quoq; quod edunt, & bibunt, & uiuunt tandem, ſit peccatum, dum ex uſuris, & rapinis, & furtis, delitias, nedum uictum quidem neceſſarium, ſibi comparant.

B

Dominum non inuocauerunt.

Sed Belial, aut Mammonam, ut auari: aut Belzebub etiam, ut impudici & ſcortatores. At quomodo illum inuocabunt, in quem non credunt? Quæ po-

C teſt illorum eſſe inuocatio, qui dicunt, totóque uitæ circulo teſtantur, quòd non eſt Deus? Præterea iucundum ualde eſt conſiderare uatis prudentiam in explicanda ſceleratorum hominum uita. Vt enim quàm deplorati eſſent quorundam mores, ſpe omni ſublata reſipiſcentiæ, enarraret, primùm illis Dei negationem tribuit. Non eſt, inquit inſipiens in corde ſuo, Deus. Deinde clarius recenſere cupiens, quàm flagitioſè inter cæteros conuerſarentur, ait, eos, & Deo & hominibus, uti putentia cadauera nauſeæ eſſe, ac fœtere: neque inter illos quenquam eſſe, qui bene ageret, ſed Dei populum ac plebem, crudeliſsimè deglubere, & deuorare. Poſtremò uerò tantæ prauitatis radicem detegens, ait non eſſe ante illorum oculos diuinum timorem, ipſoſq; Deum non inuocare: hoc eſt, nullam prorſus de Deo curam habere, nihil ab ipſo expectare, nihilúe petere. Cum enim Deum eſſe, ut ait Anſelmus, per ſe notũ ſit, ex hac fit cognitione, quòd homo identidem ipſum cognitum nominare libenter aueat, atque eius uirtutem prædicare, extollere, dilatare, illamq; in anguſtijs & ærumnis, quas uita humana quotidie experitur, inuocare non reformidet. Vates igitur cum negat illos, in quos hæc ſcripſit, Deum inuocare, planè dicit, eos omnis religionis uacuos eſſe, atq; à diuino timore penitus alienos. Cęterùm in ſcripturis inuocare Dominum, aut Dei nomen, perinde illud eſſe quod Deum colere, norunt hi, qui ſacræ legis ſtudio libenter nauant operam. In Geneſis libro ſcribitur, quòd Enos cœpit inuocare nomen Domini: quod eſt, ipſum cœpiſſe Dei cultum, iam tum in primis illis rerum exordijs parum cognitum. Item illud de Abraham, quo legimus ſanctiſsimum ſenem aras extruxiſſe, ac inuocaſſe nomen Domini, nihil aliud uult, quàm Abraam colendi Deum loca inſtituiſſe, ibiq; primùm eum ipſum coluiſſe, ac cæteros ad id agendum prouocaſſe. Vnde Chaldæus hunc uerſum ſic reddit: Nomen Dei non prædicauerunt.

D *Ibi trepidauerunt timore vbi non erat timor.*

Licet enim, Vbi non erat timor, in codicibus Hebræis non inueniatur, ſed ſolum ibi, formidabunt formidine, cui ſtatim adijcitur, Dominus in generatione iuſta eſt: tamẽ ut noſtro etiam faueamus interpreti, ut par eſt, dicendũ erit, quòd ſi ad præſentem uitam huiuſmodi ſuperuacuũ referamus timorẽ, non erit præter uatis mentem. Nónne uidemus, etiam inter illos qui aliqua religioſa uel dignitate uel profeſsione in Dei eccleſia prædíti ſunt, quàm perfractè bonorũ, honorúmue temporalium timeant, ac lugeant amiſsionem? Deum uerò, qui ſolus timendus eſt, neq; timeant, neq; uereantur? quid cum moriendum eſt? quantos eiulatus? quanta lamenta? quos gemitus audire licet? Non ſic enim pauet lepus, aut capreolus ad canum latratum, uti hi ad minimã quanque mortis memoriam. O ſi non moriendũ eſſet, aiunt. Quid, oro, tali metu in Chriſtiano uiro turpius? quid magis ſuperuacaneum? Timendum ne erit hinc demigrare, ubi uir iuſtus non abſq; dolore maximo animi, & cruciatu, manere poteſt? Sed quid hi timent, forſan aliquis dicat? nónne Deum? nihil minus inquam. Timent enim ſeſe. Timent tranſactam uitam. Timent conſcientiæ teſtimonium. Timent æternas pœnas, quas etiam uiuentes quodam modo miſerabili præſentiſcunt. Timent igitur, ubi timor eſſe non debet: illum uerò qui poteſtatem habet mittere in gehennam ignis, neq; metuunt neq; colunt. Rurſus enim ad futuram uitam quæ dicta ſunt conuertamus. Illic dictio ſic poſita uidetur, ut innuat prophetam tormentorum locum præuidiſſe animo, ubi damnati infeliciſsima inquietudine trepidãt, ubi non eſt trepidatio, ſimilis uidelicet: tam ſæua, tam formidabilis, tam atrox. Huic non diſsimile illud eſt quod in Eſaia legimus: Ecce terra Chaldæorũ, talis populus non fuit: id eſt, huic ſimilis. & eſt ſenſus: Vos Deum, quem ſolum timere oportuit, non timetis, quin potius eum contemnitis, plebemq; illius pro libidine deuoratis, atq; omnia denicq; effreni petulantia peruertitis. At ego iam præuideo quò ueſtra uos impellet malitia, ad loca ſcilicet illa inferorum tetra, horrifica, ac omnis generis tormentorum pleniſsima: in quibus quidem adeò perterrefaciemini, adeóq; pauebitis, ut ſimilis nunquam pauor fuerit.

Quo-

A *Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt.*

Cauſam reddit propheta, quamobrem tot mala in cõmemoratis peruerſæ uitæ hominibus futura ſint. Quoniam, inquit, herilem domum offenderunt, quæ gens utiq; eſt, iuſtitię ſtudens, & timorata. Nam qui alicuius habitationem dirue re molitur, quomodo non ipſum habitationis dominum offendet? Ad hæc, qui probis uiris moleſtias ingerere conantur, non dubium quin ipſum Deum, qui in ſanctis libenter conuerſatur animis, laceſſant. Laceſsitus uerò ac quodammodo ob aſsiduas eorum iniurias impulſus, ultionem tandem de illis ſumere deliberabit: generatio autem iuſtorum benedi etur.

Conſilium inopis confudiſtis, quoniam Dominus ſpes eius eſt.

Conſiliũ uiri iuſti, quem hic uates inopem, hoc eſt, rebus omnibus huius mundi denudatum appellat, eſt, Dei præſidium ac uoluntatem hominis præſidio & uoluntati præferre: Deum ſuper omnia, calcato prorſus huius ſeculi amore, diligere: lenocinia carnis ab ſeſe, tanquam importuniſsimas harpyias abigere: mundum hunc affectu deſerere, Deum ſolum timere, ac ſe tandem ad omnem conditarum rerum iniuriam, pro Dei honore libenter exponere. Hoc tamen conſiliũ, hoc uotum, hoc inſtitutum magis diuinum, quàm humanum, confundunt facile improbi, ridentq; ac profuſiſsimo cachinno ſubſannant: &, quod magis dolendum eſt, nullam aliam ob cauſam tam ſalubre propoſitũ damnare præ ſe ferunt, quàm quia Dominus ſpes eius eſt. hoc eſt, quia in ſolo Deo, non in huius mundi dynaſtis, puſillitateue confidit. Eſt enim apoſtrophe. O impiſſimi uiri, uos ſanctum inopis conſilium illud, quo fiduciam ſuam omnem in Domino poſuit, irridetis? Haud mirum quidem. Nam uos dicitis, non eſt Deus. Non eſt Dei timor ante oculos ueſtros. Deum inuocare contemnitis. Et non probauerunt, ait Pau-
B lus, Deum habere in notitiam.

Quis dabit ex Sion ſalutarę Iſraël? cum auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſraël.

Mos eſt ſcripturę aliquid deſiderãtis, ut dicat, quis det? aut quis dabit? pro utinam det. Vnde illud eſt in Numeris teſtimonium: Quis tribuat, inquit, ut omnis populus prophetet? hoc eſt, utinã omnis populus prophetet. Et illud: Quis dabit capiti meo aquas? id eſt, utinã dentur capiti meo aquę. Ita in hoc loco, Vtinã, inquit, ſalus ueniat ex Sion. Quare ſic reddit paraphraſtes: Vtinam præſtet Dominus ut ex Sion prodeat ſalus Iſraëli promiſſa. Videtur hic uates, poſtquã iuſtorum calamitates longa ueluti periodo deplorauit, filij Dei ad mortales acceſſum præuidiſſe, quo ſolo opitulante, à tot ærũnis liberati, unà cũ ipſo liberatore Deo opt. max. dij efficerentur. Optauit igitur uir ſanctus, ut quod certò uenturũ eſſe non ignorabat, acceleraret. O utinã, inquit, ſalus illa iam tum ab exordio rerum conditarum promiſſa, adueniat. Erumpat iam tandem ex Sion, ut eſt pollicitus, ſeruator. Exeat, egerminet demũ flos ille è radice Ieſſe. Quid ultra præſtolandũ, ſimulac totus corruptus eſt orbis? Iam non eſt qui faciat bonũ, ne unus quidem. RESPONSIO. Tunc, ô uates, ſalus adueniet, cum auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ. Hæ gentes utiq; ſunt, quæ iam olim nõ plebs eius, ut eſt uaticinium, nunc plebs eius. Imò omnes ſunt, quãuis ab his noſtris cultioribus plagis remotiſsimi. Iam non eſt Iudæus, aut Græcus: ſed omnes unum ſumus in Chriſto IESV, qui fecit utraq; unum. Omnes enim, ait Eſaias, errabamus ſine paſtore. Ecce captiuitas humani generis: quæ quidem prorſus, per aduentũ filij Dei, à nobis auerſa eſt ac diſciſſa. Quando enim unquam aliàs exultare potuit Iacob, ſupplantator ſcilicet uitiorũ? aut quando lætatus eſt Iſrael, hoc eſt, uidens Deũ? niſi poſtquã cœli, iam à principio ob hominum ſcelera clauſi, aperti ſunt, ac uox patris audita eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. O lætitiã inenarrabilem. Tunc egrediemini, ait Malachias, & ſalietis quaſi uituli de armento. Vide exultantem animam, atq; ob ſalutem præſtitam, geſtientem, cui animanti aſsimilet uates. Quî non igitur ouantes è turpiſsimis peccatorum clauſtris, ut nos inuitat ſponſa, egrediamur, ut Solomonem regem intuea-

C mur cum diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis ſuę? A ſaltúne poterimus abſtinere? à gaudióne? ſimulatq; ipſum uidimus ſalientem in montibus, tranſilientémue colles, ac ſimilem factum, ob agilitatem, capreæ, hinnulóq; ceruorum? Ergo perpetuò nobis eſt gaudẽdum, ac die noctúq; exultandum, poſtq; ſalutis æternæ, uitæq; beatæ quicquid incidat, certi ſumus: id quod puriſsima in Chriſtum fides, hoc eſt, regni Sion municipatus efficit. Nos interim qui hic cum mundo conflictamus, ſcimus quòd ex Deo ſumus.

PSALMVS DAVID XV.

DOMINE quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in mõte ſancto tuo?

Non admodum explicatu facilis à uate proponitur quæſtio. Ardua enim res eſt, atque adeò ad intelligendum difficilis, quis ex Dei dono dignus ſit, qui in eius eccleſia inter electos cenſeatur, ubi adhuc acerrimè pugnatur, ac in tentoriis militaribus, tabernaculisq; Cedar, non abſque periculo habitatur. Sed illud difficilius: quis dignus tandem reputabitur, qui triumphato mundo, uictor requieſcere debeat in monte ſancto Dei, hoc eſt, in æterna beatitudine, quæ omnis rationalis creaturæ finis eſt, ac laborum requies. Vnde Eutymius: Requieſcere is dicitur, qui ex longo itinere & labore feſſus, requiem capit. Per montem ſanctum, ait, ſupercœleſtem locum intelligere debemus.

RESPONSIO. Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiã. Omnes Hebræorum codices habent, ambulans, ſiue gradiens ſine macula, & faciens iuſtitiam. Nulli enim dubium eſſe debet, totum hunc curſum uitæ, uiam eſſe quandam, per quam mortales omnes deambulare oportet: & in qua, ueluti in arena ac theatro unuſquiſq; ſeſe qualis in alio futurus ſit ſeculo manifeſtat. Verũ quoniam non omnibus ſpectatoribus facilis eſt, cuius uirtutis unuſquiſq; ſit, cogni-
D tio: idcirco id uates à ſpiritu edoctus, ne hæreamus, aperit: ac toto quantum poteſt conatu, è ſublimi tanquam ſpecula clamat: O mortales, ô uos quotquot in felicisſimo illo uenturo redemptionis humanæ æuo naſcituri eſtis, quid hæſitatis? quid ueſtros priuatos cultus iactaturi eſtis? quid ritus? quid uariũ religioſæ fidei uiuendi modum, alter alteri præponetis? Vnum hoc uobis expetendum erit, in hoc ſolum incumbendũ, qualiter cum innocentia ambuletis, colatisq; iuſtitiam. Cætera enim ultra hæc, ornamenta potius & decorem pietatis appelletis, quàm ipſam pietatem oportet. Equidem nihil aliud eſſe iudico ingredi ſine macula, & innocenter, ſimpliciterq; in domo fidei, quæ eſt eccleſia, uiuere: ut de Iacob legimus, qui uir ſimplex erat, habitans in tentoriis, umbra ſcilicet futuri Chriſtiani, qui omiſſa carnis prudentia, ſibiipſi tantũmodo proſpiciendi, ſimplici quadam ratione uitæ, abs Deo pendere debet. Atqui hi certè ſunt, qui, ut ſcriptum eſt, & ingrediuntur & egrediuntur, & paſcua inueniunt. Ingrediuntur enim per diuinos exceſſus in Deum: egrediuntur uerò ad res curandas proximorum, bona fide. Nam à ſuis ante omnia Deus requirit, ut omnis ab eorũ pectoribus abſit fucus & dolus. In utroq; tamen inueniunt cœleſtẽ, qua ſe nutriant, paſtionem. Ecquid aliud uoluit Apoſtolus, quando dixit, ſiue excedimus, Deo: ſiue ſobrij ſumus, uobis? Cæterùm in hoc uerſu, interiorem uidere uideor iuſtificationem illam, quæ à fide eſt: ſimul & exterioris officij munus, ſiue fructum fidei, qui in actionibus à charitate profectis cõſiſtit: per quas tum Dei, tum proximi dilectio cognoſci poteſt. Et hæc quidem ingreſsio illa eſt, atq; deambulatio, abſq; macula, de qua & hic & aliàs mentionem facit Propheta, cum ait: Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege Domini. Porrò eum ipſum operari iuſtitiam arbitror, qui iuſtis totus deditus eſt operationibus illis, quibus nimirum Deo gloria, proximisq; utilitas ac beneficium prouenire ſolet. Nam actiones eas omnes ocioſas ac frigidas omnino eſſe opinor, quibus horum utrunque non conueniat. Noſtra itaq; ſtudia, noſtras literas, noſtra ocia, ſint quantũuis ſancta & diuina, nulla eſſe exiſtimo, niſi pro fine & ſtudij & ocij, Dei gloriam ſtatuamus.

Qui loqui-

A *Qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua.*

Felix ſic: Qui non detraxit lingua ſua. Atqui ueritatem eum loqui in corde ſuo aſſerunt, qui abſque fuco omni & ſimulatione, ſed ex animo, atque ingenuè, ut Chriſtianũ decet, cum proximis ambulat, promiſsiſq; nunquam deeſt. Quod quidem fidei genus à Cicerone definitur eſſe, dictorũ conuentorumq; conſtantia. Hinc certè hypocritis ac fraudulentis pudor iniicitur, qui uenenum aſpidum ueritatis loco ſub lingua obtegere conſueſcunt. Qui non detraxit, ſeu ut alia habet litera, qui non detulit lingua ſua. Legimus enim in Regnorum libris, Miphiboſeth Saulis filiũ deſcendiſſe in occurſum regis, illotis pedibus, & intonſa barba, dicens: Seruus meus accuſauit me, ſeruum tuum ad te Dominum meum. Vide ad quas animi anguſtias deuenit miſer ille, propter unius delatoris linguam, ut tantis miſeriæ indiciis ſeſe ante conſpectum regis iſteret. Neſcio ſanè qua ſorte id accidat, ut in ipſis quoque bonorum cœtibus adeò ſurrepat interdum de aliorum uitiis deferendi facilitas, quòd quaſi à natura ingenitum uideatur omnibus, ut alter alterius uitam mordeat. Quódnam colloquium? qui conuentus habentur, in quo alienorum peccatorum denarratio non audiatur? Tantúmne obtrectationis amans eſt lingua? Procul clamat Solomon, Sint à te labia detrahentium, ac quaſi à facie colubri fuge à detractore. Delatores igitur, hypocritæ, obtrectatores, doloſi, & in primis ſimulatores, è numero illorum ſunt, qui non requieſcent in monte ſancto Dei, unà cum feliciſsimo illo cœtu qui operatur iuſtitiam, qui loquitur ueritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua.

Non fecit proximo ſuo malum.

Hoc eſt, nulla in re læſit, ne in appetentiis quidem ac deſideriis. Etenim ſicut eius generis fræno moderari linguam fas eſt Chriſtianum, ut nihil prorſus eloqui audeat, quo non gratia atque utilitas audientibus afferatur, Dei uerò gloria
B illuſtretur: ita ab eo nihil expeti quidem aut fieri debet, quod non ſit aliis utile, Deiq; nomen ſanctificetur. Mirum ni hic uideas, quàm à iuſtorum congregatione longè expellẽdi ſint futiles gerrones illi, quibus una illa in primis cura eſt, ut uel in doctiſsimis grauiſsimorũ hominum colloquiis, riſum intempeſtiuum moueant, aut adeò fabulas ingerant, unamq; poſt aliam tanquam annulos connectant, cachinnosq; immiſceant, ut ſaniſsimis quoq; animis ſtomachum prouocare, ac uomitum, non minus ſufficiant, quàm ſi plenam nauteæ pateram uel piſſitando haurirent. O hominum genus inuiſum bonis, atque his quidem quibus ſanctiſsima illa Pauli admonitio ſemper eſt cordi: Omnia quæcũq; facitis in uerbo & in opere, in nomine Domini IESV Chriſti facite.

Nec opprobrium accepit aduerſus proximos ſuos.

Hoc eſt, ab aliis non eſt paſſus proximũ ſuum opprobrio haberi: ſed illius famam, uti ſuam propriam tutatus eſt. Nam ex præcipuis ueræ charitatis indiciis, illud potiſsimũ eſt, fratris famam abs te defenſam: nullumq; quod depellere poſſis, eius opprobriũ ferre. Quocirca ut ſibi quiſq; gratiam & famam apud bonos (quis probus improbis placere ſtudeat?) ſaluam optat: ita & alterius nomen & gratia, bonis omnibus curę eſſe debent. Eſt & alius ſenſus, qui illis placere ſolet, qui noſtræ huius uulgatæ æditionis mentem libenter ſectantur: ut accipere opprobrium aduerſus proximos ſuos, nihil aliud uelint eſſe, quàm illos, neque propter peccata, neq; propter morbum aliquem corporeum, irriſione aut contumelia uelle afficere. Sed prima aliquanto melior, ut mea eſt opinio: ut ſint gradus hoc modo. Primùm, neminem lædendum eſſe uerbis: unde eſt dictum, Qui non egit dolum in lingua ſua. Deinde non lædendum facto: quam ob rem additur, Nec fecit proximo ſuo malũ. Poſtremò defendendũ etiam eſſe ab aliorũ iniuria: ideo ſtatim adiecit, Et opprobriũ non accepit: uel, ut alia eſt litera, Non tulit ſuper proximo ſuo. Quapropter adiunctum eſt,

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus.

C Hoc eſt, iniquum proximi calumniatorem, quamuis potentem, quamuis ferocem, quamuis diuitem, contempſit.

Timentes autem Dominum glorificat.

Id eſt, quantūuis deſpectos mundo honorat, tuetur, cum illis conuerſat. Verùm paululū diuerſius legunt Hebræi hūc uerſum: Deſpectus in oculis ſuis contemptus eſt: timentes Dominum honorabit. quod quidem ſic reddit paraphraſtes: Qui ipſe contemptor ſui, & de ſeipſo nihil minus q̄ magnificè ſentiens, alienæ uirtutis eſt admirator: maximè autem facit eos, qui reuerenter colunt Deum. quaſi diceret, ſeſe poſthabito cæteros diuini honoris ſtudioſos, quāto poteſt affectu complectitur, beneficijs ſubleuat, & demū totus in alienis eſt cōmodis. Aſpicis ne quomodo paſsim per ſcripturas uox illa, de qua nōnulla ſuprà, charitatem ſcilicet à ſeipſo incipere, abrogetur? Quî, uel uno filij Dei teſtimonio, non fit illis ſatis, qui per triuia hanc uenditant? quem quidem ſcimus, nedū à Deo, nedum ab angelis, ſed ab omnib. fermè rebus conditis diminutū. Verùm hoc pauliſper, hoc eſt, quandiu fuit à Deo diſcerptus, ut ne ſpeciem quidem hominis haberet. Atque id certè ob amorē, quo ſemper affectus fuit erga alios, haud erga ſe. Alioqui quis unquam illū ad tantas coëgiſſet ærumnas? nónne ſua ſe ſponte in ſacrile gas illas Iudæorum manus crucifigendū tradidit? Sic nimirum agere ſolet perfecta charitas, quæ nihil minus quàm propria attendit commoda, uerùm quæ alio rum ac Ieſu Chriſti, ut inquit Paulus.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit.

Felix: Iurauit affligere, & non mutabit. Vtraque enim lectio ſpiritus ſancti mentem ſequitur. Iurauit, inquit Felix, affligere, ſcilicet ſeipſum, ac propriam uitam: perſtabitq̄ in illo, quoad eius uixerit, propoſito. Et eſt ſenſus: Hic uir iu-
D ſtus ſe quantum poteſt, per abſtinentias, ieiunia, uigilias, & id genus alia, perſeueranter affligere decreuit. Tantū uerò abeſt, ut alios lædat aut affligat, ut etiam illos officijs ſubleuet, ac ſibi in percipiendis uitæ commodis præponat. Verùm ſenſus is noſtræ erit literæ, quò fidei conſtantia inter homines celebretur. Nam ſi cui oblata occaſione iurare contingat, quod damnoſum ſibi poſtea, & moleſtum fore appareat, præſtabit tamen: neque ullo ſuo aut damno aut periculo ab eo quod iurauit, deflectet animum. Sic Ionatham cum Dauide, alioqui patri ſuo infenſo, fœdus iniiſſe legimus: quod etiam quæ ſumma erat in iuuene illo conſtantia, ſanctiſsimè, maximo tamen cum periculo ſeruauit. Sic olim Regulus ille (liceat etiam Dei dona in ethnicis agnoſcere) Carthaginē rediit, ubi tamen grauiſsimum ſibi paratum ſupplicium diuinabat. Quantam uerò fidei conſtantiam ab ijs qui per ſanctum Dei nomen, quo nihil in terris uerendū magis habent, iurant, in re præſertim honeſta requiri cenſemus? Verùm cum iuramentū penè in totum per euangelium ſit à Chriſtianis abſciſſum, quo iubetur, ut ſermo noſter ſit, eſt eſt, non non: tamen propter Dei gloriam atq̄ utilitatem proximi, cum aliter fieri nequeat, permittitur iuramentum: hoc eſt, ut nemo ex ſeſe, aut pro ſe & ſua ſponte iuret, ſed ubi proximi interuenit cōmodum, aut ſalus. Ita hoc modo re utimur prohibita in alterius bonum, quemadmodū iudex in iuſtitiæ defenſio nem, homicidio. Sic Paulum iuraſſe, ad confirmandū euangeliū, legimus: haud ſecus. Nam iurare, ac tam uenerandū nomen Dei in teſtem aſſumere, in re nihili, ut paſsim fieri uideo, aut decipiēdi animo, nō eſt ſcelus hoc iuramento grauius. Quod ſi tamen duriuſculū uidetur in hoc loco de iuramento à uate dici, non erit abſurdū pollicitationes intelligi, quas in bono uiro uim iuramenti habere oportet. Alioqui in eodem fermè puncto horæ eadem polliceri, quæ ſtatim neges, hominis turpiſsimi eſt, ac parum ſui compotis.

Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.

Ne de uſuris modò loquamur, quibus uniuerſus ferè orbis miſerrimū in modum atteritur: ſatis ſit admonuiſſe, haud fas eſſe iniuſto aliquo lucro proximo aliquid auferre. Olim enim Deus à fratre uſuras exigi prohibuit, à Iudæo ſcilicet Iudæum.

A dæum. Ab alienigena tamẽ & à gentibus permiſit, ut omnia ſuis cultoribus ſubiecta eſſe indicaret. Nobis uerò, qui omnes in Chriſto fratres ſumus, neminem licet, ſeu Græcus ille ſit, ſeu Arabs, ſeu etiam ab ultimis oceani littoribus conuena ulla in re grauare. Quapropter uſuram prorſus à Chriſtiano uiro euulſam uult Deus. Nec mihi iam nomina illa mentita, Intereſſe, cum pactis uendendi & retrouendendi, cæteraq; his ſimilia ab imo inferorum barathro euocata obijcias: cruſta eſt hæc, atque apertæ damnationis quidam ridiculus fucus. Mutuanda eſt ergo ex Dei præcepto. Quid mutuanda aio? nónne tua egeno impartiri iuberis? nónne donare? Sed poſtquam eò res noſtræ deuenere, ut libentius eas mutuò, quàm dono demus: mutuanda eſt, inquam, tua pecunia, ſed nihil inde interim ſperandum, ne eſculentũ quidem minimum. Nam ueriſsimum hoc eſt dictum, quòd qui pecuniã ſuam non dederit ad uſuram, requieſcet in monte ſancto Dei: qui uerò dederit, è Dei populo, ut ſacra lex ſanxit, exterminabitur.

Et munera ſuper innocentem non accepit.

Et hoc in lege prohibitũ. Nam nihil eſt, quo tam, ut ſic dicam, exoculetur iudex, ſapiensq; à iuſtitia delabatur, q̃ munerum frequentia. Hinc illi ſunt lachrymarum pleni in Eſaia queſtus. Principes, ait, tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequunt̃ retributiones, pupillo non iudicant, & cauſa uiduæ non ingreditur ad illos. Vidi, uidi ego aliquando uel in ſacris locis, quod fas, quod leges, quod iuſtitia nõ potuerunt, exculpſit munus. Vidi, inquam, quod abſq; ſingultu dicere nequeo, ui munerũ nocentiſsimos homines in ſublimiorẽ aliquem gradum accerſiri: innocuos uerò, quamuis elegantiſsimo præditos ingenio, aut è gradu deijci, aut præteriri. Ex quo quidem inuerſo rerũ ordine illud neceſſariò oritur, quòd uulgò iam omniũ peſsimos illos appellãt, qui ab omnib. olim optiB mi ob uitæ ſimplicitatẽ uocabantur. Illud porrò hic aduertendũ, quòd nõ ſolum iudices aut primores rerumpub. iniquos uult uates intelligi: ſed eos quoq;, qui iniuſtas fouent ac protrahunt lites, cõpendij ſui cauſa. Quod quidẽ exitij genus, adeò per orbis urbes licentius peruagat̃, ut penè nulla alia in re ſuam quis ominari poſsit ruinam, q̃ cum in palatio, quod aiunt, rationis agit lites. Hũc uerè miſerum, hunc ęrumnoſum, hũc uiuentem mortuũ appellare poſſumus: non tam ſanè ob legum uitiũ, quæ iuſtiſsimę ſunt, q̃ ob cauſas agentium cupiditatẽ, ac cum impietate iunctas cauillationes: quibus quidem iam & roſtra omnia, & ſenatus (bonos ſemper excipio) & rotæ quoq; ipſæ miſerabiliter rotantur, & inſaniunt.

Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

Qui illa quæ dixi, ait uates, ſeruauerit ex animo, fixus inuictusq; quicquid incidat, permanebit. Vnde alia habet litera: His rebus qui ſtuduerit, in ęternũ non nutabit. Nam is tanquã ex omni parte beatus, nunq; a ſoliditate ea ac fide quam in Deo habet, deturbabit̃: nunc quidem per gratiam, in futurũ uerò per gloriam. Siquidem is uir ille eſt euangelicus, qui domũ ſuam ſupra petram ædificauit. Felix: Faciens hæc, non elabetur in æternum. Paraphraſtes: Qui facit hæc, non peribit unquam. Chriſtus uerò: Hoc fac, & uiues.

INSIGNIA DAVID, *uel ſecundum Græcos ſtatua, ſeu columna Dauid.* PSALMVS XVI.

STatua ſeu columna in rerum geſtarũ memoriam uictori erigi ſolet, triphæo aliquo onuſta. Sic Chriſto pſalmus iſte pro ſtatua uictori ponitur, qui ob deuictam mortem, iugulatumq; peccatũ, ac direptum inferorum regnũ etiam nunc cum ſuis triumphat. Porrò de inſignibus Dauid ſic ait Felix: Quis magnæ uirtutis, ſeu uictoriæ inſignia tulit niſi Chriſtus? qui principẽ huius mundi, aduerſus quem nulla arma, nullæ inſidiæ, nulla ingenia potuerũt, uicit: ac extra lares proprios, hoc eſt, extra lares huius mũdi eiecit, ac expulit. Sunt qui cenſent quoq; titulũ huius pſalmi ſignificare inſtrumentum muſicum, quo pſalmum iſtum canebant. Vtcunq; ſit, filius Dei omnium redem

C ptor eſt, qui loquitur, ea ratione, quam in ſuperioribus pſalmis diximus. Tentatus enim ille eſt, ut nos: in tentatione patrē inuocauit, ut nos: quo per omnia ſimilis nobis, ut ait Paulus, fieret. Debuit enim, inquit, per omnia fratribus aſsimilari, ut miſericors fieret. In eo quidem in quo paſſus eſt, & tentatus, potēs eſt & his qui tentantur, auxiliari. Ait igitur:

Conſerua mę Dominę, quoniam in tę ſperaui.

Ecce quomodo ſpem, uim eam eſſe, qua à Deo, cum oramus, exaudimur, opemq; eius benigniſsimam ſentimus, tam crebrò inculcat uates. Proponit enim cauſam, quamobrem ſeruari debuit: Quoniā, inquit, in te ſperaui. Quis, oro, bonus eos, qui ſuæ ſe fidei commiſerint, deſeret? Multo enim certius pater hoc agit cœleſtis, qui totius bonitatis fons eſt. At tu mihi conſidera, quàm neceſſaria ſit ſpes, fiduciaq; in orante. Cætera quidem, quæ bona tibi uidentur, cum petis, non mirum ſi interdum hæſites, cùm quomodo orare oporteat ignoremus omnino. Verùm ſi peccatorum ueniam, ſalutemq; æternam petieris, ut continuò petere eſt neceſſe, caue dubites te aſſecuturū quod petis. Alioqui ſi in orando conſequi dubitas, quod ipſe Deus tibi dare pollicitus eſt, de te actum eſt, tuaq; oratio impia fit, ac immunda omnino. Clamandum igitur eſſe ad Dominum ſemper, nos admonet uates, imò ipſe uatum Dominus, qui hic loquitur, cum ſpe tamen, atq; fiducia adipiſcēdi rogata: ne ſimus, ut ait apoſtolus Iacobus, fluctui maris ſimiles, qui à uento mouetur, & circunfertur. Non enim exiſtimet, ait, homo ille (ſcilicet qui dubius orat) quòd accipiat aliquid à Domino. Hæc diuinus apoſtolus. Iam illud rurſus perpendendum, quomodo Dei filius, atq; cum eo purgatiſsimus quiſq; animus, non ſua proponit merita, non opera, non eleemoſynas, non ieiunia, non pſalmorum numerum, aut miſſarum, non cætera huiuſmodi, fi-
D dei nimirum ornamenta, atq; (ut diuus appellat Benedictus) bonorum operum inſtrumenta: ſed ſpem ſolam, qua plena fide, Deum exorari credit. Spes ergo, fides, fiduciaq;, quę idem penè ſunt, impetrant à Deo: præterea nihil, quò tandem tuarum actionum ſupercilium deponere perdiſcas.

Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Quid mirū ſi flagrans Dei amore anima clamat, Deus meus es tu, cum ab eo ipſo didicerit hoc eſſe ſuū nomen? Ego ſum, inquit, Dominus deus tuus. Quàm porrò uerum illud eſt quod Paulus aſſerit, neminem ſcilicet poſſe dicere Dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. Soli enim fideles (hi dico, qui non ſolum ore, atq; externo cultu, ſed intimo cordis affectu, Deū eſſe fatentur) hunc honorant, hunc amāt, in hocq; ſolo confidunt, uerè dicere poſſunt, Deus meus es tu. quod quidem nō ualet blaſphemus, adulter, auarus, atq; is, qui dicit in corde ſuo, non eſt Deus. Beata profectò gens, cuius eſt Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem ſibi. Verùm cur bonorū meorum non eges? quia Dominus es. Nam ſi mearum rerum egeres, nō eſſes Dominus. Quî tamen (dicet aliquis) à nobis Deus requirit noſtra? Adijcitúrne aliquid Deo, noſtris ex rebus? Quis adeò demens eſt, qui ex honore ac cultu, Deo à creaturis impenſo, arbitretur ipſius felicitatem augeri? Delectatur tamen huiuſmodi beneuolentiæ, ac grati animi indicio, ut occaſionem habeat, quæ eſt eius bonitas, maiora elargiendi. Alij modò aliter hunc uerſum legunt, & exponunt: Bonitas mea nō ſuper te. hoc eſt, aliquam mihi dare bonitatē non teneris: uerùm quicquid feciſti, tuo munere ac benignitate feciſti. Diuus uerò Hieron. ſic: Bonum mihi non eſt ſine te. Vides quanta ſpiritus copia in hiſce diuinis odis abundat? Neq; interim aliam prætermittam interpretationē, quam paraphraſtes adamaſſe uiſus eſt. Ait enim: Dicô anima mea Domino, Dominus meus es tu. Bonū meum non ad te. Vt ſit aliquis in ſpiritu, qui animam ſuam, ut Deo ſeſe penitus conſecret, adhortetur: ſed ne uideatur eò aliquid tam excelſo numini, ex ſua illa cura & ſtudio, cōferre, eam admonet hoc modo: Bonum meum non ad te. hoc eſt, nihil meum tibi bonum confert, ô Deus. Tantum, inquā, abeſt, ut tibi, quicquid illud boni ſit, uſui eſſe poſ-

ſit, ut

A ſit,ut etiam faſtidio exiſtat. Quare ſic reddit paraphraſtes: Perſuaſum habes ô anima mea, & dixiſti ad Dominum, Dominus omnium es tu: quare ſi quid in me eſt boni, id tibi uſui non erit: ſed ſanctis, qui degunt in terra, & fide robuſtis, modis omnibus prodeſſe ſtudebo. Propterea additum eſt:

Sanctis qui ſunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis.

Felix dilucidè magis. Ait enim: Sanctis, qui in terra ſunt, & admirabilibus, omnis uoluntas mea in eis. & eſt ſenſus: Non ſum adeò extra me, ut credam in me eſſe aliquid, quo tua queat augeri ſublimitas. Celſior enim ultra omnẽ metam es tu, quàm ut meis beneficijs frui debeas. Attamen quoniã Deus meus es tu, cuíq; mea omnia debeo, erit interim meus omnis amor, cura & ſtudium in ſanctos, qui mecum adhuc his in terris degunt, atq; abs te peregrinantur: illos, dico, qui tum uirtutum omniũ cumulo, tum maximè fide inſignes atq; admirabiles omnibus exiſtunt. Deus igitur mortalium beneficijs, aut donis, etſi lætetur propter nos, tamen ditior minimè fit ex his, aut potentior. Sancti uerò, quoad in terra uiuunt, non parum rebus noſtris indigent, atq; illarũ commodo iuuari poſſunt, & ſubleuari. Quod quidem adeò Dei filio ſemper placuit, ut nihil aliud planè in carne geſsiſſe uiſus ſit, quàm ut patrẽ ex beneficijs in miſeros collatis promereretur. Sibi enim factum putat, quodcunq;, uel minimis eius domeſticis, fecerimus. At tu uide quomodo caro, hoc eſt, amor proprius, hæc omnia inuertat. Deo enim benefacere, cui nihil dare poſſumus, arbitramur: fratres uerò, quos ipſe iuſsit rebus noſtris adiuuari, uel uſq; ad nauſeam faſtidimus. Perpulchra ſanè commutatio. Verùm ſi magis ſenſus noſtræ literæ conueniens arriſerit, is erit: Filius enim Dei homo Deus, fatetur hic patrem mirificaſſe, hoc eſt, mirabiliter, copio éq; perfeciſſe ſuas uoluntates, ſua ſcilicet deſideria, ſua uota, precesq; pro ſalute hominum
B in terra etiamnum degentium, effuſas. Nam nulli dubium eſſe debet, Chriſtum multa in humani generis commodum ac ſalutem exoptaſſe, à patréq; petijſſe, & exoraſſe. Ego, inquit, rogabo patrem, & alium paracletum dabit uobis. Illud etiam: Volo pater ut ubi ego ſum, illic ſit & miniſter meus. In his enim, ut in cæteris, exauditus eſt, ait Paulus, pro ſua reuerentia.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea acceleraverunt.

Antequam enim Dominus Ieſus ad mortales accederet, homo factus, quis non peccatis onuſtus? Omnes, ait Paulus, peccauerunt. Ad hæc, quod conuenientius epitheton tribui peccato unquam potuiſſet, quàm languoris ac infirmitatis? Multiplicata erant igitur, atq; in immenſum accreuerant peccata, cùm in omnibus, tum in gentibus maximè: qui poſtea, accepta ex alto ſpiritus ſancti ui & gratia, ad ſacras regenerationis undas adeò acceleraverunt, ut planè illud ueriſsimum fuiſſe cernamus, quòd ubi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Quocirca in Actis legimus, quòd glorificauerunt Deum dicentes: Ergo & gentibus pœnitentiã dedit Deus ad uitam? Hebræi ſic habent: Multiplicabuntur dolores: ſeu, idóla illorum: poſt alterum feſtinauerũt. Et eſt Domini Ieſu expoſtulatio, qua queritur mortales ferè omnes idóla, ſuperſtitioſó ſue cultus, qui niſi dolores, anxietudinesq;, & moleſtias pariunt, elegiſſe, ſe totius bonitatis, pacis, atq; adeò æternæ quietis fonte derelicto. Hinc idem apud Hieremiã deflet, dicens: Me dereliquerunt fontem aquæ uiuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſsipatas. Alio item loco Iudam appellans, eius uanitatem deridet: Iuxta numerum urbium tuarũ, ait, fuerunt dij tui Iuda. Nec minori ſtomacho clamat in Oſea: Multiplicauit Ephraim aras ad peccandum. Vides, ni fallor, multiplicatas infirmitates, hoc eſt, uanum cultũ, ſimulachra, moleſtias uíe, ac labores ſuperuacaneos ferè omnium. Quî non dicã omniũ omnino, cum lego populum Dei, uineã electam, plebem ſanctam, tam acriter à uatibus obiurgari? Porrò feſtinauerunt, ait, poſt alterum, hoc eſt, relicto uero Deo, alterum amatorem amplexati ſunt.

Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus.

Non erit, inquit, mea amplius eccleſia, ut hucuſq; diſsimulaui, cœtus ille, illaq;

C ecclesia malignantiũ, qui ex sanguinibus, non ex Deo nati sunt. hoc est, qui gloriantur se filios Abraæ secundũ carnem: & qui (ut aliquid per excessum dicam) Christianos se iactitãt, se sanctos, se à mũdo segregatos, absq; spiritu, & fide: cum tamen non solũ uiuunt, sed miserandum in modum marcescunt in sanguinibus, in carnis uidelicet putredine, ignorantes miseri, quod qui in carne sunt, placere Deo non possunt. Longè enim hi sunt ab illorũ conuentu, de quibus in Euangelio legimus: In mundo sunt, sed de mundo non sunt. Felix sic: Non libabo libamina eorum de sanguine. Hic nonnulli opinant de Iudæorũ sacrificijs dici, quæ magna ex parte cõstabant sanguine, adeò quod adagij propè loco erat, absq; sanguinis effusione non esse remissionẽ. Quæ tamen sacrificia, oblato sanguine illo in cruce, cuius sanguinariæ omnes hostiæ illę umbra fuere, penitus abolenda essent. Alij gentiũ ritus quosdam impijssimos taxari credunt, in quibus pro uino cruorem libare humanũ consueuerant, secq; mutuis uulneribus ad aras conficientes, propriosq; natos immolantes, ac cæteros huiusmodi carnificinę usus religiosissimè in suis illis sacrificijs obseruãtes, toti in tabo ac sanie uolutabãtur. Vtrumuis accipias, hoc satis liquet, seruatorẽ nostrũ hic profiteri usus istiusmodi cruentos, superstitionemq; omnem alienissimã esse à mundissimo suo cultu, cuius uim totam in animo prorsus sitam esse uoluit, atq; in his postea rebus externis, quę ornare queant, non fœdare, aut irrequietam facere conscientiam.

Nec memor ero nominum eorum per labia mea, seu per os meum.

Et est perinde atq; dicat: Hisce nominib. quibus hucusq; eos nominaui, haud amplius nominabo. Verùm quæ illa gentium fuerunt nomina, antequã ascisce-
rentur ad uitam? Mortui sanè, impij, cæci, immundi sues, filij iræ, damnationisq;, ac mortis mancipia. Iudæorũ uerò? populus Dei, populus peculij loco habitus,
D uinea electa, pars, hereditas, funiculus Domini. Horum igitur nominum fatetur Dominus sese posthac memoriã non habiturum. Quomodo, quæso? Qui enim longè erant, propè facti sunt in sanguine Christi: ac seruos suos, ut ait Esaias, uocauit alio nomine. Quo, oro? Vos genus electum, ait Petrus, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis, qui aliquando nõ populus Dei, nunc autem populus Dei: qui non misericordiã consecuti, nunc autẽ misericordiã consecuti. Vide nunc miserrimam Iudæorum nominũ commutationem, qui non iam populus Domini, sed populus duræ ceruicis, & incircuncisi cordis appellantur: semen item nequam, generatio praua, adultera, uiperea. Vos, ait Christus, ex patre diabolo estis. Illud porrò non omittendum, quòd sunt qui interpretantur, nomi num eorum, ad sacrificia & libamina referri. Quæ quidem interpretatio uisa est placuisse paraphrastæ, qui sic reddit: Illos mihi illarum uictimarum sanguine adeò libare non iubebo, ut ne mentionem quidem unquam amplius eiusmodi libaminum fieri apud me uelim.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.

Ne longius peruagemur in recensenda tota lege antiqua, in qua cùm nullam Deus partem Leuitis inter fratres suos attribuisset, se illorũ forè hæreditatẽ asseruit: dicam omnia illa, ut cætera priscæ legis, umbram eorum, quæ postea accide runt sanctis Dei uiris, fuisse. His enim nulla esse debet in terris rerũ possessio, quibus cœlestis hæreditas promissa est. Verùm cum in hoc mundo nihil æquè proprium iudicetur, tantaq; diligẽtia custodiri soleat, quanta solent hæreditaria bona: idcirco hoc nomine sanctissimi quoque uiri libenter utuntur, utpote qui sibi Deum habeant, ut propriam hæreditatem. In eo enim omnia bona sua, & ea charissima & propria, possident: neq; est res ulla, cui maiori cum diligẽtia studeant, quàm ipsi, quem unicè diligunt, gratificari. Nec mirũ quidem: in Deo enim, per Christum, æternam uitam, ac omni regno ditiorẽ possidemus felicitatem. Cuius sanè ęstimationẽ quo magis exprimeret, tam multas uoces congessit, portionem scilicet, partem, calicem, sortẽ, hæreditatem. Summa igitur: Voluit hic uates, seu uatum princeps Christus Iesus significare, sibi ex partis beneficio, partẽ illam in

eius

A eius populo contigisse, ut inter eius electos connumeraretur, eorũ filius factus: hincq; patrem ipsum orat, ut quemadmodum sibi, ita & cæteris, qui suas sequentur partes, uelit sors esse, hæreditas ac portio. Quod quidem hoc modo exprimit paraphrastes: Dominus, inquit, ipse portio est, & patrimonium populi, qui partes sequentur meas, & calicis mei particeps fiet: quare tu Domine tutaberis illos, qui ueluti sorte obtigerunt mihi. Quocirca subiungit propheta:

Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Seu, ut alia habet litera: Tu sustentator sortis meę, hoc est, me adiuuisti, mihiq; ut hanc eligerem hæreditatem, adfuisti. Tu illæsam, immotamq; illam seruabis. Nam quos dedisti mihi, non perdã ex eis quenquã. Quare hinc perpendi potest, tum Deum sanctis, tum sanctos Deo, hæreditatẽ esse. Hi enim, quoniam ipse alit eos, sustentatq;, ac de illis curã habet, ut de hæreditate patria haberi solet, hęreditas sunt Deo. Ipsis uerò Deus: quoniã hi Deum, ante omnia colunt, amant, bonaq; omnia sua ipsi acceptum referunt, ac toti demum ab illo pendent. Cæterùm calix, ut iam diximus in alio psalmo, est, quicquid mali aut boni à Deo nobis obuenit. Sume calicẽ, ait Dominus in Hieremia, uini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo, & bibent, & turbabuntur, & insanient. Vide quantæ amaritudinis plenus fuerit calix ille, è cuius haustu insaniisse bibẽtes legimus. Sed in hoc loco calix est ipse Deus, qui se suis benignissimè ingerit, atque epotatus, mirum quanta illos afficiat suauitate, ac sapiẽtia. Hem calix meus, aiebat alio in psalmo, inebrians, quàm præclarus est. Non tamen quidẽ huiusce calicis partem, hoc est, Deum ipsum totũ (ne cum partẽ audis, de tota hæreditate assequenda dubites) in nos transferri posse credamus, nisi calix alter nobis probetur, qui est, ut cœlestis patris, haud nostrã, compleamus uoluntatẽ. Qui porrò calix (postquã Deus suos pascere decreuit amaritudine & absinthio, ut inquit Hieremias, in hoc mun
B do) quàm Dei filio amarus extiterit, scit illa in horto ab ipsis penetralibus animę conuulsa oratio, quando hoc modo orauit: Mi pater, si fieri potest, transfer à me calicem istum. Sciunt, inquã, eadem ipsa repetita uerba. Scit crux, scit poculũ illud, felle ac myrrha permixtum, huius nostri figura atq; admonitio quædam, ne suos in delicijs Deum alere solitum arbitremur. Haustu profectò intolerabilis is esset, ni Christus ipse hunc prius præbibisset. Postquam enim & hunc insuauẽ, et alia complura figmento suo insupportabilia, ut sibi gentium omniũ hæreditas, ob Adæ peccatum amissa, restitueretur, sponte prælibauit, facta sunt iam omnia, quæ prius uidebantur amara, super mel & fauum, dulciora. Norunt enim hi solummodo, qui non iam sibi uiuunt, sed ei, in quem per amoris flammam penitus transformati sunt, quàm suaue, quámue ultra omnẽ mundanam consolationem, & iucundũ, et gaudij pleniſsimũ sit, unà cum Christo, eodem ipso tribulationum calice inebriari, unumq; propterea cum ipso per uoluntatẽ, ac dilectionem effici. Sed me stultum, qui penè propositi mei, atq; instituti oblitus, rem coner uerbis explicare inenarrabilẽ, & quæ gustu magis à pijs animis sentitur, quàm intellectu comprehenditur. Id enim totum amor efficit: præterea nihil. Ait igitur amantissimus Dei filius ad patrem: Tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Hęreditatem, inquam, ab alieno possessore usurpatam, ac penè consumptam, ad integrum mihi reddis: ut qui filius sum, sim & rex & Deus, non Iudæorum tantum, sed & gentium: mihiq; potestas omnium, & quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, abs te detur: quemadmodum & tu quoq; Dominus es, rex, atq; rerum omnium imperator, & Deus: nam ego, & tu, unum sumus.

Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Hebręi sic: Funes ceciderunt mihi in amœnis: etiam hęreditas pulchra ad me. Metaphora sanè est à rebus corporeis desumpta. Nam funibus olim homines metiri consueuerant hæreditates. Humus tua, aiebat Amos, funiculo metietur. Quare is sensus erit, quòd filius Dei, suæ hæreditatis sortem, amœno aciucundo assimilat fundo, & ait: Sors mihi cecidit in fundo optimo & amœno, in quo mihi quidem hæreditas præclara ac speciosa assignata est, Quàm nobis hic esset læ-

C tandum, niſi tam tenaciter corporeis rebus inhæreremus, poſtquam Dei filij hæreditatem, qui ſumus nos, amœnam, ſpecioſam, præclaramue nuncupari audimus. Quid huiuſmodi appellatione felicius? quid, quæſo, pro tanta patris digna tione, inſuetoq; munere eius amantiſsimi filij, rependere unquam poterimus? Hoc nempe, quod eius rependit unigenitus, qui ait:

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.

Vel, ut eſt alia litera, qui conſuluit mihi. hoc eſt, qui mihi ſpiritum dedit: meq; quod illi gratum eſſet, eligere docuit. Hoc enim fermè idem eſt, quod in Ioanne legimus: Sicut docuit me, inquit, pater, hæc loquor: & qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia quę placita ſunt ei, facio ſemper. Edoctus quidē, mirisq; modis, ac intellectū humanū excedentibus, Dei filius à patre in terris fuit eruditus, ſed tentationibus maximè, & preſſuris, ut per omnia ſimilis nobis, miſericors fieret, ut ait Paulus. Qui quamuis, inquit, eſſet filius Dei, didicit tamē ex his quę paſſus eſt, obedientiam. Hincq; à capite eruditur membra, Deo in aduerſis, qui nos ut ſibi uidetur, utq; nobis magis expedire iudicat, inſtruit, gratias agere: quod idē eſt, quòd nunc ait, benedicere. Et quia non inter ultima Dei munera illud eſt, rebus in aduerſis, & quæ tum carni, tum animo plerunq; diſplicēt, diuinum non ignorare conſiliū: idcirco ſic redditur is uerſus à paraphraſte: Laudabo Dominum, qui in omnibus à conſilijs fuit mihi.

Inſuper & vſq; ad noctem, increpuerunt me renes mei.

Felix: Caſtigauerunt me: ſeu, ut alius legit interpres, erudierunt me. Quia enim ſcriptura, ut in ſuperioribus pſalmis diximus, ſolet interiores magis affectus cordis per renes ſignificare, fatetē hic uir ſanctus, ſe intimis affectibus huc actum, ut improborum hominum neceſsitudinē, communionemq; & amicitiam abhor
D reret. Cum enim Deū ſecreta, quamuis altè recondita & obſtruſa noſſe fatemur, eidem ſcientiā quoq; renum noſtrorū, ac cordium attribuimus. In illis enim cogitationū, in his oblectamentorū ſedem eſſe definiunt. Quapropter ſi quis uehementi aliqua animi attētione affectat aliquid, quęrit, cogitat, perueſtigat, is quodammodo eruditur, increpaturq; ab ipſis irrequietis animi motibus, quod potiſſimum in uehementer cogitantibus quomodo, cæteris ſpretis rebus, ſoli Deo, ac per ipſum eius hæreditati, hoc eſt, ſanctiſsimis uiris, inſeruire queāt, accidere neceſſe eſt: ut ſic paulatim caro in ſpiritū tranſeat. Summa igit̄: Adeò enim, inquit, mea deſideria omnia, meum amorē, mea oblectamenta, ad ſanctā mei amati conuerti hæreditatē, ut his accenſus, noctibus etiā inſomnis & cogitabundus, nihil aliud uerſem animo, q̄ ut Deo gratus ſim. Hoc ſanè agere nequeunt hi, qui cum primùm ſe lux à mundo ſubtraxerit, nihil potius cogitant, quàm ut meditata interdiu ſcelera expleant. Illi uerò, uel dormientes, cum illo, quē intentiſsimè quęrunt & amant, conuerſantur. Tantū enim abeſt, ut importunis illis ſuggeſtionibus, quæ per ſoporē, uel à dæmone, uel à naturali quadā membrorū lege in dormientes immittuntur, obnoxij ſint, ut etiam ipſa uaria ac confuſa animæ phantaſmata unita habeant, ac munda omnino, atq; erudita.

Prouidebam Dominū in conſpectu meo ſemper: quoniā à dextris meis eſt, vt non commouear.

Vnde igit̄ huiuſmodi ſpiritus eruditio, renumue increpatio, aut correctio? quis fructus, quæſo? quis finis? Hic nimirū, ut Deum continuò nobis prouideamus, proponamusq; : hoc eſt, ut Deū ſemper ob oculos habeamus, nunquā non obſeruemus, timeamus, colamusq;, ac illi ſoli nitamur. Qui quidē cum noſtris à dextris eſt (eos enim, quorū opera nos defenſos uolumus, à dextris collocare ſoliti ſumus) tanquā fidus comes & amicus, hoc in itinere paſsim à latronibus obſeſſo, de quibus ſuprà: Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis, ut interficiat innocentē. Cùm, inquā, à dextris eſt: hoc eſt, cum nobis ferre opē cœperit, ſecuri tum ſumus, ac tuti prorſus ab omni hoſtili incurſione uiuimus. Quare à paraphraſte ſic: Oppoſui, inquit, ueluti ſcopum ante oculos meos ſemper Dominū: qui quia adeſt mihi ad latus dextrum, nemo poterit perdere me. Vide quid in Dei amore

accenſa

A accenſa anima dicere queat. Non reſpexi, ait, quid mihi conduceret, quid ue-
ceret: non ad hoſtium crudelitatẽ conſiderandam, non ad eorũ tela illa, q æ in-
ijcere ſolent in non ſuos, meditanda, cõuerti animũ: ſed mihi illud ſatis uiſum eſt,
Dominũ uidelicet ob oculos, quicquid incidiſſet, continuò habere. Is eſt mihi o-
mne bonum. Is amara omnia, ac planè mortifera, in dulcorem ſalutemq; conuer
tit. Scio equidẽ nulla me à tentatione poſſe ſuperari, ab eoq; ſeparari, quoniam à
dextris, ne cõmouear, eſt meis. hoc eſt, auxiliatur, ne in firmiſsima fidei acie uacil
lem, ac ut ait Felix, elabar. Quod autẽ legimus: Et diabolus ſtet à dextris eius (ne
de auxilio è dæmone expetendo cogites) hunc habet ſenſum, ut diabolus locum
occupet, ne ſit locus Deo, qui tamen ſemper adſtitit à dextris pauperum.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea.

Ille enim, qui Deũ die noctuq; ob oculos habet, quiq; eum certiſsima ſcit fide
ſibi in omnibus ſubſidio eſſe, quomodo non ex corde gaudebit? Quomodo etiã
illius non exultabit os & lingua? hoc eſt, quomodo nõ, uel in ipſis amariſsimis
cruciatibus gratias aget? Hic igitur uir ſic affectus, ſe tanto gaudio, ob diuinam
præſentiam, perfuſum aſſerit, ut non ſolũ cor, in quo nimirum ſolidi gaudij ſedes
eſt, ac radix, mirandum in modũ lętitia geſtiat, ſed & lingua quoq; exultet. Quid
linguam aio? corpoream ipſam molem totam membrorũ, quiete atq; ocio iam
diu optato frui, ob tanti boni acceſſum, prædicat. Quare à uate adijcitur,

Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

Etſi enim adeò uerum eum eſſe ſenſum, quem dixi, certè ſciam, carnẽ ſcilicet,
nedũ cor, aut animũ, & linguã, cœleſtis eiuſmodi gaudij fore participẽ, quo ani-
ma illa afficitur, quæ Deum continuò ob oculos habet, ut nullus alius uerior ſit:
tamen is, quem ſtatim dicã, mitior eſt, ac animę diuinis contemplationibus aſſue
B tæ magis gratus. Proinde hic Dei filiũ de corporum morte, ac eorundem reſurre-
ctione dicere arbitrantur ferè hoc modo omnes: Non ſolum quoad uiuam, ſem-
per mihi Deus erit cordi, in oculisq; uerſabitur: ex qua quidem fide tanta afficiar
lætitia, ut uel corpus ipſum alioqui graue & oneroſum optata pace, tutoue ocio
& quiete, copioſè fruetur: uerumetiã poſt meum quoq; obitum, in ſpe quieſcet,
hoc eſt, ſecurum de futura reſurrectione dormiet. quem ſanè ſenſum perpulchrè
ſic reddidit paraphraſtes: Corpus quidẽ meum, inquit, in ſepulchro iacebit: ſed
nihil dubitabo, quin excitaturus ſit illud. Sed cur requieſcet in ſpe?

*Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere cor-
ruptionem.*

Non mirũ ſanè eſſe debet, ſi quaſi inopinatò ſpem memoret, ac de improuiſo
interſerat: cum eius uis ſit, ac roboris, ut illi, qui hanc perfectè poſsidet, leuia om-
nia, & ſuauia reddantur. Quid in terris tam aſperum eſt, tamue ab humanitate o-
mni abhorrens, quod non æquiſsimo ferat animo uir ſpei clypeo munitus? Alia
litera habet: Non dabis ſanctũ tuum uidere foueam. Proinde omnes, niſi prorſus
in fidei articulis ſtupidi ſint, perſuaſum habent, creduntq; indubiè, filiũ Dei, Chri
ſtum Dominum, inferos adijſſe, uerè mortuum & ſepultum: ſed neq; animam a-
pud inferos, neq; corpus in ſepulchro, ultra triduum detentum: hincq; nulla cor-
ruptione reſolutum. Licet enim mortuus, ac tumulo mandatus fuerit: nõ tamen
in morte ac tumulo manſit: ſed in tridui ſpatio rediuiuus, immortalẽ, beatamq;
uitam, etiam cum corpore eſt adeptus: adeò ut non iniuria, eum ipſum inferos
nunquam adijſſe, aut foueam uidiſſe, fas ſit fateri. Videre enim, pro ingredi, non
erit inconueniens intelligere, iuxta illud in Euangelio à Ioanne poſitum: Qui
incredulus, inquit, eſt, non uidebit uitam. Rurſus illud: Non uidebit regnũ Dei.
Summa igitur hæc erit, Dominum Ieſum adeò celeriter reſurrecturum, ut neq;
illius anima ad umbras tartareas conceſsiſſe, neq; corpus in ſepulchro manſiſſe,
multo minus corruptionis labem contraxiſſe appareat. Intactum enim corpus
illud uenerandum, atque ab omni cadaueroſa putredine immune, ſemet è tumu
lo excitauit, quò nos quoque ſecundum propoſitum uoluntatis ſuæ, tempuſq;

c præfinitum à patre, aliquando cum corporibus hiſce ærumnoſis ad immortalem ſecum uitam excitet. Quòd ſi nõ ſtatim, poſtquam è uita demigramus, à tumulo reuocamur, uiuimus tamen interim animo beati cum Deo, certi quoque corporum reſurrectionis ac reuiuiſcentiæ. Sic autem mori, non eſt mori: ſic ſepeliri, non eſt ſepeliri: ſic corpore corrumpi, non eſt corrumpi. Confer, ſi libet, momentaneam ſepulchrorum corruptelam cum futura uita, potius enim illam non eſſe, quàm eſſe, fateberis: iurabisq; mortem hanc corporum, aditum ad uitam magis, quàm mortem, poſſe dici. Cæterùm, ut de omnibus uel tantillum ſaltem prælibemus, ſicut Chriſtus mortem oppetens, ſed ſub mortis imperio neutiquam manens, ipſam interemit, ut te uiuum faceret: ita ad inferos bellator fortiſsimus conceſsit, ut te inde, celeriter remeans, quò, propter Adæ tranſgreſsionem, nondum penè natus deſcenderas, extraheret.

Notas mihi feciſti uias uitæ.

Hactenus Dei filius, ſe à patre ſeruatum, ne diutius apud inferos, in morteq; ac in ſepulchro, unde corrumpi poſſet, detineretur, gloriatus eſt. Non hoc erit, ait, ſed potius uiam, qua ad uitam, immortalem ſcilicet, nulliq; obnoxiam contaminationi, deuenire ualeam, demonſtrabis. Hebræi habent uiam, numero ſingulari. Sic enim ex Hebræo Felix: Notam mihi facies ſemitam uitæ. Cæterùm uiam uitæ, eſſe obſeruantiam mandatorum Dei, interpretantur quidam, optimè quidem. nam ſi uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Verùm propè nihil ad pſalmi intelligentiam facit. Non hoc uult uates impræſentiarum: alia res eſt. Quod ſi ego de meipſo, hoc eſt, de abiectiſsimo Chriſti membro uellẽ hunc uerſum interpretari, ſic ſanè dicerem, edoctus nimirum à numine illo, quo uel tenuiter afflante, cor hominis totum, in diuinis ignibus, è quibus uera eſt ſcientia, exæſtuat
D ac eliqueſcit. Ego, ô Domine, propter contractam ex parentũ delicto noxam, à primo quidem meo ortu debui tanquã iræ filius ad æternos inferorum cruciatus obtrudi anima, corpore uerò in puluerem, putremúe glebam reſolui perpetuò: tu tamen noluiſti. Imò, quòd tua me arctius aſtrinxit beneuolẽtia, ſemitam uitæ, hoc eſt, quo medio, quoue adiutore, æternã uitam, tum anima, tum corpore, aſſequi poſſem, demonſtraſti. Quæ quidẽ ſemita, quod medium, qui adiutor, unigenitus tuus eſt: qui propterea à ſinu tuo ſecretiſsimo, ad hanc noſtrã periculoſiſsimam pugnã, cum peccato & morte conflictaturus deſcendit, ut nobis, qua ui, quibusúe telis noſtri confodiendi eſſent hoſtes, præmonſtraret. Alioqui quis non cæcus? quis non debilis? Omnes enim uires noſtræ diris hoſtium iaculis penetrabiles erant. Omnes errabamus diſpalati, fuſi, fugatiq;, nec ſpes euadendi ulla erat reliqua. Tu uiam, tu robur, tu uires, tu belli tandem palmam, nobis amantiſsimum tui filium donans, conceſsiſti. Nunc itaq; mortalibus omnibus, uitę ſemita unà cum Chriſto Ieſu oſtenſa eſt, qua nos (ô debiles omniũ greſſus) lõgos poſt itineris labores eò peruenire poſsimus, unde pleniſsimo, atq; adeò tutiſsimo ſatiari gaudio concedatur. Tunc dico, ſcio,

Adimplebis me lætitia cum uultu tuo.

Hoc ſanè quidem, quoad eius in carne uiuitur, non præſtolamur: ſed quando uultus tui præſentia aderit, teq; uti es, uidebimus, tum lætitiæ huiuſce cumulus apparebit. Felix ſic: Satietas lætitiarũ cũ uultu tuo. hoc eſt, ubi aſpectus ille tuus eſt deſiderabilis, amoriſq; pleniſsimus, in quem, nouo ſemper animi ardore, proſpicere efflagitant cœleſtes ſpiritus, ubi ſanè lætitiarũ copia inuenitur: tunc enim eris omnium bonitas, omnium uita, omniũ pax, omnium amor & gloria. Tunc uerò nos, qui modò ex parte cognoſcimus, rem totam perfectiſsime cernemus, intuebimur, cognoſcemusq;, ac copioſiſsimè ſatiabimur, cum apparuerit gloria tua, quæ nunc per ſpeculum in ænigmate, magis promittitur, quàm datur.

Delectationes in dextera tua uſq; in finem.

Quid multa admodũ memorẽ? In manu tua eſt, tuæq; potentię eſt id muneris, ut nos ſcilicet perenni gaudio in te oblectari facias. Quæ tum felicitas, Deus bone, noſtra erit? quæ lætitia? quæ animæ exhilaratio, quando in noſtræ huius

caducæ

A caducæ molis corporeæ reuiuiſcentia, ad Dei patris dexteram, unà cum eius amantiſsimo filio ſtatuemur? Quæ oblectamenta alia? quæ delectationes cũ hac comparandæ? Pudeat iam Chriſtianum hominẽ in his ſordidiſsimis mundi leno cinijs ac delectationibus uolutari, quorum finis mors eſt & continuus conſcientiæ laniatus. Cæterũ dextera Dei plerũq; in ſcripturis uita eſt æterna in qua quidem inenarrabiles ſentiuntur delectationes, ad quarum comparationem, hæ carnis, mœror ſunt & afflictio: cum interim ſiniſtra eius, ſit uita præſens, ob arduos labores atque ærumnas, quas experiuntur hi, qui die noctuq; internis incumbunt purgationibus.

ORATIO DAVID. PSALMVS XVII.

EXAVDI *Dominę iuſtitiam meam.*

Filius Dei, ſapientia patris, Chriſtus Deus homo, hoc in pſalmo eſt qui ex animo precatur, ne pater, alioqui mortaliũ exacerbatus in peccatis duritia, noſtram ſinat tam potentibus aduerſarijs ſuccumbere imbecillitatem. Illud in primis conſiderandum, quòd uir exactè iuſtus nunquam propriam ſolet ante diuinũ conſpectum iactare iuſtitiã, niſi cum in acerbiori aliqua poſitus aduerſitate ac perſecutione, nouit indubiè ſe propter iuſtitiam illud quidem pati, quod alioqui è cæterorum ſi eſſet grege, haudquaquam pateretur: ſcitq; hoſtium ſuorum cauſam iniuſtam, ac planè dignam, quæ à ſupremo iudice Deo opt. max. reijciatur. Clamat igitur: Exaudi Domine iuſtitiã meam. hoc eſt, cauſam meam, quam tu iuſtam eſſe noſti, defende. Eſto enim quòd nihil in nobis boni ſit, quod abs te non proficiſcatur: bonus tamen adeò es, atq; amantiſsimus noſtri, ut tua dona uelis quoq; noſtra eſſe. Quare tua ex hac benignitate au-
B daciores facti, dicimus iuſtitiam abs te datam, noſtram eſſe. Exaudi igitur, ac tua defende munera.

Intendę deprecationi meę. Auribus percipę orationem meam.

Congeries hæc eſt, Exaudi, intende, auribus percipe: qua animi admodũ exæſtuantis in periculis, ac fermè deſperantis, affectus demonſtratur: ne diutius in diſtinctionibus rerum incognitarum immoreris. Dicas igitur, ut hi ſolent, qui in aliquod coniecti periculum anxiè clamant, rem ſuam exaggerant, uerbaq; inculcant, quò ad commiſerationem facilè commiſerantes moueant,

Non in labijs doloſis.

Perinde enim id eſt, ac ſi dicat: Tu ſcis quòd ex animo loquor, atq; oro. Hypocritæ quidem labijs doloſis orare ſolent: & hi quoq;, quos quotidie, uel cum lachrymis, à Deo petere cernimus, ut ſibi remittat debita, quẽadmodum ſuis ipſi remittunt debitoribus: cum interim nihil tam uerſant animo, quàm quomodo exigere ualeant, non ſolum quidem æs debitum, quod capitale uocant, uerumetiam uſuras, ſanguinem, uitam. Ridiculum ſanè, aut potius flebile, uirum quempiam uidere in templo, cum gemitu ac ſingultu, pro offenſionibus ab ſeſe in Deum factis, ad aras orare: pro alienis autem uindicandis, quas aliquẽ in ſe moliri ſuſpicatur, ne de iam perfectis loquar, ſuſpirare, occaſionem, tempusq; ad ſe ulciſcendum animo præmeditari. Putás ne huiuſmodi precationes pro ſe factas, mundas eſſe? Cenſendum ne eſt, à dolo malo immunẽ huiuſce hominis linguam ſic orantis eſſe?

De vultu tuo iudicium meum prodeat.

Orat hic patrem, ut iam tandem inter ſe, & hoſtes ſuos iudicium faciat, & ait: O Deus, de arcano ſapientiæ tuæ theſauro iudiciũ profer. Pronuncia tu, ait paraphraſtes, in cauſa mea: nam noſtræ ætatis uiri, in iudicandis iuſtitiæ cauſis nihil nõ plerunq; agunt, ut eam funditus extirpent. A quo, obſecro, iuſtum expectandum erit iudicium, niſi abs te, qui non ſolum iuſtitiæ amator es, ac defenſor, ſed ipſa iuſtitia appellaris, & uerè diceris? De uultu tuo, idem eſt, quod à cõſpectu tuo, ſedeq; iudiciaria, & poteſtate.

C *Oculi tui videant æquitates.*

Hoc eſt, ope lata, auxilióq; præſtito, te meam cauſam æquã approbare, & confiderare manifeſta. Nam nõ me clàm eſt, quòd oculi tui in pauperem reſpiciunt, nec niſi res iuſtas approbas ac defendis. Præterea illud maximè non prætereundum: quòd licet cùm in hoc pſalmo, tum in alijs ſæpe horrenda quædam perſecutionum appareant monſtra, quæ uitam hanc noſtram corpoream uexent & perterrefaciant: nulla tamen atrociora, ſi ſimul conferantur, quàm illa quæ à contrarijs, ſecumúe rixantibus in animo fiunt affectibus. Nullum profectò belli genus cum illo quod in ſe intus experitur homo & patitur, æquiparandũ: atq; eo ſæpius ſæuire illud ſolet, ac latè magis peruagari, quo quis animum à conflictu ſtudioſius auocare nititur & laborat. Quæ turbæ, oro? quæ cõmotiones cum illis conferendæ, quum conſilio uoluntas, uoluntati ratio, rationi uoluptas, ſuſq; deq; alterum alteri repugnat, & contradicit? Hinc uerò, cum hæc legimus, non tantũ corporeas improborum hominum inſidias ac perſecutiones, iras, enſes, tela, atq; id genus alia, attendamus oportet, quantum carnis noſtræ faces, appetentias, pugnámue ſpiritus cum ſenſuum arrogantia & libidine. Illa enim non ſemper nos tangunt, ab ijs autem continuò exagitamur, ac cum eorũ ferocia nobis dum hic uiuitur, perpetuum eſt negotium.

Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.

Paulò ſecus Hebræi: Explorabis cor meum: inuiſes nocte: igne me examinabis, non inuenies: cogitatio mea nõ præteribit cor meum. ut ſit ſenſus: Ego enim oraui ut meam defenderes cauſam, atq; innocentiã mihi abs te datam: quæ quidem ut omnibus innoteſcere queat, explora cor meum, inuiſe nocte, hoc eſt, eo ſanè tempore ſecreta animi examina, quo maximè dediti cogitationibus eſſe ſo-
D lent homines: tum dico, quando ex ipſo rerum ſilentio & ſolitudine, malis ab hoſtium dolis impetimur, dieíq; præteriti phantaſmata in nobis congerunt. Hoc ferè idem de ſe quondã profeſſus eſt Iob. Probauit, inquit, me Dominus, quaſi aurum quod per ignem tranſit. At tu ſi aues, quo modo, uel quo inſtrumento à Domino proberis, intelligere: abs te, ne lõgius exempla quæras, perdiſcere poteris, ſi aliquando ſub tentationũ malleo tenaciſsima carnis forcipe uerſatus es. Quæ uis ignis cum illa comparanda, qua tu accenſus, nedũ mundum quidẽ, ſed & cœlum ipſum territas, miniſq; oneras? linguæ arrogantia & ſupera & infera ſimul conuoluis? ac ſolo flatu tanq; aſpis ſomniculoſa tum Deum, tum homines iri peditum autumas? Caue itẽ putes eſſe uſquã, nec inter Chalybũ montes quidẽ, caminum ardentiorem, q; eſt cor libidine exæſtuans, aut fœdis conſpurcatũ amoribus. Huius enim generis arietib. nos ſinit Deus concuti: hoc igne, hoc incendio, hoc flãmarum cumulo cor noſtrum experiẽ, probat examinatq; cœleſtis aurifex, quò tandem cuius temperaturę ſimus appareat. Ad hæc quanta ferocia mundus interdum in non ſuos deſæuit? quanta dæmones? quanta homines? Sed is felix, qui de ſe illud iactare poteſt: Non eſt inuenta in me iniquitas: ſeu non inuenies, ut alia habet litera: hoc eſt, non inuenies in me, ne tantillum quidem infirmæ fidei. Perſtabo enim immotus, nec tentatori cedam. Vide candidũ animum, de ſe nihil, de Deo autem omnia preſumentem. Verùm quis ex nobis iam eſt, qui tantam præ ſe ferre queat animi conſtantiam, ut hæc dicere audeat, poſtquam maximè adeò intepuit fides (ea habita, natura quoq; ipſa rerum à nobis immutari poteſt) ut nihil planè illius habeamus præter nomen? Cæterùm ab Hebræis principium ſequẽtis uerſus huic additur. Sic enim reddunt: Cogitaui, ut iterum te deprecarer, ut tentares me, ſeu probares, non pertranſibit os meum: id eſt, non díçam amplius uerba huiuſmodi. Alij uerò ſecus: Cogitaui, hoc eſt, ſic apud me ſtatui, non pertranſibit os meum: uſq; eò ſcilicet non cedam aduerſarijs, ne uerbo quidem: uel, ne uerbo quidem aut lingua præuaricatus ſum. Alij etiam ſic: Animus à uerbis haudquaquã uariat: ſed quod corde cogito, illud idem & ore profero. Cui ſanè interpretationi fauet paraphraſtes, ait enim: Examinaſti totũ me,

nec in-

A necinueniſti id quod animo cogitaui, diſcrepare ab ore meo.

Vt nõ loquatur os meum opera hominũ, propter uerba labiorum tuorũ ego cuſtodiui uias duras.

Diuus Hieronymus legit: In opere hominum propter uerbum labiorum tuorum ego obſeruaui uias latronis. Felix uerò: In operibus hominis in uerbo labij tui ego cuſtodiui ſemitas diſſipatoris. Et eſt ſenſus: Quando hominem intueor aliquem operari, ego quid ſibi uelit, quo animo, quoue ingenio operatur, obſeruare ſoleo, metuens ne incautus ſeducar: atque id ago tuis ſanctiſsimis uerbis admonitus, quibus nos hortaris, ut à uijs diſſipatoris, ſeu corruptoris, ſeu, ut legit Hieronymus, latronis, perquàm diligentiſsimè caueamus. Diſſipator porrò eſt corruptor ac latro, qui ſimpliciſsimos quoſq; tectorio quodã mentitę ſanctitatis, ad peccatũ allicit. Quid nõ ſubuertit fucatus ſanctus? Non uacat modò exempla recenſere, quot uirgines ſtupratæ, quot matronæ proſtitutæ, quot uiduæ deceptæ, ob ſimulatam quorundã religionem. odioſa ſunt hæc. Poſſem & mecum quidem, quod ſæpè facio, ſtultam quorundam facilitatem, uel potius leuitatem dolere, qui ne momentũ quidem horulæ in ſententia perſeuerant: & quod magis dolendum eſt, in his quæ fidei ſunt, eo inconſtantiores apparent, quo à pluribus peruerſæ iuſtitiæ aſſertoribus edocentur. Danda igitur opera eſt, ut cautè propter uerba labiorum Domini, atque eius ſanctam legem, obſeruemus diſſipatores iſtos gregis Dominici. Vigilate, inquit Dominus, ac iterum dico uobis, uigilate. Verùm ſi cui arridet magis uulgatæ ædítionis litera, quò uerſus integer ſit, ut in eccleſia legitur, ſenſus erit: Probaſti me ô Domine, igneq; tentationum & perſecutionum examinaſti: at ego quidem facta hominum non ſum locutus, non blaſphemaui, non queſtus ſum, non murmuraui, non detraxi. Propter enim uerba tua, ſanctasq; iuſsiones, ego nõ ſolum malum non egi, ſed uias arduas uir-
B tutis aggreſſus ſum, quę ſuapte natura nihil molle aut tenerum amat. Quod & fatentur quoq; philoſophi, qui aſſerunt artẽ ac uirtutem circa difficile uerſari. Seu cuſtodiui, hoc eſt diligentiſsimè attendi, cõſideraui q;, ne duras perditionis uias ac difficiles rebus ſecundis deceptus, aut aduerſis deterritus, ſectarer. Ambulauimus, inquiunt improbi illi apud Solomonem, uias difficiles. Quare, ne cuſtodia hæc mea uana ſit, ô Domine.

Perficę greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea.

Supra enim uir ſanctus ſuam ſecretiſsimo quodam cœlitus afflatu attactus ſanctauit innocentiam. Verùm ne ſuis uiribus aliquid arrogaſſe uideretur, commodùm ſubiecit orationem, qua primum innocentiæ tutelam, perſecutionũ deinde depulſionem exorare nititur. Ait itaque: Perfice, hoc eſt, ſuſtenta, firma meos in uijs illis greſſus, quibus itur ad te. Iuua, inquã, meos conatus, mea uota, mea conſilia, ut in ipſis tuæ iuſtitiæ ſemitis rectus perpetuò gradiar, atque à tuo inſtituto nunquam deflectã: ne labantur pedes mei, hoc eſt, ne à recta exorbitem ac peccem. Vide, quæſo, q; neceſſarium ſit abs Deo nos in uiam iuſtitiæ conduci. Nam ſi à nobis uel tantillum quidem aberit, recidunt omnia quæ ad ſalutem adipiſcendam faciunt. Cæterùm quæ uis tam ualida erit, quæ illos quos Dei ſpiritus in bono propoſito ſtabiliuit, ab animi rectitudine amouere queat? Tantum uerò abeſſe debet, ut ob ignauiam curſus noſter retardetur, ut etiam in dies magis incaleſcat, ardeatq; ad aſſequendũ illud quod toto affectamus ſtudio. Illud interim animo recondendum, quod de ſe Paulus prædicat: Ego, inquit, non arbitror me apprehendiſſe, ſed quæ priora ſunt oblitus, ad anteriora me extendo.

Ego clamaui, quoniam exaudiſti mę.

Cogita q; tenera familiaritate loquatur hic ſponſa ad ſponſum. Quoniã, inquit, in alijs meis precibus exaudiſti me, clamaui. quaſi diceret, exaudi me etiam nũc, ut iterum clamem: hactenus enim non fefelliſti, falles modo? Non puto. Igitur

Inclina aurem tuam mihi, & exaudi uerba mea.

Etiam ſi minus dignè clamauero, aut nimiũ ſummiſsè. Eſt ſimilitudo ab optimatibus, proceræq; ſtaturæ uiris mutuata, qui ſeſe inclinare, auresq; quodãmo-

C do ad os uoce exili ac timida loquentis, admouere solent. Sic benigni principes, sic eorum imitatores magistratus, sic parentes agere soliti sunt erga liberos, meticulosos q; ciues, aut in plebe pauidos: alioqui perterrefactos subditos & oppressos auersari, ac tumido prospectu ab sese propellere, ferinæ mentis indicium est, non Christiani affectus & charitatis. Felix secus hunc uersum reddit: Ego, inquit, uocaui, quoniã respondebis mihi: ut sit hæc perfectissima spei forma, quam in supplicante esse oporteat. & est sensus: Clamo, inuoco, quia te meis clamoribus responsurum certò scio: alioqui superuacaneum eum esse laborem quis non uidet in orante, cum absque spe orat? Non oratio illa uerè dici potest, aut debet, sed derisio ac stupiditas animi parum considerantis, quid sit cum Deo loqui, aut ab eo aliquid petere. Porrò uerba illa quæ hic cupit à Deo exaudiri, cordis sunt desideria, in Dei amore ac fide flagrantia.

Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in tę.

Tunc enim mirabilis omnibus ea uidet liberatio, cum quis à periculo aliquo, in quo omnia desperata apparent, eximitur. Orat igitur hic anima, cui mundi insidiæ, carnisq; lapsus sunt noti: nec minus interim quàm longũ in peccandi consuetudine obduxerit callum, & duriciem ob oculos, ueluti spectra quædam terrifica ac uisa, continuò illi obijciuntur. O Domine, exhibe te mihi mirabilem, ubi maximè omnia adeò desperata uidẽtur, ut iamiam periclitari necesse sit, quò noscant omnes tuam esse manum, quæ liberat, non hominẽ, non artem, non fortunam. Poteris ne me, quamuis in immenso peccatorum morbo & languore positum, ac uix spirantem, tuam tamen opem implorãtem, auxilio frustrari, qui quæ tua est benignissima natura, seruare soles in te sperantes? Quòd si alicui propter illius scelera, ac obstinatam in perpetrandis delictis uoluntatem, tua auferenda
D est misericordia, ab illis potius qui tuæ potentiæ ac uirtuti reluctantes, sese plus quàm uis humana postulat, erigunt, aufer: hoc est,

A resistentibus dexteræ tuæ.

Dexteram Dei, in hoc loco, eius uirtutem ac potentiã esse dicimus. Dextera Domini, ait uates in alio psalmo, fecit uirtutem. Non desunt enim inter mortales qui ex rerum secundarũ opulentia in tantum efferuntur, ut nihil magis suis in actionibus quærere uideantur, q; ut Deum, uirtutis omnis scilicet erogatorem, contemnant, & quantũ in se est, è cœlo deturbent. Quo sanè sacrilego facinore, an aliud, uel impurissimis auribus possit esse magis detestandum, norunt hi, qui in acie dij, ut sibi uidebantur, immortales, in medio ipso belli strepitu, ac cum ardentius in Deum excãdescerent, inopinato tormenti uulnere icti, miserabiliter inter cruenta tum hominũ, tum equorum cadauera efflarunt animã. Hos Domine, atq; horum similes, postquam sic expetunt, contere: me uerò tuum,

Custodi ut pupillam oculi.

Exactam custodiam, non uulgarem precatur hic uates. Et est perinde ac si diceret: Illis arrogantibus abs te suo merito disiectis ac contritis: me diligentia illa qua oculi pupilla custodiri solet, custodi. Cernimus enim in ipsis membris humani corporis, nullum æquè diligenter ab externis offensionibus reparari solitum, quemadmodũ tenella illa oculi pars, quam luminis scintillam appellat Lactantius, nos pupillã. Ita hac diligentissimæ curæ similitudine petit se uates exactè seruari: neq; tamen sola huiusmodi contentus, aliam adijcit,

Sub umbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt.

Metaphora rursus hæc alarum, immensam Dei erga nos bonitatem demonstrat. Exprimi sanè quidem non potest, quàm solicita sit ea cura quam suis impendunt pullis aues: quàm anxia illa quam homo proprijs oculis: sed infinito maior ea, qua Deus tutatur in se credentes. Huic enim sententiæ quadrat & illud alterius psalmi, quo ornatissimè à propheta mortalium dignitas enarratur. Scapulis suis, ait, obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Quis ex his maximè, qui præsunt alijs cum miserorum neglectu & contumelia, non saltem

à terræ

A à terræ animantibus uinci erubeſcat, ſimulatq; uidet quomodo gallina ſui prorſus oblita, pullos ſuos foueat, alat, pro ipſiſq; (quod & uoce & pluma demonſtrat) infirmet̃, pugnétue, ac uitam ipſam ut liberos tutetur ac ſeruet, cõtemnat? Tales ſunt nimirum affectus in mente Dei erga mortales: quos quia cernere tanta in maieſtate minimè poteramus, ſuum miſit unigenitum, in quo cerneremus. Hæ ſunt, inquam, curæ, hæc ſtudia, hi mores quibus ornati eſſe debent urbiũ magiſtratus, atq; ipſi principes, & hi quoq; qui moderandarũ animarũ ſceptrum facile aſſumunt, & plerunq; etiam (malùm) & quærunt, & abſq; pudore, tum ære tum hypocriſi ac aſſentatione uenãtur atq; emũt. Præterea à facie impiorũ idem ualet quod à præſentia impiorum, ne me uideant. Aptè profectò: nam nõ ſolum à nefandorum hominũ lingua ac manibus defendi nos oportet, uerum etiã à turpiſsima illorum conuerſatione & uita. Hoc quoque modo Loth iuſtum, ut ſcribit Petrus, oppreſſum à nefandorum hominum iniuria, & luxurioſa conuerſatione eripuit Deus. Nam erat habitans, inquit, apud eos, qui de die in diem animam iuſti iniquis operibus cruciabãt. Quòd autem iuſtiſsimi uiri tam anxiè petant ab improborum hominum neceſsitudine & conuerſatione eximi, id in cauſa eſſe uidetur, quòd non niſi exulcerato animo uidere queant iſtiuſmodi morum portenta, quibus & cœlum & terra, & ipſa quoque infernæ regionis abyſſus inficiuntur. Quanta putas amaritudine affici uirum probum, cum uidet paſſim regnare faſtum, ſuperbiam, ambitionem, ſpreto pudore, modeſtia, pietate? Quare mirum haudquaquã eſſe debet, ſi rogat à malorum præſentia hominum, & conuerſatione ſubtrahi.

Inimici mei animam meam circundederunt.

An quidem uerum ſit, quod ab omni parte hoſtium cuneis circunuallati ſi-
B mus, hi norunt, qui in pugna ſpiritus die noctuq; uerſantur. Alioqui cor ſtupidum, ac ad minimum hoſtilis impetus ictum perterrefactum ac uictum, ne per ſomnium quidem tanti myſterij capax eſt. Felix ſic: Inimici mei in animam circundederunt me. hoc eſt, propterea circum me adſtant, ut animam meam, portionem ſcilicet mei immortalem interimant, ſecumq; trahant. Atq; hic uides iam uim hoſtium deſcribi, poſtquam mores deſcripſit. Ad mores enim attinet, quòd ſuprà impios illos appellauit: hoc eſt, ſine Deo.

Adipem ſuum concluſerunt, os eorum locutum eſt ſuperbiam.

Adipe & pinguedine in ſcripturis (animus enim eſt ſupfluas ambages amputare) rerum abundantiã ſignificari, uel mediocriter in ſacris literis eruditus ſcire poteſt. Pinguis factus eſt Iſraël, ait Dñs in Deut. Et eſt ſenſus: Adipẽ ſuum concluſerũt: hoc eſt, opes facultatesq; copioſas ſuis cõmodis repoſuerunt, unde tam inſolenter ferociunt, ac contra Deum in primis ac cõtra homines blaſphemias faſtu pleniſsimas cõgerunt. Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorũ, ait uates in alio pſalmo: tranſierunt in affectũ cordis. Cæterũ ex opulentia, felicíq; rerum ſucceſſu oriri ſolet faſtus ac ſuperbia: qua quidẽ peſte cum quis eſt affectus, nihil in terris excellentius ducit, & ut adipem ſuum, hoc eſt, cor & uiſcera, ut ait Eutymius, ſtringat ad miſericordiã, claudatq; animum, ne quem ex bonis maximè in amicitiam admittat: & qui, ut reddit paraphraſtes, tam eſt paſtus bene, & obeſus, ut aruina obſtructũ uideat̃ os eius: quare & contemptim & cum faſtu de alijs loquitur. Ex quo illud potiſsimũ obuenire neceſſe eſt, quod alio in loco ſcripſit uates: Poſuerunt in cœlũ os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra. hoc eſt, in Deũ & homines, quæcunq; illorũ ſuggeſsit arrogantia, locuti ſunt. Quare additum eſt: Os eorum locutum eſt ſuperbiam. Cum enim id uitij genus adeò faſtuoſis diuitibus, atq; arrogantibus plebis ſuperioríb. familiare ſit, ut nullo alio ſe à diuino fauore tam manifeſtè alienos eſſe demõſtrent, ac gratia: illud tamen futili quadam honorum, quibus ornati ſunt, autoritate ac licentia obtegere nitũtur, dum omni in loco & tempore quælibet effutire, ſibi de aliorum moribus ac uita licere arbitrantur. Vnde illud oriri cernimus, quòd à ſubiectis ſibi populis, nihil ſperare

C audeant, præter timorem, iram, indignationem, neglectum, inquietudinem, odium, obtrectationem. Quis hoc modo regnare exoptat?

Proïjcientes mę nunc circundederunt mę: oculos ſuos ſtatuerunt declinarę in terram.

Quaſi, ait, proiectamentũ quoddam me exiſtimantes, atq; eum quidem, qui indignus eſſem ipſa uita, contempſerunt ac undequaq; circundederũt, perueſtigantes oculis, quo terræ loco, ſua in meam perniciem expanderẽt retia. Heb. ſic: Greſſus meos circundederunt. hoc eſt, quocunq; ambulare contingebat, hi uias omnes euadendi præcludebant. Oculos ſuos ſtatuerũt declinare, ſeu ponent ad declinandum in terrã: hoc eſt, perpetuò in nos oculos fixos habent, ſi qua ueniat occaſio nos adeò deïjciendi, ut labamur in terrã. Eiuſmodi enim illi ſunt, qui, uel poſt reconciliatã amicitiam, reſarcitamq; pacem utcunq;, & uerba, & actiones, & ipſos quoq; minimos reconciliati amici geſtus, ea obſeruant uigilantia & perſpicacitate, qua quondam augures ſoliti erant oſcines obſeruare. Sed illi deteriores, quàm iſti. Hi enim religione quadam, licet ſuperſtitioſa & falſa, ne quid inauſpicatum agerent, augurijs utebantur: illi uerò odijs ac ſimultatibus infecti, nullum non mouent lapidem, quò fœdus illud mentitum amicitiæ perrumpant. Alij pijs mentibus conſulentes, hunc uerſum interpretantur hoc modo. Oculos ſuos, aiunt, ſtatuerunt declinare in terram, ne, proditorũ more, aut quemadmodum ſenes illi dierum malorũ inueterati, de quibus in Suſannæ hiſtoria horrendum contexitur iudicium, in cœlum aſpicerent. Hiſce enim uerbis, inquiunt, im proborum affectus deſcribuntur, quibus tanquam ab œſtro moleſtiſsimo conci tati, in proximum continuò machinantur malum: quippe qui oblíti, quid decus appetat, & honeſtum, ad ſuas tantummodo cupiditates intenti ſunt, miſeri & cæci. & ſic ſecum: Vtcunq; iſta placeant, uel diſpliceant, ſic uolumus.

D *Suſceperunt mę ſicut leo paratus ad prædam: & ſicut catulus leonis habitans in abditis.*

Nunquam, fateor, uidi elegantiorem metaphoram, & quę clarius, uelutí poli tiſsimũ ſpeculum, eorum reddat imaginem, qui, ſeu clàm, ſeu palàm, neſcio quid crudele in animo moliuntur, req; perficiũt, cum eſt occaſio. Leo enim palàm, utpote qui propriis fidit uiribus, iraſcitur, rugitq;, ac prædam petit. Catulus uerò clàm in inſidijs & dolo, cum palàm non audeat, ob uirium imbecillitatẽ. Quod quidem feliciſsimè, ut cætera, ſic reddit paraphraſtes: Quiſquis illorum, ait, ſimilis eſt leoni, qui maximo ſtudio inhiat prædæ: & catulo leonis, qui inſidiatur ex locis occultis prætereunti ouiculæ. Tu interim, qui hæc legis, omnia ad animum transfer, atq; ad allegorias, tropósue, metaphoras ac ſecretiſsimos prophetarum ſenſus, aſſueſce. Quàm mallem profectò, Dei religioni ſtudentes, ouiculas intelligere uulgò nuncupari, & has truculentiſsimè diſcerptas: quàm leones, leonũq; catulos, in inſidijs ſedentes, & ſeſe mutuis morſibus, non cõtentos innocuis carnibus, dilaniantes. Quantũ, proh Dei fidem, ſemper obfuit Dei eccleſiæ, ac ſanctorum cœtibus, ſuperiorum diſcordia, & ſimultas? Quî poſſunt tenella uirgulta in arboris duritiẽ creſcere, trunco ipſo ab ſeſe diuulſo, ac longè à radice proiecto? Vis ne ſurculos tuos, ô arbor, ô radix, ſemper uegetos eſſe, & uirides, tute prius eſto unum: hoc eſt, non tantum tute tecum concors eſto, atq; unanimis, ſed & ipſos minimos malleolos ac ſurculos, tanta charitate tibi cõnecte, quanta ſibi uoluit connecti eius ſponſam Chriſtus Ieſus. alioqui diſcordantibus à capite membris, mirũ ſi ignores aliud nihil in toto corpore uideri poſſe, quàm languorem, morbum, diſſolutionem & mortem tandem. Iam illud non omittendum, quòd Felicis litera apertior eſt, quàm ſi legas: Suſceperũt me ſicut leo. Ille enim: Similitudo eius ſicut leo.

Exurgę Dominę prœueni eum, & ſupplanta eum.

Tu Domine, inquit, qui dum ferre ſuppetias differs, dormire uideris, exurge, prœueni, anteuerte, prœoccupa, præcide eius conatus, ne quod machinatur malum perficiat. Supplanta, inquã, illum eo modo, quo hi ſolent, qui currenti tibiã aut pedem ſubijciunt, ut cadat, ne ad metã deueniat. Vides quomodo ex omni

parte

A parte ardentiſsimis ſcateat affectibus is uates? Vides quomodo de Deo loquēs, à conſueto hominum more, quò noſtræ conſulat hebetudini, non diſcedat?

Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Hic indubiè legendum eſſe, framea tua, ſeptimo caſu, tam Hebræi quàm Græci affirmant. Sic Felix: Eripe animam meam ab impio framea tua. Alia uerò litera & ſecus, & clarius: Eripe animam meam ab improbo, qui tibi uice gladij eſt. Idem paraphraſtes: Animam meam, inquit, libera ab impio, qui gladius eſt tuus. Erit igitur ſenſus: Eripe animam meam ab impio, qui eſt framea tua, ſeu gladius, quo tuum perficis iudicium. Legimus enim in Eſaia: Væ Aſſur, uirga furoris mei & baculus ipſe eſt: in manu eius indignatio mea. Proinde ſequitur: Ab inimicis manus tuæ. hoc eſt, eripe me ab inimicis, qui tibi uice manus ſunt, qua nos cædis, atq; infers plagas. Quod de dæmone etiā dici uideo, tum aliàs in ſcripturis, tum in Iob maximè libris. Manus, inquit, Domini tetigit me, cum dæmon tetigiſſet, cuius ira Deus uſus eſt uice manus. Quare piorum eſt animorum, ſi quando à tyrannis atq; peruerſis magiſtratibus affliguntur, æquo animo ferre, poſtquam in ſcripturis paſsim legunt, improbis ſuperioribus, gladij loco, ſapientiſsimum uti Deum. Alioqui, qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit, ut ait Paulus. Non admodum enim iam intereſt, à quo hominum genere regatur mundus, ſimul ac altior factus eſt mundo uir probus.

Domine à paucis de terra diuide eos in ῾vita eorū: de abſconditis tuis adimpletus eſt ῾venter eorū.

Hoc eſt, improbos eos, ab electis tuis, qui pauci ſunt, ſecerne: eos, dico, qui de terra ſunt, terram ſapiunt, & amant, non cœleſtia. In hac enim terrenarum rerum colluuie & inconſtantia, felicitatem ſuam collocauerūt, atq; adeò bona ſua omnia. Vnde illud ſcomma in diuitem epulonem, ex Euangelio: Tu, inquit, recepiſti bona in uita tua. Ex iſtis ſanè erat diues ille, quos nunc uates in hoc pſalmo B memorat. Variè admodum Hebræis is eſt uerſus, ac ſequens. Felix ſic: A uiris ex tempore, quorum pars in uita: & abditum tuum, ut impleas uentrem eorū. Quorum uerborum is ſenſus eſto: Eripe animam meam etiam à uiris ex tempore: hoc eſt, qui ad hoc tātum pertinent tempus, non ad futuræ uitæ perennitatem, quorum pars in uita: hoc eſt, qui actionum ſuarum, bonorumq; geſtorū partem, mercedem ſcilicet in hoc mundo recipiunt, quemadmodum de epulone illo iam diximus. Et abditum tuum, ut impleas uentrem eorum: hoc eſt, ſecretum, atq; altè abſconditum eſt humanis ingenijs conſilium tuum, quòd in tanta bonorum copia uiuant. Quis hoc tuum iudicium perſcrutari par eſt, quo Lazarus ille iuſtus malis affectus ſit: heluo uerò, & qui nihil à ſordido ſuæ uitæ conſuetudine atque inſtituto differret, bonis omnibus affluereť? O profunditatem inconprehenſibilem. Non ſolū, inquit, improbi & ſceleroſi, in huius ſeculi bonis quietiſsimè natant: ſed & illis liberos donas, quibus poſt ſe, opulētiſsimas ſuas opes, tanta crudelitate partas, relinquant. Ideo ſubijcit uates,

Saturati ſunt filijs: & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.

Vel, ut alia habet litera, pueris ſuis. Id eſt, tam pollucibiliter atq; abundanter huius mundi rebus affluunt, ut etiam nepotibus ſuis ac ſeruis aliquid impartiant poſt mortē. Plus quàm par eſt, diuites ſunt. Cæterùm ſi non placet interpretatio, quam poſui de abſconditis, dicas abſcondita diuitias eſſe, de quibus in ſuperioribus queſtus eſt, quòd adipem ſuum cōcluſerunt: ſeu quia potiſsimum hæ in auro & argento, peregriniſq; lapillis, qui in terra latent, conſiſtant, uel quia ab auaris diuitibus abſconduntur. Idcirco alius ſic reddit: Theſaurus tuus replebit uentrem eorum. Et uerè uentrē: nam ad animā diuitiæ hæ caducæ minimè ſpectant, niſi fortè in eius damnum. Expaueſcendæ igitur ſunt, nō amandæ, poſtquam ab ipſius ueritatis ore proditum eſt, diuites difficile peruēturos in regnū cœlorum. Nónne amentiæ genus illud eſt, rem eam expetere, conatúue omni, & labore quærere, quæ tua diu eſſe non poteſt: cœleſtia uerò, quæ æterna ſunt, ac propria animæ bona, non ſolum non quærere, ſed auerſari, & obuia quoq;, tanquā colu-

C brum letalem, fugere? Nulla enim res, re ulla alia inferiori, aut æquali, expleri poteſt. Et cum nihil homine maius ſit, quàm ipſe Deus, ipſo ſolo impleri poteſt, ac ſatiari. An autem ſatient animũ diuitiæ, imperia, & quibus maximè ſolicitantur mortales, belluæ illæ infinitæ libidinum, teſtari hi poſſunt, quibus bellorum tororumue alienorum, nullus eſt finis. Illi ut lubet,

Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cum apparuerit gloria tua.

Iam ſuam felicitatẽ illorum felicitati opponit uates. & eſt emphatica antitheſis. Illi enim, inquit, bonis caducis abundent, poſtquam ſic uolunt: nihil moror. Ego iuſtitia diues, tua felici æternaq; uiſione ac pace non fluctiuagis mundi huius rebus ſatiabor, expleborq; ad ſummũ. Illi, inquam, ita ut expetunt, copioſiſsimè habeant. Quid mea intereſt? Ego non eis tam manifeſtam damnationem inuideo, ſed iuſtitiæ potius, uirtutum ſcilicet perfectioni, ut cœpi, incumbam. Etſi enim in harũ ſtudio plurima me mala experiri oporteat, non frangar tamen, non deijciar animo. Erit profectò, erit, ut tuam faciem aliquando uideã ô Chriſte, atque ex tuo illo amabili aſpectu, quo ſolo beatæ animę explentur, ueram obtineam beatitudinem. Tunc ſanè, plenè, uerè copioſeq; ſatiabor, quando tua manifeſtabitur gloria: cum interim indubitatũ damnationis futuræ indicium ſit, res eas in terris expetere, ac tam anxiè, ut uideo, & amare & quærere, quarũ uoluptas aut commodũ cum morte deſinit. Diuus Hieronymus ex Hebræo, loco, Cum apparuerit gloria tua, legit, Cum ſurrexerit ſimilitudo tua: quod idẽ eſt quòd ſpecies aut gloria: niſi malis ſimilitudinem, hic dici hominem qui ad Dei ſimilitudinem eſt factus. Et erit ſenſus: Tum ſaturabor gaudijs, cum è tumulo euigilans, ad immortalem uitam ſurrexero. Similitudo enim Dei in nobis adeò per Adæ peccatum perlanguit, ut mirum uideri poſsit, quomodo nõ prorſus ſit abolita, noſtris
D maximè accedentibus erratis ac lapſibus. Verùm per iuſtitiam fidei hic in terris, operãte Chriſto, reformari poteſt: ac dum de fide in fidem ambulamus, augeſcere. Tum uerò cum Chriſto, in quem per amorẽ transformamur, nouiſsima in reſurrectione perficietur, quando ad eius ſimilitudinem rediuiui è ſepulchris excitabimur. Nam quos Deus ad uitam præſciuit æternam, ut diuus inquit Paulus, prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.

PSALMVS XVIII.

IN FINEM PVERO DAVID, SEV DOMINI DAVID, *quæ locutus eſt Domino uerba cantici huius in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum, & dixit.*

Diligam te Domine fortitudo mea.

Dei filius Chriſtus Dominus, hoc in pſalmo, Deo patri gratias agit, quòd ſe immunẽ ab improborũ manibus reddidit. Sed hæc omnia propter nos, ut ſcilicet in anguſtijs, ſiue quas mundus, atq; ipſius amatores, ſiue quas dæmon, in anima ac carne excitare ſolet, quò tutò euadendum ſit, perdiſcamus. O nos beatos, ſi continuò Chriſti actiones ante oculos haberemus. Caderent, mihi credite, prorſus ſquammæ illæ, à cæcitate noſtra, quas olim Paulus per triduum paſſus eſt: & quibus nobiliorẽ partem oculorum obtegentibus, in iuſtitiæ ſemitis planè luſcioſi atq; hallucinantes gradimur. Porrò nihil hic agere illos arbitror, qui admodum in tituli interpretationi diſtorquentur, ignorantes quòd Dauid in ſuis illis perſecutionibus, quibus tum à proprio filio, tum ab externis nationibus affectus eſt, ac tandem diuino ſuffragante auxilio liberatus, Chriſtum ualde anguſtiandum, liberandum etiam, in ſpiritu uiderit. Proinde caput ipſum noſtrũ audiamus, ac cum ipſo (modò ſimus digna tanto capite membra) decantemus hanc amoris odam. Sed illud in primis conſiderandum, nemi
nem huiuſmodi appellationibus, fortitudinis ſcilicet, firmamenti, refugij, liberationis,

A tionis, Deum inuocare posse, præter illum, qui totus, nihil sibi reseruans, ab ipso solo pendet, ac de eius auxilio certus est. Ad hæc, cum amor sit primum & maximum donum, atq; in ipso omnia à perfectissimo Deo & opt. max. dona dentur gratuita: nullum aliud maius donum, uel Deo, uel homini rependere possumus, quàm amoris. Vnde illud est sponsi ad animam: Dilige, pro tantis sat mihi solus amor. Christus enim, ut Deus, simplici quodam, infinitoq;, ac inenarrabili amore diligit patrem: sed ut homo, eum maiore dilectione solus, quàm omnes simul electi, & colit, & amat. Quocirca audacter & uerè dicere potest, Diligam te Domine fortitudo mea. Equidem cum ne guttam quidem minimam eius flagrantis amoris adhuc persenserim, quoniam tamen illum ipsum hoc modo clamare uideo, qui me etiam reluctantem ac sordidum, ad sublimiora secum trahit, ac perin de me unum esse cum patre, uti ipse est, & cupit, & uult, summa cum fiducia, unà cum ipso, dicam: Meritò te amo, ô pater, cum sis fortitudo mea, sine qua ipsi etiam cœlestes spiritus infirmi sunt, ac debiles. Cum tu Domine multis immẽsisq; me affeceris beneficijs, & in reddenda g atia me imparem cognoscã, agam quod possum, quamuis neq; hoc sine te queam, te reamabo.

Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus.

Hebræi: O' rupes mea, propugnaculũ meum, ereptor mi. Vide metaphoram. Solent enim hi, qui se in præruptas rupes, pendentiáue saxa, ac loca inaccessa recipiunt, se tutos putare. Quis eò nisi aliger quispiã ascendere est potis? Tales profectò olim Israelitarũ turmæ fuere ab Madianitarum exercitu fugatæ, de quibus in sexto Iudicũ capite sic legimus: Fecerunt sibi antra & speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca. Alio quoq; in psalmo, Deus à propheta, petra refugium herinaceis appellatur. His igitur appellationibus, tutissimã esse
B Dei protectionẽ, innuere uult uates. Vnde sic reddit paraphrastes: Dominus instar rupis & turris, semper fuit mihi, seruator meus, dux meus & fortitudo mea. Stolidus nimium sum, si hic non considero, quod hactenus ignorauí, omnia scili cet bona mea, omnes uires, omnia arma, in Deo sita esse: neq; ulla ab alia re mortalium errores tam crebros enasci, nisi cum sibi, quod Dei solius est, tribuunt.



Deus meus, adiutor meus: & sperabo in eum.

Felix: Lapis meus, confidã in ipso: & sic in metaphora perstiendũ est earum rerum, quæ omnifariã præ se ferunt securitatem. Porrò nunquam de Deo nostro simile quoddam insultationi illi, qua in Aegyptios olim usus est Moses, auditum est dici. Vbi sunt, inquit, dij eorum, in quibus habebant fiduciam?

Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.

Hebræi: Clypeus meus, uirtus, qua seruor: perfugium meum. Clypeus enim noster est Deus, qui tela illa ignea, pro nobis, quæ intorquet hostis, atque in nos iaculatur, suscipit. Cornu est, quia potens & robustus. Siquidem in scripturis per cornu, quo animantia potissimum & pugnant & intumescunt, potentia, uirtus, robur, gloria interdum, ac regnum significatur. Vnde impijs dicitur: Nolite extollere in altum cornu uestrum. De Christo autem: Et erexit cornu salutis nobis. Et illud: Exaltuit cornu populi sui. Vide uerò quàm tenera, ut sic dicam, usus est dictione, susceptor: more scilicet anxiæ nutricis, quæ perterritum puerum, aut leui, nescio quo strepitu fugatum, inter amica brachia suscipit, stringitque ad pectus.

Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.

Post inuocationẽ memorare iam incipit, quibus è malis Dei beneficio ereptus sit. Præsentaneum enim remedium est, in angustijs acerbioribus, ac tentationum mole, ut de iam præstitis beneficijs & liberationibus gratias agens, Deum, ut iterum opem ferat, implores: quod quidem in scripturis fit passim obuium. Adde quòd eum inuocare non potes, de quo salutem non speres. Quare in Euangelio Lucæ legimus, Dominum Iesum eleuatis oculis in cœlum dixisse: Pater gratias ago tibi, quando me audisti. Ego sciebam, quia semper me audis. Et cum hæc

c dixisset, uoce magna, hoc est, fiduciæ plena, clamauit. Verùm cupis ne scire quid utilitatis afferat eiusmodi erga Deum, uel affectus, uel gratitudo? Ab inimicis meis, inquit, saluus ero. Hic certè uides quàm breui compēdio eò peruenit, quò nostri labores omnes desudāt: ad eam scilicet animi securitatē, ut nullum quamuis crudelem pertimescamus inimicum. Aspe enim, ac laude, gratiarumq; actione, tantum sibi comparatum bonū asserit: non à superstitiosis syngraphis, & tabellis collo alligatis, quibus nostri temporis milites utuntur, aut in rebuspub. factiosi. Vis ne miles, inter densissima hostium tela, uel inermis, inoffensè uiuere? Deum, quem præteritæ uitæ impuritate, furtis ac rapinis offendisti, uitę innocentia & puritate tibi concilia, eumq; time.

Circundederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Quis tam ferreus est, qui hoc non fleat? Qui culparū suarum pondus non exe cretur, pro quibus eluēdis tam uilis factus est Christus, ut perterrefactus clamet, expostuletq;, sese à doloribus mortis circunuentum? At tu, si tam durus es, atq; extra te positus, ut hæc nō uideas, immensum saltē liberationis munus recognosce ex periculi magnitudine, in quo se esse queritur Deus tuus. Cæterùm dictio, Dolores, in Hebræo quiddam uehemētius sonat, quàm latinus reddit interpres: subitum scilicet, uiolenterq; irrumpentem, ac omnē corporis texturam dissoluentem dolorem, ut ille est, quo miris cruciatibus ac torminibus distorquentur parturientes. Ita igitur non dissimulanter, aut in superficie, Dei sui languores cōtemplabitur ardens anima. Cœpit Iesus, ait scriba ille diuinus, pauere, & tædere, & contristari. Mirum si neges uehementes in pauore illo, qui mortem intentaret, in tædio, in tristitia, fuisse dolores. Et torrentes, inquit, iniquitatis.) Felix: Cōgregationes Belial perterruerūt me. Quod clarius expresit alia litera: Torrentes quid perditorum hominum me exanimarant. Sunt profectò peruersorum homi num impetus, quasi torrētes: qui nulla lege, nullo ordine, nullo habito respectu, uel honesti, uel decoris, ferarū more, in omnibus suis consilijs & actionibus sese habent, uti nimirum torrentes solent, qui subitis imbribus, uel niuibus è montiū apice eliquentibus, repentino quodam impetu præcipitanter defluunt. Conturbauerunt me.) Perterruerunt me, ait Felix: seu exanimarant: aut, ut paraphrastes, Torrentes diaboli terruerunt me. Aiunt enim corpoream naturam in Christo, à naturali sua dispositione immutatam, propter acerbitatē doloris: nō tamen rationem à rectitudine, ne pilum quidem, deflexisse.

Dolores inferi circundederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.

Volunt, enim quos modò dixit, dolores mortis, eosdem etiam dolores inferni appellari, quò ex tanta uerborum exaggerantia, ut moris est Dauidi, summam angustiarum uim & anxietatem in Christo futuram exprimeret. quod quidem placet. Addunt porrò hunc inter Christi dolores atrociorem fuisse, quòd suos scilicet tam diros cruciatus, ac sæuam mortem, perpaucis profuturam præuidit. Vnde illud è purissimi illius cordis radicibus emanauit, Sitio: quo se supremum in modum salutem humani generis sitiuisse significauit. Condoluit igitur Christus futurum mortalium exitium, ac nigras inferorum ædes infinitis animarum agminibus patêre, suamq; bonitatem penè ab hominum duritia deuictam conquestus est. Præoccupauerunt me laquei motis.) Felix: Præuenerunt me. Vt intelligas, anxios Iudæorum animos, ad festinandam Christi necē extitisse. Queritur etiam apud Hieremiam filius Dei hoc modo: Foderunt foueam, ut caperēt me: & laqueum absconderunt pedibus meis. Hinc, ueluti interpretationem dictorum, adijcit: Tu Domine scis omne consilium eorum aduersum me in mortem. Summa: Tam astutas in me fabricati sunt technas, uafrosq; dolos, & insidias, ut euadendi spes esset nulla. Nihil non tentauerunt, ut me occiderent, eraderentq; de terra uiuentium. At ego.

In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui.

Narrat hic Christus, quò angustiatus fugerit. Non quidem ad magos, & ariolos,

A los, non ad mathematicos ac phyſiognomos, ut quoſdam, uel in ſublimiori profeſsione aliqua conſtitutos, confugere audio, uidi quoq; : ſed ad Deum uerum, atq; hunc ſolum omnipotentem, & conſtantiſsimum. Summa enim uirtus eſt, ac præcipuum fidei argumentum, cum aut ab inuiſibili tentamur hoſte, aut iniurijs à uiſibili impetimur, non deſpondere animum, aut nimium perfractè dolere: ſed illuc noſtra dirigere conſilia, unde certiſsima expectatur ſalus. Ita enim egit Chriſtus cùm ſemper, tum maximè, cum procidens in faciẽ ſuam prolixius orauit, factuſq; eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terrã. Porrò quid apertius ab apoſtolo dici poteſt, quàm illud quod ad Hebræos ſcribens enarrat? In diebus, inquit, carnis ſuæ, preces, ſupplicationesq; ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte, cum clamore ualido, & lachrymis offerens, exauditus eſt. O miram filij Dei erga homines dignationem: ô noſtram uerò ignauiam: ipſe enim innocentiſsimus, pro ſe, ſuaq; ſalute, orat: nos autem ſordidi, horas omnes, ac ſi nullum eſſet periculum, ad puluinar ſtertimus. Nónne aliquando ſaltem, ſi non continuò, à pollicitationibus per nos in baptiſmo, uoto illo ſcilicet publico, ac ſolenni, factis, excitamur? Pater, inquit ille, ſaluifica me ex hac hora. Mi pater, ait, transfer à me calicem iſtum. Nónne pro nobis etiam? Pater, inquit, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut nos. Poterit ne filius amantiſsimus à patre tam pio uoto fraudari? Cum clamore, ait Paulus, ac lachrymis: quod penè idem eſt, quod antea ipſe Dei filius in propheta queſtus eſt: Oculi mei, inquit, languerunt præ inopia: quaſi lugens, & cõtriſtatus ingrediebar. Atque hoc ſæpe aliàs, ſed tum fortius cum cruento ligno ſuffixus, humani generis ingratitudinem defleuit. Et cuius miſerando ſpectaculo, ſol obſcuratus eſt, diſciſſæ rupes, ac condita omnia dederunt notam doloris.

B *Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam.*

Vide gratitudinem animi, qui in extremo quoq; periculo conſtitutus, non poteſt non fateri beneficia. De monte ſancto ſuo, inquit, deq; æterno maieſtatis ſuę palatio, ac ſede cœlorũ immortali, exaudiuit me. In cœlo enim habitare Deum, in tranquillitate infinita, hoc eſt, in ſeipſo, & credimus & prædicamus. In cæteris enim locis ac rebus, cum per potentiam quandam inenarrabilem, incomprehenſibilemq; bonitatem, totus ſit, quippe qui natura ſpiritus ſit, propterea indiuiſibilis: in cœlo tamen, beatorum ſcilicet ſede ac patria, ſpeciali quadam prærogatiua per diuinum aſpectum, quo ſuos omnes beat, ſedem habet.

Et clamor meus introiuit in aures eius.

Hoc eſt, non ſolum clamor meus, miſerorum ſcilicet omniũ, in ſanctiſsimum eius conſpectum peruenit, ſed uſq; ad ipſius aures ſeſe inſinuauit. Cupis ne ſcire an à patre filius ſit auditus? Et clarificaui, inquit, & clarificabo. Verùm quibus tandem ſignis pater ſuam ſolitus fuerit mortalibus manifeſtare potentiam, cùm in antiqua lege populo illi duræ ceruicis, tum uel maximè moriente amantiſsimo eius filio in cruce: tum, dico, quando terrificis portentis ac ſignis teſtatus eſt ſeſe dolere, atq; iraſci, in nece tam manſuetiſsimi agni, ediſſerit uates, ac feruentiſsimo pectore clamat,

Commota eſt, & contremuit terra.

Ardent omnia in hoc pſalmo: quare flagrante in diuino amore, opus eſt intellectu, ad hunc perueſtigãdum. Alioqui mens algida, atq; cœleſtis prophetarum furoris expers, quomodo in flamma huiuſmodi perfectiſsimis uiris uix cognita, incaleſcet? Num hæc legentes ignoramus adhuc, ad diram illam filij Dei mortem, condita omnia perturbata, concuſſáque, ac terrifico ſpectaculo cœleſtis patris dilectiſsimi ſui unigeniti ſpectantis necem, declaratam iram? Fuere quidem olim, mirabili mortalium ſtupore, terræmotus, telluſq; non ſemel altiſsimo ſubſedit hiatu. Fuit aëris tempeſtas, atque aliæ cœli terræq; & abyſsi commotiones. Sub hora tamen, qua filius patri reddidit ſpiritũ, fuere cuncta terribiliora quàm

C unquam, ac horrenda magis. Ab Euangelio enim accepimus terram motam, petras ſciſſas, monumenta aperta, inferos patuiſſe, obſcuratum ſolem, lunamq́, ut ait Petrus, ſanguineam factam: ſigna inſuper ſurſum in cœlo & in terra deorſum, ſanguinem, & ignem, & uaporem fumi. Quæ quidem omnia, moriente Chriſto, accidiſſe, non deſunt, qui dicant, citantes illud Ioelis ab apoſtolo Petro in mediũ adductum: licet alij ad iudicium uniuerſale referant. Vtrunq; enim, ut mea eſt opinio, ſpiritui cõuenit: ſed illud magis, quo quidam aſſerunt diem illũ magnum, & (ut ipſius Vatis uerbis utar) manifeſtum gratiæ tempus protendiſſe: quandoquidem is ſtatim, connumeratis miraculis, quæ diem iſtum feliciſsimum præuenire debuerant, infert: Et erit (poſtquã ſcilicet ſigna illa præterierint) quòd omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quæ ſanè inuocatio, quum fide & cultu conſiſtat, in alio ſeculo locũ non habebit, cum omnia ibi definita, ſedem ſibi in æterno deſtinatam, citius quàm ipſe ſit oculi nutus, perenni lege ſortiẽtur. Signa igitur quæ hic à Vate narrãtur, indicia iræ patris ac doloris, ob filij necem fuere. Qua ratione uerò humani in Deo dicantur eſſe affectus, cum natura ſtabilis ſemper ſit, ac ſui ſimilis, iam antea diximus. Noſtri enim intellectus hebetudo, uix aliter de diuina illa natura, uel cogitare, uel ratiocinari, niſi more humano ac conſuetis uulgò uerbis, idonea eſt. Atqui huius temporis ſexcẽta prius præterierre argumẽta præludiaq́, teſtantia Dei indignationem in mortalium genus. Sed illud in primis (cætera enim omittam) quod in Exodi libro legimus: Iam, inquit, aduenerat dies tertius, & mane inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes denſiſsima operire montem, eratq́ omnis mons terribilis. Huiuſmodi enim terrificæ illius regionis cõmotiones, umbra erant futuri, quemadmodum cætera Iudæorum, quibus quotidie in ſpiritu erudiuntur electi,
D hoc eſt, Dei eccleſia. Plagas illas hic Vates memorat, ac minas, quæ in Iudæorũ gratiam cœlitus olim Aegyptijs obuenere: quo admoneamur, noſtræ huic ætati, quam auream appellare fas ſit, poſtquam in ea uixit Chriſtus, & nunc uiuit, portenta illa præluſiſſe.

Fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis.

Vides iam palàm, quamobrem concuſsiones illæ elementorum à Deo ſint factæ. Quoniam, inquit, iratus eſt eis. Cur iratus? ob necem ſcilicet tam indignã ſui unigeniti, ob generis humani internecionẽ, ob latè diffuſum per orbem tartareæ poteſtatis imperium. O deſiderabilem electis ſupremi patris excandeſcentiam, atque iram, improbis uerò extimeſcẽdam. Cæterùm moriente Chriſto, genus aliud terræ, etiam quàm id eſt, quod pedibus calcamus, permotum eſſe credimus: homines ſcilicet, qui tum præſentes aderant crudeli illi ſpectaculo ac tragœdiæ. Cẽturio, ait Euangeliſta (ecce terræ fundamentũ) & qui cum eo erant (ecce terra) uidentes quæ fiebant, & quia ſic clamans expiraſſet, timuerũt ualde: hinc uides & terram motam, & montium fundamenta concuſſa. Ita enim tropo ſcripturæ, terra & montes, frequentiſsimè uſurpãtur. Aliud fermè huic ſimile ab alio Euangeliſta enarratur. Omnis, inquit, multitudo eorũ qui aderãt ad ſpectaculum illud, uidentes quæ fiebant, percutientes pectora ſua, reuertebantur. Porrò Dei ira in hoc loco eſt diuinæ iuſtitiæ uindicta, exactaq́ punitio, quam cum intentat Deus, aut ſignis huiuſmodi terrificis pollicet, quis liber à pauore? Tunc ait Propheta, conturbati ſunt principes Edom: robuſtos Moab obtinuit tremor. Perterrefactis enim principibus, nemo ſanè ex uulgi turba eſt, qui impauidè uiuat.

Aſcendit fumus in ira eius.

Vide quomodo de Deo Vates, ut de homine loquit: quò tandem ex his, quæ quotidie in iratis hominibus fieri cernis, aſſueſcas, uel ſic, Dei potentiam ac iuſtam eius iram, uindictamq́, tum fateri, tum extimeſcere. In ira furoris mei, inquit, ſufflabo in te. Creatore enim irato ob creaturæ interitum, uindictæ olim fumus præceſsit, cũ tyrannum ex parte coercuit: quod quidem ultionis futurę atrocioris exordium fuit, quemadmodũ fumus eſt igni præuius. Quocirca dęmones

natura

A natura acutiſsimi, ſuam prorſus præuidentes exterminandam tyrannidem, atq; ad æternos ſeſe obtrudendos, per Chriſti mortem, cruciatus, exibant clamantes: Veniſti ante tempus torquere nos. ac ſi dixiſſent, fumus tuæ eſt iræ, quem ſentimus: nondum enim ignis tempus aduentaſſe ſcimus. Cur igitur cum fumo flammam quoq; ante tempus eiacularis? Cæterũ nónne de homine uehementer irato dicimus, quòd in illius nares fumus aſcendit? Hîc itaq; maxima Dei ira atq; ultio, in reprobos eſt expreſſa. Solet enim ſcriptura, & potiſsimũ Dauidis, mentis oculos excitare ad illa de Deo conſideranda, quæ corporeis paſsim oculis ultrò occurrũt. Ad hæc, in priſca illa Iudæorum ætate uulgò omnibus erat notum, Deum ſcilicet, cum præſentius ſuam decreuiſſet potentiã, iram quoq; atq; ultionem declarare, intonuiſſe, fulguraſſe, ac terram terrificè concuſsiſſe. Quo alio ſigno ſe iratum oſtendit in Iudæorũ gentem, quæ, iniuſſu Domini, regem ſibi petierat? Quo rurſus alio, ſe potentẽ, quando ſuo Vati liberationẽ populi ab Aſſyrijs eſt pollicitus? Viſitaberis, inquit, cum tonitruo, cõmotione, uoce grandi, turbine, tempeſtate, flamma ignis urentis. Neq; ſanè quidem alio ſe indicio, potentem, cõmotumq;, ac timendum præbuit, cum mortalium redemptionem Chriſti morte paratam, cœleſtis lampadis obſcuratione, terræmotu, rupiumq; colliſione, teſtatus eſt. Adeò enim antiquitus omnibus inualuit perſuaſio eiuſmodi, ut etiam poëtæ ethnici hanc ſe habuiſſe ſuis in carminibus demonſtrauerint. Sic enim illorum princeps: Ipſe pater media nimborum in nocte, coruſca fulmina molitur dextra. Cum igitur tropos, atq; huiuſce generis metaphoras, in ſcripturis legere contingit, caue ducas in Deo eſſe, aut iræ aut excandeſcentiæ motus: quippe qui ſimpliciſsimæ, atque adeò perfectiſsimæ naturæ ſit ſpiritus: ſed tantummodo ex his elice, quàm mirabilis, quàm potens, quàm iuſtus, quámue irreuocabile eius iudiciũ ſit, ac firma lex. Præterea ordinem illum, quem in humanis con-
B cionibus ſeruari oportet, ſi in rebus propheticis uidere nequis, ne idcirco ab illarum lectione deterrearis: ſed magis aſſueſce in ſanctis uatibus ſanctum furorem pernoſcere, ut in tanta præſentis pſalmi troporum congerie eſt uidere: qui partim ad Chriſti tempus, partim ad iudicium uniuerſale: totum uerò ad ea, quæ quotidie in peccatorum conuerſione fieri cernimus, attinet. Non eſt enim tam horridus in rebus conditis fragor, tam ſæua concuſsio, tam aſper motus, tam dira tempeſtas, quæ illa minor non ſit, quæ in hominis pectore uerè ſeſe examinantis, ex cordeq; reſipiſcentis, ac quibus, ob uitæ impuritatẽ ac turpitudinem, obnoxius ſit pœnis, peruidentis, miſerabilem in modum uerſatur. Porrò quis adeò lucidus ignis eſt? quę fulgetra? quod fulmen? quę coruſcationes adeò ſplendidæ, adeò ardentes, quę cum face illa diuinæ conſolationis comparandę, quam in ſe ſentit uir ſanctus, ob reconciliatam cum Deo conſcientiam? ſol ipſe quidem purificatæ conſcientiæ ſplendori cedit.

Et ignis à facię eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

Irati hominis, ut iam diximus, qui è naribus ſpiret fumum atq; ignem ex ore, Deo perſonam tribuit Vates: quò terrificũ eius in ſceleratos homines iudicium, hiſce ſaltem uſitatioribus uulgò uerbis, cor noſtrum alioqui durum ac intractabile, intelligat & ueneretur. Verùm carbones, hoc eſt, bonæ naturæ dotes, per Adam extinctæ, per Chriſtum accenſæ ſunt: per uoluptatum, inquam, undas ac fluctus, reſtinctæ, per ſpiritus ignem reaccenſæ. In ardentiſsimã enim flammam diuini amoris, per Chriſti acceſſum ad homines, iam terminauit uoluptuoſarum rerum fluor ac torrens.

Et inclinauit cœlos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.

Habitus hîc cœli, ſæuiente procella, deſcribitur: tum enim demiſſum uidetur, ac terræ incumbere, montesq; fumo, & caligine, & nebula cõuolui, & obſcurari. Quæ quidem cum uidentur fieri, ut olim in monte Sinai uiſa ſunt, & quotidie in excelſioribus montibus cernũt, Dei præſentiã pertimeſcimus, fateamurq; eum ipſum deſcendere, caliginémue ſub eius pedib. cõdenſari: quod in picturis quo-

C que effingere conãtur pictores, ut paſsim in templis locisq; prophanis fieri conſpicimus, licet ab omnibus fermè cauſa ignoretur. Ex hac porrò terrifica cœlorum concuſsione atq; obſcuritate, crebræ illæ rogationum ſupplicationes in Caſino monte à ſanctiſsimis illis mei ordinis uiris originem habent. Vidimus enim ſæpe, maximo cum ſpectãtium miraculo & ſtupore, ipſius fulminis telum iamiam terris propinquũ, ui precum in aëre pendêre, tandêq; in mediis ipſis coruſcationibus unà cum nimbis in tenuiſsimũ uaporẽ reſolui. Quis, oro, huiuſce generis remedium tam ſalubre, ad placandũ Deum iratũ, mortales edocuit? Quis fidei catbones illos iam in nobis reaccẽſos, cinere olim obductos & planè emortuos excitauit, in flãmamq; effudit, niſi is qui noſtri gratia deſpectus, inclinauit ſeſe, formam ſerui accipiẽs, deſcenditq;, ut ait Paulus, in inferiores partes terræ? Verùm caligo ſub pedibus eius. Nam obſcura uia eſt, ut inquit Eutymius, atq; incomprehenſibilis incarnationis filij Dei modus & ordo.

Et aſcendit ſuper cherubin, & volauit: volauit ſuper pennas ventorum.

Crubin Hebræis aues ſunt: crub auis. Hic enim Dei potentiam, celeritate omnia indicibili ſuperantem cogita, quippe qui pro equo, crub ſeu uolucrem, & hanc cœleſtem habere dicat à Propheta: & qui pennis, ut ait paraphraſtes, ipſo uento celerioribus uolat & equitat. Cæterùm in rebus corporeis nihil uento celerius eſſe re ipſa uidemus. Quid ſi alas addis? Vide proſopopœiam, ferè neceſſariam ad exprimendos diuinos affectus in terris, apud rudiores præſertim, qui rarò ad cœleſtium rerum contemplationem mouere animum norunt, niſi corporea aliqua ſimilitudine propoſita. Et uerè Dominus Ieſus cum inclinaſſet cœlos, & deſcendiſſet, equitauit ſuper cherub, hoc eſt, ſuper plenitudinem ſcientiæ (ſic enim hanc uocem interpretantur) quam eſſe charitatem diuus aſſerit Auguſtinus. Ipſe enim ſolus creaturarũ omnium ſimul charitatem ſupergreſſus eſt, cum
D pro inimicis, atq; illis quidem ipſis impijs occubuit: cum ne pro amicis certè, & illis iuſtis & bonis, quis mori audeat.

Et poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebroſa aqua in nubibus aëris.

Nimborũ uis, qui terræ incumbunt, eo maximè tempore quo totus paſsim nigreſcit aër, à Propheta narratur, ex quo tremendam creatoris potentiam in nubium obſcuritate latentem ferè ſentimus. Facit, inquit paraphraſtes, tenebras latibulum ſuum circum ſe: in modum tugurij habet obſcuriſsimas aquas, & denſiſſimas nubes. Certum porrò eſt, inuiſibilẽ diuini luminis plenitudinẽ, ut ait Dionyſius ad Gaium monachum ſcribens, appellari diuinam caliginem, ſeu Dei tenebras. Has tenebras, ait, & hanc caliginem, ponit Deus latibulum ſuum. Rurſus alio in loco: Diuinæ tenebræ, inquit, cooperiuntur omni lumini, & abſconduntur omni uiſioni, propter incircunſcriptibilitatẽ, & ſuper pleniſsimã proprij ſplendoris claritatem. Noctuæ enim oculi, hoc eſt, mortaliũ intellectus, ad hanc denſiſsimam diuinæ naturæ caliginem, quæ lucem habitat inacceſsibilem, omnino cæcutiunt. Quocirca quid humanis, tardis ſcilicet atque hebetibus animis, profundiſsimos illos diuinarum tenebrarum receſſus aliquando intelligere ſperamus, cum & in nubibus aëris, in prophetis uidelicet, apoſtolis, angelicisq; naturis, tenebroſa ſit aqua: id eſt diuinarum rerum ſcientia & ſpeculatio hallucinetur & luſcioſa ſit? Angeli enim Dei, ut ait Dionyſius, nubes cœli ſunt. Cæterùm de apoſtolis canit eccleſia hoc modo: Qui ſunt iſti qui ut nubes uolant, per cœleſtem ſcilicet contemplationem ac notitiam? Qui tamen, quandiu in terris peregrinati ſunt à Domino, nõ tam altè, quemadmodũ angeli, diuinæ notionis ſecreta perſcrutati ſunt. Hi enim, ut ait idem, recipiũt illuminationes diuinas receptione prima, clara & immediata. Illi uerò receptione ſecunda, ſymbolica & mediata: nam per angelos deferunt ad nos.

Præfulgor eius in conſpectu eius nubes tranſierunt, grando & carbones ignis.

Vidiſti ne unquam commotiones aëreas & uiciſsitudines elegantius expri-

mi? Cla-

A mi. Clarius Hebræi: A' ſplendore, aiunt, qui coram eo eſt, denſæ nubes tranſierunt, hoc eſt, fulgetris crebrò micantibus, fulminibuſq; candentibus, extenuatæ nubes diſparuerunt. Solent enim nubes ex crebreſcentibus coruſcationibus admodum extenuari. Senſus igitur erit: A' præſentia fulgoris & coruſcationum, quæ cœlitus erumpunt, diſſoluuntur nubes, quamuis denſæ & opacæ. Grando tranſit, fulminaq; illa ignea, quę perinde cuncta perurunt & afflant, atque ſolent accenſi carbones in aridas ſegetes coniecti, ſtipulas amburere ac deuaſtare, euaneſcunt. Sunt & alij carbones, quos ſuprà memorauit uates, ſuccēſos eſſe ab eo: qui prius tanquam præuſti quidam ſudes, ſemiuſtiq; titiones, extincti uidebantur, erantq; omnino: poſtea uerò uiuidi effecti, atque maiori quàm antea, reaccenſi lumine & ardore, quamcunq; afflant animam, quamuis algidam & mortuam, in ignis illius naturam tranſmutant, qui conſumens dicitur: ſimiles nimirum lucernæ, quę cum premitur, ut purgetur, uidetur extingui: ſed emuncta, poſtea maiori ſeſe lumine manifeſtat, & lumen prębet. Hos enim carbones, Dei ſcilicet apoſtolos, alio in pſalmo, carbones deſolatorios, ſeu iuniperorum, appellat Propheta: quorum quidem natura ea uis eſt, ut tenacius quàm cæteri ignem alant ac ſeruent. Tranſeuntes igitur carbones eiuſmodi, ac tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrentes, ut ait Solomon, ibant omnia ſacroſancta diuini ſpiritus conflagratione perurentes, ac ueluti grando ui aliqua uentorum intra nubes colluctantium irritata, quæ latè ſolet agros depopulare, ſataq; ſternere, ac uites gratiſſimo fructu denudare, ſimulachrorū cultores cum ipſis aris & lucis demolientes, funditusq; exterminantes.

Et intonuit de cœlo Dominus, & altiſſimus dedit uocem ſuam.

Ex incenſa uentorū inter ſeſe luctantiū ira, iſtæ nubes tonitrua ædunt: hincq; fulgetra ac fulmina, quæ hic uates carbones ignis uocat, excutiuntur. Tum ſanè
B nemo homo eſt, quamuis altus ac ſublimis, qui non paueat, fateaturq; diuinum illud eſſe opus, propterea timendum. Verùm aliud quoq; tonitrui genus à uate hic dici arbitror. Intonuit igitur Dominus, & altiſſimus dedit uocem ſuam, quando Dominus Ieſus, data de frumēti grano doctrina: quid dicam? ait, Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo uox de cœlo dicens: Et clarificaui, & clarificabo. Turba uerò quæ ſtabat, & audierat, dicebat, tonitruum factum eſſe. Nonne altè Deus intonuit, uocemq; dedit altiſſimus, cū aperti ſunt cœli, & facta eſt uox patris dicentis, Hic eſt filius meus dilectus? Nonne quādo factus eſt repentè de cœlo ſonus aduenientis ſpiritus? Quid? nonne modo etiam fatemur cœleſtem patrem, tonitruo quodam ſecretiori ac uoce, nos deſides excitare, cum aperit nobis ſenſum, ut intelligamus ſcripturas? ut reſipiſcamus? ut à uia noſtra mala, in ſemitas iuſtitiæ, pacis ac uitæ redeamus? Nedum hoc quidem, ſed

Miſit ſagittas, & diſſipauit eos.

O amabiles ſagittas, ô pharetrā calore alio ignitam, q̄ ille ſit, quem ſuo Cupidini ineſſe ſomniant cæci adoleſcentes. Sunt, inq;, cœleſti patri ſuæ ſagittæ, ſuæ pharetræ, ſui arcus, ſua tela: ſed quibus ſolūmodo hi traiiciunt, quibus nullū cum mūdo fœdus eſt ac pax. Immittit enim Dñs ab arcu illo ſuo diuino & funda, ſuæ ſacræ legis ſtimulos, acresq; morſus, uerba ſcilicet illa omni gladio ancipiti, ut inquit Paulus, penetrabiliora: quorum quidem uulnere diſſipantur, longéue fugantur turpes animi affectus motusq;, ac tandem dæmones illi tam mortaliū generi infenſi: quos ſanè, ut ait Eutymius, hic nō nominat ſpiritus, quia non ſolum eos, ſed & eorum nomina abominatur. Sat igitur fuit dicere eos.

Fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.

Vide altiſſimi bonitatē, qui non ſolum eiaculari dicit fulgura, ſed multiplicare: quò animū facile aduertere queas, quantū nunquam mortalibus defuit, quos ſemper admonitos uoluit, tum primū quidem per optimam naturæ legem, eandem ipſam poſtea in tabulis illis lapideis repetitam: tum per ſanctos Dei uates atque interpretes, per ſigna, per miracula: tum nouiſsimè per ſanctiſsimos ſuos

c apoſtolos, cæteroſq; illius prędicatores: quę quidem omnia diuina ſunt fulgura, quibus copioſiſsimè noſtra, alioqui dura ac lapidea afflata corda conturbantur, partim quidem ad pœnitentiã, partim uerò ad deſperationem. Nónne fulgur illud fuit cœlitus emiſſum, cum Paulus furia concitus in Dei uiros, ab equo deturbatus proruit in terram, nihil uidens? Quid illud, quãdo intrantib. urbis mœnia Magis, conturbatus eſt rex, & omnis Hieroſolyma cum eo? Sexcenta alia, atq; eo amplius in ſcripturis inuenies Dei fulgura huiuſcemodi, alijs quidẽ ad uitam, alijs uerò ad mortem. Sed felix ille, qui à tam ſalubri percuſſus telo, afflatuq; admonitus, melior fit, haud deterior, uti ſolent hi qui eo ſtupidiores fiunt, ac in tam benignum numen duriores, obſtinatiorésue redduntur, quo crebrius uulnerantur. Huiuſmodi enim pertinacia affectus olim fuit Pharao. Iulianus poſtea inter Chriſtianos: ſed parum antea Iudas Iſchariotes. Sed nullus unquã adeò amplus fuit exemplorũ iſtiuſmodi numerus, quin modò à quamplurimis noſtri æui hominibus æqueť. Vnuſquiſq; enim habet in ſua patria quod doleat,, cùm ob multa, tum potiſsimum ob obſtinatam quorundam in malis pertinaciam.

Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum.

Poſt tonitrua fulgetraq; ac nimborũ agitationes hinc inde uarias, gratus ſequitur imber, ſerenus fit aër, amœna omnia. Idcirco, ait, reuelata ſunt fundamẽta orbis terrarũ. Haud amplius enim uiſuntur ciſternæ illæ dirutæ, non ualentes continere aquas: ſed riui amœniſsimi: ſed fontes uiui ſalientes in uitam æternam. Ex qua quidem aquarũ copia, profundiſsima humorũ receptacula deteguntur: hoc eſt, reconditi ſcripturarum ſenſus, per aduentũ ſpiritus Dei reuelantur. Nam gratia & ueritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Et hæc quidem omnia,

Ab increpatione tua Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.

D Tunc dico, quando increpaſti gentes, & periit impius. Quando, inq;, increpabat eos, & nõ ſinebat loqui. O miram diuinæ potentiæ amplificationẽ. Cui enim ad uerbum parent flumina, ac profundiſsimæ aquarũ ſcaturigines obtemperãt, eum potentiſsimũ eſſe neceſſe eſt. Quare Iudæi diuinã in Chriſto admirantes potentiam, dicebant: Quis eſt hic, cui mare & uenti obediunt? Nónne is idem eſt, qui olim increpauit mare rubrum, & exiccatũ eſt? Non eſt enim in rebus conditis res ulla adeò in ſuæ naturæ ſoliditate immota, quæ protinus à minima diuinæ potentiæ increpatione ac iuſſu non diſſoluatur, & pereat. Multo magis uerò, ſi quæ agunt homines, rerum naturæ aduerſantur: legibus boniſq; moribus, humanitati, ciuilibúsue ſanctionib. ac publicæ cõcordiæ & paci repugnant. Ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.) Ardens periphraſis, qua ira deſcribitur. Ira enim, ut ait Eutymius, ignis ſimilis eſt: quæ ſanè accenſa atq; excitata, uaporem quaſi fumum emittit, & per irati hominis nares in aërem ſpirat: unde & ſpiritus iræ dicit. Eos qui ualde irati ſunt, iram ſpirare aſſerunt. Hac igitur ſimilitudine motũ iræ ſignificauit Propheta, humano more loquens. Adeò, inquit, tu Dñe iratus eras, quòd ſpiratio, ut ita dicã, ſpiritus iræ tuæ in aëre eſſet, & inimicos diſsipares. hæc Eutymius. Cæterùm ut nulla alia unq; fuerit increpatio, ac ſpiritus iræ Domini, ea ſola tandem nos perterruiſſe debuit, qua ipſe Dei filius cõminatus eſt dicens: Niſi pœnitentiã egeritis, moriemini. Quo mortis genere quæſo? Moriemini, inquit, in peccatis ueſtris. Quæ unq; tam extimeſcenda audita eſt increpatio? quô noſtræ igitur tendunt uanitates? quô tumor? quô noſtræ ſanctitatis opinio? Niſi enim pœnitentiã egerimus, moriemur. Ergo pœnitentia ad aſſequẽdam beatitudinem, hoc eſt ueram uitam, neceſſaria eſt, ne tandiu à pœnitentia, neſcio qua deludamur. Quæ uerò uera ſit pœnitentia, alia res eſt. Nunc ad inſtitutum.

Miſit de ſummo, & accepit mę: & aſſumpſit me dę aquis multis.

Diuulgata enim Dei potentia per terrificas aëris commotiones, quò ad conſiderandum potentiſsimũ cœleſtis patris imperium excitaret ignauos, ad propoſitum redit Propheta, quo cœperat ipſius opem implorare, dicẽs: Dñs firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Ac paulò poſt: Exaudiuit de templo

templo ſancto ſuo uocem meam. Quod quidem rhetorum more, facta digreſsio
A ne repetit, inquiens: Miſit de ſummo, & accepit me. Vide grati animi affectum, qui omnia quæ ad uictoriã faciunt, diuinæ bonitati attribuit: cõtra quorundam nimirum arrogãtiam, qui parta in acie, aut in arcis alicuius expugnatione uictoria, non Dei potentiam & auxilium, ſed aut militum fortitudinem, uimq; pecuniarum, aut arietum, tormentorúmue æneorũ ordinem, ac aptam diſpoſitionem iactitant, eisq; tribuunt, ſi quid felicioris ſucceſſus, in euentibus belli dubijs aſſecuti ſunt. Quid porrò dicendũ, quomodo in referẽda gratia pro reportata de inuiſibilibus inimicis uictoria, turpiſsimè erratur, dum nos ſolũmodo, noſtraq; ſtudia ac conſilia miramur & laudamus? Quotus enim quiſq; eſt, uel ex prudentioribus quidem uiris, qui non magis tranſactæ ſuæ uitæ innocentiam, ieiunia, uota, peregrinationes, & id genus cætera adiaphora credat, ac uulgò memoret, cauſam ſuæ uictoriæ extitiſſe, & benigniſsimi patris fauorem & gratiam? Secus uerò Dauid, qui interrogãti ueluti amico, quò ſuas referret uictorias, reſpondit: Miſit de ſummo, & accepit me. Hebr. Miſit ab excelſo. Quid miſit, oro? auxiliũ uirtutemq; uincendi. & me eripuit. Vide effectũ cœleſtis auxilij. Hic Dauid Deum penè uidere facit corporeis oculis, manum è ſublimi porrigere, ſeq; ex aquis malorum in quibus uolutabat, eripere, ac iam demerſum extrahere. Idcirco canit: Aſſumpſit me de aquis multis. Metaphora hæc quidem ex aquis profundioribus ſumpta eſſe uidetur: in quas ſi quis ceciderit, aut è ripa deturbatus fuerit, pereat neceſſe eſt, niſi ab aliquo actutum liberetur. A' profluuio, inquit, calamitatũ immenſo, in quibus periclitabar, extraxit me. Aquæ enim in ſcripturis anguſtias nonnunq; ac perſecutiones oſtendunt, ut illud eſt: Saluũ me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ uſq; ad animam meam. Interdũ per aquas, populos prætendi, in prophetis maximè uidemus: unde illud in Eſaia: Ecce Dominus adducet ſu-
B per eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Aſſyriorum.

Eripuit mẽ de inimicis meis fortiſsimis.

Iam uates aperit quæ ſint aquæ illæ è quibus ſe ereptum memorat, hoſtes ſcilicet fortiſsimi: quos quidem non tantum illos eſſe iudicò, qui inter ciues armis ac ſicarijs affatim muniti ſunt, quantum qui honoribus, magiſtratibus, autoritateq; ſunt prædiți: hiſce enim bonorũ ciuium ornamentis ſi acceſſerit malus animus, prauaq; cõſcientia, ac turpis uita, quid infelicius rebuſpub. cõtingere poteſt? Hebrei habent, fortiſsimè. quo intelligas quanta ũi opus ſit & robore, ne tam uafris hoſtibus ſuccumbas. Huiuſmodi enim ſunt animarũ inſidiatores, qui eo extimeſcendi magis ſunt, quo inuiſibiles & acuti.

Et ab his qui oderunt mẽ.

Oderunt (inquit Dominus, non tantum propter ſe, quantũ propter nos, qui credimus) & me & patrem meum. Hi nimirum, ut ait Eutymius, dæmones ſunt, qui uniuerſos oderunt homines, uel in primis ipſum Dominũ, in quem ad tempus prævaluerunt. Quare additum eſt,

Quoniam confortati ſunt ſuper mẽ.

Robuſtiores, inquit, me, facti ſunt. Olim enim uiuente adhuc patriarcha illo antiquo, in eius filio Ioſeph, adumbrata fuit iſtiuſmodi ſęuitia odij, quo longè ualentius improbi bonis præſtant, illisq; aduerſantur. Fratres, inquit, eius oderant illum, nec poterant quicquam pacificè loqui. Hæc umbra. Veritas uerò haud ſemel in Euangelio queritur, ſeſe gratis odio haberi à ſuis. Ciues enim, ait, oderant illum. Quare ex his aſſeuerandũ eſſe puto, eum qui alterum odio habet, dæmones imitari: qui uerò habetur, Chriſtũ: qui & ſe & ſuos mundo inuiſos fore prædixit, ac uoluit: ne carnis uiſco irretiti, facile in his quæ oculis corporeis uidentur, beatitudinis ſummam ſtatuerent. Et in hoc quidem genere erroris admodum reprehenſibiles ſumus, cum adeò teneriter nobis adblãdimur, quòd bonis plerunque neglectis, quia officere nequeunt, ad conciliandos nobis improborum animos, totos neruos intendimus. Ex quo illud euenire neceſſe eſt, quod

C & bonis et malis inuisi efficimur. Illis quidem, quoniam dissimiles nostri sumus. Istis uerò, quia alieni instituti normam profitentes, populares tamen uideri appetimus ac ineptissimè quærimus. Bonus is tandem esse nō potest, qui malis aut placere, aut assentari studet.

Præuenerunt mę in dię afflictionis meæ.

Vides quàm uigili cura, nauanda est opera ne opprimamur? Venerunt, inquit, super me de improuiso hostes, uti aqua solet torrentis, ruptis aggeribus, ne mihi euadendi esset uia. Quod quidem elegātissimè expressit paraphrastes hoc modo: Callidis suis consilijs circumuenire incautum conabantur me, tempore afflictionis meæ, quando scilicet maximè destitutus uidebar. Putásne Christum in terris ab hac quoq; peste illæsum uixisse? Obseruantes, inquit Lucas, miserūt insidiatores, & qui se iustos simularent, ut caperent eum in sermone, & traderēt eum principatui & potestati præsidis. Quid magis, oro, monstris simile quàm uelle amentiam, uerbo, sapientiā ipsam captare ac fallere? Audet tamen & maiora: quanquā nesciam, an maius aliquod moliri queat homo, quàm in ipso ueritatis ore, uerba inuertere cupere, & conari. Porrò diem afflictionis uniuscuiusq;, tempus constitutum ab æterno, à Deo patre, quo affligatur, esse existimo. Ante enim illud temporis, quid in nos possunt aduersarij, uel si mundus ipse uniuersus ferociat? Quid interim nobis timendum? Quòd si uerò tempus ipsum perferendi persecutiones aduenisse nouimus, iam Deo placet ut patiamur. Quid igitur recusamus? Quàm detestanda quorundam est animi mollities, qui (uti febri citantes solent, qui dum futuram periodicam extimescunt, semper, uel cum non laborant febri, febricitant) in suspecta tantum aduersitate ita miserè anguntur, ut nihilo infelicius illi se habeant, qui in media ipsa calamitatum flamma uolutan-

D tur. Quid igitur tam effœminatè morbos portamus? quid rerum iacturam? Siue uiuimus, siue morimur, Domini sumus. Ruat cœlum, Dominus firmamentum nostrum, arx, & robur est. Pudeat Christianū, ab ipsis etiam puellis Spartanis ethnicis, in hoc genere luctæ superari. Nam quēadmodum benignissimi patris manus, suos in aquas angustiarum induxit, ita rursum extrahet.

Factus est enim Dominus protector meus,

Adeò ut non timeam ne mihi perpetuò hærendum sit in luto aquarum multarum. Non iam de meis uiribus, non de mea iustitia, nō de ui animi deblatero: sed uici, quia Dominus me suo dignatus est auxilio, & custodia. Non solum enim hoc, uerumetiam

Eduxit me in latitudinem.

Hoc enim idem est quod suprà: In tribulatione, inquit, dilatasti me. & est sensus: Ex angustijs me in locum patentem, ac spacioſum eduxit.

Quia ꝟoluit mę.

Vel, ut legit Felix, quia dilexit me. Quid mirū enim si hominē tutatur Deus, illiq; in tribulationibus fert opem, pro quo emendo, proprij filij unigeniti, atque eiusdem amantissimi, sanguinē tradidit? Translatio hæc latitudinis sumpta esse uidet à ceruis, qui ex angustis ac periculosis locis, in quibus à uenatoribus arctabantur, liberati, gaudēt planitie, camporūq; latitudine, ac sese ad altiora loca, ubi & circunspicere, & cauere insidias possint, recipiunt. Ita sancti Dei uiri in acerbissimas persecutionū angustias ab improbis coniecti, metu penè exanimantur, donec, miserante Deo, à laqueo uenantium exempti, loca patentia atq; excelsa, ubi cœlestia circunspectare ualeant, petunt. Vnde alio in Psalmo, animi summè grati dedit specimen uates, dicens: Qui posuit pedes meos tanq; ceruorum, & super excelsa statuit me. & hoc quidem, quia dilexit me, seu, quia uoluit me. Cur enim uoluit me? Omiram tanti patris misericordiam. Vt secundū electionē, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante. Itaq;, antequā ego uellē eum, uoluit me, uocauitq;, cum adhuc nō essem: quo tandem beneficiorum eius omnium in mortales collatorum causam, illius uoluntatē esse, & beneuolentiā

fateamur,

A fateamur, quæ arbitrium humanũ, æquali bonitate mouet, ac ad ſe trahit: ut non minus illud ipſum arbitrium munus Dei ſit, quamuis naturale, quàm cæteræ intellectualis animæ dotes. Quibus enim hoc perſuaſum eſt, hi fateantur oportet bona omnia, ſiue quæ à Dei uoluntate, ſiue quæ à noſtra, arbitrioq́ proficiſcuntur, ab ipſius Dei dono, ac gratia prouenire. Voluit, inquit, me, eripi ſcilicet, atq́ ad uitam ærumnarum omnium expertem aſciſci.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundũ puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Videtur hic uates ſuum extollere meritum. Non extollit quidem, ſed nos potius ad cõſiderandam Dei erga homines benignitatẽ prouocat. Deus enim, qui gratis iuſtitiam nobis impartit, ac manuum puritatem, hoc eſt, uitę innocentiam elargitur, pro ea præmium, perinde ac ſi noſtra eſſet, & non ſua, reddere eſt pollicitus. Retribuet, ait Auguſtinus, ſecundũ iuſtitiã bonæ uoluntatis, qui dedit miſericordiam, ut uellem. Quare ſuam in nobis uidetur Deus coronare miſericordiam, ſimulatque coronat iuſtitiam, cuius cauſa & origo ea ſit. Adhæc, ſecretiori neſcio quo modo, hic mihi occultus retegitur ſenſus, quo cõtemplari libuit, prophetam in hoc uerſu, ut ſic dicam, iactabũdo, nos admonere uoluiſſe, quàm non illos Deus deſerat, qui ſtudio omni, ac cura adhibita, iuſtitiæ ſtudent, uitæq́ puritatem atq́ innocentiam ſectantur, procq́ illis omnibus æternam mercedem rependat: quò ſanè quidem magis attendenda ſit prompta cœleſtis patris retributio pro iuſtitia facta, ex illius miſericordia, noſtra: quàm quòd iuſtitia noſtra, uitæq́ puritas retributionẽ mereatur, & quærat. Nihil enim in terris tam ſordidum eſt, atq́ impurum, quàm noſtra eſt iuſtitia, ſi noſtra tantummodo eſt.

Quia cuſtodiui vias Domini, nec impiè geſſi à Deo meo.

B Vide quàm eleganti breuitate utrunq́ complectitur, iuſtitiam ſcilicet, atq́ actionum puritatẽ. Cuſtodia enim uiarum Domini, ſtudium eſt uitę, quod Deus, non mundus, præcipit. Argumentum utrinq́ ingens. Cuſtodiui, inquit, uias Domini. Ecce cordis iuſtitia. Nec impiè geſſi. Ecce manuum puritas. Quas quidem uitæ conditiones is ſolummodo poſsidet, qui ſeipſum plena fide Deo commitit, ac ſe penitus ad proximorum utilitatem exponit. Diffidere autem de Deo, atq́ in actionibus illis, in quibus ſyncerita omnis ineſſe debet, turpitudinem exercere, ſummæ infidelitatis indicium eſt. Cæterùm ad propria commoda, uel cum proximorum incommodo & ruina, omnia referre, ciuis eſt, digni magis qui inter feras conuerſetur, quàm inter homines. Non eò, inquit uates, malitiæ peruenì, ut à Deo meo unquam deficerem. Quod ſanè accidit, cum homo ſuo uitio ac culpa, à Deo deſeritur. Deſeritur tamen prius ab homine Deus, quàm ipſe hominem deſerat: ut in omnibus uaſtiſsimus pateat campus conſiderandi ſummi patris in mortales tum bonitatem, tum patientiam. Vis'ne à diuino fauore minimè deſeri, ea, qua præditus es à primis ipſis exordijs, poteſtate, illius ſerua præcepta: uel ſaltem, quod tibi integrum eſt, pro uirili conare: quibus abs te neglectis, ſtatim ab ipſo negligeris, deſererisúe, ac ueluti ſuæ ſanctæ uoluntati obluctaris, in reprobam mentem proruere ſineris. Quod ea uerò aliquando, premente carne, non prætereantur, fieri quodammodo non poteſt: uerùm illorum ſtudium relaxare, ſponteq́ omittere, ultroneæ à Deo defectionis indiciũ eſt: tum ſanè impiè geritur à Deo, ut ait uates. Remiſsio igitur curæ ac ſtudij, obediendi diuinis iuſsionibus, à Deo auerſio eſt. quàm quidem remiſsionẽ ab ſeſe alienam fuiſſe, in ſequentibus teſtatur propheta.

Quoniam, inquit, iudicia eius in conſpectu meo, & iuſtitias eius non repuli à me.

En ſtudium Dei præcepta exequẽdi, quod non remittit unquam uir ſanctus. Ob oculos, ait, cuncta eius habeo decreta, legesq́ illius à me haudquaquã ſummoueo. Quę, inquit paraphraſtes, iuſtiſsimè ab ipſo præcepta fuerant, uerſabantur aſsiduè ob oculos meos, & mandata illius nunquã repuli à me tanquã parere nolẽs illis. Porrò iudicia & iuſtitiæ in hoc loco licet idẽ præ ſe ferre uideantur,

C tamen iudicia exiſtimamus eſſe, quæcunq; Deus ipſe bona eſſe iudicat, & quę illi placent. Vnde erit ſenſus: Non mea ſequor iudicia, non conſilia, non uoluntatem, ſed Dei. Quæ uerò iuſtitiæ ſint, Hebræus interpres aperit. Sic enim uertit: Et cæremonias eius non repuli à me. Quæ profectò, non uti in eis ſita ſit tota pietatis ſumma, & religionis, ſeruandæ ſunt: ſed tanquam decor eccleſiæ ad ædificationem. Alioqui eliminatis à fidelium cœtu ritibus huiuſcemodi ſacris & cæremoniis, quas uel Getę ipſi, aut Sarmatę laudare ſoliti ſunt, non uideo qua re ulla alia corporea, ſuam erga Deum eccleſia teſtari queat pietatem. Non pietas quidem hæ ſunt, ſed pietatis teſtificatio, gratíq; animi aſſertio atq; exhibitio.

Et ero immaculatus cum eo, & obſeruabo me ab iniquitatę mea.

Hoc igitur modo, ut dixi, ait Vates, uitam degens puram & innocentem: Inculpatè, ut cœpi, uitæ reliquum exigam: quando quidem ſola ea uera eſt inculpata q̃, ac caſta uita, quæ ne unguem quidem tranſuerſum à iudicijs ac iuſtitijs Domini deflectit. Nam hoc antiquum ſemper cum homine fuit fœdus ab Deo initum, quòd ipſe cuſtos eſſet, protector ac merces: homo uerò innocens & immaculatus. Ego Dominus, ait ipſe ad Abraam, omnipotẽs: ambula coram me, hoc eſt, uitæ integer eſto, & me cole: ego uerò ero merces tua magna nimis. Nec eſt omittendum, quòd non dixit, & non peccabo: quod quidem humanæ ſorti uix eſt concedendũ, ſed obſeruabo me, &, ut ait Paraphraſtes, cauebo ſolicitè, ne impietate mea offendam illum.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius: uel, ut eſt alia litera, ipſo iudice.

Qua quidem in re oſtendit, nihil in bonorum conuentibus debere eſſe fuci & ſimulationis. Vide porrò ſtabilem de percipienda retributione fidem in hac ge-
D minatione ac repetito uerſu. Neq; id ſolũ quidem, ſed ut alios ad idem innocentiæ ſtudium prouocaret, idcirco ſecundò dixit, quòd Dominus retribuet ſecundum iuſtitiam eius: ac ſi dicat, Dominus enim illis qui piè uiuunt in hoc ſeculo, mercedem rependere ſolitus eſt: quare, ne ſui diſſimilis uideatur, mihi quoq; qui illius ope adiutus, innocenter uixi, retribuet. Errant tamen hi qui ſe putant adeò inculpatè poſſe uiuere in hoc mundo, ut illorũ uita per actus ſingulos Deo probari mereat. Lapſibus enim, uel ipſi ſanctiſsimi uiri, quia homines, obnoxij ſunt. Tantum uerò abeſt, ut ſtudiũ illis deſit ac conatus, attingendi metam perfectionis, ut etiam in dies magis incaleſcat: atq; eo acrius illi reſurgant, quo ſępius relabuntur. Quod qui habet inſtitutũ, iuxta Ioannis doctrinam peccare non poteſt: hoc eſt, non poteſt ex animo rebus malis incumbere, atq; in illis diutius perſeuerare, licet peccet aliquando: quia ſemen Dei manet in illo.

DIVISIO *ſecundum Latinos.*

CVM ſancto ſanctus eris, & cum uiro innocente innocens eris.

Cum Vates enaraſſet quę ſuę rependit Deus iuſtitię, digreditur ad idem de cæteris prędicandum: concluditq; talem nobis eſſe Deum, ut ait Cyprianus, qualem nos eſſe uolumus, ac credimus. Ideo quicunq; ſe ſanctum, hoc eſt, pium & religioſum, in his quæ Dei ſunt, exhibet, pius ei ac benignus ſe exhibet Deus. Quòd innocens, &, ut legit Felix, immaculatus, hoc eſt, in humana conuerſatione purus, nemini nocens, quàm multis benefaciens, talem is ſibi Deum facit.

Et cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris: ſeu, peruerſus eris.

Qui enim electus erit, hoc eſt, fidelis, ſimplex, quiq; perfectè ſeſe in uirtutib. exercuerit, talis erit illi Deus, fidelis ſcilicet, promiſſa attendens, ſimplex, ipſaq; uirtus ac merces. Verùm qui peruerſus fuerit, hoc eſt, qui ab omnibus ſupramemoratis alienus, curuus, exorbitánsue inceſſerit, ac pactũ quo ſe Deo adſtrinxit, immaculatũ fore, uiolauerit, cum hoc Deus ipſe peruersè, hoc eſt, præter morem ſuum, dirum ſe ultorem ac iudicem exhibebit. Et eſt conſiderandum hic de illis duntaxat dici, qui lege recepta atq; intellecta, ſponte praui ſunt, à Deoq; deſci-

ſcunt,

A ſcunt, ac ſeſe prorſus ab eo diuellunt. Horũ enim multitudinem deplorat Moſes in Deut. dicens: Dereliquit Deum factorẽ ſuum, & receſsit à Deo ſalutari ſuo. Vidit enim Dominus, & ad iracundiã concitatus eſt, & ait: Abſcondam faciem meam ab eis. Vides quomodo præter naturam ſuam hic agat Deus in populum illum peruerſum, quem chariorẽ ſemper habuit, q̃ charam habeat homo pupillam oculi proprij? Generatio, inquit, peruerſa eſt, quę in fœdere mecũ inito, promiſerat ſe mihi promiſſa ſeruaturam, fregit pactum, peruerſeq; mecum graditur. Peruertam et ego, inuertamq; omnia, ac à promiſsis animum deflectam, ſimulac ipſa prius pollicitationes perfregit. Quàm uereor, ne noſtra tempora in minas illas antiquas deuenerint. Videtur enim mundus ferè totus, ſed in primis cordatiores qui cenſent, adeò in ſuis actionib. conſilijsq; cæcutire, atq; à rectitudinis linea exorbitare, ut uerè affirmare non dubitem, multas, non dico mortaliũ turmas, ſed regiones quoq; & prouincias Chriſtianorũ à Deo deſertas eſſe. Solent enim qui huiuſmodi ſunt peruerſitatis (ut intelligas quô miſeriarũ peruentum ſit à nonnullis) ſemper perplexè impeditéue & perturbatè ſua agere omnia, nullam certam uitæ rationẽ habere, caſtaq; firmaq; omnino ignorare conſilia, & demum omnia quæcunq; tractant cum cęteris negocia, peruersè agere. Contrà uerò Deus tanta huiuſce peruerſitatis hominũ temeritate laceſsitus, cum tempus quo eis quę meriti ſunt, rependat, poſtulauerit: ita perturbat, atq; illorum omnes peruertit uitæ rationes & conſilia, ut ſempiterno in reprobam mentem traditi, errore & confuſione miſerabiliter rotentur. Hincq; horrenda illa uitia quæ Paulus ad Rom. ſcribens cõmemorat, ortum habent. Hinc atrociſsimę in rebuſpub. inimicitiæ, in magiſtratibus crudelitas, auaritia, ambitio. Hinc, inquam, oppreſsiones miſerorum ciuium, hinc libidines: & hæ quidem promiſcuæ, homicidia, odia, ciuilésue diſcordiæ, & ſimulationes, etiam in his qui eccleſiaſtici appellan-
B tur, originem ſumunt. At tu, cui nobiliſsimarũ rerum ſtudium eſt curæ, cum ſancto uiro, ut ait Eccleſiaſtes, aſsiduus eſto, & quemcunq; cognoueris obſeruare timorem Domini. Facilè enim cum corrupto peruerſoq; homine, peruerſus eris. Nam qui, ut ait idem Sapiens, tetigerit picem, inquinabit ab ea. Neq; ſanè abſq; cauſa clamat Apoſtolus, Exite de medio eorum, & immundũ ne tetigeritis. Haſce enim immunditias tu ô Domine execraris.

Quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.

Id eſt, abiectũ, mundoq; deſpicabilem, atq; eum quidem quem ſanctũ, quem immaculatum, quem electum tibi feciſti, ſeruas. Homines uerò faſtuoſos, atq; arroganter extollentes oculos, indicium nimirum elati animi deijcis ac humilias. In eiuſmodi cõditionis hominem inuehit Iob, dicens: Quid te eleuat cor tuum? & quaſi magna cogitans attonitos habes oculos? Acne parui momenti id eſſe uitium putemus, hoc inter ea quæ odit Deus, à Solomone connumeratur. Volunt phyſiognomi ab oculis maximè, cuius habitus uniuſcuiuſq; mens ſit, dignoſci facilè poſſe: ſed in primis ſuperbi. Cæterùm nónne olim tum, cum uocauit Dominus non plebem ſuam, plebem ſuam: gentes, populus ſcilicet uilis, abiectus, ac humi pronus, ſalutem eſt conſequutus? Iudæorum uerò natio turgida, atque omnia faſtu intolerabili calcans ac faſtidiens, reiecta? uiliórque omnibus nationibus facta?

Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.

Ne longius à mente Prophetæ euagemur, torquentes nos plus quàm par eſt, in ſecernenda lucerna à luce ac lumine, arbitramur hic Vatem ſuam, atque adeò noſtrũm omnium ab hoſtium crudelitate liberationem, per allegoriam lucernæ à Deo accenſæ uoluiſſe à nobis coniectari: fuſos uerò fugatóſue aduerſarios, per lucis aduentum, hoc eſt, depulſione tenebrarũ intelligi. Quod nos etiam ſic eſſe fatemur: qui cum aliqua nos urget miſeria ac calamitas, clamamus ſolem abeſſe, noctemq; omnia caligine obduxiſſe: ſperantes interim, quòd ſol remeabit aliquando, id eſt, tranquillior rerum facies. Verus tamen & ille erit ſenſus, quo fa-

C ciunt animam cum Deo hoc modo colloquentẽ: Tu illúminas lucernam meam Domine. hoc eſt, omne lumen quod in me eſt, à te eſt, ſine quo nuſquam lumen eſt. ac ſi dicat: Lucernam ſatis lucidam abs te habeo, non à me, qua tum uidere, tum fateri, & poſſum & debeo, quòd Deus meus es, liberator, firmamentum, refugium. Sed hanc fac tu illuſtriorem, quò adhuc eadem ipſa copioſius uidere queam. Nónne illud quod in Euangelio legimus, huic ferè ſimile eſſe fatendum eſt? Credo Domine, adiuua incredulitatẽ meam. Summa: Video enim, ait, quà mihi ſit eundũ: amplius uerè uidebo, cũ elíminatis prorſus tenebris, ſolem ipſum iuſtitiæ meum in cor reduxeris. Cum ſedero in tenebris, ait Michæas, Dominus lux mea eſt, & deducet me Dominus in lucem, & uidebo iuſtitiam eius. Nemo enim tanta perfuſus eſt fidei cognitione ſúe luce in hoc mundo, quin maiori ſemper perfundi indigeat ac uelit.

Quoniam in te eripiar à tentatione: & in Deo meo tranſgrediar murum.

Felix longè ſecus: Quoniã, inquit, in te percurram per milítum cuneũ. Alius uerò: Perrumpam conteramq; aciem quantumuis inſtructam. O fiduciam. Legerat profectò pſalmum hunc, ſeu magis pſalmi ſpiritũ hauſerat beatus uir ille, qui cum cæteris dimicaturus tyranno reſpondit: Ego in nomine Domini Ieſu Chriſti, ſigno crucis, non clypeo protectus, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus. Per murum, hic rerum difficultates intelligi arbitror. & erit ſenſus: Per te Deum meum difficultatem omnem ſuperabo, liberq; euadam. quaſi dicat, te adiutore, nulla me anguſtia tenere poterit. Ego, inquit, peccata omnia, uiam ſcílicet mihi ad Deum, tanquam muro quodam æneo, obſtruentia, ſaltu tranſíliam. hoc eſt, expeditè me ab illorum commercio in hoc uitæ curſu ſeruabo.

Deus meus impolluta via eius.

D Cum admiratione enim diuinæ erga nos bonitatis proferẽda ſunt hæc, Deus meus. & eſt perinde ac dicat: Deus meus is eſt, ô mortales, cuius uiæ, ſtudia uidelicet ac præcepta, æqua ſunt: facta item pura, certa, & quæ optimè pollicitationibus reſpondeant. Quare adíjcit: Eloquia Domini igne examinata. Porrò uiam Dei, uirtutem eſſe, quæ noſtrũ ad Deum explanet iter, ſcríbit Eutymius. Atq; ob id, inquit, irreprehenſibiles illos eſſe oportet, qui per uiam iſtam inceſſuri ſunt. Quàm uerò in terris immaculata fuerit Chriſti uita, hi norunt ſolũmodo, quibus nulla eſt cum mundi uoluptatib. pax & concordia. Semel enim in eius uulneríb. immerſis, ac cruore, nihil purum uidetur et impollutũ, præter illud quod Chriſti uitam referat. Reliqua enim ſtudia, curæ, ſolicitudines, ſanctimoniæ quoq;, ſordeſcunt omnino, ſi uel parum ab huius exemplo & imitatione diſcedunt.

Eloquia Domini igne examinata.

Felix: Eloquium Domini examinatum. Vel, ut alius: Sermo Domini purgatus. hoc eſt, certiſsimæ ueritatis eſt, &, ut reddit Paraphraſtes, ab omni fuco alieniſsimus. Quomodo uerò eloquium ſit tanquam aurum purgatũ alchimico, ſuprà in pſalmo alio fuſius enarratum eſt.

Protector eſt omnium ſperantium in ſe.

Hebræi: Clypeus eſt omnibus in ſe confidentíbus. hoc eſt, quod expreſsit Paraphraſtes: Inſtar clypei eſt omnibus qui in ipſo præſídium ſuum collocant. Naturæ enim ſimpliciſsimæ atq; puriſsimæ cum Deus ſit, iuſtitiam rurſus cum díligat, immaculatos omnes illos uidelicet, qui, quantũ carnis onus permittit, Deiformes fieri deſudant, ab hoſtium immanitate eximere ſolitus eſt, ut iam promiſit: & eloquia eius uera ſunt. Quid igitur timendũ? Fallere enim non poſſunt diuina uerba, quæ magis quàm aurum ſæpius excoctũ ac probatum, uera ſunt, pura & defecata. Quid aurum memorem? quid ignem? Non ſolum enim líberaliſsimus Dominus tutatur, fouet, & par pari omnibus in ſe ſperantibus refert: ſed omnem omnium exuperat ſpem, cum ſuprà quàm ſperari poteſt, ampliſsimè dona accumulat. Vnde,

Quis

A *Quis Deus præter Deum noſtrum?*

Exclamatio hæc eſt omnibus his, qui latam ſibi cœlitus opem ſentientes, nihil potius habent, quàm quòd à cæteris agnoſcatur, quod ipſi experti ſunt, admodum conueniens. Quis alius Deus, aiunt, poteſt in ſe ſperantes ſeruare? Certè, ut inquit Moſes, non eſt Deus alius, ut Deus rectiſsimus: magnificentia eius diſcurrit nubes. Quantis hic lachrymis deplorandi eſſent hi, niſi aliud agere inſtituiſſem, qui cum iam penè in cœleſtium rerum diſciplinis attritam uixerint uitam, data occaſione ſeſe per morbum aliquem grauiorem demonſtrandi cuius temperaturæ ſint, retunduntur illicò, auerſiq; actutum à bonorum omnium fonte, in lacunis expiſcãtur. O ingratos homines. Nónne Deus erat in ſua Eccleſia, ô uos qui cõſuluiſtis deum Acharon? Quid Chriſtiano? quid ſacrorum oraculum candidato, commercij cum ſaga? cum maga? cum phanatica? Horret animus ſacrilegos recenſere tetragoniſmos, circulos, angulosq;, ac cætera huiuſmodi ab imo auerno eruta portenta, cum ſexcentis uenerandæ crucis diſtincta ſignis, ad illudendam debilem hanc fidem noſtram. Quòd ſi anginę, pleureſi, aut podagrę medendum eſt, quis Deus præter Deum noſtrum? quis magis potens? quis magis ad opitulandũ accinctus? Omitto prudens ueneficia illa quæ à rabida uenere in inconceſsis amoribus perpetrantur. Tam enim nefaria ſunt, ut quæ ne à ſceleratioribus quidem lenonibus, abſq; uerecundia proferri poſſunt. Tu Chriſtiane cum tanta ſacramentorũ iniuria ſacro oleo abuteris? Tu labia illa minio conſpurcata, ſacroſancta, atq; ipſis beatiſsimis ſpiritibus nõ niſi cum tremore uidenda hoſtia audes perluſtrare? Tu ad tantam iudicij diuini obliuionem deueniſti, ut preſumas inter meretricia oſcula commiſcere uerba illa diuina, quorum ui immenſa, altiſsimi Patris filius in manus delabitur ſacerdotis? Tu, ut tuam exatures rabiem, & cœlum & terram et elementa omnia, & ipſas quoq; Stygias ſedes,
B atq; ima inferorum penetralia cõmoues & inquietas? Sed me incautum, qui longius quàm putaram, in re forſan non uera, digreſſus ſum. Non enim me latet uelle rhetores illos qui ſcribunt aliquid ad diſciplinã faciens morum, poſſe confingere, ſimulare diſsimulareue, mentiri etiã, ſi in re ſua eſt, modò animus ſit iuuare, non officere. Ad inſtitutum igitur noſtrum redeamus.

Deus qui præcinxit me uirtutę ad bellum, & poſuit immaculatam uiam meam.

Vide quàm graphicè hic pingat Vates boni militis dotes. In primis enim magnanimo ac forti pectore illi opus eſt: deinde felici ſucceſſu. quæ quidem duo in hoc uerſu cõprehendunt, cætera in reliquis qui ſequunt. Ait itaq; ſuo more Vates (tu interim à corporeis ad ſpiritualia tranſire aſſueſce) Ipſe ille eſt Deus, non belial aut ſatã, aut alius aliquis ſpiritus nequã, à ſaga in nouilunio à profunda ſepulchrorum foſſa euocatus, qui me undiq; robore, fortiſsimaq; muniuit armatura. Neq; hoc ſatis. O diuinam in electos bonitatem. Fecit inſuper, ut incontaminata eſſet uita mea. Porrò quis neſciat brutos hos carnis ſenſus à planta pedis uſque ad uerticem luxuriantes, nos à uitæ curſu retardare? Præcingendi enim ſunt à Domino (à nobis uerò quid poſſumus?) ne uti ueſtimẽta ad pedes uſq; demiſſa curſum impediant. Quanq; tamen ueſtis illa in primis polymita puero Ioſeph à matre conſuta, nobis deſideranda ſit, longa licet ad talos: & de qua Paulus, Induite, ait, Dñm Ieſum Chriſtum. Qui quoq; uia illa immaculata eſt, quã ſibi tanquam ueſtem poſitam fatetur Dauid. Nam ipſe ſolus uerè immaculatus ex ſe, & eſt, & dici debet: nos uerò per ipſum. Siquidem ſolus abſq; peccato in terris conuerſatus eſt. Ille, inquam, ſolus ſanctiſsimã in hoc mundo uiuens uitam: is eſt,

Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens mę.

Hebræi: Aequauit pedes meos ſicut caprearũ, & ſuper excelſa conſtituit me. Aiunt id genus animantium, ſi quando à uenatoribus acrius urgentur, maximo conatu loca excelſa, utpote tutiora petere. Ita rerum cœleſtiũ ſtudioſos agere neceſſe eſt. Eò enim & ſtudio & curſu indefeſſo illis contendendum eſt, ubi omnia quæ illorum propoſito officere poſſunt, circũſpicere ualeãt. Atq; hinc duas alias

C dotes in ſtrenuo milite neceſſarias, ex hac ceruorum, caprearumq; ſimilitudine eſt uidere, celeritatem ſcilicet & agilitatem. Alioqui deſides, atq; inter hoſtes, illorumq; inſidias ſtertentes, quomodo aut carnis uiſcum, aut cupiditatum telaefugient? Dauidem enim perfectiſsimi uiri typum præ ſe ferentem, legimus in eaprearum rupibus & latibulis iram regis deuitare ſolitum. Quid Gaddítas illos cõmemorem, qui cum ad Dauidem transfugerent in ſolitudine latitantem, facies leonis, pedesq; quaſi caprearum habuiſſe referuntur? Ait igitur: Ipſe Dominus, qui me robore impenetrabili circumquaq; muniuit, is etiam fecit ut pedes mei non minus ueloces eſſent, quàm ſint ceruorum: & quoties opus fuit, in ædítis ueluti locis atq; præruptis, inacceſsisq; hoſtibus, ubi tutò mihi eſſe liceret, me collocauit. Non uacat affectu ſolito in Dauide uerbum, perfecit: adeò ardent omnia in hoc ſanctiſsimo uiro.

Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti ut arcum æreum brachia mea.

Secus Felix, & clarius: Docuit manus meas ad prælium: & contritus eſt arcus æneus brachijs meis. Cuius quidem uerſus ſenſum ſic reddit Paraphraſtes, & optimè, ut ſuus eſt mos. Docuit manus meas arma tractare, ſic ut frangere potuerim brachijs meis arcum, etiã ferreum. Vide quomodo Vates fateatur omnia ſibi bona proueniſſe à Deo. Suprà enim faſſus eſt, ſibi à Deo datam eſſe, non tantum ad fugam, ſed ad inſequendos hoſtes, pernicitatem: nunc uerò manuum promptitudinem, roburq; lacertorum ac uim, in ſe cognoſcit. Cenſet Eutymius hîc, manus, uirtutes illas ſignificare, quę ad actiones pertinent: &, ut alius exponit interpres, diſcretiones, ut ait Paulus, ſpirituum: quò profectò nõ ignoremus, quomodo cum mundo, cum carne, cum affectibus animi pugnandum ſit. Alijs enim armis utitur pugil, alijs eques. Cæterùm Iudas ille Machabæorum imperator perfectiſsimã poſteris reliquit pugnãdi formam, ut in eius geſtis legitur. Iu-
D das, inquit, ſemper cõfidebat cum omni ſpe auxilium ſibi à Domino affuturum: & hortabatur ſuos, ne formidarent, ſed ſperarent ab omnipotente ſibi affuturam uictoriam: & locutus eſt ad eos de lege & prophetis, ſingulosq; animauit, non haſta, aut clypeo, ſed ſermonibus optimis. Solent enim noſtri temporis milites ridere, ſi audiunt uictoriam à bello contra infideles, domum magis ſpe & fiducia in Deo, referendam, quàm enſe, aut tormentis æneis, abſq; fide. Quid uerò ſentiant hi, quorum conuerſatio in cœlis eſt, de mutuis inter Chriſtianos uulneribus & nece, nõ eſt præſentis inſtituti edocere: uiderint alij. Quòd ſi tamen corporeis armis certandum erit, ſtrenuè id quidem, & imperterrito animo: ſed eo, quo Iudas ipſe, de quo ita legimus: Iudas quidem, & illi qui cum eo erant, manibus quidem pugnabant, cordibus uerò Dominum exorabant.

Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ.

Felix: Scutum ſalutis tuæ. hoc eſt, eam dediſti mihi opem, qua uti umbone uſus ſum ad mei protectionẽ. Et uerè ea mihi pro ſcuto fuit, id eſt, nõ leuis illa quidem, aut inutilis, ſed fortis, ſed utilis, ſed ſalutaris. Ea, inquam, illa fuit, à qua omnis mea profecta eſt ſalus, non aliunde.

Et dextera tua ſuſcepit mę.

Explicatius quomodo res acta ſit enarrat. Tua, inquit, ope protectus ſum, qua quidem clypeo tanquam aliquo ſalutari, tela hoſtium depulſa ſunt. Verùm quomodo? quia dextera tua, inquit, ſuffulſit me: ſeu, ut interpretatur Felix, ſuſtentauit me. Solent enim, ait Eutymius, qui alicui opem ferũt, uti dextera, quippe quę & potentior eſt, & aptior & agilior, quàm ſit læua. Non deſunt etiã qui ſentiant hîc, Vatẽ bona humano generi prouentura ex aduentu filij Dei, quẽ dexterã patris appellant, præuidiſſe. Ab hac enim dextera, ſeu brachio (ſic illum uocat Zacharias) bona omnia mortalibus emanarunt olim, & nunc maximè emanant: adeò ut illum à recta prorſus exorbitare exiſtimẽ, qui per medium aliud, quàm per Chriſtum, æternam beatitudinẽ aſſequi opinetur. Nam quemadmodum cœleſtis pater omnia, per hoc mediũ, ſapientiſsimè condidit: ita eadem illa nunc ſeruat per

A uat per ipſum: illiſq́, qui cœleſtium bonorũ capaces ſunt, æterna illa bona, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, copioſiſsimè elargitur. Dextera igitur Domini huiuſcemodi, ait Dauid, ſuſcipiet me, quando ſuſcipiet Iſrael puerũ ſuum. Ideo alio in pſalmo clamat: Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum, ut uiuam, ſecundum te ſcilicet, qui hactenus ſecundum me uixi: & non confundas me ab expectatione mea, ſeu ſpe mea, quin potius ſuum ipſa ſortiatur finem, hoc eſt, teipſum. Nullus unquam ſperauit in Domino, & confuſus eſt, ait Eccleſiaſtes.

Et diſciplina tua correxit me in finem: & diſciplina tua ipſa me docebit.

Talpis cæcior eſt, qui hîc non uidet, quantæ utilitatis ſit in hoc mundo rebus aduerſis affligi, nullamque pacem, nec inducias quidem cum ipſo habere. Videtur hîc Vates hoc unico uerſu aſſerere uoluiſſe, tot antedicta à Deo ſibi collata bona, proueniſſe, ſéque inde ad ſummum penè uirtutum culmen aſcendiſſe, aduerſitatum lima, ac beneficio. Diſciplina tua, inquit, correxit me: hoc eſt, caſtigatio tua, non ab excandeſcenti animo atq́ irato, ſed pio ac paterno profecta, erudiuit me, in finem: id eſt, erudiuit, in æternúmue erudiet. Diſciplina, inquam, tuæ correctionis, qua me ut filium, non ut ſeruum admones, & in officio contines, me docebit, dabitq́ mihi intellectũ, ne ſicut equus & mulus efficiar, quibus non eſt intellectus. In Hebræo, pro toto hoc uerſu, non eſt aliud quàm: Et manſuetudine, ſeu bonitate tua, multiplicaſti me: hoc eſt, paterna tua gratia, & benignitate, tantum mihi fortitudinis, quibuſdam ueluti auxiliaribus copijs accumulaſti, uirtutum inſuper ac gratiarũ, ut iam potis ſim à meipſo aduerſarios debellare. Quid aio à meipſo? Tu enim es qui dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata ueſtigia mea. Ruptis igitur hoſtium impedimentis, contritiſq́ laqueis, quibus ego miſer detinebar, ſecurus iter facio. Aperta enim iam eſt uia, ex-
B purgatumq́ ab inſidijs iter eſt, quò tutò ad te, per te, uenire queã. Haud hîc aliud uult Vates, q̃ omnia ſibi, Dei dono, ex animi ſentẽtia ſucceſsiſſe, quod quidem, ſecundum hiſtoriam ſacram, aliquando uerum fuit. Legimus enim capite ſecundo tertij Regnorum libri, quòd poſtquam Moab Dauidi factus eſt ſeruus tributum ſoluens, atq́ ipſe rex deuicta Syria in ualle Salinarum feciſſet ſibi nomen, ſeruauit eum Dominus Deus in omnibus, ad quæcunq́ profectus eſt. Summa: Fatetur uir ſanctus in tam lõga uerborũ periphraſi, ſe adeò in pugna carnis profeciſſe, ut & actiones, & motus animæ, qui & greſſus dicuntur, rationis imperio ſubegerit: ita quòd omnes eius partes robuſtiores ſint factę, q̃ quòd amplius nutare queant, ac uinci. Et hæc quidem eſt grati animi de beneficio cœlitus percepto confeſsio, non iactabundi oſtentatio.

Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar, donec deficiant.

Stabili ex prioribus erga ſe admirandis Dei operationibus concepta fiducia, inanimat ſeſe Vates, & ait: Inimicos meos tandiu inſectabor, donec comprehendero illos: nec, niſi deletis illis, reuertar. Solent enim exercituum imperatores, hi maximè qui uictoria potiti in conflictu cõpertum habẽt nihil eſſe uiciſſe, niſi & uictoria ſciant uti, palantes hoſtes, ac in fugam uerſos, à tergo inſequi, quò prorſus unà cum armis, deſiderio quoq́ iterum inſtaurãdi prælij expolientur. Argumentũ ſane mirabile, ac inſtructio in rebus ſpiritus neceſſaria. Non quidem ſat eſt unum aut alterum ſuperaſſe uitium: perſtandum enim ſumma ui eſt, modisq́ omnibus contendendũ, ne hoſtis non omnino à nobis contritus, fortius recrudeſcat. Aiunt quippe ſanctiſsimi uiri, humani generis hoſtes arcu orationum æreo facilè transfodi, fugari lachrymis, ac flagrantiſsimis in Deũ affectibus prorſus deleri. Sunt enim huiuſmodi acie ſanctorũ arma inſtructa, de quibus etiã Paulus: In uerbo, ait, ueritatis, in uirtute Dei, per arma iuſtitiæ, à dextris, & à ſiniſtris. Porrò quia ſæpe per ignauiam noſtram, uel extinctus hoſtis reuiuiſcere ſolet, propterea prudentiſsimè ſubiungit Vates: Non conuertar, donec deficiant. Tunc enim magis timendus eſt hoſtis, cum non ſentitur. Simulat ſe ſæpe mortuum, ut

C incautos poſtea à tergo aggrediatur. Sed quia, quoad uiuit in hoc mundo, nunquam ab inſidijs ceſſant hoſtes, eò profectò nunquam nobis ab illorum inſectatione eſt deſiſtendum. Non reuertar, ait Hebræus, donec conſumetur.

Confringam illos, nec poterunt ſtare: cadent ſubtus pedes meos.

Figura fuit illa eorum, quę nunc fiunt in Eccleſia, cum domitis Philiſtæis, Moabitis, Ammonitis & Syrijs, rex Dauid nunq; adduci potuit, ut cum illis pacem iniret, donec bona eorum parte deleta, reliquos ſibi tributarios efficeret. Confringam illos, ſeu potius, ut ait Felix, percutiam eos, et ſurgere non poterunt. Vides ad quantum exterminium cogendus ſit hoſtis, caro ſcilicet, appetentiarumq; libido ac petulantia, ne te lædat? Et quidē de te actum eſſe ne dubites, ſi uel tantillum fœderis cum tam ſæuo hoſte, ut tute tibi es, percuſſeris.

Et præcinxiſti me uirtute ad bellum: & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.

Quis non miretur huius ſanctiſsimi Vatis animi gratitudinē? Suam enim enarrans per partes, ut fit, uictoriam, in media ipſa enarratione, ad ſcribendū Deo quicquid felicis ſucceſſus eſſet nactus, digreditur: & ait, quòd Dominus is ille fuit, qui ſe tam ualida præcinxit armatura ac uirtute, ut hoſtes prorſus attriuerit. Loco ſupplantaſti, Felix legit, proſternes, ſeu incuruari facies: utrunq; enim ad extremam hoſtium deletionem oſtendendam facit. Cæterùm ſupplantatur hoſtis, cum putans uincere, uincitur: proſternitur autem, aut incuruatur, cum adeò fortiter enſe, aut fuſte percutitur & uulneratur, ut nulla ſalutis ſuæ ſpes extet reliqua. Senſus igitur: Tu Domine ille es, qui bellis gerendis me idoneum feciſti: ſtrauiſti quoq; inimicos meos omnes, illos qui inſurgere in me moliebantur, eosq; inſuper terga mihi dare coegiſti. Idcirco addit Propheta,

Et inimicos dediſti mihi dorſum.

D Hypallage eſt. Quid hoc oro? Obuertiſti mihi terga, haud pectus hoſtiū: eosq; in fugam egiſti, ſed quà tamen effugere non poterunt. nam

Odientes me diſperdidiſti.

Felix ſic: Et inimicos meos dediſti mihi ceruicem. Quod quidē ipſemet exponens, inquit, feciſti illos retrorſum ire, ut poſt tergum illos inſequerer: ac me odio habentes, ad internecionē perducerem. Non fuit, inquit, qui uerſa facie ueniam rogaret: ea propter, ô Domine, illorum ſuperbiam penitus extinxiſti.

Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.

Hæc plagarum omniū miſerrima eſt, cum clamant ad Dominū peccatores, & non exaudiunt. Humiliauimus, inquiunt, animas noſtras, & non aſpexiſti. Quæ res infelicior homini accidere poteſt? homines enim quantumlibet mali ſint, & adorent creaturas magis quàm creatorem, ut inquit Paulus: in afflictionibus tamen Deum inuocare ſoliti ſunt, ſed nō ſeriò. Siquidē in alijs rebus magis, quàm in Deo, uel cum Deo ſimul, ſpem ſuam ponunt. Verùm zelotes eſt Deus noſter, qui ſe ſolum coli uult, inq; ſe ſolo exigit, ut ponat homo fiduciā ſuam. Non quidem eius fauor ac gratia, uanis ritibus, ſuperſtitioſaq;, ut eſt illa Iudæorum, emitur religione, aut cruentis ſacrificijs placatur, ſed corde puro, cōuerſatione q; uitæ tota diuino cultui conſecrata. Quid igitur Deum noſtris precibus ſolicitamus? nos, dico, qui res alias cum ipſo adoramus, aurum ſcilicet, ſcortum, gloriam, famam? Vides, certò ſcio, quo animi propoſito eum ipſum præditū eſſe oporteat, qui cupit à Domino, cum orat, exaudiri. Alioqui ſi infecti auaritię ueneno, ſi fraudibus, ſi dolis, ſi odio, ſi noſmet ipſos ulciſcendi cupiditate fuerimus conſpurcati, quomodo puriſsimas diuinæ maieſtatis aures obtundere audebimus? Quocirca quia Dominus illos ſua ipſorum culpa contempſit, neq; illorum dignatus eſt ſupplicationes admittere, ſecurè

Comminuam illos ut puluerem ante faciem uenti, ut lutum platearum delebo eos.

His enim ſimilitudinibus uult Vates ſuos hoſtes, non tantū Moabitas & Syrios, quantum dæmones iri exterminatum intelligi. Parum enim eſſet, uel Dauidem olim, filium Roab Adadezer regem Soba, ac omnes eius curruum ſubiuga

les ſub-

A les ſubneruaſſe: uel, nos qui mutuis tam crebrò inter nos deſeuimus uulneribus, palmam à Tuneto, aut Byzantio reportaſſe, niſi illi regij animi ferociã edomuiſſet, noſcq; depoſitis armis, dominandi cupiditatem, atq; ambitionẽ allideremus, unáue cum ipſis enſibus abijceremus. Hi ſunt ſanè hoſtes, qui à nobis (modò noſtra nobis ſalus ſit curæ) non ſimpliciter uincẽdi, ſed radicitus extirpandi ſunt: ac non aliter, ut ait Paraphraſtes, diſpergendi, quàm puluerẽ ſolet uentus, et tanquã lutum platearum abijciendi. Lutum enim platearum, ut notat Felix, ſolet abijci, ac ex illo extra uias cumulus fieri, ne credo, nundinas impediat, dum cœni uiſco atq; odore offenſi homines, à negocijs abſtrahunt: quamuis adeò iam ſuccreuerit intra urbiũ mœnia lucri ſitis, ut ne, ſi caderet quidẽ nautea è cœlo, aut aſphaltum, deterrerentur, & à contractibus forenſibus ciues, & à licitatione licitatores.

Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium.

Hæc de ſeipſo Dauid, ut Chriſti typus. Alioqui nuſquam legimus in Dauide completũ eſſe, quòd conſtitutus ſit in caput gentium. Et quidẽ, ne ipſum Deum unicum eſſe rerum omniũ conditorẽ ac reparatorem, cuiſq; acceptũ referri oporteat, quicquid boni ſucceſſus, in hac dura cum mundo & carne cõflictatione, nobis prouenit, dubitaremus, ſubitã introducit filij Dei perſonam, qui fateatur ſeſe diuino auxilio atq; ope adiutũ, ereptumq; de manu hoſtili, ut ait Hieremias. Vn de cœleſtis nobis exoritur doctrina, qua admonemur, quàm forti medela nos monſtra rerum indigeamus, poſtquam Dei filium, & hunc innocentiſsimũ, cernimus paterno auxilio ſeruatum. Porrò Iudæi, ut iam diximus, populus Dei peculiari prærogatiua appellabantur, quemadmodum cæteri, gens. Ait igitur hic Chriſtus: Tu pater ille es, qui me à rixis ac iniurijs populi tui, Iudæorum ſcilicet, liberabis: quo quidem abs te, ſua ſponte reiecto, cõſtitues me in caput gentium.

B Et certè tota Dei filij uita, ſi rem ex animo cogites, nihil aliud in terris fuiſſe tibi uidebitur, quàm contradictio quædã, rixa & contentio cum Iudæis. Hi quidem liuore, & qua maximè cruciabantur, ambitione moti: ille autem amore ac beneuolentia. Illi, ut eum perderent: noſter uerò, ut illos uiuificaret, ſuaq; æterna domo, & felicitate donaret. Quid? ne illi quidem ipſi inter ſe in eo, in quo Chriſto contradicebant, erant cõcordes. Alij enim aſſeuerabant eum bonũ eſſe, alij non, ſed ſeducit turbas. Quid Pilatus? Regem ueſtrum crucifigam? illi autẽ, Non habemus regem, niſi Cæſarem. Populo tandem iſto duriore, quàm ſit æs aut adamas, proiecto, conſtitutus eſt Chriſtus caput, dux, rex ac princeps gentium. Vides quomodo naturalibus fractis oleæ ramis, horum loco ſuccreuit oleaſtri ſurculus? Et erit, ait Oſea, in loco ubi dictũ eſt eis: Non plebs mea uos, ibi uocabuntur filij Dei uiui. Sed illud magnopere horrendũ, quod cum cogito, totus cohorreſco. Clamat enim Dominus in Euangelico illo Eſaiæ ſpiritu: Inuentus ſum à non quærentibus me: palàm apparui his, qui me non interrogabãt. Ad Iſrael autem: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Putásne totas noctes in peccatis ſtertendum eſſe ſpe fultis regenerationis, ordinum, ſacramentorum? Erras toto, ut aiunt, cœlo, ſi ritibus conuenis, uita uerò diſſentis, ac contradicis.

Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.

Quæ maior poteſt eſſe laus, quàm ſic à filio Dei laudari? Ecce clamat Eſaias, & ut poteſt, Deo in carnem uenturo gratulatur. En gentem, quam neſciebas, uocabis: & populi, qui non cognouerunt te, ad te current. Dominus autem: Populus, ô Eſaias, quem antea meum neq; habebam, neq; cognoſcebam, ſeruiuit mihi per fidem. Sed & aliquid amplius addã: In auditu auris, hoc eſt, non uiſo me, non perſpectis miraculis ac ſignis, ſuſcepit me: filius uerò dilectus cõtempſit. Idcirco beati illi, qui non uiderunt, & crediderunt. Quàm uereor quidem interdum, ne abiectis nobis, ſubintret Parthus aut Turca, poſtquã eò res noſtræ deuenerunt, ut penè diuina bonitas à noſtris ſceleribus ſuperari uideatur.

Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt.

C Heu lachrymabilem commutationem. Tu populе electe, cui data eſt lex, ut ait Paulus, promiſsio, teſtamentũ, ſinis te à ſuibus & canibus, hoc eſt, à publicanis & peccatorib. ab æterna uita deturbari? Quàm uerum fuit illud, quòd filij regni eiecti foras ſunt, interim illo genti facienti iuſtitiam conceſſo. nam publicani uos, ac meretrices, precedent in regno cœlorum. Conqueritur igitur Dominus, & ait: Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Quod quidem fermè idem eſt, quod hic dicitur: Filij alieni mentiti ſunt mihi. hoc eſt, hi qui filij eſſe debebant, negauerunt me, perſecutíq; ſunt, ac tandẽ occiderunt: quocirca alieni, ſpurijſq; facti ſunt. Vis ne audire qua ſortè miſerabili mentiti ſunt ei? Nos, aiunt, patrem Abraam habemus: Ieſus autem, Vos ex patre diabolo eſtis. Filij, inquam (quod ſine animi dolore replicare nequeo) alieni inueterati ſunt,

Et claudicauerunt à ſemitis ſuis.

Id eſt, ſpurij iſti non ſolum ſemel, bis, aut iterum, me negarunt, ſed in malis quoque penitus conſenuerunt, ſemperq; claudicantes, prauè in iuſtitiæ ſemitis inceſſerunt. Verùm quoniã Hebræi aliter hæc uerba legunt, Et claudicauerunt in ſemitis ſuis: uidentur etiam uelle ſenſum alium intelligi. Sic enim legunt: Ex penetralibus ſuis trepidauerunt, uel defluent, ſeu cadent ex clauſuris ſuis. Quibus & conſentit Paraphraſtes: Deſertores, ait, ſemper in metu erunt, & abdent ſeſe in latibulis ſuis. Propterea quidã, ſed in primis Felix, illud mentiti ſunt, eundem habere ſenſum autumant cum illo ſexageſimiſexti pſalmi, uidelicet: Præ multitudine uirtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Quem ſic reddunt: Tua potentia efficit, ut hoſtes tui fateantur ſe mendacium & uanitatẽ ſectatos eſſe, cum propria ſe uirtute ſuperaturos iactarent. Felix uerò ſic: Dicent præ timore non fuiſſe aduerſum me. Alijs autem uiſa eſt abſurda hæc ſententia, proinde aſſerunt Vatem uoluiſſe his uerbis nihil aliud à nobis intelligi, quàm illos penitus Deo
D ſupplices, atq; eius potentiæ obnoxios fuiſſe, illud Deuteronomij citantes, Negabant te inimici tui: uel, ut alia habet litera, mentient tibi inimici tui, & tu eorũ colla calcabis. Et forſan, aiunt, inde mentiri pro trepidare, ſeruili maximè ſubiectione, ſcriptura uſurpare ſolet: quòd qui ita ſubiecti ſunt, multa ſoleãt, timore nimio adacti, his mentiri, quibus ſeruiunt, & quorũ potentiã reformidant. Nam ex illis quidã ſic reddidit: Seruiliter mihi ſupplices facti ſunt, quocirca ex penetralibus ſuis trepidarunt. hoc eſt, in locis etiã clauſis ac munitis timore cõtabuerunt.

Viuit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus ſalutis meæ.

Iuranti hic erat mos apud Hebræos, ut paſsim in ueteri inſtrumento eſt uidere: & eſt perinde ac dicat, per Deum uiuentẽ, cum interim gentes per deos mortuos iurarent. Verùm in hoc loco uox eſt gratias Deo agentis: unde Hebræus interpres ſic uertit: Laudatus propugnator meus. Felix uerò ferè idem cum noſtro, Viuit Dominus, ait, & benedictus creator meus. Adeò dulciſsima uoce uitę delectati ſunt penè omnes, & quam uerè, ſingulariterq; Deo uiuenti in ſecula, conuenire arbitrati ſunt. Senſus igitur: Ipſe Deus, qui fons eſt uitæ, uitamq; habens in ſemetipſo, cum dij gentium mortui ſint, hæc tam mirifica, quæ hactenus enarraui, operatur: idcirco ſit ſemper benedictus, laudatusq; in ęternum, qui mihi rupis inſtar ac propugnaculi ſemper extitit: exaltetur ab omnibus, colatur, agnoſcatur: ipſe enim ſalutis meæ autor fuit. Huiuſmodi quidem ſublimitatis mens debet eſſe Chriſtiani, ac perfectio, ut in omnib. tum dictis, tum factis, ſemper aueat Dei nomen exaltari, ſuum uerò deprimi. Vides quomodo ſuo more Vates ſe ad pſalmi finẽ accingens, laudibus illum cõcludere ſatagit? Deſunt ne nobis ignauiſsimis argumenta uirtutum in hoc ſanctiſsimo uiro?

Deus qui das ᵛindictas mihi, et ſubdis populos ſub me, liberator meus de inimicis meis iracũdis.

In Hebræo, Iracundis non habetur, ſed hac uoce aduerſariorũ affectus exprimitur, qui rabie ſola, atq; ira eos impellente, in Dei electos inſanire ſolent, nõ iuſta cauſa aliqua, aut ratione. Summa eſt, quòd Deus ipſe ſemper uiuens, atq; omnium potentiſsimus, uires nobis ſuppeditat nos ulciſcendi, qui & ſolo nutu ſubigit

A gitnoſtro iuri atq; haſtæ, inimicos eos noſtros, qui ſola animi impotẽtia ac rabie in nos deſæuiunt. Et quidem nõ te mouere debet, quòd hic cernis Vatem ſeſe iactare de accepta cœlitus facultate ſe ulciſcendi. Nam nihil aliud eſſe de inimicis noſtris, uel in primis inuiſibilibus, quorum, ut inquit, Dionyſius, furor eſt irratio nabilis, amens concupiſcentia, phantaſma proteruum, pœnas ſumere, quàm illis non cedere, eorumq; ſuggeſtionibus non aſſentiri, cùm à ſacra lege, tum ab experientia edocti, probè nouimus. Vis ne è tam dira lucta uictor recedere? ne pedẽ moueas, ſed perſta, dura, finge te fortem ac ualidum. Alioqui mirum, quàm dæmon in meticuloſos acer ſit, atque audax. Secus uerò nobis cum hominibus noſtræ profeſsionis certandũ eſt. Carbones, inquit Paulus, ignis congeras ſuper caput eius. hoc eſt, par pari in iniurijs ne referas: non odio te perſequentẽ inſequaris, non remordeas, ſed uince in bono malum. Hoſtes enim beneficijs deuincire, ac nobis obſequijs conciliare, ſumma laus eſt, atq; honoratior triumphus & uictoria, quàm ſi eos laqueo ſtrangules, aut ferro iugules.

Et ab inſurgentibus in me exaltabis me, à uiro iniquo eripies me.

Iam finem facit Propheta omnibus prædicandi à quot malis ereptus ſit à Domino, quò cuncti in eum credentes perdiſcant tandem ad unicum illud aſylum, tutumue perfugium recurrere, ac poſt adeptam liberationẽ, partamq; uictoriam uim omnem, qua uictores euaſerũt, illi referre acceptam, atq; eum, quantum fas eſt humano ingenio, laudũ trophæis onerare. & eſt, ac ſi dicat: Quid multa commemoro? quid per partes bellum commiſſum, uictoriamue concelebro? Tu enim is ille es, qui omnibus illis, qui in me inſurgunt, ſuperiorẽ me facies, à uiroq; iniquo & maligno: ſeu, ut legunt Hebræi, à uiro uiolentiæ; uel, ut uertit Felix, à uiro iniquitatis, tutaberis me. & eſt mutatio numeri.

B *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo pſalmum dicam.*

Hic enim Dei filius Patri pro electis gratias agit, & ait: Quoniam me in caput gentium, reiectis filijs illis alienis ac rebellibus, cõſtituiſti: meq; à populi contradictione eripuiſti, ſuperiorémue omnibus illis, qui in me criſtas erexerãt, feciſti, uim mihi de inimicis meis me ulciſcendi ſuppeditans: demumq;, quoniã me ab omni homine maligno ac uiolento tutatus es, in futurumq; tutaberis, te, tuumq; nomen laudabo, ſpargamq; tui regni famam per cunctas paſsim nationes: ac demum faciam, ut omnes, qui ſanctum tuum uerbũ accipient, te laudent, te extollant, ac tuum tremendũ nomẽ ſanctificent. Vidésne, ô homo animalis, quò tuæ referendæ ſint odæ? quò cantiones? quò metra illa tua mille libidinũ næuis conſpurcata? Nomini, inquit, tuo, ô Deus, pſalmum dicam: non ſcorti, aut lenæ nomini, aut adulteræ. Quid turpitudinis in metris illis, quos metricales uocant (ob id puto, quòd à Cale oppido Galliæ originem habeant: uel, quod magis placet, à calo, quod bonum ſignificat, eo modo ſic dicti, quo apud inferos, Eumenides) non auditur? Quàm ſanctioribus muſis, puerorũ, puellarumue ingenia exercitanda eſſent? quàm caſtiori plectro emollienda, ad amoremq; diuinũ, non laſciuum ac turpem, in ſuis iſtis primis annis imbuenda? Vidimus enim aliquando, uel caſtiſsimas matronas, neq; inſanientium amantiũ lachrymis aut donis, neq; pulchritudine ipſa ſua ab omnibus laudata, atq; à quàmplurimis concupita, potuiſſe flecti: ad unam tamen laſciuam cantionẽ, cor ad ea cogitanda conuertiſſe, quæ perpetrata, & ſibi, & familiæ, & patriæ, perpetuã infamiæ notam inurerent. Sed parum forſan hoc eſſet, niſi & templa quoq; ipſa iſtuc uenenũ infeciſſet. Ridiculúmne illud eſt, an flebile magis dicendũ, auribus choros audire, ſacros hos pſalmos in templis Deo canere: corde uerò, intercalari quadam ueluti turpitudine, fœdos amantium ignes ab organis haurire?

Magnificans ſalutes regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid.

Mutatio rurſus eſt perſonæ, & eſt ac ſi dicat, magnificas ſalutẽ: ſeu, ut legit Paraphraſtes: Adauges in immenſum ſalutifera dona regi tuo, facisq; miſericordiã

C Christo tuo Dauid, & semini eius usq; in seculum. Quanta spes hic cõcipi debet, postquam cernimus totam uim regni Christi in misericordia consistere. Genuit enim pater filiũ sibi ab æterno, Deum uerbum, natura sibi æqualem, eiusdemq; potentię ac uirtutis, quem constituit regem uniuersorum, per quem fecit & secula, & cui fecit misericordiam: hoc est, regni eius summã uoluit esse misericordiã. Proinde eundem ipsum filiũ appellat uates Dauidem, hoc est, amabilem, lenem, speciosumq; forma præ filijs hominũ: quo etiam nomine ab Hieremia uocatur. Et seruiant, inquit, Dauidi regi suo: id est, ut interpretantur, Messiæ. Regnũ igitur amabilis huius regis, amor est & misericordia: non fastus, nõ odium, non ambitio, non tyrannis, non crudelitas.

Et semini eius vsq; in seculum.

Cuius eius? Christi scilicet. Hæc enim electorũ est multitudo, quæ semen Dei appellatur. Quinimò in ipsis diuinum est semen, atq; ob id peccare non possunt, ut ait Ioannes. Quid autẽ sit hoc semen, si interrogor: puto esse æternos illos motus atq; igniculos, à summo rerũ opifice ab æternis seculis in electorũ cordibus accensos, secundumq; infinitã eius misericordiam, electorumq; ipsorum electionem atq; propositum, ut cum Chrysostomo sentiam, futurum, præuisos, immotaq; sententia destinatos: quorum quidem suauissimo illapsu ac monitis, crebrò experrecti, non peccant ad mortẽ: hoc est, in peccatis haudquaquã moriunt̃, sed in Domino: propterea beati. In seculum, ait: id est, misericordia regni huiusmodi æterna erit, & adeò æterna, atq; interim tam regi nostro familiaris, ut penè iustitiæ uideat̃, ut sic dicã, oblitus. Erit, inquit Zacharias, ex his, qui offenderit in die illa (gratiæ uidelicet) quasi Dauid. hoc est, erit sicut Dauid, qui post culpã suam magnam misericordiam est consecutus. quare clamabat: Miserere mei Deus se-
D cundum magnam misericordiã tuam. Vides differentiã legis & Euangelij? Cernis quàm uerũ sit illud, quòd olim mundi sapientibus Dei maiestas, Iudæis iustitia, Christianis uerò misericordia innotuerit? Et quidẽ, licet misericordia & iudicium cantanda sint Domino, misericordia tamẽ Domini plena est terra. Dulcor sanè is est, quo absente, nostræ omnes actiones, quãuis diuinæ & sublimes, amaræ sunt, ac Deo parum gratæ: præsente uerò, uel illæ quidem, quæ nota aliqua imperfectionis respersæ uidentur, mundæ efficiuntur, & Deo gratæ.

Danti æternitatem, PSALMVS DAVID XIX.

HOc psalmo uates Dei uirtutem ac prouidentiã, ex opificio cœlorum relucentẽ, celebrare intendit. Memorat deinde legis diuinæ excellentiam & robur, ac demum à peccatis seruari rogat: petitq;, ut quicquid animo cogitat, aut ore loquitur, illi probetur, & gratum sit. Nulli dubium esse debet, cœlos istos uisibiles, stellas, solem, lunã, dies, noctes, diuina esse spectacula, in quibus conditoris gloriam intuemur, æternamq; eius potentiã, ut ait Paulus, & diuinitatem contemplamur. Et quia hæc iam ex consuetudine atq; usu apud homines cœpta sunt euilescere, paucíq; inueniuntur, qui ex tam pulchra cœlorum machina, Dei maiestatẽ intelligere curent: prudentissimus uates uoluit hisce rebus, quæ ante oculos semper obuersantur, & nunquam non apparent, humani generis stupiditatem excitare ad illam considerandam, à structura scilicet ordinatissima cœlorum, ordine, motu, ornatu, & sic orditur:

Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Volunt interpretes hebræi hic idem esse, eundemq; sensum prætendere cœli, & firmamentum: quamuis dictio hebræa, ut ipsi asserunt, non firmamentum, sed æther, significet, utpote quæ nõ à firmitate, sed ab expansione dicatur. Ex quo illud, quod nos in Geneseos libro legimus: Et uocauit firmamentũ, cœlum: illi, æthera uocauit cœlos. Hinc etiã ex nostris quidam Aristotelem imitati, dicũt cœlorum, syderumq; naturam hoc nomine appellari, ducta nimirum huius uocabuli origine ex eo, quòd semper motu circunductili æther feratur. Quemadmodum igitur, ut hi uolunt, idem est æther, quod cœli: ita quoq; idem enarrant, gloriam

A riam ſcilicet Dei, ac maieſtatẽ. Quare à magnitudine & pulchritudine rerũ conditarum, quaſi proportione quadã, ut uocat Eutymius, earum, artificis excellentia conſideratur. Nam qui cœlorũ, ſiue ætheris, formam, ſitum, pulchritudinem, ornatum ſpectat, uiſu, ueluti doctore aliquo, utitur, ad ſempiternã Dei uirtutem ſpeculandam. Quocirca dicimus cœlos, cœlorumq; machinam, Dei magnitudinem prædicare, cum proprio eos aſpectu, ornatúue ac motu, pro uoce uti conſideramus. Nemo eſt enim, niſi ſit omnino indoctus, qui cenſeat cœlos eſſe animatos, atq; os habere ac linguam, ut cætera animantia, contendat: uerùm, ut dixi, ipſa in illis pulchritudo & forma, uox eſt quædam mirabilis, qua eorum opificis magnitudo annunciatur in uniuerſo mundo. Ad quam quidẽ conſiderandã nos prouocat Eſaias nõ ſemel, ſed illud in primis: Leuate, inquit, in excelſum oculos ueſtros, & uidete, quis creauit hæc. Cęterùm, ut hic ueriſsimus ſenſus ſit, quem dixi, quis nos tamen uetat, poſtq; uideo Paulum, quartum huius pſalmi uerſum de ſanctis apoſtolis interpretari, hic ſanctos Dei uiros, acuates cęteros, cœlorũ nomine intelligere? Cœli igitur apoſtoli ſunt, ac cæteri eiuſdẽ propoſiti uiri, è quibus Deus, ueluti ex hoc æthere ſolet fulmina, ignita uerba iaculatur, terret, fulgurat, ac terrifico quodã iuſtitiæ ſtrepitu detonat. Hinc nimbi illi, ardente perſecutionum Sirio, conſolationis gratiſsimi: hinc fiduciæ pluuiæ, hinc caſti amoris nubes, æſtum atq; ardorem huiuſce inhoſpitæ ſolitudinis uitæ refrigerantes, ortum habent. Audite, ait Moſes, cœli, quæ loquor. Quid mirũ ſi cœli exiſtimandi ſunt hi, qui tum ore, tum animo, cum Paulo clamant: Noſtra conuerſatio in cœlis eſt? Sed quid enarrant cœli iſti felicíſsimi? gloriam profectò Dei, quam eſſe arbitror cum Caſsiodoro, gratuitam peccatorum ueniam: ex qua quidem ſolus glorificatur Chriſtus, nos uerò, noſtraq; iuſtitia, uis & ſtudium, damnantur. Verùm hanc gloriam quis enarrare? quis prædicare? quis extollere potis eſt, niſi cœli iſti formoſiſsimi? Etenim terra terrã ſapit & prædicat: hoc eſt, mundi faſtum ac pompam. Secus uerò cœli iſti myſtici, quibus ſui artificis gloriã & maieſtatem annun
B ciantibus, noſtra illicò cadunt omnia, proprius ſcilicet amor, ac carnis cura.

Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.

Neſcio an ullus alius poſsit eſſe apertior ſenſus huius uerſus, quàm quem ponit Paraphraſtes. Ait enim: Dies unus indicat ſubſecuturum alterum, & nox una docebit nos cognoſcere aliam: perpetua enim uiciſsitudine mutuò ſuccedunt. Inter cætera huius ſtructuræ mundanæ, quæ pulcherrima ſunt, hæc inter prima eſſe uidentur, cum in rerum ordine, dies diei, perpetua quadam uiciſsitudine, eructat, ſeu manifeſtat uerbum: hoc eſt, mandatum Dei, ut miro quodam modo & ratione, ſubſequens dies à præcedenti pendeat, ab eoq; modum præfixum, qui ei obuenturus ſit, ſumat. Ex quo quidem ordine & harmonia, rerum opifex laudatur, eiusq; magnitudo ab omnibus & cognoſcitur, & prædicatur. Neque porrò id ſolum in mutua iſta dierum ac noctiũ concordia eſt uidere, ſed in anni partibus quoque, qui tam concinnè quadrifariè diuiditur, ut nullus alius in rebus conditis mirabilior appareat ordo, qualem in ueris, æſtatisue, autumni, atq; hyemis ordinatiſsima ſucceſsione cernimus. Quod ſanè non eſſet, ſi nullo ordine, nullaque unius & eiuſdem optimi ac perfectiſsimi prouidentia principij, ſed caſu, temerariaq; ui ac ſorte, mundus regeretur. Hoc itaque modo, illud adagij loco uulgò celebre uerum eſſe deprehenditur, quòd diſcipulus prioris eſt poſterior dies. Cæterùm dies, gratiæ tempus eſt: nox, legis & peccati. Vnde illud: Nox præceſsit, dies autem appropinquabit. Nox Dei ignorationem prætendit, dies ſcientiam & fidem. Dies ſpiritum, nox carnem. Noctis inuolucris obducti erant prophetæ: diei radijs Euangelium, hoc eſt, Chriſti præſentia. Verùm & nox ſuam habet gloriam, quamuis tenuem, ad illam diei, in quo ſol iuſtitiæ nunquam deeſt. Noctis enim ea eſt gloria, cum doctorũ hominũ ſtimulis excíti, nos omnes ſub peccato eſſe arguimur, ac de nocte ad diem reuocamur. Nonne igitur nox, legis ſcilicet minæ, atq; noſtra declarata per legẽ damnatio, & cõſcientiam, annunciat nocti ſcientiã? hoc eſt, illis quidem, qui etiamnũ in fidei ignorantia,

C Iudaicisq; ſuperſtitionibus uerſantur. Etenim abſq; legis ac conſcientiæ monitis in profundiſsima errorũ nocte uolutamur: ab illis uerò puncti, facilè ab huiuſmodi, tum legis, tum conſcientiæ tenebris, ad lucẽ diei, quæ eſt fiducia in Deo, prodimus. Porrò feliciſsimum illum eſſe diem arbitror, qui, ut aliquãdo nox dies efficiatur, ſe in noctem transformat. Quod quidẽ accidit, cum perfectiſsimi uiri ſeſe infirmioribus animis tandiu attemperãt, quandiu creſcant in uirum perfectum. Cum liber eſſem, aiebat Paulus, ab omnibus (ecce lux in Paulo) omniũ me ſeruum feci, (ecce nox) cum Iudæis Iudæus, cum gentilibus gentilis, omnibus omnia factus ſum, ut Chriſtum lucrifacerem. An uerò dies, in ſuauiſsima Chriſti academia, diei eructet uerbum, hi norunt, quibus in uita nihil iucundius eſt, q̃ in ſacrarum literarum campo aſsiduè ſpaciari. Sacrum enim Euãgeliũ, quod lucidiſsimum diem appellare fas eſt, quomodo diei, ſanctæ uidelicet animæ, uerbũ illud diuinum, qui Chriſtus eſt Ieſus, cuius ipſum grauidũ eſt, non eructabit? non oſtendet? non notũ faciet? O lux, ô lumẽ, ô lampas uniuerſi, Chriſte benigniſsime, quem unicũ & colo & ueneror, uſquequo in tenebris uerſor? Semper ne in caligine errorũ, inſipientiæq;, cor meum frigidũ uolutabitur? Heu me miſerum, quot annis abſq; luce, attonitus ſuper terrã, infelicẽ hanc traduxi uitã. Tranſactę me pœnitet uitæ. Tu igitur dies luce omni ſplendidior, mihi, non iam diei, ſed nocti obſcuriſsimæ ac deploratæ, tuum ſanctiſsimũ uerbũ, tuam ſanctã legẽ, tuam gratiam, tuum fauorẽ, inſtilla. Da me in te transfundi ô lux beatiſsima.

Non ſunt loquelæ neq; ſermones, quorum non audiantur uoces eorum.

Felix: Vt non audiat uox eorũ. hoc eſt, nõ eſt idioma, nõ ſermo, non natio tam remota, quę nõ audierit uocẽ rerum conditarũ ſuo more loquentiũ, paſsimq; prędicantium ſui conditoris ſapientiam, potentiam, uirtutem, bonitatem. Namq;

D *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum.*

Cenſet Eutymius præcedentem uerſum legi debere per interrogationem, ut ſit ſenſus: putandúmne eſt, uariarũ rerum articulata uoce carentium pulchritudinem, ceſſare poſſe à celebrandis laudibus ſui opificis, etſi inanimæ ſint? Non hoc quidem. Nam in omnem terram exiuit ſonus eorum. In elementis igitur, uniuerſiq; fabrica & ſtructura, ipſe ornatus, diſtinctio, utilitas, pulchritudo, uisq; illa rebus omnibus à ſuo conditore ſapientiſsimè, qua ſeruantur, quaq; altera alteri affinitate eſt cõiuncta, ingenita, uox eſt ac ſonus, quo Dei magnitudo etiã in ultimis orbis receſsibus degentib. innoteſcere poteſt. Sed quid hæc, dicet aliquis, ad promerendã fidem eam, quæ in aſſequẽda uita æterna prorſus eſt neceſſaria? Reſpondet ſpiritus, quòd nunquã uiri ſanctiſsimi defuere, & in primis apoſtoli, qui per uniuerſum orbem donum hoc fidei diſſeminarent. Quod ne repentinum aliquod ueluti monſtrum exhorreſcerent homines, prædictum à ſanctis Dei uatibus longè antè fuit. Ait enim Eſaias: A finibus terræ audiuimus laudes, gloriam iuſti. Rurſus uice Domini: Mittã ex eis, qui ſaluati fuerint, ad gentes, in mare, in Aphricam, in Lydiam, tenentes ſagittam, in Italiam & Græciam, ad inſulas longè, & annunciabunt gloriam meam gentibus. Quam gloriam, quæſo? remiſsionem certè peccatorũ, gratis dandam per Chriſtũ mortalibus. Quo nimirum beneficio, maximã ſibi comparauit gloriam Deus apud eos, qui & in terris ſunt, & qui in cœlis, cum pro his mortuus eſt Chriſtus, qui & impij erant, & hoſtes: qua quidem morte extinctus planè mundus uniuerſus, ad uitam eſt reſtitutus. Gratias ago Deo meo, aiebat Paulus, quòd omnium ueſtrûm linguis loquor. Quorſum eo linguarum dono, tum Paulus, tum cæteri primę Eccleſiæ proceres à Deo inſigniti fuere? hac nimirum cauſa, ut in omnẽ terram exiret ſonus eorũ, ac non eſſent loquelæ, neq; ſermones, quorum non audirentur uoces eorum.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum.

Quia nullum aliud in cœlis ſidus Dei maieſtatẽ æquè atteſtatur, uti ſol, idcirco Vates huius peculiariter mentionẽ facit, aſſerens, quòd in ipſis cœlis tam nobilem facem collocauerit. Felix ſic: Soli poſuit tentoriũ in ipſis. Cui & quadrat

Para-

A Paraphraſtis litera. Ipſi, ait, ſoli aptauit Dominus habitaculũ in eis, & imperium dedit in eos. Vnde Eutymius: Deus, inquit, habitationẽ ſoli poſuit in cœlo. Vides enim quomodo Græci cum Hebræis in huius uerſus lectione cõueniant. Sol itaq; ut ipſe ait, qui conſtitutũ ſibi in cœlo habitaculũ nunq; reliquit, diuinæ gloriæ ac prouidẽtię prepetuus eſt præco. Et quidẽ ut nullũ aliud in ſole, quo queat à nobis ſumma Dei potentia cõſiderari, argumentũ ſit: num illud non per ſe ampliſsimũ, cùm, eo exoriente, maneq; iubar illud aureum, ex quo aurora eſt dicta, mundo proferẽte, uniuerſi facies mirabiliter exhilareſcit, ac miro quodam modo innouatur? Verùm quo magis id quod dicit illuſtretur, eum perſimilẽ facit ſponſo è thalamo egredienti, decoro ſcilicet, ac circũquaq; gemmis atq; auro inſigni. Eſt ſimilis, ait Paraphraſtes, ſol ſponſo, qui exurgens egreditur de cubili ſuo. Ferunt Iudæos antiquitus ſub expanſa cortina, ſponſam ſponſo tradere ſolitos: è qua quidẽ cùm progrederet, omnes qui aderãt, exhilarabat, indeq; feſti ipſi dies nuptiarum ſumebant exordiũ. Proinde prophetã aiunt ex tali Iudæorum more, huiuſmodi de ſole ceciniſſe encomium, quẽ non ſolùm ſponſo, qui nuptiali è thalamo egrediẽ, ſed giganti quoq;, aut, ut legunt alij, heroi cõparat. Vnde ſequitur:

Exultauit vt gigas ad currendam viam.

Myſteria enim quæ in hoc pſalmo ab alijs enarrantur, diuina quidẽ ſunt, propterea ab illis curioſus lector, ut lubet, ea inquirat. Nõ minoris forſan laboris res ea eſt, acratio interpretandi, quam nos ſequimur, cuiq;, uel uſq; ad ſudorem, inſiſtimus, quàm illorũ, qui in allegorijs aſſueti, nihil non agunt, quò cuncta allegorica in ſcripturis eſſe demonſtrent: utinam aptè. Verùm nec nos in huiuſmodi interpretandi genere ieiuni erimus: quàm uerò feliciter, iudicẽt alij. Sat enim mihi ſit candorẽ animi profiteri, atq; in me eſſe non diſſimulare. Illud igitur in primis dicendum erit, ne intacta prorſus myſteria relinquamus, quid ſibi uelit, in ſole Deum poſuiſſe tabernaculum ſuum. Et quidem poſſet aliquis in dubium uertere, an ob id, quod in fidei cauſa ab apoſtolis per orbẽ uniuerſum ſparſum fuerat,

B finem noſtrũ nanciſceremur: & ſi fine, & hoc perbeato, non eſſent fruſtrandi electorum labores, in quo tandem huiuſcemodi moraretur finis, in quo adipiſcendo tot rerũ difficultates ſancti Dei apoſtoli adierunt. Quocirca ſubiunxit Vates, quòd in ſole poſuit Deus tabernaculum ſuum. hoc eſt, in facie Chriſti, ut ait Paulus, & claritate, qui lucis omnis fons eſt atq; origo, quemadmodũ ſol eſt lucis huius corporeæ autor & principiũ, uoluit Deus cognoſci, qui antea fuerat incognitus, quando ſcilicet nox erat, ſtertebatq; mundus uniuerſus ſomno altiſsimo errorum immerſus. In hoc igitur ſole conquieſcit pater, in ipſoq; ſuũ poſuit domicilium. Nonne, inquit, ego in patre, & pater in me eſt? In ipſo enim, ut clamat Paulus, omnis plenitudo diuinitatis, etiam corporaliter, inhabitat. Ne porrò illũ lucem eſſe unius ſolummodo regionis aut gentis ſuſpicaremur, de ſe aſſerit hoc modo: Ego ſum lux mundi: qui ſequitẽ me, nõ ambulat in tenebris. Quid illud? ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et uerè mundi lux eſt Chriſtus: nam ſubtracta ab orbe hoc noſtro, ſatis per ſe obſcuro ac turbido, Chriſti luce, plena erunt omnia tenebrarũ, impietatis, perfidię, ignorantiæ, crudelitatis: & tandem nihil erit in humanis niſi nox perpetua ac mors. Non quidẽ lux eſt Chriſtus eo modo, quo ſol eſt uiſibilis: ſed penetrãtior ille eſt, utpote qui cor ipſum electorũ, atq; animã, adeò ſuis diuini amoris radijs perfundit & illuſtrat, ut unius penè ſubſtantiæ cum ipſo efficiatur. Is itaq; ſol iuſtitiæ, aureus ſanè, atq; aſpectu deſiderabilis, è thalamo illo ſuo regio, in quo idem cum patre Deus lucẽ habitat inacceſsibilẽ, egrediens, cum ab æterno delituiſſet, erupit tandem in lucẽ hanc uitæ, carnemq; aſſumens, homo factus eſt. Verúm ne ſubitò, ueluti ſpectrũ, aut uiſum aliquod nocturnũ, diſparuit lux hęc amabilis Chriſtus Ieſus? minimè quidẽ: nam habitauit in nobis, ut ait Ioannes, & manus noſtrę contrectauerunt de uerbo uitæ. Ne porrò, cum ſolem hunc pulcherrimum audis hominem factum, eum ipſum cogites ſolummodo deſpectũ, ac quaſi leproſum, ut inquit Eſaias, atq; à Deo percuſſum, ob idq; ad obediendũ patri ui impulſum, ac

C metu: eiuſmodi dubitationi occurrit ſpiritus dicẽs, quòd exultauit ad currendam uiam ſuam, geſtiens nimirũ, ut ait Paraphraſtes, tanq́ uir ſtrenuus abſoluere curſum ſuum. Fatebatur enim ſe Chriſtus, in Hieremia, peregrinũ eſſe ſuper terram, & colonũ abſq́ diuerſorio. Quare uitæ huius curſum ac uiam, à calce ad metam, uti peregrini ſolent, perficere accelerauit. Quid ni appellẽ curſum? cum ueloci-ter currat ſermo Dei, qui Chriſtus eſt? O mirabilem gigantis huius atq́ heroïs agilitatem. O noſtri hinnuli ſaltum celerem, & ſtupendum.

A ſummo cœlo, ait, egreſſio eius, & excurſus eius uſq; ad ſummum eius.

Hebræi clarius: A fine cœlorum egreſſus eius, & recurſus ad finem eius. Cuius quidem ſenſus, unica ipſius ſolis ac gigantis ſententia diffinitur. Ego, ait, exiui à patre, & ueni in mundum. En à ſummo cœlo egreſſio eius. Iterum relinquo mundum, & uado ad patrem. En rurſum excurſus eius uſq; ad ſummũ eius. Cum tot igitur paſsim per rerum conditarum machinam, atqueadeo per tot ſuæ erga nos beneuolentiæ ſigna, ſui notionem dederit,

Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Nemo iam homo eſt, qui ſe ab eius amore excuſare ualeat. Calor is eſt uniuerſalis. Proinde unuſquiſq́, quantum lubet, quò ſuum cuiq́ arbitrium maneat liberum, ſumere poteſt. Porrigit enim Deus homini, & uelle, & perficere, ſuum tamen non ſubtrahens fauorem, atq́ auxilium: ſed non cogit, non inuitos trahit, illectit tamen pollicitationibus, quò dona ſua non aſpernentur. Vide enim quomodo bona uoluntas tua ſit, ac Dei donum, quemadmodum etiam fides, quam donum Dei eſſe affirmat Paulus.

Lex Domini immaculata conuertens animas.

Commodùm enim, connumeratis argumentis illis, quibus adamuſsim perſpectis, nullus eſt tam barbarus, qui nõ admiretur, ſimul & prædicet Dei potentiã
D ac maieſtatem, adiicit de lege & doctrina Domini, munere quidem eximio, uereq́ diuino & cœleſti. Nam cum per ſacram legẽ ad Dei cognitionem acceſſum habeamus, cognitio uerò Dei ſit uita æterna, cõcludi poteſt, Dei doctrinã uitam eſſe æternam. Vnde illud eſt Pauli, ad Timotheũ ſcribens, de illa elogium, quo aſſerit diuinã legem nos ad ſalutem inſtruere. Porrò cum uaria contineat lex, in unum tamẽ deſinentia, uariis illam uocibus appellat Vates, modo legem, modo præceptũ, modo teſtimoniũ, modo iudicia, eandem ipſam nominans. Quarum quidem uocũ ea uidetur ratio, ut lex ſit id illud omne, quod ad bene rectéq́ agendum, rationem præſcribit. Teſtimoniũ uerò, quod de Dei uoluntate nobis teſtatur. Iudicia etiam, quoniam uiuendi cum proximo legem explicat. Mandata rurſus, ſeu iuſsiones, quòd quæ à nobis ſeruari uult Deus continet. Timor item Domini, eò quòd Deum timere, ueramq́ religionem, contemptis ſuperſtitionibus, ingerit. Iuſtificationes quoq́, ob id, quòd iuſtum eius obſeruatorem reddit. At huiuſmodi tam uariis nominibus appellata, una lex eſt irreprehenſibilis, atque animas à Deo auerſas conuertens. Et eſt perinde ac ſi dicat: Faſſus ſum cœlos iſtos uiſibiles Dei gloriam prædicare, quod ſanè magnum eſt, ſed propè nihil, ſi ad legem gratiæ conferas: ea enim ſyncera eſt, perfecta, abſoluta, nihil mutationis admittens, nihil uarietatis, nihil quod inconſtantiam præ ſe ferat, aut corruptionem, cum in cœlis ipſis, alioqui pulcherrimis, uiciſsitudines lucis, atque alterationes aliis aliæ ſuccedant. Iſta porrò animas reſtituit, reuocat, & in æternum renouat, beatq́ & recreat: cœli uerò tantummodo corpora. Quantum poſtea fidele ſit legis teſtimonium, ob id certè conſiderare poſſumus, quòd fide à diuina lege ſubtracta, ea omnia quæ ad ſalutem hominum faciunt, uacillent oportet: qua quidem re, nihil in rebus humanis, ſimul & diuinis, abſurdum magis accidere poteſt. Cœli præterea Dei ſapientiæ, ſapientes ſolummodo admonent: at ſcriptura diuina, uel imperitis ipſis mulierculis, paruulis, mundoq́ deſpectis, ſapientiam ſuppeditat. Mandata Dei poſtmodum æqua ſunt, iuſta, irreprehenſibilia, cum interim cœlorum lumen obliquet interdum, ac ſæpe ſui diſsimile ſit.

Præ-

A Præceptum Domini, ait, lucidum: ſed lucem iſtam cœleſtis ſtructuræ nubes cre
bro, ut uidemus, obſcurat, denſiſsimaq; obducit caligine. Illa tantummodo cor-
poreos oculos aperit, oblectatq; : hæc mentis aciem, ipſumq; totum interiorem
ſpiritum aperit, & exhilarat. Sol item, luna, & cæteræ aliorum corporum cœle-
ſtium faces, curſum ſuum, motum, ordinem, à ſummo illis opifice præfixum, d m
ſeculum hoc erit, tenebunt: uerùm ultra omne æuum timor Domini permanet
in ſeculum ſeculi. Iudicia porrò Domini adeò uera ſunt, ut ne pilum quidem à
recto uarient: ſed fallunt ſæpenumero aſtrorum iudicia, luxq; ipſa nonnunquam
deficit, atq; omnia tandem uiciſsitudinibus immutantur, uariant, ac in interitum
feſtinant, cum ſacra Dei lex uitam eam polliceatur, quæ æterna ſit, uereq; beata.
Hinc igitur cernas uelim, quàm indicibilis ſit Dei in nos bonitas, qui, cum ſatis
per ſe naturæ lex ad præſtandam nobis de eiuſdem magnitudine, ac potentia,
cognitionẽ ſufficere uideretur, addidit tamen & legem ſcriptam, quò nulla in re
nobis aſſequendi finem, ad quem cõditi ſumus, deeſſet. Lex itaq; eadem hæc eſt,
quæ immaculatam animam reddit, atq; irreprehenſibilem: & eſt, ut ait Paulus,
lex ſpiritus uitæ in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Sapientiam præſtans paruulis.

Sola enim humilitas, uirtus ea eſt, quæ legis huiuſce ſenſum aſſequitur. Quòd
ſi tamen huius mundi ſapientes interdũ uiſi ſunt (ut nunc maximè uidentur in
noſtra hac ætate, in qua omnes de profundiſsimis ſacrarum literarum ſenſis, ac
myſterijs, diſſerere audent, ſed utinam candido animo) elegantius quæ de diui-
na lege ſentiunt, proferre, quàm pauperes ſpiritu, non intelligunt tamen: non ita
afficiuntur, ut hi, qui nihil de ſe ſuoq; ingenio præſumentes, in ſolo Deo fixũ ha-
bent, quicquid ſunt. Qui enim de terra eſt, terrenaq; ſectatur, atq; amat, is, ut in-
quit Ioannes, de terra loquitur, terræq; incumbit, & immoritur. Erras quidem, ſi
B animalem hominem (ſic eum appellat Paulus) unquam cœleſtiũ rerum pabula
corde haurire exiſtimas, quamuis Demoſthenẽ orationis grauitate ſuperet. Spi-
ritualiter enim illa, ut inquit Paulus, examinantur: quocirca à ſpiritualibus uiris,
infenſis ſcilicet mundo, tantummodo percipiuntur. Gratias tibi ago, ô pater, aie-
bat filius Dei, quòd abſcondiſti hæc ſapientibus, & reuelaſti ea paruulis.

Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda.

Mandata proculdubio nouæ legis intelligit, quæ iuſtum gratis reddunt homi
nem, ac conſcientiæ pace lætificant, non deterrent, ut olim lex uetus, impræſen-
tiarum etiã nonnullæ quorundã parum ſibi conſtantes in Eccleſia ordinationes.

Præceptum Domini lucidum

Tum factum eſt, cum detecta Moſis facie, & ablato, diſciſſoq; à ſummo uſq;
deorſum uelo templi, unà cum capite noſtro Chriſto Ieſu in interiora uelaminis,
ut ait Paulus, penetrauimus. Cæterùm quomodo lucidũ id non eſſe fatebimur,
cuius origo lux ipſa eſt ac ſol?

Timor Domini ſanctus, permanet in ſeculum ſeculi.

Alij reddunt, timor caſtus: alij, filialis. quò intelligas, hunc eum non eſſe timo-
rem, quem in Iudaico illo populo ferreo, atq; adamante omni duriore, fuiſſe legi-
mus. Porrò timorem eum caſtum eſſe diffiniunt, cum Deus filiali quadam reue-
rentia timetur: qui quidẽ cum ab amore proficiſcatur, non poteſt non ſanctus, ac
Deo ipſi gratus eſſe: atq; is prorſus infinitus eſt, perſtatq; in æternũ, cum in eum
tendat, qui ſupra omnem æternitatẽ æternus eſt: ille uerò alius cum ſeruilis ſit,
ac temporarius, cum tempore deficiat neceſſe eſt: propterea nõnulli mancipium
illum mortis appellandum cenſuerunt.

Iudicia Domini uera iuſtificata in ſemetipſa.

Profectò uera, ac in ſeſe abſq; alieno adminiculo firma manentia. Nam eo ipſo
quòd Domini ſunt, uera ſtatim ſint oportet: nec alia perueſtiganda eſt ratio, ut ſo
lent mundi ſapientes, qui, ne in ipſis quidẽ rebus, quas prorſus cœleſtis pater uo
luit humana ingenia latêre, fidem adhibent. Ex quo quidẽ errore, & temerario

C auſu, fides penè in Eccleſia Dei periclitata eſt. Felix ſic: Iudicia Domini ueritas, iuſtificata ſunt ſimul. Quare ſic reddit Paraphraſtes: Iudicia Domini ipſa ſunt ueritas, & modis omnibus æquiſsima. Inſuper

Deſiderabilia ſuper aurum, & lapidem precioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum.

In rebus enim corporeis nihil æquè exiſtimari uulgò ſolet ab hominib. ut aurum, & lapides precioſi: proinde à prophetis ſæpenumero pro diuinis eloquijs uſurpari ſolent, utpote quæ magis optabilia ſunt, quàm quæuis res precioſiſsimæ. Et quidem nihil in terris tam utile eſſe poteſt, ac iucundũ, quàm Dei uoluntatem in ſacra lege intelligere. Mirum quàm tranquillè ocietur anima in ea cognitione, qua Deus cognoſcitur, guſtatuŕq;, ac planè hauritur. Putásne animæ illiuſmodi gaudio affectæ, ea quæ uidentur in hoc mundo ſuauia & precioſa, placere poſſe? nihil certè minus. Nam ſemel in diuinum amorem, per ſacrarum literarum cognitionem transfuſa, nihil aliud, tum in cœlis, tum in terris, iam uult & optat, quàm in eo, quem unicè diligit, pauſare. Præterea, quemadmodũ hîc aurum, lapíſq; precioſus, id omne quod appetere ſolent homines, quod principale ſit ad obtinendas diuitias, atq; inter cæteros principatum, ſignificat: ita apum labor atq; opus, ponitur à propheta, pro quacunq; re, quæ uoluptatem nobis, ſiue in eſculentis delicatioribus, ſiue in quauis re alia delectabili afferre ſolet. Nec porrò uacat myſterio, quòd inter cætera edulia, mellis & faui ſolummodo mentionem facit propheta, cum mel nouum, fauus uerò antiquum adumbret teſtamentum. Illud enim puriſsimum, utpote à cera repurgatum: is autem permixtus, & confuſus. Amabilia ſunt igitur diuina præcepta, ut ait Paraphraſtes, magis quàm aurum, etiamſi puriſsimum ſit, & plurimum (hoc ſignificat, multum, in noſtro interprete) & ſuauiora ſunt melle, & fauo mellis dulciſsimo: hoc eſt, quicquid expeti poteſt à mortalibus in hoc mundo, quod diuitias, quod potentiam, quod uoluptatem adducere conſueuit, id minus eſt, quàm ſi in Dei lege oblecteris. Obryzum ſcribit Felix pro lapide precioſo. Idcirco poſuit Paraphraſtes ex Hebræo, puriſsimum, aurum ſcilicet quod Hebræi ophir dicunt: & eſt aurum ſyncerum, excoctumúe ſæpius, ac optimè perpurgatum: de quo quidem in Daniele legimus, quòd uir unus ueſtitus lineis, & renes eius accincti auro obryzo. Cum itaque digna adeò ſint, iucunda, plenáq; decoris ac uoluptatis, uerba tua, ô Domine,

D

Seruus tuus cuſtodit ea.

Seu, ut alia eſt litera, Seruus tuus admonitus eſt ab illis: ut cautius ſcilicet agat, & non peccet. Conuerſio nempe eſt ardens, atq; exclamatio ad Deum, qua eorum, quę dixit, guſtum ac experientiã ſe habuiſſe teſtetur, deſiderabilia uidelicet ſuper aurum, & quodcunque precioſius auro in terris inuenitur, Dei iudicia eſſe. Quare ſic uertit Felix: Seruus tuus cautus fuit in ipſis. Vide enim quomodo diuina haud quaquã probantur eloquia ſuauia eſſe, ſolaq;, quæ præ cæteris rebus ſint expetenda, legendo ſolummodo, aut loquendo, ſed cuſtodiendo: ut nimirum ea prorſus inutilis, ac uana cenſeatur doctrina, quæ ex ore tantummodo erumpens, curioſorum aures uano demulceat pruritu. Verùm fruſtráne cuſtodienda ſunt, atq; ex animo ſeruanda Dei iuſſa? minimè quidem. Nam

In cuſtodiendis illis retributio multa.

Hîc proculdubio æterna bona, diuinis præceptis obtemperantibus, retributionem fore aſſerit. Verùm ut multa ac maxima ſit, ut eſt, merces illa beata & æterna, ad quam ſuſpiramus, cupientes iam tandem diſſolui, & eſſe cum Chriſto: eſt & alia in hoc ſeculo non parui ducenda, quippe quæ à Domino in Euangelio centuplum appellatur: quam ſanè eſſe arbitror, cum penitus à nobis euulſis peccati radicibus, calcatoq; mundi faſtu, atq; edomita carnis petulantia, uirtutibus ditamur, nihilq; non agimus, quò ex hominibus dij efficiamur. Paruipendendáne erit huiuſmodi retributio ac merces, quæ nos adeò diuinæ uoluntatis adimplendæ cupidos facit, & inflammat, ut unum iam cum tanti boni autore Chriſto

Ieſu

A Ieſu facti, eadem ipſa bona, quæ poſt hanc uitam expectamus, cum carne nihilominus conflictantes perguſtamus.

Delicta quis intelligit?

Celebratis Dei laudibus in ſuperioribus, oſtenſoq́, q̃ ardenti ſtudio in perficienda Dei lege nauanda ſit opera, quantiue facienda ſit eius obſeruatio, dubitat Vates, an aliquis tam ſapiens inueniat, qui impedimenta illa omnia, peccata ſcilicet, quib. ab aſſequenda æterna beatitudine retrahitur anima, perfectè intelligat. Tum enim maximè cum nō putamus, è nobis exeunt reliquiæ quædam latentes uetuſtatis, Cananæorū reſiduū nondum omnino edomitū. quare cōtinuo nobis clamandum eſt, Delicta quis intelligit? Quis delicta omnia aduertere potis eſt? quamlibet enim uirtutū ſtudia amemus, quālibet cautè ſolicitéue circunſpectemus necubi impingamus, uitare tamen nō poſſumus, quin in multis labamur, quorundamq́ peccatorū nexib. adſtringamur, quorū ipſi cōſcij nō ſumus, quæq́ noſtrā prorſus fallunt conſcientiā. Quapropter quis hîc tam imperterrito eſt animo, qui nō ſibi ipſi interdum timeat, ſimulac cernit ſanctiſsimos dei uiros uereri, an ſit in terris aliquis, qui examuſsim peccata pernoſcat? Errores, ſeu ignorantias, legit Felix: quē ſecutus Paraphraſtes, ſic reddit: Quæ errore cōmittimus, tam ſunt multa, ut ne deprehendere quidem quisq́ poſsit omnia: quare ab huiuſmodi, quę latenter irrepūt, munda quęſo me. Propterea à propheta ſubdit:

Ab occultis meis munda mę Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.

Tam enim uerum eſt illud, quod in Prouerbijs legimus, quàm aliud quidem maximè: prauum ſcilicet, atq́ inſcrutabile cor eſſe hominis. Certè poſtquā compertum habemus, paſsim, &, ut ſic dicam, artuatim è nobis ebullire flagitia, noſtris actionib. tutò fidere nequimus, quantumuis candidè, tum nobis, tum cæteris, uiuere uideamur. Quid igitur hîc ſibi uult Vates? hoc ſanè: Ab iſs me affecti-
B bus, uerbis, operationibus, quæ cum tibi aduerſentur, mihi tamē placent, aut ſaltem nō, ut par eſt, diſplicēt, libera. Quamuis enim oculatiſsimè cuncta quæ ago, & cogito, mihi uidear ad normā tuæ ſanctiſsimæ legis edolaſſe: attamen, cum opus ultimā exegerit manū, uideo me plurimū à rectitudine aberraſſe, cum nihil tamē minus uererer. Aiunt quidem peccata omnia duobus includi terminis: aut occulta omnino eſſe, aut aliena. Occulta illa eſſe dicunt, quæ in nobis innaſcunt, quæ & originalia uocant idcirco, quòd in ſecretioribus animę receſsibus oriri ſoleant. Aliena uerò illa ipſa, quę ſuadentibus malis hominibus, aut dæmone, committimus. Ab illis, inquit, quia ſordes quodammodo ſunt naturales, me emunda: ab iſtis aūt me uendica, ac parce. Illud porrò nō omittendum quòd alij legūt, à flagitijs parce ſeruo tuo: quę ſanè prorſus alienos nos faciūt à Deo. Alij itē putant hîc Vatem orare, ut ſe ſeruet Deus à conſortio alienorū, illorū ſcilicet, qui in ſorte Dei minimè cenſentur. ac ſi dicat: Retrahe me, ne impiam illorū uitam probem, ſecterq́, qui longè abs te alienati ſunt. Quare hi uolunt maſculino genere pronunciari debere, alienis: ob id quod ſequitur, Si mei nō fuerint dominati. Alij rurſum aſſerunt, ab alienis peccatis legendum eſſe, quæ noſtra fiunt, cum non prohibentur ne accidant: aut non mulctantur cōmiſſa, cum poſſumus, ac noſtra intereſt. Verùm Hebræorū interpretes, & in primis diuus Hieronymus, in hoc conſentiūt, ut ſic legamus: A ſuperbia, ſeu faſtu, cōtine ſeruum tuū, ne dominet mihi: & eſt ſenſus, ut mea eſt opinio, uerè ſpiritui prophetæ cognatus. Nō em̄ rogo, ait, me à reconditis ſordibus, & quę me penitus fugiūr, emundari, propterea quaſi reliquorū periculum me euaſiſſe arbitrer: hæc eſſet quidem nimia de meipſo præſumptio. Nam niſi tu ſerues, niſi mundes, niſi fluxę meę naturę, acuitro ipſo fragiliori ſuccurras, manumq́ ſupponas, uideo me in quæuis facinoroſa flagitia, quorū caput eſt ſuperbia, poſſe proruere. Peto igitur ut à grauioribus quoq́ flagitijs illis me ſeruū tuū, hoc eſt, eum qui ſeſe totū tibi iam ab ipſis primis incunabulis conſecrauit, & cui nunquā res ulla tam fuit cordi, quàm tuæ eſt ſanctiſsimæ legis obſeruatio, tuteris, perpetuoq́ munias. Ne dominet mihi, ab Hebræis

C additum esse puto: quò periculū quod in uoluntarijs delictis natura est insitum, perpendatur. Solent enim à uoluntate profecta peccata, simulatq; animam prorsus occupauerint, ad alia statim rapere. Desideria patris uestri, ait Christus ad hu iusmodi male affectos homines, uultis perficere. Vides in his uerbis peruersæ uoluntatis conatum, ad exaturandā suæ libidinis rabiem contendentē? At quantum magis elaborandū nobis esset, ne tam imperspectè à diuinarum rerum consideratione auersi, in id flagitiorum sponte nostra prolaberemur, unde exire postea, ne per pœnitentiā quidem illam quæ nihil opis Iudæ Domini proditori attulit, nequiremus. Traditi enim, iusto Dei iudicio, hoc est, uolentes, in mentē reprobam, quomodo Dei iniuriam poterimus non amare? ex animo delinquere? atq; in perpetuis erroribus obdurescere? Sed etsi uerum illud sit, quod de peccati dominio, secundum Hebræos, est dictum: noster tamen interpres, quem altissimo spiritu præditum fuisse iudico, suo non est fraudandus sensu. Ait enim:

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.

Quāuis lucidior esset litera, si secundū græcam lectionē uerteris: Si mei dominata non fuerint: ut dominata, ad peccata referas: tamen & hæc quam frequentamus, pia est lectio. Peccata enim quæ suprà cōmemorauit, suos uocat hostes Propheta: & est perinde ac si dicat: Non oro, Domine, ut peccata, hostes scilicet mei tollant omnino à me: quandoquidē hoc nobis penè à natura ingenitū esse uidetur, ut crebrò labamur: sed eorum deprecor dominiū. Sat mihi sit illis ipsis carnis necessitatib. quibus uel ipsi innocentissimi uiri etiā inuiti parent, inseruire: tantum nō seruiā atrocissimis illis hostib. qui sunt, peruersa uoluntas, obstinatio, temeritas, superbia, ambitio, atq; cum cæteris huius generis monstris desperatio. Hoc enim abs te exorato, immaculatam perpetuò degam uitam, insuperq;

Emundabor à delicto maximo.

D Hæc est irreuocabilis in malitia consuetudo & impœnitentia, quod est maximum omnium bonorum animæ exterminium. Et quidem ex eo, quòd tentatori libentius seruimus, quàm nobis ipse imperat & dominat, formatur in nobis habitus quidam pestilens in peccandi consuetudine: qui quidem cum tenacius cordis radicibus inhæserit, alteq; sese in penetralibus animæ insinuauerit, procreat impœnitentiam & desperationem, quod est peccatum in spiritū sanctum, id est, omnium maximum. Felix legit: Transgressione maxima, uidelicet rebellione, à fideq; defectione. Nullū enim maius potest esse delictū, quàm à Deo, ut ait Sapiens, per desperationem apostatare.

Et erunt vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Immundum illud esse, planeq; Deo execrabile, quicquid id est, quod uir impius aut loquitur aut cogitat & agit, nemo est, uel mediocriter in schola spiritus enutritus, qui ambigat. Is sanè est, quem alio in psalmo conquestus est Dauid dicere in corde suo, nō est Deus. Qui quidem turpissimus uitæ modus adeò uel in ipsis nobilioribus rerumpub. membris uim sumpsit, ut fermè nemo sit qui libentius de oppressione miseris inferenda, aut de satianda siti uel auaritiæ uel libidinis non loquatur & cogitet, quàm ut semet rationis atqueadeo diuinæ legis imperio subijciat, uiuatq; nemini infensus, gratus omnibus. Horrendas interim omitto blasphemias, dissolutos mores, motúsue effœminatos, ac choreas illas detestabiles, irritamenta scilicet libidinū, atq; infecti cordis indicia. Etenim eiuscemodi qui sunt infecti morbo, cum Vate sanctissimo metrum hoc canere ex animo nequeunt, licet ore interdū proferant. At secus hi qui spiritu Dei, ut ait Paulus, non spiritu huius mundi acti, concepta prius in corde fiducia, ac certitudine illa quæ maximè in filijs Dei est necessaria, canūt, ac ardentissimo affectu dicūt: Et erunt ut cōplaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in cōspectu tuo semper. hoc est, ut interpretatur Eutymius: Preces meæ erunt tibi gratæ, atq; eas suscipies, quando scilicet à prædictis omnibus emundatus fuero: ut eloquia hîc oris, sint animæ familiares cum Deo colloquētis in regio cubiculo cōfabulationes. quod

quidem

A quidem in ſequentib. magis exprimit: nam uult meditationē cordis in cōſpectu altiſsimi idem eſſe, quod oris eloquia: nam & anima ſuū habet os, ſuaq; eloquia ac ſermones. Impoſsibile enim eſſe arbitror, cor illud quod nondū cogitare turpia exhorret, ſanctarū cogitationum poſſe fieri domiciliū. Non me latet tamen, oris eloquia ſimpliciter poſſe intelligi: nam tum quidē perfecta Deo laus canit, cum & os & cor in celebrādo diuino cultu ſanctiſsimè cōueniunt: alioqui corrupto corde ac ſordido, mirū ſi putes tui oris eloquia & orationes gratas fore Deo.

Dominę adiutor meus & redemptor meus.

Hebræi hunc uerſum ultimum cum ſuperiori ſic legunt, & eſt (ni falſus ſum) uera ac germana lectio: Sint, aiunt, ſermones oris mei, & cordis mei meditatio, ut tibi probentur, ô Domine propugnator mi & redemptor. Felix ſic: Sint in uoluntate (tua ſcilicet) eloquia oris mei, Dñe creator meus & redemptor meus. Quocirca Paraphraſtes elegantiſsimè, ut ſuus eſt mos, hoc modo reddidit. Sint, quæſo, grata tibi uerba hæc oris mei, & gratus ſit animi mei affectus in te Domine, qui Deus meus es, & redemptor meus. Cæterùm quis redemptor noſter eſt? quis adiutor? quis refugium herinaceis, niſi Chriſtus Ieſus? qui quemadmodum noſtræ omnis actionis, noſtri ſtudij, noſtræq; orationis atq; amoris principiū debet eſſe, ita & medium & concluſio finisq; & conſummatio.

PSALMVS DAVID XX.

EXAVDIAT tę Dominus in dię tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.

Equidem ſtatuerā hunc pſalmum interpretari, ut eſſet Eccleſia, quę Deum oraret pro ſalute illius, qui in rerum Chriſtianarū expeditione contra infideles, qui & terra & mari ad extinctionem fidei Ieſu Chriſti accinguntur, futurus eſſet imperator. Verùm cum uideo exercitus quos in profligandis fidei hoſtibus inſtructos eſſe decuerat, in mutuas Chriſtianorū clades B armari, ſtylum ad Dominū meum Ieſum Chriſtū conuerti: quem pro totius humani generis ſalute precaturum, præuidens Dauid, optat illum, oratq; exaudiri. Nondùmne ſatis Chriſtianorū ſanguine reſperſa eſt Italia? Quàm dignius ſanè ueſtra eſſet laude, ad Euphratem potius aut Danubiū ueſtros uos cogere exercitus, q; ad Lirim, Rhodanum aut Truentū. Quàm æquius, inquam, eſſet, claſſes haſce ueſtras, uel ipſo cœlo formidabiles, Byzantiū properare (cur nō uolare dixerim, ſimulac cernimus enſes barbaricos iamiam Italiæ ceruicibus imminere?) q; per hoc ueſtrum tantillū Adriaticū ociari perlangueſcereq;. Sat' ne etiamnum pœnarum dederunt Inſubres? ſat' ne Sabaudienſes? ſat' ne tota Italia? Cum itaq; inter tot rerum pericula non ſit, ne unus quidē ex orbis primoribus qui uelit, uel ſi uelit, queat, miſerrimæ noſtrę ætatis conditioni ferre ſuppetias: unum, & illud maximū, in primisq; expetendū, extat confugiū, Chriſtus Ieſus, Deus opt. max. qui cum ſit perpetuus apud patrē pro nobis interceſſor & aduocatus, is ſolus eſt, qui totius noſtræ miſeriæ pondus ſuſtinet: idcirco uotis omnibus optandū eſt, ut illum pater ipſe, in die maximè tribulationis exaudiat, nobisq;, ipſo mediatore, reconcilietur. O igitur unicū noſtrum ſolamen IESV Chriſte, firmumq; robur ac præſidium, exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. In primis enim conſiderandū eſt, nos nobis imprecari, quicqd Chriſto imprecamur, cum ipſe caput ſit, nos membra. Verùm & illud arbitrandū, nihil omnino ſtimuli Deo addi poſſe noſtris precib. ut ſuum exaudiat unigenitum, atq; hūc amantiſsimū, quem ſemper audit, ac ut petat, admonet, quò illi det eius hæreditatem eſſe uniuerſum. Sed hîc Vates duo uoluit. Vnum, quo ſui uaticinij excellentiam oſtenderet, cuius ui attactus, Dei filium carnem aſſumpturū, eundemq; ipſum patrem pro cunctis Adæ poſteris rogaturū, longè antè cognouit. Altero uerò (quæ ſua erat in nos, qui uiſuri eramus illum, quem ipſe uenturum præuidit, charitas) nos admonendos duxit, cuius fidei ſpeiq;, atq; animi ardoris, in eum eſſe oporteret Chriſtianos, qui pro ipſis ſeſe exhibiturus eſſet uictimā, ideq; ſacerdos ac precator. Porrò tribulationis diem in Chriſto appellat Vates,

C tempus illius peregrinationis in hac uita, quæ nihil aliud fuit, quàm crux & amaritudo quædam, cum flagrantissima nostræ redemptionis siti coniuncta: quæ sanè fuit continua pro nobis oratio. Optat igitur Dauid, & nos cum ipso optamus orãtes hoc modo: Ne frustra, quæsumus, tot pro nobis suscepti laboris ærumnas pertuleris. Ne uanus afflictionũ tuarum aceruus extiterit. Ne crux, ne sanguis, ne mœror, ne mors ipsa tandem inanẽ sortita sit finem. Sed pater aspiciat, tuasq; admittat precationes, quarum finis nostra est salus. Ab hac enim proiectis nobis, fas erit te indignationis insimulare, patrẽ uero crudelitatis, qui aut te filium orantem nõ audiat, aut nos frustra creatos indicet. Itaq; cupimus: quid cupimus aio? uolumus potius te exorare id, quod te orare scimus, hoc est, nos saluos fieri.

PROTEGAT te nomen Dei Iacob.) Id est, Deus ille quem Iacob suis in afflictionibus inuocauit, te exaudiat, teq; de manibus iniquorum eripiat, atq; tutetur, ne te prorsus, ut eorum molitur peruersitas, extinguant. Iacob enim, qui & Israel, simul cum Abraam & Isaac, speciali quodam modo inter cæteros patres multitudinis creditura in Christum gestabant umbram. Quare quum legimus Deum in scripturis dixisse, Ego sum Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Iacob: etsi secundum historiam tres illos uiros peculiari quadam tutela semper protexerit, tamen nos magis, qui credituri eramus, fauor ille diuinus spectabat, quàm illos quorum uita ferè omnis typus fuit futuri. Sensus igitur erit: Nomen Dei Iacob, hoc est, Dei nominis inuocatio protegat te: uel, ut legũt Hebræi, exaltet te: seu, in tuto te collocet: & est uerbum hîc Hebræis, quod propriè eiusmodi exaltationem significat, qua quis ab hostibus ereptus, in loco tuto ac inaccesso collocatur: nisi fortè magis arrideat Paraphrastæ litera, qui sic reddit: Suppetias ferat tibi maiestas Dei Iacob: & sic clarior erit sensus, ut nomine Dei, illius intelligatur maiestas, numen, uirtus, & idem ipse Deus.

Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur tẽ.

D Sensus est eo uerior, quo breuior. Certissimum sit, ait, auxilium tibi à Domino. Iam tum enim in lege Mosis celebre fuit apud Iudæos, diuina oracula, promissiones, atqueadeo certissima auxilia, de sacrosancto tabernaculi propitiatorio, ac templi sanctuario è Sion prodire, ut hi bene norunt, qui crebris uigiliis in scripturis sacris uersant. Licet sanè omnibus seculis, in omni loco orari colíue Deus uoluerit, quò tamen populum illum antiquum, quem præ omnibus charum semper habuit, à gentium superstitionibus in uera contineret religione, certam sibi sedem in qua rogaret, ei præscripsit, donec copiosiore spiritu per aduentum sui unigeniti ad nos, donati homines, cultui illi assuescerent, quo uerè diuina adoratur maiestas, in spiritu scilicet & ueritate, haud amplius in Sion tantummodo & Hierusalem. Orat igitur Dauid Patrem, ut filio suo dilecto opituletur, atq; eum, ut ait Felix, de Sion fulciat, quemadmodũ olim è monte sancto Dei, & Hierusalem, quæ Sion est, indubitatũ prodire auxilium Iudæis, fama erat. Cæterùm non ab instituto alienũ esse arbitror, si dicam, hoc quoq; modo Ecclesiam pro unoquoq; nostrûm orantem imprecari, ut nostras, alioqui frigidas ac ieiunas, exaudiat Deus orationes, eo maximè tempore, quo acrius à tentatore impetimur: quod quidem tempus, diem appellat tribulationis Vates. Solet enim id temporis potissimũ nos nostræ miseriæ admonere: quocirca necessitate sæpenumero acti id agimus, quod spontè aliàs atq; omni tempore agi oportuerat.

Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pinguẽ fiat.

Sacrificiũ filij Dei, cuius hîc memorat Propheta, fuit eius crux & mors, quam Patri pro mortalium salute obtulit. Ipsius enim satisfactione, non nostra, seruati sumus. Felix sic: Memor sit Deus omnium munerum tuorum: seu, suffiet omnia munera tua. hoc est, munera omnia tua æquè grata habeat, ut solent in sacrificijs haberi & suffitus & nidor. Atqui munera hîc uocat Dauid labores, afflictiones, mœrores, ieiunia, orationes, ac cętera huiusmodi per Christũ, tanquam sacrificia Deo patri pro nobis oblata: quorum sanè omnium orat ut memor sit, uidelicet

ne fru-

A ne fruſtra ab eius filio ſuſcepta ſint: hoc eſt, ne damnemur. Nam tota ſalutis noſtræ uis ac ſumma, in Chriſti nece & ſanguine conſiſtit. Ob id quidem ad has noſtras carnis ærumnas acceſsit Dei filius, ut aperto uirtutum itinere per ſanctitatem doctrinæ ac uitæ, nos tandem mortem oppetens crudeliſsimam, cruore ſui corporis innocentiſsimo, à peccatorum ſordibus ablueret. Porrò pingue ut fiat holocauſtum illius exoptat, quod ferè idem eſſe cum ſacrificij memoria arbitror, & quod quidem in Chriſto fuit natura humana, ſuper afflictionum & anguſtiarum aram, amoris igne conſumpta. Nónne tum uiſa eſt admodum ardere, cum è ligno pendens filius Dei exclamauit dicens, Pater ignoſce illis? Pinguis igitur fiat tua hæc oblatio, hoc eſt, grata acceptaq; ſit patri, ſicut ſolent pinguia atque opima, grata eſſe in uictimis & ſacrificijs. Eo enim tempore quo Deus huiuſmodi cruentis hoſtijs ac ſacrificijs coli uoluit, ex ſelectioribus atque opimioribus, ſuam erga Deum teſtabantur religionẽ. Et quidem holocauſta illa, ſi Deo probabantur, ignis quidam occultus è cœlo lapſus abſumebat, & ſic paulatim in cinerem delabi uidebantur. Quare Felix ſic uertit: Et holocauſtum tuum in cinerem conuertat. Et tunc id quidem. Nos uerò Chriſtiani, qui ex cortice nucleum, aut ex umbra corpus ſeligere, ſubleuante cor noſtrum à terra ſpiritu Dei, nouimus, aliud ab illo priſco ſacrificium intelligimus. Quemadmodum enim illud totum in honorem Dei, ueræq; pietatis cultum & religionem cremabatur: ita nos, qui melioribus litare uictimis, nimirũ rationalibus ac uiuis iubemur, eum ipſum hominem holocauſtum, & hoc mirè accenſum dicimus, qui ſeſe totum, quicquid eſt, Deo deuouens, omnemq; conditarum rerum amorem exuens, ac quicquid carnem mundumq; ſapit contemnens, in mortuos concupiſcentiarũ cineres reſoluitur: atq; in illum qui ſpiritus eſt, ignem ſe totum transfundens, ardet uiuus, ardensq; uiuit, unius effectus naturæ, ut ſic dicã, cum Deo, qui ignis conſumens
B dicitur. Selah hic interponitur.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet.

Det tibi, ait, quicquid deſideras, & omnia cõſilia tua compleat. Quis, oro, eſt, quem lateat deſideria è corde emanare? Quare hic uides, ſitis illa in Chriſto redimendi à peccati iugo ac uetuſtate homines, quomodo ex animo fuerit, & conſultò, non temerè aut fictè. Deſiderio, inquit, deſideraui hoc paſcha manducare uobiſcum, antequam patiar. hoc eſt, in tot meis laboribus & ærumnis, in hoc uitæ curriculo tolerãter aſſumptis, nihil aliud tam frequens in corde habui, quàm ut uobiſcum in hac ultima cœna, de mortalium ſalute commentarer, eamq; uobis quodammodo in manibus ponerem: ex animo quidem, atque amore percitus, non fictè, aut cum ſimulatione, ut pleriq; mortalium faciunt, qui ſua in omnibus commoda uenantes, nihil nõ agunt, modò quæ cupiunt, uel cum Dei iniuria aſſequantur. Cæterùm quia, ut à ſacra lege accepimus, cogitationes mortalium timidæ ſunt, & incertæ prouidentiæ noſtræ, propterea in tanta rerum uarietate ac perturbatione, conſilij dono, ne labamur ab ijs, quæ Deus firma eſſe uoluit, eſt opus. In ſalutis enim noſtræ ſuſcepto per Chriſtum negocio, duo genera conſilij fore eſſe præuidit Vates: alterum quidem, quo conſilium inierunt Iudæi, ut Ieſum, & nos cum Ieſu tenerent, & occiderent: hoc eſt, quò noſtram impedirent ſalutem: ſed fruſtra. His enim longè olim antè comminatus eſt Deus per Eſaiam, illisq; obiecit illud admodum horrendum: Væ filij deſertores, ut faceretis conſilium, & non per me: & ordiremini telam, & non per ſpiritũ meum. Alterum uerò genus illud fuit, per quod Dei filius ab Eſaia magni cõſilij angelus eſt appellatus. Magnum profectò atq; ab æterno in mente Dei firmatum propoſitum & conſilium id fuit, cum decreuit ſuum ipſum coæternũ ſibi filium, eundem cum ipſo Deum pro hominibus, et his quidem impijs ac inimicis emori. Quod igitur tandem iſtuc fuit diuinum conſiliũ? hoc nempe ut gratificaret nos, ut ait Paulus, in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionẽ in ſanguine eius. cui & ipſe filius propriis uulneribus, ſanguine ac nece ſatisfecit. Corroboret, ait, pater tuum

C consilium ô fili, tuamq; adimpleat uoluntatem, cum una, eademq; sit cum patris uoluntate: quæ est, ut dum ipse mittit, tu missus, ambo eorum omnium, qui ante mundi constitutionem sunt electi, salutem, cum utriusq; spiritu, certissimam opereminí. Et sic semoto à nobis dubitationis uitio ac terrore,

Lætabimur in salutari tuo.

Hoc est, de salute nobis præstita gaudebimus, alterq; alteri tam diuinum munus gratulabimur. Felix: Exultabimus in salute tua. Clarius Paraphrastes: Exultabimus ob salutem, quam attulisti nobis. Vides quomodo opus nõ sit in hoc loco, ut aliqui interpretantur, sub illo salutari, Christum intelligere: quanquã nulla salus esse queat sine Christo. Quo quidem amabili hoc hemistichio expressè dicitur, cum canimus, In salute tua nobis concessa iucundabimur.

Et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Felix: Erigemus uexillum. hoc est, triumphantium more, cum explicato uexillo, ouabimus. Quid ni ouabimus? cum in solo nomine Dei nostri magni sumus, qui antea pomilij ueluti quidam eramus pessundati, uel à minutissimis quibusq; mundi rebus? Dici non facilè potest, quàm parui eramus, quàm despecti, quàm humiles, antequã Dei filius, Christus Iesus, nos exaltaret: hoc est, ipse prius omnium abiectissimus factus, uilissimusq;, & ab omnibus cõtemptus, adeò nostrã hanc extulit miseriã, ut nihil non ageret, colluctans cum huius mundi principe, quò tandem illam sic in altum eueheret, ut ad dexterã Dei patris uictor collocaret. Pudeat iam Christianum in illis rebus immorari, quę idcirco ab ipso spernendæ sunt, quia uiles, quia mortales, quia ipso inferiores sunt. Alta enim à nobis requirit Deus ac sublimia, postquam dij facti sumus per Christum. Num cœlestes effecti, ad terram iterum mordendam reuertemur? Vbi, oro, illa antiquorum pa-
D trum in contemplandis diuinis rebus celsitudo? ubi feruor fidei? ubi cœlestis patriæ feruida illa inquisitio? Heu cecidit robur è Sion. Suspicor enim aliquãdo, an accuratius à nobis, quàm olim à Iudæis, nostra in terris statuantur bona, ac inquirantur, simulac uideo nostrã hanc Ecclesiam nihil aliud iam esse, quàm inextinguibilem terrenarũ rerum sitim & ambitionem apud quamplurimos, atq; illos quidem, qui altissimam uitæ professionem præ se ferunt.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas.

Quid in singulis recensendis immoror? Det tibi Dominus quantum desidera re potes, optatoq; euentu secundet. Impleat, ait Augustinus, non solum petitiones, quas in terra, sed etiam eas quas in cœlo facis, interpellans pro nobis.

Nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum.

Ecce, orantis qualis debet esse affectus & fides. Alioqui perplexè rogãs, quomodo similis non erit in alto nauiganti, absq; uelis ac clauo? Compertissimum iam esse debet, totius rei Christianæ summã, fidem esse, deq; diuina erga nos beneuolentia certitudinem. Verba sunt igitur Prophetæ in spiritu cernentis, quàm non uanæ futuræ essent Christi supplicationes. Quis unquam de sanctissimis illis uatibus hoc dubitauit? Verùm id dictũ uelim, quò tandem excitemur ad concipiendam animo haudquaquam uacillantem de salute nostra certitudinem, ne in re tam certa cespitemus, aut dubij simus: periculosissimũ id quippe esset. Idcirco dubietas omnis, è qua oriri solet diffidentia, si sapimus, procul à corde amoueatur: ac certi de nostra salute (tantum in peccatis non perseueremus) etiam interposito, si fas est, iuramẽto, dicamus cum Propheta, Nunc cognoui, uel, ut reddit Paraphrastes, nunc experientia didici, quòd seruauerit Dominus Christum suum. quo quidem seruato, è mundo omnis est sublata perditio, extincta mors, ac abolitum peccatum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo, in potentatibus salus dexteræ eius.

Hebræus sic: Respondebit illi de cœlis sanctitatis suę, uirtute saluifica dexterę suæ. Ex his enim Hebræorum uerbis uidetur is sensus esse: E penetralibus cœlorum sacrosanctis audiuit pater filij sui amantissimi precationes, eiusq; uotis annuit,

A nuit, atq; illum uirtute eximia ſuæ potentiæ ſeruauit. Et uerè in potentatibus dextera Dei, ſalutem noſtram per Chriſtum factam eſſe non dubitamus, exploratiſsimum nimirum habẽtes, quàm fragiles eramus, hoſtes uerò noſtri fortiſsimi. Quòd ſi modò etiam in lapſus, & hos turpiſsimos, proni ſumus, noſtra eſt culpa, qui ſic uolumus: non quòd per Chriſtum, atq; eius mortem non ſit addita imbecillitati noſtræ, & uis, & robur. Hoc enim uno maximè inter cætera, lex gratiæ & ſpiritus, ab illa carnis antiqua & imperfecta, admodum diſſentit, quòd ſi tum homines peccare contigerat, qui eos ablueret non inueniebatur, cum omnes ſub peccato concluſi eſſent, ut ait Apoſtolus. Modò uerò Chriſtus in terris ueniens, hoc eſt, unus abſq; peccato ad peccatores accedens, omnia eorum peccata ſua fecit, ſecumq; tulit. Quare in alio pſalmo conqueritur hoc modo: Longè à ſalute mea uerba delictorum meorum. O ingratos homines, ac ad cõſideranda diuina beneficia ſtupidos. Noſtra enim ingratitudo, noſtra perfidia, noſtra à Deo auerſio fecit, quòd quæ erat per Chriſtũ leuiſsima effecta cum mundo pugna, & conflictatio, nunc omnium grauiſsima ſit facta, & intolerabilis. Idcirco continua, & illa quidem potentiſsima eſt opus tutela à Deo in acie tam forti ac ſæua, ubi ne horulæ quidem momento à periculoſiſsima cum carne mundiq; illecebris ceſſatur lucta & bello. In cœlis porrò Deus habitare dicitur peculiari quodã modo, cum ubiq; ſit, ex eo, quòd in illis, eius diuinitas & maieſtas præclarius oſtẽditur.

Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.

Duplici enim antitheſi, & hac pulcherrima, utitur Vates: primũ in hoſtes, qui in rebus, ut ſunt currus, & equi, adeò caducis ac nihili, ſpem ſuam collocauerant, inuectus: deinde diuinam bonitatẽ in uendicandis ſuis à malis cõcelebrans. Hi enim, ait, in magnifico curruũ apparatu, equisue ferocibus confiſi ſunt: nos uerò in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus, inclamabimusq;, uti hi ſolent,
B qui in bello manus cum hoſtibus conſerturi, ſeſe mutuis clamoribus ad pugnam adhortantur: quod ſanè aiunt ad reuocandos timidorum animos mirum in modum ualere. Proinde Vatem hinc arbitror ſumpſiſſe ſimilitudinẽ: & eſt perinde ac dicat: Alij, ut lubet, in inſigni apparatu bellico, mutuis ſe clamoribus cohortentur: nos autem nullo equitatu, nullis curribus, nullis ue copijs inſtructi, uerùm in ſolo Dei noſtri nomine cõfiſi, pugnabimus, inclamabimusq;, Dei ſolummodo auxilio freti. Et quidem re ipſa Dauid, eundem ipſum animum Deo tantummodo fidentem in ſe fuiſſe, cum aliàs, tum maxtmè in pugna cum Philiſtęis, præ ſe tulit. Nam cum eſſet cum eorum duce Golia conflicturus, illi, ut ſacra refert hiſtoria, audacter dixit: Tu uenis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo: ego autem uenio ad te in nomine Domini exercituum. Nonne tibi uidetur tunc Vates dixiſſe, quod nunc dicit? ſcilicet, hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus. Turris fortiſsima, ait Solomon, eſt nomen Domini: ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur, hoc eſt, uictoria potietur. Quid ueremur an fortiſsimum omnium ſit ſanctum Dei nomen, cum legimus, quòd quicunq; inuocauerit nomen Domini ſaluus erit? Tantùm uir ſolidæ iuſtitiæ ſtudens, in propriæ uirtutis curru, aut operationnm ſuarum audacia, ueluti equo effreni, haudquaquam ſpem ponat: ſed in Dei miſericordia ſuam omnem uincendi facultatem poſitam eſſe certò ſciat. Alioqui noſtrorum ieiuniorum, orationumq; & eleemoſynarum numerum & turbam, hoſtibus in pugna ſpiritus obijcere, hominis eſt ſupra modum in Dei bonitatem ingrati, & digni ſanè, qui ob ſuperbiã, in reprobam tradatur mentem, cadatq; in turpiſsimos errores, ut quotidie in hac Domini area fieri conſpicimus. Quare

Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.

Ipſi, ait, uiribus illis ſuis, quibus tam impudenter fidere ſeſe iactitabant, deſtituti, compediti q; : ſeu, ut reddit Felix, incuruati, depreſsi, factiq; aduerſarijs inferiores, ita à Deo, propria ſua culpa, in ſexcentos, & eo amplius, peccatorum laqueos traditi, ut effugere nequeant, occubuere, Illi ſic: nos autem ſurreximus,

c seu, ut alia habet litera, insurreximus, in hostes uidelicet, & erecti sumus. Vides quàm longè ab inuicem absint, & hi qui sibi ob propriam excellentiã facilè adblandiuntur: & illi qui cum nihil se esse fateantur, atque ex animo credant, à solo Deo pendêre uolunt: Hi, inquam, sua culpa, in mentitã quandam fucatamq; sanctimoniam à Deo proiecti, facilè in quęuis errata prolabuntur: illi, utpote qui in Deo semper sunt ac uiuunt, eo audacius in inuisibiles insurgũt hostes, quo Dei præsidio tenacius inhærent. In se enim nihil aliud ineſſe intelligunt q̃ culpam, lapsum, peccatum, mortem: in Deo autem innocentiã, iustitiam, uirtutem, uitam, & omne bonum. Stat quidem semper erectus in Deo, qui nihil sibi reseruans, totum se, quicquid est, in diuinam reiicit misericordiam, cum ille interim alius mille uitiorum occultorum nodis obstrictus, illisq; obligatus, tanto fœdius cadit, quanto obstinatius suos ignorat errores. Cęterùm uult diuus Augustinus in hac nostra cum mundi acie & bello, illud superius dictũ de curribus & equis, de his intelligi mortalibus, qui à uolubilibus mundi huius trahuntur bonis, ac tument. Quocirca temporaliũ rerum cupiditatibus irretiti, facilè à uia iustitiæ proruunt. Nos uerò quibus per spiritum sanctum data est regni cœlestis arrha & certitudo, à lapsibus actutũ surgimus, non tam quidem uiribus nostris, quæ planè nullæ sunt, quàm erecti ab alio: cuius sanè auxilio atq; ope, cum fortissimis humanę naturæ hostibus congredi audemus.

Dominę saluum fac regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus tę.

Modò Vates ad Deum se uertens, obsecrat, ut quemadmodũ in toto hoc psalmo oratum est, ita exaudiat, saluumq; faciat Christum suum, cuius quidem salus nostra est, uti sunt etiam illius gratiæ ac dona. Paraphrastes per futurũ legit, hoc modo: Dominus seruabit ipsum regem, & nos quoq; exaudiet, quotiescunq; implorauerimus auxilium illius. Verùm longè secus Hebræi: aiunt enim: Serua ô Domine. Rex respondebit nobis in die qua clamabimus. Chaldæus quoq; Ver
D bum, ait, Dei redime nos, rex fortis accipe orationem nostram in die inuocationis nostræ. Quam quidem literam diuus etiam Hieronymus approbat. Sententia igitur tam uarię lectionis una erit hoc modo: Serua nos Domine, ferq; opem: nam si tu nos seruaueris, non frustra quidem ad regem nostrum, bonorúmque omnium autorem, quotiescũq; insurrexerint aduersarij, clamabimus. Ipse enim proculdubio respondebit, uotisq; nostris benignissimè annuet. Res quippe nostræ malè se haberent, si à sceleribus nostris deterritis fugatisq; à præsentia iudicis, id unum quoq; fiduciæ in Christo solamen nobis deesset.

EFFVNDENTI SANGVINEM, PSALMVS DAVID XXI.

Dominę in ℣irtute tua lætabitur rex, & super salutarę tuum exultabit ℣ehementer.

Epinicion est, quo cœlesti Patri laudes, pro parta uictoria eius unigeniti, canit Ecclesia. Cum enim Ecclesiã dico, sanctos uiros intelligo, ne imaginariã nescio quam Ecclesiã formemus animo. Est igitur psalmus de Christo Ecclesiæ capite ac sponso, qui sua ut esset sponsa absq; macula & ruga, copiosissimè in cruce effudit cruorem: cuius sanè uim ac mysterium hoc facilius penetrabimus, quo strictiori nodo, tam felicissimo capiti membra arctius copulabimur coaptabimurq;. Alioqui euulsi artus à capite pereant necesse est: ac caput itidem absq; suis membris, cuius erit caput? Ideo cum capitis huius nostri uel laudes, uel gloria, uel labores etiam atq; ærumnę, & ipsa mors tandem celebrantur, caueas oportet, ne te prorsus ab eo seiungas, etsi ipse à te, quantum est iactus lapidis diuelli uideatur. Et quidem cum & hîc, & aliàs sæpenumero, regem ipsum nostrum CHRISTVM IESVM legis aut lætari, aut mœrere, nę tu, nisi cum ipso læteris & mœreas, ad ipsum non pertines. Verùm altior hæc est ratio, quàm quæ à carnis uisco irretitis cõprehendi ualeat. Huius enim generis sensa ac mysteria,

A ſteria, quemadmodũ à ſpiritu proficiſcuntur, ita ſpiritualiter à ſpiritualibus tantummodo, ut inquit Paulus, dijudicantur. Vide, te obſecro, à quanto bono excluduntur hi, quibus res corporeæ magis quàm diuinæ ſunt cordi. Vitam enim illam, haud uitam quidem eſſe exiſtimo, ſed miſeriarũ cumulum, ac mortem illorum potius, qui terræ ſolùm lucris, negociationibúsue, uſuris, ac infinitis cupidi ditatibus inſeruiunt. Num ſemper humi cubandum erit? Quid porrò de illorum uita cenſendum, qui cum in interiori cordis ſecreto innumeris ſolicitudinũ curarúmue ſtimulis, tanquã uulturibus quibuſdam perrodantur, Deo tamen, tantillo obſeruantiæ, quod aiunt, regularis ſatisfacere opinantur? Vitá ne hæc eſt cenſenda? Quî uitam, oro, illam appellauero, quę omnino à uera uita, quę Deus eſt, eo longius abeſt, quo error ac peccatũ, ſub prætextu tranquilli cordis, periculoſius obtegitur? O cæcam mortalium ignorantiã. Ad tantam'ne animi hebetudinem? quid hebetudinẽ dico? ad tantam'ne malitiã peruentum eſt à nõnullis, ut ſacramentorũ, bonorúmue morum ac rituum candore & puritate, ad cõcilian dos ſibi honores ac dignitates, pro lenone abuti non reformident? Hi enim ut lubet: ego ad alia uocatus, cũ perfectiſſimo Vate cantabo Domino, dicamq́: Domine in uirtute tua lætabit̃ rex. Rex noſter Chriſtus eſt: qui licet Deus, atq́ propterea eiuſdem naturæ idemq́ Deus cum patre eſſet, uti homo tamen, utpote minor patre, ad ſuperandas inimicorum oppreſsiones, rerumq́ humanarũ difficultates, ac, ut ipſe uocat, contradictiones, & patris opem implorauit, & eius uirtutẽ ſæpiſsimè expertus eſt. In ea quidem parte, qua hominibus obtemperabat, uirtute diuina ac ſapientia ſimul cum ætate robuſtus factus, res mirandas in terris operatus eſt. In ipſa hora, ait Lucas, exultauit in ſpiritu ſancto. Qui quidem uirtutis, gratiarumq́ liquor ac riuus, tum cœptus eſt à capite in artus atqueadeo in barbam, barbam Aaron deſcendere. Tum inquam nobis, noſtræq́ imbecillitati additus eſt uigor, ac uirtus quædam pluſquàm humana & mortalis, cum cœ
B lorum ianua, prius ſeueritatis peſſulo obfirmata, cœpta eſt per Dei miſericordiã reſerari. Quidni igitur cũ rege noſtro, eodemq́ ipſo & amico & fratre, nõ læter, ob uirtutem ei, ac mihi ſimul cum ipſo cœlitus præſtitã? Omnia enim Chriſti bona, omnes gratiæ, omnesq́ uirtutes, meæ factæ ſunt. Porrò ſalutare Dei in hoc loco, ut in pleriſq́ alijs ſcripturæ locis, ſalus eſt, ut aliàs annotauimus. Nec illud omittendũ, quòd Hebræi hunc uerſum maiori legũt emphaſi, quàm nos. Quare ſi cuertit Felix: In ſalute tua quàm exultabit uehementer: hoc eſt, inenarrabilis erit lætitia illa regis, cum ſe ſuosq́ ſentiet de improborũ manibus ereptos, ſui patris dono ac gratia. Eodem enim uerborum tropo in ſuperiori quoq́ pſalmo eſt uſus Vates. Lætabimur, inquit, in ſalutari tuo.

Deſiderium cordis eius tribuiſti ei.

Vide, te obſecro, pſalmorum concinnitudinem. Antea enim in ſuperiori pſalmo dixerat filio Dauid, Tribuat tibi pater ſecundum cor tuum: modò uerò patri, Deſideriũ cordis eius tribuiſti ei. Tunc, omne conſilium tuum confirmet. modò, uoluntate labiorũ eius non fraudaſti eum. Ecce quomodo alternis, ueluti camœnis ac tibijs, ſibi reſpondeãt pſalmi, ac inter patrem & filium noſtra firmata ſit ſalus. Haud amplius igitur res in dubium eſt uertenda, ſimulatq́ ſole ipſo clarius cernimus filium toto animo ac deſiderio noſtrã exoptaſſe ſalutem: patrem uerò filij uotis annuiſſe. Idcirco à Vate additur:

Et voluntatẽ labiorum eius non fraudaſti eum.

Quid hoc enim? id ſanè. Quicquid te rogauit, nõ illi negaſti. Poterat'ne pater filio illi præſertim, per quem uniuerſa condiderat, quibusq́ omnibus illum præfecerat, atq́ omnium eorum iuſſerat eſſe ſolamen ac tutelam, quicquam negare? Quomodo, quæſo, defraudatus eſt dicendus labijs, cum ipſemet rem aſſerat hoc modo? Pater, inquit, ſcio quòd ſemper me audis. Quid tamen illud? Non ueni facere uoluntatem meam, ſed uoluntatẽ eius qui miſit me. Aſſerunt patres in Chriſto Ieſu duas fuiſſe uoluntates, quemadmodum duas naturas, diuinam ſcilicet

C atq; humanã. Hac enim pati & mori, utpote ſenſibus reluctante, recuſabat. Vnde illud eſt: Tranſeat à me calix iſte. Siquidẽ integros in Chriſto affectus humanos fuiſſe, prẽter peccatũ, affirmant. Illa uerò quam unam cum Patre æternam habuit & morti & cæteris ærumnis, quas electorũ cauſa ſponte ſua ſuſcepit, uoluntariè ſeſe ſubiecit: atq; propterea aſſeuerabat ſe nõ ueniſſe ut ſuam faceret uoluntatem, eam nimirũ, quam è uirgine naſcens, ſecum traxit, humanã ſcilicet, ſed uoluntatem eius qui ſe miſerat, nempe æternã, atq; unam cum patre. Verùm unde hoc ei? Vnde tam largus gratiarum riuus, ſeu potius flumen & mare?

Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis.

Hoc eſt, ea uidetur ratio eſſe, quòd ampliſsimis eum muneribus ac beneficijs anteuertiſti, præoccupaſtiq; ſuauiſsimis benedictionib. atq; liquorum omnium dulciſsimis, cum interim alij primorum parentum maledictionibus amariſsimis prẽueniantur. In dolore, ait, paries: maledictaq; terra in germine ſuo. Quantis uerò præuentus fuerit filius Dei cœlitus donis, anteaquã in hanc pugnã cum mundo ac morte deſcenderet, teſtantur paſsim prophetarũ uaticinia, ſed illud in primis, quo eum implendum prædicit Eſaias, ſpiritu ſapientiæ & intellectus, ſpiritu conſilij & fortitudinis, ſpiritu ſcientiæ & pietatis, & ſpiritu tandẽ timoris Domini. Quam quidem munerum exundantiam Ioannes Baptiſta oculis penè corporeis intuens clamabat, quòd de plenitudine eius nos omnes accipimus. Oceanus enim quidam eſt Chriſtus, è quo gratiarum omnium ac uirtutum amnes & riui effluunt. Quare non immeritò ſelah hîc interponitur, quò paululum è ſenſibus exeuntes, ea quæ dicta ſunt, quæue dicent, ſpiritu colligamus. Nec mirum profectò ſi, ut in principio pſalmi uidimus, rex noſter Chriſtus in Patris uirtute lætatus eſt: ſiquidem ſuauiſsimis præuentus benedictionibus, quî poterat non ardere, atq; ea uelle quæ Pater eum uelle, mundiq; in theatro exequi iuſsit, ac uo-
D luit? At uide mortaliũ quorundam iudicium, quibus adhuc eſt perſuaſum, poſſe hominem ex ſeſe, animi uirtutes ad fidei normam corrigere abſq; ulla alia cœlitus electione, cum tamen legant ipſum Chriſtũ idcirco omnifaria illa ſpiritus dona præ ſe tuliſſe, quoniã illum pater in benedictionibus dulcedinis longè antè præuenerat, illum ornans, aptansq; ueluti uas quoddam precioſum, in quo omnis plenitudo diuinitatis, etiam corporaliter, ut inquit Paulus, habitaret. Electus enim es, ſi neſcis, ante mundi conſtitutionem, ut eſſes ſanctus, ut idem ait, & immaculatus. Non uos, inquit, me elegiſtis, ſed ego uos elegi. Elegit ergo nos Deus, ac ab æterno donis ſuis dulciſsimis anteuertit, ut ſimus filij eius, ea nobis prouidens quæ ad ſalutem attinent, noſq; iuſtificans, ac demum glorificans. An uerò nos ſua ſponte eligat, arbitrarioq; ſuo iudicio ac propoſito ad ſe trahat: uel quòd prænoſcat nos per fidem ſuos fore, propterea eligat, iuſtificet, ſaluet, non eſt meæ infantiæ id poſſe exprimere. Quod ſi tamen poſſem, ut ſuũ unicuiq; eſt ingenium, non auderem tamen meum inter tam nobiles pugiles interponere iudicium, hiſce præſertim temporibus, in quibus utriuis faueas opinioni ſuſpectus haberis. Satis enim mihi factum arbitror, ſi illi ſententiæ tacitè ſubſcribã, quam ueriſsimam maximè eſſe iudicem. Nam limacem ſuo ſe nutrientẽ ſucco, quis unquam reprehendit? Hoc ſolum interim apertè effari liceat cum Propheta, filium Dei in terris, ab omni parte idcirco perfectiſsimã uixiſſe uitam, quia à cœleſti Patre gratiarum cumulo fuit præuentus.

Poſuiſti in capite eius coronam de lapide precioſo.

Vel, ut ex Hebræo diuus legit Hieronymus, coronã de obryzo: de quo auro nõnulla in pſalmo decimonono ſunt dicta. et eſt perinde atq; ſi dicat: Feciſti eum regem, data illi poteſtate uniuerſali in cœlo & in terra. Corona enim præcipuum eſt regis inſigne ac decus, quo honor qui tantæ debetur maieſtati, exprimit. Corona aurea, ait ſpiritus in alio loco, ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloriæ, honoris, & opus fortitudinis. Hæ ſunt ſanè dotes, quibus ornatũ eſſe regem conuenit, & quæ in obryzo, auro uidelicet puro ſummeq; defæcato, myſti-

cè cer-

A cè cernuntur. Suo enim more Propheta ſpiritualia, carnali uocabulo deliniat: quod quidem frequenter inculco, ut ingenio tardiores in re ſpirituali, corporea imaginari dediſcant. Summa igitur erit, ut Dei filium intelligas à Patre regia poteſtate donatum: quod ſanè eximium fuit donum ac beneficiũ, inter alia innumera, quibus præ cõſortibus ſuis ornatus fuit, cuiuſq; gloriam uidimus, ait Ioannes, gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & ueritatis: ut interim eſſentiale illud, ut uocant, præmiũ, in hoc loco minimè cõuenire dicam. Solent enim id bonum incomprehenſibile, ueluti ceram in omnem formam inflectere. Porrò umbra huiuſce ſpiritualis regni fuit celebris illa Rabbath urbis expugnatio, quam cum cepiſſet Dauid, tulit, ut ſacra refert hiſtoria, diadema Aichol regis de capite eius, pondo auri talentum, habens gemmas precioſas, & impoſitum eſt ſuper caput Dauid. Iam tum primùm quidem expreſsius quàm in antiquioribus figuris, cœpta ſunt iura omnia regnorum Chriſto ſubijci.

Vitam petijt à te, & tribuiſti ei: longitudinem dierum in ſeculum ſeculi.

Petijt enim nõ ſemel Chriſtus à Patre, & ſibi & ſuis uitam immortalem, quam ſe tamen habiturũ certò nouerat. Vnde illud in primis eſt: Pater clarifica me ea claritate quam habui antequã mundus fieret. hoc eſt, da mihi pater immortalitatem. Opús ne eſt morte? emoriar. Tantum enim abeſt, ut diutius à morte occuper, ut etiam uix triduo completo, rediuiuus è tumulo atq; immortalis egrediar. Scio equidem quòd non dabis ſanctum tuum uidere corruptionem. Cernis ne hîc quomodo nobis facta ſit uitę, & illius quidem quæ in ęternum protendatur, promiſsio per Chriſtũ? Non tantum enim ſibi Chriſtus, tum uitæ mortalis donum, tum cæteras quæ ad bene perfecteq; uiuendum in hoc mundo faciunt, dotes à Patre poſtulauit, quantum nobis, qui quęcunq; bona habemus, ab ipſo nos habere credimus. Alioqui ablato à mundo Chriſto, quid boni expectandũ eſſet,
B cum ipſe ſit omne bonum? Vitam igitur à te, ô pater, petijt: tu uerò quod petijt, dediſti, nempe longitudinẽ dierum in æternũ. Non ſolùm, inquit, dediſti ei uitã, ſed uitam longam, æternã, immutabilem. hoc enim ſignificat, in ſeculum ſeculi.

Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo.

Maximo cum ſtupore animi hæc nõ omni hominum colluuioni cognita, ſunt conſideranda. Vis enim diuina huiuſmodi excellentiæ eſt, ut eum ſtatim cui benignè affuerit, uerendum omnibus reddat. Hanc olim expertus Iudæorũ populus, cæteris nationibus (ut interim omittam maieſtatem, honorem, dignitatem, & qua maximè exteris populis ſummæ erant uenerationi, cultus politiem) maximo erat terrori. Ita nunc contrà, nil in toto orbe terrarum abiectius, nil uilius, nil magis deteſtabile inuenitur, quàm iſtuc uulgus Iudęorum ſuis ſceleribus à ſa uore illo antiquo Dei deſtitutũ. Quid porrò de Eccleſiæ primordijs dicendum? Bone Deus, quis uitæ modus? quæ reuerentia? quanta maieſtas, uel ipſis inferorum manib. formidabilis? deſiere penè funditus cuncta hæc, atq; horũ loco ſuccreuit iam ea uitiorũ labes, cuius maculis infecta, omnibus fermè inuiſa facta eſt ac deſpicabilis. Olim enim pro miraculo uulgò habebat, ſi in publicis locis aut ſacerdos aut monachus uidebatur: ex qua quidem uitæ modeſtia, maximam ſibi in populis conciliabant gratiam & reuerentiam. Nunc uerò dilaxato, planeq; amiſſo rigore illo antiquo morum ac ſeueritate, amiſſa eſt & in populis priſca illa in religioſos uiros obſeruãtia. Quàm magna igitur, quàm immenſa ei data eſt gloria ob ſalutem illi abs te præſtitam. Num magna illa non fuit gloria, cum datum eſt illi nomen quod eſt ſuper omne nomen? Quid illud, quòd audito IESV nomine, cœleſtia, terrena, inferna quoq; ac cuncta ab initio cõdita, flexis genib. ſummam etiamnũ teſtantur reuerentiam? Quod pectus igitur tam ferum? quæ mens adeò inhumana eſt, quæ ſuum audiens regem ac Dominũ, tanto honore & gloria cœlitus ornatũ, non timore ac reuerentia afficiatur, trepidetq; ueneratione quodam metu atq; ecſtaſi? Cæterũ quid glorioſius? quid honoratius ciui alicui eſſe poteſt, quàm in periculo aliquo immenſo conſtitutũ, manu ipſa princi-

C pis aut regis eximi? Verùm nõ ſolum hoc dono affectus eſt Dei filius, ſed alia inſuper addita eſt gloria ac decor, cum eum tecum, ô Pater, in cœleſtibus conſedere feciſti, ut ſicut omnes honorificant Patrem, ita & filium honorificent.

Quoniam dabis eum in benedictionem in ſeculum ſeculi.

In, tam Græcis quàm Hebræis uacat. Quare uerior ea uidetur litera, quam ponunt Hebræorũ doctiores, quæ ſic reddi poteſt: Quoniam pones eum benedictiones in æternum. Non ſolùm enim Chriſtus ampliſsimas in ſe habet benedictiones, ſed eſt benedictiones ipſæ: ut modò, ſi non aliàs animũ aduertiſti, Chriſtum id ſemen eſſe intelligas, in quo gentes omnes, ut ſacra refert hiſtoria, benedicendę forent. Iam quidem retecto umbrarũ uelo, ſcimus Chriſtũ eſſe omnium benedictionem ac pacem. & eſt ſenſus: Quid innumera eius dona enumerare coner? In ſumma dico: Tu pater ab æterno decreuiſti, ut non ſolũ beneficijs ille tuis ac donis auctus ornatusq; & eſſet & diceretur, ſed illud etiam addo, quòd ipſe idem rectius tua dona ac beneficia appellari queat ac debeat, quàm illorum, licet ampliſsimorũ, particeps: adeò in illum uoluiſti theſauros omnes tuos ſapientiæ reconditos effundi. Nam, ut cætera omittam,

Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Hæc tandem totius felicitatis ſumma eſt, Dei aſpectu frui. Sunt enim qui in theatro aut arena ſeſe fortiſsimè exercent, atq; inde palmam frequentiſsimè referunt: his tamen labor omnis, &, ut aiunt, oleum & impenſa deperit, ſi excurſo ſtadio, proſtratoq; aduerſario à regis uultu ac præſentia longè propellantur. Quid ſi regio aſpectu, ueluti uictores ſolent, dignarentur gauderent planè admodum. Sed omnem lætitiã ſuperat, ſi eos rex uultu hilari & gratulabundo conſpicit, uocat, illisq; applaudit & gratulatur. Sic Vates quò particularem quendam patris fauorem erga filium ſuum dilectũ oſtenderet, facit illum ex aſpectu paterno hilari & aperto affatim lætari: & eſt perinde ac dicat: Aſpicies eum cum gaudio. Vn
D de illud etiam eſt quo filius alloquitur patrem: Adimplebis me, ait, lætitia cum uultu tuo. Alioqui quid mihi principis afferre poteſt gaudij aſpectus, aut truculentus, aut uulgaris? Facies enim principis in aliquem aperta & hilaris, aut conceptæ animo beneuolentiæ indicium eſt, aut futuri beneficij: quemadmodũ maleuolentiæ uenturiq; exitij ſignum eſt, toruus uultus, minax & obſcurus. Quare qui prudentiores ſunt curiales, uiſo ſemel atq; iterũ principis uultu in ſe turbato, ſolent cedere, nec ſuo periculo præſtolari, quò tandem illud erumpat tonitruum atq; iræ præludiũ. Solent enim humaniores principes huiuſmodi uti artificio erga illos quos amãt, ſed tamen in aliquo grauiori delicto deprehenſos, ne uel inuiti in rem alioqui charam ſæuire cogantur. Difficilis quidem res eſt, principem iuſtum, iuſtitiæ etiam cum ſuorum interdum exitio non parêre.

Quoniam rex ſperat in Domino, & in miſericordia altiſſimi non commouebitur.

Cernis quomodo paſsim Propheta filiũ Dei regem appellat? Diuino hoc quidem conſilio agitur, quò tandem perdiſcamus, cui regi potiſsimũ ſeruire debeamus. Iam cauſam omnem quam ob rem tantam felicitatem Chriſto contigiſſe cecinit Vates, in ſpem reijcit, & dicit, ſuprà memorata omnia Dei bona illi obueniſſe, quoniã ſperauit in Domino, ac totã in eius bonitate & miſericordia ſuam collocauit ſalutẽ, quare non cõmouebitur, ait, non nutabit, nõ deficiet: miſericordia, inquit, facit ut perſiſtat. Ecquis iam, obſecro, eſt, qui deſpondere animũ uelit ac queat, poſtquã cernit totam Chriſti beatitudinem à ſpe miſericordiaq; Patris emanaſſe? Verùm admonenda eſt carnaliũ hominum ignauia, ne, cum audiunt innocentiſsimũ Dei filium fleuiſſe, doluiſſe, ſperaſſe, timuiſſe, miſericordiãq; imploraſſe, id ſibi ob propria contigiſſe peccata opinentur. Abſurda ſanè hæc eſſet opinio, ac prorſus deteſtanda. Quid igitur? Nobis fleuit Dominus Ieſus, nobis doluit, nobis timuit, nobis ſperauit, nobis miſericordiam implorauit, impetrauitq;: licet uerè fleuerit, uerè doluerit, uerè ſperauerit, uerè timuerit, ac uerè miſericordiam impetrauerit. Per omnia enim debuit fratribus aſsimilari, ut inquit

Paulus.

A Paulus. Non commouebitur.) Diuus Hieronymus uertit, non decipiet. Et certè ille qui ſperat in Domino, decipi haudquaq; poteſt: nam, ut idem aſſerit, ſpes non confundit. Sit aliquis quantumuis ſceleſtus, ac à uia iuſtitiæ extorris, & impius, num eum ipſum deperijſſe omnino dicam, cui ſperanti ueniã pollicitus eſt Deus? tantũ à peccandi conſuetudine ſeſe uiriliter eximat, nec ultra adijciat iniquitatẽ addere iniquitati. Atqui illud admonuiſſe utile erit, ſpem illã ſcilicet tantummodo ueram eſſe, ſi eo modo, quo Dei filius ſperauit, ſperauerit aliquis: hoc eſt, in miſericordia altiſsimi: uel, ut legit interpres Hebræus, in bonitate altiſsimi, non in actionibus propriis, ac orationũ numero, & multitudine. Errant enim admodũ nonnulli, qui pluſquã par eſt, ſuæ illi obſtinatæ, in offerendo quotidie altaris ſacrificio, aut exequenda corporea aliqua opera, in qua pietas ineſſe arbitratur, conſuetudini tribuunt, abſq; uera in Deo fiducia, ac fide. Sperandũ enim eſt, quia bonus Dominus, non quia nos boni. Sanctæ quidẽ conſuetudines in Dei eccleſia, atq; ordo & modus ſupplicandi Deo, non utiles ſolũ, ſed etiam neceſſariæ ſunt, ac ſeruandæ: uerùm hac lege, & inſtituto, ut noſter omnis amor & gloria longè abſit, ſed Dei tantummodo in illis, & nomen, & gloria, requiratur: ex quo quidẽ propoſito, & conſilio, illud neceſſariò oritur, quòd homo in ſe nihil ſperare audet, in Deo autẽ quamplurimũ. Etſi enim de meritis diſputandũ erit, non ad ſuas ſanctitatis operationes, tanquã ad promptuariũ quoddam mercium recurrit, omnib. diuulgans, quot horas nocte una uigilauerit, quot Miſſas in tota uita ſua celebrauerit, quot lachrymas, quot uerbera, quot uiſiones quoq; & afflatus ſpirituales perpeſſus fuerit: ſed diuinam bonitatem potius, Chriſtiq; cruorem, ac mortem, ſumma cum reuerentia & timore, commemorat.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.

Vide quomodo inualidi atq; imbelles fiant hoſtes alioqui truces ac feri, contra eos qui totam ſpem ſuam in Domino ponunt. Vide inſuper cui rei hoſtium debellationem adſcribi oporteat. an noſtræ iuſtitiæ, quæſo? an ſtudijs? an conati-
B bus? an potius quia Dominus debellauit? Non eſt enim quòd tu te ames, aut tibi applaudas, ſi carnis petulantiam, mundanarumq; rerum appetentiã, in te extinctam ſenſeris. Id nempe totũ haud tu, ſed Dei uirtus perfecit. Inuenit ſanè, prorſusq; hoſtes tuos profligauit Dei manus, ac bonitas. uel, ut alia eſt litera: Suffecit manus Domini inimicis tuis: id eſt, quamlibet innumeri ſint, atq; illorum ſæuitiæ ac fortitudini impar exiſtas, una uel ſola Dei manus ac uirtus, ad eos proſternendos poteris eſt. Dextera tua, inquam, ô Deus, inueniat, aſſequatúrue: comprehendat inſuper, inuoluatq; pœnis & cruciatibus illos, qui te, tuosq; tecum odio perſequuntur. Infelix planè, omniumq; miſerrima eorũ ſors eſt, qui cùm te inſectentur, tu eos contrà apprehendas, atq; adeò occupes, ut nullus effugiendi locus extet reliquus. Felix ſic legit hunc uerſum: Inueniat manus tua omnes inimicos tuos. Num porrò id ſatis? minimè quidem. Nam

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui.

O horrendum mortaliũ quorundam exitium. Quando, inquit, eos cœperis ſecundum multitudinem impietatũ eorum exagitare corrigereq;, ac eorum acta, irato uultu, examinare, pones illos tanquam furnum accenſum. Et quidem hoc olim genus uindictæ, per Eſaiam Deus Iudæis comminatus eſt, dicens: Erit fortitudo ueſtra ut fauilla ſtuppæ, & ſuccendetur utrunque, & non erit qui extinguat. Felix ſic uertit: In tempore iræ tuæ. Aiunt enim Hebræis eandem dictionem, & iram, & uultum ſignificare. Exempli cauſa. In pſalmo alio legimus: Vultus autem Domini ſuper facientes mala, habent Hebræi, Phene autem Domini. Rurſum, ut hîc legitur,

Dominus in ira ſua conturbauit eos, & deuorauit eos ignis.

In Hebræo, Phene autem Domini. Quare utraq; dictione uſus eſt indifferenter noſter interpres. An uerò atrocior queat eſſe in anima, inflammatioq; gehenna atque æſtus, quàm Deum in ſe iratum experiri, atque à clementiſsimo trucu-

C lenter aſpici, clarior res eſt, quàm ut à me exprimi debeat. Aetnæ quidē, Veſeui, Phlegethontiſq; ipſius ignes, mortuas fauillas, aut cineres dices, ſi ad æſtū edaciſsimū pectoris illius, qui à facie Dei, tanquā alter Cain, profugus, ſentit ſe à diuino fauore, ob ſua ſcelera, deſtitutū, atq; ob id ad æternā mortē deſtinatū, compares. Faxit Deus ut hæc ignores. Etenim quæ experientia didicimus, facilè non neſcimus. Porrò in fœdis amoribus, nónne dicimus amantes ardere? Quid auaros? nónne illos habendi cupiditate? ſuperbos faſtu? iratos excandeſcentia? inuidos odio? ambitioſos inquietudine peruri cernimus? Hic clibanus eſt, hic ignis, hæc fornax, hic caminus ille igneus, quem ſecum gerunt hi, qui ſe hoſtes Dei, turpiſsima uitæ conſuetudine profitentur, quiq; à diuinis iuſsionibus abhorrentes, totos ſe in corporearū rerum amoribus immergunt. Effectus uerò, atq; ardoris huiuſcemodi, terminus is erit, quod ſequitur: Dominus, ait, in ira ſua conturbabit eos: ſeu, ut legit Felix, opprimet, ac tandē ſempiternus illos deuorabit ignis. Solet enim ſcriptura, pœnam atrociorē diuinitus illatam, ignis conflagrationibus ſignificare: quanquam de æternis inferorū incendijs è uero igne ad ſceleratorum tormenta erumpentibus, non ſit ambigendū. Dominus omnipotens, ait ſanctiſsima illa mulier, dabit ignem, & uermem in carnem eorum, ut urantur & ſentiant: hoc eſt, in igne ut uiuant in æternum. Interim autem

Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filijs hominum.

Impios enim ſuperius iri perditum affirmauit, modò uerò etiam eorum poſteritatem tollendam eſſe prædicit. Fructus quidem ac ſemen, hoc in loco filij ſunt, nepotes, & reliqua poſteritas, quam è cæterorum hominum conuentu exterminandam fore uaticinatur, ut de Iudæis (omitto prudens integras recenſere familias, etiam noſtra ætate, parentum impietate funditus extinctas) uidere eſt, qui per incertas ſedes perpetuò errantes, cæteris nationibus ſunt abominationi, eſ-
D ſent'ue etiam beluis ipſis, ni quorundam Chriſtianorum uitio, nulla habita fidei ratione, & amarentur, & in nobilioribus ciuitatum uicis collocarentur, foouerentur, ac ad conuictum quoq; familiarem, cum uxoribus propriis, innuptisq; puellis, admitterentur: quaſi miſerrimi decoctores, unde damna inſtaurent, non habeant, niſi à ſceleratiſsimis Iudæorum contractibus, uſuris, uerſurisq; adiuti, blandè in omnium rerum ſuarum interitum properent. Tantum non fiunt publica connubia: cætera uerò, uel quæ ſcribere erubeſco, indifferentia. A filijs hominum.) Hebræa eſt phraſis, pro, ab hominibus. Huiuſmodi enim uerborum congerie, & circunlocutione, diuinæ uindictæ ſeueritatem in improbos exprimere uoluit. Cæterùm, ut de interioribus quoq;, qui ab animo procedunt, fructibus, ac filijs, nonnihil dicamus: quicquid agunt uiri athei, quicquid cogitant, quicquid docent, quicquid moliuntur, diu ſtare non poteſt: ſed adeò confunditur atque impeditur, ut nihil prorſus, quantumuis accuratè res ſuas ordinent, efficiant. Quid boni, diuq; manentis à tam corrupta radice emanare poterit? Hoc ſanè modo habiti Dei hoſtes ſunt,

Quoniam declinauerunt in te mala.

Felix ſic: Quoniam proiecerunt ſuper te malū. Non ſolùm enim, inquit, malo te affecerunt impij illi, quando aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduerſum te, ſed more uaſis à fundo prouoluti, quicquid ueneni in corde iam antea conceperant, id demū totum in tuam pernicie effuderunt. Verùm

Cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.

Hebræi: Cogitauerunt fraudem, & non potuerunt. In alio pſalmo: Meditati ſunt inania. Omnē quippe lapidē, & fraudis, & doli, uoluerunt Iudæi, quò Chriſtum perderent: ſed fruſtra. Nam illud ſanè maius fuiſſet, quàm ſolem radijs, aut aquis oceanum exhauſiſſe. Eſt ne in naturis rerum quicquam amentius, quàm uelle uitam mori? Conati ſunt igitur impoſsibilia, & ea quidem magno ſtudio, ui, atque arte. Verùm in medio ipſo malitiæ conatu deſiere. Alta enim nimium, & ſupra uires, animo conceperunt: ſed, ut ait Felix, non potuerunt, perficere

ſcilicet.

A ſcilicet. Eorum quidem conſilia eò ſpectauerunt, ut prorſus interiret filius Dei, hoc eſt, fons uitæ, rerum opifex, Deus ipſe. Interijt tamen ſecundum tempus, ut inquit Paulus: uerùm poſtea, debellata morte, reuixit immortalis. Cõſideráſne quàm ſæpe fruſtra improbi, maliq; ciues, in optimos quoſque, & plerunq; de ſua republica bene meritos, inſaniant? Quòd ſi tamen occulta Dei prouidentia, & iudicio, uel uſq; ad bonorum ſuorum depopulationem, exilium, carcerem quoque, ac mortem affligi ſinuntur, eò tamen remeant, unde amore ac deſiderio, nunquam ſemoti diſceſſerant: ad caput ſcilicet ſuum Chriſtum remigrant: quos ideo in terris ab improbis ſic malè haberi uoluit, ne ſe aliter, quàm ipſemet egit, æternam requiẽ adepturos ſperarent. Crux enim & afflictio, uia eſt, qua ad Chriſtum pergimus. Quare longè hi abſunt à ſcopo, qui uiam ſibi ſalutis aliter parant. Cum equidem uideo hominem aduerſis, quantum poteſt, reluctantem, in illisq; deflentem, murmurantem, ac penè diuinis permiſſionibus reſiſtentẽ, eum ipſum tanquã in æternam mortem properantẽ comitor lachrymis, ſi reſuffragari nequeo. Non eo ſe modo habuit fortiſsimũ illud pectus IOAN. Lodouici Gonzagæ nobiliſsimi patritij Mantuani, qui audita morte duorum filiorum ſuorum, iuuenum quidem optimæ indolis & expectationis, qui in octo dierum ſpatio, alter Mantuæ, alter uerò Venetijs, uiuere deſierunt, ne ſummũ quidem mutauit uultum, non defleuit, non queſtus eſt, non incuſauit cœlũ, ut pleriq; mortaliũ ſolent, etiam in minoribus infortunijs: ſed in Deo fixus, nihil prius curauit, quàm ut Chriſto Ieſu, quem ſibi in omnibus unicum elegit ſolamen & perfugium, gratias illas redderet, quas alij ob theſaurũ aliquem inuentum precioſiſsimum redderent. Quid mihi, inquit, iucundius in terris eſſe poteſt, q̃ res mihi chariſsimas, illi, quem ſupra omnia & colo & amo, obtuliſſe? O uocem diuinam, atq; à pectore cœleſti conflagrante incendio perrumpentẽ. Occumbãt & cæteri, ait, filij, occumbat uxor, occumbat tota denicq; familia abſq; ulla poſteritatis ſpe, modò
B meus mecum ſit Chriſtus, & mihi opituletur, ne hilum quidẽ facio. Atrociora enim, inquit, pro me paſſus eſt Chriſtus. Porrò cui alteri, niſi Deo, genui filios? quis illos mihi conceſsit? nónne Deus? Inſaniam quidẽ, niſi libenter illi reddam depoſitum, qui ſemper in me tam beneficus fuit. Sed ad pſalmũ reuertamur: pene enim, dum nobiliſsimum meæ patriæ, diuinumq; id donum, & exemplar fortitudinis, ac in Chriſtũ amoris, gratulor, & latenti quodam modo proponere ſatago, nimium digreſſus ſum: ſi tamen in laudando uiro illo, qui laudes omnes exuperat, nimietas inueniri poteſt.

Quoniam pones eos dorſum, in reliquijs tuis præparabis vultum eorum.

Hic uerſus uariè legitur. Felix ſic: Quoniam ſepones eos, cum neruis tuis diriges in uultus eorum. Alius interpres: Quoniam pones eos partem, in neruis tuis diriges contra facies eorum. Diuus uerò Hieronymus: Quoniam pones eos humerum, funes tuos firmabis contra facies eorum. Quæ quidem lectionis uarietas, ne ſua aſperitate ſuauiſsimum Vatis ſenſum offendat, emollienda erit. Et primum, quod ad uulgarem æditionẽ attinet, ſic quidã interpretantur: Pones eos dorſum, hoc eſt, in fugã eos conuertes. & eſt idem cum illo noni pſalmi uerſu: Et inimicos meos dediſti mihi dorſum. Dorſum ponere, ait Eutym. is dicitur, qui fugit, ac terga dat. nihil enim aliud corporis eius uideri poteſt, quàm tergum. Hæc Eutymius. Quo quidẽ locutionis tropo & periphraſi, quoddã fugę genus ignominioſius exprimi uoluit, quàm ſi dixiſſet, fugerunt. & hæc in hoc mundo quidem. Poſtea uerò quàm ab humanis diſceſſerint, quid eos maneat, aperit: In reliquijs tuis, ait, præparabis uultum illorum. & eſt ſenſus: Interim enim quòd in fugam uerſi, in præceps feruntur, facies illos uidere, quod nunc uidere recuſant, inter damnatos, qui ſunt reliquiæ tuæ: hoc eſt, quos, propter illorum in peccatis obſtinationẽ, reliquiſti, prorſusq; abs te proieciſti. Tunc enim uidebunt reliquiæ illæ miſerrimæ in quem transfixerunt. Modò quippe præparatos non habent uultus, atq; oculos, ſed cæci omnino ſunt. Res quidem hæc mihi digna uidetur, quæ lachrymarum amne, atq; eo ſanè capaciori, quàm ſit Rhodanus, Tyberis,

C aut latè exundans Padus, conſideret: quòd homo ad Dei imaginẽ formatus, in tantam mentis caliginem proruat, ut à lumine radijſq; ſolis, ſua ſe ſponte ſubtrahens, nihil antiquius in uita ſe habere profiteatur, q̃ perfracto diuini timoris freno, in perpetuis tenebris uiuere (ſi huiuſmodi tamẽ hominũ uita appellanda eſt, & non magis miſeria, ac mortis umbra) terga dare legi ac dorſum, non faciẽ mentis, quæ ſola eſt capax iuſtitiæ, quæ per fidem eſt Ieſu Chriſti, contra ueritatẽ atq; ipſum Deum, uertere. Iam illud quod reddit Felix, conſiderandũ. Quoniam, inquit, ſepones eos: hoc eſt, ab alijs, à tuis electis: ab illis, qui ab æterno in libro ſunt ſcripti uitæ, ſeparabis. Heu infelicem ſeparationẽ. Et ſeparabunt, inquit, bonos à malis: hos quidem, ut regnum felicibus animis ab æterno paratum, accipiant: illos, ut perpetuã miſeriam, inconſolabilémue dolorem ſubeant. Interim uerò eos tanquam ſcopum ſagittis tuis aſsiduè petes. quod ſic reddunt Hebræi: Cum neruis tuis diriges in uultus eorum: hoc eſt, ſagittabis in eos. ut ſit ſenſus: Fugient profectò, ſed non effugient, à tergo habentes perſecutorẽ, ante oculos autem ſagittantẽ in illorum faciem. Huic item ſenſui conuenit quoq; litera, quæ uertit: Pones eos partẽ: hoc eſt, pones eos in unam partẽ, ceu ſignũ & ſcopum, in quem iaciantur uulgò iacula, & ſagittæ. Sed & diui Hieronymi litera quadrat, utpote ex Hebræo deſumpta. Ille funes, hi neruos. Ille humerũ, hi dorſum, interpretati ſunt: eundem tamen omnes prę ſe ferunt ſenſum: qui ſanè is erit, quo nos inſtruat animo perpendere, ad quantã ſalutis deſperationẽ deueniant Dei hoſtes, qui eò ignominiæ corruant, ut diuina manu deſtituti, ſignum, aut ſcopus, in quem turbæ iaculentur ex arcu ſpicula, à ſpiritu appellentur. Habent enim hunc exitum tandem improbi homines, ut in illos, & ſupera, & inferna, & quicquid uſpiam in orbe uniuerſo conditum eſt, conſpirent: licet ipſi, propter obduratam in peccatis mentem, non ſentiant. Hi ſic. Tu uerò Domine,

Exaltare in ℣irtute tua: cantabimus & pſallemus ℣irtutes tuas.

D Accenſus enim Vates admodũ ex conſideratione ſalutis ampliſsimæ, Chriſto, ac cum Chriſto nobis præſtitæ, more ſuo, cum gratiarum actione, cantu, & triumphali, ut ſic dicam, ouatione, pſalmum terminat, oratq; ut nota fiat mundo poteſtas eius æterna. Senſus porrò uerſus huius à Paraphraſte expreſsius redditur, quàm ut à me aliquid addi debeat. Oſtende, inquit, Domine, quantus ſis, & uiribus quantum ualeas: ut occaſionẽ habeamus cantandi, & pſalmis celebrandi omnipotentiã tuam. Et ſic cum ſanctiſsimo uirtutis nomine, quemadmodum hanc incœpit odam dicens, Domine, in uirtute tua lætabitur rex: eam claudit, ac terminat, canens eo modo quem diximus.

PSALMVS DAVID VINCENTI SVPER ceruam matutinam, ſiue auroræ. XXII.

DEVS Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti?

In hoc pſalmo omnia pathetica ſunt. Verùm antequã odam decantemus, præludio prius ludendum erit. Præludia uerò in pſalmis ſunt ipſi tituli, qui plerunq; difficiliores ſunt interpretatu, quàm ipſi pſalmi. Nec adhuc ex doctioribus aliquem uidi, qui cùm eſt de titulis tractandum, non magnopere deſudet, ſe torqueat, ac tandem fateatur, ſe uocum amphibologijs uictum, nihilq;, niſi per tenuiſsimas coniecturas, ſe poſſe intelligere, melius dicerem, diuinare. Secus indocti, qui adeò impudenter omnia ſua uulgò exponunt, ac ſi è cœlo ipſo ſupremo delapſa, ea ſola mirari, amplectiq; debeamus. Quę ſanè res tantam in Eccleſia Dei peperit confuſionem ac dubietatẽ, ut plerunq; ſatius eſſet ſimpliciores Senecæ tragœdias legere, aut Aeſopi fabulas, quàm eorũ ſcripta. Ex Hebræis enim interpretibus uolunt aliqui dictionẽ, quæ uice tituli huic præfertur pſalmo, inſtrumentũ muſicum eſſe, in quo pſalmũ hunc Dauid iuſſerat decantari. Alij item aliud. Sed celebrior ea uiſa eſt ſententia, qua dicunt, ceruã matutinam, ſiue auroræ, ſignificari: quæ mihi quoq; non parum arridet. At illa magis, qua affirmant nonnulli, ſtellam illam, quæ ſolem mane præcedit (hanc Græ-

A Græci phosphoron uocant) adumbrari. Nam cum nulli dubiũ esse debeat, hunc psalmũ totum de Christo intelligi oportere, cum ex ipsa odæ serie, tum ex Euangelistarum, ac Pauli testimonio, nescio an alius germanior Deiq; filio cõuenientior, titulo adscribi queat sensus, q; ipsum illud sydus matutinum nuncupare, utpote qui nobis per carnem suam purissimam, omnem attulit cognitionẽ solis illius, qui illuminat omnem hominem uenientẽ in hunc mundum: quemadmodũ illud est ueluti præco quidã istius solis, quem oculis corporeis cernimus. Et quidem si filius Dei, filius hominis fieri recusasset, omnis prorsus uera de Deo cognitio à mortalium intellectu expuncta esset. Conuenit & ille ceruæ matutinæ. Familiare enim est epitheton Dei filio, qui se damulæ, aut ceruorũ hinnulo libenter assimilat. Et uerè Christus cerua matutina tum fuit (quandò summo mane, ut refert Matthæus, consiliũ inierunt sacerdotes, & seniores populi aduersus Iesum) agitata à canibus: quæ post crudeles morsus, post uulnera, post cursum illum miserandum ab uno ad alterum iudicem, excelsam tandem petijt crucem. Et super excelsa, inquit, statuit me. Verùm quoquo modo intelligatur titulus, hanc psalmi summam esse affirmant, filium scilicet Dei se in cruce derelictũ à patre expostulantem. Nec mihi nunc altius repetenda res est, quò probem ipsum Dei filiũ uerè, ut ait Esaias, languores nostros tulisse. Fidelibus enim, nõ infidelibus, hunc meum laborem probari cupio. Id sanè quidẽ mihi semper firmissima persuasum fuit fide, quòd quemadmodũ Christus semper fuit, ut nunc quoq; est, supra quàm dici potest, humani generis amantissimus: ita pro ipso redimendo, quippe qui peccata omnium in proprio corpore luere, eorumq; reus, ac pro bonis omnibus qui non eramus soluendo, præs & fideiussor esse statuerat, ueros, atque eosdem ipsos atrociores, quàm qui ab humano intellectu comprehendi ualeant, dolores subijt: hincq; tanquã unus ex nobis, quid unum aio? tanquã ille, qui totius mundi scelera in se transferens, scelus quodammodo ipsum, peccatũ, ac maledictum, ut inquit Paulus, effectus est, clamat quanto potest animæ affectu, Deus Deus
B meus respice in me, quare me dereliquisti? Duplicata enim dictio, Deus Deus, commiserationis est plena, doloriscq; intentionem ostendit. Iam illud in primis non omittendum, quòd Respice in me, non inuenitur in Hebræo: sed simpliciter est, ut refert Euangelista, Eli eli lamaasabatani: hoc est, utidem diuinus interpretatur scriba, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Queritur Dei filius, quî fieri potest, ut pater ille, qui etiam hostibus propriis parcere, atq; illis opitulari solet, se tamen filiũ obsequentissimũ extremo in dolore & periculo constitutum deserat? & est, ac si diceret: Quare me innocentissimũ in manibus impiorum deseruisti? Cur me perinde quasi ad te non pertineã habes? Dicent sanè improbi, te prorsus auertisse faciem tuam à puero tuo, de quo tamen toties affirmasti dicens: Hic est filius meus dilectus. Siccine dilecti filij à patribus deseruntur? Respice, te quæso, in me. Nam

Longè à salute mea verba delictorum meorum.

Quàm uerum illud fuit, quod olim de Christo uaticinatus est Esaias: Nos putauimus, inquit, eum quasi leprosum & percussum à Deo, & humiliatum. Tantum non dixit Vates, destitutum & derelictum. Vide argumẽtum filij Dei, quo causam suam tutari nititur apud patrem. Reatus, inquit, peccatorũ meorum procul sunt à salute mea: hoc est, nulli mihi impedimento esse debent, quin salutem obtineam, quia nulli: mors autem pœna est peccati: cur igitur morior, cum non peccauerim? Serio enim, non fictè, Christus propter se peccatorum omnium sordes attraxit: alioqui mori non poterat, cum mors peccatũ, ueluti umbra corpus, sequatur. Alij hunc uersum hoc modò interpretantur. Verba, hoc est, numerationes, seu facta alienorum delictorum, quæ mea facta sunt propterea, quia eorum factus sum uas, & reus, non sinunt me exaudiri ac seruari. Quomodo enim Christus non omnium peccatorum fuit reus, cum sua se sponte principalem patri pro omnibus constituit debitorem? Impossibile quippe fuit tam immensum debitum solui, absque Christo: qui uice omnium sub peccatorum onere hîc gemens,

c clamat, adeò immensa illa esse, ut penitus à patre exaudiri non mereatur. O felix culpa, ô felix, ut sic dicam, peccatum, & mors: postquam tanto bono, ut Christus est, ornatus est mundus. Quid, oro, mundus hic esset absq; Christo? Ecquis porrò est, qui animũ iam, propter facinorosam suam anteactã uitam, despondere uelit, simulatq; uidet Dei filium ad tantã, ut per excessum dicam, amoris dementiã erga humanã naturam deuenisse, ut pro omnibus illius delictis, atq; his grauissimis, patri uadimoniũ promittat, totum debitum soluat, ac sese (ô incomprehensibilem amoris uim) cum ipso humano genere elongatum asserat à Deo? Cum enim Dei filium factum esse pro nobis maledictum, peccatóue peccatum damnasse in carne intelligimus in Paulo, tunc ea, quæ hîc dicuntur à propheta, noua nõ uidentur, licet mira atq; insolita. Spiritus, inquit Hieremias, oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris. Cæterùm, longè à salute mea uerba rugitus mei, legunt Hebræi, quæ quidem uerba, meo sanè iudicio, per interrogationem legi possunt. & erit sensus: Cur longinquus factus es à me, ô Deus, cum tamen rugitus mei uerba audias, hoc est, gemitus, immensosq; clamores à cordis penetralibus euulsos? quasi diceret: Res hæc in te admodum insolens est ac præter morem tuum. Rugitum porrò dicens propheta artificiosissimè naturam doloris exprimit: quæ quidem ea est, ut postquam uim spiritus, in corde eo maximè, quod in fortissimi uiri pectore situm sit, diutius continuit, tandem illa cumulo mœroris excita, cum se amplius tenere nequeat, erumpit in clamorem quendam leoninum magis, quàm humanum. Idcirco ex hoc uersu & immensitatem doloris, & summã fortitudinem in diuino illo pectore Christi fuisse non dubito.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.

Aut per noctem, aut eodem casu legendum erit, die ac nocte. hoc est, iugiter,
D sedulóue clamabo, ut salutẽ abs te exorem, & tamen non exaudies. Stultũ profectò uidebitur apud mundi sapientes, quòd ad te non auscultantem, clamem, & dicent: Cur clamas? Cur eius aures obtundis, qui ad tuos rugitus obsurdescit? Sed stulti illi ac hebetes, quos prorsus, quomodo tu pater tuos ad tempus negligere uideris, præterit: atq; propterea insipientem illam iudicant precem, quæ statim nõ exauditur, cum interim tua apud te iudicia æquissima maneant. Non igitur abs te, neq; ab alio quopiam poterit mihi insipientiæ dari, si ea rogo, de quibus non exaudior. Verùm diuus Hieronymus hunc uersum sic legit ex hebræo: Nec est silentium mihi. ut hinc saltem intelligamus, iugem, continuumq; clamorem, ex desiderio sitíue immensa redemptionis humanæ, fuisse in Christo. Vnde elegantissimè reddidit Paraphrastes, Absq; ulla intermissione. Atq; hinc rursum nostra capitur ignauia in orando, quæ, ne mille quidem sancti spiritus igniculis admonita, ad mediæ horulæ perseuerantiam disponi potest. Neq; hîc loquor de stabili solùm modo membrorũ situ, sed de firmo, uti decet diuina peragi, ac constanti in Deum proposito, & uoluntate. Alioqui orationum uim & robur, in horarum numero, uel usque ad corporis lassitudinem metiri, atq; in locis publicis uenditare, superbæ mentis indicium est, parumq; considerantis, in quo Dei honor consistat, aut fidei feruor.

Tu autem in sancto habitas, laus Israël.

Vide fiduciã in orante. Alijs forsan, ait, uidebitur te iniustitiæ meritò insimulandum, quòd, cum rogaris, nõ exaudias. Errabũt sanè: nam tu semper, siue exaudias, siue exaudire neges, sanctus es, & in sanctis illis, quos tu tibi ab æterno, ut sancti essent, elegisti, inhabitas. Nemo unq; iustè te huiusce errati accusare poterit, quòd tuos deseras, & non tuos adiuues, cum sis laus Israël: hoc est, cum is sis, quem canit, quem laudat, quem celebrat, cuiq; gratias agit credentiũ populus, quòd semper eum liberas. Quomodocunq; enim res se habeant electorum, siue dulces, siue amaræ sint, semper eas curat Deus, quãuis secus uulgò appareat. Est & alius pius sensus, ut in sancto, ad ipsum Dei filiũ hîc orantem referatur, hoc ferè modo: Dixi quòd non imputabitur ad insipientiam mihi, si continuus orator

cum

A cum ſim, nihil impetro: nam ex hoc uerè dici non poteſt, quòd me auerſeris, cum ſemper ego in te, tu pater in me ſis. Tua enim una mecum eſt uoluntas, una deitas, una natura, atq; idem amor. Porrò infinita propè ſunt in ſacris libris ac lege uaticinia, quibus olim pollicitus eſt Deus fore, ut nobiſcũ, uel uſq; ad cõſummationẽ ſeculi conuerſaretur. Sed illud in primis apud Leuitas cap. uigeſimo ſexto: Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea cuſtodieritis, ponam tabernaculum meum in medio ueſtri, & non abijciet uos anima mea.

In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt & liberaſti eos.

Amplificatio hæc eſt querelę. Ex eo enim quòd pater ad filij ſui dilectiſimi preces cõniuere uideretur, qui tamen priſcis illis patribus, atq; Iſraëli uniuerſo precanti ſemper affuerit, magnitudinem calamitatis in Chriſto immenſam fuiſſe oſtendit. Ait itaq;: In te olim iuſti omnes, ſiue patriarchæ, ſiue prophetę hi fuerint, ſuis in anguſtijs ſperauerunt: ſperauerunt, inquam, & liberaſti eos. quaſi diceret, nullus unquam ab te fuit derelictus, modò ex animo ſperauerit. Quid?

Clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerũt, & nõ ſunt confuſi. Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Vidésne quantam cõmiſerationem hæc cõmiſceant? Mos enim eſt prophetis, ut ad maiorẽ emphaſim ſententias eaſdem repetant & inculcent. Senſus igitur huius omnis uerborũ congerieiis erit: Spem ſuam progenitores noſtri in te, ô pater, ponere conſueuerũt, atq; propterea omnis illorum ſuis in afflictionibus ad te clamor erat: & quotieſcunq; id faciebant, tu illos liberabas, neq; unquã paſſus illos pudore ſuffundi, hoc eſt, repulſam pati. & hi quidem ſerui. Ego autem filius cum ſim, uermis, & nõ homo, opprobrium inſuper hominũ, & abiectio plebis, reputatus ſum. Ego, inquam, filius ille tuus unigenitus, & is amantiſsimus, abs te derelictus, factus ſum res omnium uiliſsima, proiectamentumq; ab omni
B bus deriſum, exibilatum, ac infinitis iniurijs affectum. Non ſolum enim nouiſsimus uirorum reputatus ſum, ſed ne uir quidem. Quare uermis deſpectiſsimus, atq; infimæ plebis fæx magis quàm homo, dici debeo. Et uerè uermis eſt Chriſtus, qui exiguus, abiectiſsimusq; omniũ cum in terris uideretur, mirum tamen quàm exactè perrodat & cõminuat quicquid nactus fuerit in ſuis electis rubiginis, ac duritiei. Cæterùm ferunt ſancti Dei interpretes, inter cætera quæ Dei filius in gratiam noſtri geſsit in terris, maximam ſemper in patre fiduciam præ ſe tuliſſe, utpote qui ſuas omnes afflictiones in patris uoluntatẽ ſemper reiecerit: quod quidem neq; illius hoſtes Iudæos latuit. Idcirco cum uenerabile eius corpus ligno crucis, cruentiſsimis confixiſſent clauis, atq; illum moribundis oculis iamiam agere animam conſpexiſſent, ſcomma huiuſmodi inter ſeſe de illo, maximo cum cõtemptu, & ironia, iactitarũt: Sperauit in Domino, eripiat eum nunc, ſi uult. Quam obrem à Vate infertur:

Omnes videntes mę deriſerunt mę, locuti ſunt labijs, & mouerunt caput.

Quàm contemptus, quámue abiectus, & uilis præ omnibus mortalibus, fuerit manſuetiſsimus Dominus in terris, in hac undequaq; cõmiſerationis plena enarratione exequitur propheta. Quid, oro, ignominioſius? Quid opprobrioſius in plebe audiri poteſt, quàm id quod refert Lucas in hiſtoria crucis? Viri, ait, qui tenebant eum, illudebant ei, cædentes eum: & uelauerunt eum, & expuebant in faciem eius. Quid, obſecro, illud erat, niſi in maiorem miſeriam, mortis cruciatus prorogare? En quanta pertulit pro ſuis hoſtibus Dominus maieſtatis. En quanto opprobrio ſubiacuit Deus, ut homini ereptũ honorẽ reſtitueret. Ec quid rurſum ſæuius? quid contemptius? quid tantum lachrymis dignũ, quàm audire, quòd milites præſidis plectentes coronã de ſpinis, impoſuerunt capiti eius, & dicebant, Aue rex Iudæorum: & dabant illi alapas. Vidiſti ne unquam tam tetrum ſpectaculum? tam informe? tam crudele? tam cruentum? cum cernis ſpecioſiſsimum illum iuuenem, in cuius diuinam faciem ipſi quoq; cœleſtes ſpiritus cupiunt aſpicere, à Pilato abſq; ulla commiſeratione à planta pedis uſq; ad uer-

C ticem cruentatum, ac ſexcentis, & eo amplius, uibicibus liuidum, è roſtriſq; uulgo oſtenſum hoc ſcommate? ECCE HOMO. Non ab re igitur, neq; ficte ſuam deflet miſeriam ſummus opifex, poſtquã ſuum adeò inſanit opificium, ut ne tenus quidem cutem, tam ſæuæ morti ſui cõditoris condoleat. Quotus enim quiſque eſt, uel ex ſublimioribus, ut ſibi uidetur, animis, qui Chriſti mortem habeat, ut ſponſus ſponſam in amatorijs canticis hortatur, ſicut ſignaculum ſuper cor ſuum? Porrò de irriſione qua Dominus in illo ſuo ultimo uitæ termino eſt habitus, uno ſpiritu, tum prophetæ, tum prophetarum filij euangeliſtæ, unoq; ore plura olim cõqueſti ſunt: ſed in primis ipſe Dei filius apud Hieremiam conqueritur hoc modo, dicens: Factus ſum in deriſum omni populo, canticum eorum tota die. Cui poſtmodum ſuccinuit Euãgeliſta: Prætereuntes, inquit, mouebant capita ſua, dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus excitas illud: & deridebant eum. Cæterũ illud, locuti ſunt labijs, diuus Hieronymus uertit, demittunt labia: quod quidem ad exprimendũ ſubſannantium morem ſummopere facere uidetur. His enim ridiculus quidam mos eſt, ut cum alicui procacius illudunt, labia demittãt, ac fœdiſsimũ in modum diſtorqueãt. Verùm aptius aliquibus uiſum eſt, id omne uno uerbo reddere, conuiciati ſunt.

Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniam ♈ult eum.

Seu, ut alius uertit: Quoniam deamat eum. Vide ironiam. Si rex, inquiunt, Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce: confidit in Deo, liberet eum nunc, ſi uult. Hoc planè illi dicere uolebant: Stultè admodum ac ridiculè feciſſe uideris, qui à Deo te diligi es arbitratus. Perpendis'ne, ô homo, iam tandem quomodo auroræ cerua per ſyluas, per nemora, per rupes à canibus agitata, ægrè trahat ſpiritum? Mirum ni iam exhalauerit animam. Quid uerò? Initia quidem dolorum nondum audita ſunt. Antequam enim nobiliſsimus pugil ultimum ſuæ uirtutis
D prębeat ſpecimen, quibus armis confiſus propinquã præſtoletur pugnam, prius indicat Vates his uerbis:

Quoniam tu es qui extraxiſti mę de ♈entrę, ſpes mea ab ♈beribus matris meæ.

Totus hic uerſus confirmandę ſuæ ſpei gratia paulò antè deriſæ, probroq; habitæ à Iudæis, adhibetur hoc ferè argumento: quòd impoſsibile ſit cœleſtem patrem qui nos adeò benignè, noſtra abſq; ſcientia & uirtute, ex latebris uteri materni eduxit, aluit, ac uſq; ad uirilem ætatem enutriuit, non rurſus ſic adultos & amare, & nobis opitulari, eo maximè tempore quo maior ingruit anguſtiarum procella: impia hæc enim eſſet perſuaſio. Quî, quæſo, fieri poteſt, ut qui nos ſine nobis, atq; adeò nobis ignorãtibus à ſecundinis illis tricisq; maternis explicauit, ſtatimq; in ipſo uitæ exordio mamillarũ ſucco enutriuit, modò adultos, clamantes, cognoſcentes, eiusq; auxilium implorantes, deſerat? Te procurante igitur, ait Dei filius ad Patrem, Ex utero materno prodij, indeq; bene ſperare me docuiſti, cum adhuc matris meæ ubera ſugerem. Quid dicam?

In tę proiectus ſum ex ♈tero.

Quis hîc non attonitus miretur audiens, quòd is cui condita parent omnia, ac genu flectunt, dicat ſe ueluti aborſum inanimem ex matris utero proiectũ? Nudus, inquit, pauper, infirmus, miſer, inops, & qui uitam à uagitibus auſpicatus ſum, ac lachrymis è clauſtro materni uentris eiectus ſum: ſed in te tamen, hoc eſt, tuæ curæ ac prouidentiæ derelictus. Quare

De ♈entrę matris meæ Deus meus es tu, ne diſceſſeris à mę.

Vide quomodo diuina beneficia mortalibus collata, etiam ab ipſo primo conceptu horſum ſurſum pertractet, ut nos aliquando ingratitudinis noſtræ pudere faciat. Semper enim uel ab ipſo cõditarum rerum principio, antequã quicquam faceret ab exordio, cum nondum terra eſſet, aut cœlum, de ſuis electis curam habuit Deus, hoc eſt, ab æterno. Cum talis igitur ſis, inquit, ô pater, ne nunc, oro, à me diſcedas, procul q; abſis.

Quoniam

A *Quoniam tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adiuuet.*

Si mei, inquit, diſcipuli, me relicto, aufugerunt, quid de alijs ſperandũ? Ergo tu ſolus ſpes mea. Hoc idem Dominus olim in Eſaia conqueſtus eſt, dicens: Circunſpexi, & non erat auxiliator: quæſiui, & nõ fuit qui adiuuaret. Nullum, quod ſciam, maius eſt animi in anguſtia poſiti exterminiũ, quàm ſe ſolum uidere ab omnibus, & illis ipſis quidẽ amiciſsimis uiris derelictũ, eo maximè tempore quo maiori auxilio eſt opus. Et quemadmodũ ſumma infelicitas exiſtimari ſolet fuiſſe felicem: ita extremam eſſe calamitatẽ iudico, in calamitatibus à charioribus deſeri: ut deſolato Chriſto accidiſſe legimus, qui cum in horto illo trans torrentem Cedron, de quo ſacra refert hiſtoria quædam, ob Chriſti frequentiã non indigna memoratu, à militum turmis impeteretur, uidit ſe ab intimis illis ſuis, à ſecretis diſcipulis, & à Ioanne quoq; illo tam charo deſeri. At iam theatrũ plenum eſt: producẽdus eſt pugil fortiſsimus, qui cum orbe uniuerſo, cum peccato, cum morte, cumq; ipſo autore mortis ac peccati eſt conflicturus.

Circundederunt me uituli multi, tauri pingues obſederunt mę.

Hic iam primùm cinctum ſe, & cõcluſum memorat à potentiſsimis hoſtibus: quorum ferociam quo maiori exprimeret emphaſi, grandes ac præualidos tauros, quales regio Baſſan diues paſcuis alere ſolet, illos appellat. Nam Felix ſic reddit: Circundederunt me tauri multi: tauri Baſſan circũdederunt me. Idem fermè Paraphraſtes: Cinxerunt me, ait, tauri multi, fortes, & ueluti ſaginati in paſcuis Baſſan circundederunt me. Solent enim huius generis animantia eo ſęuius ferocire, quo fuerint in pinguioríb. paſcuis enutrita: qualis eſt regio Baſſan, quę, ut eſt in libris antiquæ legis, mirum in modũ ferax eſt ac felix. Vitulos hîc appellat Vates effrenes iuuenes et indomitos, qui cum nullo natura rationis iugo contineantur, facilè in effrenatas actiones feruntur, ut quotidie infinita ob oculos
B exempla, etiam in grauioribus rebuſpub. atq; ędibus habemus. Tauros uerò pingues, obeſos illos Iudæorũ ſacerdotes, honoratosq; uulgò ſcribas & phariſæos appellat, qui ex nimia rerum copia elati, tyrãnico magis imperio atq; arte, quàm legum ſcientia, res tum ſacras, tum prophanas moderabantur. Huiuſmodi enim ſtrenuis, ſi Deo placet, ducibus, primo in cõgreſſu cinctum ſe expoſtulat Dominus Ieſus, hoc eſt, ſe penitus in eorum manibus ac poteſtate poſitũ. Crudelis quidem fuit illa Iudæorum in Chriſti corpus ſæuitia ac rabies. Crudelis & ſacerdotum & phariſæorũ perſecutio: ſed quibus forſan, ob ignorantiam, aut rei nouitatem, uenia præſtari debuit. Adhuc enim ſol ipſæ iuſtitiæ carnis uelo adumbratus, nõ ſe illis prorſus & apertè, ut illorum exigebat perfidia, impendere uoluit. Sed quid modò, ipſo ſole medium iam tenente cœlum, hoc eſt, glorificato Chriſto, ac ſeſe aperta ueluti facie, omnibus exhibente, cum tot mala in Eccleſia Dei fieri cernimus, erit dicendum? Crudelior certè hæc mihi q̃ illa ſemper uiſa eſt in Chriſtũ pugna ac perſecutio. Quæ uerò tela atq; arma illa ſint, qui miniſtri, quis locus pugnę, & qui tandem ſpectatores, quibus omnib. rebus atrocior hæc q̃ illa effecta ſit in Dei filium cõcertatio & pugna, uniuerſali quodam rumore ſciunt omnes: ſed altiori qui ſunt mente prędíti, & ſciunt, & ingemiſcunt, expectantes quô demum hæc ſe rerum confuſio ac perturbatio dirigat. Sed ad propoſitũ redeamus, ne dum nimiũ exactè res uniuerſales, in oreq; omnium poſitas uentilamus, particularis nos iudicij, & forſan odij inſimulemur. Itaq; ad ceruã noſtram tot uenatorijs canibus circũuentam, noſtra redeat oratio. Putás ne manſuetiſsimum Chriſtum rabidos illos tauros ac petulantes uitulos, ob ea quæ ſuperius dicta ſunt, ad cõmiſerationem flectere potuiſſe? minimè quidem. Clamat enim,

Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.

Non ſanè ſatis fuit Iudæos in cruciatibus filio Dei admotis, taurinam induiſſe ferociã, niſi & immanitate leonũ uſi, funditus diſcerpere eum ſtatuiſſent. Aperuiſſe enim illos fauces horrendo illo hiatu aſſerit, quo leo cum prædæ incumbens, totoq; ore rugitum euomens, illam aggredit. Aiunt quidem leones terrifi-

C co quodã modo rugire ſolitos, cum prædam appetunt, & uident. Quem quidem morem non ignorauit Amos: Num rugiet leo, ait, in ſylua, ſi non ſit illi præda? Porrò quid ſæuitiæ leoninæ tam ſimile unquã fuit, q̃ cum poſiti ante iudicem illum dirum Iudæi, calcatis legibus, æquoq; iampridẽ ab atrijs pontificum eliminato, abraſa iuſtitia, conculcatóue iure, decoreq; & honeſto, inualeſcebant clamantes: Tolle, tolle, crucifige eum? Obſederunt me, inquit. Obſidionem uerò hanc fuiſſe arbitror cum ſæpe aliàs, ſed tum potiſsimum, quando modeſtiſsimus iuuenis, cum iam aptarent manicas & funes, circunfuſa agmina circunſpiciens, pacatiſsimo pectore reſpondit: Tanquam ad latronem exijſtis cum gladijs & fuſtibus comprehendere me? Tum cohors, & tribunus, & miniſtri Iudæorum acceſſerunt, & iniecerunt manus in Ieſum, & ligauerunt eum.

Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

Toto, inquit, corpore exhauſtus ſum ſanguine: qui quidem è membris meis crebris ictibus attritis, eo modo & copia effluxit, qua ſolet aqua è uaſe aliquo effundi. Apta profectò, ac planè intentioni prophetæ deſeruiens ſimilitudo: qui ſanè, cum uellet indicare totum cruorem adeò è Chriſti corpore effuſum eſſe, ut ne gutta quidem quamuis modica remanſerit, addit ſimilitudinem aquæ de uaſe aliquo proiectæ & effuſæ, quæ nihil omnino ſui relinquit ueſtigij, cum cæteri liquores ſaltem ſaporem in uaſe relinquant. Verùm alij hac effuſæ aquæ metapho ra uolunt intelligi extremam membrorum Chriſti diſſolutionẽ, quę non tantùm à cruciatibus & tormentis procedere conſueuit, quantum à metu in homine mirè exagitato. Quocirca à Vate additur:

Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.

Illi enim quam modo dixi de membrorum diſſolutione, libenter aſſentior o-
D pinioni, poſtquam in mentem mihi uenit illud in Ioſue libro, quo aſſerit cor populi pertimuiſſe, atque inſtar aquæ fuiſſe liquefactum. Ea enim uis eſt pauoris, ut è ſummis in intima, & à ſupernis ad infima cogat calorem: quo præſente, membra omnia uegeta ſunt, uiuuntq;, ac proprium ſeruant decorem. Eo uerò ſeſe, ob metum, in occultioribus partibus, magisq; intimis inſinuante, frigus ſtatim pectus occupat, atque propterea cætera omnia refrigerantur, ipſæq; membrorum compages uitali calore deſtitutæ diſſoluuntur. Deficiente uerò naturali humore ac ſanguine, in quo uita eſt animantiũ, perlangueſcunt oſſa, & quodammodo luxantur. Vnde in ſuperiori uerſu conqueſtus eſt Chriſtus, ſua omnia diſperſa fuiſſe oſſa. Cor item cum ſit organum, ut dicunt phyſici, partis ſenſitiuæ: cumq; primum ſit uiuens in animali, atq; ultimum moriens, facilè ex nimio caloris cumulo oppreſſum eliquitur, quemadmodum ſolis calore ac radijs, cera liqueſcere ſolet. Vnde, oro, cõcitationes illæ cordis, in uiro etiam ſapienti, ſed in maximo mœrore aut metu conſtituto, originem habent, niſi quòd cor ipſum à ſuperabundanti calore illuc, propter nimiam illam perturbationem, aggregato, obrutum liquefit, & immutatur? In medio uentris, ait, huiuſmodi inteſtinorũ turbam eſſe commotam. quaſi diceret, uulnerati cordis liquor in uentrem, more cerę à ſolis radijs liquefactæ, effluxit. Per uentrem uult Eutymius iuxta græci nominis ſignificantiam, totam corporis concauitatem intelligi. Vtcunq; intelligas, id ſcias uelim, Vatem hîc omni eiuſcemodi uerborũ exaggeratione nihil aliud exprimere uoluiſſe, quàm membrorum diſſolutionem, quæ ex metu, ac dolore aliquo immenſo, in delicatioribus præſertim naturis accidere ſolet.

Aruit tanquam teſta virtus mea.

En alius doloris, ac pauoris effectus. Reductus enim, ut dixi, ad abditiores inteſtinorum receſſus calor, udúmque pabulum abſumens, ciet ariditatem, ac ſitim excitat: quocirca humor omnis, uel, ut hîc legimus, uirtus, ſeu, ut reddit Hebræus interpres, ſuccus exhauritur, eo modo quo teſta ſeu olla igne exiccatur, & areſcit. Conqueritur igitur Dominus, uires omnes ſeſe defeciſſe, ac ob naturalis harmoniæ corruptionem, cruoriſue profuſionem, atque ex conſumpto uitæ

ſucco

A ſucco & humore, exaruiſſe, quemadmodum areſcere ſolet olla teſtea in fornace. O Chriſte, quantis tibi nominibus debitor ſum, quantum me meæ præteritæ tenerítudinis díſpudet. Tu ſemper dirus tibi fuiſti: tu in te crudelis, aſper, inhumanus, quò me infinitis peccatorũ ſordibus infectum repurgares, ablueres, ac tandem te ſummum bonum, ſummamq; pacem, & æternã uitam, iam millies amiſſam, mihi reſtitueres. O ſi ſaltem guttam unam ſanguinis pro te effundere par ſim, ac dignus, qui pro me tu totus effuſus es & diſſolutus. Id unum tamen tibi de me polliceri audacter uelim, quòd nihil tam auidè in terris cupio, quàm pro te poſſe mori. Hoc enim impetrato, quicquid de me futurum ſit, non curo. Sed ad te, à quo nunquam diſceſsit, redeat ſtylus. Videor nimirum te è crudeli illo ligno pendentem audire, proferentemq;,

Lingua mea adhæſit faucibus meis.

Hoc eſt, lingua ſiti exuſta, in moribundis faucibus pallida iacuit. Quare non præter naturam fuit, quòd Chriſtum in cruce ardentem ſitim toleraſſe legimus: ut interim de ſiti illa æterna, quam ſemper habuit Dei filius cum patre, redimendorum hominum, nihil impræſentiarum dicam, cum totus hic pſalmus nihil aliud præ ſe ferat. Quid, quæſo, aliud filium ipſum è ſinu patris ad terras deturbauit? Quid tam nobilem ceruam in uaſto hoc perturbationũ theatro ſiſtere fecit? Quid mori tandem, niſi ſitis ardentiſsima recuperandi genus humanum? Cæterùm faucibus meis, interpretes Hebræi reddunt, palato meo. quos imitatus Paraphraſtes, ſic legit: Lingua mea agglutinata eſt palato meo. quod quidem in ægrotante euidens ſignum eſt mortis: unde rari ſunt, quibus, cum morti fiunt proximi, lingua uiſco, neſcio quo, impedita, ſermonem non interturbet: adeò ut uix ſit, uel ex propinquioribus quidem, qui, quid ſibi uelit, aut poſtulet ægrotus, intelligat. Quare ſtatim adijcitur à Vate,

Et in puluerem mortis deduxiſti mę.

Hoc eſt: Ita me, ô pater, confici iuſsiſti, ut planè ſepulchro, in quo puluis ſo-
B lummodo ac cinis eſſe ſolet, adaptaueris, mortíq;, cuius ui omnia in puluerem redíguntur, me tradideris. Corpus itaq; exangue in tumulo iacere uoluiſti. Vnde paraphraſtes: Et tandem, inquit, in puluere, quemadmodũ mortui ſolent, ſepelies me. Certa igitur mors mea eſt,

Quoniam circundederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit mę.

Diuus Hieronymus ex Hebræo: Circundederunt me uenatores: quò melius exprímat Chriſtum fuiſſe ceruam illam, de qua in titulo nonnulla. Videtur hîc rurſus Dei filius uelle cauſam tantę ſuę anxietudinis reddere. Antea enim ſe à tauris, & uitulis, quos rugientibus leonibus aſsimilauit, circumuallatum eſt queſtus: modò uerò ſe à canibus, ceu feram, circunſeptum replicat: moxq; qui fuerint canes illi, ac uenatores, aperit, inquiens: Concilium malignantium, hoc eſt, peruerſorum hominũ conuentus, obſedit me. Hæc ſanè obſidio longè anteq; accideret, ſapientiſsimũ non latuit regem, qui eorundẽ canum uice, ſic noſtram oblatrat ceruam: Circumueniamus iuſtum. Ecce canum obſidio. Cauſa uerò: Improperat, aiunt, nobis peccata legis. Grauis eſt nobis etiam ad uidendũ. En rabiem caninam: Contumelijs & tormentis interrogemus eum, morteue turpiſsima condemnemus eum. Ecce iam tandem quô canum fæuitia prorupit. Quàm uerè illud de ſeipſo prædixit filius Dei in alio pſalmo: Perijt fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam.

Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea.

Hîc tandem grauiſsimam pœnarum omniũ in ſuo corpore cõmemorat dulciſsimus Ieſus. Altera enim manu, aut pede, clauo aliquo obtuſiori traiecto, ſtatim ibi humorum congeries aggregatur. quare nerui cæteri paſtu humorũ deſtituti, maximo cum dolore confixi cõtrahuntur. Ideo ui altera extendenda eſt manus & pes, ut par ſit in confixione cum prima. Nulli porrò dubium, quòd membra illa, quæ neruorum robore magis ualent, dolori quoq; læſa magis obnoxia

C ſunt. Præterea in corpore ſic affecto, nudo ſcilicet, ui extento, diſtractoq́, & conſumpto, ut fuit illud Ieſu, non difficilè erit oſſa dinumerare. Idcirco ſic is uerſus à Campenſi redditur: Tractatus ſum ab eis tam inhumaniter, ut numerare potuerim facilè omnia oſſa mea. Cæterùm ſi quærere licet, cuius generis homines hi fuerint, qui tam crudeliter dilaniarunt Dominum uitæ: idem ipſe ſuum aperiat dolorem, qui cum in Zacharia interrogetur, quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? reſpondet, his plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. Neq́ ob id tamen ſaturi.

Ipſi verò conſiderauerunt, & inſpexerunt me.

Felix ſic: Ipſi cõſiderabunt, toruũ aſpicient. Idem enim cum noſtro eſt ſenſus, ſed expreſsius reddita eſt litera. Nam Hebræis in hoc loco, id quod nos legimus conſiderare, uidere, ſeu inſpicere, aliquid aliud intelligit̃, quàm ſimpliciter intueri, aut uidere: ſed eſt cum uoluptate & gaudio aſpicere, uti hi ſolent, qui in extrema calamitate inimici nondũ plenè exaturati, ipſum ſeſe inter cruciatus ac mortis terrores diſtorquentem, riſu quodammodo ſardonico, ac crudeli omnino, aſpiciunt, atq́ interdum toruo illum conſiderantes uultu, præ ſe ferunt etiam in mortuum, ſæuitiam. Hoc igitur modo à ſuis habitus Chriſtus, clamat, ac quanto poteſt dolore omnibus diuulgat, his notis: Ipſi, quos me diligere arbitrabar, me acerbiſsimis in tormentis ægrè anhelantem, multoq́ in ſanguine prouolutum intuebantur ridentes, inſultantésue, quòd alios ſeruauerim, meam uerò ſalutẽ neglexerim. Neq́ hoc ſatis: nam me nondum planè exanimato,

Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Per futurũ legit Felix, diuident: ſed nihil officit ſenſui. Idioma eſt Hebræum. Milites illi, quos modò canes, modò tauros, modò uitulos appellat Vates, cum, ut refert Euangeliſta, crucifixiſſent eum, acceperunt ueſtimenta eius, & fecerunt
D quatuor partes, unicuiq́ militi partem: & tunicam, ſcilicet acceperunt. Per ueſtimenta, exponunt indumenta conſuta: per tunicã uerò, ueſtem inconſutilem, de qua ſortiti ſunt: illa autem partiti. Verumenimuero qui myſteriorum ſublimitatem, cum in his diuiſis ueſtimentis, tum in inconſutili tunica requiri credunt, non falluntur omnino: ſed ab aliis hauriant, qui innumeri ſunt, qui totam uitã Chriſti piis ſuis quibuſdam allegoriis perornare norunt. Nobiſcum autem non malè agetur, ſi ſenſum Vatis germanum, in quo maximè exprimendo elaboramus, aſſequi poterimus. Cæterùm cum illud in Iob legis, quod equidẽ abſq́ lachrymis (non erubeſco crucem Chriſti) recenſere nequeo, nónne ob oculos poſitũ tibi uidetur ſpectaculũ miſerabile filij Dei, ſuum hoc modo expoſtulantis dolorem? Nunc oppreſsit me dolor meus, & ad nihilũ redacti ſunt omnes artus mei. Aperuerunt ſuper me ora ſua, exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſaturati ſunt pœnis meis: ſed hæc paſſus ſum abſq́ iniquitate manus meæ. Ipſi ita:

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam conſpice.

Cœperat enim Vates in ſuperioribus, ſub Chriſti typo, ferè idem orare, cum dixit: Deus meus ne diſceſſeris à me. Sed uolens afflictionũ ſuarũ, multò magis Chriſti, nos eſſe admonitos, à ſupplicatione illa ſe auerterat, & ad querelas quas audiuimus, id eſt, ad enarrandum quantis malis teneretur, paululũ digreſſus, iterum ad intermiſſam precem reuertitur, atq́ ait: Nec elongeris à me Domine, ne ſis procul, ne amplius opem differas. Iam me cinctum à canibus, & his quidẽ inſaturatis, uideo. Iam ueſtes meas, ut de mortuis fieri ſolet, partiti ſunt inter ſeſe. Quare tu, quæſo, ne longè abſceſſeris, quin potius, cum ſis robur meũ, ac uirtus, ferre mihi ſuppetias propera. Illud porrò quod nos legimus, conſpice, Hebræis eſt, propera, ſeu feſtina. Atq́ hinc ſanè habes, cuiuſmodi habitus illũ, qui cupiat à Deo, cum orat, exaudiri, eſſe oporteat: ſuum uidelicet ut agnoſcat periculũ, hoſtium inſidias non ignoret, ad Deumq́ aſſiduo cordis gemitu, ac deſiderio clamet, ut liberet̃. Interim uerò toleranter ferat quicquid accidat, ſed in primis Domini manum. hoc eſt enim, quod nunc dicit, ne elongeris à me: ſed

Erue

A *Eruę à framea Deus animam meam.*

In alio pſalmo idem precatur: De gladio maligno eripe me, hoc eſt, à poteſtate dominioq; improborum meam protege uitam.

Et dę manu canis vnicam meam.

Neſcio quidem an infelicius quicquã mortalibus accidere poſsit, quàm à malis ſuperiorib. gubernari. Quod ſanè, ne inter minimas hominũ moleſtias collocari putes, facit hîc Vates à Dei filio inter acerbiſsimos ſuos cruciatus connumerari. Sentis ne hîc inſtantiã in orante neceſſariam? Vidés ne quomodo in tentatione poſitus, uerba quæ mouere queant liberatorem, inculcare debeat? Nos ſtupidos quos hi non tangunt affectus. Cæterũ unicam ſuam petit Dei filius è manu canis eximi. Animam enim ſuam uocat unicam, id eſt, ſolitariã, derelictam, omni prorſus auxilio deſtitutã, & quam tu, ô pater, unicè diligis. Canem uerò appellat immundũ Iudæorum cœtum, de quibus ſuprà eſt queſtus, dicens: Canes multi obſederunt me. Et uerè canes: ſiquidem Dei filium olim, cum adhuc inter mortales degeret, mordicus dilaniarunt: modò autem immortalem factũ, quem dentibus nequeunt, ineptiſsimis blaſphemijs aggrediunt. Non mirum ſanè eſſe debet, ſi numerum mutat. In ſcripturis enim prophetarũ & numeros & tempora confundi, non abſq; tamen ſancti ſpiritus conſilio, frequenter cernimus.

Salua mę ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Suprà enim: Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rugiens. Hiſce quidem animalium nominibus tum ferociam, tum implacabilitatem Iudæorum accuſare intendit. Eſt enim unicornis, ſeu monoceros, bellua adeò fera & indomabilis, ut mori magis eligat, quàm ad humanos uſus manſuefieri: cum cæteræ animantes, & ipſæ quoq; tigres, alioqui natura implacabiles, uiuæ capiantur: hæc ſola non niſi mortua in poteſtatem hominũ uenire patitur. Vnde Iob rerum harum
B non ignarus ſic loquitur: Nunquid uolet tibi ſeruire monoceros? Num pernoctabit ad præſepe tuum? Num illigabis monocerota loro tuo ut aret? Huiuſmodi igitur immanitate inſignes fuerunt Iudæi in Chriſtum, & nunc ſunt, ut leones audacia, tigres ſæuitia, monocerotem uerò implacabilitate ſuperent. Quare huius totius uerſus is ſenſus erit: Erue me, ô pater, à crudelitate hoſtium meorum, qui uerius leones quàm homines dici debent: atq; à potentia illorum indomita, qui nihil tantũ in uita amant, aut uideri uolunt, quàm feritatem præ ſe ferre, hanc meam tutare deiectionem, qua factus ſum uermis, & non homo, opprobriũ hominũ, & abiectio plebis. Sic ferè ſemper in ſcripturis mos eſt accipi hoc nomen, humilitas, deſpectio ſcilicet ac deiectio. Vnde in alio pſalmo: Vide, ait, humilitatem meam de inimicis meis. Cæterũ cornu, ut aliàs admonuimus, potentia eſt, imperium, uirtus, robur, fortitudo, & id genus alia.

Narrabo nomen tuum fratribus meis.

Equidem abſq; ulla dubitatione aſſerere poſſem, omnẽ eſſe in hoc ſacro pſalmorum uolumine iuſtitiæ normam, uirtutumq; legem, ac decorem illum quem in uita ſeruari conueniat: cuiuſq; robur & uis ea ſit, ut curemus ne ingrati in benemeritos de nobis exiſtamus, ſed par pari, quantum poſſumus, & animo & re beneficis referamus. Verũ quia nulla è nobis retributio, quæ digna ſit Deo, prodire poteſt, quippe qui nullarum rerum noſtrarũ indigus eſt: hoc cupit tamen, atq; à nobis exigit diuina maieſtas, ut bona quæ nobis ipſe contulit uel irrequiſitus, nos fratribus ſaltem rogantibus cõmunicemus. Quotus enim quiſque eſt, qui non facilius eligat uulgò reputari abſq; ulla bonorum ſuorum (de bonis animi loquor) collatione in alios, quàm multis benefaciens, ab aura populari præteriri? Non ſic quidẽ ſe habuit filius Dei in terris, non ſic eius apoſtoli, non ſic cæteri primæ illius Eccleſiæ primates. Quid putas aliud in mente Pauli tum fuiſſe, cum ſeſe anathema pro fratrib. ſuis fieri exoptauit, niſi poſthabitis priuatis commodis, & ſalute quoq; propria neglecta, totus quicquid erat, in aliorum ſalutem transfundi? Chamæleon quidem neceſſe eſt ut fiat quodãmodo is, qui in alios

C quicquid bonorum cœlitus ſe accepiſſe pernoſcit, tranſmittere eſt paratus. Sed illud omne, quò (quemadmodũ in illo ſuo anathemate Paulus efflagitauit) diuinum illuſtretur nomen, non ſuum, Deíq; prædicetur bonitas ac iuſtitia, non ſua: ut nonnullos agere cernimus, quí ſuis in ſtudijs & actionibus, quantumuis iuſtis & ſanctis, ſe ſemper prædicant, proponunt cæteris, & nonnunquã ſæpe præponunt: cæterùm de illo à quo bona cuncta procedunt, aut nulla, aut frigida mentio. Scilicet tua illectus uirtute & pulchritudine Deus, te tam honoratis condecorauit bonis. Vide igitur quid Dei filius pro ſua exorãda ſalute pollicea-tur. Vide, inquam, an cum noſtræ ætatis hominibus in morbo aliquo aut periculo conſtitutis conueniat. Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis. Totum enim bonorum conſilium in hoc uerſatur, ut non ſolùm ab ſeſe, ſed ab uniuerſi quoq; orbis hominibus colatur Deus, ſanctumq; eius nomen ac cultus celebretur, ametur, & ſi fieri poſſet, uel uſq; ad Antipodas apporteť. Fratres hîc uocat Chriſtus cohæredes ſuos, Dei ſcilicet filios per fidem, quos ab ſe edocendos aſſerit: ut uel hinc, ſi nõ aliunde, perdiſcamus, nullam poſſe eſſe in terris, neq; in cœlis etiam, plenam de cœleſti patre, aut de ſalute noſtra cognitionem, niſi unctio doceat, quæ Chriſtus eſt, rex noſter, ſapientia patris, & per quem acceſſum habemus ad Deum, ut ait Paulus: quanquã ſpeciali quodam modo fratres appellat apoſtolos, utpote quí unà cum ipſo in carne tanquam pronubi ſponſam fratri & præparauerunt, & ſanguine proprio ac morte tutati ſunt. Non ero, ait, ingratus, ſi me liberaueris. Nomen enim tuum (id ſcilicet quo omnes ut pater diligis, foues, amplecteris, ac paterno affectu ad te trahis) omnibus illis quos tu tibi, ut tui ſint, eligis, atq; ab æterno elegiſti, manifeſtabo, in medioq; Eccleſiæ, hoc eſt, in puris ſanctorum cõuentibus ac cœtibus te laudabo, ut meritò es laudandus. Innumera porrò cum ſint argumenta quę nos admonent, quàm flagranti corde atque ore ſimul laudandus ſit à nobis Deus, id unum tamen uidetur maximũ, cum animo recenſemus quàm benignus ſit, quámue ad miſerorũ calamitates & pius
D & facilis: non iam ut Dominus, ſed ut pater, & is quidẽ clementiſsimus, quí non tam citò ad gemebundas preces pauperum cõmouetur, quàm præparationem cordis eorum audit auris eius benigniſsima. Quid, oro, aliud eſt Euangelium, quàm Dei in miſeros bonitatis præconiũ ac promiſsio? Quo alio affectu Dei filium fuiſſe permotum dicimus, ut terras haſce noſtras miſerrimas inuiſeret, naturæq; noſtrę particeps fieret, niſi ut ad ſeſe miſeros, ęrumnoſos, atq; humana prorſus felicitate uacuos ac deſtitutos inuitaret traheretq;, & demum æternis ſuis donis ac diuitijs bearet? In medio igitur eius generis conuentu faciam, inquit, te, ô pater, celebrem, in omniumq; oculis & mirabilem & ſtupendum. Hunc uerſum citat Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, uolensq; cognationẽ quam ſponte aſſum pſit Dei filius cum homine oſtendere: Qui ſanctificat, ait, & qui ſanctificãtur, ex uno omnes: propter quam cauſam non confunditur, hoc eſt, nil eum pudet eos fratres uocare, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis.

Qui timetis Dominum, laudate eum, Vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum.

Ne fortè qui ſint iſti fratres Chriſti, etiamnum, tanquam parum ſuprà declarati ignoremus, aperit dicens, quòd hi uerè Dei hæredes cohæredesq; Chriſti, atqueadeo uera Eccleſia ſunt, qui timẽt Deum. Quo alio breuiori, &, ut ſic dicam, diuiniori apophthegmate, ſumma Chriſtianę profeſsionis exprimi potuit? Non hîc mihi elegantiſsimos quorundam mores, grauia inſtituta, plebis ue ſcita à grauiſsimis uiris ſancita, leges iuraq; obijcias, abſq; interiori ſpiritus diuiniq; timoris condimento ac pulchritudine: cum ea uera uereq; beata in terris dici crediúe debeat religio, ſeſe impollutum ſeruare, ut diuus ſcribit Iacobus, in hoc ſeculo, mundumq; habere cor atq; animũ: cuius quidem integritas & puritas in Dei timore maximè conſiſtit: cætera uerò umbræ ſomniũ. Carnem enim à nobis non requirit diuina maieſtas, ſed fidem, ſed dilectionem à corde, ut ſic dicam, meticuloſo, non arroganti & ſuperbo proficiſcentem. Cæterũ ſi rurſus interrogor, quí ſint iſti timentes Deum: rectè, ut arbitror, reſpondendũ erit, eos illos eſſe quos

in ſe-

A in ſequentibus ſemen Iacob appellat, ut ſubſequens hemiſtichiũ præcedentis ſit interpretatio. Vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum. O uos, inquit, qui fidem Iacob imitati diuinũ nomen inuocare didiciſtis, illi ſoli gloriã adſcribite, quæ eſt (ni in rebus difficillimis prorſus hallucinor) fides, qua eum ipſum ſolum eſſe credimus, qui nos à ſeculo hoc nequã abſq; noſtro merito liberat: ne dum plus nimio nobis de noſtra iuſtitia adblandientes aliquid ſomniemus, in quo citra Deũ gloriari debeamus, quaſi bona illa, quibus nos cœlitus donatos agnoſcimus, nobis noſtro ſtudio, cura, atq; in uirtutũ theatro exercitatione cõtigiſſe opinemur. Neceſſariũ utrunq;, & Deo omnem, & nobis nullam tribuere gloriam. Clamare quidem poſſumus, ac utcunq; appetere, quod nobis conducere arbitramur: liberari uerò, atq; quod cupimus, exorare, alterius eſt iuriſditionis: quamuis nec clamare quidem, aut optare, quod nobis utile ſit, idonei ſimus, niſi Deus, qui in nobis noſtrũ format uelle, moueat animũ ad ea deſideranda, quæ tanquam holocauſtomata illa antiqua, queant tota in Dei gloriam incendi: hoc eſt, quæ nihil omnino carnis, nihil mundi, nihil proprij amoris, & cõmodi ſapiant. Qui enim uitam ſuam omnẽ hoc modo inſtituunt, uerè Chriſti fratres ſunt, cæteri hoſtes. Notat hîc Eutymius, pro ſeniore Iacob Iudæos fideles intelligi, quorũ tribuum omnium Iacob progenitor extiterit: pro Iſraël uerò utranq; nationem. Nam qui eo modo quo ſanctos decet, Deum timet & cognoſcit, is, ſiue à Iudæis, ſiue à gentibus oriundus ſit, uerius forſan appellari poterit Iſraël, quàm priſcus ille uir, qui diuina uiſione dignatus, ex Iacob Iſraël à Deo nuncupatus eſt. Iſraël enim mentẽ Deum uidentẽ interpretantur. Ex qua quidem nominis mutatione cœlitus admonemur, neminẽ poſſe ad diuinam uiſionem contemplandam, tum hîc per ſpeculum in ænigmate, tum illic in cœleſti regno reuelata facie aſſurgere, niſi prius calcatis uitijs, ſupplantatoq; mundo, & peccato, immundis ſpiritibus impoſturam fecerit. Iacob enim ſupplantatorem interpretari poſſumus.

B

Quoniam non ſpreuit, neq; deſpexit deprecationem pauperis.

Secus Felix, & clarius: Quoniam non deſpexit, inquit, neq; abominatus eſt humilitatem afflicti: ut ſuperiori reſpondeat uerſui, quo precatus ſuam ſeruari humilitatem, rurſus Dei beneuolentiam erga apud mundum inglorios teſtatur: & eſt ac ſi dicat: Eia animum reſumite, ô qui rebus hiſce caducis infenſi eſtis, atque omnibus prorſus deſpicabiles. Nam à mundo contemptum, non uilipendit Deus: non pauperem, non pannoſum, non lepra affectum, non denique peccatorem aſpernatur. Sed neque extremam ob miſeriam, in qua ego à meis coniectus ſum,

Auertit faciem ſuam à mẽ.

Hoc eſt, non contemptim auertit faciem ſuã à me, uti ſolent uultuoſi quidam, ac alto gradientes ſupercilio, qui facilè abiectiſsimos quoſq; auerſantur. Vidiſti ne unquam expreſsius taxari quorundam hominum faſtum, atq; arrogantiam, & in his quoq;, qui in ipſo eccleſiæ centro deliteſcunt? Deus optime, quæ monſtra interdum in Dei uinea aluntur? ſtomacho plena ſunt ferè omnia. Sed de his alij. Cæterùm ſolent ſimplicioris qui ſunt ingenij (ut ſunt in omnibus propémodum ob iudicij tenuitatem dubij) quærere, quî fieri poteſt, ut qui ſuperius dixerat: Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: modò uerò aſſerat Deum non auertiſſe faciem ſuam, ſed exaudiuiſſe? Vtrunq; enim uerum eſſe ſcient, ſi prius, quod aliàs admonuimus, duas in Chriſto fuiſſe, quemadmodum naturas, ita & uoluntates, didicerint. Ea quippe hora, quando ſuas illas doloris notas deprompſit, querens ſe non exaudiendum, quamuis die noctuq; precaturus eſſet, ſibi uiſus eſt derelictus. Tota enim in eo natura humana in improborum manus tradita, neq; quopiã, qui opitularetur, apparente, mortem facilè oppetijt: quam tamen, quò ſe uerum hominẽ eſſe demonſtraret, ſumma animi anxietudine, nõ ſemel deprecatus eſt. Poſtea uerò deuicta morte rediuiuus è ſaxo, in quo fuerat tumulatus, egrediens, ſibi ſuisque immortalem adeptus eſt uitam. Impoſsibile nanq; erat uictorem mortis diutius à morte detineri. Hoc igitur modo exaudi-

C tus fuit, illo uerò minimè: cum tamen semper idem esset filius Dei, qui & filius hominis, eiusdem uoluntatis cum patre, utpote rerum omnium principium cum patre, atq; Deus, propterea idem.

Et cum clamauero ad eum exaudiuit me.

O uim castis pectoribus, ac summè in Deo sperantibus impressam. Vide quid de se pro nobis asserat Christus. Non benignissimus pater, ait, contemptim, uultuosèq; sese habuit, atq; idcirco se auertit à me: quin potius, cum clamarem, diligentissimè me audiuit, remq; meam exactissimè ponderauit. Atqui clamor in hoc loco, ut aliàs diximus, non tantum is est, qui ex afflicto pectore, aut diuexato corde enascens, ab ore expostulantis erumpit, quantũ affectus ille interior amoris comes in Deum, quem motus animæ eo magis oblectant, quo fuerint cœlestium rerum desiderio magis affecti, minusq; loquaces: quemadmodum huius rei in sanctissima Samuelis matre præcesserit typus. Quòd si & ore, & lingua, & ceteris huiuscemodi interiorum affectuum nunciis ac proditoribus, laudandus est Deus: cor tamen illud est, atq; animus, in quo uera laudandi Deum impressa est imago ac forma. Verùm uide grati animi recompensationem.

Apud te laus mea in ecclesia magna.

Felix: Ex te laus mea. hoc est, à te uenit, quòd ego te in ecclesia magna laudo: nam suprà pollicitus fuerat se in medio ecclesiæ laudaturum eum. Non displicet quod alius reddit interpres: De te laus mea in ecclesia ampla. id est, omnis mea laus, omnis cantio, omnis stylus, omnesq; lucubrationes meæ, de tua erga me bonitate erunt, apud omnes: non sanè quidem in angulis, locisq; obscuris & angustis, sed in ampla, ac uasta tua ecclesia. Vocat hîc gentium ecclesiam, uastam, & amplam, præ illa, quæ angusta proculdubio uidebatur, quando solummodo erat notus in Iudæa Deus, uerbumq; Domini preciosum, hoc est, inter paucos co-
D gnitum. Et uerè magna iam facta est Dei ecclesia, postquam uerissimè admodum illud per triuia quoque iactatur elogium, quòd quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Vnde exclamat Deus in Esaia: Ab ortu solis magnum est nomen meum in gentibus. Ecce Dei ecclesiæ amplitudo. Ecce cœlestis habitationis immensitas. Ecce diuinarum ædium uastitas ac prorogatio, quæ non tam quidem numero, aut multitudine & hominum & regionum censeri debet, quàm popagatione diuini uerbi: in quo sanè res tota salutis nostræ, ac summa, regnum scilicet Dei, mirabili delitescit artificio. Quocirca optimo erit opus artifice ad huiusmodi è cortice secernenda mysteria. Is enim spiritus est, quo quidem doctore inspirati patres olim loquuti sunt. Qui me, ait, dilucidauerit, inueniet uitam. Alioqui regna quotidie prophana Dei ecclesiæ addere, ædificia gemmea erigere, fana, uel in minutissimis uillulis & oppidulis, fabricare, hoc est, mundanarum rerum cumulo augeri ecclesiam, atq; hominum colluuione dilatari, permagna res est, & quæ facilè infideles prouocat, si non ad cultum, ad politiem saltem, ac munditiẽ morum. Verùm à furtis, à rapinis, ab adulteriis, incestibus, sacri legiis, ac quibus maximè atteruntur miserrimi ciues, usuris, simoniacisq; contractibus & uersuris non abstinere, si ecclesia Dei est, ego de ecclesia Dei esse nolo. Nam nihil in rebus humanis tam angustum esse duco, quàm uitiis illis inseruire, quæ mihi Deum adimunt, qui solus immensus est, solus uastus, solus amplissimus, cætera angusta & arcta. Amplus'ne tibi uidetur ille animus, qui auaritiæ intentus, nil nisi pecuniam cogitat? Illéne, qui toto anhelitu ad assequendum gradum aliquem excelsiorem suspirat? Quid ille, qui in fœdis uoluptatibus, uti sus sordida, uolutatus, Helenam totus, quicquid est, deperit? Nisi fortè magnum existimari debeat, ob calamistratum unius scorti uultum, totius Asiæ regnum olim excisum fuisse. Verùm ille excelsus, ille amplus, ille ad amplam ecclesiam pertinens est, qui derisis huius generis rerum fragmentis, totóue calcato orbe, qui ad æternæ uitæ immensitatem collatus angustissimus angulus est, imò nihil est, altissimis contemplationibus per atria illa cœlorum immensa spatiatur,

A tiatur, atque propterea nihil conditum magnum arbitratur.

Vota mea Domino reddam in conſpectu timentium eum.

Videtur id quaſi natura comparatum, hominumq; conſuetudini admodum familiare, ut quoties aliquid à Deo, quod nobis magnopere ſit cordi, poſtulamus, uiciſsim illi quædam polliceamur, quæ tantæ maieſtati grata forè ſperamus. Atqui præcipuam, & quæ magis placitura foret illi, promiſsionem eam in primis opinati ſunt patres, impenſéque obſeruarunt, qua homo ſe uoto adſtringit, Dei honorem, quantum in ſe eſt, tutari, eiúsque ſanctiſsimum nomen extollere, promulgare, ac pro eo dilatando mortem libentius obire, quàm uiuere cum Domini ſui iniuria & contumelia. Et quidem uota hæc erant, ac deſideria filij Dei. Hoc unum potiſsimum egit in terris, ut patris ſui nomen in omnes regiones propagaretur. Nónne illud fuit uotum ac promiſsio, quando ſuperius ſeſe adſtrinxit, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medioq; Eccleſiæ laudabo te? Sed, ne noua tibi afferri cogites, uide quo modo ferè ſemper in ſcripturis uota adduntur laudis ſacrificio, ne uerearis idem eſſe uotum ac Dei laudem. In me ſunt Deus, inquit, uota tua: reddam laudationes tibi. Rurſus illud: Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo, uota mea Domino reddam. Quid porrò illud? Pſalmũ dicam nomini tuo in ſeculum ſeculi, ut reddam uota mea de die in diem. Sexcenta alia per prophetarum libros conſperſa inuenies teſtimonia, quæ mortales omnes commodùm admonent, quàm in pollicitationibus, ac uotis Deo factis errent, ſi aut ea, quibus nihil emolumenti diuino honori ac nomini adijcitur, aut, quæ uires humanas ſuperant, pollicentur. Hæc ſtulta, illa ſuperſtitioſa: utraq; uerò à Dei religione & cultu abdicanda, ne ueritatis ſedem error occupet. Vota tamen illa, quæ quotidie uulgò fieri cernimus, uel in primis illa, quæ in clauſtris profitentur, inter ea
B cenſenda arbitror, quæ in diuinæ tandem laudis ac nominis honorem deſinunt: licet interdum hi, qui promittunt, promiſsis ſtare non uideantur. Senſus igitur erit: Vota mea, hoc eſt, laudem quam tibi debeo, in conſpectu timentium te perſoluam: reddamq; tibi tui ſanctiſsimi nominis indefeſſam, flagrantémue, quoad uixero, profeſsionem, quò tui honoris ſtudioſi, hi dico, qui te timent, ac uerentur, non ignorent ſeſe illum colere, qui meritò colendus ſit, atq; unicè timendus. Hîc uides, ni fallor, quæ ſit ea eccleſia, in cuius meditullio ſe Deum laudaturum ſuperiori uerſu promiſerat, timentium ſcilicet Deum cœtus & congregatio. Alioqui ubi omnia, contempto Deo, pro libidine aguntur: ubi ambitio, ubi ſimultas, ubi terrenarum rerum cupiditas dominantur: iuſtitia uerò, pudicitia, ac qua maximè oblectatur Deus, animi puritas, ſeruiunt, ibi nullus modus uitæ, nullusq; Chriſtianæ religionis, ne odor quidem eſſe poteſt.

Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum.

Quia enim omnis uirtus ſuum habet fructum & uoluptatem, in hoc loco Vates commodùm aperit, qui fructus, quæ uoluptas, qui effectus expectari debeant tum ab illis, qui Dei uerbum per diuerſas regiones deferunt, tum ab ijs, quibus huiuſmodi gratiſsima eſt merces, & qui cum audierint, cordis affectu excipiunt, ac, ut ait CHRISTVS, fructum afferunt in patientia: & hi quidem ſunt mundo plerunque inuiſi & odibiles, quó ſque cum hîc, tum aliàs propheta uocat pauperes. Et uerè pauperes ab Adæ filijs nuncupantur, cum rerum omnium, quæ carni ac mundo parere ſolent, amore exuti, ab eo ipſo tantummodo pendent, qui propterea carnem hanc noſtram miſeram induit in mundo, ut & ipſam carnem & mundum, hoc eſt, animas omnes illas, quæ carnis, mundique ipſius amantiores erant, ad ſeſe traheret, ſecúmque à dextris uirtutis Dei in excelſis beans, ſpiritales prorſus efficeret. Elegerat enim illas iam primùm ab æterno è mundo, ne cum mundo interirent. Interim uerò, Dei uerbo, quod eſt uerum animæ edulium, paſcentur: nedum quidem hoc, ſed & ſaturabuntur,

C abſque faſtidio tamen. At qui quæſo, edent? Edent pauperes, edent afflicti, deſpecti, inglorij: edent peccatores, publicani, lenones, meretrices, & id genus alij, qui morbo aliquo letali infecti, morbumq; ipſum non ignorantes, nihil aliud tam ardenter cupiunt, quàm à prætereunte IESV ſanari. Hi nempe, ut ait Vates, ſanctiſsimo Euangelij pabulo paſcentur, inebriabunturq; ab ubertate domus Dei: uituli ſcilicet illius ſaginati in Euangelio, pro recuperato filio adoleſcentulo à patre occiſi, pinguedine exaturati, non è ſiliquis amplius porcorum uentrem eum implebunt, qui, ob fidei candorem, eburneus in amatorijs canticis appellatur. Quo quidem ſaluberrimo cibo paſtæ animæ, in eundē ipſum cibum, contrario ordine cibi corporei, tranſmutantur: hoc eſt, adeò unum efficiuntur ui uerbi, amore ac deſiderio cum CHRISTO, ut nihil amplius uel cogitare, uel eloqui, uel agere libeat, quod non in ſui amati honorem cedere queat omnino: cum interim diuites dimittantur inanes: hoc eſt, de propriis uiribus, iuſtitiaq;, & religione præſumentes, atq; propterea ſe diuites exiſtimantes, gratia omni deſtituantur. Ecce, ait, ſeruí mei comedent, & uos eſurietis. Verùm ne in re alioqui per ſe aperta hæſites, cuiuſmodi ſcilicet cibus ille ſit, quem edere oporteat Dei pauperes, adijcit: Et laudabunt Dominū qui requirunt eum. Vide, te oro, quàm elegantiſsimo, & eo quidem mirabili, ac ſtupore pleno, utranq; rem claudat epilogo. Nam duobus propemodum uerbis, & qui ſint pauperes, hoc eſt, qui requirunt eum: & quo cibo ſeſe oblectari oporteat, id eſt, laudabunt Dominū, ediſſerit. Qui uerò fructus? quis finis illorum erit?

Et viuent corda eorum in ſeculum ſeculi.

Nam, non mortui laudabunt te Domine, ſed uiuentes, ſed qui corda habent uiua ac uegeta: hi ſcilicet, qui mundana omnia, quæ inferre ſolent mortem, faſtidiunt abominantur ue, ac in perpetuis gratiarum actionibus uiuentes, omnia
D bona Deo accepta referunt, totamque uitam ſuam illis ipſis ſtudijs, quibus maximè delectatur Deus, conſecrant, atque alijs diuinum laudandi nomen occaſio ſunt. Ne putes enim diuinarum gratiarum conceſsiones in tepidis pectoribus facilè prouenire, marceſſereque debere & occultari. Diuulgandæ enim ſunt, quò uita ipſa habeat, unde ſeſe continuis ſucceſsionib. in alios effundat, ſciantq; cæteri, idcirco uerbi Dei ſemen à cœleſti agricola ſpargi, ut coaleſcat uiuatque in æternum. Quod quidem fit, cum alter alteri uitam impartit. Cæterùm uitam appello doctrinam ſacram & Euangelium, in quo CHRISTVS ipſe, uita ſcilicet omnium, latet. Quid latet dico? omnibus, inquam, expoſitus eſt, magisque lucet, quàm ſol iſte uiſibilis orbi uniuerſo. Cernis modò, ni fallor, ad quantam nos felicitatem cœleſtis uerbi paſtio euehat ac perficiat. Sunt qui dicant hîc Vatem ſub eiuſmodi uerborum inuolucro de CHRISTI corpore ab altari percipiendo uoluiſſe dicere, obſcurè tamen, quia umbrarum illud erat tempus: modò uerò, decuſſo è cortice nucleo, ueritatis. cui & præluſiſſe donarium illud à rege populo datum aſſerunt, collyridam ſcilicet panis unam, aſſaturámque carnis bubulæ unam, & ſimilam frixam oleo, ſeu ut legunt Hebræi, uini ſextarium. Verùm literæ ſeries me, ut de eſu ſacræ doctrinæ, & intelligerem, & interpretarer, monuit, fultus tamen nonnullorum iudicio, & in primis Eutymij græci, qui in hoc loco ſic refert: Pauperes enim ſunt ueri omnes Chriſtiani: qui tamen ſpiritualem cibum Euangelicæ comedunt doctrinæ, qua uerè alitur, & augeſcit anima. Vtrunque enim ſenſum prophetæ ſpiritu dignum eſſe iudico, cum & hoc, & illud, unum atque idem, eiuſdemque efficaciæ ac dignitatis eſſe, ſanctos Dei uiros diſſeruiſſe uideo. Quòd ſi tamen inter ſeſe paululum differre uideantur, uult Ambroſius, doctrinæ cibum, carni, ac ſanguini filij Dei præſtare: quandoquidem aſſerit, ſceleratiorem rem eſſe Euangelium Dei contemnere, quàm eius filium ex altari proiectum pedibus conculcare. Sed eius generis ſententiæ obſtruſiores ſunt quàm quæ, niſi à perfectiſsimis uiris, intelligi ualeant.

Remi-

A *Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ: & adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium.*

Vis uno uerbo dicam, quid è paſtu eiuſcemodi ſaluberrimo ſecutum ſit? Hi enim, qui ex longa peccandi conſuetudine adeò in malis obdurauerant, ut prorſus omnem ſui conditoris memoriam è corde abiecerant, ui ignea uerbi Dei afflati, pedem actutùm referunt, ac deploratę uitę eiecto opprobrio, decuſſaq; omni ab anima rubigine, quæ funditus ígniculos illos homini cognitionis Dei inditos obliteraſſent, reminiſcuntur: hoc eſt, quę prius nouerant, reminiſcuntur: (prænotionem hîc Platonis non intelligo, cui uiſum eſt, animas antequam corporibus uniantur, omni ſcientia perfectas eſſe: ſed ob corporis hebetudinem tardiores factas obliuiſci penitus quę antea nouerant. Ex quo concludit uir alioquiſapientiſsimus, pueros non noua diſcere, ſed uetera reminiſci) ex qua quidem reminiſcentia, è doctrinę fidei auditu, per orbem uniuerſum excitatę, oboritur, ſeu magis reuiuiſcit lumen: quo illuceſcente, fit omnium finium terrę ad Deum conuerſio, ita ut iam adorent eum: uel, ut reddit Felix, genua flectant coram eo uniuerſę ſtirpes gentium. Et adorabunt eum, ut alio in pſalmo, omnes reges, omnes gentes ſeruient ei. Non illud porrò prætereundum, quod refert Eutymius, ex ui, ut ipſe ait, græci uerbi, poſſe elici ſenſum paſsiuæ ſignificationis in uerbo reminiſcentur: ita ut ſit ſententia (eius enim uerba referre libet) quòd digni efficiantur, quorum Deus reminiſcatur, tametſi eouſq; repulſi, ac neglecti fuiſſe uiderentur. Quid mirum igitur ſi noſtra etiam ætate cernimus à Deo uocari ea quæ non ſunt, tanquam ea quę ſunt? hoc eſt, eos qui ad uitæ regnum minimè pertinere uidentur, ut ſunt latrones, homicidæ, ſcorta, &, quod difficilius hucuſq; uiſum eſt, tum milites, tum militum duces, ad cognitionem ueritatis aſciſci, cum Deus illos ad memoriam, ut ſic dicam, reuocaſſe cenſetur? Saxa (credo) inanima, ſi eo
B modo illorum diuina reminiſceretur bonitas, quo perditorum hominum reminiſcitur, ad uitam, alioqui ipſis à natura negatã, reſipiſcerẽt, ac conditorem ſuum agnoſcerent, & adorarent. Hinc uides, ni prorſus hebes es, unde pietas noſtra ac religio ortum habet: unde, inquam, eſt, quòd nunc certatim per urbes, per oppida, per uicos etiam minimos, ad audiendum ſalutis uerbum concurritur. Recordatus eſt enim Dominus miſericordiæ ſuæ, ſicut olim locutus eſt ad patres noſtros, Abraham, & ſemini eius, qui CHRISTVS eſt, ut ait apoſtolus, per quod benedicendæ erant omnes tribus terræ. Cauſa uerò?

Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.

Quia enim forſan in dubium uerti poterat, ac quæri, quorſum gentes, de quibus in ſuperioribus uates mentionem fecerat, dicens: Et conuertentur ad Dominum uniuerſæ familiæ gentium: euocandæ eſſent, ac dominico gregi inferendæ, addit: Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. Quod idem fermè à Paulo replicatur Romanis ſcribente: Num ſolummodo, ait, Iudæorum Deus? Imò & gentium. Nos ſtultos, qui hucuſq; putauimus cognitionis diuinę reliquias in fanis ſolummodo ac templis manufactis conquieſcere. Et licet quorundam uita aliena prorſus ab huiuſmodi uulgari opinione foret, tamẽ, quæ malè ſuaſæ ſanctitatis natura eſt, facilè à quauis boni ſpecie nobis imponi patimur, homines, ſi Deo placet, uafri, & prudentes. Fatendum eſt igitur, quòd quemadmodum Deus rerum eſt omnium & conditor, & Dominus: ita omnes omnium mundi climatum, ad ſeſe occultiſsimis afflatibus attrahere, ſiue fidelis, ſiue infidelis is ſit, qui trahitur. Non publicanus, non fur, non latro, non parricida, non mercator, nõ miles, non quicquid uſpiam gentium eſt, quod diuini caloris ſit capax, ſeu uir, ſeu mulier ſit, ſe excludi arbitretur, quin potius audeat, promptaq; fide perſuaſum habeat, Chriſtum nõ poſſe non reminiſci eorum, quorum gratia tam dira à ſuis perpeſſus eſt in terris. O feliciſsimum mortalium omnium euentum. Vide quid addit:

Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ.

C Verſus iſte ſubobſcurus eſt, idcirco uariè enarratur: quæ tamen uarietas in interpretandis ſacris libris, quam maximè, niſi fortè ad rem faciat, uitari debet. Videtur igitur hîc mihi Vates illud idem dicere, quod alio in pſalmo dicit: Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. ut ijdem planè ſint, & diuites plebis, & pingues terræ: hoc eſt, opulentiores, qui rerum affluentia laſciuire ſolent. Et qui cum, ſecundum euangelium, difficilius Dei ingrediantur regnũ, quàm acus foramen camelí: diuinæ tamen maieſtatis nomẽ affatim illuſtratur, ſi & ipſi cum pauperibus Chriſti ad ſaluberrimũ cibum hîc euangelij, illic poſtea apertæ deitatis admittantur. & eſt perinde ac ſi dicat: Quàm ex animo celebranda eſt Dei bonitas, quæ adeò ſeſe in omnium ſalutem uniuerſaliter, ac in omni loco & tempore diffundit, ut uel ipſi rerum domini, & potentiſsimi uiri, alioqui à menſa æternæ cœnæ propémodum excluſi, ad eſum agni aſciſcantur, illíq; flexis poplitibus, quod potiſsimum, externum licet, ueræ pietatis indicium eſt, ſuum erga Deum teſtentur animum. Neq; hoc ſolum. Audi rem dictu incredibilem. Ipſi etiam mortui, ſepulchroq; conditi, ſiue, ut legit hebræus, in puluerem deſcendentes, proni in faciem coram eo cadent: hoc eſt, eum, uel inuiti, adorabunt. Hunc enim ſenſum nónne tibi uidetur illi Seruatoris ſententiæ conuenire? Venit enim, inquit, hora, & nunc eſt, quando mortui audient uocem filij Dei, & qui audierint uiuent. At unde tantæ bonitatis copia? quia uitam propriam, inquit, non eſt dedignatus pro illis impendere. Nam quod nos legimus in principio ſequentis uerſus, Et anima mea illi uiuet: Hebræis præcedentis eſt finis, hoc modo: Coram ipſo adorabunt omnes deſcendentes in puluerem, quoniam animam ſuam non uiuificauit: uel, ut diuus reddit Hieronymus: Et anima eius non uiuet: hoc eſt, animam ſuam non uiuificabit, ſed pro ipſis eam tradet. Verùm quò ſimpliciorib us, atq; in uulgata æditione enutritis conſulatur, erit dicendum:

Et anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi.

D Filius Dei eſt qui loquitur: cui quidem è tumulo excitato, glorificatoq;, ac ad dexteram patris collocato, omnia iam genu flectunt: ſed & mortui ipſi, ſecundum tempus præfinitum à patre, è puluere experrecti, ſuam teſtabuntur reuerentiam & timorem: non quidem mortuo Deo, ut ſunt dij gentium, ſed uiuenti in ſecula. Et anima mea illi uiuet. quaſi dicat: Ego filius uiuẽs propter patrem, uiuo ipſi: hoc eſt, totam uitam meam illi tanquam maiori refero, ac totus, quicquid ſum, ad eius gloriam uiuo. Nam meam propriam in hoc mundo gloriam non quæro, ſed eius qui miſit me, patris. Hincq; ſemen meum mecum ipſi ſeruiet: hoc eſt, eo modo, quo ego illi ſeruio, ita filij mei euangelico ſemine concepti, nati, enutriti, deſeruient. Quod uerò fuerit Chriſti obſequium patri exhibitum, næ eius ſemen non es, ſi rem tam apertam ignoras. Neq; enim eſt, quòd noſtram contegamus ignorantiam. Apertior enim res eſt, quàm quæ uel à uetula ignorari queat. Exploratiſsimũ, inquam, iam factum eſt omnibus, quàm piam, quàm ſanctam, quàm puram, Chriſtus in hoc mundo uixerit uitam. Norunt & ipſi infideles, quantum obſequens fuerit patri, quantum patiens, quantum mundanarum rerum, & in primis gloriæ, contemptor: quantum ad referendũ par pari in iniurijs obliuioſus, in beneficijs uerò etiam irrequiſitus, propenſus. Quis rurſum tam barbarus uel ultra Sarmatas uiuens eſt, qui ignoret eius manſuetudinẽ? prudentiam? facilitatẽ? benignitatẽ? ac, qua maximè bonis omnibus gratus erat, comitatem? Nónne ille in furta, in adulteria, in occidiones, in libidines, in odia, in rapinas, & huiuſmodi alia inuectus, teſtabatur Dei iram in illos futurã, qui eius generis facinoribus irretiti, nihil antiquius in uita ducebãt, quàm cõtempto Deo, calcatiſue legibus, iure & æquitate, in ſceleribus uiuere? Quis porrò unquam à tyrannorũ metu, conſuetudineq;, & amicitia, tam liber fuit? Quem unquam uidimus cum tanto ſtomacho, phariſæorũ, ſcribarum, ſacerdotúmue, atq; huiuſmodi latrinarũ mores & uitam deteſtatum palàm eſſe? Omitto enim amorẽ illum immenſum in miſeros, in ægrotantes clementiam, in deſtitutos opem, in peccantes cõmiſerationem tantam, quantam nunquã exhibuit in filios mater. Iam clauos

illos

A illos atroces, quibus ignominioſo ligno pro te, ô homo, confixus fuit, ne patri non obediret, prætereo. Prætereo diutinos cruciatus, languores, tormenta, & ea quidem diriora, quàm quæ unquam, nec ab ipſis quidem immanibus expectari potuerint Cyclopibus. Atq; hæc ſanè omnia, quò patri ſuum probari poſſet obſequium, atq; ex animo famulatus. Quaſi enim per exceſſum illius faciem, qui ſe men Chriſti effici cupiat, deliniaui, quanquam imperfectè. Complura enim is ſibi, præter ea quæ à me dicta ſunt, deeſſe arbitrabitur: quæ ſanè omnia in Chriſti uita ac moribus, tanquam in uirtutum omnium archiuo, accumulatiſsimè apparent. Non enim fruſtra Deus, qui eo quidem propoſito homo factus eſt, ut homo homini abolitam naturę legem innouaret, rectéq; uiuendi formam traderet, nobiſcum in terris commoratus eſt. Tantum porrò abeſſe debet, ut uulgari mediocritate contenti, nunquam eò perueniendi nauemus operam, quô non aſcendiſſe, Chriſti uitam contempſiſſe indicium erit. Neq; illos profectò admodum laudare poſſum, qui cum à turbis ſemoti, uitam ſibi perfectiorem, quàm uulgò uiuitur, inſtituant: nihilo ſecius tamen (utinam non turpius) neq; altius ſeſe à terra eleuant, quàm qui propter rerum familiarium ſolicitudinem ac curam, humi depreſsi, uix interdum ſe Chriſtianos eſſe reminiſcuntur. Nos miſeros, qui tam inconſideratè, ſuperatis uaſti pelagi difficultatibus, in portu allidimur.

Annunciabitur Domino generatio Ventura: & annunciabunt cœli iuſtitiam eius populo, qui naſcetur, quem fecit Dominus.

Hîc abſq; dubio eccleſiæ Dei perpetuitatẽ uaticinatur Propheta. Nam quod ſuperiori uerſu cecinit, Et ſemen eius ſeruiet ei: credentium poſteritatem, quæ mortuo Domino in eius eccleſia ſucceſſura erat, prædixit: modò eandem ipſam aſſerit illam eſſe, quæ populus Dei à cunctis appellabitur, quę & æterna erit. Cęterum cœli dictio, neq; in Hebræo, neq; in Græco inuenitur: idcirco redundat.

B Neq; rurſus, quem, legendum eſſet: ſed quæ, aut quoniam, hoc modo: Semen ſeruiet ipſi: narrabitur, ſeu numerabitur Domino in generatione: uenient, & manifeſtabunt iuſtitiã eius populo genito, quoniã fecit: uel, quæ fecit Dominus. ut ſit ſenſus: Semen eius, hoc eſt, poſteri ſeruient Domino, atq; in ſpiritu & ueritate eum colentes, populus peculiaris, gensq; ſancta ac pura, illi cenſebuntur. Inſuper hæc de Domino, quæ dixi, ſcribentur, quò poſteri omnes intelligant, ut & ipſi ueniant, & filijs quoq; ſuis, qui ab illis naſcentur, annuncient Dei iuſtitiam. Sed quam iuſtitiam? quoniã ipſe fecit, omnia ſcilicet, quæ ad ſalutem hominum pertinent. Nihil enim nõ fecit benigniſsimus Dominus quò à peccati, atq; propterea mortis imperio electos, ſemen uidelicet Dei eximeret. Sine me, ait, omnem iuſtitiam exequi. hoc eſt, permitte me omnem morum rectitudinem, omnemq;, atq; eam quidem abſolutiſsimam bonitatis normam oſtendere. Sic enim Hebræi appellant iuſtitiam: quemadmodum Græci, qui eam diffiniunt eſſe uirtutem omnium ſummam. Quocirca neſcio an rectè iuſtitiam dicant eſſe quidam iuris ſeueritatem illam, quam opponere ſolent miſericordiæ. Iudiciũ id potius in ſcripturis, ni fallor, appellatur, quàm iuſtitia. Cæterum licet, ut dixi, neq; in codicibus Hebræis, neq; in Græcis, quod ſciam, cœli dictio habeatur: nõ uacare tamen à decore arbitror, cum eiuſmodi dictiones, ueluti gemmę, fortuitu quodam ornatu ſcripturæ interſeruntur. Quamobrem hîc putant, per cœlos, apoſtolos adumbrari, qui iuſtitiam Dei, hoc eſt, immenſam diuinæ bonitatis amplitudinem, qua Deus ipſe, non ſolùm & Deus, & pater nobis eſſe uoluit, ſed homo factus, & is omnium deſpectiſsimus, proprio cruore & morte, hominum genus infinitis errorum tricis illaqueatum, in libertatem filiorum Dei uendicauit, intrepidè diuulgauerunt. Hanc itaq; iuſtitiam diuinã, nõ humanam, non ſuperſtitionibus fœdam, prædicauerunt, continuoq; prædicant felicíſsimi cœli iſti. Cui, quæſo, prędicant? populo nimirum ex aqua & ſpiritu renato, & quem fecit Dominus: hoc eſt, quẽ ſibi cum doctrinæ, tum crucis ſemine progenuit, ut illud maximè ueriſsimũ ſit de electis elogium Oſeæ, qui ait: Filij facti ſunt Dei uiuentis.

Dominus regit mę, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi mę collocauit.

Felix prorſus Chriſtianorũ cõditio, ſi quemadmodũ crebrò, & hoc, & huius ſimile de Deo teſtimoniũ ore proferunt, ita perſuaſum animo haberẽt, ſibi nihil, quod ad ſuam, tum corporis, tum animæ, ſpectat ſalutẽ, deeſſe poſſe, Deo propitio, tutore, & duce. Haud raram quidem huiuſmodi translationem in ſcripturis eſſe inuenies, qua Deũ paſtorẽ, nos oues uocari legitur. Nec ſanè id abſq; altiſſimi cõſilio factũ ducimus. Nã ſicut nullũ aliud pecus tãta ęquè indigere cura & ſolicitudine cernimus, quãta ouis tenella, & quę minus ſeſe tutari, ſibiq; proſpicere ualeat: ita hominẽ animantiũ omniũ, ſi corpus ſpectas, miſerrimum, interire omnino neceſſe eſt, niſi illum benigniſsimus atq; idem peruigil paſtor Deus, continuò ducat, paſcatue, ac ad aquas, ut ait Propheta, refectionis minet. Hac igitur Dei cura ac prouidentia cum Dauid ſeſe indigere pernoſceret, atque adeò omnes Adæ poſteros ſecum, nõ tantùm per ſe ſolũ, quantũ uice omnium, qui in lætiſsimis eccleſiæ paſcuis uicturi erãt, gloriatur hoc modo: Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Felix ex hebræo ſic legit: Dominus paſtor meus, non deficiã. Quem alius ſecutus interpres, ſic reddit: Dominus paſtor meus, nõ egebo: neq; ultra primũ pſalmi uerſum protẽdi exiſtimãt. Quod & affirmat paraphraſtes: Dominus, inquit, paſcet me, quare nullius egere potero. Nónne tibi uideẽ hoc idem Paulũ dixiſſe in epiſt. quam Corint. ſcripſit? Omnia, inquit, poſſum in eo qui me cõfortat. Certè equidẽ cum ex longa rerũ experientia, tum ex ipſo acerrimo afflictionũ tumultu edocti, non ignorare poſſumus, quòd homo, cum ſe duci à Deo, atq; ab eius indeficiente gratiarũ fonte potari ſenſerit, durior quidẽ ſilice erit, ni benefactorẽ agnouerit: hoc eſt, ni eum ſupra omnia amauerit, reuerẽtiaq; ea, quæ filiũ decet, timuerit. Proinde cum eiuſmodi timore affectus fuerit, nihil ſibi deeſſe poſſe arbitrabitur, cum
D nõ ignoret à Dei ſpiritu promiſſum eſſe, quòd nil deeſt timẽtibus eum. Neq; hîc mihi metũ illum orbis uniuerſalem obijcias, quo tonitruis, fulgetris, ac terræmotibus, cuncta territat Deus: aut cum armatæ acies in cœlo dimicare, ſpectraq; nocturna, atq; alia terriculamenta apparere cernuntur. Nemo enim inter mortales tunc eſt, qui non timore cõmoueatur, atq; ob id uotis omnia, quę in mentem ueniunt, polliceatur. Propulſis tamen poſtea ab aëre nimbis, atq; à mare procellis: terriculamentis rurſum illis in ſomnium reſolutis, aut ab ægris corporibus ejecto morbo, aut non reddunt, aut ægrè reddunt, aut iam etiam in commodiorem ſibi uſum commutant, quæ promiſerant. De hoc enim illaudato metu, tantũ abeſt ut uel hic, uel unquam aliàs loquantur Dei interpretes, utpote qui in ſapientem quoq; uirũ cum cadere poſsit, eum tamẽ à recto rationis ſtatu, ac iudicio, nõ dimoueat. Timete, inquit, eum, qui poteſt animam mittere in gehennam ignis. Sed neq; de hoc genere timoris, hic locus, ut diffuſius pertractemus, requirit. Cęterum illud quod nos legimus: In loco paſcuæ ibi me collocauit, alia litera ſic habet: In conſeptis ſoli herbidi facit me accubare. Quaſi enim parum uiſum fuerat Prophetæ, Deum paſtorẽ, hominẽ uerò ouem nominaſſe, niſi & cõmoda ob paſtoris uigilantiam ouibus prouenientia, in translatione perſeuerãs, exprimeret. Quorũ quidem id unum potiſsimè neceſſariũ eſſe uidetur, ut nõ longè à paſcuis ſtabula collocẽtur, illis maximè in regionibus, ubi umbręraræ ſunt. Medio enim die, aiunt peritiores gregis, cum incrudeſcit æſtus, in umbrã deducẽdos eſſe greges, ne lac æſtu præreptũ nimium exiccetur. Quocirca ubi arborum adumbratio, in uaſtis præſertim ſolitudinibus, haberi nequit, id ſeptorũ, mapaliúmue uicinitate fit ſatis. Hîc primum igitur ſe iactat anima illa, quæ uerè nouit, uana omnia ſua eſſe ſtudia, uanum iter, uanum item laborem & ſudorem, niſi diuinæ prouidentiæ benignitate regatur: & clamat: In paſcuis amœniſsimis recubare me fecit Dominus: uel, ut legit Eutymius: In loco herbarum, in loco ubi erant optima paſcua, me collocauit. Summa itaq; ; Dominus uberrimum mihi pabulum præ-

ſtitit.

A ſtitit. Caueas uelim hîc, cum paſcua herbarũ audis, aut trifoliũ, aut gramen aliud, quo paſci debeat anima, imagineris. Eſt ſanè res altius perueſtiganda, nec à paſcuis opimis fidei ac ſacræ legis, auertenda mens eſt: ne corrupto, propter rerum corporearũ imaginationẽ, animo, intellectus alioqui perſpicax & acutus, à diuinarum rerũ contemplatione deturbetur, uiſcꝫ ea cœleſtis aduentitijs quibuſdam ſomnijs contenta, in conſiderandis rebus nihil immoretur. Cum enim animus, quẽ purgatiſsimũ eſſe uolumus, ad cõtemplanda cœleſtia ſe rapi ſenſerit à Deo, ac trahi, nihil agit, niſi euulſis quodammodo mundanarũ imaginationum, atcꝫ affectuum radicibus, liber ad illa perueſtigãda ſe totum dedat, ad quæ appetenda natura ſe natum intelligit. Humana quippe omnia, mortalium animo, cui uigor igneus eſt, ac cœleſtis origo, inferiora ſunt. Quare ſummus error eſt, in illis requiẽ quærere. Seruire enim debent, nõ imperare animo, quęcunꝫ cõdita ſunt.

Super aquam refectionis educauit mẽ.

Vide aliud gregis commodũ, aquarũ ſcilicet copiã: quod ſanè Dauid à puero didicit. Paſtor enim fuerat, ut penè cęteri omnes antiqui patres. Felix ſic legit: Super aquas requiei: hoc eſt, ubi defatigati libenter requieſcũt homines. Quod qui dem Seruatori noſtro contigiſſe legimus apud Samaritas. Et uerè refectionis aqua leniter fluens, ut reddit Paraphraſtes, eſt Dei ſpiritus: ad cuius ripas defatigatus cũ ſederit animus, mirũ in modum refocillatur, ac uires penè in cõflictu cum carne & mũdo attritas reaſſumit. Quas putas aquas illas eſſe Eſaiæ, niſi haſce, de quibus modò loquimur? Haurietis, inquit, aquas in gaudio de fontibus Seruatoris. Mirũ ſi cogites Vatem de aquis Siloë, aut Iordanis, ſermonẽ facere: quibus quidem uel à fundo ipſo ab aliquo epotatis, is rurſum ſitiet: illæ uerò, uel ſummis labijs deguſtatę, totam animã adeò in ſe tranſmutant, ut deinceps nunquã, ut ait Chriſtus, ſitire poſsit. Nimiũ, crede mihi, in cõtemplandis diuinis beneficijs tor-

B pidus es, ô tu, qui ad Dei obſequia ſpeciali quodam modo, & cultu te aſcitum uideri efflagitas, ſi nondum ſacras haſce undas à Chriſti ſpiritu emanantes ſenſiſti. Vide, obſecro, tuamꝫ tute ex animo rem perpende, quomodo ſcilicet propêmodum à publicanis & peccatoribus, in puritate uitę, anteuerteris. Quàm profectò mihi, ne de alijs dicã, uerendũ eſt, quàm pertimeſcendũ, ne ego quidem unà cum mea de meipſo, rebuſcꝫ meis opinione, proximũ, amaras aquas deſtitutus, uideã interim, neſcio quos, cum Domino meo, ſuper puteum Iacob conſidere. Verùm timendúmne mihi ſemper erit? num deſperãdum? minimè quidem, poſtquam

Animam meam conuertit.

A ſe enim auerſam, conuertit Dominus animam meam, alioqui uagam & errabundam: inſuperꝫ eam ipſam ſiti atcꝫ inedia periclitantem, ſui ſpiritus conſolatione refocillauit. Ad unum eam à multis, à perturbationibus ad quietem, à rebus conditis caducisꝫ, ac maiori celeritate labentibus, quàm ſi torrens rapidus, ad immortale, increatum, incommutabileꝫ bonum, adeò prorſus conuertit, ut planè mihi uidear, Dei dono, id breui, quatuor ſcilicet annorum ſpacio, quibus per ſolitudines uagatus ſum, aſſecutus, quod uix in tota uita mea, quãuis ad multos annos prorogata, in clauſtris uiuẽs ſperare unquam auſus fuiſſem. Ipſe, ipſe enim fuit, non mea uoluntas, non deſiderium, non ſtudium, non conatus, qui

Deduxit mẽ ſuper ſemitas iuſtitiæ.

Seu, per ſemitas iuſtitię, ut habetur ex hebræo. Hîc rurſus operæpreciũ erit, iuſtitiam, eam eſſe uniuerſalem uirtutem, quę cęteras omnes cõplectitur, diffinire: ſemitas uerò illius, alias particulares uirtutes, quæ, ut uerbis utar Eutymianis, ad illã uniuerſalem tendũt. Idcirco uates in hoc loco iuſtitię nomine, uitã per omnia legi Dei reſpõdentem intelligit. & eſt ſenſus: Deduxit me Dominus, hoc eſt, ita formauit atcꝫ inſtituit, ut totus omni bonitati ſtudens, nihil iam mihi ſapiat, aut gratum ſit, quod nõ à dignioribus huiuſcemodi iuſtitię partibus proficiſcat. Erraui equidẽ iam diu ſicut ouis ſine paſtore, aut inſtar infantis, qui amœnitate ripę fluminis illectus, dum incõſultò, quę eſt eius ętatis natura, ſeſe à matris tutela elon-

C gat,in aluei torrentẽ infelix proruit, ni mater natura in filiorũ periculis ſuſpicioſa,ſe à thalamo proripiẽs accurrat,puerumq; iamiam cadentẽ,ui,neſcio qua,celeri,è precipitio clamãs retrahat,ſed nõ abſq; iurgijs,minis interdum ac uerberibus.Illo ferè modo me in errorũ ſemitis ſpatiantẽ,nec finem quô ambitionis me traherẽt illecebræ conſiderantem,aut in cõſideratione illa prorſus cõniuentem, retraxit Deus,nõ abſq; tamen dolore & caſtigatione.Et hoc quidem propter nomen ſuum. hoc eſt, tam immenſum bonũ à ſpontanea illius bonitate, ac qua me ante mũdi conſtitutionem deamauit, charitate,originem habuit,ut ipſius ſolius nomini,nõ meo,ſit gloria: cuiq; ſolummodo maximæ, ut maximis in beneficijs ſolet,habendæ ſint gratiæ.

Nam ſi ambulauero in medio Vmbræ mortis,non timebo mala,quoniam tu mecum es.

Non hîc prætereundũ,quomodo anima quoq; ipſa,quibus ad Dei cõtemplationem pertingat,ſuos habeat gradus: quos quidẽ in ipſo ſtatim pſalmi exordio mihi uideor cõprehendiſſe. Simulac enim cœperit ſeſe totam diuino mancipare obſequio,ſacræ illicò doctrinæ undis uberrimis perfunditur,ac cœlitus refocillatur.Nam fides quidẽ ex auditu,auditus autẽ per uerbũ Dei:à quo ſanè mirabili, atqueadeo ſecretiori quodã modo educatur,pingueſcit, atq; ad cognoſcendũ uerum alitur.Porrò ex cognitione grãdiuſcula facta,amore ac deſiderio cõſequendi rem cognitã,inflãmatur:quo quidẽ adepto, à cognitione atq; amore cogniti, diſpoſitio quædã ac habitus ad frequentãdas iuſtitiæ ſemitas oritur: quas planè nuſquã eſſe nouit, niſi in Chriſto Ieſu incarnato, in quo rectè beateq; uiuẽdi totã ſummã cõſiſtere arbitratur.Ex quo nimirũ inſtituto fit,quòd ſi aliquãdo illi peccare cõtingat,nõ actutùm deſperet: quia iam alias, Deũ eſſe, qui de ſtercore erigat pauperes, experta eſt. Ad hæc, ſi reaſſumpto animo, poſtea ſe ſentit à Deo igniculis quibuſdã ardẽtioribus,à Hiericõtinis ueluti campis ad mõtem Dei O-

D reb ſuſtolli,nõ intumeſcit,non ſuas iactat uirtutes atq; operationes, ſed magis fatetur,clamatq; ſe ab alio ad uias iuſtitiæ,nõ ab ſeſe reductã eſſe, cum abſq; diuino præſidio nihil omnino ſit hominũ ad aſſequenda cœleſtia propoſitũ & conatus, quantumuis & rationem,& arbitrium, & bonã,ut uocant, uoluntatem in ſe eſſe noſcant.Nam ſi,ait, ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala. At unde tanta de ſe fiducia? Quoniam,inquit,tu mecum es.Idem fermè Hieremias: Dominus,ait,mecum eſt,quaſi bellator fortis. Vnde nõ immeritò Iob ille in tribulationum igne millies excoctus, quaſi belli conditiones Deo proponens,audacter petit:Pone me Domine,inquit,iuxta te,& cuiuſuis manus pugnet contra me.Paulò ſecus hunc uerſum ex hebræo legũt:Etiam cum ambulauero per uallẽ tenebroſam,nõ timebo malum.Idem Paraphraſtes : Etiam ſi eundũ mihi ſit, ait, per uallem tam opacam, ut umbra illius mihi mortem minitetur, nihil metuam. Vt hîc clarè perſpici liceat,nihil aliud per umbrã mortis prętendi,quàm horrendam mortis ſpeciem & imaginem:quæ uti infeſtiſsima quædam Alecto nos uſq; diuerberãs,in maximis periculis ob oculos aſsiduè uerſatur: quemadmodum in uinctis ob capitalia ſcelera uidere eſt,qui etiam antequã à lictore truncẽtur,centies in horam moriuntur.Et hunc quidem ſenſum Eutymio arriſiſſe uideo.Sic enim ille: Vmbra mortis labor ille eſt, qui in aliquo arduo inuenitur periculo: qui ob doloris ac deſperationis acerbitatem,quæ morti ſimilis eſt,umbra mortis appellatur.Porrò ne ſolùm hanc mentis ſtragem in malè affectis hominibus ineſſe credas,uide de ſe quid dicat apoſtolus: Supra modũ,ait,grauati ſumus,ſupra uirtutem,ita ut nos tæderet etiam uiuere:ſed ipſi in nobis ipſis reſpõſum mortis habuimus. Si fuero igitur in tenebris mortis,in caligine peccati, in tetra inferorum nocte,adhuc bene ſperabo,nec eo præſente quicquã mali timebo. Hæ ſunt profectò dotes illæ præcipuæ in regno fidei, quibus noſtris in actionibus ſperare, atq; in peccatis animum deſpondere dediſcimus. Cæterùm uiſum eſt alijs etiam umbrã mortis peccatum eſſe ad mortem:mortem uerò ipſam,æternã damnationem.Nam quemadmodum umbra corpus,ita peccatum mortem comitari ſolet. Hi enim qui peccato uiuunt, hoc eſt, qui Deo mortui ſunt, uiuentes in corpore,

nondum

A nondum, etſi uerè mortui ſint, ad mortem illam, ubi ſempiternus horror inhabitat, deſcenderunt: ſed adhuc in umbra ſtertunt, nondum umbra corpus attigit, nondum prorſus occubuere. Quo quidem periculo circumuentus ille arcp admonitus, qui licet ſepties in die cadat, ſpem tamen, uti ſacram anchorā, in naufragij periculo non deſerit, ſed adhuc in meticuloſo pectore ſcintillulas quaſdā fiducię palpitantes ſentiens, ut poteſt ſubmurmurat, dicens: Si ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Quoniam, inquam,

Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.

Hoc eſt, cura tua paſtoralis mihi ſummā animi ſecuritatē præſtitit: nam pedū legit Felix, pro baculo. Quem ſecutus Paraphraſtes, ſic reddidit: Pedū paſtorale tuum à metu liberabit me. Vnde fatetur Hieremias ſe imperturbatā egiſſe uitā, poſtquā ſecutus eſt Deum paſtorem. Plurimū enim ſecuritatis ciuium animis afferre ſolet princeps, qui magis paſtorem ſe exhibet & patrem, quàm Dominū & tyrannū. Tum ſanè ciuitas in utrancp (ut aiunt) dormit aurem, fit diues, fit cęteris formidabilis, expers factionū, religioni dedita, unanimis, promiſſorumcp obſeruantiſsima, ac pro tutando ſuo paſtore ſit ſponte ſua adeò munita, ut non admodum exteri deſiderādi ſint milites, qui pro focis atcp aris principis dimicēt. Contrà uerò nihil non tyranno à ſuis ciuibus eſt timendū. Nam cum aut rerum facultatibus, aut liberis, aut uxoribus quocp ipſis propriis expoliari ſe uident, ea interdum moliri animo coguntur, quæ ne hoſtis quidem crudeliſsimus, cogitare auderet, nedum agere. Verùm quia tanta iam inter homines peccandi ſuccreuit licentia, ut non ſemper paterno baculo aut pedo, ſed uirga, & ea quidem ferrea interdum & dura, in coërcenda quorundam temeritate opus ſit, hoc agendū à principe, quod hîc fatetur uates in mortales omnes agi à Deo. Qui quidē cum nos à prauo uitę itinere auocat, cum errātes ad reliquū gregem reducit, cum admonet, cum rogat quocp, ac quando opus eſt, percutit, uti uirga uidetur. Cum uerò im-

B becilles tolerat, atcp illis opem, ſufferētiamcp in tētationibus, ut poſsint ſuſtinere impartit, paſtorali eum baculo, ſeu pedo uti dicimus. Summa igitur: Tu peccantem me corrigis, laborantē uerò, ac ſub tentationū mole nutantem, toleras & ſuſtentas. Quid uultis, ait Paulus? In uirga ueniam ad uos? Vides hîc Paulū uirgam Corinth. minitantem? Quid illud? Filioli mei, quos iterum parturio, donec reformetur in uobis Chriſtus. Nónne hîc tibi uidetur Paulus, nō dico baculo amplius paſtorali, ſed materna quadam erga filios transformatione uti? Hic finis tandem eorū eſt, qui idcirco ad gubernandas animas aſciſcuntur (temeritas enim eſt ſeſe ingerere, & non uocatos accedere) ut amanter proſint, non ut crudeliter prę ſint, aut temerariè imperent. In hoc loco notat Eutymius dictionē illam qua nos legimus, conſolata ſunt, Græcis eſſe aduocauerūt. quod quia admodum conuenire, & uirgæ & baculo, uiſum eſt, libenter addidi. Nam propterea paſtorem uirga uti cernimus, non tantùm ut pigritantem gregem urgeat cogatcp, quantum ut aberrantem, in rectam auocet uiam. Quæ nimirum uirga in rebus animæ ab antiquis patribus diſciplina appellabatur: & quæ, ut ait Paulus, licet in præſenti uideatur non eſſe gaudij, ſed mœroris, pacatiſsimum tamen fructū poſtea exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Et hæc de uirga ac baculo. Cæterùm tu Domine

Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant mę.

Solet enim inter huius uitæ oblectamēta, illud in primis exiſtimari, quo lautis inter ſe cōuiuæ epulis, ad tripodas alter alterū, quod aiunt, prouocat. Hinc ſumptum aliqui autumant, tum hîc, tum aliàs in ſcripturis, mēſę uocabulo prę cipuas delectationes in animam cœlitus immiſſas ſignificari: cuiuſmodi ſunt igniculi illi ardentes, quibus ad mundanarū rerū neglectū accendimur, atcp ad appetenda cœleſtia inanimamur. Interim uerò ad alterius mēſæ, ſacræ ſcilicet legis cognitionem, ſupramundanæcp communionis participationem admittimur. De iis enim omnibus hîc loquitur uates. Quorū quidem lautitia exaturatæ animæ, hoſtibus humanæ naturæ ſolent eſſe terrori ac formidini: idcirco à ſpiritu dictum eſt: Aduerſus eos qui tribulant me. Itacp ſenſus erit: Adeò (inquit) me lauta dignatus es

C gratiarum tuarum menſa, utpote in cõſpectu tuo, ut uidentibus, rumpentibusq; ſeſe ac liuore contabeſcentibus inimicis meis, ſperem ad menſam illam tandem aſciſci, ad cuius delitias percipiendas, tam amanter tuos prouocas, dicens: Ecce trado uobis regnũ ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Adeóne intellectu tam hebeti uiuitur, ut putemus eſſe in hoc mũdo delitias, aut uoluptates cum illis comparandas, quibus anima afficitur in rerum diuinarum cognitione & guſtu? Quid cum cor deſideriis illis infinitis perueſtigandæ ueritatis exæſtuat, atq; in iam cognita conquieſcit? Quis indicibilem illam potis eſt exprimere ſuauitatem eorum qui dignè, ut tanta poſtulat maieſtas, uenerandũ Chriſti corpus è ſacerdotis manu percipiũt? Eliqueſceret, crede mihi, omnino anima, atq; amore inſaniret, ſi uel ſemel quidẽ ſerio & diligenter conſideraret, ad quantam promoueatur altitudinem, cum ab huiuſmodi ſacrarũ menſarum edulio, nõ ut merita eſt, abigitur, quin potius inuitatur, allicitur, ac, ut digna ſit, à cœleſti ſponſo ſecretioribus quibuſdam modis atq; afflatibus perpurgatur. Vide (ô genus armorum) diuinæ bonitatis in ſuos prouidentiam, atq; amorem tenerum. Nam cum neceſſariò cum hoſtibus confligendum ſit, non duras galeas, non triplici ex ære contextum thoracem, non enſem, non peltam, nobis parat, ſed delitioſam menſam ac conuiuium, &, quod pluris æſtimari debet, in conſpectu illo ſuo, quo uel à longè proſpecto, fugantur quãtumuis fortes hoſtium cunei. Neq; hoc ſatis quidem, ſed inſuper, quò nihil lautitiarum menſæ tam opimæ deſit,

Impinguaſti in oleo caput meum.

Haud hoc quidem omnino ab hiſtoria rerum antiquarum abhorret. Aiunt enim morem hunc apud Iudæos, & præſertim in Palæſtina, celebrem fuiſſe, quòd in conuiuijs maximè diuitum, unguenta, quibus ungerentur conuiuæ, adhibebantur. Quem ſanè morem non obſeruatum à Phariſæo illo euangelico, uidetur
D Dominus in ſuę cauſæ defenſionem aſſumpſiſſe, cum ait: Oleo caput meum non unxiſti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Quæ quidẽ conſuetudo, quemadmodum cæteræ illius gentis actiones ac ritus, adumbrabãt fore, quòd aliquãdo homines precioſiori, quàm ſit Cirthacũ, aut Megalium, perfunderentur balſamo: quod ſanè alio in pſalmo à Propheta oleũ exultationis & lætitiæ appellatur. Hic eſt ſpiritus Dei, qui cum mentem aliquam implet, mirum ſi in exteris rebus conſolationem ſumere appetat: cum nil omnino ſit in rebus conditis, quod tam animam exhilarare queat, quàm ſpiritus unctio ea, quę, ut ait Ioannes, docet omnem ueritatem. Senſus igitur: Tu, ô Domine, caput meum, mentem ſcilicet meã, illa tui ſanctiſsimi ſpiritus unctione ſaluberrima perfudiſti, impinguaſtiq;: cuius fragrantia atq; ſuauitate conſperſa, cętera iam mortalium omnium odoramenta faſtidit. Quare cum id conſidero, non poſſum (fateor) non ſupremum in modum in calamiſtratos noſtri huius æui mores excandeſcere. Adeò enim præpoſterè uiuitur, ut in ipſis quoq; mortuis (ſcio quos mortuos appello) huiuſce generis perfuſiones, quę uerius meretricię dici poſſunt, quàm Chriſtianę, locum habeant. Tinnitúmne capitis tam precioſo ſuffitu placare quæris? Quid cordis tremori è muſco atq; electro confectũ puluiſculum opponit mortuus? ſcilicet tua per ſe ſibi non ſatis nota eſt mollities, niſi prætextu languoris eam aliis etiam diuulges. Nullam certè amplius fumigationem, aut pigmentum huiuſmodi precioſitatis his, qui & habitu, & moribus, præ ſe ferunt uitæ obitum, uſui eſſe uult pater cœleſtis: ſed illa ſolummodo amat odoramenta, per quæ caro impalleſcat, ſpiritus uerò uegetus factus, de die in diem renouetur, ut ait Pualus.

Et calix meus inebrians, quàm præclarus eſt.

Paraphraſtes ſic: Et poculum meum ad ſummũ uſq; impleuiſti. quò intelligas uatem in translatione menſę lautioris manere: ob idq; cõſideres, ad quantam rerum cœleſtium affluentiam interdũ uocetur anima, cui de manu Dei ad ſummũ uſq; exundans propinetur poculũ. Porrò calix iſte ebrietas ſpiritus eſt, qua mens extra ſe poſita, attonita efficitur, oblitaq; penitus ſui tota in amatũ fertur. Ebrius enim

A enim, eo maximè tempore, quo prima nondum decocta egestione, ebulliunt uenæ, stupidus omnino redditur, gressibus titubat, eaq; quæ ob oculos uersantur, non audit, mutus planè fit, atq; ea demum, quę aut agit, aut cogitat, confusa sunt, ac stupiditatis plena. Ita se habet in corporeis, carnaliumq; hominum conuersatione & cõsuetudine, anima plenissimo spiritus cratere diluta. Cum enim cæteris uix sui compos uideatur, utpote hisce in rebus exteris planè inutilis, atq; omniũ sensuũ officio destituta, quę appareat, deridetur, à petulãtiúmue multitudine exibilatur, subsannaturq; : in honoribus præteritur, contumelijs afficitur, ac demũ toto suæ uitæ curriculo ac motu, omnibus innotescere efflagitat, nihil in terris aliud fuisse filij Dei uitam & crucem, quàm stultitiam, apud huius mundi præsertim sapientiores. Interim uerò (quæ gratissimarum mentium natura est) sentiens sese illius ebrietatis, de qua etiam per Hieremiã loquitur Deus, dicens, Inebriaui animam lassam: ardore occupatam, prorsusq; accensam, miratur quàm efficax sit calix istiusmodi, qui sic reddit corpus ad actiones inutile, se uerò agilem ad Dei opus operandum. Idcirco admirans ait intra se: Quàm præclarus calix iste est, q̃ exundans, quàm potens, quàm efficax, quàm diuinus, quàm superabundãs, cum ex eo quilibet sitis ardorem sedare ualeat. Cæterum calix iste, euangeliũ est, sancta cõmunio est. Nonne, ait Paulus, calix, quem cõmunicamus, participatio sanguinis Christi est? Nonne is est, qui animam prorsus ebriam, hoc est, terrenarum rerum omnium immemorem, sitibundam uerò diuinarum facit? Haud sanè mirum. Nam qui bibit, ait Dominus Iesus, meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quid, oro, præclarius audiri potest? quid nobilius? quid efficacius?

Et misericordia tua subsequatur mę omnibus diebus ϒitæ meæ.

Non possum non summopere, cum hæc lego, tum Dei immensam in electos benignitatem, tum eorundem ipsorũ dignitatem, & mirari, & uenerari, simulac
B ordine ab eo, quem in quotidianis hominum successibus fieri cernimus, diuerso, iustissimo tamen, & planè Dei spiritu digno, inter Deum & hominẽ iniri fœdera uideo. Lex enim quædam ac pactio, à primis iam rerum conditarum exordijs, hominũ cum fortuna, seu terrena felicitate, labili uidelicet & caduca, sancita fuit, ut illa fugeret, hi persequerentur, & frustra sępe. Nam ipsa aura uelocior omnem omnium cursum præuertit: ipsisq; insequẽtibus, cum se capi simulat, egregiè imponere consueuit. At secus sese habet diuina bonitas, &, ut ait Vates, misericordia, cum suo figmento. Illud enim (quæ est hominis conditio) tardi semper incessus ad meliora, non solùm non insequitur felicitatem illam ęternam, ad quam tamen insequendam conditum est, sed eam fuga auersatur. Illa contrà, suo fugitiuo sese ultrò obijcit, eum rogat, urgétue, ut se, uel rogantem saltem capere non grauetur. Siquidem ea Dei semper erga nos fuit bonitas, ut nõ tanto studio nos nobis, ut bene sit, quęramus, quanto ipse, ut nobis benefaciat, & quærit, & rogat: & illud quidem omnibus diebus uitæ nostræ.

Et ϒt inhabitem in domo Domini in longitudinę dierum.

Parum quippe esset ęrumnosam hanc uitam nostram in uirtutum exercitationibus attriuisse, nisi dierum longa & æterna mansione donaremur. Sensum porrò huius ultimi uersus sic cum superiori cõnectit Paraphrastes: Certò certius, ait, benignitas tua, & misericordia, comitabitur me per omnem uitam meam: quare tandem inhabitabo domum Domini diebus nunquam finiendis. Neq; hoc quidem inter mediocria Dei dona in electos collata connumerandum, quòd hi, qui semel ad ueritatis cognitionem sunt uocati: hoc est, per fidem in ouile dominicum introducti, firmi maneant: nec unquam, manu semel ad stiuam aratri admota, retrò aspiciant. Quòd si tamen propter supernam electionem illam, qua suos ante mundi constitutionem Deus ad æternam beatitudinem elegit, post multos à recto lapsus, remeandum erit: multò tamen beatius, atq; securius esse iudico, à iustitiæ semitis semel ostensis non declinare, quàm ad illas diu contemptas aliquando longo quasi postliminio reuerti.

PSALMVS DAVID XXIIII.

C *Domini eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in ea.*

Cum Deus olim Dauidi locum in mõte Moriah oraculo Prophetæ Gad demonſtraſſet, in quo templũ ſibi conſtrui uellet, preſenſit uir ſanctus, quanti Deus faceret populũ Iſraëlis, utpote qui inter illos ſedẽ ſibi peculiarem delegiſſet, in qua coleretur. Sed ea quidẽ futuri quoq; umbrã eſſe prenoſcẽs quippe quæ futuræ eccleſiæ, quæ uiuis è lapidibus ædificanda eſſet, ſtatum præmonſtrabant: miratur quomodo cũ Domini ſint, eiusq; imperio pareãt & terra, & terrena omnia, & homines quicunq; in terra uiuunt, populũ tamen, qui ſumus nos, tot inter orbis uniuerſi populos, in ſuũ peculiariter eligat, in cuius quodam ueluti meditullio colatur, ſuumq; ſanctum nomen die noctuq;, ut fit, celebretur: ſed & (quod magis Vatem attonitũ facit) præuidet non totũ populum iſtum dignum futurũ, qui in montẽ, non iam amplius Moriah, ſed montẽ æternũ, in quo uerè Deus habitat, aſcendat. Quis hîc cum Propheta nõ miretur, ac ſimul ſibi nõ timeat, conſideräs nõ omnes Iſraëlitas, ueros Iſraëlitas eſſe: non omnes Chriſtianos, ueros Chriſtianos eſſe: nõ omnes uocatos, ueros uocatos eſſe? Verius enim eſt, quàm quòd inficiari poſsimus, neq; locum ſanctũ, neq; progenitores, neq; inſtituta quamlibet iuſta, atq; à cœlo ipſo delapſa, reddere hominẽ dignum æterni montis ſublimitate, niſi aliquid ab ipſo requiras, quod non tantùm loci, patrum, legum, & rerũ ſimilium, quãtum eius ſit. Non ſunt, inquit Hieronymus, ſanctorum filij, qui tenent loca ſanctorũ. Scio, ait Propheta, quòd omnis terra, & quæcunq; ea continet, Domini ſunt: ipſe enim omnia illa cõdidit. Cum igitur omnes homines iure creationis ſint eius, miror quî non omnes ad eius ſanctũ montẽ, æternam ſcilicet patriam pertineant. Num omnes, quæſo? minimè quidẽ omniũ.

Quis igitur aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus,

D *& mundo corde.*

Quem dicemus igitur Dei regnum ingreſſurũ eſſe, atq; ibi in ęternũ habitaturum? num illũ, quia circũci um? num quia ſacris initiatum? num quia hac uel illa ueſte indutũ? nihil minus certè. Verùm is æternæ uitæ montẽ indubiè conſcendet, ibiq; ubi omnis abeſt quemadmodũ peccati, ita & miſerię cõtaminatio, hoc eſt, in loco ſanctiſsimo, in quem, ut ait quidam, nõ intrat pollutus, abſq; termino manebit, qui puris eſt manibus, ac corde candido. Sed penè, quod prius dicendũ erat, exciderat, quare paululũ illo, qui montem ſanctũ Domini petere iam cœperat, & cuius faciẽ deliniabamus, in itinere ſic relicto, ad omiſſa redeamus.

Quia ipſe ſuper maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit eum.

Alia litera: Fluminibus diſtinxit eum. Aedificia erecturi homines illud in primis curãt, ut in loco ſolido ac firmo fundamenta ponãt. Contrà autẽ Deus, quò omnipotentiſsimã eius uirtutẽ agnoſcas, qui tam immenſam orbis machinã, mari ac fluminibus ſuperſtruxit. Ait magnus Baſilius, ſolũ Dei imperiũ pro fundamento eſſe terræ: nõ aqua, aut aliud quippiã: uerùm per præſentẽ uerſum oſtendi, quiſnam ab initio mundi conditi aquarũ ſitus fuerit, quòd ſcilicet terræ aqua iniaceat, quaſiq; cuſtodiat & contineat, nec ab eius defluat ſuperficie. Diuus etiã Chryſoſtomus hoc ferè idem ſentit, aſſerens id propterea dici, quòd aquæ terræ ſubiaceant inſtar fundamenti. Non miror equidem antiquas philoſophorũ ſcholas in explicandis huiuſcemodi rerum difficultatibus hallucinatos eſſe, utpote quibus nondum tam obſtruſa rerum cõditarum natura innotuerat, remotis longè adhuc hominum ingeniis à luce illa, quæ nobis poſtea per aduentum Chriſti bonorum omnium erogatoris apparuit. Sed magis doleo, noſtros etiamnum è turbidis illis philoſophorum riuulis libentius, quàm à pellucido fonte epotari. Quicquid enim illi, de ſitu orbis, de aquarum origine, de uentorum ui & natura, de iride, de tẽpeſtatibus, ac ceteris eiuſmodi aëris alterationibus diſputant, merę fabulæ ſunt, ac nugamenta. Vide, te oro, quid Iob interroget Dominus: Vbi eras, ait, quando ponebam fundamẽta terræ? Indica mihi, ſi habes intelligentiam.

quaſi

A quaſi dicat illud quod in Eccleſiaſte legimus: Intellexi, inquit, quòd omniũ operum Dei nullã poſsit homo inuenire rationem eorũ, quæ fiunt ſub ſole: & quanto plus laborauerit ad quærendũ, tanto minus inueniet. At quomodo igitur, dicet aliquis, ſortita eſt fundamentũ tellus? Audi quid Dauid Deum alloquẽs ſentiat: Tu, inquit, fundaſti terram ſuper ſtabilitatẽ ſuam: non inclinabitur in ſeculũ ſeculi. Vis rurſum antiquiorẽ cœleſtis academiæ philoſophum? Is eſt, ait loquẽs de Deo, qui extendit aquilonem ſuper uacuũ, & appendit terram ſuper nihil. Et nos tamen, dijs, ut aiunt, inuitis, terræ aquas eo modo ſubſternimus, quo fundamenta cætera ædificijs ſubigi ſolent. Quis credat unquã terræ immobilis molem tam uaſtã ab aquis natura fluidis ſuſtentari? Labentia'ne perpetuo curſu flumina pro fundamento tam ſtabili machinæ terræ eſſe dicemus? Quàm ſatius enim eſſet optima ingenia in his pertractãdis occupari, quæ, ut ait Eccleſiaſtes, præcepit nobis Deus, nec in pluribus eius operibus curioſe nimiũ diſtorqueri. Simpliciter igitur fatendũ erit, terrã miro ſolíq; Deo noto artificio ſuper ſeſe fundatam, ac, ut acutiſsimus aſſerit Baſilius, pro fundamento Dei uoluntatem habere, atq; imperium: præterea nihil. Flumina porrò addit Vates ob id, quòd cuncta è terra flumina ebullire cernimus. Compertiſsimũ enim dicunt ſe habere antiqui autores, flumina longo ſub terra ferri interuallo, & tandẽ emergere: ut de Nilo Aegypti fluuio aſſerunt, qui cum in montibus inferioris Mauritaniæ nõ longè ab oceano, ſtagnante ibi lacu, quem Nilidem uocant, innaſcatur, condit ſe aliquot dierum itinere, rurſumq; erumpit alio lacu, maiori in Mauritania. Iterum uerò arenis receptus, per deſerta uiginti dierũ ſpatio ad proximos Aethiopes fertur, ac denuò in fontem, qui Niger dicitur, proſilit. Sic complura alia ſcaturire flumina cernuntur. Quapropter, ut dicere inceperamus, à Vate eſt dictum, quòd ſuper flumina præparauit eum: orbem ſcilicet diſtinxit, atq; miro fluuiorũ amniumq; perornauit decore. Itaq;, quem fatebimur in montem iſtum diuinum aſcenſurũ, ubi tam
B potens Dominus habitat, qui ex nihilo omnia condidit: modò uerò adeò ſeruat, ut ni ſeruaret, in pugnaciſsima ſtatim elementa, quibus compacta ſunt, dilaberentur, ac inſidens aquis orbis ſuffocaretur? Certè innocens manibus, & mundo corde. Vide hîc breuibus uirum undiquaq; perfectum deſcribi. Nam cui manus impollutæ ſunt, cor caſtum, ó ſue irreprehenſibile, ac purum, mirum ſi ei aliquid deſit, ad peragendum iter ad excelſum iſtum montem, quem altam iuſtitiã diuus appellat Auguſtinus. Cæterum uirum illum innocentem eſſe ducimus, qui in actionibus ſuis omnibus uitã abſq; prauitatis labe tranſigit. Mundum uerò corde eum, qui nullum in animo ſibi inſidere patitur affectum, qui mundus non ſit, ac Dei aſpectu dignus. Cor quidem purum ac mundum, in primis à nobis requirit Deus, quò unuſquiſq; ſuum uas poſsidere queat, ut ait Paulus, in ſanctificatione, & honore. Conſidera, ait Eutymius, quomodo utraq; pariter coniunxit, opera ſcilicet, & mentem: alterum enim ſine altero non probatur.

Qui non accepit in vano animam ſuam.

Hę quidem ſunt dotes illius, cuius operationes puræ ſunt, corq; impollutum, ac mundũ. Anima enim cum idcirco condita ſit, ut Deum intelligat, amet, uneretur, ac, dijs factitijs abiectis, colat: atq; interim ſeſe in uirtutũ exercitijs occupet cum corpore, quod illi propterea adiunctum eſt, quo uti debeat ueluti incude, ac malleo, ad fabricãda uirtutum ſimulachra: qui ſanè finis illius eſt, quoad uiuit in corpore: ab huiuſmodi porrò ſcopo declinans, ſuo fruſtratur fine, atq; corpori in uanum unita erit. Ea enim ſatis ſibi nota eſt, ſeq; haud fruſtra natam credit, quæ ſuam originem non ignorans, in contemplandis cœleſtibus, non uanis, & caducis, immoratur. Idcirco quî nõ dicam uirum illum fruſtra natum, in uanumq; accepiſſe animam, qui cum multa in baptiſmo, complura forſan in uotorum emiſsione pollicitus ſit, nihil tamen ſecius ſeſe habet in uita (utinam non deterius) quàm hi, qui nihil in regeneratione, nihil in uotis, nihil in religionis profeſsione promittunt? Habito enim ſemel Deo in deriſum & contemptũ, ea neceſſariò obueniũt, quorũ ueneno, & hoc quidem præſentaneo, nonnulli infecti,

C adeò extra probitatis limen peruagantur, ut meritò illos affirmare ualeas, in uanum natos esse, ac frustra uiuere. Et hæc secundum literæ nostræ sensum. Verùm ea, quæ est Hebræis, me admonet alium quoq; prætendi sensum. Sic illi reddunt: Qui non iurabit in uano animam meam, & non iurabit in fraude. Quò hinc aduertas, quàm non mediocris momenti sit illud decalogi præceptum, quo Deus suum sanctissimum nomen non assumi in uanum iubet. quod idem est cum hoc, quod hic legimus: cum nihil aliud sit iurare in uano animã Dei, uel per animam Dei, quàm deierare, ac falsum, per Deum, & per eius nominis inuocationem affirmare. Atq; hoc sanè modo, mutatio erit personæ: ut postquam à propheta fuit quæsitum: Ecquis ualidus foret, qui dominicum montem ascenderet? sibiq; ipse responderit: Innocens qui esset manibus, ac corde mundus, is nimirum ascenderet. Dei spiritus, ueluti nondum ad plenum axiomati satisfactũ, sic adiecit: Non solum illud, ô uates, sed qui animam meam, hoc est, meipsum, meumq; nomen in falsi assertione nõ interposuerit, is ad tam felicem ascensum idoneus erit. Verùm si magis arridet litera, qua asserunt non esse personæ mutationem, sed uatem totam rei diffinitionem, ut cœperat, exequi: tunc erit legendũ, animam suam, non meam. & erit sensus, eum Domini montem conscensurum, qui non iurauerit fasum per animam suam: quò intelligas, non solùm nefandũ esse ac sceleroſum, deierare per Deum, uerumetiam per animam propriam. Qui quidem sensus uisus est uerus etiam Chaldæo, qui sic legit: Qui non iurat falso ad obstringendam animam suam. Paraphrastes tamen superiorem sequutus, sic reddit: Qui non iurauit sine causa per animam meam. Non desunt quoq; quibus magis placet id, quod diuus legit Hieronymus: Qui non extulerit ad uanitatem animam suam: id est, qui nunquam in animũ induxerit, ut uana cum proximo suo loquatur, & in fraude nunquam iurauerit. Ideo à uate statim adijcitur:

D *Nec iurauit in dolo proximo suo.*

Proximo enim suo, rei magis explicandæ gratia additũ est: non est in hebræo, sed solùm hoc modo: Nec iurauit in fraude: seu, ut alius habet interpres: Qui nõ detraxit lingua sua. Etsi enim uaria, & illa quidẽ execranda sint oris peccata, hîc tamen uates periurij ac falsitatis tantùm meminit, eò quòd nihil ferè cæterorum adesse possit, si hoc uerè desit. Illud enim beneuolentiam & charitatem in proximum præ se fert, hæc odium. Cuius quidem ueneno infectum cor atq; animus, nihil non molitur, quò fratrem & mendacio, & fraude, & periurio, in ruinam aliquam, tum rei, tum famæ inijciat. Sensus igitur illorũ omnium uerborũ, quæ uariè, prout spiritus sanctus dat suis electis eloqui, sunt reddita, is erit: quòd ille, qui innocens suis in actionibus est, rursus qui candido uiuit animo, cordeq; syncero, atq; ore: hoc est, ille qui per omnia ad diuinam legem formatus fuerit, sancteq; uixerit, cœlestem montẽ, quę perfecta est iustitia, proculdubio apprehendet hîc in Ecclesia: in futurum uerò stabit, æternumq; manebit in loco sancto eius, quò neq; pollutus manibus, neq; animo impurus, neq; ore, aut periurus, aut bilinguis, aut obtrectator, licet cæteris exutus impedimentis, peruenire poterit. Ille igitur, ille, inquam, solus, qui irreprehensibilem uiuit uitam,

Accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo.

Imò potius per acceptã benedictionem ac misericordiam Dei montem hunc excelsum ascendet. Benedictio & misericordia in hoc loco, quemadmodũ sæpe aliàs, in Deo idem sunt, atq; idem significãt: cumulum scilicet donorum, quibus gratis cœlitus ditamur. Vir, ait Eutymius, probus in actionibus suis, in cogitationibus mundus, quiq; ab inanibus rebus seipsum segregauerit, & non peierauerit in fraudem proximi sui, hic accipiet benedictionem à Domino. Sed considerandum quid sibi uelit, accipiet. Id nempe, ne quis suo, ut aiunt, marte, parare sibi iustitiam putet. Omnia enim bona à Deo, quemadmodũ accipimus, ita & in Deũ illa omnia refundi oportet, utpote qui dat omnibus affluenter, & non improperat, ut diuus inquit Iacobus: nullis tamen nostris prouocatus meritis & actioni-

bus,

A bus, ne nos noſtra de nobis fallat opinio. Quòd ſi quid in bonis nobis diuinitus collatis conſiderandũ eſt, ac Deo, quicquid illud eſt, referendũ acceptum: errat omnino atq; à ſolidę iuſtitię orbita penitus deuiat homo, cum ſua, uel tantillum, aut amãs, aut in ipſarum rerum ſpiritualium ſupputatione connumerans, à Deo complura, à ſe quoq; aliqua accepiſſe fatetur. Quicquid enim ſibi arrogauerit, id totum diuino honori detractum putet. Felix tamen, loco miſericordiæ, iuſtitiam legit, hoc modo: Et iuſtitiam à Deo ſalutis ſuæ. hoc eſt, iuſtitiam accipiet à Deo autore ſalutis ſuæ. Sed in eundem recidit ſenſum. Iuſtitia enim illa fidei, in qua, ut inquit Oſæas, iuſtus uiuit, à Dei miſericordia originem habet. Nam niſi Deus ſuam cum miſeria noſtra commiſceret miſericordiam, non iuſtificaretur in conſpectu ſuo omnis uiuens.

Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.

Hoc tandem eſt, ait Propheta, genus illud hominũ, qui omiſsis cæteris curis, diuini uultus uiſionem feliciſsimè quærunt. Hoc, inquam, illud eſt, quod bonorum omnium illorum, quæ Deus Iacob fideli ſuo amico promiſit, erit particeps. Bona uerò Iacob cœlitus promiſſa habẽtur in libro Geneſis. Inter cætera autem illud potiſsimum eſt, quo ſeſe illi cuſtodem fore, quocunq; perrexiſſet, pollicitus eſt Deus. Senſus igitur erit: Illi, qui ſic uiuunt, ut dixi, meritò Dei generatio appellandi erunt, quæ in id tota incumbit, quomodo poſt tot rerum ſuperatis difficultatibus & laboribus, digna contemplandi diuinam faciem cenſeatur: quæ eſt perfectiſsima animarũ beatitudo & felicitas illa, ad quam andem adipiſcendã, die noctuq; ſuſpiramus. Verùm non me latet hîc quibuſdam placuiſſe, faciem Dei, eius filium eſſe. Siquidem per filium, omnis noſtra cognitio, quam de patre habemus, exoritur. Qui uidet, inquit, me, uidet & patrem meũ. Ablata enim cognitione Chriſti à mũdo, quid eſt quod intelligere poſsimus de Deo? Cæterùm
B Iacob ſæpenumero meminit uates, utpote qui fuit tribuum Iudæorum pater, ex quibus Chriſtus, à quo nos. Eſt'ne tandem aliquis inter nos, qui ad altiſsimas illas animi cõtemplatioues, quarũ lumine ac face, adeò penè in id perfectionis adducimur, ut in corpore etiam conſtituti, uultũ illum beatiſsimũ Dei, non iam per ſpeculum in ænigmate, ſed in propria, ut ſic per exceſſum dicam, forma intuentes, de gloria in gloriam tranſimus, ac transformamur: ab hiſce terrenarum ſordium contagionibus euocari cupiat? Iam primùm quid hîc admoneat uates, perpendat animo: Mundas ſcilicet ab omni peccati ſorde habeat manus, cor purũ, ſynceros affectus, non in Dei contumeliam periuret, talemq; ſe aliis exhibeat, qualem ſe ſibi Deum exhiberi efflagitat. Macula enim, uel minima quidem, in anima illa, quæ diuinæ luci abſq; medio aliquo coniungi expetit, minimè ineſſe oportet. Siquidem tam longo interuallo à diuinarum rerum ſpeculatione diſtamus, quàm uiciniori ſpatio uitijs inſeruimus. Quare ab omni uanitate, uilíq; occupatione ac turpi: à malitia, ab odio, ab anxia honorum cura, à fœdis cogitationibus, atq; impuris animi motibus, & aliis infinitis eius morbis, mentis acies abſtergenda erit. Alioqui cor prauis infectum cupiditatibus, præterquã quòd perpetuis laceratur morſibus, haud diuinæ uiſionis capax eſt, ſed omnium ſordium domicilium, & hoc miſerrimum, efficitur. Diapſalma hîc interſeritur non immeritò, ut eorum, quæ dicta ſunt, memoria refricetur: diuini ſcilicet honoris ſtudioſos, Deumq; ipſum, per fidem maximè ac dilectionem caſtiſsimis deſideriis inſignem quęrentes, eos ſolos uerè filios Iacob, hoc eſt, uerè fideles cenſeri. Nec certè gradibus aliis, quàm ſuperius à ſpiritu memoratis, mons fidei cõſcenditur, qui Chriſtus eſt, licet à compluribus corpore iam teneatur, & ut uerius dicam, iniuſto domino & poſſeſsione occupetur. Nam, ut ait Gregorius, non loca uel ordines, creatori noſtro nos proximos faciũt: ſed nos, aut merita bona ei cõiungunt, aut mala diſiungunt. Iam cuius potentiæ ille ſit ac uirtutis, qui à nobis manuum puritate, atq; animi candore, quærendus eſt, aperit uates.

Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.

C Quemadmodum enim non improbari ſolent à doctis, & litera, & ſenſus, quæ ſunt hebræis in hoc loco: ita & noſtra nõ diſplicẽt. Sed de illis prius diuus Hieronymus ex hebræo ſic legit: Attollite portæ capita ueſtra. Idẽ Felix, ac Paraphraſtes: Leuate, ait, ô portæ, capita ueſtra. hoc eſt, quicquid ô potentiæ in terris eſt. ô uos principes, ô qui regnũ uel ultra Aethiopes atq; Indos protenditis, huic regi noſtro potẽtiſsimo ueſtra reſerate clauſtra. id eſt, ſubmiſſo capite, curuoq; dorſo ac genu, illius ante pedes ueſtra proijcite diademata ac ſceptra. Hic ſolus adorandus eſt, non uos, quia ſolus potens: cæteri uerò bulla, atq; umbræ umbra. Pateant, inquã, fores triumphanti regi huic noſtro, mortis, inferorumq; domitori, qui rex glorię dicitur, cœleſtiumq; agminũ dux & imperator. Hæc fermè illi. Cæteris uerò omnibus magis placuit interpretari de Chriſti deſcenſu ad inferos: ac rurſum repetito uerſu, ad admirandã eius in cœleſtẽ patriam aſcenſionẽ ſenſum referre. Volunt enim adhortationem angelorũ eſſe, illorum præſertim, qui filio Dei in terris obſequium præſtiterunt: uocemq; illorũ eſſe ad dæmones, quando ipſe ad liberandas antiquorũ patrum animas deſcendit, ut inquit Paulus, ad inferiores partes terræ. Reſerate, inquiunt, inferni clauſtra, iam ab ipſo æui exordio, quantum ad animarũ liberationem ſpectat, clauſa. Tollite ius iſtuc ueſtrũ ac poteſtatem ab his captiuis. Quid eſt in mora? Vos potius portæ à poſtibus eleuamini, euulſæq; à cardinibus, ad tanti regis ingreſſum reſeramini. Tum uerò ardẽtes indignatione dæmones reſpondere faciunt: Quis eſt iſte rex gloriæ, qui tam inſolitè, tam imperioſe, tam ſecurè, ad haſce umbrarum ſedes deſcendit? Quis tam audax unquam fuit? Ergóne ad unius ſolummodo regis iuſſionem noſtra æterna clauſtra, quæ ab æternis ſeculis tot tenẽt incluſos reges, reſerabũtur? Quibus angeli: Nõ eſt hic, ô dæmones, ut cæteri reges, infirmi ſcilicet, ac morti obnoxij: ſed fortis eſt, ualidus, ac mirabili quadã ui & uirtute potens, quia Deus. Hic ille rex, inclytus eſt, qui moriens, cum morte unà principem ueſtrũ alligauit, foras eiecit,
D uaſaq; diripuit, & in meliorẽ ſibi uſum accõmodauit. Ob quam ſanè uictoriam, maximam aſſecutus eſt gloriam, nõ tantùm pro ſe, qui ſemper, uel in medijs ipſis cruciatibus, Deus erat: quantum pro his omnibus, quos uos ſepultos iniquiſſimo iure detinetis. His porrò dictis, clauſæ ab ęterno panduntur portę: direptoq; inferorum regno, atq; ipſorum ſpirituum immundorum ferociæ impoſita lege ac frẹno, uictor, prædaq; hoſtili onuſtus, ad propria remeauit filius Dei.

Attollite portas, principes, veſtras.

Angeli hi ſunt Chriſtum in cœlum aſcendentem præcedentes, qui ad alios cœleſtes ſpiritus clamant, ut uiam Domino uenienti aperiant: qui nouo myſterio obſtupefacti, quærunt quid ſit. Tollite, inquiunt: quò regis ingreſſuri magnitudinem oſtendant. quaſi dicant: A poſtibus, ne quid retardet regis ingreſſum, portas amouete. Quin potius, ô uos portæ ab æterno ob primi Adæ peccatum clauſæ, nunc uerò in æternum, ob ſecundi gratiam, reſerandæ, aditum præbete, corruiteq; quamprimum. Ecce rex ille, qui nuper abiectiſsimus omnium, ſedens ſuper aſinam, ingreſſus eſt Hieruſalem: nunc autem inimicorum trophæis ac ſpolijs potentiſsimus, eò remigrat, unde nunquam diſceſsit: hoc eſt, ad beatam gloriam, quam ipſe ſuis propris manibus formauit, & cuius rex ipſe eſt & Dominus. Vox cœlorum aditus cuſtodum admirantium, ſtupentiumq: Quî fit, ut homo carne indutus tam glorioſus appareat?

Quis eſt iſte (aiunt) rex gloriæ? Reſponſio: Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ.

Ipſe hic, quem ſcitis, unigenitus Dei patris, qui & Dominus uirtutum omniũ, ac poteſtatum cœleſtium, Deus eſt ſabaoth. Atq; his ultrà citraq; à ſanctis illis animis habitis, introductus eſt homo ille in conſpectu Dei patris, quem uates in ſuperioribus graphicè admodũ effigiauit, innocentem ſcilicet manibus ac mundo corde. Quæ quidem partes etſi perfectiſsimi cuiuſq; uiri eſſe uideantur, Chriſto tamen ſolummodo uerè conueniunt: quanquam & nobis quidem, qui unà cum illo, unum per fidem atq; amorem, iam facti ſumus.

Pſalmus

A PSALMVS DAVID XXV.

AD te Domine leuaui animam meam.

Optimè quidē precationis formam ab hac oda ſumere poteſt unuſquiſq; qui ſe grauiſsimo peccatorū onere incuruari ſentiens, orat à periculo, atqueadeo à ui hoſtium animā ſuam eximi. Felix profectò res magis ſpiritus uideretur in terris, ſi hi, quorum inſtitutū uidetur eſſe, ut ſpretis ſeculi negocijs omnibus, quamuis humano uſui neceſſarijs, cognito periculo, req; ſua optimè perſpecta, nihil ſibi antiquius, cæterisq; utilius iudicarēt, quàm ſummo cordis ſilentio, atq; animi pace, Deū ſolummodo lachrymis, ac quibus maximè commouetur diuina maieſtas, ſuſpirijs adirent. Felix princeps, felix ciuis, felix item reſpublica illa, quæ unanimis cum ſuis magiſtratibus publica negocia pertractans, cor prius Deo, quàm animum publicis rebus, impenderet: ipſum orans, ne ſe, ne principem ſuum, ne ciues, ne uiduas, ne pauperes ciuitatis deſereret, imò potius animum illum omnibus impartiret, qui ueram pietatem magis, uniuerſalisq; commodi deſiderium præ ſe ferret, quàm ingenij acrimoniam in re familiari dilatanda, ac, quod acerbius eſt, in excogitandis nouis artibus deglubendi ciues, quò uel ſua, uel ſui principis habendi ardor reſtinguatur. Sed his parumper non ab re defletis, orationem uideamus: quæ quidem ut non multa indiget interpretatione, cum ſit per ſe admodum perſpicua: ita nō deſunt ardentia ſancti ſpiritus iacula, quibus tota interſperſa eſt. Leuaui, more hebræo, pro leuo eſt dictum: ſeu, ut habet Felix, leuabo. Vnde Paraphraſtes: Ad te, inquit, animā meam erigam. & eſt ſenſus: Ad te Domine cor meum ab his corporeis, quibus miſerandum in modum opprimitur, erigo, ut te, mea in hac ærumna & tribulatione, orem. Iam in poſterum terrena omnia cōtemno, atq; in te ſolo mentis meæ pacem, tranquillitatémue, ac animæ affectus omnes repono: cætera enim mihi
B faſtidio ſunt. Vides à quo initio auſpicāda ſit oratio, quæ fit Deo? Alioqui deterior ſæpenumero à Dei conſpectu recedit anima, quàm cum ad ſupplicandum ingreſſa, ſecum aliud quàm nudum ignem, & ſe, & ſua omnia conſumentem, tulit. Vis'ne iudicem Deum flectere, ac ad tui commiſerationem inflammare? Arde tu prius, & ſic in ignis naturam transfuſus, ſublimia facilè atq; cœleſtia, quæ ſedes eſt ignis, apprehendes. Hoc ſanè modo ad Deū leuatur anima, haud ſecus.

Deus meus in te confido, non erubeſcam.

Deus meus, inquit, te ſolo nitor: cui ſemel, & me, & mea omnia, ſoli commiſi. Non deſunt quidem alia, & ea ſanè multa, quæ me lactent ſpe falſa, pollicitationibusq; inanibus: at ego meo periculo edoctus, ſpem meam in rebus nihili collocare dedidici. Quare, non pudefiam, obſecro, ſpe mea, quæ in te ſolo fixa eſt, fruſtratus. Non erubeſcam, non confundar eo modo, quo ſolent hi, qui cum fauorem in ſua cauſa, à principe uel à iudice expectant, & non exorant, erubeſcunt illicò, habitaq; repulſa, diſcedunt confuſi. Ne igitur mihi id accidat, rogo,

Neque irrideant mę inimici mei.

Hoc nimirum eſt omnibus natura ingenitum, ut à petitione, quæ fit iudici in ſuæ cauſæ patrociniū, repulſi, erubeſcāt: & id maximè, ſi coram aduerſarijs illud accidit, qui interim, quaſi uictam habeant litem, inuicem gratulantur, muſſant, perſtrepunt, ac aduerſarium confuſum irrident. Petit igitur uir ſanctus, à ſpe illa, quam de Dei ope conceptam ſe in animo habere aſſerit, non cōfundi, fruſtrariq;.

Etenim vniuerſi, qui ſuſtinent te, ô Domine, non confundentur.

Aptius ut primo reſpondeat uerſui eſſet legendum, & ſic uertit Felix, non erubeſcāt. hoc eſt, hi omnes mecum, qui te, atqueadeo omnia abs te expectāt, & toti, quicquid ſunt, aut uiuunt, à tuo nutu pendent, non erubeſcant uicti, neq; à facie tua longè ſemoti, ab tuæ præſentiæ fauore reijciantur. Haud facilè quidē exprimi poſſet, quàm parum ſuij pſius ſit uir bonus, & quàm, ut ſic dicam, ęgrè ferat bona ſibi cœlitus præſtita, ni cæteri eadem illa & ſciant, & habeant. Etenim dile-

C ctionis & charitatis uis est, ut nunquam fermè quiescat, donec in quamplurimos effundatur. Dauid enim: quid aio Dauid? Christus ipse perpetuus huius odæ recitator, non cõtentus pro se orasse, addit & eos omnes, qui secũ spes omnes suas atq; opes in diuino subsidio collocauerunt. Cæterùm cum plura sint erubescentiæ genera, illud in primis detestandũ magis apparet, quo quis peccatis fœdioribus obstrictus, morbum, quo miser die noctuq;, ueluti ab erinny quadam secretiori discerpitur, medico detegere erubescit. Huic enim monitione ea, qua Iesus ille priscus Iudæorum imperator in peccante usus est, addendus est animus. Da gloriã, inquit, Deo, atq; confitere, & indica quid feceris. Sed & alterũ quoq; genus erat, quod optimã passionem appellant, sanctissimum illud quidem, atq; propterea expetendũ, quo homo de turpi actione confunditur & erubescit. Millies enim in diem magis eligeret mori, quàm diuinũ peccãdo fœdare aspectum: idcirco ad minimam quamuis memoriã turpis alicuius operationis, erubescentia suffunditur. Id uerò pessimum, cuius causa in impudentes tam acerbè inuehitur Hieremias, dicens: Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Vnde aptissimũ illud est elogium à Catone prolatum de iuuene è ganeo exeunte, sed rubore, uiso Catone, suffuso: Erubuit, ait senex, salua res est. Vide quàm breuiter Cato ab erubescentia in adolescente, quid in eo ipso grandiori facto sperandum esset argumentatur: ut uel hinc saltem erubescamus, ab hac optimi adolescentis parte, tam longè nostros abesse iuuenes, quibus nihil iam in medijs ipsis quoq; urbium triuijs impudẽtius cernitur, si tamen à bono ciue quicquam turpe in sua ciuitate siccis oculis cerni potest. Non uacat modò, neq; admodũ ad institutum nostrum facit, recensere quibus lenocinijs, quantaue mollitie ac indulgẽtia, alatur in patrijs ædibus filius, quanta gener, quanta nurus. A quibus sanè tenera ætas imbuta, seu magis prostituta, affabrè eruditur, quomodo extra domũ, in alienum honorem impudentissimè se habere debeat. Hîc, credo, stimulis acti quiD dam, & eo potissimũ quod uiderant, nedum quidem in honestioribus secularĩũ, ut uocant, ædibus, licenter peruagari impudentiam, sed & in sacratiores quoq; templorum sedes, ut est perfricata fronte meretrix, subrepere cœpisse: ne prorsus ab orbe tam augustum donum erubescentiæ eliminaretur, tentarunt, summóq; pontifici persuadere conati sunt, ut (quæ summa est eius sceptri autoritas) radicitus ab ecclesia Dei mẽdicitas euelleretur, utpote fomes quę sit enutriendi huiusmodi beluam. Quàm uerò uerum hoc sit, uideant alij. Nos ad odæ interpretationem reuertentes, id solum addere nõ grauabimur, pauperiem scilicet honestam uiro optimè instituto matrem esse: mendicitatem uerò, nouercam.

Confundantur omnes iniquè agentes superuacuè.

Hoc est quod dicere intendit uates: Qui sustinent te, non erubescant confusi: sed hi potius, qui sine causa (id significat superuacuè) me persequuntur. Vnde alia est hebræis litera: Pudefiant qui iniuria lacessunt immeritos. Quam sequutus Paraphrastes, sic reddit: Quotquot enim expectant auxilium abs te, non destituentur expectatione sua: frustrabũtur autẽ spe sua scelerati, qui sine causa me insectãtur. Alij enim casu quopiã, aut infortunio peccãt: alij propria infirmitate fracti: alij ignorãtia ac stupiditate obcæcati. Hi autẽ nullo alio prętextu, nisi sola malitia, atq; in rebus turpiter gestis oblectamento, & peccant, & immeritos lædunt. Tales igitur, à tuo conspectu, ueluti uilissimum proiectamentum, longè amoueantur, proijciantur q;. Tu uerò Domine, qui semper tuis fauere consuescis,

Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce mę.

Eandem enim dicit sententiam suo more uates, quò sui animi ardorem palàm faciat. Atqui hîc ualde est considerandum, quid est, quòd tam anxiè, repetita sententia, orat uates, sibi uias eius ostendi. In pugna enim spiritus cum carne & mundo, nihil periculosius censendũ, quàm à ueritatis uia abduci: nam ipsa nobiscum in bellico huiusmodi labore decertante, mirum si à falsis mũdi lenocinijs, atq; ab inconstantibus, suiq; dissimilibus doctrinis, à recta deducamur, & superemur.

Verùm

A Verùm quia in re tam periculoſa, nil tam periculo uicinum eſſe iudico, quàm nõ timere periculũ: propterea uir ſanctus, quanto poteſt animi ardore inſtat, oratq;, ut ſibi Deus, quò eundum ſit demonſtret, ne uel modicum quidem aberret. Siquidem uel tantillum à ueri itinere remoueri, maximus reputatur error ac ſcelus. Et quidem non omittendum, energiam hebræis eſſe non modicam in illa dictione, quam noſter interpres Edoce tranſtulit. Illi neſcio quid amplius habent. Significat enim ſi aliquem edoceri, ut rei illi quam didicit, aſſueſcat. Quare is ſenſus erit: Vias tuas, ô Domine, demonſtra mihi: ſed & in his oſtenſis fac me aſſuefieri, quaſiq; callum obducere, atque indureſcere. Vlterius

Deduc mẽ in ueritate tua, & doce mẽ: quia tu es Deus ſaluator meus.

Iam fuſius tractat uates, quod dicere cœperam: uias ſcilicet Domini media illa eſſe, per quæ inueniendæ ueritatis mons ſcanditur. Atque hîc non mediocriter increpanda eſſet illorum inſcitia, qui à proprio iudicio perſuaſi, nõnunquam eò procacitatis adiguntur, ut bonorum conſilio contempto, hæc ſecum: Egóne, quid faciendum mihi ſit, quid non, ignorem? Sancti uerò contrà, & hi quidem perfectiſsimi uiri, Deum orant, ut ſe iuſtitiæ ſemitas edoceat: hoc eſt, ipſam ueritatem, quod eſt ſpiritus Dei donum. Deduc me, ait, ne humano affectu, naturalibúsue cogitationibus ſeductus, alia pro aliis eligam, dicamq; bonum malum, malum bonũ. Hoc enim miſerabili modo ſe habet mortalium natura, quòd ſemper deteriora, & quæ maximè ſibi officiunt, eligat ex ſeſe: à ueritatis uerò ſpiritu edocta, atq; in iuſtitiæ ſemitas per Dei legem reuocata, inſuetoq; inſtructa ſpiritus motu, prudentiæ dono adeò abundanter ditatur, ut non, niſi ui maxima & carnis & ſenſuum, ei à recta aberrare amplius contingat. Summa igitur: Dirige me in ueritate tua: ſeu, ut legit Paraphraſtes, guberna me bona fide, ne rurſus à recto cadam: & ne deſiſtas me tuam iuſtitiã edocere. A quo enim alio expectan

B da mihi erit ſalus, atq; ab errorũ laqueis liberatio, niſi à te, qui es ſeruator meus? hoc eſt, non aliunde ſalutem liberationemq; ſpero & uolo, quàm à te, qui Deus es, & is quidem potentiſsimus omnium: quiq; magis appetis nobis miſericordiam impartiri, quàm nos aſſequi. Quare huiuſcemodi adductus rationibus, non deſpero: quin potius eo animo, quem tu mihi elargitus es,

Te ſuſtinui tota die.

Mos eſt ſcripturæ paſsim, pro expectare, uti ſuſtinere. unde hebræis eſt, Te expecto tota die: quod idem eſt, quod longo tempore. Ille uerò longo tẽpore expectare Dominũ dicitur, qui miſerendi tempus Deo nõ præſcribit, ſed patienti fert animo, ſi quid in Deo moræ uiderit, certus tamen non longè diuinũ abeſſe auxilium. Idcirco ſumma animi alacritate, medio quoq; in ipſo tribulationum feruore, atq; igne, clamat: Compertiſsimũ habeo, quòd eruis ſuſtinẽtes te Domine, cũ patientiaq; te expectantes. Atqui hanc haudquaquam paruipendendã eſſe arbitror partem in orante: ne ſcilicet longa, ut ſibi uidetur, defatigatus mora, ab inſtantia rogandi Deum deſiſtat. Delectatur enim ſummus pater quodammodo cum ſuis luctari, ut ſæpe cum nihil minus ſperes, te ſuperiorem faciat: rurſus te, eo potiſsimum tempore, deíci ſinat, quo tute tibi uideris uictoria potiri. Ex quo ſæpenumero fit, ut te ab oratione glacie frigidiorem nonnunquam ſurgere contingat. Verùm tu caue putes tum prorſus à Deo tuam negligi ſalutem, cum forſan te magis intuetur, & curat.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt.

Stimulos enim huiſmodi, à conſideratione propriæ infirmitatis extortos, hi ſentiunt, qui ſeriò ac iugiter, per mentis ecſtaſim ſeſe coram Deo ſiſtunt, cupientes nimirum, modisq; omnibus contendentes diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Ab una enim parte deſideriis illis, quibus creaturas omnes, ſiue quæ in terris, ſiue quę in cœlis ſunt, ſupergreſsi, extraq; humanã ſortem euecti, diuinæ ſolummodo inhæreſcere contemplationi dant operã. Ab alia uerò tarda hac mole corporis aggrauati, uelint nolint, propter uarias phantaſmatum incurſiones, atq; importu-

C nas, cogũtur ſæpenumero ab inſtituto retrocedere, ac ſubinde tum ſua, tum aliena incommoda, quæ à carnis contagione enata, altiſsimas animi contemplationes interturbare conſueſcunt, deflere & conqueri. Et quidem unde tanta interdum in oratione frigiditas, ac, ut ſic dicam, ieiunitas proueniat, ignorãtes, modò unam, modò aliam prætexunt cauſam: ut modò uates, qui ſuas res optimè reputans, huc tãdem deuenit, ut planè affirmaret, ab ſeſe nihil boni expectari poſſe: à Dei autem bonitate & miſericordia, omne bonum. quare clamat: Reminiſcere miſerationũ tuarum Domine: hoc eſt, tuam reuoca ad memoriã, clementiam, miſericordiam, bonitatem, quæ à ſeculo ſunt: id eſt, quæ tibi adeò ſemper natura agnatæ ſunt, ut idem tecum unum ſint, & credãtur, atq; eis quoq; ſuperioribus ſeculis erga tuos es uſus adeò benignè, ut meritò ab omnibus nuncuperis miſericors, & miſerator Dominus. Porrò miſerationem in Deo appellamus bonitatis eius effectus, iam quidem à principio rerum nobis euidẽtiſsimis ſignis atque argumẽtis oſtenſæ. Sed cum reminiſcentia & obliuio in incõmutabilem Deum nõ cadant, per tranſſumptionem tamen dicimus eum reminiſci, dum uocatus audit, parcit, ſuccurrit: qui alioqui cum non exaudit, obliuiſci dicitur. Vnde ſunt illi innumeri per ſcripturas queſtus eorum, qui non ſtatim ab anguſtijs erepti, clamãt, expoſtulantq; ſe à Deo deſertos, ac planè ſui cœleſtem patrem oblitum.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Non mirum ſanè eſſe debet, ſi primũ iuuentutis, ſeu, ut legit Felix, adoleſcentiæ peccata memorat uates. Huiuſmodi enim ætas quemadmodũ à carnis cupiditatibus facilius, quàm ætas durior ſuperatur: ita raros in ea inuenies, qui recti iudicij guſtum habeant: quippe qui omnia fermè ſua gerunt abſq; cõſilio ac prudentia: ſed affectibus raptantur magis, quàm ſapientia ratione'q; reguntur. Por-
D rò ignorantias in hebræo ſonat peccata illa, quæ à nobis iam pleniori æuo, propterea cõtemptu Dei ampliori, perſpectaq; iam ueritate, admittuntur. Quocirca ſic reddit Paraphraſtes: Peccatorũ quæ deſignaui adoleſcens, & delictorum quę ſubſecuta ſunt, ne memor ſis. Alius uerò ex hebræo legit: Scelera mea ne memineris. Quærit tamen Eutymius, cur oret uates pro eiuſmodi peccatis, & non pro cum ſcientia admiſsis. quia ſcilicet, inquit, quæ ignoranter committuntur, ſola oratione delentur: cætera uerò maiori indigent pœnitentia. Omnia igitur anteactæ uitæ peccata, atq; ignorantias ablue Domine, &

Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.

Idem fermè orat Neemias, dicens: Memẽto mei Deus meus in bonũ, & ne deleas miſerationes tuas à me. Senſus itaq;: Secundũ menſuram miſericordiæ tuæ, quæ quidem infinita eſt, memor ſis mei. Parce, inquam, ac ſubueni: ne dum uocatus nõ ſubuenis, miſeriæ meæ oblitus uidearis. Ait alio in pſalmo Dauid: Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Nunquam enim, quod ſciam, in ſcripturis ſancti Dei uiri, cum aliquid à Deo petunt, ſua oſtenta nt uulnera, ſudores, & id genus alia, quæ rerum ſpiritualium imperitiores, hora maximè illa, qua ab humanis euocãtur, infeſto dæmoni, ueluti Cerbero offam obijciunt: tanquã Deus noſtrarum abſtinentiarum, aut numerum, aut laborem, in primis à nobis, & non ſecundò exigat: fidem uerò, ac propenſam in bonũ uoluntatẽ, ſecũdò, & non primò. Periculoſiſsimũ ſanè genus eſt audaciæ cũ Deo paciſci hoc modo, ut ſuam ipſe, uelit nolit, noſtræ eximmenſitate ieiuniorũ pertritæ uitæ beatitudinem ex debito reddat: nos uerò interim animo ocioſi, & ſecuri, nuda opera ſolùm utcunq; porrigamus. Danda eſt igitur opera, ne qui primus fidei uirtutum omnium principi ſtatuendus eſt locus, is detur ancillis. Nec quia & crebrò, & turpiter peccauimus, deſpondendus eſt nobis animus. Nam

Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Adeò, inquit, bonus & rectus eſt Dominus, ut ipſos quoq; peccatores, in uiaq; iuſtitiæ claudicantes, edocere non dedignetur, quo illos pacto uiuere oporteat. Vide affectũ orantis. Solet enim poſtquam in ſe totus collectus diutius diuinam

conſiderauit

A conſiderauit miſericordiã, atq; ipſam ſerió implorans, tacitusq; in ea delectatus, iam demũ quicquid rogauerat, impetrauit, intra ſe admirabundus dicere: Quàm dulcis Dominus eſt, quàm rectus, quàm facilis, quàm indulgẽs. Auerſatúr ne peccatores? meretrícesne? latrones? parrícidas? Minimè quidem. Imò quoniã ſuauis eſt, ac affatim benignus, huiuſmodi hominum genus ſolet ſanctíſsima ſua in lege inſtruere: cõtra nimirũ noſtri temporis iuſtos, quibus ſummę eſt abominationi peccator. Num quia peccauit aliquis, abijciendus eſt? num deteſtandus? num publico ueluti edicto diffamatus, ab omnibus eſt uitãdus? Atqui, ut cęteris maximè horrori ſit, ſcabie aut lepra affectus quiſquam, num propterea etiam medico ipſi nauſeæ eſſe debet ac ſtomacho? Quòd enim peccãs quis, à uulgo natura leui nouarumq; rerum ſtudioſo, exibiletur, quantumq; in ſe eſt, uel cruci ipſi affigatur, non mirum ſanè eſſe debet. At ipſum principem, antiſtitemq; animarum uidere, abſq; rationis freno in miſerum illum, non tantùm mulcta illa, quæ grauioribus debetur erratis, quantum lingua, atq; amaro animo deſæuire, quis non admodum doleat? Facit hoc ſæpenumero imprudens animarũ ſuperior, ut ille qui peccauit, illius inſipientia atq; malitia diffamatus, deſperet, ac ſeſe à cæterorum conuictu, intolerabili pudore confuſus, cedensq; tempori, ac quorundã iniquitati, diſſocíet. Quid de illis dicendum, qui alienas turpitudines undiq; coëmẽtes, paſsim per regiones ac populos, ut ipſi aut ſecurius regnent, aut ſancti uulgò uideantur, diſſeminant? Ineptiſsimũ ſanè illud eſſet, uulneratum aliquem, uel ſuppuratione, aut putridiori uomica affectũ, publicè à medico oſtentari, & non potius emplaſtro admoto, atq; malagmate, ſtrictum inſtitis, in ſecretioribus ędium partibus locari. Iuſtum haudquaquam illum animarũ præſulem dixero, qui ſubiectorum culpas aut facilè detegit, aut detectas ad uenãdum ſibi iuſtitiæ nomen accommodat. Iuſtitia quidem ea non eſt, ſed ſummæ impietatis argumentum. Quos enim amat Deus, execratur homo? Amplectendi igitur hi ſunt, atq;, ut cõ-

B tinuò agit Deus, ad uiam iuſtitiæ reuocandi, dirigendíq;. Nam

Diriget manſuetos in iudicio, docebit mites uias ſuas.

Nunc dicit de quibus peccatoribus ſermonem fecerit, ne de quibuslibet peccatoribus dictum intelligas. Itaque de illis dictum puta, qui Dei uerbum, ſanctasq; cœlitus immiſſas inſpirationes in manſuetudine ſuſcipiunt, atq; auidius amplectuntur, quàm fame confectus cibum. Cum anima enim aſpera atq; elata: ſeu, ut eam appellat Solomon, maleuola, non habitat ſpiritus ſuauitas. Hos igitur diriget Dominus in iudicio, hoc eſt, ut recto iudicio atq; ordine, ſuam inſtituant uitam, admonet ac manuducit. qua quidem directione, neſcio an quicquam honoratius homini accidere ualeat. Mites, Felix reddit humiles: & eſt, ut ſuperius admonui, hîc uerbum, aſſueſco. ut ſit ſenſus: aſſuefaciet manſuetos uijs ſuis. Quibus uijs, quæſo?

Vniuerſæ uiæ Domini miſericordia & ueritas.

In omnibus enim Dei operibus mirandũ quendam in modum miſericordia ac ueritas apparẽt. Atqui propter miſericordiam dulcis dicitur, ſeu bonus: propter ueritatem, rectus. Miſericordiámne exhibet Deus? exhibet quidem idcirco, quia ſuauis, quia dulcis, quia bonus: hoc eſt, quia gratis exhibet. Veritatẽ uerò? quid ni, cum rectus ſit ac uerax? pollicitus eſt enim: quare ſeipſum negare minimè poteſt. At quid dicemus eſſe miſericordiam in Deo? nempe beneficium eius, nullo habito meritorũ reſpectu, gratuitò datum. Veritatẽ uerò quam appellabimus? promiſſorum eorum gratuitam quandã exhibitionem, quæ ex debito quodammodo attenduntur: quia Deus eſt qui promiſit, ac ſe nobis pollicitationibus obſtrinxit, non homo natura labilis, atq; in promiſsionibus parum cõſtans. Miſericordia igitur gratis promittit ac dat: Veritas uerò promiſsiones bona fide complet. Neſcio enim an alia letalior peſtis in cõuictu hominũ, atq; urbibus bene inſtitutis, & rebuſpub. accidere poſsit, quàm nullã in promiſsionib. ſeruari inter ciues conſtantiam ac fidem. Iucundiſsima porrò res eſt relatu, cum legimus, quàm

C arctè Deũ urgeat Iacob ab his, quæ ſibi pollicitus fuerat. Is enim cum fratrem timeret, ſic ſpe firma argumentatur: Tu, inquit, locutus es quòd benefaceres mihi, & dilatares ſemen meũ. Tu dixiſti mihi, reuertere in terrã tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciã tibi. Igitur me erue de manu fratris mei, quia ualde eum timeo. quaſi diceret, quę pollicitus es, negare nõ potes. Quocirca nõ abs re clamat Paulus, Chriſtum Ieſum miniſtrũ fuiſſe circunciſionis, propter ueritatem Dei, ad cõfirmandas promiſsiones patrũ, gẽtes uerò ſuper miſericordia honorare. Vide, te oro, num illud Chriſti, huic rei quã tractamus, cõueniat: Ego, inquit, ſum uia, ueritas, & uita. Via nimirũ per quam ſolummodo eundũ eſt, præterea nulla. Sed quæ uia, obſecro? Illa ſcilicet biceps, ueritatis ac uitæ. Vita autẽ, ſeu ſalus, per Dei miſericordiã, nobis, nullis noſtris inuitantibus meritis, datur. At ueritas Domini manet in ęternũ: quia ſine pœnitentia, ut inquit Paulus, ſunt dona Dei. Itaq; uniuerſæ uiæ Domini miſericordia & ueritas. Verùm nõ omnibus, ſed ſolummodo

Requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.

Et quidem hi ſunt, qui, ut ait Paulus, ſecundũ patiẽtiam boni operis, gloriam, honorem, & incorruptionẽ quærunt ſed & qui non ſunt ex cõtentione, acquieſcunt autẽ ueritati, & non credunt iniquitati. Hos enim Deus ſuo beatiſsimo lumine perfundens, non ſinit diu in tetra hac mũdi caligine & carcere, ſeu, ut uerius dicã, obſcura nocte oberrare: ſed illos inſtruit, dirigit, ac manuducit. Atqui quos modò antea manſuetos atq; humiles, ſeu mites appellauit, nunc eius teſtamentum ac teſtimonia, hoc eſt, diuinũ fœdus, ſanctam q; legem, ac Dei præcepta exquirentes nominat: ut planè perſpicuum ſit manſuetudinem eam, quæ Deo placet, non ocioſos hos noſtros eſſe mores, & elingues, ſed rem eſſe negocioſiſsimã, utpote quæ nulla difficultate, nulloue labore, atq; ærumna deterretur, quin diuinum teſtamẽtum & exquirat, & laudibus in cœlum uſq; efferat. Porrò teſtamen-
D tum in hoc loco, fœdus illud ſignificare arbitror, quo inter Deum & hominem conuenitur, ut ſicut ipſe Deus nos populum ſuum eſſe uoluit, agnouitq;, ac ſemper tutatus eſt: ita nos ipſum, noſtrum eſſe Deum uelimus, agnoſcamusq;, & ad ipſum noſtris in calamitatibus confugiamus. Sexcẽta ſunt in ſcripturis teſtimonia, fœdus iſtuc ſanctum & æternum teſtantia: ſed illud in primis: Ecce, inquit, dies uenient, & feriam domui Iſraël fœdus nouum, non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus ueſtris: ſed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël: Dabo legem meam in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Teſtimonia uerò dicit legem, quæ de Dei erga homines uoluntate teſtatur, quam euangelium ſancta appellat eccleſia. quod quidem, propterea quòd in eo ſolo, tanquam in proprio domicilio, ſedem ſibi Dei filius cum ſuo fœdere, cum teſtimonijs, uitæq; præceptis ac decretis, collocauit, toto animo hi amplectuntur, quibus ipſe omnium ſeruator factus eſt dulcis & rectus, per commiſerationem.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.

Mirum ſi hîc expectas animi excellentiam ac uirtutes, à ſancta uatis anima iactari. Propter, inquit, nomen tuum: propter ſcilicet teipſum, nõ propter me, bonumq; meum, quod nullum eſt, meo propitius eſto peccato: multũ eſt enim. Felix, non propitius eſto, legit ex hebræo: ſed tolles, ſeu portabis delictum meum, quoniam multum eſt. O uatis ſpiritũ. Senſerat uir Deo plenus tam grauem peccatorum ſarcinam humanæ imparem naturæ ac uirtuti fore: neq; unquam futurum hominem quamuis iuſtum & cœleſtem, qui eſſet ſoluendo, ac qui potis eſſet chirographo peccati, atqueadeo mortis, ſatisfacere, niſi ille ſolus, qui ut homo efficeretur Deus, ipſe homo factus eſt, portãs omnium noſtûm peccata. Vide hîc perfectiſsimorũ hominum morem, qui ſua ſemper maxima reputant delicta, cæterorum uerò leuia. Proinde inconſolabilibus ſæpe lamẽtis ac queſtibus, cœlum ipſum quodammodo adoriuntur, eiulantes, conquerentesq;, multum, immenſumq; ſuum eſſe peccatum: cõtra nimirum hypocritarum morem, quibus

nulla

A nulla Dei offenſa grauis uideri ſolet, niſi ea, quam ipſi quoq; infideles grauiſſimam, & iudicant, & puniunt: cum interim illi, qui rem altius cogitant, quibusq; magis perſpecta eſt Dei uoluntas, maximam ducunt impietatem, Deum ipſum, ut conuenit, non amare, non orare, non ſanctum eius nomen extollere. Quare alij, ut par eſt, ſua deplorent adulteria, homicidia, uſuras, rixas, miſerorú mue oppreſsiones, ac innumera alia, quæ cunctis uti execranda, ſic pœnis digna apparent. Ego interim mei frigidi pectoris deteſtabor torporem, malumq; ocium & ignauiam. Cur non fleam conſiderãs quantum mihi beneficiorum contulit Dei filij, & uita, & mors: at ego infelix, ne minimam illi quidem amoris ſaltem, ſi uulnerum, ac ſanguinis nequeo, ſeu potius nolo, partem rependo? Atqui impietatem, & illam quidem maximam quî non arbitrer, ſic ſtudijs, ſic curis, ſic affectibus, & actionibus denique meis omnibus, uitam non inſtituere, quò Dei nomen, ſanctum, cunctisq; mirabile ac ſalutare, per me uideatur? Peccatúmne illud grauiſsimum non erit, proximorum curam, & eorum maximè, qui re mea aliqua indigent, non habere? Pro his certè, ut ait uates, impietatibus, orabit ad te omnis ſanctus. Vide igitur quàm periculoſè noſtra ſæpenumero ſibi adblanditur ſanctimonia: & quàm rari ſunt, qui occultiorem animi immunditiam, prout conuenit, perſpectam habeant: cum ſola illa æſtimare uideãtur, quæ craſsiora ſunt peccata, & quæ manibus, ut aiunt, contrectari ſolent.

Quis eſt homo, qui timet Dominum? legem ſtatuit ei in via, quam elegit.

Exclamatio uehementiſsima illius eſt, qui bona conſiderans, quæ his ex mera Dei benignitate & miſericordia proueniunt, qui exquirunt teſtamẽtum eius, & teſtimonia eius (exquiri enim non poſſunt niſi à timẽtibus eum) exclamat: Quis nam uir ille eſt? quàm felix, quàm beatus eſt, qui timet Dominũ, atq; eius ſectatur uias. Cupis' ne, inquit, iſtius timorati felicitatem agnoſcere? Legem ei primũ,
B ne erret, ſtatuit Deus in uia, quam elegit. Solet enim diuina bonitas, illorũ uitã, quos ab æterno, ut ſui eſſent, elegit, adeò informare in hoc mũdo, atq; in uiam iuſtitiæ dirigere, ut nihil præ ſe ferre amplius poſsint, quàm quòd uerè ex Deo nati ſint, & quòd peccare ad mortem nequeant. Secreti enim ſemel ab incõmutabili illo ſpiritu, qui omnia quemadmodum creauit, ita & permeat, & fouet, adeò corrumpi nequeũt, quo minus ſemen illud Dei, quod in ſe habere ſanctos Dei uiros affirmat Ioan. aut retineãt conceptũ, aut abiectũ reuocent. Non quidẽ, mea ſententia, ſenſus is, ab illis quæ ſuperius dicta ſunt, abhorret. Docebit, inquit, mites uias ſuas. Ecce quomodo nulla noſtra eſt opera in delectu boni, niſi Deus nos doceat. Et dabo, inquit Dominus, leges meas in corde eorũ, & cognoſcent me. Verùm neq; illos abijciendos arbitror, qui hunc uerſum ita interpretantur, ut illud, In uia quã elegit, haud ad Deum, ſed ad animã referatur. Illi enim, quos ſuperius dixi uerba illa referre ad Deum, gratiæ diuinæ admodũ fauẽt, utpote quæ ad bonum nos ſemper moueat, informétue, ac placidiſsimo pertrahat nixu, atq; afflatu. Hi uerò arbitrio, quod uolũt ex ſeſe lumen, hoc eſt, uias iuſtitiæ ab Deo oblatas, natura poſſe eligere, ac uitã ſecundũ eas inſtituere, quibus tamen nunq; deſit gratia, quæ uias illas ab ſe oſtenſas, ab arbitrio delectas, & ſtatuat, & explanet. Quemadmodũ edulia abſq; ſale inſipida ſunt ac fatua, ita arbitriũ humanũ prorſus euanidũ redditur, ſi deſit gratia: tamen liberũ eſt, atq; eo quidẽ liberius, quo gratiæ magis unitum eſt, & ab ea adiutũ. Mirum quàm amplę ſint in Dei eccleſia de huiuſmodi Dei donis diſputationes: & quę uerior ſit opinio, adhuc ſub iudice lis eſt. Quantum uerò ad me attinet, qui parum forſan mihi conſtare uideor, cum in his meis frigidiuſculis cõmentarijs, nõnulla tum de gratia, tum de humano arbitrio aſſerere, ſeu potius tangere, prout pſalmorum ſeries me admonet, inuitor: propoſitũ illud eſt, ut quemadmodũ utriuſq; partis rationes mihi admodũ ſemper ueræ uiſæ ſunt, ita earum alteri me adeò non obſtringi, ut diffinire illud audeam, quod à doctioribus eccleſiæ uiris indiffinitum adhuc uideo. Cum enim uterq; eorum exercitus munitiſsimus ſit, atq; ad ſe defendendũ paratiſsimus, quis me uetat, modò huius, modò illius, tanquã liberum ſpectatorẽ mirari uirtutem?

C Quòd ſi tamen illorum alteri magis, quæ eſt ſpectatorũ natura, & cõditio, interdum fauere uideor, gratiæ pars ea eſt, ni fallor. quòd ſi error eſt, malo quidẽ cum fiducia illa, quam mihi gratiæ fauor conciliat, errare, quàm cum periculo nimiæ de me, meoq; arbitrio confidentiæ, partem alterã ſuperare. Verùm ut de arbitrio quæ dicere inceperamus, breuiter abſoluantur, ſic erit dicendum: quòd cum uariæ ſint inter mortales uiuendi rationes illæ, quæ ad aſſequendam beatitudinem inſtruere ualeant, unam ſibi unuſquiſq; eligere debet, poſtquã liberam habet uoluntatem, quæ ſibi magis cõmoda uidetur, ad illud quod quærit, adipiſcendum: quanquã, ſi rem exactius perpẽdamus, ex pulcherrima illa actionum uarietate, unum omnium conſilium, uitaq; una, & uniformis. Alij enim dant operam, ut in cõmuni ciuium cõuictu uiuentes, omnibus, per rerum ſuarũ, aut uirtutũ etiam in alios effuſionem, prę ſe ferant, hominẽ hominis cauſa natum eſſe. Alij anachoreticam, cœnobialem alij deligũt uitam. Aliquibus item actio, aliquibus ocium, & cõtemplatio magis placet. Alijs rurſum rationes aliæ uiuendi arridẽt potius, quæ tamen omnes ad Deum adipiſcendũ conducere poſſunt: modò quem ſemel ſibi unuſquiſq; elegit uitæ ſtatum, non in alium facilè cõmutet. Quæ ſanè admonitio ad illos in primis ſpectat, qui cum maiorem ſuæ ætatis partem in monaſterijs, etiam cum laude nõ mediocri attriuerint, ad alterius uitæ genus tranſeunt, cauſas neſcio quas prætexentes. In illo igitur perſtandũ eſt, quod deliberato animi proposito, atq; conſilio arripitur. Quòd ſi ad meliorem uitæ ſtatũ à nonnullis tranſfugitur, non hoc quidem improbandũ, uerùm illud uerendum, ne in rerum delectu fallantur. Quare quancunq; ſibi uiuendi rationem ac uiam elegerit ille qui timet Dominum, eam mordicus teneat: nam Deus illi fautor erit, ac præceptor: quanquã ne in mille quidem uitæ mutationibus cõmutationibusq;, nunquã diuina homini deerit bonitas: modò illius, qui cõmutat, pura ſit mens, Deoq; unita. A Deo enim nihil aliud expectari par eſt, quàm bonitas, ſuauitas, pax, uita.

D Ab hominibus autem non ita quamplurimis, qui quidem aliquando adeò difficiles ſunt, duri, atq; implacabiles in admittendis iterũ illis in eccleſię, ſiue religionis alicuius priuatæ ſinum ac gratiam, quos antea ab ſeſe iuſtiſsimis interdum rationibus permotos, defeciſſe norunt: ut nihilo ſecius agant, quàm mulieres illæ, quæ adulto iam puero mammas quidem admouẽt, ſed adeò amaris infectas ſuccis, ut magis eum à lacte deterreant, quàm prouocent. Chriſtianus is haudquaquam mos eſt, ſed Geticus potius: idcirco in eccleſia Dei non ſufferendus. Nam quos uult diuina bonitas, etiam mille uitiorũ nodis cõſtrictos, ſed reſipiſcentes, ſaluos eſſe, homo auerſari nõ debet, & faſtidire. Quid? quos euangelium Chriſti dignos uenia iudicat, atq; propterea ad ſeſe allicit, inuitat, admittit: admiſſosq; non ſecus, ac plerunq; diligentius, quàm cæteros confouet, nihilq; non agit tandem, ut illi ſe in ueros filios receptos eſſe ſentiant: priuatæ uerò quorundam leges ab ſeſe tanquam immundos ſues, aut canes abigent, atque id in primis curabunt, ut poſtquam admiſsi hi fuerint, nihil tam clarè uideant, quàm ſe ſpurios eſſe, membraq; prorſus inutilia? Cæterùm ſtatuere, ponere, dareq; legem, eſt in ſcripturis, legem docere. Vnde illud eſt: Legem pone mihi Domine uiam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper. quaſi diceret, te docente exquiram ſemper: non docente uerò, nunquam. Facilè enim in deligendo bono cæcutit homo, atq; hallucinatur: Deus autem, qui lux ea eſt, qua uel ipſæ res animæ perluſtrãtur, & in quo tenebræ ſunt nullæ, ut inquit Ioannes, uerax idem eſt, ſimplex, ac eiuſdem ſemper uoluntatis, quæ eſt, ut illuminet omnem hominem uenientem in hunc mundum: non hunc, aut illum, priuato quodam, ut ſolent homines, affectu. Nam illi cura æqua eſt de omnibus, ut inquit ille. Felix tamen ille erit, ac planè beatus, qui uniuerſalem eam lucem ultroneo conſenſu receperit: nam, ut cætera quæ illi obuenient bona omittam,

Anima eius in bonis demorabitur, & ſemen eius hæreditabit terram.

Vide hîc fructũ eorum, qui à Deo ſelecti, uiam iuſtitiæ apprehenderunt. Etſi enim Chaldæus interpres me admonet de bonis futuris in uita immortali hîc à Propheta

A propheta dici: ſic enim ille: Anima eius in bonis mundi uenturi demorabitur: tamen & de præſentis uitæ cõmodis intelligi quoq; poſſe iudico: quæ tamen commoda non tantũ ab agrorum, aut pecorũ numero, & fertilitate metiri ſoleo, quantum à cordis pace ac trãquillitate. Anima quippe illa, quæ die noctuq; diuina exquirit teſtimonia & legem, quomodo, etiam præſenti in hoc ſeculo, in bonis non demorabitur, atq; ei ad uota non ſuccedent omnia, cum quicquid cogitat, quicquid molitur, quicquid conſiliorum capit, id omne Dei honorem ſpectat? Quæ tam ſæua anguſtiarum procella ac uis, animam ſic optimè inſtitutam, in mala unquam conijcere erit potis? Si tormẽta, ſi cruciatus, ſi exilia, ſi carcerem, ſi crucem tandem adhibeat carnifex, in his ea perinde oblectamenta capiet, atq; ſolent alij, ob iucũdiſſimas oblatas uoluptates. Poſtea uerò ſoluta à corpore, in illis ipſis bonis demorabitur: hoc eſt, fixa, perſeueranter q; manebit, quæ nec oculus unquam uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderũt. Neq; id ſatis quidem, nam ſemen eius, hoc eſt, hi qui illius fidei feruorem imitati fuerint, unà cum ipſa, Dei erunt hæredes, cuius terra hæc eſt, & plenitudo eius. Cum enim ius rerum præcipuum in hæreditarijs bonis conſiſtat, idcirco ſcriptura, eiuſmodi nomen pro pleniſſimo dominio, præcipuoq; utendi iure ponere cõſueuit. & eſt ſenſus, quòd poſteri illius qui in bonis cõmorabitur, terræ domini erunt. Quid enim in terris eſt, quod uerè Deum timẽtibus ſubditum non ſit? Facti iam quippe ſunt unum cum Chriſto, quem pater hæredem conſtituit uniuerſorum, ut inquit Paulus. Ergo in eo, ut ipſe concludit, quòd omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei.

Firmamentum eſt Dominus timentibus eum, & teſtimonia ipſius vt manifeſtetur eis.

Felix ex Hebræo: Secretum Domini timentibus eum, & fœdus eius, ut faciat eos cognoſcere. Vtraq; enim litera admodum uatis ſpiritui quadrat, ac mirabili quadam harmonia ſuccinit. Vocat Dominũ his, qui eum timent, firmamentũ, & robur: quia in ipſo totius ſtabilitatis æternę ſita eſt poſſeſsio: nec quidem aliunde
B eſt expectanda, cum cætera, præter ipſum, nutantia ſint, ac planè ſui diſſimilia. Porrò ſecretum in anima id eſt, quod neq; caro, neq; ſanguis reuelare poteſt, ſed cœleſtis tantummodo pater. O ſtupendum Dei munus. Tantũ non dixit, ſe ſuos electos à ſecretis illis, etiam ſpiritibus angelicis ignotis, feciſſe. Me miſerũ, cui penè decrepito, atq; in uirtutũ exercitatione, per tot annos, uaſtis in eremis ac clauſtris, ſi non perfecto, ut decuerat, attrito tamen & defatigato, nondum ne ſcintillulam quidem tam feliciſsimi ſecreti experiri cõtigit. Quis raptus illos? quis ecſtaſim ad diuini amoris proficiſcentẽ ardore atq; ebrietate, in corpore poſitus exprimere tentabit? Quis connubiũ illud cœleſte, in quo patris maieſtas totũ nuptiarum locum, hoc eſt, humanũ cor implens, inæſtimabili cognitionis ſuę luce, tum ſponſam, tum ſponſæ familiã, id eſt, animam, atq; eius potentias, conſilia, motus, affectus, deſideriaq; omnia, & ſpeculationes perfundit? filius uerò ſponſus ſit, ſpiritus pronubus? Quis odoramenta illa? quis ſuffitus à cœleſtibus choris per amplum ſummi regis palatiũ experrectos, terreno corpore ueſtitus, uel ad plenũ olfaciet, uel ſi olfaciet, alijs enarrabit omnino, poſtq; mortale os immortalia non niſi ęgrè eloqui poteſt? Omitto ſecreta colloquia, quæ inter ſpõſum & ſponſam habita, cor hominis alioqui ſtupidũ, atq; ad cœleſtia perguſtanda frigidũ & iners, in ſpiritalem quendam, ſupra humanã ſortem immutant ſtatũ, ac planè exangue reddunt, tranſmutantúe in aliã naturã, quę aut ignis eſt, aut igni ſimilis. Et quidẽ ex hoc animę ſecreto cum ſuo ſponſo congreſſu, percutitur fœdus inter eos ęternum, quo illa diuinis quibuſdam nodis placidiſsimè irretita, hoc propè modo obſtringitur, ut nihil amplius uelit aut cogitare, aut agere, quod nõ ſit totũ ad ſponſi uoluntatem referendum: cuius bonitati ac miſericordię ſe totam conſecrat, ſe tradit, ſe quicquid eſt, in perpetuũ mancipiũ donat. Et ſic fœderis ſumma clauditur, ut Deus, pater ſit, homo filius: ille det, hic accipiat. Quam ob rem à propheta eſt additum & teſtamentum ipſius, ut manifeſtetur illis: uel, ut legit Felix: Et fœdus eius, ut faciat illos cognoſcere: hoc eſt, ut eorũ intellectui det notionẽ, ſciẽtiamq;, ac in contemplandis diuinis rebus aptitudinem. Igitur teſtamentum Dei, ſeu fœ-

C dus, ſeu lex appellanda ſit, propterea cœlitus nobis tributũ eſt, ut per illud à carnis depreſsione eleuati, ad ſpeculanda cœleſtia erigamur: atq; porrò cęteris, quę ſit Dei uoluntas, ſancta, beneplacens q;, ut ait Paulus, & perfecta, per nos diuulgetur: ſed his potiſsimùm qui in timore Domini uitam probam uiuere nauant operam. Alioqui tam excellentiſsimum diuinæ legis beneficiũ accepiſſe, cuius uiac ſtimulo, data eſt nobis ex filijs Adæ, filios Dei effici, facultas: & deinceps adeò brutorum more extra rationis limites uitam agere, hoc eſt, cunctis animi affectibus in uoluptatũ ſordes omnifariè proſtitui, hominis eſt in rebus ſuis parũ penſi habentis, ac de animorum æternitate idem cum Epicuro, Ariſtippoq; ſentientis. Verùm hi ut lubet, ego autem ſecus res meas computo. Nam

Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.

Mos eſt illis, qui in periculũ aliquod immenſum coniecti, mortem iam propè eſſe præſentiſcunt, ut eò & manus, & oculos, nedum animum, dirigant, unde ſalutem expectent. Quare id modò non ſine flagrãtis animi affectu, & nota, à uate canitur, utpote qui inſidiantis mundi artes, atq; hominũ ad lapſus procliuitatem optimè calleret. Non eſt enim cor tam ſublime, atq; in rebus diuinis exercitatũ, quod non admodũ ſibi timeret, ſi occultæ mundi tendiculæ corporeis oculis uideri poſſent. Quod quidem, ut arbitror, in cauſa fuit, quam ob rem moti ſancti Dei uiri, hanc noſtram ætatem alio tendicularum genere, à maximis approbato pontificibus (à cõcilijs non audeo dicere) ut ſint etiam in eccleſia laquei, quibus irretiantur uitiorum, ac dæmonum artes, & technæ, ſummis ſcilicet caſuum, ut appellant, conſcientię, mirum in modum onerauerunt. Paſsim enim tendiculę, paſsim laquei, paſsim muſcipulę, ac hamati funes, per eorum libros, tanquam per dumeta quædam aſperiora tenduntur: ſed tamen noſtra hæc omnia ſuperat malitia. Qui iam laquei tam prudenter ab illis tenſi, qui tam uarios in uſuris con-
D tractus, in matrimonijs, in mercimonijs, in uẽditionibus, in locationibus, & uerſuris, connectere ſint apti? Sciunt hi, quibus aliena audiendi ſcelera incumbit labor, quanta opus ſit animi uirtute, ingenio, ac doctrina, in explicandis peccatorum rationibus, ac ſecernendis leuioribus delictis, ab his, quæ capitalia appellamus. Aufer enim à mortalibus malitiam, & improbitatem, ceſſabunt & aucupes à ſuis illis laqueis in Eccleſia quodammodo ob ſcelerum cumulũ, atq; acumen, neceſſarijs. Verùm felicius id eſſet inuentum, ſi à doctis ſolummodo uiris tractaretur, ac laquei hi omnes ad impediendam uitiorum libertatem tenſi uiderẽtur, non ad cõſcientiarum candorem dehoneſtandũ. Vir tamen iuſtus, cui lex poſita eſt nulla, ut inquit Paulus, huiuſmodi laqueos, atq; hamos, ille ſus præterit: quia nulli obnoxius uitio, liber, quod non facit improborum hominum colluuies, à tendiculis graditur. Quod quidem conſiderans uates, ſimul q; nobis imbecillioribus inter tot hoſtium laqueos poſitis timens, atq; humanam prudentiam ad eorum rationem diſquirendam, periculum q; euitandum, imparem fore aduertens, oculos non tantum corporis, quantum mentis ad Deum attollens, clamat: Oculi mei ſemper ad Dominum. Cur ſic, quæſo? quoniam ipſe ſolus, non homo, non humanum ingenium, euellet de laqueo pedes meos: ſeu, ut legit Felix, educet ex rete pedes meos, affectus ſcilicet omnes animæ. Laquei porrò animæ, ac retia, ſunt terrenæ cupiditates, malæq; dæmonũ ſuggeſtiones: quæ, ne liberè per iuſtitiæ ſemitas iter habeat, eam inturbare ſatagunt. Ad hoc fermè idem ſuam gentẽ adhortabatur Hieremias, dicens: Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum. Atqui præcipuos in anima eſſe oculos aiunt cognitionẽ, & fidem: quarum alteram ab amore, alterã ab intellectu proficiſci aſſerunt: utranq; tamen cæcutire, tetram q; cõtrahere lippitudinem, cum terrena ſolummodo aut amantes, aut cogitãtes, illis ipſis rebus inſeruiũt, quibus dominari oportuerat. Cum itaq; res humanæ hoc ferè modo, quem dixi, ſeſe habeant,

Reſpicę in mę, & miſererę mei: quia vnicus & pauper ſum ego.

Solet enim aliquando cœleſtis pater, ut eſt continua in homines affectus bonitate,

A nitate eò crucis genere ſuos exercere, ut nõ ſolùm ab improbis eos acriter affligi ſinat, uerumetiam ab ipſis quoq; intimis amicis tum, cum minus opus eſt, deſeri. quod quidẽ in hoc loco ſibi obueniſſe cõqueritur uates, ac uatũ dominus. Proinde uniuerſalem eam eſſe animi deſperationem in nimiũ atrociter oppreſsis cerni mus, qui ſeſe ab omnium ſolatio atq; ope deſtitutos, facilè expoſtulant, non tam quidem amicorũ ſolitudinem attendentes, quàm perfractè nimis dolori ſuccumbentes. Clamat igitur hîc uates, ut uides, ne moleſtũ ſit in hac continua cum carne ac mundo pugna, uehementiam periculi conſiderare. Solitarius, inquit, ego ſum, ab omnibusq; deſertus, ac prorſus abiectus. Pauper ſum inſuper factus: hoc eſt, is factus ſum, qui, in quo confidã, habeam nihil. propterea in te ſolo mihi ſperandum erit, à quo uera exire ſolet, & bonitas, & erga afflictos cõmiſeratio. Cæterùm hæc omnia ingenio mihi pertractãti, feliciſsima illa mulier Heſter in mentem uenit, quæ in illis ſuis multiplicibus innodata anguſtijs, ſic Deum compellat: Adiuua me ſolitariam, & cuius, præter te, nullus alius eſt auxiliator.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſsitatibus meis eruę mę.

Reddit cauſam, atq; eam quidem commiſeratione dignam, quamobrem tanta cum animi anxietudine auxilium poſtulet. Non ſunt raræ, inquit, quæ me lacerant curæ: ſed multæ, multæ etiam anguſtiæ, quæ latè ſuper me ſeſe dilatauerunt. Sic enim Felix: Tribulationes cordis mei dilatatæ ſunt. Quem ſecutus Paphraſtes, ita reddit: Afflictiones cordis mei latè ſparſerunt ſeſe: ex anguſtijs, quibus undiq; coarctor, educ, quæſo, me. quamuis alia Hebræis etiam ſit litera, hoc modo: Anguſtiæ cordis mei dilatentur: hoc eſt, cordi meo anguſtiato fiat ſpacium reſpirandi, procul malis omnibus illis, quibus premitur, amotis: & educ me ex coarctationibus meis: quod idem eſt. Sed neq; neceſsitatum nomen ſuo uacat affectu, & eo ſanè ardentiſsimo. Vocat enim ſuas neceſsitates Propheta, ten-
B tamenta omnia, atq; in hoc mundo oppreſsiones, quippe quæ ad humanam laſciuiam coërcendam neceſſariæ quodammodo uideantur. Harum quidem lima & ſcalpro, ſuos expolit Deus & caſtigat, ne cum reliquo mundo, ut inquit Paulus, iudicentur. Vlterius (quò aliud neceſsitatum genus ponamus) quî non ſummo ſtudio petendum nobis erit, uitam hanc noſtram ab hiſce miſerrimis procurandi carnis alimenta ſolicitudinibus & neceſsitatibus erui, quæ certè adeò nos à dignioribus rebus contemplandis abſtrahunt, ut uix ex multis unus inueniatur, qui non prudentius rem ſuam familiarẽ curet ſeruetq;, quàm animũ ipſum, natum ſanè ad ea contemnenda, quæ caro amat & ſectatur? Hincq; exortũ morem illum deteſtandũ arbitror in promouendis ſacrarum ædium cuſtodibus & prælatis: ut crebrius in pertractandis ſeculi rebus acuti, ſagacesq; deligi ſoleant, quàm illi, qui ſemel à mũdo ſecreti, haſce mundi tricas, ueluti ad capeſſenda cœleſtia, impedimenta quædam abijciunt, eò animũ, uiresq; ingenij dirigentes, unde regendarũ animarum lumen ſuppeditat Deus. Alia enim res eſt, homines in optimis uitæ inſtitutis enutrire, alia nummos eoſdem centies in ſupputatorijs abacis, & partiri, & colligere. Illa enim ad animarũ præſules atq; epiſcopos attinet, hæc ad inſtitores. Quare in deligendo animarum paſtore, non tanti facienda eſt carnis prudentia ac cura, quanti feruor ſpiritus, atq; animus in terrenarum rerum deſpicientia aſſuetus. Verùm illi, ut lubet: tu uerò Domine,

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea.

Humilitas in ſcripturis ferè ſemper, quod aliàs admonui, deiectionem, atq; ut ſic dicam, imparitatem uirium humanarũ ad congrediendũ cum hoſtibus, ſignificat: cui labor ille, qui ex debilioribus uiribus enaſci ſolet, cùm onere aliquo grauiori premimur, comes eſt. Idcirco humilitati laborem adiecit, & eſt ſenſus: Conſidera Domine quomodo impar planè ſim ad cõmittendum cum meis fortiſsimis hoſtibus prælium. Vide carnis infirmitatem: perpende laboris ſudoriſue cumulum, quem in diutino hoc, cum mundo & carne, certamine contraxi. Attende, oro, quæ patior, miſeriamq; meam ueſtigio, non merita, quę nulla ſunt: non

C peccata, quæ innumera: non culpas, quæ grauiſsimæ ſunt, metire: ſed omnia mihi, quæ tua eſt facilitas, condona. Nam hi ſolummodo beati, felicesq; ſunt, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & tecta ſunt peccata.

Reſpice, inquam, inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt mę.

Paraphraſtes ſic: Conſidera hoſtes meos, quàm ſint multi, & q̃ capitali odio perſequũtur me. ut hinc ſaltem quàm implacabilis ſit hoſtiũ humani generis truculentia perpẽdamus. Volunt interpretes hebręorũ id, odio iniquo, magis ſecũdum eorũ idioma exprimi, ſi legatur, odio furenti. quare ex illis unus ſic reddit: Odio uiolento me oderunt. quaſi diceret, nihil à me læſi, aut laceſsiti, me perſequuntur. Etſi enim (non inficior) mala omnia, quæ mihi inferre moliuntur, iuſtè meruerim: attamen id, bonús ne uidelicet, an malus ſim, nihil ad eos. Si enim peccauí, haud illis certè, ſed mihi ipſi nocui: tibiq; ſoli mea habenda eſt uitæ ratio, nõ improbis hominibus, aut immundis ſpiritibus, qui ſola omnes malitia, ac qua miſerandũ in modum torquentur, inuidia, furibundo me infectãtur odio. Atqui hîc uides dæmonũ breuibus depingi nequitiam: naturam non audeo dicere. Solùm enim pertinax in malis propoſitum, uoluntasq; inuidiæ ſtimulis exagitata, teterrimos huiuſmodi ſpiritus nobis infenſos reddit. Animo quippe iniquo & peruerſo, ſuam miſerrimam ruinam, ex natura longè quàm ſua ſit inferiori, reſarciri non tolerant, idcirco quia ſpiritus celerrimi ſunt, peruigiles, ſagaces, acuti, ac ut ſunt mille nocendi artibus inſtructi, perfidi, & opportuni ad connectendos dolos, quibus æternum Dei conſilium ſeruandorum hominũ intercîdant. Quas quidẽ artes ſanctus Dei uates non ignorãs, ſibiq;, atqueadeo nobis omnib. pertimeſcens, quo maximo ualet ſpiritus feruore clamat: Vide Domine, quàm multi ſunt hoſtes noſtri. Hinc enim dæmones ex ſeſe irritabili perſuaſione, illinc eorum imitatores prauí homines, qui ſola mentis peruerſitate inſectantur bonos,
D adeò in immenſum creuerunt numerũ, ut de nobis actũ eſſe non dubitemus, niſi tu ſereniſsimo uultus tui aſpectu nos intuearis ac tuteris. In hoc enim toti ſunt, ut à uia iuſtitiæ declinantes, te amittamus: quo amiſſo, quid, quæſo, ſupereſt aliud, niſi ut in æternam mortem deuoluamur? Quod ſanè mihi ne contingat,

Cuſtodi animam meam, & eripe mę: non confundar, quoniam ſperaui in tę.

Vide quomodo indefeſsè non ceſſat uates rem eam in omnibus ferè pſalmis inculcare, cuius uirtute à Deo preces exaudiuntur noſtræ. Spem dico, quã meritò ſacram, in hoc periculoſiſsimo perturbationũ pelago, appellare libet anchoram. Spe enim ſalui facti ſumus. Ait igitur: Meam eo modo cuſtodi animam, ô Deus, quo infirmam in grege ouiculam cuſtodire ſolitus eſt paſtor, ac me eripe, & libera: nec ſinas ut ſpe falſus, quam in te poſui, pudefiam. Nam cum in homine non ſit uia eius, à te ſolo pendêre par eſt. Itaq; non cõfundar, non erubeſcamq; meis à petitionibus repulſus. Siquidem

Innocentes & recti adhæſerunt mihi, quoniam ſuſtinui te Domine.

Vt nullo alio in loco, maximè illorũ, quorũ amicitia à probis expetenda ſit, effigies appareat, hîc certè apertiſsima uidetur, ac admodũ cõcinna. Amicus enim hiſce duabus partibus à propheta poſitis ornatus, ſyncerítate ſcilicet & rectitudine, artibus omnibus quærendus eſt, nobisq; cõciliandus: quemadmodũ inſyncerus, improbitatisq; ſtudioſus, ex animo, nedũ à corporali cõſuetudine expuendus eſt omnino. Aequum porrò, ſeu rectum amicũ illum appellamus, qui nihil, ne tantillum quidem, à iuſtitiæ lege uariat: qui, ut maximè conuenit & decet, omnia ſua & agit, & dicit cum amico: ſed & qui nihil prorſus, quod ſibi cõmodum ſit, aut utile, ſpectat: uerùm quod honeſtum, quódue in primis amico cõducere poſsit, uerſat animo, ac re ipſa, cum datur occaſio, efficit. Nondum dixi quod uolo. Eum itaq; amicum expetendũ, ac ſub ipſo frigidiſsimo Arctoo inquirendum arbitror, qui ſuiipſius amore omnino exutus, totus ob Dei gloriam, in cæterorũ ſalutem incumbit: & qui nihil minus, aut cogitat, aut agit, quàm quod proprium ſit, ſed quod Ieſu Chriſti, ac cæterorum poſtea. Cæterùm cum ſimilitudo amo-

ri

A ris ſit cauſa, hîc nimirũ, ſi non aliunde, coniectare poſſumus, cuius conſuetudinis uitæ ac morum fuerit Dauid, poſtquã innocentes & corde rectos, ſibi, ueluti ſuo membro, ac fratri adhæſiſſe prędicat: quanquam tamen ſecundum Hebræorũ literam, uidetur ſuam uoluiſſe manifeſtare puritatẽ atq; animi candorem. Sic illi: Simplicitas & rectum cuſtodiẽt me. Chaldæus etiam ferè idem, ſic enim reddit: Syncerítas & rectitudo ſeruabũt me. Diuus quoq; Hieronymus: Simplicitas & rectitudo ſeruabunt me. & erit ſenſus: Spero me aſſecuturũ quod multis ſuperius precatus ſum, ſimulatq; ſyncerítas ac rectitudo, quę mihi abs te datę ſunt, me ſeruabunt: quemadmodũ illos ſua illorum peruerſitas, & fraudulentia, perdẽt funditus. Volunt uoculam illam, quã noſter interpres, adhęſerunt uertit, cuſtodient potius, aut ſeruabunt, Hebræis eſſe. Idcirco optandi affectu hanc ſic reddit Paraphraſtes: Innocentiæ & æquitatis ſtudia ſeruent me. Nam impoſsibile eſſe deſiniunt ſancti, eum ipſum qui animũ in adipiſcenda cordis munditia illa, per quã, ut ait Chriſtus, uidetur Deus, ſpontaneo ardore addixerit, non ſeruari ad uitam, licet huic ſeculo odioſus ſit, atq; ob id deiectus, ac ueluti proiectamentum uiliſsimum, à tumidorum impudentia deriſus, & malè habitus. Porrò ſicut à fortiſsimi pectoris ſufferentia, circa ea quæ pater cœleſtis nobis propterea differt dare, ut det cõmodius poſtea, ac quãdo nobis magis eſt utile, reliquæ fermè omnes proficiſci ſolent optimæ animi dotes: ita uel in primis, ex ea cordis illa, de qua loquímur, æquitas atq; mundities, & originem, & uim, & incrementum ſumit. Quocirca adíjcit uates: Quoniam ſuſtinui te Domine. de qua quidem ſufferẽtia, nonnulla in quinto huius pſalmi uerſu ſunt dicta.

Libera Deus Iſraël ex omnibus tribulationibus ſuis.

Paraphraſtes: Ex omnibus afflictionib. ſuis: quas ſanè afflictiones alio in pſalmo appellat uates iniquitates, dicens: Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus ſuis. Non quidem propterea iniquitatũ nomine utitur, quòd Iſraël, id eſt,
B Dei populus, aut iniquus ſit, aut iniqua diligat: ſed quia cum bonus ſit, ab iniquis tamen iniqua patiatur. Præterea hîc uates Iſraelem memorans, nos antiqui fœderis cum uiro illo per Deum iniri, admonet: quæ omnia futuri huius ſeculi umbra fuere. & eſt perinde ac ſi dicat: Exime Deus populum tuum fidelem ab infinitis eius anguſtijs, ſicut cum Iſraële, quando illum à metu fratris liberaſti, fœdus abs te percuſſum fuit. Cæterùm ſumma animi fortitudine hîc opus eſſe arbitror, ac patientia, cum ut moleſtijs, quibus plerunq; ueluti eruditioribus quibuſdam neceſſarijs ad uirtutes ideo ab optimo Deo addicimur, ut meliores ſimus, haudquaquam frangamur: tum ne, quoad in mortali hoc antro animæ uiuitur, à perſeuerãtia orandi Deum deficiamus: quia nec pugna ipſa quidem noſtra cum mundo ac carne, niſi cum morte deſinet.

PSALMVS DAVID XXVI.

IVdica mę Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum.

Ardens in hoc Pſalmo de ſeipſa, anima Deo offert ſacrificiũ: nec uerétur ſuam apud illum iactare innocentiã. tantum eſt puritatis robur acuis. Hoc idem olim nõ ſemel egit Dauid in bonorũ exemplum, qui interdum ab improbis illis ſuis perſecutoribus falſò accuſatus, non indignũ duxit, diuina in ſe bona cognoſcere, ac in cæterorũ bonorum confirmationẽ, in faciem, ut aiunt, peruerſorũ hominum proijcere. Hoc idem etiam à Chriſto, pſalmorum ſcilicet omnium argumento & ſumma, ſeruatum legimus, cum in ſui patris honorem maximè, ſalutemq; omniũ noſtrũm, illud facere cõſpiceret. Hoc porrò idem & nos. Verùm eiuſcemodi locutionis genere ſolus Chriſtus uerè uti poterat, quippe qui nõ ſolùm perfectam in ſe habuit innocentiam, atq; animi puritatem, uerumetiã cæteris adeò abundè illam elargitus eſt, ut planè illi, quibus tam excelſum cõtigit donum, díj in terris haberi debeant. Hi enim fœdere neſcio quo admodum inæquali cum Deo pactum iniere, huiuſmodi cõditione, ut ſua ipſorũ peccata & ſcelera, illius eſſent: eius uerò iuſtitia ac puritas, iſtorum. Inæſtimabilis

C ualde eſt unio & copula, qua per gratiam humana coniuncta eſt diuinæ condi-
tio. Poſtquam enim Dei atq; hominis, diuerſarum ſcilicet naturarum, facta eſt u-
na in Chriſto Ieſu perſona: uoluit ſanè Deus, & ſua bona, & hominũ mala inter
ſeſe cõmunia eſſe: imò (quod forſan duriuſculum uidebitur) noſtra uoluit ipſe ſua
propria eſſe mala ſolummodo, non noſtra: bona autẽ ſua, cõmunia omnino. Et
quemadmodũ ab immenſa eius bonitate profectum eſt iſtuc, quòd ſcilicet eius
ſancta uoluntas adeò omnes ſuos amplectatur, ſimulq; connectat, ac incompre-
henſibili ueluti cuiuſdã, ut ſic dicam, deiformitatis nodo conſtrictos uelit, ut unũ
ſint cum Chriſto, uniuſq; uoluntatis atq; innocentiæ: ita ex eodem fonte noſtra
emanauit fides, cuius ardore incenſi, noſtra omnium audemus peccata & flagitia
in ipſum eius filium adeò integrè reijcere, ut prorſus illius ſint, atq; ea, ut eſt ignis
edaciſsimus, conſumat funditus. Cum igitur bonum aliquod aut appetimus, aut
uolumus, cum noſtra iam facta ſit una cum Deo uoluntas, Deus ipſe eſt, qui ap-
petit & uult: hoc eſt, qui noſtram mouet uoluntatem ad bonum illud amandũ &
quærendũ, cuius ipſe autor eſt ac dator. Qui tamen, cum omnia bona, ut dixi, ſua
ſint, ab ipſoq; proficiſcantur, uult noſtra eſſe eadem illa nõ ſecus, quàm ſi à nobis,
non à ſua miſericordia & bonitate, originem haberẽt. Quare huiuſmodi perſua-
ſione ac fide imbutus Dauid, non ueretur ſuam hoc modo ordiri precationem:
Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum. hoc eſt, iudi-
cium pro me profer, quemadmodũ in re iuſta ſoles. Defende, inquam, me, atque
ab improbis me uẽdica. Hoc ſanè modo abs te adiutus, cunctis palàm fiet quàm
ſimpliciter coram te ambulauerim. Hîc uides uirum ſanctũ trifaria adductum ra-
tione, ut ſeſe audacter diuino iudicio, alioqui ſeuero ac extimeſcẽdo, offerat. Pri-
mùm enim candorem animi ab omni dolo uacui acliberi memorat, cum dicit: In
innocentia mea ingreſſus ſum: ſeu, ut legit Felix, ambulaui. Deinde ſummam in
D Deo fiduciam, ut in ſequentibus uidebitur. In Domino, ait, ſperans non infirma-
bor: uel, ut habet hebræus, non cadam. Poſtremò uerò ſedulam diuinæ bonitatis
cõſiderationem. Quoniam, inquit, miſericordia tua ante oculos meos eſt. Hiſce
enim armis inſtructus Dauid ſecurè dicere poterat: Iudica me Domine, quoniã
ego in innocentia mea ingreſſus ſum. Et licet hæc uerba, ut dixi, ſolus Chriſtus,
& uerè, & confidenter queat dicere, non excluditur tamen uir ille, qui propter
iuſtitiam perſecutiones patitur. Scit enim ſuam per Deum, iuſtam eſſe cauſam.
Et quidem quomodo iuſta eſſe non poteſt, cum ipſa ſit iuſtitia cauſa ſua?

In Domino ſperans non infirmabor.

Non cadam, inquit, quandiu ſperauero. Non elabar. Non, ne minimũ quidẽ,
in uia iuſtitiæ titubabo. Fiducia porrò uis ea eſt, quę iuſtum in propria celebrãda
innocentia aliquãtiſper audacem reddit, ſi tamen ſumma in Deo fiducia ac ſpes,
audacia, & non potius uera pietas appellari debet. Eius enim bonitatis eſt Deus,
ut non poſsit non ferre illis ſuppetias inuocatus, qui ad ſe confugiunt, modò ab
omni alio amore exuti, in ſe ſolo ſperent, de ſe præſumant, atq; de certiſsimo ſuo
auxilio ac fauore minimè dubitent. Mirum quanta, ut ſic dicam, iucũditate, diui-
na afficiatur maieſtas, ob purum illum animi candorem in ſuis, qui non tantum
fidei ardorem, quantum ſimplicitatem atq; innocentiam, ex qua fiducia oriri ſo-
let, præ ſe ferat. Vide igitur, quid anima de diuina in ſe beneuolentia præſumat.

Proba mẽ (inquit) Dominẽ, & tenta me, vrẽ renes meos, & cor meum.

Vt hîc enim, quę ſuperioribus pſalmis de probatione illa, qua à Deo per tribu
lationũ ignem examinamur, ſunt dicta, nõ repetamus: id tantũ admonere nõ ab
re erit, uſtionẽ ſcilicet eiuſcemodi, quã hîc uates memorat, afflictiones eſſe, qui-
bus nos Deus multifariè, tanquã optimus aurifex, probare ſolet & experiri. At
qui hîc iterum, ut in alio pſalmo eſt dictũ, cor & renes pro intimis animæ cogita-
tionibus, ac oblectamentis poni uides: ne in ſuperfluis, neſcio quibus, interpre-
tandis allegoriis immoreris. In renibus enim rerum earum quę carnem maximè
uoluptate afficiunt, cum ſedes ſit, idcirco pro internis animæ uoluptatibus renes

à uate

A à uate ponuntur. Cor item, quod cogitationum eſt officina & receptaculum, pro cogitationib. animæ occultioribus ſumi ſolet. Ait igitur anima illa, quæ propter iam cõceptam de Deo fiduciam, ſe firmam, ſuiq; ſimilem in re ſpiritus pernoſcit, atq; propterea ſuam iactare poſſe innocẽtiam confidit abſq; uitio: Proba me Domine, & tenta me: hoc eſt, ure me, tenta, experire, examina, ut lubet, calamitatũ flamma, atq; igne. Non quidem elabar, nõ infirmabor, non, ne tantillum ſaltem, nutabo: quoniam, quæ eſt ante oculos meos, in miſericordia tua ſperabo. Modò enim tua mecum ſit miſericordia & bonitas, non tuas certè, quia pater es, & is ſanè pius & miſericors, cohorrebo plagas. Quæri ſolet à peritioribus, num tẽtatio abſq; arrogantię periculo deſiderari, atq; à Deo peti queat: affirmantq; nullo modo ab infirmioribus, & qui adhuc innumeris animi ægritudinibus obnoxij ſunt, id tutò poſſe appeti: à perfectioribus uerò poſſe. Sed, ut quod ſentio fatear, quẽadmodum ſtultum uidetur tentare Deum: ita ſtultiſsimum eſſe arbitror à dæmone tentari appetere. Rogabat enim Paulus ut ab ſeſe carnis ſtimulus longè eſſet, & ego ut propè ſit rogabo: haud ſecurè quidem id expeti à nobis poteſt, quod uiros ſanctiſsimos ſemper detrectaſſe legimus. Quòd ſi tamẽ (quæ eſt audaciæ noſtræ conditio) appetenda erit tentatio, eo ſanè modo, quo nunc à Dauide, poteſt appeti. Ille enim cum dixiſſet, proba me domine, & tenta me, adiecit illicò:

Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt.

Miſericordia igitur Dei uis ea eſt, cuius ope à tentationum fluctibus facilè emergunt mortales. Illa, illa, inquam, eſt, quam ſemper tot inter carnis ac mundi moleſtias, ob oculos haberi fas eſt: non noſipſos, non noſtra quamuis diutina in uirtutibus ſtudia, acq; exercitia. Alioqui & nos, & noſtra bona in re ſpiritus intertexere, & quaſi cum Deo meritis uelle contendere, ut hi ſolent, qui in uehementiori aliqua oppreſsione aut tẽtatione poſiti, ad ſuas ſtatim operationes, aut Miſſarum numerum, & eleemoſynarum recurrunt: turpius peccamus, quàm illi ipſi
B forſan, qui cum frigidiores ſint, tacent tamen, ſi quid interdum ardentioris ſpiritus ſentiunt, idq; totum ſuſpirantes in Dei bonitatem reijciunt. Nam certè illud frequentiſsimè à diuino iudicio prouenire experimur, ut facilius nefandiſsimæ uitæ homines ad Deum conuerſi, ſuæ anteactæ uitę ſcelera deteſtentur, atq; propterea in uiam iuſtitię regrediãtur, quàm illi ſuperius deſcripti: qui cum nihil unquam, quod iuſtitiam ſapiat, in tota uita ſua peragant, ſe tamen iuſtos exiſtimantes, nihil ultra ſibi quærendum eſſe opinantur. Quare neq; calidi, neque frigidi cum ſint, Deo in primis, hominibus poſtea, nauſeę ſunt ac ſtomacho. Quomodo enim ex his aliquis dicere poterit: Proba me domine, & tẽta me, ure renes meos, & cor meũ, quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt? Et non potius, proba me, & tenta me, quoniam non ſum ſicut cæteri homines? quoniã Miſſas quotidie aut audio, aut celebro? quoniã nullam unquam (quod ſciam) perfregi quadrageſimam? quoniam peccatũ mortale nunquam commiſi? O homines prorſus à uitæ ſemitis aberrantes, atque abhorrentes ſimul. Hi quidem admonendi ſunt, ſua illa ieiunia, ſuas uigilias, ſua pſalteria, bonarum quidem eſſe actionum gradus: non per ſe bonas eſſe ſimpliciter actiones illas, quas potiſsimum ab homine requirit Deus. Quæ uerò illæ ſint, iam notiores ſunt, quàm ut à me nũc, qui aliud agere intendo, deſcribantur. Ego enim ſemper actiones illas parum utiles arbitratus ſum, in quibus tum Deo gloria, tum proximo utilitas, non afferatur. Nam quemadmodum illæ gradus ſunt quidam, ut dixi, ad perfectiores adipiſcendas operationes: ita hæ optimæ adeò ſunt, ut qui eas adeptus ſit, is perfectiſſimus cenſeri debeat, ac planè beatus. Is, inquam, uerè dicere poteſt: Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt,

Et complacui in Veritate tua.

Ecce quomodo miſericordiam & ueritatem ſimul connectit uates, quod per omnes ferè ſcripturas fieri uideo à cæteris. Senſus igitur is erit: In tua confiſus miſericordia ô Domine, atq; in his, quæ promiſiſti, quæ negare non potes, placui tibi: ſeu, ut legit Felix, ambulaui: hoc eſt, tutus in uijs tuis, quę ſunt miſericordia, &

C ueritas, ambulaui. Sic uno hoc breuiſsimo, ut ſic dicam, apophthegmate, rem totam, de quo nunc loquimur, definire placeat: ſolo ſcilicet in Dei miſericordia & ueritati fiduciæ conceptu ſeruari electos. Non ſanè mirandum, ſi toties à prophe ta fidei, ac, quæ eadem eſt cum fide, fiduciæ fit mentio, & quibuſdam ueluti gyris in ſcenam crebrò reuocantur. Præuidit enim uir ſanctus, quàm prona ad ſeſe iactandum futura eſſet noſtræ ætatis ſanctimonia, quamq; labilis & parum cauta: & quæ libentius publicis inſeruitura foret aſpectibus, quàm ſecretis diuinæ maieſtatis obtutibus.

Non ſedi cum conſilio Vanitatis, & cum impijs non ſedebo.

Hi ſunt enim fructus illorum, qui diuinæ miſericordiæ ac ueritatis perſuaſione freti, nihil adeò in uita quærunt, quàm quomodo cœleſtibus monitis atq; inſpirationibus pareant. Felix ſic reddit hunc uerſum: Non ſedi cum uiris uanitatis, & cum uerſutis non ingrediar. Chaldæus autem: Non ſedi cum occultantibus ſe, ut noceant. Quam quidem lectionis uarietatem in unum collegit ſenſum hoc modo paraphraſtes: Non habui familiaritatem cum hominibus uanis, neq; cum ſubdolis conſuetudinem habebo. Virtutes igitur hîc uates, quod dicere inceperamus, connumerat, quas per Dei miſericordiam fuerat aſſequutus. Et primùm quidem ſanctiſsima quadam iactatione, ſe non ſediſſe, hoc eſt, non diutius cum his qui facilè ad nugamenta, intempeſtiuosq; ſermones, ac fabulas conueniunt, cõmoratum eſſe prædicat. Atqui non parui periculi eſſe cum ſubdolis ac gerronibus conſuetudinem familiarem habere, ex eo liquet, quòd non diutius cum ipſis conuerſari, inter uirtutes connumerandum eſſe cenſeat uates. At quia impoſsibile fermè uidetur, non aliquando labe huiuſmodi ſaltem afflari, ſi non corrumpi, cum paſsim, & ijs, & horum ſimilibus circumueniamur periculis, ac ſubdolis circunquaq; ſparſis ſimus obnoxij: uidetur hîc uates non tantum dolo-
D ſorum hominum, aut improborũ ſocietatem ab ſeſe prorſus abieciſſe fateri, quantum & doli, & improbitatis uitium ipſum: alioqui de hoc mundo exiuiſſe, ut ait Paulus, oportebat. Quæ enim uitæ conditio inter mortales cernitur, quæ immunis omnino ſit ab impurorum hominum contagione ac lepra? Vtcunq; intelliga tur uerſus, id ſanè uoluit uates, eum ipſum ſcilicet, qui inter puriores animos connumerari cupiat, ueluti de ſeipſo loquens, admonere quàm diligenter illi cauendum ſit, ne facilè cum doloſis hominibus, ac, ut alia habet litera ex hebræo, cum tectis, hoc eſt, fucatis ſimulatoribus, & qui in corde & corde loquuntur, amicitiam ineat. Fugiendus igitur prorſus eſt bonis malorum hominum conuictus & conſuetudo, ne illorum mores ac uitam probare uideantur: nihil tamen interim illis, ſi quid à nobis iuuari poſſunt, negandum.

Odiui eccleſiam malignantium, & cum impijs non ſedebo.

Odium enim, quo nobis mali ſtomacho ſunt, in turpes eorum mores magis eſſe debet, quàm in eos ſimpliciter malos. Cæterùm, ut dixi, ſi re atq; ope noſtra indigent, noſter haudquaquã illis ſubtrahendus eſt fauor. Tantùm cum huiuſmodi genere hominum, qui, ut reddit paraphraſtes, nulla certa lege uiuunt, conſuetudinem non habeamus, eorúmue conuenticula, ac prauos, ut uocat Eſaias, cœtus approbemus. In qua enim re alicui uſui eſſe poſſunt, qui omnibus, quantum in ſe eſt, & nocent, & ſuis doloſis artibus imponũt? Neſcio ſanè an ulla alia inter Chriſtianos pernicioſior eſſe queat labes ac morbus, quàm actiones omnes ſuas mores, ſermones, contractus, pollicitationes, innumeris commiſcere fallacijs, fuco, ſimulatione, diſsimulationeq; ac dolo, & uitium ipſum animi acrimoniam in genij appellare. Nec eſt quidem, quòd ſe illo Pauli dicto pallient, profitentes ſeſe omnia omnibus factos eſſe, cum ne uni quidẽ utiles ſint, cum omnia ad propriũ commodum atq; ambitionem referant.

Lauabo inter innocentes manus meas.

Vide quàm in enarrãdis diuinis beneficijs non defatigetur uir ſanctus. Felix: Lauabo in munditia: alius uerò, In innocẽtia. Narrat hîc uates, quomodo ſe bo-

nis

A nis coniunxerit, ſimulatque à malorum conuictu ſeſe ſubtraxiſſe in ſuperioribus faſſus eſt. Lauabo, inquit, manus meas: hoc eſt, non inter improbos atq; impios immundus ero, ſed inter puros puris ero manibus. Non ero, inquam, in eccleſia malignantium, ſed in eccleſia ſanctorum: hoc eſt, cum innocentiæ ſectatoribus mea erit conſuetudo, cum illisq; manus meas lauabo, conteſtans me ſcelerum omnium immunẽ eſſe, neq; unquam in concilio uanitatis, ac cœtu ſimulatorum, in quorum manibus iniquitates ſunt, aut fuiſſe, aut diutius cõmoratum eſſe. Mos enim fuit olim apud antiquos, manuum lotione ſuam innocentiam teſtari coram multitudine: quo quidem actu uulgo perſpecto, eandem eſſe animi puritatem, quam in manibus uidebant, opinabantur. Quam ſanè conſuetudinem in Euangelio legimus à Pilato ſeruatam in Chriſti morte. Innocens ſum, inquit, à ſanguine iuſti huius: uos uideritis. Sic Dauid in hac ſimilitudine ab antiquis, ut dixi, de ſumpta, oſtendi uoluit ſuam adeò certam eſſe innocentiam, ut olim certa erat illa, quæ religioſo eo ritu oſtendebatur. Illud uerò non omittendum, per innocentiam hîc manuũ, interiorem mundítiam intelligi, quæ ex lotione manuum, ex puris ſcilicet actionibus facilè cõprehendi poteſt. Manus enim, opera, atq; omnem externam uitam ſignificant, quam ſanè puram ſe præſtaturum pollicetur, dum ſe manus abſterſurum prædicat. Nec rurſus affectu carere arbitror, quòd in innocentia addidit, non contentus dixiſſe ſimpliciter lauabo: hoc enim additamento ſuperſtitioſos tangi uoluit Iudæos, qui ſibi admodum in crebra corporis lotione placere ſoliti erant, quæ tamen nihil omnino eſt, ſi ſola ſit. Alioqui uirum illum nunquam dixerim affectus animæ interiores puros habere, qui in turpiſsimis uitæ actionibus ſibi uiuendũ eſſe ſatius ducit, quàm in puriſsimis illis actibus, qui ſemper candídi ſunt atq; ſynceri, licet corpus ſordidum ſit atq; illotum.

Et circundabo altare tuum Domine.

B Vide quàm non uerba Dauid, licet ſublimia, ac ſpíritu grauía, à conſueto inter homines more detorqueat. Ad ritum enim Iudæorum, illorum maximè, qui maiori erga Deum ardore animi affecti erant, alludit. Hi quidem, quò ſuam integram erga Deum pietatem exprimerent, frequentiori hoſtiarum corona altare Domini circuire conſueuerant. quem morem quoque in aliquibus Italiæ locis etiamnum ſeruari cernimus. quàm uerò probè, iudicent eccleſiæ dij. Vidi ſæpe equidem in quibuſdam, maximè ſtatis diebus, ad Sapim amnem mulieres præſertim genibus humi prouolutas, ter & quater cæreis in manibus accẽſis circum altare ingenti ſpectantiũ deuotione perrepere. Aiebant enim eum morem in illa regione à patribus ſumma religione ſeruatum, quò cordis pietatem in Deum poſteris teſtarentur. Sad ara hæc altior diuo uiſa eſt Ambroſio, quam Chriſtum eſſe autumat, in quo, & per quem, omnia noſtra ſacrificia offerri debent. Cuius quidem contemplationis is erit ſenſus: Equidem ſummo cordis feruore filiũ tuum. ô pater, amplectar, teneboq;, ac illi, qui factus eſt nobis & ara, & uictima, idemq; ſacerdos, perpetuò adhærebo. Vmbra porrò huius illud fuit in Leuitico Moſis altare, ſuper quod perpetuum ignem ardere ſolitum legimus: ad quod ſanè, ait uates, non ut olim ueniam, ut carnes, aut ſanguinem immolem, ſed

Vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuerſa mirabilia tua.

Veniam, inquit, ad altare tuum: ipſum amplectar, ipſum tanquam locum tutiſsimũ tenebo, non quidem ut aliquid tibi offeram, nam bonorũ meorum non eges: ſed ut auferam, ut accipiã, ut diter, ut tandem audiam edocearq;, quis ſit uerus tui laudandi, tuáque mirabilia enarrandi modus. Qui quidem haud amplius in citharis, nablisq;, tibijs, aut organis manufactis fieri debet, ſed cordis affectu atq; ardore. O ſi uoces aliquando audire contingat te laudantiũ, tibiq; gratias agentium, pro reſtituta pace mundo, ac reuocata terris iuſtitia. Ad hoc enim ſacræ ædificatæ ſunt ædes, & ſtructa cœnobia, ut Dei laudibus, diuinæq; legis ſtudio liberius à uulgo ſemoti homines inſeruiant: non ut ocium & quæſtum,

C tanta animi inquietudine, ut fit, ſectentur. Non, inquam, ut circum altare Domini tenellæ audiant adoleſcentium aures, philoſophorum ſomnia legi, multò minus comœdias, aut fabulas: ſed ut audiant, quo modo, quo ritu, quo animi ardore quęrendus ſit Deus, idemq; amandus, ac ſpretis mundanarum rerum lenociniis, prorſus, uti ara tutiſsima, tenendus. Non poſſum equidem interdum non excandeſcere, mihiq;, ne de aliis dicam, non admodum iraſci, cum uideo pueris in Chriſti ſcholam introductis, nihil minus quàm Chriſtum proponi. Ex quo fit, ut illi cuiuſuis magis aut hominis, aut doctrinæ efficiantur diſcipuli, quàm Chriſti. Quis unquam illud laudaret inſtitutũ, in quo quis picturã addiſcens, faber euaderet ferrarius? Vnde, oro, tantum creuiſſe faſtum & ambitionem putamus in Dei eccleſia, niſi ab adoleſcentium natura ad quęuis procliuium eruditoribus ac magiſtris? qui cum ſuperſtitioſi ſint, aut indocti, ea in primis alios edocent, quæ ipſi ab aliis prius hauſerũt, inſcitiam ſcilicet, ignorantiam, in Deiq; ſeruitio, & ignauiam, & uitam errorum pleniſsimam. Vnde iam factum eſt, ut ab omnib. fermè illis, qui ſublimiori aliqua dignitate & profeſsione in eccleſia Dei eminent, quis ſit uerus laudandi Deum modus, aut ignoretur omnino, aut cognitus uitæ faſtu obnubiletur. Cęterùm de Dei mirabilibus nonnulla in pſalmo nono à me ſunt dicta. Felix uerò hunc uerſum aliter legit: Vt faciam, inquit, audire uocem laudis. qui ſuam hanc literam interpretatus, ſic ait: Vt faciam audire in uoce confeſsionis, quæ feciſti: non quæ ego, peccata ſcilicet, quorum fœdo odore infectus frater, uice laudis, blaſphemias congerit.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Ardens antitheton. Cum iniqua gerentibus, ait, non introibo, necq; cum impijs ſedebo: ſed potius mundis manibus, cordeq; candido ac ſyncero, circũdabo altare tuum Domine, ubi tu uerè inuocaris, tuumq; ſanctum nomen celebratur, gratæue ſunt tibi preces ac uota. Eccleſia ſanctorum hæc eſt, ubi tuus eſt decor
D ac gloria: talia enim dilexi. Eccleſiam uerò malignantiũ, in qua fœda ſunt omnia atque indecora, odiui. Porrò decorem huiuſmodi ac gloriam, qua ſanctum Dei nomen extollitur, non tam in ſacris ritibus, alioqui Deo gratis, ineſſe arbitror, quàm in uita illa, quæ undequaq; ad iuſtitiæ normam informata, exemplum eſt cæteris, ac calcar, ueri cognoſcendi, cognitumq; amandi, ac ſtudio omni perueſtigandi. Decor igitur iſte ſpiritualis eſt, & gloria, in ſpiritu q; cernitur, haud ſecus. Siquidem in terris nullum eſſe locum tam aptum ad decorandum Dei cultum cenſeo, quàm cor eſt atque animus, in cuius ueluti meditullio fundata eſt ſedes fidei, cognitionis atque amoris: quæ ſanè omnia decor ille ſunt, ac locus habitationis gloriæ Dei: ſeu, ut legit Felix, habitaculum refugij, quod uates ſe dilexiſſe fatetur: cum interim non deſint qui in templis decorem, neſcio quem, pluris faciant, quàm qui à caſtis mentibus probari queat. Et quemadmodũ eiuſmodi decor inuiſibilis eſt, ita & altare, in quo & ſpiritu & ueritate, rebus ſcilicet inuiſibilibus, diuinus perornatur cultus decentius, quàm corporeis, idcirco uiſibilibus, periſtromatis, conchyliatisq; tapetis. In cordis enim receſsibus, uti in proprio templo inhabitat Deus: quare illic eius decor eſt, illic maieſtas, illic gloria, illic numen & omne bonum. Ille uerò qui in templis exornandis impenditur labor, nihil aliud eſt, quàm quoddam teſtimonium munditiæ cordium, illorũ maximè qui ſacrarum ædium inſeruiunt obſequijs. Alioqui à pollutis parietibus aureas pendêre lamĩnas, aut cortinas, ſuperfluus cultus eſt. Templi igitur ſpiritualis gloriam ac decorem, hoc eſt, ſanctarum animarum puritatem & candorem, diligit uir probus: nec poteſt non odiſſe illud, quo uerum Dei templum dedecoratur. A corde enim tanquam ab uniuerſali rerum omnium officina, quemadmodum ſanctæ prodeunt cogitationes, ſyncerique affectus, atq; altæ diuinarũ rerum contemplationes: ita prauæ quoq; erumpunt cupiditates, homicidia, adulteria, rapinæ, furta, amor prorſus, atq; odium Dei: ne res illas, quibus aut cõmaculatur animus, aut emundatur, te ignorare dicas.

Ne perdas cum impijs Deus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam.

Licet

A Licet enim uates diuino ſuam ſubiecerit innocentiã iudicio ac cenſuræ, tamen quia nouerat etiam, quòd non iuſtificatur in cõſpectu Dei omnis uiuens, clamat ac quanto pòteſt animi affectu uociferatur, & petit ſe eadem cum impijs ac ſanguinarijs pœna minimè conuolui debere. Atqui hercule, quod aiunt, opus eſt, primùm ne eorum uitam imitemur, poſtquã multi adeò hi ſunt, quibus cum, uelimus nolimus, conſuetudinem ſaltem temporariam habere cogimur: deinde, ne turpi eorum uita cõtaminati, cum ipſis flamma eadem peruramur. Clamandum igitur eſt, totòq; animo uociferandum, ne nos cum reprobis unà abſumat Deus ac perimat. Cæterùm hîc ſanguinum uiros appellat uates illos, qui cędibus dediti ſunt: crudeles nimirum, & qui modis omnibus è medio eos tollere conquirũt, quos turpiſsimis ſuis conſilijs obſiſtere ſuſpicantur.

In quorum manibus iniquitates ſunt.

Ne enim in dictione, manibus, hæſites, ſic reddit Paraphraſtes: Quorum opera ſunt ſtudio ſcelerata. Et ſic illos, quos ſuprà impios & ſanguinarios appellauit, breuibus exprimit, eorum uidelicet actiones ſceleratas ac nefarias taxans: qui ſanè non caſu aut ſtupiditate animi, mali ſunt, ſed ſponte, data opera, atque ex animo. Horum profectò operationes ſemper ab æquitate ſemotæ ſunt, nec poſſunt non ſemper malè agere, cum ſemper mali ſint, conſultóue peccẽt. Quòd ſi tamen recti aliquid interdum agere uideantur, ut in ſacris eccleſiæ ritibus ſæpe accidit, ad quos ſanè ab omnibus tam bonis, quàm malis indifferenter concurritur, id aut ex more, aut ut appareant, non ut ſint boni, faciunt. Cæterùm illorum animus interim cum ſacra peraguntur, odia, rapinas, adulteria, uſuras, cædesq;, & quomodo ſuas turpiſsimas expleat cupiditates, molitur. Verùm ut nihil eorum improbitatis cumulo deſit,

Dextera eorum repleta eſt muneribus.

B Muneribus, inquam, ut reddit Chaldęus, ſordidis, hoc eſt, iuſtitia uendita, calcatisq; legibus & æquitate. Quoties enim uidi ego, ac quotidie uideo, à roſtris, à tribunalibus, à conſilijs, à Rotis quoq; & iuſtitiæ miniſtris, iuſtitiam ipſam unà cum innocentia laceram egredi? quid egredi aio? expelli potius ac deturbari ui munerum, quorum importunitate illecti nonnulli, nihil magis in ſuis illis ſententijs & diffinitionibus quærere uidentur, quàm ut is cauſam uincat, qui plus munerum congerit. Ignorant cæci, quòd beatum illum appellat ſpiritus, qui excutit manus ſuas ab omni munere. Illi ſic,

Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum,

Suæ innocentiæ profeſsionem repetit uates, profectam nimirum à corde puro, atq; ab omni uana oſtentatione libero, gratóq; diuinorũ beneficiorum ac munerum. Ait igitur: Illi, ut lubet, ſuas expleant cupiditates: ego uerò, ut hucuſque egi, in mea ſimplicitate à mundo deriſa perſiſtam. Tu tantùm

Redimę me, & miſererę mei.

Paraphraſtes: Libera me à malo, & clemẽter tracta me. Semel enim, inquit, me per tuam miſericordiam ab hoſtium feritate ereptũ, adeò in futurũ muni ac tege, ne rurſus in inſaturabilem eorũ ingluuiem incidam. Tantum enim abeſt, ut horũ mores approbem, ut etiam & deteſter, & magis quàm ipſam pleureſim execrer

Pes meus ſtetit in directo, in eccleſijs benedicam te Dominę.

Vide iterum grati animi argumentum. quaſi dicat: A tua redemptione, & miſericordia prouenit, quòd pes meus ſtetit in directo. hoc eſt, totius uitæ meæ curriculum ſtabile in uia iuſtitiæ, atque incõcuſſum perſeueret, licet paſsim à ſcãdalis undequaq; occurſantibus impediatur, idcirco nutet. Miraculo iam ſimile uidetur ſi à recto perfectionis curſu non retardentur ſimpliciores, ſimulatque ab in ſublimiori gradu collocatis, tot fœda exempla libidinũ, cupiditatũ, odij & ambitionis ebullire conſpiciunt. Quare maximi beneficij loco, uates hîc pedẽ ſuum in recta manſiſſe enarrat, ne paruam gratiam obtinuiſſe illum ducas, qui à tot im-

C pulſoribus impactus, immobilis manſerit. Proinde tam amplo beneficio acce-
pto, more ſuo Propheta pſalmum cum gratiarum actione claudit, fateturq; ſe pa-
lam frequenti populo Dei beneficia prædicaturum. & eſt perinde atq; dicat: In
eccleſia non malignãtium, quam odiui: ſed in frequenti iuſtorum corona ac cœ-
tu, hanc meam innocentiam abs te mihi datam, in te refundam, tibiq; acceptam
referam. Iam uideat, inquit, interpres hebræus, quiſq; noſtris in cœtibus quid a-
gat, quàm Dei nomen celebret, ut cum ſuam, tum aliorum fidem inſtauret. Ver-
bis enim ſine mente effuſis, & cæremoniis ſolius aut ſtipis, aut publici moris,
uel denique ſuiipſius commodi promouendi gratia adhibitis, Deus irridetur, nõ
laudatur. hæc ille. Diuus uerò Auguſtinus: Qui ſic, inquit, laudat Deum, magis
uituperat, quàm laudat.

PSALMVS DAVID XXVII.

Licet aliquibus uiſum ſit pſalmi huius titulũ eſſe, Pſalmus Dauid ante-
quam liniretur: tamen in trãslatione Hieronymi, atqueadeo in cęteris
codicib. hebręis cum nullo prænotetur titulo, ſed abſolutè ſit, pſalmus
Dauid: operæprecium erit, opinationes magis, quàm certam quorun-
dam ſcientiam præterire, atq; illa cum hîc, tum aliàs cæteris in hiſce diuinis odis,
quæ aut parũ, aut nihil ad earũ intelligentiã faciunt omittere omnino, q̃ ſuper-
flua nectendo mihi iacturã temporis, cęteris autem, ſi quis unquam hunc meum
laborem legere uoluerit, faſtidium parere. Quicquid opinentur alij, mihi in hoc
pſalmo uidetur uates nobis qui credidimus canere (modò ne ſurdis canat) quo-
modo in diſcrimine aliquo deprehenſi, noſtrã nos fidem animare, ac ſpem bonã
ſumere debeamus. Sed quid aio uatem? aut quid mortalem regem, mortalibus
in exemplum proponi credam? Amantiſsimus enim noſtri Deus caro factus, hic
eſt qui loquitur, & qui ſeſe nobis, pro nobis maledictum factus, exemplum cer-
tiſsimum, tum uirtutum omnium, tum fidei maximè in aduerſis exhibet, & ait:

D *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quẽ timebo? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepi-
dabo?* Vides ne in Chriſto uerum hominẽ ſecum periculi magnitudinẽ in quo
uerſatur, reputantẽ, ſed ſpe fultum in Deo, in quem ſe totum proiicit, cõtemnen-
temq; quicquid id eſt, ac ſecuram ſibi ſalutem à patre pollicentem? Ille, ait, qui mi
hi in præteritis, & his difficillimis rebus adfuit, & qui me toties in obſcuriſsima
ærumnarum nocte prouolutum, in gratiſsimam conſolationis lucem euexit, ſa-
lutémue attulit, is & modò mihi aderit. Quem igitur timebo? quem expaueſcã?
quas acies? quos gladios? quæ uulnera, aut cruciatus uerebor, cum Dominus ſit
mihi in nocte lux? in periculis ſalus, in morte uita? Quãdo enim recordor quan
tum mihi iam roboris attulit, ſperare rurſus audeo fore quòd etiam poſthac idem
mihi erit, lux ſcilicet, ſalus ac uita. Non certè ipſas quoq; inferorum tenebras, te-
tramq; peccatorum caliginem pertimeſcam, eius ſanctiſsimo lumine perluſtra-
tus, à cuius radiis uniuerſus hoſtium meorũ cœtus, ueluti à tormento æneo diſ-
iectus, propelli ſolet. Simile huic fermè à Michæa dictũ recolo. Cum ſedero, in-
quit, in tenebris, Dominus lux mea eſt. Hæc lux ſanè diuina ea uis eſt, qua homo
naturali luce in uitæ exordio, gratuitisue intellectus radiis illuſtratur: cui & po-
ſtea aliud, ne in erroribus, quos ſecum uita ipſa afferre ſolat, uolutetur, additum
eſt, fidei ſcilicet lumen, per Chriſtũ in nobis accenſum. Alioqui primogenia illa,
in luce rationis atq; intellectus uelle, abſq; Chriſto, confidere, idem eſſet, quod
extincto cæreo ſinuoſum aliquem labyrinthũ ingredi. Non enim ſufficit cæreũ
aut lampadem geſtare manibus, niſi admoto accẽdatur igne. Quid igitur huiuſ-
modi lucis beneficio adiutum obnubilare poterit? Cupiditas ne rerum humana-
rum? ambitio? ira? furor? caro? mundus? mors ipſa? Nihil quidem minus. Quis,
ait apoſtolus, accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat? Quis eſt qui
cõdemnat? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, imò qui reſurrexit, & qui eſt ad dex-
teram Dei, qui & interpellat pro nobis? Igitur Deo lumen præbente, cedunt er-
rores, atque ab interioribus oculis, ignorantiæ cadunt ſquamæ.

Dum

A *Dum appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas.*

Periculi magnitudinem, per eſum carnium enarrans, hoſtiũ truculentiam exprimit. & eſt ſenſus: Vicinus eſt hoſtium exercitus, qui tanquã leones atrociſſimi rugientes, ſaluti meæ, carnem ueluti deuoraturi meam, inhiant. Atqui nihil aliud prætendit hîc, ut edant carnes meas, quàm ut reddit Paraphraſtes, quò me funditus tollant. Verùm in medio ipſo perſecutionũ conatu deſiere, ac mei prorſus inferiores facti corruere. Licet enim, ut aliàs admonuimus, iſtuc dicendi genus uati admodũ familiare, quo acies ueluti quaſdam hominũ inter ſeſe concertantium, debilioresq; ſuccumbentes faciat, in mortalem hunc uſum noſtrũ conferendi manus cum hoſtibus transferri queat: uerius tamen, ac ſpiritui conuenientius erit, ſi ad animum hæc omnia referamus. Quantum enim ſcelerati homines bonorũ tranquillitatem interturbent, atq; eorum paci officiant, hi norũt, qui in uita nihil tam cupiunt ac quærunt, quàm ut ſpretis omnibus humanarum rerum turbis, Deo ſeſe per animi puritatẽ uniant. Verùm atrocior ea uidetur moleſtia & pugna, qua cum uitijs & cupiditatibus, hoſtibus ſcilicet inexorabilibus, conflictatur. Proinde feliciſsimũ illum eſſe uirum iudico, quem etſi ſæpe, quæ eſt humana conditio, hoſtilibus iniurijs cedere uideo & corpore, & membris: animo tamen contra arma nequitiæ in cœleſtibus infracto perſeuerans, artus quidem, aut famam, aut nomen, à nefandorum hominũ faucibus penè conſumpta fert ſecum: ſpiritũ uerò uictorem ac triumphantem, non iam ſecum in terris, ſed cum Deo in cœlis conuerſantẽ, ſpe ac fiducia enutrit. Quare ex illiuſmodi triumphi memoria animatus, ad futurũ certamen, quod non niſi cum uita deſinit, accingitur, ſpe ea fultus, quam in illo habet, quem ſibi lumen, robur, ac ſalutem in bello ſemper extitiſſe expertus eſt, & clamat:

Si conſiſtant aduerſum mę castra, non timebit cor meum.

B Rurſus ad caſtra inuiſibiliũ hoſtium cor reuoca, ne dum ſolummodo aut Turcas, aut Indos te uicturum ſperes, animũ in acie periclitantem non aduertas. Nullam enim eam eſſe uictoriã arbitror, ſi corporeis debellatis hoſtibus, ab incorporeis uincaris, nempe ambitione, ira, libidine, atq; habendi cupiditate. Præterea quemadmodum caſtra hîc dæmonum ſunt: ita aliàs in ſcripturis, beatorum ſpirituum eſſe inueniuntur, ut illud in primis in Geneſis libro eſt uidere: Fuerunt Iacob obuiam angeli Dei, quos cum uidiſſet, dixit: Caſtra Dei ſunt hæc. Quibus quidem Iacob, id eſt, uitiorum ſupplantatorem circumuallantibus, quouſq; illa altera cupiditatum caſtra pertimeſcenda ſunt? Multa ſunt ſanè illa: ſed multa etiam nimis, ut ait uates ille, ſunt caſtra Domini: hæc quidem fortia, illa uerò debilia, parumq; in Deo ſperantibus extimeſcenda. Habet etiam & ſpiritus ſua caſtra in cordis theatro, habet ſua tela, ſuas acies, ſuasq; teſtudines atq; arietes: quæ ſanè omnia ſpirituali tantummodo uiro ſunt nota.

Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

Equidem neſcio an tela acutiora in hoſtes intorqueri poſſint, quàm ea quæ hîc memorat uates, nempe ſpem ac fiduciam in Deo. Alioqui in infideles, pauperum ciuium, atq; ſacrarum ædium, & ære, & ſanguine comparatas claſſes, impietate ſcilicet inſtructas, & eccleſiarũ contemptu armatas, è portu ſoluere, ſummæ dementiæ eſt, ac parũ conſiderati periculi. Vide, oro, quàm ſecus ſeſe ad pugnam exacuat uir ſanctus. Si cõmittendũ, inquit, inter nos erit, atq; inuicem confligendum, in ipſo ardore pugnę firmiſsimè credam auxilium mihi haudquaquã cœlitus defuturũ. Idem fermè olim ſibi imprecatus eſt Iob, dicens: Pone me Domine iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Alij putant, in hoc, id eſt, in eo quod factus eſt Dominus illuminatio mea & ſalus mea, intelligi oportere. Alij uerò in eo quod ſequitur, uidelicet, unã petij à Domino. quaſi dicat, daturus eſt quod petiui. Quid igitur timendũ? Alijs etiam uiſa eſt hîc eſſe reticentia illa, quæ in corde fidei affectu accẽſo accidere eſt ſolita. Volunt enim hi tunc uatẽ recordatũ eſſe pollicitationis illius, qua ſibi cœlitus eſt dictũ: Requiẽ tibi dabo ab

C omnibus inimicis tuis, & fidelis erit domus tua, & regnum tuum uſq; in ſempiternum ante faciem meam & thronus tuus erit firmus. Quæ quidem omnia de Chriſto aptius intelligi debent, quàm de ipſo Dauide: cuius regnũ nec firmum, nec æternum dici debet, niſi quatenus in Chriſtum deſijt, qui æternus eſt atque æternorum bonorum erogator. Sperandum igitur ſemper eſt in Domino, ſiue corporea, ſiue incoporea ſint caſtra ac prælia, quæ in nos, ut clamat uates, inſurgunt. Vtcunque enim ſæuiant,

Vnam petij à Domino, hanc requirã, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Felix petitio, & quæ à ſanctiſsimis tantummodo uiris, quibus cum mũdo fœdus nullum eſt initum, fieri debeat. Vnam, ait, petitionem Deum rogaui, quam & indeſinenter orare perſeuerabo: liberam ſcilicet in domo Domini ab omni ſolicitudine uitam. Id petam, & non ceſſabo, donec exorem. Hoc unum enim mihi neceſſarium eſſe in domo Domini arbitror, curis ſcilicet uacuam uiuere uitam, cum interim alij, ut lubet, negocioſam & ament, & quærãt. Mirum quàm deplorandus in Dei domo ac templis, mos inoleuit: quòd ſancto omiſſo ocio, rebuſq; animi tranquillioribus contemptis, pleriq; curas ſuperuacuas ſibi accumulant. Ineſcati enim ſemel miſeri ambitionis hamo, nihil non agunt negociorum, quò tandem illuc perueniant, ubi perpetua anxietate plenam uitam traducẽtes, plus in negocio ſint, quàm cum eſt negocium, ut aiunt, in negocio. Verùm quæſiti huiuſmodi ſtudio ac cura honores, non honores quidem, ſed meræ curæ, profanaq; negocia appellari debent, ut ſunt, parum tamen iuſtiſsima Dei ultione à nonnullis animaduerſa: cum nihil aliud ſit in domo Dei habitare, quàm cordis pacem ac tranquillitatem adeò amare & amplecti, quòd dignũ ſit, in quo Dei maieſtas inhabitare non horreat. Et quemadmodũ ubi uita eſt curis lacera, ſed ſponte ſuſceptis, maliſq; artibus quæſitis, ac undequaq; coëmptis, ibi cœtus inquietos eſſe
D non ambigo. Ita cor illud, in quo pacis amor, & tranquillitatis altiſsimarum contemplationũ formatricis ſedem habet, diuinum numen habitare, ueluti templum ſuum proprium, & credo, & quod ſine lachrymis dicere nequeo, olim expertus ſum. Senſi tandem poſt curas illas infinitas unum id eſſe neceſſarium, in Dei ſcilicet domo perpetuò manere: quod nihil aliud eſſe intelligo, quàm iuſtitiæ ac ueritatis ædes, pacis inſuper & quietis conſcientiæ, quæ eſt uita animæ ac beatitudo, frequẽtare. Alta enim templorum tecta ac parietes ſexcentis ſacrarũ unctionum tectorijs illiti, ſanctimoniam illam haudquaquam inducunt, quæ diuinam præſentiam facilè illectet, ſi ſanctis moribus, quæ eſt uera templorum ſanctitas, careant. Sed quo tandem fine æterna mihi expetenda eſt in Dei domo manſio?

Vt videam voluntatem Domini, & viſitem templum eius.

Nullus codex, quòd ſciam, neq; græcus, neq; hebræus, uoluntatem habet: ſed aut pulchritudinem, ut diuus reddit Hieronymus, aut delectationẽ, & uoluptatem, aut iucunditatem, ut alij. Vicinitas enim uoluptatis ad uolũtatem, errorem hunc fecit apud Latinos. Et licet nobis ubiq; peruestigãda ſit, ne in tenebris ambulemus, Dei uoluntas: tamen hîc tractandi de Dei uolũtate ſuus non eſt locus, ſed de eius iucundiſsima uoluptate, qua anima in conſcientiæ requie, hoc eſt, in Dei domo familiariter conuerſans afficitur. Illud totum, ait, meum eſt deſideriũ, ut per fidei ſpeculum diuinam eius ſentiam uoluptatem, quod eſt gaudium in ſpiritu ſancto, de peccato remiſſo, ac uita æterna gratis conceſſa. Vide, oro, an ſecus in mulieris peccatricis ſalute apud Lucam ſit actum. Ea enim ſimulatq; ſuam in Dei domo per lachrymas & unguentũ teſtata eſt manſionem, illam ſummæ lætitiæ & iucunditatis uocem audiuit: Mulier, inquit, remittuntur tibi peccata tua. Quæ, obſecro, iucundior animæ uox eſſe poteſt? Quod nuncium tam delectabile, quàm ut mihi cœlitus dicatur? Tu qui hactenus mulier fuiſti, mollis ſcilicet, ſenſibusq; inſeruiens, atq; ad ea omnia, quæ uiri ſunt, inconſtans, ac tui diſſimilis, iam uir eſto: uade in pace: hoc eſt, ſuperfluis relictis curis, quibus neceſſariò hæret peccatum, in animi pace & quiete, uitæ quod ſupereſt tranſige. Itaq; illud

idem

A idem eſt, quod hîc uates ſibi promittit, ut uideat ſcilicet diuinam iucunditatem, ac eius quaſi antea derelictum reuiſat templum. quanquam non me latet, ſcrutari uerbum, pro uiſitare poſitum Hebræis: quod quidem ſic uertit paraphraſtes: Vt poſsim, inquit, ſcrutari quàm ſint in regia illius uaria & admiratione digniſsima. Quare alio in loco clamat propheta: Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt anima mea. Alius rurſum interpres ſic reddit: Vt perſcruter in templo eius. ut uel hinc, ſi non aliunde, addiſcere poſsimus quam ob rem tot ampla ædificata ſint templa ac cœnobia, nempe ut Dei opera ac iudicia iugi conſideratione contemplantes, fidem ſolidam in Deum unà cum eccleſiarum ædificijs erigamus. Alio qui ubi res profanas, negociáue terrena, atq; id genus alia, quæ in immenſum aggregant curas, tractari uideris, ibi mundum merum eſſe calculis omnibus affirmato. Idcirco igitur nobis perpetua domus Dei exoptanda eſt manſio, ut Domini tum uoluntatem, tum uoluptatem uidentes, in rerum diuinarum peruestigatione, non in accumulandis agris agro, ut deteſtatur Deus in Eſaia, aut in aucupandis hæreditatibus, noſtros conteramus annos. Sed iam quæ utilitas ex perenni in Dei ædibus habitatione oriatur, eſt uidendum.

Quoniã abſcõdit me in tabernaculo ſuo in die malorũ, protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.

Eutymius hîc uocat tabernaculum, Dei protectionẽ, qua uſus eſt uates in ſuis periculis, tanquam refugij ſede, ac tabernaculo, ſub cuius fauore frequentiſsimè latuit. Et eſt, ni fallor, ſimilitudo à more deſumpta illo, quo utimur in eo protegendo, qui ab inimicis actus apud nos diuertit: & quem in ſecretioribus ædium locis occultantes, tutum, &, ut ſic dicam, inſpectabilem hoſtibus facimus. Quare ſic reddit paraphraſtes: Occultaret me in penetralibus domus ſuæ. Felix uerò: Occultabit me in ſecreto tentorij ſui. Nec quidem aliud hîc ſibi uelle uatem iudico, quàm eum, cui Deus iam factus eſt & illuminatio, & ſalus, locum ſibi tutiſsimum apud cœleſtem patrem conciliaſſe, eo maximè tempore, quo magis tentationum procella increſcit: quod quidem tempus hîc Dauid diem malorum appellat. Verùm non hoc ſolum, ſed &

B

In petra exaltauit me.

Vide quàm non ab incepta metaphora actutùm declinat uates. Solent enim hi, qui in maximo aliquo periculo conſtituti, periclitanti uitæ latibulo aliquo ſecretiori conſulere quærunt, rupem undiq; præruptam, atq; propterea ui omni humanæ inacceſſam petere, in eiusq; ſciſſuris delitescere. Atqui ut maximè illi qui in intimis ædium uiſceribus latitant, aut rupium fixuris occuluntur, poſsint hoſtium aut ui, aut aſtu detegi: at is qui in Chriſto, qui petra dicitur, libenter cõmoratur, tutior eſt, quàm quòd à dolis hoſtium circumueniri queat, atq; à tam grato ſinu, ut eſt eccleſiæ, poſsit extrahi. Hanc enim petram alio in pſalmo uocat refugium herinaceis propheta, illis ſanè qui innumeris peccatorum ſentibus obſiti, quoquo ſe uertunt, omnibus ſunt infenſi ac nocui: quos tamẽ Dominus ſuo non dedignatur tutari patrocinio, modò uelint, ac trahenti gratiæ non reluctentur.

Et nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.

Exaggerationes hæ ſunt ardentes animi ſummopere de Deo præſumentis. Quid, inquit, tentorij ſecretioris, aut petræ inacceſſæ ſimilitudine meam enarro ſecuritatẽ? Non ſolùm enim Deo tutore ab hoſtiũ dolis ſecurus uiuam, uerumetiam illis ero ſuperior, & uictor. Nam Deus caput meum extulit ſuper illos, qui modò me undequaq; ueluti canes uenatici circumuallantes, inter fauces habere opinabantur. Hebræi enim, quod nos ſequentis uerſus initio legimus, Circuiui: huic hemiſtichio ſubnectunt, hoc modo: Exaltabit caput meum ſuper inimicos meos, qui in circuitu mei. Vnde paraphraſtes: Scio ſuperaturum me eius beneficio inimicos meos uniuerſos, quamuis undiq; oppugner ab illis. Quàm uerò periculoſe noſtra quaquauerſus ab aduerſarijs expugnetur ſalus, ſatis abundè in ſuperioribus eſt dictum.

Circuiui & immolaui hoſtiam vociferationis: cantabo & pſalmum dicam Domino.

C Suo more uates animi gratitudinem poſt accepta beneficia pollicetur. Non te terreat, ut ſæpe admonuimus, mutatio temporis. Hebræi tamen cuncta hæc per futurũ legunt. Teſtatur igitur hîc uir ſanctus, ſe hoſtias Deo dignas immolaturum, laudes nimirum, ac cantiones diuino numini idoneas: & id quidem in eius tabernaculo, de quo pauloante, abſcondit me, inquit, in abſcondito tabernaculi ſui: in quo haud amplius, aut hœdi, aut agni, ut olim, immolantur, ſed laudum gratiarumq; actiones celebrantur. Quas quidem ſeſe oblaturum Oſæas quoque promiſit, dicens: Omnem auferiniquitatem, & reddemus uitulos labiorum noſtrorum. Atqui non audiendi ſunt illi, uiri quidem, ſi Deo placet, pluſquàm ſpirituales, qui contenti quibuſdam ſuis, neſcio quibus, ſine mente ſpeculationibus, pro ſumma perfectione habent, ne ſemel quidem os ad diuinas laudes aperire: quin potius illos, qui eum in templis morem obſeruant, ſtomachantur, illisq; detrahunt. Hi nempe admonendi ſunt, ut prius animi tumorem dediſcãt, quàm antiquiſsimam eccleſiæ conſuetudinẽ adlatrent ac lacerent. Quòd licet uerum Dei templum & tabernaculum, cor hominis ab omni impietate defæcatum eſſe ſit dictum, in quo ueræ, Deoq; dignę canantur laudes: non negandum tamen eſt, loca ſacra ac fana, in terris diuino cultui apta, & quodammodo neceſſaria, atq; propterea à ſanctiſsimis uiris libenter frequentata ac culta. Quæ uerò ſint in templis & choris amputanda, non eſt præſentis inſtituti edocere, multò minus hominis obſcuri, atq; incogniti. Clamat igitur uice noſtri ſpiritus, poſtquã ad diuina tam ſtupidi ſumus: Te ô Domine laudabimus, tibi uictoriam, tibi noſtrum de hoſtibus triumphum ouantes referemus acceptum, tuæq; pietati ac clementiæ adſcribemus: tuam inſuper, uel mordicus, aram tenebimus, circuibimus, amplexabimurq;, ac ſuper illam, quæ ueram ſpirant religionem, iugulabimus uictimas, animas ſcilicet noſtras, affectus, uota, deſideria, flagrantiſsimis ſtudijs offeremus,
D nedum oris laudes concinemus, ac uictoriæ præconia celebrabimus. Non deerunt quidem ſuper altare huiuſmodi tuum candelabra aurea, non argentea, non gemmea, nõ thuribulum, non incenſum, non thymiama, non ſexcenta alia huius generis odoramenta, modò tu faueas, nosq; cùm tuam opem implorabimus, ex audias, ut ſemper exaudiſti. Sed & modo

Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te, miſerere mei, & exaudi me.

Illud in primis, quod penè omiſeram, non prætereundum, quod nos in ſuperiori uerſu legimus hoſtiam uociferationis, Hebræis eſſe ſacrificia clangoris: uel, ut uertit Felix, iubilationis. Alluſit enim uates ad antiquũ ſacrificandi morem apud Iudęos: in quo, ut in Numerorũ libro legimus, buccinis ac tubis clangere ex lege iubebantur. Cui præterea à rege addita ſunt & nabla, & cymbala, & cytharæ, atq; huius generis alia. Rurſus Dauid in hoc uerſu ad illud unum quod rogauerat dicens, Vnam petij à Domino, redit, ac precatur hoc ferè modo: O domine, audi, te obſecro, uocẽ meã, miſericorditerq; tracta me, ac meis reſpõde uotis.

Tibi dixit cor meum: exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

Ambiguus admodum is eſt uerſus, idcirco ambiguè enarratur. Felix ſic: Tibi dixit cor meum, requirite faciem meam, faciem tuam Domine requiram. Quorum uerborũ is erit ſenſus: Cor meum cogitat tibi, hoc eſt, in perſona tui, quid nobis iubeas. & reſpõdes, Requirite faciem meam. quocirca abs te edoctus faciem tuam requiram. Diuus uerò Hieronymus, & Chaldæus, idem quod noſter inter pres legunt, omiſſo, te, quod in hebræo non habetur, hoc modo: Tibi dixit cor meum: exquiſiuit facies mea faciẽ tuam, & requiram. quaſi id ſentiat uir ſanctus: anima mea, quæ eſt ad imaginem & ſimilitudinem tuam formata, petit ut faciem tuam, quæ eſt eius ueritas, ac bonorũ omnium cognitio atq; exemplar, exquirat. Id ſanè uult, id petit, id exquirit, propterea illam cõtinuò requiram. Porrò facies Dei, illius eſt notio, patensq; uiſio: quæ & eius uultus dicitur planè retectus, ac beatiſsimis ſolummodo animis à corpore ſeparatis apertus. Cuius quidem contemplationem, quoad eius copulata eſt anima corpori, requirere utcunq; poteſt:

per-

A perfectè uerò tenere, quemadmodum illi, haud quaquam. Si inueni, inquit Moſes, gratiã in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuã, ut ſciam te. Sed quia, ut dixi, ſuperbeatiſsima Dei facies ac uiſio, in qua ſumma totius trãquillitatis animæ eſt poſita, corporeis aſpectibus negatur, idcirco à Deo dictum eſt Moſi: Faciem meam uidere non poteris: non enim uidebit me homo, & uiuet. Sed num, quia uideri nequit, nec requiri propterea à nobis debet? Debet ſanè ſtudio omni ac diligentia inquiri. Alioqui res eſt, quæ non niſi ſummo ſudore & conatu apprehenditur. Animos enim puriſsimos, atq; in exercitio uirtutum planè attritos, puriſsimus ille uultus, non turpes, non ocio languidos, non cupiditatũ flamma exuſtos, non in libidinum cœno ſordidos poſtulat. Quæſiui igitur faciẽ tuam, ait: quæramq; in futurum, ut poſsim de fide in fidem, à gloria in gloriam, quæ eſt facies tua, tranſire: & hęc omnia in facie & illuminatione uultus tui. O miſerrimam mortalium conditionem, poſtquã cœleſtis illius uultus tenuem uix per tranſennam nobis contingit diuinatio magis, quàm uiſio, abſq; uelo & umbra.

Ne auertas igitur faciem tuam à me.

Vt poſsim eam iam tandẽ tot ſuperatis huius mũdi ærumnis uidere. Ne tuos, quæſo, feliciſsimos illos radios à me ſubtrahas, ô ſol iuſtitiæ, ô fax, ô lampas totius bonitatis ac ueræ notionis. Ne, oro, uultũ illum tuum deſiderabilem, in quo natura quoq; ipſa uniuerſi delectatur, ab eoq; formas omnes, atq; idæas, uti ab æterno exemplari ac rerum omnium exordio ſumit, tanquam iratus à me abſcondas, auertasq;. Quòd ſi (malùm) non ualemus in hoc corruptibili corpore reuelata facie tranſire de claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu, ſaltem non deſit amor, continuumq; in nobis te uidendi deſiderium. Quod ut fiat, interim

Ne declines in ira à ſeruo tuo.

Ne, rogo, indignabundus ſecedas à me, néue iratus à contemptibili hoc ſeruo
B tuo, quem hactenus tua ſanctiſsima protectione refocillaſti, ſereniſsimum tuum aſpectũ deflectas. Quòd ſi mihi deinceps peccare contigerit (malo tamẽ millies, ſi fieri poſſet, emori, quàm ſemel te peccãdo offendere) paternè, miſericorditerq; caſtiga me: ac quando res meæ potiſsimũ in periculo erunt, cõſuetam fer opem, & me tuo iucundiſsimo conſpectu recrea. Quid dicam amplius?

Adiutor meus eſto Deus, ne derelinquas me, neq; deſpicias me Deus ſalutaris meus.

Et ſufficit mihi. Te enim opitulante, uota mea omnia mihi proſperè ſuccedẽt: hoſtesq; mei omnes fugient à facie arcus, ac infirmabuntur, & peribũt à facie tua. Quis porrò nos accuſare audebit? quis cõdemnare, ſi tu ſeruare decreueris? Non ſilendum quòd Felix legit hunc uerſum per præteritũ, hoc modo: Auxiliũ meum fuiſti, ne ergo nunc deſeras. Ardent enim in his mirabiliter affectus tum uatis, tum noſtri, ut in ſequentibus uidere eſt.

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.

Hic uates uidetur, quòd non dixit, augere: ut ſit ſenſus: Hactenus mihi non defuiſti Domine: uel tum cum parentes mei, atqueadeo omnes mei domeſtici, & familiares deſeruiſſent, tu me collegeris, ideo ne nunc, quæſo, negligas. Summa uerò: Ab omnibus contemptũ ac deſertũ, tu ſaltem ſuſcipe, & mei curam habe. Certè, ſi res exactius indagetur, homo ſe iam primùm à parentibus deſtitutum fatebitur, cum illi nimiũ malè ſuaſi à dæmone, eò imbecillitatis atq; ignorantię poſteros adegerunt, ut meritò ſe ui omni ac robore animi denudatos conqueri poſſent, ni Dei filius in carnem ueniens, factusq; & peccatũ, & maledictum pro nobis, mihimet meipſum reſtituiſſet: hoc eſt, me languidum ſanaſſet, atq; in tenebris prouolutum. Quid tenebras aio? in ſepulchro æternæ mortis planè extinctum, ac exanguem, in priſtinam integraſſet formam, & uita uera animaſſet. Verùm ne tam gratuitæ aſſumptionis, támue promptæ benignitatis ingratus fiam, atq; iterum, ut ſæpe lapſus ſum, à recta cupiditatibus impulſus deturber,

Legem pone mihi Domine in uia tua, & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.

Iam aliàs diximus, legem ponere, ſtatuereq;, idem eſſe quod legẽ docere. qua-

C re Aquila uertit, legem doce. Idem Felix. Nec quidem ſuperuacuas illas quorundam indagationes admodum exiſtimandas eſſe duco, qui ingenij potius impetu acti, quàm ſpiritus ſancti ardore accenſi, quærere ſolent quid ſibi hîc iterum petitur ſanctus oſtendi legem illam, qua ad iuſtitiæ ſemitam peruenitur? Nónne, inquiũt, & à natura primùm, ſeu potius à naturæ Deo, à Moſe poſtea, à Chriſto tandem duarũ illarum legum inſtauratori, data eſt lex? Nónne adeò apertè cunctis iam lex uitę innotuit, ut ne à pueris quidem ipſis ſemeſtribus ignorari queat? Verùm in ingenuis animi exercitijs ac ſtudijs enutriti non ignorant quàm neceſſaria ſit continua diuinæ inſtructionis renouatio in homine natura ſtupido, inerti, atq; in diuinis tardo, & hebete: neq; tantam rubiginem, aut ſcobem, lima diuinæ legis ualet eradere, quantam denuò mortalium intellectui affert uel obliuio, uel ignauia. Quod quidem animi uitium cum non lateat hominẽ iuſtum, nihil idcirco tantum in periculoſo hoc uitæ curriculo metuit, quantum à iuſtitiæ itinere delabi. Quocirca continuis ſuſpirijs ad Dominum clamat, dicens: Legem pone mihi Domine in uia tua, non in mea, quæ in præcipitiũ ducit: ac dirige me in ſemitã iuſtitiæ propter inimicos meos. Felix: Propter inſidiatores meos. Quot enim ſunt dæmones, quot cupiditates, quot peruerſi homines, tot ſunt nobis inſidiantes, greſſuſq; noſtros captantes, quò nos à uia iuſtitiæ ſemoueant. Prorſus enim plumbei ſunt, qui non uident quantum incõmodi apportent Dei eccleſiæ captatores iſtiuſmodi. Non equidem tantũ hîc in hæreticos inuehor, quantũ in turpiſſimos quorundam mores, qui eo nocentiores ſunt, quo ab ipſis tanquam ab excellentiſsimis formis, omnis ad tranquillè beateq; uiuendum norma ſumi conuenit. Quare, ut cum eruditis Campenſij uerbis orem, oſtende mihi Domine uiã, qua itur ad te, & porrecta manu duc me per ſemitã rectam, ne hoſtes mei, ne ſenſus, ne caro, ne mundus, ne immorigeri homines uiam mihi intercipiant.

D *Ne (inquam) tradas me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.*

Hæc ultima particula ſecus eſt Hebræis. legunt enim: Et loquens uiolentiam: ſeu, ut uertit Felix: Loquens iniquitatem. & eſt ſingulare pro plurali, res admodum familiaris Hebræis. Orat hîc uates ſeſe ab indignitate hoſtium cõſolans, ne ſe Deus illorum animo & cupiditati permittat. Dictio enim hebræa, quam Latinus interpres reddidit animã, pro deſiderio nõnunquam, & cupiditate accipi ſolet. Malè porrò res ſeſe noſtræ haberent, ſi aut malorum hominũ perfidiæ, aut dęmonum ſæuitiæ continuò pateremus, ut aliquando patuimus. Vtrunq; enim periculoſum, propterea pertimeſcendum. Quare non ab re ſapiẽtiſsimus magiſter ſuos admonuit, petendum eſſe à patre cœleſti, ne nos induceret in tentationem: hoc eſt, ne ſuos uellet adeò acerbè uexari à tentatione, ut in deſtinatũ finem tentatoris, quod peccatum eſt, unde mors æterna prouenit, corruerent. quanquam nec illa quidem, aut tẽtatio, aut tribulatio, aut cõtumelia, ex qua laus oriri queat, detrectanda eſt, aut metuenda, cum laus, & ea ſumma ſit, uituperari à uituperato uiro. Cæterum cum non deſint continuò, paſsimq; teſtes iniqui: ſeu, ut legunt Hebręi, teſtes falſitatis, ut hi fuerunt, qui innocentiſsimum Dei filium tam impudenter coram iudice accuſarunt, mirum ſi ambigas ab innocentiſsimo illo innocentiam poſſe deſeri in periculis. Nam cum Deus ſit ſumma, perfectaq; ueritas, quî mendacio fauere poterit, aut iniquitati? Cumq; ſit abſolutiſsima iuſtitia, innocuum ne crudeliſsimo fraudulentorũ hominum animo, atq; inſaturabili cupiditatum erinny diutius permittet? Permittet ſanè illum interdum uexari, achorſum ſurſum anguſtiarum forcipe uerſari. Quòd autem prorſus eum deſerat, atq; à ſua ope propellat, nunquam erit fatendũ: modò duret, quoad ſibi, quæ diu ſub malitiæ fuco uelari minimè poterit, mentiatur iniquitas. Nam mẽtita, ait uates, eſt iniquitas ſibi: hoc eſt, ſeipſos fallunt miſeri, non me. ſibijpſis mentiendo imponunt, non mihi. Quare ſic ab innocentia malè habita iniquorum peruerſitas miſerrimum in modum deluditur. Ego uerò fide hac tutus,

Credo

Credo videre bona Domini in terra viuentium.

A Alia litera habet: Nisi credidissem uidere bona Domini in terra uiuentium. Aposiopesis est. Subaudiendum est autem hoc ferè modo: De salute mea esse actum arbitratus essem, nisi credidissem: hoc est, ni fidem haudquaquam dubiam diuinis pollicitationibus habuissem. Verùm quid sit intelligendum per terram uiuentiũ, perdifficilè uidetur. Censet Eutymius in hoc loco, terram uiuentium hunc esse mundum, utpote sedem aptam uiuis, & locum: mortuorũ uerò terram infernas esse regiones. Negant præterea alij in scripturis usquam cœlum terram appellari, sed tanquam duo maximè distantia poni solita: quemadmodũ illud est psalmi centesimi secundi: Quoniam secundum altitudinem cœli, & terræ. Imò uniuersum his duobus in prima rerũ origine comprehendi. In principio, inquit, creauit Deus cœlum & terram. Terra igitur cum sit in suo significato (nisi aperta sit metaphora) intelligenda, erit in hoc loco terra uiuentium: hoc est, quã uiui colimus, atq; habitamus, licet morti obnoxij. Id circo Ezechias timens mori conqueritur dicẽs: Non uidebo Dominũ Deum in terra uiuentiũ: neq; aspiciam hominem ultrà, qui morior. Et secundum aliam literam dictiones illas, Dominũ Deum, interpretantur templum Dei, quod est, non uidebo templum Dei, neq; intuebor amplius hominem cum uiuentibus in terra. Idemq; ipse accepta cœlitus resp̃sione clamat: Tu aũt eruisti animam meam ex inferno inferiori: hoc est, uitam meam, ne periret, eruisti: quare uiuens uiuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie. Alius uerò psalmus: Placebo, ait, Domino in regione uiuorum. id est, etiam in hac uita placebo domino: alioqui si hîc nõ placeo, quomodo in futuro uitæ statu placere potero? Hinc̃q illud à nostris malè legi asserunt in psalmo cum canũt: Portio mea Domine sit in terra uiuentiũ: Sit enim uacat: sed simpliciter est intelligendũ: Portio mea Domine in terra uiuentiũ: & est intelligendũ, tu
B es. quasi diceret: In hac uita nihil aliud hæreditatis aueo, ac uolo, præter te, qui mea es portio, & sors. Quid tanta, aiunt? Non mortui laudabũt te Domine, neq; omnes qui descẽdunt in infernũ: sed nos qui uiuimus. Quid illud Esaię de Christi morte uaticinãtis? Abscissus est, ait, de terra uiuentiũ. Quid illud aliud Iudæorum in eum conspirantiũ? Eradamus, inquiunt, eum de terra uiuentium. Sensus igitur erit: Ex multis angustijs, atq; ærumnis, quæ me circundederunt, eò se res inclinauerat, ut nisi firmissimè credidissem me aliquando uisurũ, sensurumq; Dei opem ac misericordiam in terra etiam ista, in qua uerè hi uiuunt, quibus uera nunquam obtingit mors, desperassem penitus: adeò insupportabiles in me erant calumniantiũ impetus. Quis, oro, absq; huiusmodi fide, ac persuasione, firmus inconcussusq; ad ferendas tam uarias carnis, mundiúe, ac perfidorum hominũ insidias manserit? Nemo certè homo est, nec angelus quidem (ut sic dicam) cœlestis naturæ spiritus. Verùm ille qui spe fultus diuina, istiusmodiq; persuasione firmatus uiuit, quòd in hoc quoq; mundo, terraq; uiuentium, aliquando uisurus sit quàm fortis Dominus, quàm ualidus, quámue (ut sic loquar) dirus in hostes ultor, præterea q̃ bonus futurus sit his qui recto sunt corde: is certè uel in hoc seculo morti obnoxio, uerè uiuit: quæ quidẽ uitæ conditio futuræ pignus est, atq; arrha. Nam nulli dubiũ esse debet, quòd nisi quis hîc castè, inculpateq; uixerit, atq; illi terra ista mortalis, terra fuerit uiuentiũ, eum ipsum frustra uiuere, cui neq; cœlum ipsum uitam ueram suppeditabit: quandoquidem nihil aliud est hîc uerè uiuere, quàm futurã uitam appetere, ac fide & operationibus, quæ à charitate proficiscũtur, quærere, ac (ut sic dicam) cõmercari. Quî nõ miserrimã animam illam non arbitrer, cui terra ista elementaris, terra uiuorũ non sit? & quæ dicere possit cum Paulo: Etsi uiuo, iam non ego, uiuit autem in me Christus? Et, uita mea abscondita est in Deo? Anima igitur iustitiam illam, quæ ex fide est, adepta, ea est quæ dicit: Credo uidere bona Domini in terra uiuentium. Hoc est, firmiter teneo, neq; aliter fore certò scio, me sic ex Dei misericordia uicturam, quòd terram istam alioqui morti obnoxiam, uiuorũ terram esse intelligam: hoc est, in qua uerè ab illis uiuitur, qui ut cœlestem uitam habeant, ea ipsa etiam, quæ mortua ui

c dentur, ut ſunt peccata, in ſuum profectum trahunt, & ad uitam ſibi cooperari faciunt. At tu qui hæc legis, caue te frangat tanta commutandi mortẽ in uitam difficultas, quin potius

Expecta Dominum: Viriliter age.

Expecta, inquit, Dominum patienter quiſquis ſapis. Expecta tot inter mundi anguſtias, unde ueniat auxiliũ tibi à Domino. Sis, oro, animo infracto, ne dubita quin ipſe confortaturus ſit cor tuum, alioqui per ſe durum, & intractabile. Quicquid acciderit adamantino fer pectore, totuſq; à Deo fac pendeas, nõ à fato, aut fortuna. Atqui ſummũ infidelitatis ſignum eſſe exiſtimo in Chriſtiano uiro, cum ſeſe, aut ſpectantes ad animam res, fato, aut conſtellationibus ſubiectas eſſe credit. Quid nobis iam cõmune eſſe poteſt cum aëris mutationib. ac motibus? quid cum ætheris uiciſſitudinibus, qui cum Chriſto unum effecti, ſuper omnia condita dominium habemus? Quòd uerò pleniluniũ, interluniumq;, aut eclipſis, aut cometæ ipſi quoq; ardentes in rebus iſtis inferioribus uim habeant, atq; illis imperent, id eis à natura, ſiue à naturę opifice tributum eſt, ut in plantis, ac teſtis apparet. Idcirco error haudquaquã erit id arbitrari poſſe fieri, quod natura unicuiq; rei, ut ſic fiat, inditum eſt. At Chriſtianorũ libertatem uelle (ut uelle uideo nonnullos etiam in eccleſia Dei primi gradus homines) cœlorũ alterationibus ſubiectam eſſe, ſumma impietas cenſenda erit. Quare noſtra omnis conſtellatio, noſtrum fatũ, fortunaq; Chriſtus eſt, à quo pendêre debẽt quicunq; ad eius ſanctiſſimum corpus attinent: non à diebus illis fauſtis, infauſtisue, qui tam impudenter lunaribus in pagellis impreſsi uulgò uæneũt. Cęci ſunt ne, in re tanta præſertim, eccleſiarum proceres? Quid ſi ipſi, dicet aliquis, ſuperſtitiones fouent huiuſmodi? quid à reliquo igitur uulgo expectãdum erit? O ingratos homines. Tantum abeſt, mi lector, ut per quamcunq; occaſionẽ te à diuina luce per Chriſtum mun
D do allata ſubtrahas, ut etiam eo magis ad cõſpectam iam tandem ueritatẽ accendaris, quo conſpicui magis ſunt illi, qui tantũ lumen extinguere moliuntur. Tu, quod in te eſt, pro uiribus age, & quæcunq; ſors tulerit præſenti tolera animo, nõ languido, mulierũ more, quæ natura inſtabiles ſunt, atq; aduentum omnem flexibiles. Apparebit certè Dominus in finem, & non mentietur: & ſi morã fecerit, expecta eum, quia ueniẽs ueniet, & non tardabit: ac, ut diuus refert Iacobus: Vidiſtis finem Domini, quoniam miſericors eſt, & miſerator.

Confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

Inualeſcatq; illa Domini admonitione Ioſue facta experrectum. Confortare, ait, & eſto robuſtus: noli timere, quia tecum eſt Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcunq; perrexeris. Et ſuſtine Dominum.) Hoc eſt quod ſuperius dixit, Expecta Dominum, atq; illi cum patientia tuam cauſam committe.

PSALMVS DAVID XXVIII.

AD te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas à me.

Flagrantiſsima hæc eſt oratio, & quæ à manſuetiſsimo Vatis pectore proceſsit, tum quidem, cum ab immaniſsimo eius filio Abſalone ui penè opprimeretur. Orauit enim ab illis ipſis peruerſis conſultoribus, qui cum filio contra ſe, ſuumq; regnum conſpiraſſent, ſeruari. Quàm uerò neceſſariæ ſint etiamnum iſtiuſmodi ſupplicationes, quibus electi præſentia tum hominum peruerſorum, tum dæmonum pericula, atq; inſidias, & artes fallendi perpendentes, Deum ſingultibus ac lachrymis ſedulò interpellant, iam res notior eſt, quàm quæ multis argumentis probari debeat. Id enim continuę teſtantur oppreſsiones, rixæ, homicidia, furta, rapinę, & cætera illa quę Paulus fructus carnis appellat. Ecquis igitur corruptionem hanc mundi conſiderans ex animo, non clamabit, Deus meus ne ſileas à me? Suo more uates rem tropis inuolutã narrat, ponitq; ſilere pro permittere, negligere, quieſcere. & erit ſenſus: Ad te ſolum ô Domine, cæteris ſpretis auxilijs clamabo: ne, oro, me negligas: ne me

in atro-

A in atrociſsimis improborum hominũ perſecutionibus conſtitutum deſeras. Alio in pſalmo hoc eodem tropi genere eſt uſus, dicens: Deus quis ſimilis tibi, ne taceas. Rurſum illud in ſecundo Regnorum libro. Nam cum iudices occiſo Abſalone Dauidem in regnũ reſtituere differrent, à populo audierunt: Vſquequo ſile tis, & non reducitis regem? hoc eſt, quid ceſſatis? cur negligitis regem reducere?

Ne quando taceas à me, & aſsimilabor deſcendentibus in lacum.

Alij reddunt, in foueã: alij, in ſepulchrũ. quaſi uates dicat: Fer opem Domine actutùm, alioquí par ero mortuis, quí iam tumulo conditi non apparent. Solent rurſum illi qui in foueam aliquam profundam cadunt, fruſtra conari per ſeſe: ut è periculo exeant, niſi ſit quí manum porrigat, atq; extrahat. Sic homo in altiſsimum deſperationis barathrum propter aduerſitatũ tentationumq; acerbitatem facilè proruit, atq; ibi perpetuò manet, ſi ex ſeſe abſq; diuino ſubſidio liberari cogitat. Quare quí quantum humana ualeat uirtus, hoc eſt, quàm labilis, quámue infirma ſit, ac ſui diſsímilis, optimè perpendit, ſe totum in benigniſsimã Dei protectionẽ reiſcit, clamatq;: Perſimilis ero certè uita defunctis, atq; illis quidem qui in altiſsimum aliquem lacum è uia deturbantur: actum de me ſcilicet prorſus eſſe uideo, niſi tu Deus præſtò ſis, atq; opem feras.

Exaudi (igitur) Domine vocem orationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Hîc uates ardorem ſimul & morem flagranti cum affectu orantiũ ſe è periculi magnitudine eximi, artificioſiſsimè expreſsit. Solẽt enim hi & manus & oculos, & quicquid ſunt eò dirigere ac leuare, unde auxiliũ ſperant. Nos etiam quí toties uel in ipſis deſperatis rebus, atq; omnino perditis, Dei præſentiam ac fauorẽ experti ſumus, ad quod aliud confugium concurrere debemus? Quem alium patronum implorabimus? Cui alij manus noſtrę ſupplices erunt extollendæ, niſi illi, quí tum potiſsimè opitulatur, cum minus nobis, noſtriſq; uiribus fidimus? Eiuſ-
B modi enim excellentiæ natura gratiæ diuinæ eſt, ut nihil in nobis in re ſalutis noſtrum eſſe uelit, præter tenuiſsimam quandam in uoluntate portionẽ, qua ſponte nos noſtra ad illud eligendum mouemur, quod abſq; ipſius gratiæ auxilio ac dono perfici haudquaquam poteſt: quanquã & illud totum quod in delectu, electionẽq; conſiſtit, propterea liberũ eſt, quia à Deo eſt. Porrò uocẽ orationis hîc eſſe duco, mirũ in modum exæſtuans amoris deſideriũ in orante, quod urgẽs ad impetrãda rogata à Deo, calcar eſſe ſolet ac ſtimulus. Nam ardens affectus in orante uix modum ſeruat, ſed incaleſcit abſq; ordine, dum flamma flammas excutit, ignisq; amoris intenſæ orationis ignem & nutrit, & auget. Ad templum ſanctum tuũ.) Felix reddit, ad abditum ſanctitatis tuæ. hoc eſt, ad locũ illum cœlorum ſecretiſsimũ, caliginémue incõprehenſibilem tui ſanctiſsimi numinis. quod ſic expreſsit paraphraſtes: Suſtollam in altũ manus meas uerſus cœlum, in quo ueluti in templo ſanctiſsimo maieſtas tua peculiari quodam modo habitat. Alludit enim propheta ad ſancta ſanctorũ tabernaculi, ſeu tẽpli illius antiquí Iudęorũ. Et uerè in abdito, ſeu, ut illud appellat Dionyſius, in caligine habitare dicitur Deus, cum eius uię, iudicia q;, ac occultiſsimę lateãt prouidentię. Mirarí quidem eius magnitudinẽ poſſumus, ſcire uerò omnino nequimus. Lucẽ enim humanę cognitioni penitus inacceſſam, ut clamat Paul. habitat deus: idcirco nõ eſt quòd hebes noſtri intellectus acies in tam profundę lucis ſtuporẽ ſeſe immergere ſperet, niſi ſolutis his prius corporeis nodis, depoſitoq; carnis onere ac impedimẽto

Ne ſimul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Ne perdas me, non eſt in hebr. Sed ſic habetur is uerſus cum ſequenti: Non tradas me cum improbis, & cum operarijs prauitatis loquentibus pacem cum ſocijs ſuis, & malum in corde eorum. Vide, oro, quomodo prudentiſsimus uates ab improbitate & uerſutia hoſtium ſuorũ, ſpem ſibi uenturi auxilij promittit, oratq; ſeſe turpi uitæ cõſuetudine illorũ nõ fœdari. Inuitus, inquit, cum improbis & fraudulentis conuerſor, atq; eorũ mores deteſtor: tamẽ in eadem cum ipſis na

C uigo naui, uiuoq; & cõuersor. Tantum enim abest, ut illorũ uita atq; amicitia mihi probetur, ut etiã illam supremũ in modũ auerser ac fugiam. Quandiu quidem sinit Deus triticum simul & zizania in ecclesia crescere, orandus est ne & bonæ & malæ simul fruges extirpentur. Tradi à Deo, seu trahi, ut legunt Hebræi, cum peccatoribus, id est, cum illis qui & uoluntate, & actione sordidi sunt, nihil aliud est, quàm proprio nostro uitio ac proposito, à Deo nos deseri: quo quidem absente humanus ita peruertitur intellectus, & mens & ratio, ut nihil, etiam si uelit, queat homo aut cogitare, aut agere, quod idem turpe non sit, sibiq; capitale, ac noxium. Et quidem huius generis homines illi sunt,

Qui (ut nihil ad cumulum eorum nequitiæ addi possit facile) loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

Verbis, inquit, amicitiam simulant, uirus tamen in corde circumueniendi fratrem præsentaneum sopiunt. In hoc enim genere malitiæ atq; impostur̃ uersantur hæretici, qui loqui pacem dicuntur, cum falsis uerborum lenociniis rudes maximè inescantes. Conscientiarũ motus sedare pollicentur, cum nihil minus illos agere iam olim maximo suo incõmodo experta est ecclesia, & nunc maiori forsan experitur. Summa igitur: Tantus est, inquit, malignorũ astus, tanti sunt doli, tanta quorundam, uel in primis eorum à quibus perfecta expectari oportuerat & fictio, & simulatio, ut me à turpi illorũ consuetudine purum seruari miraculo sit simile, nisi tu, ô Domine, me meũ periculum agnoscentem, atq; ob id tuum auxilium efflagitantem, audias. Audi igitur, ne, dum siles, dum non respõdes, dum exaudire dissimulas, aut contemnis, illis fiam similis, qui in lacum aliquem profundum, de quibus nulla prorsus extet euadendi spes, proruunt.

Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum.

Mens, ut iam alias dixi, perfectissimi uiri, quæ per amorẽ & cognitionẽ Deo
D prorsus est unita, non potest diuinæ non concors esse uoluntati, eademq; petere, quæ in eius gloriã, bonorumq; salutẽ cessura sciunt. Proinde Dauid in eorũ numerũ, & excellentiori forsan prærogatiua, ab Deo arcitus, orat ea impijs diuinæ maiestatis hostibus obuenire, quibus urgẽtibus Dei nomen celebre fore pernoscit. Redde, ait, illis debitas pœnas, secundumq; illorum demerita ultor esto. Sordidi enim sunt, sordescant adhuc magis, atq; illis, prout illorũ expostulat malitia, tribue. Adinuentionũ, Felix reddit, studiorũ: ne diutius in explicãda uoce adinuentionũ torqueamur. quare is erit sensus: Quẽadmodũ em̃ illorũ studia scelerata, turpesq; cogitationes, ac uanę curæ & solicitudines cõmeruere, illos castiga.

Secundum (inquam) opera manuum eorum tribue illis, retributionem eorum ipsis.

Notat Eutymius hîc, uatem suũ dolorẽ zelo quodam sanctissimo citra ullum indignationis motum accensum cæteris patefacere, dum eandem repetit uarijs uerbis sententiam. Persolue, ait, illis, quod suis sceleribus merentur. atq; hæc erit digna improbis retributio, quã quidem olim per Esaiã cõminatus est Dominus, dicens: Dies ultionis in corde meo, annus retributionis meæ uenit. Verùm quoniam præcipua impietatis eorum radix est, quòd ad cõsideranda Dei opera non applicant animum, idcirco à uate additur,

Quoniã non intellexerũt opera Domini, & in opera manuũ eius destrues illos, & nõ ædificabis eos. Alia litera ex hebr. uidetur rem clarius exprimere hoc modo: Quia nõ aduertunt mentẽ ad opus Domini, & ad facta manuũ eius, destruet eos, & non ædificabit eos. Nescio enim an humano intellectui quicquã nequius accidere possit, q̃ nõ conari, ut ait paraphrastes, cognoscere Dominũ per ea, quę facta sunt ab illo: nec per mirabile hoc creationis opus, in quo tam manifestè relucet omnipotẽtia manuum illius. Ecquis igitur mos alius in homine tam beluis similis esse potest? Quis magis euidens Dei contẽptus? Ad tantum' ne sui cõditoris neglectũ deuenire potest homo, ut, cum Dei opus sit, cęteris q; fruatur Dei operibus, atq; in illis cõtinuò uersetur ac uiuat, utaturq; illorũ beneficio & dono, ne horulam quidẽ ad considerandam tam beneficí patris largitatem expendat, animumq; admoueat?

Cœli

A Cœli quidem inanimes enarrant opera Domini, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Celebrant bruta tam nobile opificium: extollunt plantæ, atq; ipſa ſaxa rudia & inertia. Solus homo diuini numinis capax rationeq; inſignis & nobilis, in hac parte plerunq; uel ab ipſis minutiſsimis uermibus & inſectis ſuperatur, dum libidinibus ſolummodo, atq; auaritiæ & ambitioni inhians, animũ, portionem utiq; diuinam ac cœleſtem, terris preſſum retinet, nec aliquando ad quæ bona percipienda conditus ſit cogitat. Hinc enim malorũ omnium emerſit caput atq; origo. At tu, qui legis, uide quid calamitatis illos, qui eiuſmodi generis ſunt homines, maneat. Deſtruet illos, ait, Deus ſcilicet, ad cuius opera ne oculum quidem corporeũ dignant uertere. Et non ædificabit eos.) His uerbis affectu copioſiſsimis eos penitus deſtruẽdos exprimit. quod ſanè elegantiſsimè reddidit paraphraſtes: Ipſe, inquit, deſtruet illos funditus à nullo unq; reſtituendos. Hoc porrò idem fermè eſt, quod alio in pſalmo dixit propheta: Tanquam uas figuli confringes eos. Sunt qui cenſent, haud illos, ſed illa, legi debere: ut illud, deſtruet, & ædificabit, ad Dei hoſtem referatur, qui cum nunquam animũ ad rerum conditarũ conſiderationẽ moueat, neq; ad diuina expendenda opera cor applicet, ea quantũ in ſe eſt, euertat, & non ædificet: hoc eſt, cupit illa non eſſe, ne ſint in rebus conditis, quę Dei nomen ac famã celebrent: adeò terrenis rebus immerſus, cœleſtia atq; immortalia infeliciſsimũ in modum faſtidit. Rurſum in hoc loco taxantur hypocritæ, quibus raro ueri cognitio, hoc eſt, quę bonarũ actionum uis ſit, perſpecta eſt. Quare opera illa, quę propterea bona ſunt, quia à Deo ſunt, non Dei ipſius, ſed ſua eſſe exiſtimant, ea cõſiderant, mirantur, amant, prędicãt, in ipſis q; conquieſcunt: opera uerò Dei neq; mirantur neq; conſiderant, ſed euertunt omnino, ac radicitus, quantum in ſe eſt, extirpant. Verùm

Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit ϒocem deprecationis meæ.

B Amens profectò ille æſtimari debet, qui non ſatius ducit uerberibus & afflictionibus à Deo probari ac perfici, quàm in croceis enutriri: indeq; laudandi ſanctum Dei nomen occaſionẽ magis uenari, quàm ex ampliſsima rerum copia atque ubertate. Modis enim omnibus laudandus eſt Deus: ſed illo ardentius, quo conformes Dei filio per crucis ignominiam efficimur. Eſt'ne parui momenti negocium, ad tam ſublimem gradum euehi, ut ſimiles altiſsimi regis nato per uitæ imitationem dicamur? Dauid igitur futurorũ iuſtorum typus, cum crebrò diuinæ abundantiam bonitatis expertus eſſet, ſpe rurſus cõfirmata, roborataq; fide, ac futuri auxilij certitudine accepta, canit hoc modo: Laudatus Dominus, & dignus ſanè cui perpetuæ habeãtur gratiæ. Audiuit enim uocẽ deprecationis meę. quaſi id dicat: O immenſum diuinæ largitatis pelagũ. Deus audit hominẽ. Conditor omniũ auſcultat puluerem. Quid eſt homo, ô immenſe Deus, quòd ſic magnificas eum? Quid amplius optem?

Dominus adiutor meus & protector meus, in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum.

Mirabilis hic diuinæ diſpenſationis à uate celebratur ordo erga ſuos: quo primùm aperit, ex afflictione patientiã oriri, à patiẽtia probationẽ, à probatione uero ſpem illam firmã, quę, ut ait Paulus, nõ confundit, per ſpiritũ ſanctũ, qui datus eſt nobis. In ipſo, ait, ſperauit cor meum, idcirco adiutus ſum, nam ſpe ſeruamur. Quare de illa ſic ſcribit Paulus: Fortiſsimũ ſolatium habemus qui cõfugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchorã habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem uſq; ad interiora uelaminis. Ea eſt enim beatarũ animarum patria, in quã ſpe firma in Deũ, ac fiducia introducimur, haud ſecus. Quare Paulus quanta poteſt uoce clamat: Nolite amittere confidentiã ueſtrã, quę magnam habet remunerationẽ. Quam ſanè nihil aliud eſſe certò ſcio, quàm ipſum Deum, in quẽ noſtri omnes ſpei conatus deſinunt. Hebręi porrò ſic legũt hunc uerſum: Dominus robur meum, & clypeus meus, eo nititur cor meum, & adiutus ſum.

Et refloruit caro mea, & ex ϒoluntate mea confitebor ei.

Vide effectum gaudij ex donato de hoſtibus triũpho exorti. Quemadmodũ

c enim cor mœrens, atq; animus languens in carnem quoq; ipſam mœroris notas emittit, unde pallor, aſperitaſq; in cute, ac rugoſa macies interſpergitur: ita contrà, ex corde hilari & iucundo, exhilaratur etiã corpus. Ait igitur: Caro mea, quę olim uariis ſordibus obnoxia, & quæ infinitis contaminationibus polluta, hyemalíq; ueluti glacie ac bruma conſtricta obriguerat, modò flante conſolationis diuinæ zephyro reſoluitur, ac quodã modo repullulat. Quare ex uoluntate mea confitebor ei: hoc eſt, prompto animo, libereq; laudabo Deum. Felix tamen uersum ſic integrũ reddit: Et exultabit cor meum, & in cantico meo celebrabo eum. Nihil enim in terris tam cupit animus Deo gratus, q; ob donatã cœlitus uictoriã exultare in ſpiritu ſancto. Hincq; cogitur in laudes tanto donatore dignas, hymnoſq;, atq; odas ſpiritales erumpere: in quo quidẽ tripudij genere beatiſsimorũ animorum ſtatum potiſsimè imitatur. Ego, inquit, id olim non poterã, quando caro hæc rebellis ſpiritui, animo imperabat: modò uerò ſubiecta Dei dono effecta, ſponte ſua paret, frænoq; minimè obluctans, Deum unà cum ſpiritu laudat, confitetur, atq; illi hoſtias uoluntarias gratiarum actionũ litat. Quandoquidem

Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſaluationum Chriſti ſui eſt.

Ecquid igitur aliud euenire potuit, quàm quod dixi? Dominus enim mea fuit uirtus, ut ſemper illorũ eſt, qui in dominicã ſortẽ cenſentur. Et eſt ceu epiphonema eorũ, quæ in ſuperiori uerſu ſunt dicta. Glorientur itaq; alij ut lubet, in propriis uiribus, in ſecundis euentibus, adeptiſq; magiſtratibus, ac fauore principũ, gratia, & rebus tandem illis, in quibus gloriari ſolet mundus: ego uerò in Deo ſolummodo & glorior, & exulto, quippe qui nunq; ſuis deeſt: quemadmodũ è cõtrario res mundi in medio ipſo felici ſucceſſu & fauore, plerunq; deficiũt, atq; in aurã quodammodo tenuẽ ac fumũ reſoluuntur. Porrò affectu non uacat id, quo hunc uerſum ſic reddunt Hebræi: Dominus fortitudo ipſis: nec quibus dictionẽ
D ipſis, referant, exprimunt. Eclipſis enim eſt admodũ familiaris ſcripturę, & eſt ac ſi dicat: Dominus uirtus fuit illis ipſis tam paucis: illis, inquã, qui ob uiriũ imparitatẽ ſuccumbere debuerant, tamen uictoriã reportarunt. Quis hoc credat? Vide igitur quomodo ex admiratione inſperatæ uictoriæ adeò totus uir ſanctus in ipſis cõtemplandis uictoribus teneatur, ut de ipſis perinde loqui uideatur, quaſi noti ſint omnibus. Cæterũ ſaluationũ dicit pluriũ numero: quo dicendi genere aduertas animũ, non unũ genus ſalutis eſſe ſolummodo, quo electi à Deo adiuti è malis eximi ſolent: crebrò enim id fit ac multifariè. Sẽſus igit is eſto: Dominus uires ſuggerit ſuis, & præcipua ſemper pars fuit uictoriarum, ſeu ſaluationũ Chriſti ſui, electi ſcilicet ſui ſacro ſpiritus chriſmate peruncti. Omnis enim Chriſtianus unctus dicitur per Chriſtũ, cuius ſalutẽ cũ legimus aut memoramus, noſtrã legimus & memoramus, qui iam in ipſo ſumus per ipſum. Tantũ abeſt ut mirabiles illius ſaluationes, uirtutẽ, potentiã, fortitudinẽ mue, quib. cœlitus iuuamur, noſtra arbitremur, ut etiam diuinas eas eſſe operationes ſolũmodo exiſtimemus quanq; & ea quidẽ noſtra ſint, poſtq; Paulus aſſerit omnia noſtra eſſe, nos Dei.

Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege illos, & extolle illos vſque in æternum.

Orat hîc uates in calce pſalmi, ut Deus populũ ſuũ, quẽ ceu hæreditatẽ, hoc eſt, unicè charũ habere uoluit, ſeruet, tutetur, beneficijs accumulet, ut paſtor regat, ac tandẽ in regno ſuo æterno exaltet. Ait enim: O Domine, populũ tuũ, quẽ ueluti hæreditario iure bonorũ tuorum participem eſſe iuſsiſti, tutare, ac ſerua, ne errorib. implicitus, ne falſis adulatorũ perſuaſionibus deceptus, nec carnis illecebris irretitus, ne mundi lenocinijs illectus, ne à corporearũ rerũ oblectamẽtis remoratus, ne perturbationũ fluctib. ſubmerſus, ne ſecundarum rerũ ſucceſsibus inſolens factus, ne excãdeſcentia irrationabili, ne ira, ne odio, ne faſtu, ne ambitione infectus, à te deſciſcat & pereat. Quin potius rege eum, paſceq; tui ſanctiſsimi uerbi pabulo, atq; extolle & exalta, nõ de rhetore ad cõſulatũ, aut (ut ſolẽt ſuos noſtri tẽporis primarij, iuſtè uerò uel ne, ipſi uiderint) de decurionatu ad

cen-

A centurionatum, ſed de uirtute in uirtutẽ ſublimando, donec creſcat, non rurſus di
co in præpoſitũ, aut epiſcopum, uerùm, ut ait Paulus, in uirũ perfectum in Chri-
ſto Ieſu, in ęternũ: hoc eſt, quò tecũ ſine fine uicturus in ęterna maneat felicitate.

PSALMVS DAVID *in conſummatione tabernaculi*, XXIX.

Eſferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.

Neſcio equidem an alius ſit pſalmus tam uariè à noſtris enarratus, quemadmodũ hic eſt: quem ſimpliciter interpretari, id eſt, ſecundum ſpiritus ſancti mentẽ (abſit arrogantia) propoſitum eſt: adeò ſermè omnibus allegoriarũ placet luxus, & uarietas in exponendis his ſacris odis. Quorum quidem piam ſicut non reprehendo ſententiã, ita non poſſum non maximopere approbare, & ſequi illorum inſtitutũ, qui magis ſtudent ſcripturæ cęteris ruditoribus, etiã aliquando cum iniuria eloquentiæ, propriũ, germanumq; ſenſum reddere, quàm proprio cõmodo, &, ut uocant, deuotioni inſeruire ac ſatisfacere. Et quẽadmodum illud uerũ ſit in hoc pſalmo, ut nõnulli arbitrati ſunt, cœlorum aſtra, quę interdum in ſcripturis, raro tamen, dij, ſeu filij deorũ appellantur, ut illud in primis uidere licet in Iob lib. ad celebrandam Dei uirtutẽ prouocari. Rurſum ſicut abſurdũ haudquaq; erit ſupernos angelos pro filijs Dei intelligi. Nam quęcunq; hæ res ſint, quę expreſsius referãt diuinitatẽ, Deumq; ipſum excellentiori quodã modo repręſentent, ut ſunt ipſi angeli copioſiori felicitate donati, q̃ cæteræ res conditæ: homines deinde, ac tertio loco cœli ipſi, eorumq; ſigna, & ornatus, dij à ſcriptura appellari ſolent: ita in hoc loco principes & magiſtratus potentia aliqua ſublimi Deũ utcunq; referentes, à uate ſanctiſsimo inuitari arbitror ad laudãdum Deũ magis, quàm cœleſtes ſpiritus, aut ſydera illa, alioqui pulcherrimo naturæ artificio fabrefacta, & diſtincta. Quid, oro, tam in rebus cõditis ſublime eſt, atq; adeò tanta diuinæ illuminationis abundantia perfuſum, quod non
B Deo, cuius uirtus ac potentia tam immenſo interuallo cuncta præcellit, ſupplex laudes canere debeat? Idcirco in ſequentibus Dei filij admonentur, ut Deũ adorent in atrio ſancto eius. Iam primũ quidem illud quod reddit Felix, cæteriq; Hebræi, me hortatur, ut de hominibus egregia aliqua potẽtia inſignibus, pſalmum hunc interpreter. Loco enim filij Dei, hi reddunt, filij principum, ſeu filij fortium: quod idem eſt ſecundum idioma hebræũ, quod principes fortes, & potentia aliqua prædití: quemadmodũ, ut aliàs admonuimus, filij hominũ idem præ ſe fert, quod homines. Quos quidem ſecutus paraphraſtes, hoſce filios principũ, ſeu fortium, robuſtiſsimos appellat. Tribuite, ait, Domino robuſtiſsimi quiq;: tribuite, inquam, Domino gloriã & omnipotentiã. Atqui hic uides lectionẽ, qua nos legimus filios arietũ, peritis in lingua hebræa non probari, ſed hanc tantũmodo, aut huic ſimilem: Afferte Domino filij principũ, afferte Domino: ſeu cedite Domino: aut, ut legit paraphraſtes, Tribuite Domino decus, & uirtutem. Quòd ſi tamen dictio, arietes, interſerenda eſt, ut diuus uiſus eſt approbaſſe Hieronymus, filij arietes potius, quàm filios arietũ legendum arbitror. ex qua quidem inuitatione filij prouocantur principũ, qui arietes à prophetis non ſemel nuncupari ſolent, ut in primis illud Hieremię, omiſsis cæteris, in medium proferam, quo queritur principes Iuda factos uarietes non inuenientes paſcua, qui abierunt abſq; fortitudine ante faciẽ ſubſequentis. Ait igitur uates: O uos reges, ô principes, ô uos qui in rebuſpub. aut in eccleſia Dei dignitate & potẽtia ſublimes eſtis, Deo, non uobis ueſtram potentiam, ueſtram dignitatẽ, ueſtros honores adſcribite. Et quemadmodũ ſupra cæteros autoritas, à Deo, non à uobis, aut pecuniarũ ui & ambitu eſt expectanda, ita & eidem ipſi Deo referẽda. Ipſe enim potentiſsimus cum ſit, potentiam cęteris impartit. Illi igitur cedite, atq; illius bonitati ac uirtuti, quicquid bonitatis aut uirtutis nacti eſtis, acceptũ ferte. Non ſceptrũ quidem regiũ, non diadema, non infula, non mitra, nõ ſi quid aliud eſt quod prę ſe ferat potentiã aut dignitatẽ, ex ſe eſt, aut ab homine, ſed à Deo ipſo, à quo, ut ait Paulus, omnis deriuatur poteſtas. Quanquã inſignia illa omnia, quibus in Dei eccleſia

C inter cæteros conſpicui ſumus, ſeruitutem magis, quàm imperium, aut dominiũ portendunt. Ad illos enim gradus atq; honores aſciſcuntur homines à Deo (utinam à Deo, & non à priuatis affectibus) ut tanquam patres filijs inſeruiant, non ut domini imperent. Quid igitur moramini?

Afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in aula ſancta eius.

Vide attonitum animum, ac mirandum in modum obſtupeſcentem, in repetita toties inuitationis uoce. Non ſemel enim contentus dixiſſe, afferte, nec bis, tertio quoq; illud idem inculcat: quò aduertant mundi dynaſtę, quanti momenti res ſit à Deo, propter potentiam, ac qua maximè inſoleſcere ſolent mortales, autoritatem, deficere. Iam uerò illud, adorate Dominum in aula ſancta eius, etſi alluſio uideatur ad morem illum ueterem, quo in tabernaculo fœderis coli debebat Deus, aliter tamen ab Hebræis legitur. Felix ſic: Adorate domino in magnificentia ſanctitatis: ſeu, Genua flectite Domino in ſplendore ſancto. quod quidem ſic interpretatur paraphraſtes: Supplices efficiamini Domino, quemadmodum meretur ſacroſancta maieſtas eius. Et ſic uides, quid ſibi uelit, adorari Deum in magnificentia ſanctitatis: hoc eſt, ut tanta meretur maieſtas: quem ſanè cultum caſtiſsimas mentes appetere arbitror, atque actiones undequaq; purgatas, ut eius generis apparatu ornati erant antiqui illi Iudæorum ſanctiores: quibus niſi optimè emundatis templi aditus negabatur. Id uerò noſtri ab illis differunt, quod illi in cinere, & cruore, cæteriſq; carnis iuſtificationibus, ac crebris lotionibus ſuam ponebant munditiem: nos autem cordis affectu, lachrymis, & qua potiſsimum nobis diuinus conciliatur fauor, humilitate, in primisq; Dei gratia, & dono, noſtram omnem metimur innocentiam. Quid dignum offeram Deo, dicebat Michæas? Nunquid offerã illi holocauſtomata? num uitulos anniculos? Nunquid placari poteſt Deus in millibus arietum? Incabo, ait, tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utiq; fa-
D cere iudiciũ, & miſericordiam diligere, & ſolicitè ambulare cum Deo tuo. Quòd ſi rurſus dictio, aula, non tibi diſplicet, hæc eadem illa erit, quam alio in pſalmo uates appellat eccleſiam magnam: hoc eſt, ſanctorum cõuentum ac cœtum, qui unà atq; illo quidem uiuit inſtituto, quo certatim alter alterum Chriſto lucrifacere ſatagit: non ut turpi uita, ac moribus pluſquam ethnicis perdat, & mactet. Putat Eutymius uirum illum Deo gloriam offerre, qui ne horulam quidem ab hymnis, & canticis ſpiritalibus ociatur: honorem uerò, qui continuũ in mandatorum diuinorum obſeruatione timorem offert. quem quidem honorandi Dei modum à Paulo didiciſſe Eutymium arbitror, qui ait: Si per tranſgreſsionem legis Deus inhonoratur, manifeſtum eſt quòd per eius obſeruationem honoratur.

Vox Domini ſuper aquas: Deus maieſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas.

Ne uates uideretur Deum aliquem imbecillem, atq; inutilem, cui regna omnia mundi aſſurgere debeant, propoſuiſſe: potentiæ eius mirabiles quaſdam operationes, atq; argumenta enarrare incipit. quæ quidem adeò uera ſunt, corporeoq; uiſui patentia, ut aliud quoq; interim per illa ſecretius innuere uelle prophetam cenſeam, ac portendere. Nulli dubium quòd uox Domini, ſeu uerbum, ſeu uirtus appelletur, cõmouet aquas, excitatq; tonitrua, iaculatur fulmina, & id genus alia uidere facit, quæ partim in pſalmo decimoſeptimo, partim in hoc eodem, quem modò interpretamur, ſunt ſcripta. Hiſce enim terrificis indicijs olim Deum cum iram, tum beneuolentiam, populo illi antiquo Iudæorum demonſtraſſe paſsim in ueteri inſtrumento legimus. & eſt perinde ac ſi dicat: Vox Domini ſuper aquas, hoc eſt, in nubibus tonat: quæ ſanè nubes in hoc loco per metonymiam aquæ dicuntur, cum nihil aliud ſint nubes quàm craſſus quidam globus exhalationũ, uim habens gignendorum imbrium. Dominus, inquam, tantus, maieſtateq; uerendus, & qui ſolo nutu cunctam uniuerſi machinam perterrefacit, is eſt, qui poteſtatem habet effundendi in terram aquas multas. Neq; eſt porrò mediocri conſideratione dignum, quòd uirtus illa diuina, qua formidabi-

les

A les iſtiuſmodi cœlorum cõmotiones, ac cætera alia ditionis Dei argumenta ſeſe manifeſtandi uim habent, uox à propheta dicatur: nam propterea deſides mortalium animi in admirationem rerum earum, quæ diuinam potentiam ac maieſtatem præ ſe ferunt, excitari facilè poſſunt, cum audiunt primam illam cauſam perualido tonitru, ac terrifico terræmotu pro uoce uti: quam ſanè uates aſſerit in uirtute erumpere, & magnificentia, hoc eſt, prævalidam eſſe & magnificã: quippe quæ tam admirandis indicijs uerendam ſuam omnibus patefacit potẽtiam. Sed & illud operæprecium eſt uidere, breuiterq; exponere, qualiter uox iſta diuina, etſi non ſecundum rei meritum ac dignitatem, at ſaltem prout præſens expoſtulat interpretatio, ſit extollenda. Quid? inquit uates: Verbúmne Dei parui putandum ducitis? num fidem eius dictis non adhibendam? Adhibenda eſt quidem tam magnificis eius geſtis, orbiq; uniuerſo cognitis. Vox certè Domini ea fuit, quando illius iuſſu ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Vox ne illa Domini fuit, uel ne, cum ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt? Vox ſanè Domini ſuper aquas, quando locutus eſt ſuper Aegyptiorum flumina illa omnia, quæ ui uerbi in ſanguinem uerſa, immundos ranarũ greges produxerunt. Quid porrò illud, quod in Exodi libro legimus, Dominũ ſcilicet è cœlo grandinem igni cõmixtam iaculatum, horrendumq; in modum intonuiſſe? Fuit ne imbecillis Dei uox ea, quando Domini iuſſu mare rubrum peruiũ factum humanis greſsibus, populo quidem Dei uiam tutam præbuit, Aegyptios uerò ſtupendo miraculo ſuffocauit? Quid aquas Marath Dei uerbo ac uoce dulcoratas memorem? quid illas tam celebri portento è petra excuſſas? Ad futura, inquit uates, deſcendamus. Iam præſentiſco, inquit, effectum alium excellentiorem huius beatiſsimæ uocis, quàm illi fuere, quos in ſuperioribus cõmemorauí. Video (dilatis interim effectibus cæteris, qui mihi in ſpiritu reuelantur) non ſolùm quidem Ior

B danis aquas è ſanctiſsimi corporis filij Dei attactu ſanctificandas, uerumetiam omnes, quotquot in orbe terrarũ ſunt, ui uocis huius afflatas, renaſcentiam ſpirituálem, ac planè diuinam hominibus apportaturas. Cuius alĩus Dei, niſi noſtri, altera illa erit uox, quę, facta multorũ corona, ſtrepituq; horriſono & formidabili, ita præſentium animos, ut ſic dicam, dementabit, quòd ex illis quidam dicent tonitruum factum eſſe, alij uerò angelum ab æthere locutũ, alij item aliud? Hæc uates. Fateor equidem me manum à calamo temperare nõ poſſe in celebrandis huius efficaciſsimæ, atq; adeò omnipotentiſsimæ uocis laudibus, cuius quidem uirtute ſcio condita omnia in lucem producta eſſe, ſeruari continuò, ac ad mortalium beneficium diſcretis quibuſdam ſuis, occultiſsimis tamen, & donis, & gratijs, unicuiq; noſtrûm impartiri. Vox enim hæc, ſeu uerbum, ſeu ſermonem, ſeu euangeliũ appellare mauis, Chriſtus eſt, Dei filius, ſapientia patris, atq; eiuſdem infinita uirtus. Siquidem uirtus eſt, ut inquit Paulus, in ſalutem omni credenti. Quocirca à uate eſt dictum,

Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.

Virtutis nónne illud fuit, & id quidem mirabile, atq; unicè ſtupendum argumentum, & poteſtatis, perditum hominem recuperaſſe, atq; per cõtumelioſum, irriſumq; uulgò modum, per crucem ſcilicet, eundem ipſum Adæ filiũ, hoc eſt, iræ alumnum, ac perditionis, inter nobiliores cœli ſpiritus collocaſſe? Quid porrò unquam in terris magnificentius uiſum eſt, quàm cum facto repentè de cœlo ſonitu, diuinaq; pertonante uoce, repleti ſunt omnes ſpiritu, & eo quidẽ ſancto ac ſuperbeato, non fanatico, aut furenti: quo ſanè magiſtro, orbis totius linguis ab Apoſtolis cœptum eſt Dei uerbum prædicari? Vox certè fuit illa Domini in uirtute, & magnificentia, quæ confirmata eſt in nos, ut inquit Paulus, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & miraculis. Illa, illa inquam eſt

Vox confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.

En quomodo paulatim uates potentiũ hominũ faſtum deijciet, ac tumorem: quos ſanè à uoce illa diuina ſub cedrorũ typo confringendos uaticinatur. Felix

C legit: Confringens cedros. quæ quidem litera uidetur uerior, ut confringens ad uocem referatur, non ad illum, cuius uox ea sit. Cæterũ frequens in scripturis usus est, ut pro mundi huius potentioribus, cedri arbores, quæ in Libano Syriæ monte concrescunt, usurpentur: quanquã & in bonam quoq; partem assumi legimus, ut illud in primis in Eccles. in quo uox ista beatissima ita de se loquitur: Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Illud rursum in psalmo, de eodem Dei uerbo, ac uoce: Sicut cedrus Libani, inquit, multiplicabitur. Cedri, inquit Ezechiel loquens de supercœlestibus animis, non fuerunt altiores illo (Lucifero scilicet) in paradiso Dei. Verùm in hoc loco cedri nomẽ ad illos spectat, qui in hoc mundo aut potentia, aut doctrina, aut etiam dignitate aliqua sublimiori, in Dei ecclesia eminentiores facti, plus nimio inturgescunt, ac condita omnia delicati, si Deo placet, homines nauseę habent. Hi nempe cedris crescentib, in Libano à prophetis comparari solent. Vnde illud est Esaiæ cõminationis plenum: Dies, ait, Domini super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Bassan. Hæ enim ex felici solo, pinguiq; regione, quæ est trans Iordanem, altiores quàm in cęteris regionibus assurgunt: illæ ex benignitate aëris, quam in Phœnicia esse coniectamus: quanquam Libanus mons inter Arabes & Phœnices magis situs sit, quàm in Phœnicia solùm. Sunt enim natura steriles & inflexibiles: quocirca meritò potentioribus illis comparantur, qui ab sese, aut ab antiquo auorũ stemmate, & successione, rerum dominiũ, non à Deo, cuius sunt, ut inquit Solomon, omnia iura regnorum, accepisse se iactitant, spreta interim omni religione, & pietate. Citrus uerò alia est arbor à cedro, de qua nũc loquimur. Hęc enim cum semper sterilis sit, illa ferax in primis est, & fructuũ ubertate, coloreq;, ac odore suauissima. Hæc Citra appellamus, quæ ad radices Atlantis montis aiunt immensę magnitudinis, & non insuauis odoris ac saporis, crescere. His fermè similia sunt
D ea, quæ apud Ligures passim per apricum Ligustici maris littus pernascuntur. Verùm nulla in his alendis sagacior gens est, quàm quæ Benaci ripas illas incolunt, quę ad Orientem spectant: poma nimirum digna, quę ab amœnissimis Tusculanorũ hortis, Margutianen sibú sue plantariis & claustris, per orbem uniuersum spargantur: quæ cum magnitudine cæteris cedant, odore tamen & sapore præstant. Sed quid ago? penè imprudens tam suauis pomi memoria allectus, ab instituto excideram. Vnde igitur discesserat oratio reuertatur, & dicat, superbos omnes, atq; potentia aliqua insigni præditos, ui uerbi Dei cõfringendos. Quòd si tamen dilata paululum abs Deo pœna, uidentur impij, ut alio in psalmo canit uates, superexaltari sicut cedrus Libani, ferendi sunt æquo animo, neq; Deus in iudicijs est præuertendus. Transiui, ait, & ecce non erant. Confringet, crede mihi, ait uates, Dominus cedros hasce Libani. quod cum uideris, poteris ne aliud dicere, quàm id quod tam crebrò inculcant uates, uidelicet: Os Domini locutum est? Nec hoc quidem satis quod dixi: insuper

Et comminuet eos tanquam ϒitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius ϒnicornium.

Felix sic: Et exilire fecit eos ueluti uitulum, Libanum & Syrion ueluti filium unicornium. Eos, uel Eas potius dictio ad cedros est referenda, ut sic ad superborum euulsionem ac fugam alludi intellígas: quorum figura atq; umbra fuit consternatio illorũ regum, quos à Iudæis duce Iosue profligatos legimus. Porrò Syrion mons Hermon est, quem Sidonij Syrion, Amorrhæi Senir appellant: Ptolemæus uerò Hippum, quem Antilibano iunctum asserit: in quo quidem, ut in Libano, cedros altissimas, atq; alias proceras arbores ali scribunt autores. Sensus igitur: Vox Domini cõminuet eas cedros, elatos scilicet, in rebusq; huius seculi turgidos ac uultuosos, extirpabitq; illos ea facilitate ac celeritate, qua uitulus in morbidis Libani pascuis enutritus fugari solet à minimo rerũ strepitu. Sed quid dico cedros stirpitus euellendas, cõminuendasq;, cum & ipsum Libanum quoq; tam robustarũ arborum altorem, atq; Hermon, citius à fundamentis euertet uox ista potentissima, quàm fugatur unicornis pullus, animal nimirũ timidissimum,

acin

A ac in fugam uel ad tantillum frondis motum concitatiſsimum? Quòd autem le-
gunt Hebræi, Exilire facit illos: eum ſenſum habere uidetur, quòd præ timore è
ſedibus proprijs euulſi, quodammodo uidentur ſaltare, ut uel hinc diſcas quàm
celer futura ſit ſuperborũ deiectio, quando uiſum fuerit diuinæ prouidentiæ de-
ponere potentes de ſede tanquam cedros è Libano reuulſas, & exaltare humiles
tanquam myricas in deſerto. Vidimus enim aliquando totas integras regum po
tentiſsimorũ familias extinctas, principesq; alios adeò à mortaliũ memoria ela-
pſos, ut nunquã eos fuiſſe iurare poſſes. Quot regna excíſa? Quot urbes dirutæ?
Quot (ne interim de minutioribus magiſtratibus, ſuperbiſsimis tamen, ac Dei &
hominũ contemptoribus, dicam, quos citius deſijſſe cernimus, quàm fumus in
aërem reſolutus deſinit, ac euaneſcit) floridiſsima oppida, atq; arces in cinerem
relabi nouimus? Vocis enim fuerunt hæ diuinæ, ne dubita, operationes, ne fato,
aut fortunæ humanos euentus adſcribas. Porrò, dilectus, dictio in hebræo non
habetur. quæ tamen ut poſsit ad ea, quæ dicta ſunt, accõmodari, ſic erit interpre-
tanda, ut dilectus idem ſit, qui & potens, atq; à ſuis charus habitus, licet cæteris
inuiſus, qui nihilominus erit tanquã monocerotis filius fugiẽs: quandoquidem
in primarijs eccleſiæ, uel rerumpub. hominibus, non dignitas, aut imperiũ pro-
bari ſolet, ſed pietas ac religio. Quod ſanè à mei quoq; ordinis ſuperioribus illis,
qui in cauſa ſunt, intelligi cupio: ne dum nimiũ ſuę illi autoritati (melius dicerem
ſeruituti) tribuunt, parumq; interdum memores, quàm periculoſum ſit alijs pre-
poni in his præſertim quæ ad animarũ tutelam ſpectant, noſtrã hanc nauem ſpi-
ritus ſancti manu fabrefactam, ſuperbiæ fluctibus, atq; ambitionis æſtu ſubmer-
gant. Scio equidem hæc, atq; horum ſimilia, quæ interdum per meos hoſce com-
mentarios à me tanquam admonitiones quædam ab amanti corde profectæ in-
terſeruntur, illos maximè, qui eorũ, quę dixi, tanquam repetundarũ rei ſunt, non
B probaturos. Secus uerò alij, quibus ſemper, à quocunq; proferatur, ueritas pla-
cuit, & quibus hunc totum meum laborem probari efflagito. Hos enim admoni
tos, illos reprehenſos eſſe uult ſpiritus. Tantùm porrò abeſt, ut ingenua ingenia
ob paucorum iram & indignationem, ea quæ ad Chriſti honorem pertinent, ſi-
leant, ut etiam & dicant, & inculcent, & ſi fas eſt, malleis ipſis ferreis quoq; illo-
rum auribus infigant, qui plerunq; idcirco errant, quia, qui illos ſyncerè admo-
neat, non inuenitur. Veritas enim huiuſce generis merces eſt, ut uulgò expoſita
ſui omnibus copiam faciat. Candido qui ſunt pectore, ac puro iudicio prediti, ea
inſpecta ſumma afficiuntur oblectatione: qui uerò tetro & impuro, illius radios,
tanquam noctuæ ſolis lumen, indignabundi auerſantur. Sed ad uocem noſtram,
ad Dei uerbum, ad ſolem, ad Chriſtum, qui ſol eſt iuſtitiæ, uox patris & ſermo, re
uertatur ſtylus, ab eoq; regatur.

Vox Domini intercidentis flammam ignis.

Hîc rurſum intercîdens erit legendũ. Per flammam uerò, quo in ſuperborum
ſerie maneat, eorundem, quos ſuperius Cedros appellauit, ſæuitiam atq; irarum
ardorem intelligit: quẽ ſanè à fortiſsima Dei uoce intercipiendam, ne quantum
uolunt noceant, eſſe prædicat. Huiuſcemodi enim diuini facinoris præludium il-
lud fuit, quando ex murmuratoribus, ut in Numerorũ libro legimus, quatuor-
decim millia hominũ & ſeptuaginta combuſta ſunt. Tunc, dico, quando Aaron
iuſſu fratris ſtans (uide hîc uocẽ Domini intercidentem flammã ignis) inter mor
tuos & uiuos pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit. Quid porrò illud cum
ignis babylonicus, ne innocentiſsimis officeret pueris intercíſus, contra ſui natu
ram humanis corporibus ceſsit? Quid innumerorũ martyrum flammas algidas
factas ui uerbi Dei, atq; interruptas memorẽ? Quæ tandem uis alia niſi iſtius ſu-
perbeatiſsimæ uocis innatum hominibus concupiſcentiarũ ardorem in ſuis ele-
ctis interſecat & ſopit? Quæ alia, carnis incendia, iræ, ambitionis, inuidiæ, auari-
tiæ, libidinis, tam exactè diuidit, atq; eis finẽ imponit? Atqui ſi honeſtioris flam-
mæ ratio habenda eſt, igniſq; cœleſtis, eundem ſanè ipſum fatebimur donũ eſſe
cœlitus à corde patris, è quo uox iſta ac ſermo emanat, in electorum pectora im-

c missum, atq; sanctis cœtibus diuisum. Qui cum unus sit natura & impartibilis, singulis tamen, natura cedente amori, per partes secundum uniuscuiusq; captũ dissecatur: ita ut alij datus sit spiritus sapientiæ, alij doctrinæ, alij uerò altissimi raptus ac ecstasis. Vide quid agat sanctissima Dei uox. Vide, inquam, quomodo bonorum, malorum quoq; interdum permeet corda, dispari tamen modo & effectu.

Vox Domini concutientis desertum, & commouebit Dominus desertum Caddes.

Felix sic: Vox Domini contremiscere fecit desertum, contremiscere fecit Dominus desertum Caddes. Deserti Caddes meminit propheta ob duo, meo quidem iudicio. Primùm, ut horrendi terræ hiatus in morte Chore, & eorũ qui cum illo offerebant incensum, posteros admoneret: quem sanè casum in deserto Caddes, per quod Israëlis populus annis quadraginta post Aegypti discessum circuductus fuit, accidisse legimus. Postea uerò huius deserti potissimum mentionem facit propterea, quòd uastissimũ sit, atq; inter alia horrendũ magis, inhospitæq; solitudinis. Eremum Arabiæ hunc esse dicunt Idumeæ cõterminũ. Volunt enim Caddes dictum ab euentu, cum antea Sinai, Zin, seu Cadmoth appellaretur, eò quòd Iudæorum populus fuit in eo paratus ac idoneus factus, qui terram illam Canaan ingrederetur. Caddes enim præparare Hebræis est. Neq; sanè à uero dissimile erit opinari hîc uatem solitudinem tam uastam, pro immanioribus animis ac ferinis quorundam principum, cæterorumq; similium, per metonymiam posuisse, quos tamen asserit uirtute diuinæ uocis timore concutiendos. Solet enim felicissima uox ista quæ uidet corda inhospita, arenosa, inertia, primùm quidem terrore, deinde placidissimo illapsu (quæ est eius natura) concutere, perturbare, trahere demum, ac planè immutare. Vidisti ne unquam impium aliquem exaltatum instar Cedri in Libano atque Hermon, breuissimi morbi ictu è medio excisum, aut furcæ impositum, aut in medio ipso rerum successu uertisse solum, fortu-
D nisq; expoliatũ, ac populis, quibus olim pauori fuit & formidini, postea contumeliæ esse ac despectui? Vox nempe diuina illa fuit, atq; æterna ordinatio magis quàm sicarius aut carnifex, quæ confringere solet Cedros, flammamq; intercidere, ac immane desertum Caddes è loco mouere. Quanquã sint etiam Cedri, quercusq; altissimæ, flammæ item ac deserta, quæ Dei sermone incensa ac commota, usum ad humaniorem, ad pœnitentiam, ad lachrymas, ad contemptũ mundi citius resiliunt, quàm resilire solet ab incepto itinere tener uitulus, aut paruus monoceros strepitu aliquo perterrefactus. Siue igitur hæc omnia ad immanẽ superborum potentiã Dei uoce infringendam, siue ad flagrantia spiritus dona electis diuidenda referas, id totũ uatis spiritui conuenit, qui, ut inquit Felix, pro Christi atq; eius ecclesiæ gloria, decore & magnificentia, hunc psalmum composuit.

Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa, & in templo eius omnes dicent gloriã.

Felix: Contremiscere fecit ceruas, uel obstetricauit, seu dolere fecit uti parturientẽ ceruas, uel fortes. Hinc uides ceruas melius legi quàm ceruos. Ad ceruas enim spectat parturitio & partus, non ad ceruum. Porrò dictio, præparantis, ut uulgaris legit æditio, cum Hebræis tum Græcis est præparans: hoc est, uox Domini ea est, quæ præparat ceruos, superbos scilicet atq; elatos ad fugam: non solùm enim præparat, sed impellit quoq;, ac, ut sunt meriti, concitatissimè perurget, adeò quod ex metu & dolore similes fient parturienti: qui quidem dolor molestissimus omnium est. Vnde apostolus de illius generis hominibus loquens, sic ait: Sicut dolor in utero habentis, & non effugient. Quòd uerò alij legunt obstetricauit, ad ceruas referendum est, ut hinc maximè diuinæ uocis uirtus deprehendatur, quæ uel ceruis natura in ædendo fœtu difficillimis, obstetricis quodammodo fungatur officio. Hæ enim timore magis persequentiũ, quàm quòd plerunq; tempus ad deponendum uterũ, quod sanè octonis mensibus constare asserunt, maturum sit, in ipsis tritis, ut aiunt, humanis uestigijs semitis emittunt fœtum. Quanquam Iob, cui magis credendum esse arbitror, quàm uel Plinio, uel eius deo Aristoteli, qui scribit ceruas metu ferarum iuxta uias parere solitas,

cer-

A ceruarum partum asserat adeò occultum esse, ut nequeat ab homine sciri. Nunquid, ait, parturientem ceruã obseruasti? nunquid numerasti menses conceptus eius? & nosti tempus partus eius? Vide quàm malè conueniant philosophi cum theologo illo antiquo tam grato uoci isti, cuius potentia in hoc psalmo celebratur, cuiusq; afflatu ac numine attactus tantus uir, rerum humanarũ, diuinarumq; scientiam optimè calluit. Huic igitur animanti comparat uates potentiam huius mundi, quę nisi Dei uerbi admotis flagris & uerberibus, fœtus illos difficiliori nixu parit, quos Christus in euangelio fructus pœnitentiæ nuncupauit. Quare sua quæ sponte agere recusat, ui uerberũ, ac tum legis, tum extremi iudicij metu, ac terrore simul & dolore mota, faciliori deinceps in ædendo iustitiæ partu utetur utero. Ceruus enim, si cornua inspicias, pugnacissimum uidetur esse animal: uerùm si uel leuissimo impetitur ictu, contremiscens illicò fugit. Ita, atq; eodem in statu sunt in rebus mundi ferocientes, uti olim etiam fuere Hiericontini illi à Iudæis deleti, quorum pauorem Raab illa celebris mulier graphicè admodum depingit, hoc modo: Irruit, ait, in nos terror uester, & elanguerunt omnes habitatores terræ, nec remansit in nobis spiritus ad introitum uestrum. Quid hunc terorem Hiericontinis, alioqui tunc temporis bellacissimis, ac longè Iudæis & uiribus, & cęteris urbis præsidijs superioribus, incussit, nisi uox Dei fortissima, cuius robore atq; efficacia inflatæ Iudæorum tubæ, clangore horrisono, absq; tormentis ac uineis, alta urbis mœnia solo, dicto citius, æquauerunt? Nónne hæc eadem est, quæ, ut ait uates, reuelat cõdensa? uel, ut legunt alij, denudat syluas? hoc est, nónne quicquid in cordium latebris, ueluti in obscurissimis saltibus & nemoribus latitat, uox ista beatissima, omniq; gladio penetrantior, detegit, reuelatq;, ac palàm facit? Quid porrò aliud esse affirmabimus mundi huius potẽtiores absque diuini uerbi luce, præter syluam densissimis ramis, absq; baccis aut pomis opacam? Quanta interdum errorũ confusio uitiorumq; colluuies, & ægritudo in
B illius generis hominibus delitescit, qui autoritate aliqua sublimi, tanquã nemore frondoso tecti, in densissimis uiuunt tenebris? Quæ tamen omnia reuelabuntur aliquando, atq; omniũ oculis patefient, quamlibet humanis aspectibus abdita uideantur. Tum quidem & nemora, & nemorum uenatores unà cum ipsis plantarum stirpibus penitus euellentur, cum moniti à Iosue in aliud genus syluarũ ascendent, & succident sibi spatia in terra Pherezęi, & Raphain. Verùm adhuc quidem ferreis curribus utuntur Cananæi, nec in templo Dei omnes dicunt gloriã. Dicent tamen aliquando, modò diuinæ uocis afflatibus non reluctentur. Quæ cum omnia & supera & infera perterrefaciat, suos tamẽ occultissimũ in modum recreat, atq; eos ad suas laudes & gloriam celebrandam inuitat: & hoc in templo sancto suo, quæ est ecclesia fidelium eorum, quibus cor unum est, atq; animus ad ueram pietatẽ instructus. In quo quidem templo unusquisq;, ut ait Augustinus, pro dono sibi cœlitus dato laudare debet Deum. Alioqui cor illud unum, quod inter Christi fideles esse debet, ab sese diuulsum, ac in partes dissectum, quomodo bonum illud unum, quod bonũ quidem est propterea, quia unum, unquam assequetur? Pereat necesse est tandem respublica illa, ac plebs, quamlibet ornata uirtutibus, ac castis moribus, quæ ab unitate illa longè abest, à qua uel tantillum quidem discedere non parua impietas est. Amor is ille est, qui è corde patris emanans, filium prius, per quem, unum cum patre ipso nos qui credidimus efficimur, electos postea, incomprehensibili bonitate ad sese trahit, agglutinat, atq; ita in se transmutat, ut una prorsus res sit facta Deus & homo per Christum. O unitatem tuis solummodo cognitam. Scio, scio equidem quòd nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo Christus Iesus. Nónne hîc uides quomodo necesse est hominem alterũ quodammodo effici Christum, si illò ascendere conatur, quò nemo ascendit nisi ipse Christus? Id omne (ne deijciaris animo) perficit fides atq; amor, etsi non noster in Christum, qui per se algidus est: at ille, quo nos, ipse æterna charitate adeò dilexit, ac sibi uniuit, ut unum omnino cum ipso facti simus. Is tandem Dominus ille est, qui

C *Diluuium inhabitare facit.*

Hebræi legunt: Dominus præſidet díluuio. Parum tamen aliter Felix: Dominus, inquit, díluuiũ inhabitauit. Cautum ſit omnibus, clamat propheta, dum increſcit tempeſtas, furitq; uis imbrium, ac cœlos penè ipſos cernimus in pluuias reſolui, nos admonere diluuij, non illius Deucalionis & Pyrrhæ, fabuloſi ſanè ac commentitij, ſi ad ſaxa illa ſpectas, quibus aiunt humanum genus recuperatum eſſe: ſed eius, quo uniuerſus prorſus interijt orbis: ne & nos quoque eiſdem illis uitijs, cum illius ętatis hominibus coinquinati, aliquando abſumamur. Quod quidem periculum ex animo perpendentes, uel ſic ſaltem terrore metuq; à flagitijs coërciti, peccare nos pudeat, diuinamq; ultionem noſtris ſceleribus irritatam in nos ſæuire pertimeſcamus. Haud nobis quidem tutior quàm illis promittitur uitæ exitus, ſi eundem uitæ faſtum cum illis ſectantes, curam carnis, ut nos dehortatur Apoſtolus, in deſideríjs fecerimus. Caro, inquit Deus, ſunt, idcirco perdendi. Verùm cœleſtis pater, qui nunquam ſuis deeſt, tum díluuium inhabitauit: hoc eſt, in díluuio etiam aquarum multarum, in díluuio illo tam celebri Noah, in trãſitu maris Rubri, in traiectione Iordanis, atq; innumeris alijs uitę periculis, ſemper ſuis adfuit. Quam porrò omnem undarũ exundantiam baptiſmi aquas portendiſſe ſcimus: quibus quidem, ut interpres reddit hebræus, præſidet Dominus, dans illis regenerandi uim atq; efficaciam. Notant hîc ueriorem eſſe literam ſi legatur, inhabitat, aut inhabitauit, quàm ſi legas cum noſtro interprete, inhabitare facit: quò intelligas, ipſum Dei uerbum, Deum ipſum, per ſe, ſuaq; ſponte mentes purificatas, atq; ſacrarum aquarum ablutione ſanctificatas inhabitare. quanquã neq; illud quod nos legimus, à uero ſenſu alienũ ſit, qui ſic reddi poteſt. Dominus díluuiũ, hoc eſt, animos illos, qui in cupíditatũ pelago, atq; inundatione uerſantur, maximoq; ſuo periculo natant, ui uerbi ſui extractos inhabitare facit in templo ſancto ſuo, in quo, ut ſuperius dixit, omnes dicent gloriam:
D hoc eſt, ad eccleſiæ ſinum recurrent, in qua

Sedebit Dominus rex in æternum.

Quaſi dicat, regnum filij Dei, quem uocem hactenus appellaui, non erit temporum uarietati obnoxium, ſed æternũ: propterea & æterna quoq; eius erit protectio. Quis, niſi æternus, ęterna lege regere erit potis? Et regni eius, inquit, non erit finis. Quare cum talis ſit ac tantus

Dominus, Virtutem populo ſuo dabit, Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Si etiamnũ ignoras, inquit, unde gratię, unde uirtutes, unde pax, unde uita, unde cętera bona proficiſcantur, hinc ſumenda eſt doctrina. Nam quemadmodum cum non eſſemus, à Deo & exordium, & incrementum accepimus, ita & ornamenta uitę omnia, roburq; in aduerſis, pax item animi, conſcientię tranquillitas, & ſalus tandem ab ipſo expectari debent. Sunt enim quædã in hoc mundo, quæ animi tranquillitatem polliceri uidentur, ut ſunt dignitates, diuitiæ, ubertas liberorum, & agrorum quoq;, uxor prudens, fauor ciuiũ, & alia id genus multa: quæ tamen quàm fallacia ſint, ac parum ſibi conſtantia, ſuperuacaneum eſt recenſere, ſimulac cernimus nullum adeò infimæ ſortis hominem eſſe, cui non aliquando prædictarum rerum aliqua imponat, eumq; fallat. Solus igitur Deus eſt, qui uerè mortalium animos recreat, ac perfectè beat. Ipſe enim cum æquam de omnibus uniuerſaliter curam habeat, ęquè omnibus ſuę bonitatis radios exerit, æquè omnes tangit, mouet, excitat, quò arbitrium noſtrum, alioqui debile, atq; ad appetenda cœleſtia languidum atque iners, habeat quo ſeſe, uti ſolet uitis ſuis illis clauiculis, aut ulmo, aut orno ſe adiungens ſuſtentare, & fulciat, & robur ſumat. Quod quidem id eſt, quod modò uates uirtutem ac pacem appellat: ut interim, ne nimius ſim, non dicam in hoc loco uatem pręſagiſſe filium Dei in carnem uenturum, qui infirmis robur, debilibusq; in iuſtitiæ ſemitis, & uirtus, & fortitudo, quietiam & pax, & iuſtitia futurus eſſet. Ipſe enim, ait Paulus, eſt pax noſtra. Alioqui corda irrequieta, diuiſa, & turbida, ſanctiſsimæ huiuſce pacis & uirtutis,

A tis, hoc eſt, diuinæ uocis & uerbi minimè capacia erunt.

PSALMVS *cantici dedicationis domus Dauid,* XXX.

EXaltabo te Domine quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me.

MIratur Felix quorundam expoſitorũ ignauiã in exponendo pſalmo hoc trigeſimo. Et meritò quidem reprehendendi ſunt, quippe qui in tantæ rei enucleatione Iudaicas neſcio quas fabulas introducere potius conari uidentur, quàm ut ſolidos ſenſus, ueramq; pietatẽ, & prophetæ ſpiritum reddant. Somniant enim hi, utpote qui nihil altum & cœleſte cogitare norunt, dedicationem eam, quam in titulo pſalmi legimus, aut de templo illo antiquo, cuius nulla in pſalmo fit mentio, aut de ipſis domus Dauid parietibus, de quibus nuſquã in ſcripturis legimus, intelligi debere. Nos uerò peritiſsimis, & illis quidem ſanctiſsimis uiris adhærentes, audacter dicimus, odam hanc cantici exultantis, gratiasq; agentis, pro eccleſiæ dedicatione, hoc eſt, fidelium innouatione, à uate compoſitam eſſe. Mens enim humana tunc dedicatur Deo, canitq; ſuæ innouationis canticũ, cum incipit Deus ipſe in ea per fidem primùm habitare: deinde per intimam illam, quæ ſolet à cœleſti patre poſt afflictiones immitti conſolationẽ, ac à miſeriis ſolamen. Quare alio in pſalmo exoptat uates, petitq; ſpiritum rectum innouari in uiſceribus ſuis. Non negauerim tamen, imò res mihi ſimilis uero uidetur, Dauidem domũ illam ſuam Hiræ regis munificentia ædificatã, priuatim abſq; cæremoniis & ſolennitate aliqua ſacra dedicaſſe, Deoq; gratias egiſſe antequã illam frequentare cœpiſſet. qui quidem mos ſicuti fuit futurarum rerum umbra ac uaticiniũ, ita doctrinę plenus, & quem in fidelium cœtibus peragi uidemus, qui antequam res quamlibet minimę in uſum publicũ ueniant, Deo gratias agere ſoliti ſunt, atq; illi quicquid ad communis uitæ neceſsitatem & uſum habent, acceptum referunt, ac illo propterea ueluti re ſacra utun-

B tur. Eſtne animus tam impius, qui rem illam ad faſtum ac libidinem habere uelit, pro qua iam Deo gratias egit, atq; eam Dei eſſe donum ſibi perſuaſit? Omiſſa igitur uarietate illa, quam ab ignauia proficiſci ſcribit Felix, affirmandum ducimus Chriſtum eſſe, atq; cum eo illius eccleſiam fide ac fonte innouatam, quæ hîc orat, ac gratias agit Deo: Exaltabo te Domine quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Quando enim Chriſtus Dei filius, caput eccleſię, à patre eductus eſt ab inferis, & nos cum eo educti ſumus. Quando reſurrexit, & nos quoq; reſurreximus: ne tibi effingas monſtroſum caput aliquod, quod mutilum ſit, ac planè informe. Vnum enim, ne dubita, factum eſt corpus Chriſti & & fideliũ. Quod ſanè conſiderans iuſti anima, totaq; præ amore eliqueſcens, geſtit gaudio, exultatq; non in rebus quidẽ peſsimis, non in diuitiis, non in emptis magiſtratibus, non in ciuiũ occiſione, aut cumulo agrorum & uinearũ, ſed in fide ac ſpe Ieſu Chriſti, quę eſt uera domus Dei, cordis ſcilicet humani dedicatio. Neque tamen (ô rerum diuinarũ exundantiam) in hoc tantummodo perſiſtens, in ſeſeq; manens, effundit ſtatim in alios, quos ardentiſsimo affectu ad ſecũ Deum laudandum, eiusq; ſanctum nomen celebrandũ inuitat, dicens, Exaltabo te Domine: hoc eſt, omnibus dicam, & prædicabo, quoniã ſuſcepiſti me: ſeu ut legit Felix, quoniã exaltaſti me. Iacet enim homo, ac ueluti ſordidiſsimo cœno prouolutus humi cubat, qui in peccatis uiuit: ſuſcipitur uerò à Deo, atq; exaltatur, quando è tam periculoſo morbo & capitali, qualis eſt mala uoluntas, & erigitur, & liberatur. Et quidem eos ipſos prorſus reprehendendos eſſe iudico, qui cum ſe ſentiunt ab huiuſmodi letali peſte Dei dono atq; ope liberatos, rem nefariã arbitrantur ſi eius dona promulgent, ſeq; diuino beneficio & miſericordia è peccatorum ſtercore erectos. Periculoſiſsima ſanè res eſt, & quæ facilè ingratitudinis notam inurere queat. Impoſsibile enim eſſe cenſeo animã Dei glorię, nõ ſuę ſtudioſam, errare poſſe, ſi Dei beneficia huiuſmodi uulgò prędicet, atq; omnes ſuo exemplo ad celebrandũ eius nomen adhortetur. Tantũ ab anima illa omnis abſit faſtus & fucus, in portu nauigat. Neq; hîc tamẽ leuẽ quorundã facilitatẽ laudare intendo

C qui adeò benigni ſunt, atq; ad ſuas omnes exponendas merces liberales, ut gratioſiores ſint in enarrandis ſuis, ut uocant, cõpunctionibus, lachrymis, & neſcio quibus in ſomno uiſis ac ſpectris, quàm quomodo deflenda ſit humana conditio, quæ tam facilè in huiuſmodi labatur errores, ut Deum, etiam cum nõ putat, atq; in his quidem quę ſæpenumero uidentur & honeſta & bona, occulto, miſerabili tamen modo, offendat. Exercitia enim ac ſtudia ſpiritualia non parum prudentię exigunt. Quare non niſi ſumma cum ſapientia nos admonet Paulus, ſpiritus probandos eſſe, an Dei ſint, ab eiuſq; uoluntate proficiſcantur.

Nec delectaſti inimicos meos ſuper me.

Hebręi ſic: Nec lętificaſti inimicos meos de me. hoc eſt, noluiſti diutius hoſtes meos gaudere, ac more triumphantium de reportata uictoria ouare: quin potius angelos ipſos humanæ naturæ amantiſsimos delectaſti de me, utpote maximum qui præ ſe ferant gaudium ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Solent enim illi, qui inter ſe mutuis odijs ac perſequutionibus deſæuiunt, magnopere iucundari, ſi contingat illorũ hoſtes ui aliqua opprimi, uenenoq; aut ferro è medio tolli. Quod quidem meus, meiq; ordinis autor, Benedictus, non egit: qui cum Florentij infeſtiſsimi eius hoſtis repentinam intellexiſſet mortem, non ſolum ſeſe, ut diuus refert Gregorius, in grauibus dedit lamentis, tum quia inimicus occubuerat, tum quia de inimici morte is qui annunciauerat exultaſſe uidere tur, ſed & ipſi nuncio mulctam indixit, quòd de inimici interitu gaudere præſumpſiſſet. Contrà uerò dæmones, qui in animarũ lapſibus & morte, ſupraquàm dici poteſt, geſtiunt & ouant: è contrario uerò mœrore contabeſcunt, ac deſperati fugiunt, cum animã diuino auxilio à peccatorum turpitudine ereptam cernunt, mutata uitæ conſuetudine & ſtatu, per fidem innouari, Deoq; liberatori ſuæ dedicationis canticũ nuncupare, atq; illud ex animo polliceri: Exaltabo te Domi-
D ne: uel, ut reddit paraphraſtes: Laudibus te efferã Domine, quòd ſeruaueris me, nec anſam præbueris hoſtibus meis inſultandi cum gaudio mihi.

Domine Deus meus clamaui ad te, & ſanaſti me.

Dicto citius pientiſsimus Dominus curat peccati uulnera, modò ſerió, atque ex animo oretur. Neſcit enim ſanitatem differre cœleſtis medicus, ſi ab ægroto ſupplicetur eo modo, quo tanta maieſtas à ſuis poſtulat orari, abſq; fuco ſcilicet atq; hypocriſi. Nec porrò eſt quòd uereatur anima ſibi à Deo conciſa, ac per partes peccata remitti: cum ſummæ impietatis genus ſit, ut diuus inquit Auguſtinus, dimidiã ſolummodo peccatorũ à Deo ſperare ueniam. Abluit enim totũ hominem Deus, quemadmodum eum totũ ſibi adeò per fidem ac amorem adſtrinxit & copulauit, ut unũ iam factũ ſit prorſus caput cum ſuis membris. Simul igitur ac citiſsimè uulneribus omnibus animæ medetur Deus, illamq; totam ſanat, atq; omnino in primam reformat integritatem. Cum primũ enim Dauid ſeſe peccaſſe ex animo nouit & confeſſus eſt, ſtatim à uate alio illud conſolationis pleniſſimum audiuit: Tranſtulit Dominus peccatũ tuum à te. Ezechias quoq; ſacco indutus, Dominũ ne ſe in anguſtijs illis obſidionis deſereret, orauit. qui mox liberatori Deo ob ſolutam obſidionẽ gratias retulit. Ita porrò eccleſia à ſacro undæ labro egreſſa, continuoq; egrediens, ſuum candorem, ſuamq; innocentiam & puritatem Deo refert acceptam. Cor enim morbum ſuũ ignorans, aut diſſimulans, aut, quod infelicius eſt, palpans, curari non poteſt.

Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.

Vide an illud uerum ſit, quod ſuprà diximus, nos uidelicet ab inferis eductos cum Chriſtus ipſe eductus fuit. Explicatius enim narrat à qua re ſuſceptus ſit, ac ſeruatus. Filius quidem Dei eſt, qui pro ſua hîc ab inferis liberatione patri gratias agit eo modo, quo alio in loco eſt uſus, dicens: Tu autem eruiſti animã meam ex inferno inferiori. Eſt porrò & eius eccleſia, quæ unum iam facta cum ipſo corpus per fidem, pro ſua à peccatis ac morte liberatione Deo gratias refert. So-

let

A let enim Scriptura, lacum, foueam, infernum etiam, & ſepulchrum, pro rebus huius mundi terrificis atque horrendis ponere. Vnde arbitror hîc uatem eiuſcemodi tranſnominationibus, horrorem illum ac metum, qui in conſcientia peſsimè de ſe conſcia uolutatur, innuere uelle, quò intelligas tandem quanti eſtimandum ſit illud, quod tam horrendis appellatur nominibus. Id ſanè me opinari cogit paraphraſtes, qui hunc uerſum ſic legit: Domine ſaluã eſſe uoluiſti animam meam ab inferis: ſeruaſti me ne fierem unus è numero eorum, qui præcipites eunt in puteum. An uerò ſpes ulla poſsit eſſe ſalutis de eo, qui præceps in caput uoluitur in puteum aliquem profundiſsimum, aut de illo qui in ſepulchrum è feretro proijcitur, mirũ ſi interrogas. Hos tamen & à lacu, & à ſepulchro, ſeu ab inferis, quod idem eſt, maiori Deus excitat facilitate, quàm ſi uertas manum. Et quidem ne tanta res aliquando in dubiũ uerti poſſet, ipſe prius è monumento, atq; adeò ab inferis, tetriſq; ſpirituum immundorũ ſedibus, & uiuus, & illæſus prodijt. Cæterùm equidem mihi ſemper perſuaſi, nullum lacum aut puteũ tam profundum eſſe atq; obſcurum, quàm eſt profunda & obſcura res ambitio, auaritia, ſimultas, libido, hypocriſis. Quot enim ſunt uitia, tot ſunt profunda. Quare alio in pſalmo ſe uates huiuſcemodi penè ineuitabilibus profundis circumuentum ſentiens, uel uſq; ad raucedinem clamabat: De profundis clamaui ad te Domine. Tantum uerò abeſt ut propter carnis illecebras in profundum aliquod lapſi, turpíq; conſuetudine, atq; habitu deuincti, in illo diutius maneamus, ut etiam uix tacto fundo ualidiſsimè emergamus: nam periculoſiſsimum illud in primis eſt, in peccatis habitum, unde impœnitentia oritur, cõtrahere, quaſíq; callum obducere, atq; propterea obbruteſcere.

Pſallite Domino ſancti eius, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.

B Vide beatæ animæ in proximos candorem. Non contenta enim proprij caloris atq; æſtus, cæteros quoq; uiros iuſtos, ad uitamq; aſcitos, ad extollendum Dei nomen ſecũ excitat. At quo pacto, inquit Eutymius, humilis homo poterit Deum exaltare, qui excelſus eſt? Confitendo nimirum, ac prædicando quòd altus is ſit, & ſublimis. O uos igitur iuſti, boni, ſancti, electíq; à Deo uiri, pſallite Deo mecũ, ipſumq; colite, uenerami ni, atq; ore ſimul & ſpiritu laudate. Nam qui hoc modo Deum non laudat, tametſi ore pſallat, Deo non pſallit, ſed parietibus, aut tectis. Mens enim uaria, atq; inconſtans, non ualet uerba uitæ citra ſui damnum proferre. Quis unquam à felle aut abſinthio mel ebullire uidit? Pſallite igitur eo modo quo tanta maieſtas extolli poteſt, ſpiritu ſcilicet ac mente, ut nos hortatur Paulus: Et confitemini memoriæ ſanctitatis eius. hoc eſt, celebrate ſacroſanctam memoriam maieſtatis eius ſemper, ſed tum maximè, quando recordamini quòd uos ſanctos, uos bonos, uos iuſtos effecit. Confitemini, inquam, illi, quoniam recordatus eſt miſericordiæ ſuæ Dominus, qui nos, quos antea ob delicta à memoria prorſus eiecerat, ad memoriam reuocat. Porrò is ab Deo ignorari dicitur, quando in peccatis obduratus iuſto Dei iudicio in reprobam traditur mentem, unde prauæ exeunt actiones, ociáque à uero prorſus aliena. Subtracta enim diuinitus luce, tenebræ ſtatim ignorationis emergunt, quas quidem à Dei obliuione, uerbis ſanè humanis, ſed recondito ſenſu atq; intellectu, enaſci dicimus, eo modo quo aſſerimus improbos homines tradi in reprobam mentem, cum ſuo uitio ac propoſito in peccati turpitudinem, &, ut uocat Paulus, paſsiones ignominiæ cadere permittuntur.

Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.

Non paruum quidem periculum exiſtimari debet, in celebranda Dei erga electos memoria nõ ſedulò uerſari. Sed neſcio qua noſtra ignauia id accidat, ut raro diuinorum beneficiorũ nobis continuò, uel cum non aduertimus animum, collatorũ, in mentem ueniat, niſi cum ipſa ſentimus, ac manu tangimus: cum tamen illud in primis munus interdum eo dignius, nobisq; magis præſtare eſt cenſendum, quo acerbius quod cœlitus datur, & nobis quamplurimũ officere uidetur.

C Quocirca diuitiarum copia, rerumq; affluentia cæterarum, ut sunt corporis pulchritudo, sanitas, liberi, fauor principum, atq; huius generis alia, magis aliquando nocuere homini, quàm paupertas, rerumq; omniũ humano usui necessariarum indigentia, corporis fœditas, & ægritudo. Quid liberalia studia memorem? quid literas? quid humanarũ rerũ, addo & diuinarũ scientiam, legumq; omnium doctrinam enarrem? Longè enim interdum hæc omnia uisa sunt cedere simplicitati, sanctæq; quorundam ignorantiæ, cum ab illis sæpius tam magnificis donis, quàm ab istorum fatuitate ac nescientia, beluæ illæ tam infestæ cum orbi uniuerso, tum potissimũ ecclesiæ Dei, ambitio, fastus, superbia, atq; hæresis tandem deriuauerunt. Quàm satius enim aliquando esset, ac sanctis cœtibus magis utile, in ijs potius, quæ stulta uulgò uidentur & infirma, nostros proceres, è quorum uita cæteræ multitudinis salutem pendêre cernimus, uersari, atq; ab ipsis animi oblectamenta capere: quàm ea sectari, studioq; omni persequi, quæ sibi apud uulgũ gratiam atq; honorem conciliare somniant. Hoc certè modo & respub. suos Numas, suos Catones, suos Lycurgos, suos Aristides haberent, & ecclesia sanctitate magis uigeret, clausiraq; ac cœnobia tum uirorum, tum mulierũ, altissimis contemplationibus, ad quas è uulgo reliquo euocati sunt, ardentius operam nauarent, omissis interim rebus illis omnibus, quarũ specie illecti quidam nihil tam auidè quęrere uidentur, quàm ut regnent solummodo, ac præsentis uitæ cõmodis perfruantur. Errant planè. At ego non minus, qui ab instituto præsenti tam longè digressus sum. Ad psalmũ igitur, à quo tam imprudenter discesserit, redeat stylus. Felix hunc uersum aliter ex hebræo legit: Quoniã instans in ira eius, quasi dicat: Ira eius est uelut instans. Nam eius generis ira citò in uiro probo sedari solet. Apertius paraphrastes: Momẽtanea, inquit, est ira illius: amor uerò quo prosequitur suos, in omnẽ durat uitam. Notat hîc Eutymius, iram castigationem in-
D telligi: idcirco is erit sensus: Licet castigatio diuina, qua interdum uisitantur mortales, è maxima Dei excandescentia, & indignatione exire uideatur: uita tamen ac salus in eius sunt uoluntate. hoc est, etsi uelut iustus punit, ut misericors tamen, & cupit, & uult misereri, parcereq;, & in finem seruare. Atqui notanda est familiaris admodum in propheta, ut sępe admonui, de Deo anthropopathia. Humano enim more nostrę consulens imbecillitati, de diuinis personis loqui nobis instituit. Homo enim ira feruidus, cum aliquem tum punire contingit, id facere dicitur inconsultò, neq; ex animo, sed casu potius, & subito percitus iræ motu. Eodem itaq; modo ad ostendendam uindictæ breuitatem in Deo, & quàm grauatè puniat, dicit castigationem eius in ira, indignationéue, atq; excandescentia uersari, quippe qui non ex electione, aut proposito puniat, cum magis in uoluntate habeat (quæ est eius naturæ incomprehensibilis bonitas) seruare, uitamq;, non mortem inferre. Quid, inquit, aliud uolo, nisi ut conuertatur homo, & uiuat? Cæterum quomodo mors potius quàm uita ab illo, qui fons est uitæ, ac ipsamet uiuificans omnia uita, expectanda erit? Nónne id illud omne, quod factum est, in ipso uita erat? Mortem igitur execratur Dominus, uitam uerò in nobis & amat, & impartiri appetit, modò nos uitam magis eligamus, quàm mortem. Quòd si tamen aliquando occidere uidetur, hoc nõ agit, nisi ut uita statim danda charior sit: neq; interim aliud cogitat, quàm uitam nostram, quàm bonum, quàm pacem. Verùm cupis ne, ait uates, experiri quæ dico, iram scilicet Dei breuem esse, consolationem uerò & diuturnam, & celerem?

Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.

Si, inquit, uesperi mali quippiã occurrerit, illicò tamen euanescet. Quem quidem sensum ita reddit paraphrastes: Si fortè, inquit, sub uesperam accidat flebile quicquam, illud in ipsa aurora cõmutabitur in gaudium. Adeò Dei uoluntas est, ne sui diutius in miseria maneant. Est quidem fletus, est mœror, est tristitia, atq; animi cruciatus, dum durat tentatio illa in qua à Deo quasi deseri uidemur. Quis oro, in tentationibus ac mundi molestijs positus, lętam uiuere potis est uitã, cum sese à cœlesti patre derelictũ suspicatur? Quàm sapienter igitur illud ab apostolo

ad præ-

A ad præſentem rem faciens eſt dictum. Omnis, ait, diſciplina in præſenti quidem non uidetur eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea uerò fructum pacatiſsimũ exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Cæterùm quis etiamnum eſt qui ignoret calamitatem occaſionem eſſe uirtutis? Proſpera certè ac ſecunda ſemper ferè in uilia, ut inquit Seneca, deueniunt ingenia. Surgite, clamat alio in pſalmo Dauid, poſtquam ſederitis ô uos qui manducatis panem doloris. Non ſanè ſemper (haud deſperemus) in miſeriarũ tenebris erit ſedendum. Habet enim malè anteactæ uitæ recordatio ſuas lachrymas, ſuos fletus, ſuam miſeriam, ac quandam animi deſperationem: ſed & ſpes ſuos excitare ſolet aculeos, gaudiũ, conſolationé mue in ſpiritu ſancto. Sepulto quidem Domino ueſperi flebant omnes, mane uerò gauiſi ſunt diſcipuli uiſo Domino. Veſperi etiam omnis flebat populus cum rege Ezechia cum audiſſet minas Sennacherib: mane tamen lætati ſunt in Domino, intelligentes, ut ſacra refert hiſtoria, tot millia hominũ ab angelo interempta. Ezra doctor hebræus putat hunc uerſum ita legi debere: Qui ad ueſperã ſe cum fletu domum recipiunt, mane lætitia exultant. Verùm utramuis ſequaris literam, is unus erit ſenſus: Citò finiendas eſſe bonorum calamitates, neq; propter illorum acerbitatem deſperandum, utpote quæ, etiam ſi per totam perdurent uitam, momentaneæ ſint, uentoq; ipſo uelociores, ſi æternæ illas felicitati compares.

Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.

Solent enim hi, quib. fax aliqua cœleſtis cõſolationis illuxit, ſic intra ſe: Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? non equidem amplius mouebor à generatione in generationem, ſine malo. Iam me ſentio hoſtilibus armis impenetrabilem factum. Dedit iam tandem cœleſtis pater calamitatũ mearum cumulo finem, carnis illecebris pacem, cupiditatibus terminũ, ac à malis omnibus me prorſus exemit. In hac igitur, tanta q; mea quiete & tranquillitate poſitus, non labaſcã poſthac, recedamq;, ut prius, à iuſtitiæ ſemitis. Incauta ſanè hæc eſt confidentia, ac pa

B rum exercitati in rebus ſpiritualibus animi argumentũ. Quandiu enim grauiſsimum carnis onus nobiſcum cõmoratur, non eſt qui queat dicere ſe non poſſe amplius, uel in ipſa capitalia peccata corruere. Atqui nonne Dauidem olim, eo maximè tempore, quo ſe à Deo confirmatũ in regno prędicabat, in morbum ſtatim, ac nonnullorum iniurias incidiſſe legimus? Forſan ille uiciſsitudinis humanę parum memor, ob fauorem illum Iſraëlis ad Hebron, unctionemq; illam regiã tam celebrem, populiue frequentiam, ac reportatam de Iebuſæis uictoriam, ſibi ab ærumnis uitam prorſus immunẽ polliceri fuit auſus. Quid Petri confidentiã memorem? qui (ut ſibi uidebatur) promptus cum Domino ſuo commori, ad unius mox fœminæ interrogationem perterritus fidem fregit, iurauitq; ſe Dominum ſuum non agnoſcere. Nos imprudentes, ſi cõſtantiores in propoſito, atq; in fide ſolidiores, quàm ipſi perfectiſsimi uiri fuerint, nos fore ſperamus. Proinde ueriſsimum illud eſſe non dubito, neminem adeò felicem eſſe, tamq; in cœleſtibus rebus & altus, & excellens, quin illicò miſer fiat, ſi ſuos ſubtrahat radios iuſtitiæ ſol: ita neminem in tantas proiectum eſſe calamitates, quin actutùm emergat ac beatus fiat, ſi fauerit Deus. Viciſsitudine enim huiuſmodi tum miſeriarum, tum conſolationũ, experiri ſolet ſuos Deus, ut de ſe, ſuiſq; rebus diffidentes, penitus in ipſo ſolo ſpem omnẽ ſuam collocare perdiſcant. Et quidem (ni fallor) eius generis exercitatio & lucta in ſequentibus exprimuntur.

Domine in ℣oluntate tua præſtitiſti decori meo ℣irtutem.

Succeſſum rei enarrare incipit, ac, ut ſuus eſt mos, illa omnia, quibus ſeſe contra ictus aduerſitatũ immobilem ſenſerat, Dei eſſe prædicat. Interim, ait, tu, non ego, præſtitiſti decori meo uirtutẽ: non id, inquam, meis actum eſt conſilijs, non meis ſtudijs, non mea uoluntate, ſed tua. Tu Deus, non ego homo, ille fuiſti, qui robur, uirtutemq; præſtitiſti meo decori: hoc eſt, meæ, ut mihi uidebatur, ſtabilitati ac perfectioni conſtantiã ſuppeditaſti. Non ſicut ego de me pręſumo, ſed ut tuę placitũ eſt uoluntati, me in tuis donis quemadmodũ collocas, ita & firmas, &

C undequaq; ne nutẽ, fulcis & roboras. Ex hebræo illud, decori meo, monti meo habetur. quem quidem montẽ, intellectum interpretantur, ueluti qui, uti mons in campis ſyluæ, in homine admodum emineat, & cui illius generis à Dei uolun tate contingat & robur, & firmitas, quorum præſidio neq; in ſecundis rebus ſeſe efferat, neq; in aduerſis nimium perlangueſcat, frangaturq;, aut mulierum more perfractè nimium doleat. Quare ſic reddit paraphraſtes: Tu Domine muniuiſti quod præcipuũ eſt, uim ſcilicet intellectus inſtar montis æquam, inconcuſſamq; feciſti. Verùm tu ſtultitiam meam repreſſurus,

Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.

Sic ô Domine preſumptionẽ meam eo periculoſiorẽ, quo ſe ſibi ueluti ideam quandã ſanctitatis effingit, caſtigare ſolitus es. Tua igitur, uel tantillũ quidem, auerſa à nobis facie, noſtra ſubitò cõturbantur cõſilia, languida fit mens, ac prorſus conſternata contabeſcit. Deus enim tunc nos reſpicere dicitur, cum noſtris fauet optatis: ex quo quidem fauore uim ſumens animus exhilareſcit, gaudioq; afficitur, & in conſcientiæ tranquillitate dilatatur. Vbi uerò ſe longius ire ſimulat, noſtrisq; precibus ac uotis ſurdum quodammodo ſeſe exhibet, iacet anima, conturbaturq;, & in ipſis tentationibus atq; anguſtijs clamat, ſuſpirat, ingemit, precaturq; id illud, quod ſequitur:

Quæ Vtilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem? (Verùm interim) Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.

Vide quô ſe anima in tanta ſui conſternatione dirigat, undeq; opem ſibi promittat. Eò certè, ſi ſapit, clamorẽ omnem ſuũ ac lachrymas, unde certiſsimũ ſperatur auxilium, uertet, experta nimirũ toties pacem ueram, tranquillitatémue in orationibus, quæ caſtis deſiderijs, cordeq; de diuina protectione minimè dubiæ
D fiunt, ſitam eſſe. Sed neſcio qua miſerrima ſorte id accidat, ut perpauci ſint, uel in ipſis profitentiũ ſublimia cõuentibus, qui norint, quo modo, quóue ſtudio, atq; animi exercitio rogandus ſit Deus. Putant enim aliqui Deũ perpetuo ſibi fœdere deuinxiſſe, ſi aut non declinent (utcunq; id fiat non multũ referre exiſtimant) à præſcripto orandi tẽpore: aut ſuis in quibuſdam, ut uocant, deuotionibus pertinaciſsimè, uel uſq; ad nauſeam ſpiritus perſeuerent. Quemadmodũ enim flagrans animæ intentio, ac perſeuerans in orando inſtitutum, ſemper habitum eſt celebre & diuinũ à ſanctiſsimis uiris: ita ſtolida quorũdam ars, ac prorſus athea, in oratione quæ fit Deo, periculoſiſsima uiſa eſt, planeq; immunda atq; ignorationis plena, & quæ ipſis quoq; beatiſsimis ſpiritibus, nedũ quidem Deo, indignationi ac ſtomacho ſoleat eſſe. Hincq; fatuæ illæ prodeũt interdum quorundam iactationes de manſo breui hora pſalterio, de lachrymis, dum alij ſtertunt, antelucanis, de ecſtaſi, de perfectiſsimaq; irrationabiliũ affectuũ mortificatione. O homines certè reprehendendos, dignosq;, quibus probior cœlitus impartiatur mens atq; animus: qui cum natura igneus ſit atq; diuinus, in his ſolummodo uerſari debet, quæ uerè ardentia ſunt, prorſusq; cœleſtia, atq; à mundi craſsitie aliena omnino. Cenſet Eutymius in hoc loco naturam humanã à uate taxari uilipendiq; quaſi mortalem, ut ipſemet inquit, ac breui extinguendam, & quã alio in pſalmo uanitati perſimilem eſſe aſſerit. Vtcunq; ſit, animã pro uita, quæ in ſanguine ſita eſt, poni in ſcripturis cum ſæpe aliàs, tum in Leuitici lib. maximè legimus. Anima, inquit, omnis carnis in ſanguine eſt. Quis unquã, niſi Empedoclis prorſus diſcipulus fuerit, illam animæ partẽ, quæ & ratio appellatur, & cui æterna promittitur felicitas, in ſanguine iacere uoluit? Ad quid igitur, inquit, utilis erit uita mea, ſi deſcendero in corruptionem? uel, ut reddit Felix, in foueã, ſeu lacum æternæ mortis? Atqui hîc rurſus quaſi impatiens conſideranda erit cupiditas manendi in uita illorũ, qui idcirco maximè uiuere cupiunt, ut magis ac magis Dei gloriam, ac nomen prędicare poſsint. Melius eſt, inquiunt, ut uiuamus, etſi ob nullam certè noſtri rationem, at ſaltem ob illam, ut tua gloria per nos, ac ueritas illuſtretur, ſpargaturq; fama tui nominis per uniuerſum orbem, non ut carni

& mun-

A & mundo à tuis inſeruiatur. Arbitror hinc ſcire poſſe homines ad quid conditi ſint, cur uitã cupere, quibuſq; rebus obtemperare debeant. Nulla certè res alia, aut deſideriũ manendi in uita tam honeſtũ eſt ac laude dignum, quàm illud, quo quis idcirco diu in carne uiuere exoptat, ut diu in celebrandis Dei laudibus ad cę terorũ exemplum occupari queat. Quare ſic cum Deo rationes ſuas computat:

Nunquid confitebitur tibi puluis? aut annunciabit ueritatem tuam?

Minimè quidem omniũ: quin potius uiuens uiuens ipſe confitebitur tibi. Si ui xero, ait, te laudibus efferam: ſi in cinerẽ reſoluar, quæ tibi aut tuis utilitas? nunquid inanima laudare te poterunt? poterunt forſan, ut ſunt plantę, ſaxa, arbores, ſol, luna, ſydera, quibus maximus ineſt decor atq; elegantia: at à corruptione, à putre gleba, à puluere & cinere, quid decoris? quid laudis ſperari poteſt? A pallida enim in emortuis faucibus & lingua, & uoce, num laus illa, quam tanta exoptat maieſtas, expectari conuenit? Ne igitur hoc, quod timeo, accidat,

Exaudi Domine & miſerere mei, Domine eſto adiutor meus.

Sic enim hunc uerſum legit Felix. Verùm ſi noſtra magis arridet litera dicendum erit, uatem rei, atq; opis futuræ certum, de ijs quæ uentura erant, perinde uaticinatum eſſe, ac ſi iam præſentia eſſent. Eo enim modo diuina ſe habet natura, ut illi æquè futura ac præſentia indifferentia ſint: quæ & indifferenter ſuis, cum opus fuerit, impartit ac reuelat. Vides itaq; quo modo, aut qua arte uir ſanctus ſuam ſibi præparat dedicationem, nempe animæ purgationẽ & lumen: quod ſanè ſibi à Dei miſericordia atq; auxilio profectum aſſerit. Quocirca ſanctiſsima, ut ſic dicam, iactantia, quod ſentit aperit.

Audiuit (inquit) Dominus, & miſertus eſt mei, Dominus factus eſt adiutor meus. Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circundediſti me lætitia.

Dictio enim, planctum, in hoc uerſu eius efficaciæ Hebræis eſt, ut lamentatio
B nem potius & fletum cum eiulatu permixtum præ ſe ferat, quàm planctum ſimpliciter: quanquam apud Latinos quoq; planctus, ſeu plangor, idem fermè ſit, quod fletus cum pectoris percuſsione, ac queribunda uoce & ululatu. Vide grati animi indiciũ. Nam ſimulatq; ſuam in re præſertim tam periculoſa expreſsit luctam, de dato cœlitus auxilio lætatur, fateturq; ſeſe gratias diuinæ bonitati acturum. Poſt dolorem, ait, malè tranſactę uitæ, poſt tentationum rabiem, poſt hominum perfidiam ac perſecutiones, poſt fletũ, poſt lachrymas, uertiſti tandem mœrorem omnem meum in gaudium, ſeu, ut legit Felix, in chorum: aut, ut alius reddit interpres, in tripudiũ. Et ſic ſanè cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis. Cæterum quod ait ſaccum ſuum conſciſſum, antiquæ nos admonet conſuetudinis, qua illi, qui in inconſolabilem aliquem dolorem inciderant, lugubri ueſte, quam ſaccum uocabant, induebantur: ex quo quidem more illud eſt in Ionæ libro de rege Niniuæo ſcriptum: Surrexit, inquit, rex de ſolio ſuo, & abiecit ueſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Qua quidem periphraſi intelligi oportet, regem illum è regali faſtu & lętitia in extremum mœrorem ac luctum deueniſſe, quemadmodum hîc uates hac uerborum congerie exprimere uoluit, quòd placato Domino, atq; ad ſe per diuinos afflatus conuerſo, diſceſsit mœror, luctuſq; abijt, & ululatus. Circundediſti me, inquit, lætitia. hoc eſt, me totum penitus à dextris, & à ſiniſtris, à planta pedis uſq; ad uerticem cooperuit, ac cinxit me ſpiritus non huius mundi, ſed cœleſtis ac planè beatus. Cæterum ſi aduerſa ſunt quę accidunt, omnia ſuſtineo per eum, qui me cõfortat. Si felicia, non efferor, non intumeſco, ſed ex his potius qualia ſint æterna bona coniecto. Tantum enim abeſt, ut in munitiſsimis rerũ fragmentis cõſiderandis (fragmenta appello ea omnia, quæ uiro probo accidere poſſunt in hoc mundo, ſiue amara ſint, ſiue dulcia) multũ immoremur, ut etiam pertinaci propoſito contemnamus. Sola enim cœleſtia & æterna, nos occupare & debent, & poſſunt, modò animorum originem non ignoremus.

Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar, Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

C Hic gloriam uocat propheta diuinorum beneficiorum memoriam, qua in pri
mis animus gratus Dei gloriam extollere consueuit: hoc est, ut diuus ait Augu-
stinus, nihil boni ex sese, ab Deo autem omnia proficisci putare. Num parua illa
censebitur gloriatio, qua uirum sanctum gloriari condecet ac potest, se Deo cha
rum, illíq; curæ esse, atq; propterea tutam in omnibus uitam agere? num illa, per
quã iactare se solet peccata sibi omnia gratis remissa, secq; cuncta legis præcepta,
alioqui humanis uiribus imparia, per Dei filiũ exequi potuisse? Vide igitur, ô ho
mo, quò tua destinanda sit gloriatio ac lætitia, postquam absterso manu Dei lu-
ctu & mœrore, pax animi conceditur. Insipiens enim admodum es, si te à Deo
ad effœminatos plausus, iocosq; ac luxus enutriri censes. Scilicet tam sublimi na
turæ ac numini tua est cordi lasciuia, neq; aliud in primis curat diuina maiestas,
quàm ut tuam foueat mollitiem & teneritudinem. Felix & cæteri quoq; Hebræi,
Et non compungar, uertunt, & non sileat: ut perpetuum tenorem atq; institutum
laudandi Deum in uiro sancto esse pernoscas. Compunctum præterea cor in ho
mine uelit nolit silere cogitur: unde rectè asserere possumus, taciturnitatẽ necessa
riò compunctionẽ comitari: quod quidem ab Eutymio notatũ esse uideo, cum
scribit hîc, quod consequitur significatũ esse ex eo quod præcedit. Verumenim-
uero nec dictio, compungar, uidetur absq; ratione poni ac legi. quare is erit sen-
sus: De te cantabit anima mea, non de adeptis diuitijs & magistratibus: de te, in-
quam, omnis mea erit gloriatio, non de numero agrorum, aut ædium: neq; un-
quam me tuę eiusmodi laudis, aut de te gloriationis pœnitebit: scilicet, quod red
dit paraphrastes, incessanter te laudabo, bonũq; mihi abs te datũ, tibi acceptum
referam, non mihi meæq; uoluntati, aut arbitrio: & tandem in æternũ, id est, toto
tempore uitæ meæ, me totum, tuũ ad honorem & gloriã incendam: adeò ut nihil
os, nihil lingua, nihil mens, atq; ipse animus tandem aut cogitare, aut loqui iam
uelit aut possit, quod tuum nomen, quod tuam gloriam, quod tua beneficia &
D dona nõ referat, orbíq; uniuerso prędicet ac diuulget. Ne uiuã, si aliud cogito.

PSALMVS DAVID *in finem* XXXI.

IN te Domine speraui non confundar in æternum, in iustitia tua libera me.

Neminem unquam ex antiquis autoribus, siue is uates fuerit, siue pa
triarcha, quos ecclesiæ fundamentũ appellat Paulus, me legisse memi-
ni, qui tam honorificè spem & fiduciã de Dei bonitate suis scriptis cele
brauerit, quàm Dauid, qui tam crebrò illam extollit, ut fermè nullus sit psalmus,
in quo spei mentio non inseratur. Nouerat enim uir sanctus id præcipuũ esse te-
lum, quo audacia hostium tam uisibiliũ quàm inuisibilium retundi potest. Quid
putas aliud in causa esse quòd tam assiduis discordijs orbis ferè uniuersus impræ
sentiarũ exagitat? Quid porrò aliud arbitremur secundos Turcis in Christianos
præbere successus, quàm à Christianorũ pectoribus spei absentia, atq; exilium?
Quid, oro, ad tantam proiecit sui obliuionẽ ecclesiam? Quid respub. euertit fun-
ditus, atq; à iustitia, à pace, ab æquitate deturbauit ciuiũ animos? Vnde ambitio?
unde cupiditas? unde dominandi libido, etiam in his, qui in intimis ecclesiæ pe-
netralibus & claustris latitãt? unde luxus? unde fastus, simultasq;, simulatio, dis-
simulatio, atque omnis generis uitia emanant? nisi quòd in re alia quàm in Deo
suam collocant fiduciam ac spem, mortaliũ plerique? Nuper enim à senatu Vene-
to, ob atrocẽ admodum nunciũ, quo ferebatur Corcyram à Turcis obsideri, con-
sternato, interrogatus CAMILLVS Vrsinus an uellet cum exercitu Dalmatiã tra
ijcere, respondit se nihil tam auidè cupere, quàm pro Christo in acie occumbere,
quem sibi semper tamen cum in tam iusto bello, tum ubiq; locorũ affuturum spe
raret. O uocẽ certè Christiano imperatore dignã. Non rursus silentio præteribo
Genuensiũ rempub. quæ eodẽ nuncio, quo Veneti, perterrita, nihil in primis cu
rauit, quàm ut cœnobiorum uiros ac mulieres, largissimis eleemosynis inuitaret
ad diuinam exorandam opem in re maximè tam necessaria & periculosa: spe qui
dem ac fiducia, quã de Deo conceperant, eam prę se ferentes normã pietatis cæ-

teris

A teris reſpub. qua nimirũ à tam nobili populo inſtructæ non ignorarent inde magis, facíliusq; diuinũ impetrari poſſe fauorem in reprimenda tam potentiſsimorum hoſtium ferocia, quàm ui belli, claſſeq;, facinoroſorũ hominũ colluuie, atq; æreporulorũ, ſimul & eccleſiarum inſtructa. Dauid enim cum rex eſſet fortiſsimus, atq; adeò ſui exercitus ſtrenuiſsimus & dux & imperator, uictoriarum tamen ſummam ab Deo magis, quàm à munitiſsimis arcibus, aut uallo, aut foſſa, ſperandam eſſe cenſebat. Quare ubi cum hoſtibus confligendum erat, à munere quidem ducis optimi, militisq; fortiſsimi, ſibi minimè ceſſandum arbitrabatur, quippe qui nõ minus ignauiam uel ſibi, uel ſuis militibus nocituram aiebat, quàm Philiſtæorum, Iebuſeorumq;, ac cæterorũ hoſtium & arma, & ingenia: ſpem tamen ſuam omnẽ uictoriæ in Dei magis auxilio & uoluntate ſe poſuiſſe cum aliàs ſæpenumero alijs in pſalmis, tum in hoc maximè, quem modò exponere intendimus, teſtatus eſt, quàm in falcatis curribus, cataphractorúmue numero, aut uelitum. An uerò ſpiritualibus in prælijs alia poſsit eſſe formidabilior hoſtibus armatura, quàm ſit fides, fiduciaq; ac ſpes in Deo, hi certè norunt, qui à tenerioribus annis ad decrepitam uſq; ætatem in acie illa fortiter uerſati ſunt, in qua non corpus, ſed anima uulnerari ſolet. Cæterũ animalis homo, carnisq; prorſus addictus, cum ne ſemel quidem ab arena uictor diſceſſerit, ea quæ in abditiſsimis animæ receſsibus peraguntur, non facilè perſcrutari poterit. Clamat igitur hîc Dauid. Clamat anima, ſuũ non ignorans periculum. Clamat tandem Dei filius pro nobis, poſtquam nos in re noſtra tam ſomniculoſi ſumus, & tardi: In te Domine ſperaui, non confundar in æternũ. Nego equidem quenquã eſſe, qui, cum orat, etiam ſi ſpiritus ardore ſeſe inter Seraphicos immiſceat choros, non cõfundatur, repulſumq; ſe à Deo non ſentiat, ſi abſq; ſpe orare præſumat. Vult enim cœleſtis pater à uacillante minimè animo rogari: alioqui omnia animæ illi daturus, quę à terrenarũ rerum uiſco libera, quemadmodum amorẽ, ita & fiduciam omnẽ ſuam
B ac ſpem, in diuinam bonitatẽ transfundit. Tantùm id unũ expetendum erit, ne in re petẽda aberretur. Non omnia enim quæ ſuſpirijs, ac gemitibus orari ſolent, impetrantur. Scit ille, qui res noſtras etiam nobis ignorantib. moderatur, quid nos deceat, aut nobis utile ſit, aut quæ magis, quæue minus officere aut prodeſſe queant. Idcirco ſemotis ſemper à ſapientiſsimo artifice his, quæ aut nihil nobis conducere, aut multũ obeſſe poſſunt, ea tantũmodo elargitur, quæ magis utilia ſunt, & quæ ad ſalutẽ noſtrã facere certiſsimè nouit. Hac enim perſuaſione quis orans, nunquã ſuis in ſupplicationibus pudefiet confuſus, reiectusq; ab actu illo diuino orandi nunquam diſcedet inauditus. Res uerò illæ, quæ adiaphoræ ſunt, ſi abſq; certa fide impetrandi poſtularentur, quippe quæ tam nobis aduerſa eſſe poſſunt, quàm utilia, non ſanè multũ admirandum eſſet. At peccatis ueniam, ſalutemq; æternam, quam idem ipſe Deus etiã interpoſito iuramento dare eſt pollicitus, titubanti fide petere, idem impietatis genus eſt cum illo, quo quis aſſerere audet Deum inconſtantem eſſe, ac facile à promiſsis cadere. Vides quô noſtra interdum nos popularis protrudat ſanctitas: quę tum ſibimet ipſa magis applaudere ſolet, cum minus ſolidè, minoriq; fide ac ſpe ſe uidet oraſſe. Vocamus enim neceſſariã illam in orante fiduciam, prę ſumptionẽ, & id maxima cum ſpiritus ſancti iniuria & contumelia. Tantũ porrò abeſt, quod aliàs admonuimus, ut in delectu rerum earũ, quæ petendæ ſunt, fallamur, ut etiam in dies magis in doctrina illa ſpiritus, quæ omnẽ docet ueritatẽ, erudiamur. In æternũ, inquit, hoc eſt, non ſemper confundar, licet ad tempus cõfuſus uidear, atq; à te derelictus. Num ſemper abs te eiectus uidebor? Minimè quidem. Sed in iuſtitia tua, non in mea, quæ imbecillis eſt, tua uerò potentiſsima, libera me, tuæq; conſolationis pabulo enutri, & paſce. Iuſtitia Dei in hoc loco, ut aliàs diximus, perfecta, eſt eius natura, qua undequaq; beatus eſt, ac ſummè integer, & per quam ſolam ſeruamur, atq; in adoptionem filiorũ Dei aſciſcimur. Cogitanti enim mihi ſæpenumero, ac ſtupenti, quàm uarij ſint noſtri ſpiritus & motus & affectus, uaria item conſilia ac ſtudia, illud in primis occurrit magnopere reconditum, cogitatuq; difficile, atq; ar-

C duum, an uir ille in tuto esse dicatur, qui in extremo, quod aiunt, anhelitu constitutus, agens q̃ animã, Deo posthac, si uixerit, pollicetur sanctius suæ se uitæ rationes instituturũ, leges q̃ alias arctiores illi unicę, quã in anteacta uita non seruauit, additurũ: quibus q̃ seruatis sperat opportuniori tẽpore, quàm illud sit, quo tum sibi demigrandũ esse timet, confidentius emori posse. Is sanè, ut quod sentiã eloquar, uidetur mihi in iustitia sua, non Dei, uelle mori, cum in Dei iustitia obire mortẽ nihil aliud sit, q̃ nullo habito respectu meritorũ, demeritorúmue, morientẽ sese totũ in cœlestis patris sinũ proijcere, atq̃ ab illius iustitiæ & bonitatis fonte, ne pilum quidẽ discedere. Alioqui in ratiocinatione meritorũ nimiũ, quæ miserrima est hominis cõsuetudo, inturgescet, aut in cõsiderandis improuidè de meritis desperabit. Quid uetat igitur animũ in Dei fide eruditũ, spontaneo motu, atq̃ hilari desiderio è corpore, cum iubet, exire, simul ac nouit peccata omnia nostra, è quib. ortũ habent demerita, filij Dei esse facta, illius uerò merita, nostra?

Inclina ad me aurem tuam, accelera Vt eruas me.

Aures in Deo uolunt esse sapientiam & misericordiã. Illa enim nostram intelligit miseriam atq̃ indigentiam, hac exaudit & miseretur. Vates quidem diuinas operationes ab humanis edocere consueuit, quo nostræ naturæ (ut sic dicã) crassamento succurrat, quæ humi pressa, rarò ad ea speculanda quę Dei sunt, nisi per corporea, & quæ usui hominibus sunt, sese erigere est ualida. Verùm considerandum, quomodo indignum haudquaquam sit Deo, si illum dixerit uates aurẽ ad suorum preces inclinare: qui sanè mos his esse solet, qui cum procerioris staturæ sint, aurem ad os tardiuscula prolatione, uoce q̃ exili hominis loquentis, quò facilius audiant, inclinant. quare is erit sensus: Tu Domine cum excelsus sis, ac super omnẽ sublimitatẽ sublimis, ad humilem tamen animã, tremula q̃ uoce suum dolorem proferentem, aurẽ inclina. Tu medicus, ego infirmus: tu Deus, ego homo, uas scilicet fragile ac uitreum. Accelera ut eripias me. Vidisti ne unquam ali-
D quem in amnem rapidum è lembo elapsum, aut in lutum ab equo excussum, seu è prerupto saxo pendentem, ac uix ui se, ne præceps cadat, summis digitis continentem? Is enim hoc fortius prætereuntiũ opem implorat, quo cernit sese in maiori periculo constitutũ. Nedum quidẽ clamat, sed ut celerius accurratur, clamorem ingeminat, instat, urget. Eodẽ sanè modo res se nostrę habent. Vndiq̃ enim sexcentis circumuenti periculis, in dubio nauigamus. A dextris quidem in rebus prosperis, elatio & fastus: à sinistris autem in aduersis, desperatio. Hinc gula, somnus, ocium, desidia: illinc inordinatæ animi appetentiæ, uariiq̃ mentis affectus ac studia, ueluti tauri pingues obsident nos, & nostrã non considerabimus miseriam? Ecquis animũ habens non prorsus rationis expertẽ, suum q̃ aduertens periculum, non uociferabitur ad Dominũ, atq̃ eum, clamore & ter & quater repetito, ad celerandam opem non prouocabit? Nunquam certè ab huiusmodi solicitudine relaxandus est animus. Alioqui tum maximè in alto iactamur, cum nos tutò in portu nauigare credimus. De Dauide quidẽ legimus, quòd cum requiem neq̃ in mõtibus, neq̃ in uastis eremis à persecutionibus immanissimi regis Saul inueniret, desperabat se posse euadere: nam Saul & uiri eius in modum coronæ cingebant Dauidem. Vides, ni fallor, sub typo Dauidis, quomodo uiro iusto nullus locus ab insidijs tutus sit, siue in solitudine secum, siue in frequentia cum cęteris uitam agere instituat. Quare

Esto mihi, ô Domine, in Deum protectorem, & in domum refugij Vt saluum me facias.

Idioma id Hebræorum est. quasi dicat: Esto mihi protector & refugium. Cæterum illius generis appellationum, refugij, arcis, rupis, petræ, & similium congeries, auxilij rursus, opis, patrocinij, magnitudinem periculi indicat. & est sensus: Ad te solum Domine confugio: tu arx, tu robur, tu uallum, tu rupes hostib. meis inaccessa. hoc est, te opitulante cadunt illicò conatus quamuis acerrimi hostium. Olim enim Iudæorũ populo per regiones à Mose constitutę fuerunt ciuitates refugij, ad quas confugere illos fas erat, qui in delicto aliquo capitali deprehensi,

eo

A eo in loco, in quo crimen illud incurrerant, tutò habitare non permittebant. Vmbra ſanè diuini præſidij illa fuit, ad quam quidem uates, ut ſuus eſt mos, ſecretiſsimo artificio alluſit, Deum ipſum refugij domum appellans. Vnde ſequitur:

Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu.

Alia litera: Quia pro petra, loco uidelicet inacceſſo, atq; undiq; prærupto, ac pro turri (hæc eſt fides) mihi eſſe ſoles.

Et propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Cum nomen Dei (ut aliàs admonuimus) ſit ipſe Deus, deduci propter nomen Dei, erit ab ipſo Deo propter ſemetipſum, non propter merita noſtra, aut operationes Deo dignas, quæ à nobis exire poſsint, duci ac regi. Quare is erit ſenſus: Dux mihi eris Domine, atq; à confragoſis montiũ locis me in opima camporum paſcua tanquam tenellam ouem deorſum minabis, ibiq; me enutries, ac uberrimis tuarum gratiarũ herbis ales & ſuſtentabis. Omnis certè alius cibus mortalis eſt ac terminabilis, & qui mihi facile nauſeam ciere poteſt: tuus uerò immortalis, æternus, conſolidansq; & cor, & animam. Idcirco ſtolidi eſſet animi, planeq; uecordis, ab illo ſatietatem ſperare, & uitam, cum mortalis ſit, ac corruptioni obnoxius: tuus autem uiuus, & cætera omnia uiuificans, uitámue dans mundo.

Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi, quoniam tu es protector meus.

Paſsim Dauid in pſalmis fraudulentorũ hominum aſtutias, atqueadeo ſpirituum immundorum inſidias, laqueos, aut retia appellat. Res ſanè cõmiſeratione digna uidetur, cum aucupum inſidijs, aut uiſco, aut rete capta auicula, in tricis illis doloſis implicatur: ſed magis illa, cum uir probus, improborũ hominum laqueis, calumnijs, falſisq; delationibus & iniurijs irretitus, miſerrimũ in modum pertractatur. At longè atrocius eſſet ſpectaculũ, ſi aſpectui humano patêre poſſet, quomodo anima in turpiſsimis illis ſuis appetentijs, ac concupiſcentiatũ ſor-
B dibus fæceq; libidinum & curarum inuoluta, miris ſeſe diſtorqueat modis, & ſe excruciet. Incauta enim dum forſan nimiũ ob propriam excellentiam aut turget, aut præſumit, in laqueos illos, qui per delitiarum uepres ac ſentes deliteſcunt, incidit, irriſa nimirũ ab ipſis aucupibus, atq; oſtentui habita. Hoc igitur tropo uerborum uoluit uates doloſorũ ſimulationes exprimere, qui dubijs ſemper uerbis reſpõſa dantes, hamatum animum ac planè laqueis ornatum præ ſe ferunt. Itaq; me Domine, inquit, ab illis ipſis, qui in corde & corde loquũtur, ut me decipiãt, explica, atq; ab illorum manibus (ut es natura ſimplicitatis tutor) uendica. Siquidem tu ſolus id potes, ſolusq; item es, quem meum ſcutum, meum thoracem, meamq; galeam, contra duplices iſtos homines ac bilingues eſſe decreui. Nónne etiam dæmones bilingues appellari fas erit, cum uitam polliceantur, mortem uerò propinent? Vtcunq; ſæuiant,

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.

Cum enim in omni loco, in omni tempore, in omni uitæ genere antiquus hoſtis circumeat quærens quem deuoret: idcirco ubiq; gentiũ, in omni ætate, in omni gradu & uitæ conditione clamandum erit, ut ſpiritum noſtrum, ſiue in corpore exiſtat, ſiue ab ipſo demigret, paternè foueat Deus, ac tutetur. Certè equidem cum conſidero nullum locũ quamlibet abditum ac remotũ, nullam ętatem, nullámue horam tutam eſſe à dæmonum, atq; hominum improborũ tendiculis & laqueis, totus cohorreſco, prorſusq; de meipſo deſperans uereor aliquando, an poſsibile ſit factu, ſpiritum aliquem humanũ ſeruari poſſe. Rurſus uerò cum recolo qua potẽtia & bonitate is præditus ſit, qui pro me eiuſmodi hemiſtichio, quem nunc tractamus, in cruce moriens eſt uſus, meme actutùm reuoco, atq; in memetipſo diffinio, eundem ipſum ſpiritum, quem patri moriens filius cõmendauit, unũ cum meo eſſe, utpote in uno atq; eodem corpore cõmorantem. Nam quemadmodum totum corpus humanum ab uno tantummodo ſpiritu, licet in membris uarijs diuiſum, & agitatur, & uitam habet: ita eccleſiam, electorum ſcilicet conuentũ, alter alterius qui ſunt membra in Chriſto, ut ait Paulus, unum at-

C que eundem ſpiritum cum ſuo capite, qui Chriſtus eſt, habere neceſſe erit. Quo circa aſſerere audeo, Chriſtum animã in cruce agentem ſpiritũ meum patri commendaſſe, quando uoce magna exclamauit, dicens: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Quàm uereor ne tam arctam unitatem, qua maior interis nulla eſſe poteſt, impudentiſsimè ſcindamus. Odijs enim, ſimultatib. mutuiſq; diſcordijs, ac beluis illis Hyrcanis ipſis tigribus immanioribus, ambitione atq; auaritia, reſcindi ſolet. Cuius quidem rei typus fuit Iudas Iſchariotis, qui propter nimiam pertractandi res pauperũ rabiem & cupiditatem, ab unico illo uirtutum omnium præceptore Chriſto Domino ſponte ſua ſeiunctus, ne in ſemetipſo quidem unitus manſit, ſed deſperatis omnino rebus, omniq; abiecta ſpe ueniæ, laqueo ſe ſuſpendit, ac crepuit medius.

Redemiſti me Domine Deus veritatis.

Nonnulli legunt hunc uerſum: Redime me Domine Deus ueritatis. Vtraq; lectio ſenſum eundem habet, qui is erit: Certus ſum de tuo auxilio ac redemptione, ô Domine, quia Deus uerax es. Tua enim promiſsio, cui indubiè credo, mentiri non poteſt, quia ipſamet es ueritas. Quis unquã credidit ſe à ueritate falli poſſe? Conſtantiſsimus igitur in pollicitationib. Deus eſt: pollicitus eſt enim ſuos à malis eximere. Eximet certè, ac redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus ſuis, tantùm non animum in infortunijs deſpondeamus. Sæpe, inquit paraphraſtes, liberaſti me, & liberabis, in promiſsis tuis conſtantiſsimè uerax.

Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacuè.

Felix: Odi obſeruantes, ſeu expectantes uanitates uanitatis. Alia uerò ex hebræo litera ſic reddit: Odi omnes qui magicis artibus intenti ſunt: ut planè idem ſit odio habere intẽtos magiæ, & expectantes, ut uertit Felix, uanitates: hoc eſt, ut ipſemet interpretatur, expectantes reſponſa Phytonum, & ſimilium. Solent enim hi, qui rebus corporeis relicto Deo intenti ſunt, mirũ in modum in diſqui-
D rendis futuris euentibus eſſe curioſi: ut illi, exempli cauſa, qui glorię humanę per cupidi, de nondum habito honore, quęſito tamen, ac palàm empto, uoluptatem aliquam capere efflagitant. Sed mirum quàm ſæpe nænijs pluſquã anilibus credunt miſeri, ridiculaq; portenta & timent, & uenerantur. Cur nõ magis impia, q; ridicula dixerim? Cur non infidelia prorſus illa appellauerim, poſtquã audio inter primarios mundi uiros, quoſdam adeò in fide Ieſu Chriſti parum ſtabiles & conſtantes, ut in ornando, ſeu onerando potius capite regia corona, aut prima infula ac mitra, conſtellationes, quas uocant, obſeruare, chiromãtas accerſere, paſſimq; per orbem uniuerſum aſtrologos, magosq; accire & conſulere: qui & ipſi quoq;, præmij loco, pedo tandem epiſcopali donati abeunt. Scilicet honor ille, aut onus potius, omni cuiuſcunq; conditionis, aut artis, hominũ generi cõferendum eſt: & non magis illis, qui cum doctrinę ſyncerítate, morumq; candore, tum uitę ſanctitate inter alios emineant. Et quidem aut honeſta ea ſunt, Deiq; religione digna, quæ fieri quotidie in eccleſia Dei cernimus, aut ridicula omnino cõminatus eſt Deus Moſi: Anima, inquit, quæ declinauerit ad magos & ariolos, interficiam eam. Non inueniatur, clamat Dominus, qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia, atq; auguria. Ne ſit maleficus, nec incantator, neq; phytones cõſulat, neque diuinos, & quærat à mortuis ueritatẽ. Hęc quidem Iudæis. Emoriar equidẽ, atq; ab æterno uitæ fonte ſecludar omnino, ſi ea ipſa à Chriſtianis uiris peragi fas eſſe credo, quę uel in ipſis incredulis ac infidelibus abominatur Dominus. Summam enim, atq; eandem præcipuam Dei iniuriã ſemper eſſe exiſtimaui, futurorũ ſcientiam rei alij potius, quàm Deo tribui: quo moderante, diſponenteq; omnia perfectiſsimo conſilio atq; ordine, nõ poſſunt non optimè euenire, quæ ipſe euenire decreuit. Rectè igitur Dauid uolens ſuæ fidei cõſtantiã exprimere, ſe odiſſe uanas ſortes, ac magię ſtudioſos, omnib. teſtatũ eſſe uoluit. Exemplũ ſanè mirabile, & quod ſopitũ in nobis fidei ignẽ exuſcitare idoneũ ſit. Pudeat, pudeat Chriſtianũ hominẽ, ſed in primis eum, qui uel dignitate aliqua ſublimiori in mũdo cõſpicuus eſt, uel qui ſub arctioris alicuius profeſsionis lege ſolitariã degit uitam,

eas

A eas ipſas, quas Deus etiã in hoſtibus ſuis execratur, artes ſectari, illisq; credere. Ab utroq; enim huiuſmodi hominũ genere cæteri è uulgo homines ſuas ſibi uiuendi normas aſſumere ſoliti ſunt: quare illorũ uita ab omni parte perfectiſsima eſſe debet, ac planè munda. Tu igitur, ô Domine, meritò odiſti omnes obſeruantes uanitates iſtas ſuperuacuè: hoc eſt, fruſtra, inutiliterq;, ac pluſquã dici poteſt, & turpiter, & impiè. Cæterũ is uanitates obſeruat, ſeu, ut interpretatur paraphraſtes, uana amplectitur, qui omiſſo Deo rebus ſolummodo terrenis inſeruit, à quibus quidem nil niſi inanitas quædam expectari par eſt. Cùm enim ſpecioſæ magis apparent ac ſtabiles, tum illis minus eſt fidendũ: ſiquidem figura huius mundi, ut diuus inquit Paulus, aura fugacior prẽterit. Illi ſic:

Ego autem in Domino ſperaui, exultabo & lætabor in miſericordia tua.
Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſaluaſti de neceſsitatibus animam meam.

Pulchra ſanè antitheſis. Illi uana ſectantur: ego Dominũ, qui ſuorum arx eſt munitiſsima, ac refugij domus, & amo, & ſequor. Illi uanitates obſeruant, & amplexantur: ego uerò in te ſpem omnẽ meam colloco. hoc eſt, & firma, & ſtabilia amplector. Illi ſuas omnes actiones ab aſtrorũ motibus pendẽre uolunt: ego abs te non ſolùm & aſtra, & cœlos quoq; ipſos uirtutẽ illam ſuam, qualis ea tandem ſit, agnoſcere affirmo, uerumetiã quicquid uſpiam ſiue in cœlis, ſiue in terris conditum eſt, hoc idem agit, te confitetur, te amat, à te'q; eſſe, ac pendẽre, ut poteſt, prædicat. Porrò hunc uerſum integrum ſic legunt Hebræi: Exultabo, & lætabor in miſericordia tua, quoniam reſpexiſti humilitatem meã: ſeu, ut legit Felix, afflictionem meam, agnouiſti in anguſtijs animam meam. Vide hîc uatis ſubitam ecſtaſim ac ſtuporem, ex conſideratione tam admirandi patrocinij Chriſto à cœleſti patre contra ſpem omniũ exhibiti. Cum enim unicum illud uirtutũ omnium exemplar Chriſtus Ieſus, mortalium omnium languores, cruciatúsue mortis, atque, ut aliquibus uiſum eſt, inferni, ſecum ferens, in manus patris ſuũ atqueadeo
B noſtrum cõmendaſſet ſpiritum, terrificum quendam præ ſe tulit metũ, ita quòd neleuiſsima quidem ſuſpicio in circunſtantium mentem uenire poterat, eum ipſum tam crudeliter habitum à Iudæis ſeruari poſſe. Seruatus tamen eſt, atq; à patre ſolo, à morte, & inferorũ tenebris redemptus, quemadmodũ in hoc ſe pſalmo redemptum aſſerit. Spem quippe omnẽ ſuam illum de cœleſti patre concepiſſe arbitror, cum ob plura, tum ex illo quoq; Eſaiæ uaticinio, quo uates ille ſic patrẽ animantem in cruciatibus filiũ facit: Noli, ait, timere, quia redemi te, & uocaui te nomine tuo, meus es tu. Hanc igitur tam inſperatã ſpem, atq; opem conſiderans Dauid, uice Domini exclamat: Exultabo, & lætabor in miſericotdia tua, propterea quòd me in anguſtijs anxiantem non deſeruiſti: ſed magis, quæ tua eſt bonitas, extraxiſti, uitamq; meã paterno uultu & aſpectu, non indignabundo ac truci, penè periclitantẽ reſpexiſti. Caue putes filiũ Dei aut fictè paſſum, aut ſimulatè patrẽ oraſſe. Quòd ſi certè tu ex animo perpenderis, quantę fuerit grauitatis pondus illud tuorũ ſcelerũ diuinis humeris filij Dei impoſitũ, quanta perditionis tuę certitudo, quanta deſperatio: diffinies tandem immenſas illas difficultates non potuiſſe ab homine uno abſq; grauiſsimo dolore & cruciatu diſſolui & enodari. Verùm ne inutile prorſus quidẽ, ait uates, tam ſancti corporis uidear membrũ, exultabo & ego quoq; cum Domino meo, & lætabor in eius miſericordia, nõ in mea iuſtitia, ac bona uoluntate. Ipſa ipſa quippe eſt, qua quemadmodũ ipſe Dei filius ſolutis, ut ait Petrus, inferni doloribus ſeruatus eſt, ita & nos cum ipſo ſpem firmã ſalutis concipimus, atq; eandem ipſam per ipſum obtinemus, ab ipſoq; expectamus. Cæterũ quòd in uulgata ẽditione legimus: Saluaſti de neceſsitatibus animã meam: puto uatem tentationes, ac aduerſitates tanquã petulantiæ humanę neceſſarias, neceſsitates appellare. Continuũ enim hîc bellum cum geratur inter carnem & ſpiritũ, adeò iam nobis familiare factum eſt, ut connaturale penè ac neceſſariũ eſſe uideatur. Alioqui, qui nõ tentatur, quid ſcit? Ab hiſce igitur neceſsitatibus ſe Dei auxilio ereptum ſibi gratulatur uates, & nos cum illo.

C *Nec concluſiſti me in manibus inimici, ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.*

Perſeuerat Pſaltes in diuinorũ beneficiorum cõmemoratione, quaſi hoc uerſu ſuperiorem explanans. Translatio frequens ea eſt in ſcripturis, ut cum aduerſis premimur, tum nos in arctũ cogi queramur: liberati uerò, perinde atq; in latiorẽ campũ, in quo pro noſtro arbitrio uerſandi ſpatiũ detur, emiſsi, miro afficiamur gaudio. Qui enim quô libuerit ſe confert, is proculdubio ſui eſt iuris: ut hi planè ſunt, qui rebus diuinis aſſueti, iam carnis huiuſce infeliciſsimæ interſertos laqueos acutiſsimá ſue mundanarũ rerum ſpinas fortiſsimè calcarunt. Ita Dauid ceu in arctum cogebatur cum à filio impijſsimo & ui & armis impeteretur: poſtea uerò à metu tum filij, tum cæterorũ hoſtiũ Dei dono liberatus, in regnoq; reſtitutus, ueluti ex anguſto loco in latiſsimũ deduci campum uidebatur. Dominus enim fecerat illi ſpatiũ. Non minoribus certè anguſtijs arctatur ille, qui ob malè antè actæ uitæ memoriam à dæmone diuexatus, omnia quaſi per Scyllæã rabiem, aut eurípum aliquem rapidiſsimũ ferri exiſtimat, cuncta arcta uidentur, atq; anxietudinis plena. Quid ſi porrò ſpe firma erectus (uide quid agat ſpes) ſentit ſe Dei munere ac beneficio paulatim recipere anhelitum, ac reſpirare? Spatiũ tum quidem fit, currit q; expeditè, ac ſolutis pedibus, animæ ſcilicet affectib. à bonis illis terrenarũ cupiditatũ, canit Deo: Statuiſti in loco ſpatioſo pedes meos, ſedaſtiq; omnes animę motus atq; appetẽtias, ita ut nihil amplius uelit, aut appetat, quàm ſuper excelſa ſtatui.

Miſerere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & uenter meus.

Complectitur hîc uates anguſtiarũ animam dilacerantium effectus: atq; iterum alijs uerbis ſupramemoratas ſuas tribulationes explicat, quantoq; poteſt nixu diuinam implorat miſericordiam. Felix tamen hunc aliter reddit uerſum: Ca-
D ligauit in dolore: ſeu, corroſus eſt præ amaritudine oculus meus. Norunt planè id illi, qui quãti ęſtimanda ſit ultio diuina, quã peccando ſibi aſciuerũt, ſerio ac ſe dulò uerſant animo. Ab his certè longè abſunt riſus, iociq;, curæ ſuperuacaneæ, ſtudia inutilia, ac umbræ rerum. Cogitantibus enim annos ſuos in amaritudine animæ, hoc eſt, medullitus & ſeriò, horror quidam futuri iudicij, æternæq; damnationis ob oculos uerſari ſolet: quam ægritudinem hîc appellari poſſe arbitror, cuius ea eſt uis atq; impetus, ut cruciatum, afflictionem, tabem, fœditatémue, & id genus alia inducat. Exeſt animum, planéque conficit mœror huiuſmodi. Neque ſanè id abſq; fit ratione. Nam ſi uehemens eſt, animũ totum in id quod premit conuertens, naturalem ſimul calorem ad ſeſe internè colligit: qui & ipſe uehemens & moleſtus, uitalem ſuccũ conſumit uoratq;, uti ferrum candens aquarum guttas. Hinc q; animi intentio in illo uno tota occupata, concoctionẽ remoratur, intercipit q; cõmodam corporis inſtaurationem. Quare hiſce incommodis affecta ualetudine, atq; habitu corporis ſuo uitali ordine fraudato, ſuboritur macies, contrahuntur inteſtina, areſcit cutis, ægrè trahitur ſpiritus, ſanguis refrigeſcit, calorq; cordis, unde emanat uita, imminuitur: unde impalleſcit facies, oculiq; refugiunt, ac ater nigror deturpat genas. Neq; id ſanè multum, niſi & lachrymas dira hæc animi ægritudo ab oculis longo fletu pertritis excutiat. Hinc gemitus, hinc ſuſpiria, hinc ab imis ipſis cordis radicibus euulſi audiunt eiulatus. Turbatur inſuper anima, uita, uenter, corpusq; demum totum mœrore tabidum fit. An uerò eius generis mœror, qui tam atrociter totum ualeat corpus afficere, in filium Dei cum in mundo eſſet cadere potuerit, pſalmus alius indicat: in quo inter cætera ueluti aquam ſua effuſa fuiſſe oſſa conqueritur, coriq;, uti cæra ab igne ſolet, eliquatum. Præterea uolunt quidam hîc oculum turbatum in pœnitente præ amaritudine, intellectum eſſe & cognitionẽ, quæ facilè in perturbationibus animi uehementibus caligat, atq; hebes fit. animam uerò pro ſpe poni: nec immeritò quidem. Nam quemadmodum anima hæc, qua uiuitur, membra omnia uiua reddit ac refrigerat, quippe cui in ſanguine ſedes ſit, & uis omnis: unde effuſo penitus

A nitus à corpore humano ſanguine, homo uiuere deſinit: ita ſpes, quæ totum interiorem noſtrũ hominem animat, extingui ſolet, ſi propter aduerſa, in quibus uiuere ſpes debet, nimiũ frangamur, ac deſperemus. Ventrẽ rurſus aiunt uim eſſe eam, quam memoratiuã uocant: ſiquidem inter alia, quæ uehemẽtiſsimus animi dolor ſecum ferre conſueuit, id in primis cõmiſeratione eſt dignum, quòd hominem attonitum reddit, ac planè corrupto memoriæ domicilio ſtupidũ. Ventrẽ hunc ſponſus in ſponſa eburneum appellat, ob earum rerum candorem & puritatem, quas uerſat animo uir Deo charus. Quare tetras illas omnes eſſe cogitationes iudico, quæ à ſorde aliqua uitiorũ, aut oblectamento proficiſcuntur, ut eſt libidinum, uindictæ, mundanarumq́ rerum, aut honorum impatiens cupido, atque æſtus, amor ſui, & cætera eius generis animi uitia, quibus memoriæ uirtus corrumpi ſolet.

Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

Seipſum interpretatur hic uerſus, ut nihil aliud eſſe intelligamus uitam in dolore deficere, quàm ipſos annos longo mœrore conſumi. Clarius Felix: Quoniã, inquit, defecit in anxietate uita mea, & anni mei in ſuſpirio. Vide quomodo uir ſanctus, ac totius ſanctitatis dator Chriſtus, non dicat uitam ſe ſuam in terris per laſciuias, uoluptatesq́ corporeas, ac cõmoda illa, quę ad corpus ſolummodo ſpectant, traduxiſſe. Etenim eius generis uitam, paraſitorum, ac in ganeis conuerſantiũ magis eſſe arbitror, quàm Chriſtianorũ habitantiumq́ in templis, ac eorum maximè, qui cum Paulo ſe iactitant (quàm ſeriò ipſi uiderint) uitam ſuam poſitam eſſe in Deo. Scio, aiebat Paulus, quòd qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Sententia enim generalis hęc eſt, ad omnes pertinet, omnes tangit, omnes admonet, omnium uellit aures: QVI IN CARNE SVNT, DEO PLACERE NON POSSVNT. Neq́ ego quidem à Paulo diſſentire poſſum, quem unicè poſt Chriſtum in terris ueneror. Vtinam aut ego interdum mentirer, cum
B uerum dico: aut illi, qui conſpicui magis ſunt in mundo, ſuæ uitæ rationes adeò exactè inſtituerent, atq́ ad æquitatis normam formarent, ut nomen ſanctũ Dei per ipſos ab omnibus laudari poſſet, non blaſphemari. Felix orbis, felixq́ eccleſia atq́ eius templa & ædes, ſi caducis rebus omiſsis, uanisq́ tum carnis, tum earum rerum, quæ in animo inſunt, eliminatis à procerum cordibus appetentijs, ſolida, atq́ ea quidem, quæ ueras uoluptates ſecũ afferunt & ſectarentur, & cæteros eadem ipſa ſectari edocerent. Quanta porrò putas animi ęgritudine affici uiros ſanctos, ac perrodi, cum uident impios non iam ueluti cedros Libani, ſed ſuper id quod dicitur, aut colitur Deus, ut inquit Paulus, efferri? perindeq́ uiuere, ac ſi Deus non eſſet? Et quidem doloris huiuſcemodi uis eo ſæuius in caſtiſsimis illis pectoribus increſcit, quo malum, quod uident, depellere nequeũt. Magnum ſanè illum eſſe dolorẽ, & credo, & interdum experior, cum tam benignus pater, atq́ idem noſtrorũ omniũ amãtiſsimus, adeò male à ſuis haberi, & tractari cernitur: ſed alterũ illũ quammaximũ, cum animus tam iniuſtas iniurias ulciſcendi penes eos ſit, qui parum uiribus, multo minus autoritate & potentia prædíti ſunt. Hi certè de ſe cum Pſalte canere poſſunt, quòd defecit in dolore uita noſtra: hoc eſt, ut ipſe ſemet interpretatur, anni noſtri præ indignatione & mœrore, inter gemitus & ſuſpiria attriti ſunt. Mirum profectò eſſet, ſi ſeruus, confecto in mœrore Domino, uiuere in delicijs uellet.

Infirmata eſt (inquit) in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt.

Ex hebræo: Infirmata eſt in iniquitate fortitudo mea. uel, ut legit Felix: In delicto meo corruit uirtus mea. Vtrunq́ enim filio Dei conuenit, qui in hoc loco innocentiſsimi ſui corporis defectionem, ac laſsitudinem, paupertatẽ uocat, ob cuius languorem omne animi robur infirmatum dicit. Corruit, inquit, in delicto meo uirtus mea. Vide amãtiſsimi noſtrî bonitatẽ, qui mortaliũ delicta, propterq́ ab innocentia illa, qua pares angelis cõditi fuerant, in abominabiles uitiorũ ſordes, turpitudinẽq́ corruerant, ſua aſſerat, atq́ in ipſis ferẽdis, delendisq́, uim

C omnem ſpiritus elanguiſſe expoſtulet. Ego, inquit, qui peccatũ non feci, ſub alie norum peccatorũ onere coactus ſum cadere: quæ tamen mea eſſe uoluí, cum pro ipſis reus factus emorí decreui. Peccata noſtra alío quoq; in pſalmo ſua uocat, di cens: Longè à ſalute mea uerba delictorũ meorũ. Oſſa porrò ſua turbata memo rat, quò uel ipſis reb. inanimis occaſionẽ præbeat conſiderandi, cuius ponderis ſarcina illa extíterit, quæ non ſolùm inteſtína omnia perturbatiónibus eiuſmodi obnoxia cõmouerit, ac planè concuſſerit, ſed & ipſa quoq; oſſa, alioquí dura, atque inertia, cõturbauerit. Non raró enim íſtuc obuenit, ut ex uehementi perturbatione permoto ſpíritu, oſſa quoq; ipſa tremant, nulliuſq; uirtutis ſint. Quare in nonnullis morientibus id moris eſſe conſpicimus, quod lachrymabilem quendam in modũ cõtremíſcunt, horribiliterq; diſtenduntur præ anguſtia & agonia. Deficiente enim uitali ſucco atq; humore, tum oſſa, tum cæteræ corporis partes, utpote ſuo paſtu deſtitutæ, uim ſuã amittunt: idcírco contabeſcunt ac diſſoluuntur, ex qua quidem re tremor ac debilitas oriri ſolet. Cęterũ oſſa in ſcripturís pro dignioribus animí uirtutibus interdũ accipí ſciunt ſtudioſi. Quas ſanè uates aſſerit in ſeſe confuſas, ac imbecilles factas, ob metũ forſan illum, qui ex conſideratío ne propríæ imbecillitatis atque ignorantiæ, in corde pauido facilè innaſci ſolet. Híſce tandẽ uerborũ tropis uult uates omnibus innoteſcere, quàm graue fuerit uulnus íllud, pro quo ſanando tam dira paſſus eſt Dominus uitæ: rurſumq; quid nobís uulneratís faciendũ ſit, ſimulatq; medicus non ſuorũ uulnerum dolorem tam acerbum, quí mortem intulerít, perferre uoluit.

Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis.

Exaggerat ſuí Domíni calamitatẽ uates hís uerbís. An uerò Chriſtus populo íllí ſuo deſpectui fuerit, ac abominatíoní, ſacra teſtatur hiſtoria: atq; antea non ſemel ab Eſaía uaticínatũ fuit, homines ſcílicet íllum quaſi leproſum, & abſq; ſpe-
D cie & decore reputaturos. Solent enim hí, quí in maxima aliqua anguſtia poſítí ſunt, plurímum leuarí, ſí quos nacti fuerint, quí ſi non opem, ſaltem animum compatientẽ & amicũ præſtent. At in medio ipſo calamitatũ feruore ab omnibus deſtituí, & ab ijs quídem, quí níhíl mínus quàm ſe deſerere debuerant, non tantum deſerí, ſed contemní, atq; illís horrorí eſſe, malorũ omnium maximũ eſt. Conqueritur igitur Chriſtus Ieſus, ſeſe omnibus tum familiaribus, tum uicinis execrabílem eſſe. Quod enim nos legímus, ſuper, Hebręis eſt, propter, ſeu apud: uel etiam, ut uertit Felix, ab. Vnde erit ſenſus: Ab omnibus tribulantíbus me factus ſum opprobriũ uicínis meis ualde, & timor notis meis. Ipſis notis & famíliaribus, ait Auguſtínus, timorẽ íncuſsí exemplo horribilís tribulationís. Id olím præ ſe tulit Petrus: hoc Ioannes, quí relicta ſíndone aufugit nudus: hoc cæterí diſcípulí: hoc Iudas ipſe, modo tamen execrabíliorí quàm hí, quí metu potius illo, quí in conſtantiſsimũ quoq; uírum cadere poteſt, deterríti, Dominum ſuum negauerunt, ílle uerò malítia & iníquitate.

Qui videbant me fugerunt à me, obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde.

Mos eſt quídam turpíſsimus inter homínes, ut illum quí in ærumnã grauem alíquam, aut culpam inciderit, deuitent omníno. Quínetiã, ne in periculum cum íllo deueníant, aut in ſuſpicionem ſaltem, ſí fortè eandem intrare domũ contigerít, eo inſpecto, ſe foras íllicò proripiant. Ex quo parum laudato more plerunq; míſer in míſería illa ſua marceſcens ac moriens, hoc uno omnium infeliciſsimo infortuníj genere moritur, quòd uíuens ab amícis fuit derelictus. Quare ne afflictionum cumulum omnem Dei filío defuiſſe putes, facit eum uates probroſum omnibus factum, à uicínis quoq;, atq; ab ipſis charioribus amicis deſertũ, & obliuioní traditum. Obliuioní, inquit, datus ſum non ſecus, quàm mortuus alíquis, quí ab hominum memoría facilè elabitur. Cum enim nulla amplíus ſit ſpes mortuum amícum in hoc mundo reuíctúrum, ea primùm ſuís eſt cura ut humetur: nam finem cum uíta tunc habent quæcunque ab eo tractabantur negocía. Sic porrò de uaſis confractís adhuc mínor eſt nobís cura, quàm de amíco mortuo.

Quo-

A Quocirca rem magis exaggerat, dicens:

Factus sum tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.

Non ignorare quidem possumus, quantũ Christus male habitus fuerit à suis, quantumq; reiectus, adeò ut nulla prorsus de illo ratio haberetur, iudicaretur q; nulli usui idoneus. Cæterum mortuũ hominẽ, aut uas fractũ quis amplius amat, aut de eo curam habet? Vas perditũ uocat uas fractum, quod ab omnibus uituperatur, abijcitur, à nullo q; emitur. Vas istuc in terris fuit Christus, atque hi cum eo, qui sunt eius. Hi dico, qui, ut inquit Paulus, piè uolunt uiuere in Christo, propterea abijciuntur, deridentur, à nemine emuntur: hoc est, nulli usui mundano aptari possunt. Haud mirũ sanè: in mundo quippe sunt, ut ait Christus, & tamen de mundo non sunt. Idcirco uituperationem audiunt cõmorantium in circuitu. Alio in psalmo conqueritur Dominus se circundatũ à canibus multis, à tauris q; pinguibus obsessum. Quàm uerò male audierit in terris, quámue sæpissimè à Iudæorum turbis, tanquam uenatorijs canibus circumuentus fuerit, uituperatus, irrisioni q; habitus, nihil ferè tam copiosè enarrant euangelici scribæ: sed tum maximè, cum eum occidere decreuerunt. Tum, dico, quando uniuersus penè orbis uisus est in suum conditorem conspirasse. Vnde sequitur:

In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt.

Quod quidem Hebræi clarius exprimunt. Audiui, inquit Felix, infamiã multorum: Timor circunquaq; , dum ineunt consiliũ simul aduersum me, ut perdant animam meam cogitauerunt. Censet Eutymius repetendum hîc esse superiorem uersum illum: Miserere mei Domine, quoniam audiui uituperationẽ multorum commorantiũ in circuitu: sed tum præcipuè, cum mihi animam adimere, ut reddit paraphrastes, constituerunt. Mane autem facto, scribit Matthæus, consilium inierunt omnes principes sacerdotũ, & seniores populi aduersus Iesum, ut eum
B morti traderent. Ecce quomodo tota simul Iudæa conuenit simul aduersus Iesum, ut innocentissimam illi adimerent animam. Cæterũ non parum existimanda est tentatio illa, cum anima circunquaq; se septam sentiens à truculentis hostibus illis, qui nihil tam auidè quærere uidentur, quàm ut illam perimant, hoc est, à sua uita, quę fides est, abalienent, ingemiscit, quasi q; inter sacrũ & saxum, ut est adagiũ, posita suspirat, uereturq; an à Deo derelicta sit. Cum enim considerat à quàm sublimi diuina contemplandi consuetudine, & gustu, quem toties in pace constituta plenis, ut aiunt, crateribus hauserat, ob tentationũ molestiam atq; atrocitatem eiecta sit, supra modum dolet, & queritur, quî fit quod hinc à cõsueta dulcedine ac suauitate diuini gustus repulsam habeat, illinc amicitiam suam pollicentem mundum, uitæq; commoda præmonstrantem uideat, attamen execrandum, modisq; omnibus contemnendum ducat. Hæc secum: In re arctissima, periculisq; plena uersor. Num ego abiectis omnino corporeis oblectamentis, cœlestibus etiam priuabor? num fractum uelut uas coram Deo semper existimabor? num obliuioni illi tanquam res penitus nihili in perpetuũ ero? Vides animã in tantis angustiarũ procellis periclitantem, ac desperantem, & non clamabis, Miserere mei Domine, quoniam tribulor? quoniam audio uituperationem cõmorantium in circuitu? quoniam mei unà hostes conueniũt ut me interimant? Nón ne die noctúque, ut meam mihi adimant animam, consiliũ capiunt? Heu quàm frequentia consilia, aiebat sanctus ille solitarius, ineunt dæmones, ut hominem perimant. Iam certè res in comperto est, nunquam cessare hostem humani generis, quin artes assuat, nectatq; dolos & fraudes, quò incautas irretiat animas, uagantésue, atq; à grege cætero aberrantes deprædetur. Passim enim laquei, passim retia, passim decipulæ, passim mentita felicitate inescati hami tenduntur. Adeò in hoc unum semper conuenire uidentur aucupes istiusmodi astutissimi, ut hominem à cœlestis patriæ ingressu auertant. Ecquis tam deliberatum illorum consiliũ, ac penè homini ineuitabile, euitare poterit, nisi tu, ô domine, opitulerís?

c Noſtræne uires? noſtra ſanctitas? Ne uiuam tecum ſi meam putem pulchritudinem me poſſe ſeruare, & non potius tuam miſericordiam, & pietatem. Hi certè aſtutiſsimè conſpirauerunt aduerſum me.

Ego autem in te ſperaui Domine.

Quicquid enim machinarũ intorſerint in me hoſtes, ſpei umbone refringam. Tu ſpes, tu robur, tu arx, tu denicq; bonum omne meum. Idcirco

Dixi, Domine Deus meus es tu.

Dixi, hoc eſt, in hac ſententia ſemper perſeueraui, ut quicquid accidiſſet, Deus mihi futurus eſſes, bonus, placabilis, ac multus ad ignoſcendum. Conſiderandũ illud eſt, quomodo anima illa, cui nihil iam placet, niſi uirtus, & honeſtũ, in extremas interdum coniecta calamitates atq; ærumnas, ſpem non deſerat. Et licet uis doloris ipſum prorſus depaſcat corpus, cruoremq; è uenis emungat, ac cor inanimum penè reddat & exangue, ſpiritus tamẽ diuini teſtimonio, qui teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, ut inquit Paulus, quòd filij Dei ſumus, roborata, intra ſeſe cogitat, & dicit: Scio quòd Deus meus es tu. Num igitur me in tua miſericordia confidentem deſerere poteris?

In manibus tuis ſortes meæ.

Hoc eſt, ut interpretatur Auguſt. cauſa & ordo electionis meæ tibi ſoli cognitus eſt: non enim uideo, quã ob rem ab impijs ac reprobis me delegeris. Hebræi legunt In manu tua tempora mea. Sortes dicit, hoc eſt, quicquid mihi acciderit, ſiue ſecundum, ſiue aduerſum id fuerit, quid hoſtes timeo? In tua enim poteſtate illud omne eſſe ſcio, non in hoſtium meorũ libidine & uoluntate. Mala quippe mihi inferre poſſunt, bonaq; auertere, & interturbare, ſi tu, in cuius manu ſitum eſt utrunq; tempus, tribulationis ſcilicet, ac conſolationis, annueris. Non mihi quidem illud uerendum, ne reliquum uitæ ſpatium, quod tu incõmutabili pro
D poſito præſcripſiſti, à quorundam feritate intercipiatur, cum abs te, non ab hoſtium poteſtate, meum omne ęuum dependeat. Itaq; utcunq; à frequenti improborum hominum corona concludar, adeò ut nulla ſit euadendi uia, adhuc me ſeruare poteris. Quare

Eripe me de manu inimicorum meorum.

Libera me, ait paraphraſtes, à tyrannide impiorum. Videtur mihi uates uelle dicere, me exime à mundo. Alioqui non certè uideo quomodo prudentis ſit animi in mundo uelle uiuere, atq; à tyrannide mundi regina nolle opprimi. Neſcio enim quo noſtro merito id accidat, ut cum primũ alicui, uel duorũ homuncionũ cura cõmittitur, in primis dat is operam, ut tyrannus ſit, non paſtor, aut pater, niſi fortè uoluerit uates tyrannidem peccati à nobis intelligi: cuius quidẽ imperium eo magis pertimeſcendum eſt, quo latius in omni genere uitæ pro libidine euagatur. Huius profectò uis olim ea fuit & dira & pertinax, quando ille qui peccatum non fecit, peccatũ pro nobis, qui non eramus ſoluendo, ac maledictum factus, mortem, & eam quidem acerbiſsimã obiuit. Et quidem is ipſe eſt, qui nunc pro à tam ſæua tyrannide liberatione patrem precatur hoc modo: Eripe me de poteſtate, ſeu tyrannide inimicorum meorum,

Et à perſequentibus me.

Perſequuntur, ait Auguſtinus, Chriſtum atq; eius eccleſiam, qui cum Chriſtiani ſint, ſecundum Chriſti uitam uiuere renuunt. Perſequitur igitur Chriſtum latro, adulter, homicida, tyrannus, ganeo, & cæteri huius farinæ homines: qui cum in perpetuis tenebris miſerrimam uiuant uitam, quomodo diuino lumini, qui Chriſtus eſt, non aduerſabuntur? Itaq; cæci ſemper ſint, poſteaquam ſic uolunt. Tu Domine,

Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum.

De Dei aſpectu erga nos hilari & iucundo, quo ſuum teſtatur fauorem, iam aliàs diximus. Solent enim hi, à quibus iudiciũ in cauſa noſtra expectamus, præ ſe ferre, qualis eorum ſit erga nos animus, uultu & aſpectu. Quare à truci uultu iudicis

A iudicis & ingrato, quid tuæ cauſæ futurum ſit prenoſcere poteris. Itidem porrò à patenti & claro. Senſus igitur is erit, ut elegantiſsimè reddit Campenſis: Hilarem ô Domine exhibe uultũ tuum ſeruo tuo, ex quo ſcilicet ſpem firmam uictoriæ ſumere ualeam.

Saluum me fac propter miſericordiam tuam.

Vide quid ſibi uoluit uates in nomine uultus exhilarati, & quid præ ſe tulit quando orauit, dicens: Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruũ tuum: hoc eſt, ſaluum me fac propter miſericordiã tuam, non propter bonitatem meam, quam nullam eſſe fateor. Illa igitur motus me adiuua.

Non confundar quoniam inuocaui te.

Confunditur is facilè, ac pudefit, qui in petendo aliquid à principe, aut iudice, repulſam patitur. Alio in pſalmo ſic orat: Non cõfundar quoniam in te ſperaui. Quod ſanè idem eſt quòd, non confundar quoniã clamaui, ſeu inuocaui te: cum nihil aliud ſit animæ clamor atq; inuocatio, cum orat, quàm ſpe certa impetrandi quæ poſtulat, uel ſine uoce uociferari. Tu, cum oras, uide ut ſpes tua firma reſpondeat orationi, ſpeiq; oratio. Nam oratio ſpei auxilio denudata, impia eſt, & quæ proculdubio repulſam, è qua confuſio, atq; animi deſperatio emanat, refert. Ita ſpem ignauã reddi arbitror, niſi feruida oratione incaleſcat, ac inflammetur. Siquidem ſpes orationis calcar eſt, oratio uerò ſpei ſtimulus. Putat Eutymius in hoc loco faciem Dei, eius uiſitationem ac beneuolentiam eſſe: ſeu, ut alij, cognitionem, quæ licet inſculpta ſit animæ à primo rerum exordio (ad imaginẽ enim Dei factus eſt homo) tamen is ſplendor ac notio ob aſsiduas, quaſiq; ingenitas nobis peccati tenebras facilè obnubilatur, tetraq; fit & obſcura: unde tum Dei, tum noſtri ea, quã mors æterna ſequit, exoriri ſolet ignoratio atq; obliuio. Quod ſanè periculum aduertens Pſaltes, orat, faciem, hoc eſt, ueram Dei cognitionem
B in ſe innouari, claramq; fieri. E contrario uerò

Confundantur impij, & deducantur in infernum, muta fiant labia doloſa.

Non ego, inquit, ſed impij cõfundantur à tua repulſi preſentia, deducanturq;, ut meriti ſunt, in infernum, ubi mors eſt æterna, ubi horror, ubi metus, ubi omne malum inuenitur. Aliàs admonuimus non ualde admirandum eſſe, ſi interdum ſanctiſsimi Dei uiri dira malis imprecari uidentur hominibus. Nam cum unius iam ſpiritus, atq; propterea uoluntatis cum Deo facti ſint, quàm horrenda illos maneant iudicia cognoſcunt: quocirca rogant, ut ad bonorum leuamen, improborumq; metũ ac terrorem, eorũ interitus acceleretur. Sceleſtus enim, ut ait Eutymius, cum uidet ſui ſimilem cædi, erudítur. Deducanť in infernũ.) Felix legit: Sileant in inferno. hoc eſt, in morte æterna ſileant, qui nunc tam impudenter Dei electos carpunt & adlatrant. Apud poëtas etiam inferorũ manes ſilentes uocabantur: unde ſilicerniũ, quod conuiuiũ erat funebre ſeni defuncto celebratum, originem habet: ſic ſanè dictum ex eo, quòd à ſilentibus, ſecumq; cogitantibus, ſeſe mox mortuũ ſequuturos, edebatur. Quapropter abeuntes à conuiuio, quaſi non amplius alter alterum uiſurus eſſet, ſe mutuò ſalutabant, dicentes: Vale. Sileant igitur, habitentq; in perpetuo ſilentio cum ſilentibus animis in inferno. Interim uerò eorũ muta fiant labia doloſa. hoc eſt, obmuteſcant omnino duplices iſti, mendaces ac uafri, qui in corde & corde loqui ſoliti ſunt, filij nimirum diaboli (ut ait Chriſtus) qui natura mendax eſt, & mendacij pater. Videat ciuis, uideat iudex, uideat mercator, uideat eccleſia, atq; ex animo mortales omnes ſimul perpendant, quanti æſtimandi ſint huiuſmodi linguæ lapſus, & uitia, poſtquã tam diro omine, atq; imprecatione à ſanctiſsimo impetuntur uate. Deducantur, inquit, impij in inferno, muta fiant labia doloſa,

Quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia & abuſione.

Hìc graphicè admodum petulantia ſimul & inſolentia quorundam depingitur. Sancto enim ſpiritui mirum in modum infenſa eſt cum omniũ, tum illorum præcipuè, qui dignitate aliqua in repub. & magiſtratu præditi ſunt, ſuperbia

C ac faſtus: ſed illam maiori quodam ſtomacho cœleſtis illa mens deteſtari ſolet, quæ iuſtos ciues, atque optimè de ſua repub. meritos contemnit. Ex qua quidem ſæuitia illud plerunq; accidit, quòd aut ciuitates & regiones à bonis ciuibus deſeruntur: aut ipſis utcunq; in antiquis ſedibus perdurantib. uis omnis, uel pecuniarum, uel honorũ penes illos ſit, qui idcirco interdum à principibus toleran tur, ac, quod turpius eſt, in dies magis nouis perornantur magiſtratibus, quia ma li ſunt. Hos igitur in hoc loco tangi, ac iuxtà admoneri arbitror. Cum enim omnes tam uultuoſè contemnant, cum neminem uereantur cum probis omnibus ſeſe ſuperbè nimiũ, uel inuito principe, uel ſaltem conniuente, præferant, ſibi effutire quicquid in buccam uenerit licitũ arbitrantur, aut potius præſumunt. Et quidem alio in pſalmo eiuſmodi rerum monſtra effigiat uates hoc modo: Linguã noſtram magnificabimus, quis noſter Dominus eſt? Vides in illorũ uerbis ſuperbiam, & contemptum, quem abuſionem reddit noſter interpres? Alia uerò litera ſic habet: Qui loquuntur dura in ſuperbia, & contemptu: hoc eſt, alta & arrogantia: ſimiles nimirum Solomonis filio illi, qui cum iuueniliter olim nimium exultaret, ea ciuibus ſuis locutus eſt, quæ illi poſtea, atq; eius regno non paruas calamitates attulerunt. Tantum uerò abeſt, ut hac eadem labe uel ſimili infecti ſint uiri ſacræ religionis militiæ adſcripti: quæ quidem nihil aliud ab exercitu ſuo exigit, quàm ueritatem, contemptũ mundi, humilitatem, ſpiritum, fideiq; ardorem, atq; ignem, ut etiam omnia ſectentur, quæ omnimodam mentis deiectionẽ præ ſe ferant. Nonne monſtro ſimile ducetur uirum aliquem uidere ſub funebri pallio mitraq;, aut pileo, religionis inſignibus, quæ in humilitate poſita eſt, mundi faſtum & pompam profiteri?

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.

D Vates diutius in recenſenda tum Dei patientia, tum ultione peruagatus, ſtatim quaſi à ſpiritu interceptus exclamauit, magnã eſſe diuini guſtus ſuauitatem: quam tamen uult Deus à ſuis interdum ſubtrahi, & abſcondi, ut eorũ uirtutẽ excitet. Non enim ſuos ſemper internis ſpiritus conſolationib. alere conſueuit, ſed ariditate nõnunquã, ſiti, inedia, ac, qua maximè affligi ſolet anima, corpore eorum phantaſmatũ incurſione & tumultu, ſinit eos perturbari: quanquã diuinus ille guſtus, quo nullus inuenitur maior, & qui potiſsimũ in conſcientiæ tranquillitate poſitus eſt, nunquã purgatiſsimis animis deſit: & quẽ certè à uate abſconſum dici legimus, ac planè internũ. Impoſsibile quippe eſſe cenſeo uirũ illum, cui omnino corporearũ rerum uoluptates nauſeæ ſunt ac contemptui, ſuo interno fraudari gaudio, & guſtu. Quòd ſi porrò uidetur aliquando, quemadmodũ illo ſua ſponte, ita hoc abſq; animi propoſito priuari, id tamen loco ſummæ conſolationis habet, quòd ſcit cœleſtem patrem non poſſe diutius pati, quo minus illos, quos amat, uiſitet, paſcatq; diuino ſuo edulio, atq; interna conſolatione. Atqui iſtius generis uiros ſingulari prærogatiua timentes Deũ appellat, timore tamen eo, quo ueneratione quadã grauiſsima, ac Deo digna, eum uerentur, atq; amant. Felix hũc uerſum ſic reddit: Quàm magna bonitas tua. quaſi dicat, ab ampla tuæ bonitatis conſideratione, noſtra omnis interna exoritur ſpiritus ſuauitas & dulcedo. Hæc ſanè prorſus mundi huius ſapientes refugit, ſed paruulis ſolummodo, hoc eſt, Deum timentibus impartitur. Nam

Perfeciſti eis qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum.

Felix: Operatus es, bonitatem ſcilicet. Vnde erit ſenſus, quaſi per correctionẽ hæc ſuperioribus uerbis addita ſint, hoc ferè modo. Quàm ampla ſunt bona, quę timentibus te, benigniſsimè, occulta tamen ratione, elargiris. Imò, ut amplius aliquid dicã, quàm ampla ſunt ea, quæ feciſti pro in te confidentibus: idq; tam in propatulo, ut illud cuncti mortales, & uidere, & admirari poſsint. Vides rurſus quomodo ſpem, tanquam uirtutũ omnium neceſſarium condimentum, timori aſſociat? Magna igitur ſunt bona illa, quib. timẽtes ſe donat diuina bonitas: imò uerè magna ſunt ea, quę perficit, ac palàm adeò operatur cœleſtis pater erga in ſe

ſperan-

A ſperantes, ut nemo homo ſit uſquã gentiũ qui hæc ignorare queat. Quid tam magnum unquam inter homines uiſum eſt, quàm cum pueri, innuptæq; puellæ, nedum robuſtioris ætatis uiri, diuino percitę furore, ac fidei calice ebrię, carnificum gladios deriſere, impauidæq; iugulum ſecuri cædendum præbuere? Huiuſmodi enim ſunt ea, quæ pater cœleſtis in ſuorum gratiam operari ſolet.

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum.

Hoc eſt: Interim quòd pleniſsimã undequaq; illis præparas manſionem, eos abſcondes, tutaberiſq; ab exitio, ſi non prorſus à conturbatione, cum ea omnino huic agnata ſit mundo. Et id quidem in abſcondito faciei tuæ: hoc eſt, in occulto: ubi tu tamen ſemper in eos reſpicis, licet non uidearis, negentq; improbi te tuos curare, eisq; adeſſe. Abſcondes, inquam, eos, atq; è regione tui uultus, qui improbis omnino occultus eſt, collocabis. Num corporeis uoluptatibus addicti te uidere poterunt, cum ſolummodo illorum, qui mundo ſunt corde, id potiſsimum munus ſit? Cæterùm pro ſumma tutela, abſcondi in abſcondito faciei Domini, hoc eſt, coram eo, poſitum eſſe arbitror. Nam nullum in ciuitatibus tutiorem eſſe locum, quàm is eſt, in quo ipſe princeps moratur, nemo ex ciuibus eſt qui ignoret. Vnde clamabat Iob: Pone me Domine iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.

Protegens eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.

Felix: A contentione linguarum. In loco, ait, ſecretiori, magisq; tuto, eum delitescere facies, ut hi ſolent, qui illos qui ad ſe confugiunt, in abditioribus ædiũ ſuarum locis abſcondunt. Ex ſe enim homo uarios ſuos hoſtes, carnem ſcilicet, iram innumerasq; mentis appetentias, libidines, atq; illum maximè omniũ teterrimũ, amorem ſui, uitare haudquaquã prævalet, niſi Deus opituletur ac præſtò ſit, collocans eum, ut ſic dicam, meticuloſum, deq; ſe deſperantẽ omnino in reconditio
B ribus, atq; adeò tutioribus tentoriis fidei. Iam tandem uides tutiſsimum locum, inacceſſumq; hoſtibus IESV CHRISTI tabernaculum, fidẽ eſſe. Nihil enim tam arduũ, támue aduerſum eſſe poteſt, quod animæ in fidei tentorio, hoc eſt, in ſinu Chriſti cõmoranti, metum incutere ualeat. Porrò nulla atrocior peſtis, his præſertim, qui quærunt, ut hîc idem Pſaltes uocat, faciem Dei Iacob, accidere poteſt, q̃ illa, qua mutuis ſeſe homines dilacerant contentionibus. Argumentum ſanè ingens illud eſt, eos qui ad illiuſmodi proni ſunt rixas ac diſsidia, mundi amantiores eſſe quàm Dei, qui pax ſumma eſt. Nónne, aiebat Paulus, cum ſint inter uos zelus & contentio, carnales eſtis? Neſcio quidem an aliud quicquã tantũ queat officere animo tranquillitatem amanti, quantũ contentiones, ſeu, ut eas apellat uates, contradictiones audire, de his præſertim, quæ ad ſpiritus eruditionẽ attinent, quanquam illas honeſtiori uocabulo noſtri temporis diſputatores, diſputationes uocant. Quòd uerò inter ciues illos, qui negocia, aut uectigalia, in rebuſpublicis exercent & exigunt, interdum contentiones interueniant, non admodum ſanè mirũ eſſe debet. At à mortuis, à ſepultis, ab ipſoq; eccleſiæ centro artem contradicendi ſumere, quis bonus non horreat? Hos enim cum intueor de honoratioribus tum locis & gradibus, tum literis ac diſciplinis tam atrociter diſceptare, uideor uidere mortuorũ cadauera mutuis diſsidijs inter ſeſe de eligendis ſibi cõmodioribus ſepulchris concertantia. pacata enim omnia in Dei eccleſia eſſe debent. Impoſsibile quippe eſt reflectionem illam ſolarẽ, quæ è uaſe aliquo patulo aquæ ad parietem emiſſa hinc atq; hinc axagitatur, aquæ motę indicium non eſſe: ita acerbitas illa uocis in diſputando, animũ parũ tranquillum ac pacatum præ ſe fert. Clamor, aiebat Paulus, tollatur à uobis cum omni malitia.

Benedictus Dominus, quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita.

Inter cætera belli propugnacula, illud uidetur maximũ, magisq; tutum, ſi quis ab hoſtibus circunſeptus, cernit ſe in ciuitate ea poſitum, quæ ſit optimè munita, atq; obſidentium uineis, pluteis, tormentisue cęteris impenetrabilis. Sic enim inſtructus miles, hoſtiũ ferociam ac minas ridere ſolet. Ita ſanè uir collocatus in ci-

C uitate ea munita, quam alio loco eccleſiam magnam appellat uates, externos expugnatores, mundum oblectamentaq́, ſenſum ac cupiditatū motus & rabiem, facilè ſpernit. Canit igitur: O quàm ex intimis animę medullis laudandus eſt Deus, quàm toto animo ſanctiſsimū eius nomen celebrandum, qui miris ac magnis admodum rationibus & modis, ſuam mihi oſtendit miſericordiam, in ſubuenien do tam inſperatò rebus meis planè deiectis & perditis. Is enim, quid multa memorem? tutatus eſt me, tanquam fuiſſem in munitiſsima ciuitate. Vnde hoc meruí? quid prior dedi illi, ut tam magnificè mihi retribuat? Interim uerò aliam mihi prę parari certò ſcio ciuitatem adhuc fortius munitā, futuram Hieruſalem, quę eſt, ut ait Paulus, mater noſtra: & quę uiuis ex lapidibus, ut canit eccleſia, hoc eſt, uegetis animis, conſtruitur: ueruntamen ijs quidem ſolùm qui in terris prius tunſionibus expoliuntur, ac preſſuris.

Ego dixi in exceſſu mentis meæ, proiectus ſum à facie oculorum tuorum.

Ex Hebræo: Ego dixi in præcipitatione mea. utraq́ enim lectio optimè doctrinæ ſpiritus inſeruit. Antequā (ait fortiſsimū robur noſtrum Dominus Ieſus uice noſtrî) ſentirem me in urbe tam forti & munita poſitū, intra me quaſi animi deſperatione ſtupidus factus, ſic aiebam: Proiecit me Dominus à conſpectu ſuo: me non amat, meā quærit perditionē. Vides quò aliquando animi deſperatio ac diffidentia, adigat uiros etiam perfectiſsimos, & qui nihil iam in hoc mundo aut mirantur, aut diligunt præter Deum? Nónne tibi uidentur præcipiti, ac nimium ad interitū feſtinanti iudicio atq́ conſilio ferri, cum ſub tentationum, aduerſitatumq́ malleo poſiti, ſe à conſpectu oculorū Dei proiectos ſuſpicantur? Putásne à pectore in fide firmo & conſtanti, prodire poſſe uocē illam, uidelicet: Deus Deus meus ut quid dereliquiſti me? ut quid receſsiſti longè? deſpicis ne in opportunitatibus? Quòd ſi à Chriſto prolata fuiſſe in cruce legimus, ab illo quidem pro-
D lata fuere, qui miſeriā omnem noſtram, præterquam peccatum, in ſeſe tranſtulit.

Ideo exaudiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

Campenſis, uir in intelligendis pſalmis & acutus, & meus quoq́ dux & præceptor, hunc uerſum cum ſuperiori ſic nectit: Ego quidem olim in anxietate ſumma conſtitutus, abiectū me eſſe putabā abs te. Verùm tu etiā tum diligentiſsimè auſcultabas quotieſcunq́ clamabā, & omnes meas precationes audiebas. Nos imprudentes, ingratosq́, ſi in anguſtijs illis maximè, in quibus de tota ſalutis animæ ſumma agitur, ad Dominū clamamus: & noſtrum clamorē ab illo, qui bonitatis oceanus eſt uaſtiſsimus, & qui cupidior eſt miſeriam noſtram abſtergere, quàm noſmetipſi ut abſtergatur, putamus reijci. Tum enim plerunq́ cùm non creditur, adeſt ſuis: ſed quò noſtrum magis in ſe excitet amorem & deſiderium, dormire ſe ſimulat. Quia igitur, inquit, ego raptu quodam mentis atq́ ecſtaſi ſtupidus factus, putabam me à uultu tuo reiectū: idcirco tu ſapientiſsimus omniū, non amplius diſsimulaſti, ſed ſtatim, qui tuus eſt natura mos, exaudiſti uocē orationis meæ. Quare cum noſtris rebus ſemper ſit præſens dominus,

Diligite Dominum omnes ſancti eius.

Commodùm enim beata anima, Dei bonitate erga ſe celebrata, ad animi gratitudinem, diuinumq́ amorem, ac plenā in Deo fiduciam alios inuitat. O uos, inquit, qui ſanctitatē ueſtram illi, qui ſolus ſanctus uerè eſt ac ſanctitatis dator, acceptam refertis, meo exemplo dominū tam benignum amate. Haud certè à uobis amplius uictimarum carnificinam, quæ laniſs potius, quàm uiris iuſtis conuenit, efflagitat: ſed amorem uerum, totum ſcilicet incenſum in Deo, ſuiq́ penitus oblitum, ac cæterarum omnium rerum corporearū pulchritudini minimè affixū. Non diſpliceat uobis, quicquid cœlitus dari uidetis, ſiue dulce, ſiue amarum illud ſit: certis quidem, quòd omnia in ueſtri ſalutē operatur cœleſtis pater. Quòd ſi improborū gregem admodum numeroſum in uos deſæuire cernitis, ne deſperetis, ne terreamini: tēpore enim ſuo unicuiq́ reddet Deus, ſic exigente iuſtitia, quod ſuum erit. Etenim

Veri-

A *Veritatem inquiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.*

Non enim ſinet diutius ueritatem, hoc eſt, illorum uitam, qui uerè Deum colunt atq; amant, à petulantia malorum opprimi, uerũ eam ut rem charam inquiret, defendet, tutabitur. perſecutoribus uerò ſuis reddet (ne dubitetis) abundanter: illis dico, qui loquuntur in ſuperbia & abuſione, ſecundum abundantiam improbitatis eorũ abundantiſsimè retribuet. Dixi ueritatem in hoc loco eſſe uitam proborum, & uerè Deum colentiũ: motus ſanè ob id, quod legit Fel. nam quod nos legimus, ueritatem inquiret Dominus: ille, fideles cuſtodit Dominus, & retribuit ſuperabundanter facienti ſuperbiam. quanquam certè non uideo quomodo ueritas ipſa in homine iuſto, & Deo charo, & fideli, manere non queat. Videt quoq; dictio, abũdanter, aliquibus Hebræis eſſe, cum funè: quod idem eſt, quod cum menſura illorum ſuperbiæ debita. Eadem enim menſura, aiebat Dominus, qua menſi fueritis, remetietur uobis. Res quippe plurimas antiqui funibus metiri cõſueuerant: ne interim dicam de crudeliſsimo funiũ genere, quo torti quamplurimi, ea etiam interdum, quæ ne leui quidem cogitatione cõmiſerunt, ſe manu feciſſe confitentur: unde non raro uidemus etiamnum Barabbam latronem è carnificis manibus elapſum: Ieſum uerò iuſtiſsimum ac innocentiſsimum crucis ligno affixum.

Viriliter agite & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino.

Pulcherrimus quidem nexus, qui pſalmi huius ſuper diuini exordiũ termino concinnat ſpei elogio. Tunc enim ſic orſus eſt: In te Domine ſperaui nõ confundar in æternum. Modò uerò cum iam ad calcem peruentũ ſit, claudit orationem huiuſmodi fiduciæ pleno hemiſtichio: Confortetur cor ueſtrũ, ô uos omnes qui ſperatis in Domino. Hoc planè idem eſt, quod ſuperius in uigeſimoſeptimo pſalmo canit propheta, cum ait: Expecta Dominũ, uiriliter age, confortetur cor tuũ,
B & ſuſtine Dominũ: cum nihil aliud ſit ſuſtinere Dominum, aut expectare, quàm ſpem noſtram omnẽ in Deo, hiſce in dubijs mundi euentibus ponere. & nos ibi cum nõnulla dixerimus, ſuperuacaneũ eſſe ducimus eadem ſæpius repetere. Tantum unũ hoc admonuiſſe uelim, quod hîc à Pſalte cor noſtrum pungitur, quippe quod olim in aduerſitatũ fluctibus uacillaſſe, penitusq; à firmitate ea, quę uirum Chriſtianũ decet, ſeſe deieciſſe uiſum eſt, iam demũ ſumat uires, atq; Chriſti Ieſu calore animatũ inualeſcat: alioqui certè noſtræ nos animi ægritudines, noſtręue, ut appellamus, imperfectiones, peſsimo omniũ hominũ exemplo aduſq; tumulum humandos comitabuntur: animo uerò dilacerato, & non prorſus Deo ipſi ſectilium mentium oſori unito, uelle è uita diſcedere, ingenij duri indiciũ eſt, atq; eius quidem, cui animorum æternitas parum cognita eſt.

PSALMVS XXXII. *Eruditio Dauid.*

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.

Perſpicacioribus ingenijs, quid ſibi uelit præſens pſalmus, ex titulo facilè patêre poterit. Erudit ſanè nos Dei ſpiritus in Pſalmo hoc, de re admodum & utili, & neceſſaria, & quæ quamplurimos uel ex ſanctioribus noſtræ ætatis hominibus prorſus lateat. Fingimus enim aliquando nobis ideas quaſdam meritorum, quibus ex debito debeatur æterna requies: at unde, aut ex qua cauſa & ratione Deo noſtræ actiones futuræ ſint gratę, turpiter ignoramus, cum id in primis neſciri non oportuerat. Hîc igitur unuſquiſq;, cui maximè ſua ſalus eſt curæ, à Dei ſpiritu eruditur, unde peccatorum ſuorum remiſsio expectari debeat, à Dei dono ſcilicet, non à noſtris quantumuis perfectis operibus: alioqui, ut diuus ſentit Auguſtinus, ſi bona cœperimus facere, & noſtris uiribus id quicquid erit attribuerimus, & nõ gratiæ Dei, idolum nobis in corde nos uerbis iuſtificantes fabricabimus. Sunt enim, ait, homines ingrati gratię, multum tribuentes inopi, ſauciæq; naturæ: Domini quippe eſt ſalus. Diſcute, inquit, bona merita tua, & uidebis quia dona ſunt Dei. Nam ueriſsimum illud eſſe Apoſto

C li, ac planè diuinum minimè dubito, quod ait: Deum credenti in eum, qui iuſtificat impium, per fidem, ſecundum propoſitũ gratiæ ſuę, non imputare peccatum. Fidei porrò iuſtitiam, haud humanę induſtrię, ſed diuinæ uirtutis munus eſſe aſſerunt, & optimè quidem: in quam ſanè illius qui credit, tota ex Deo gloriatio eſt, & gaudium internum, inq; Deum ipſum rurſus conuertitur: ut neque exordium, neque terminum huiuſce gloriæ, aliud quippiam eſſe uelit, quàm ipſum Deum. Operum uerò iuſtitiam eam appellant, qua quis factis atque actionibus ſuis fidens, per eas iuſtum fieri quaſi ex debito, & ſperat, & credit. Ex qua quidem perſuaſione illud potiſsimum oriri cernimus, quòd ſiue ab hominibus, ſiue à Deo ſperandum ſit præmium, paratum id ſibi in primis ſuo merito opinatur, non alicuius dono, aut beneficio. Quæ res profectò periculoſiſsima eſt, in re præſertim tam ſeria, quippe quæ ea ſit, in qua tota ſalutis ſumma conſiſtat. Is certè alio iuſtitiæ genere præſtantiori, quàm ſit operum, mihi uidetur ornatus, qui cum totum uitæ ſuę curſum in exercendis operibus bonis attriuerit, in ſuorum tamen meritorũ ponderatione nihil moratus, ſe ad Dei bonitatem conſiderandam illicò transfert, quòd ſolus uerè ſit, qui uelit, ualeatq; uirum quamuis impium, per fidem, ad ſe confugientem, iuſtum facere. A quo enim alio ſpirituũ ſupernorum res tanta tantæ uirtutis potentia, atq; imperium ſperari potuit, ſi à nobiſmetipſis nil niſi infirmitas, debilitasq; noſtris in actionibus expectari par ſit? Atqui ſi liceat hæc duo genera hominum inter ſeſe conferre, nónne uidemus operum amantiores, quomodo in gerendis ſuſcipiendisq; rebus, ſe habeant? iuſtitiam ſcilicet eatenus adhibent, quatenus tum legi, tum hominum opinioni ſatisfaciant. Illi uerò ſe Dei dono iuſtificatos arbitrantes, præillo, aut certè citra illum, ipſas operum, legisue iuſtitias, tricas quaſdam mentis eſſe exiſtimant, & fugiunt: nec poſſunt quidem non abhorrere ab actionibus illorũ, qui ſe admirantur, ſe amant, ſibiq; in primis tribuunt, quod ſolius gratiæ & fidei ſit. Iuſtus igitur, ut inquit A-
D bacuc, ex fide uiuet: qui ſanè per iuſtitiam, quæ ex Deo eſt, diuiniore quodam modo uitam degens, ſublimioris q; iuſtitiæ gradum aſcendens, normã gerendæ ſibi uitæ, non ex præſcripto, aut lege operum, uerùm ex imitatione Dei conſtituit. Siquidem inter homines id uſu ſæpe accidit, ut in illo, quod ab aliis didicerimus, ſimiles illis eſſe qui nos id docuerunt, operam demus: unde doctoris noſtri gloria per nos illuſtrior redditur ac magis celebris. Sic itaque (ne nimiũ ſimus in his pertractandis, quæ paſsim iam per orbem uniuerſum, etiam in tonſtrinis, edocentur: ſat ſit ſolummodo ea breuibus perſtrinxiſſe, quæ præſenti inſtituto inſeruiunt, uix enim aliter fieri potuit.) Sic, inquam, uir ſe, ſuaq; exactè cõſiderans, hoc eſt, quòd nihil boni in conſpectu Dei egit, quò ueniam ſuis peccatis meruerit: quodq; omnes ſuæ iuſtitiæ nihil aliud ſunt quàm ſordes & maculę: & quòd, quamuis adamuſsim ſe legem Dei ſeruaſſe ſibi conſcius ſit, ſe tamen inutile mancipiũ fateri opus eſt: quòd rurſus ſi ei contigerit cum Domino in iudicio intrare, non iuſtificabitur, quin potius damnabitur: item conſiderans, quàm felix ſit ille, cui Dominus omne peccatum condonauerit, atq; perinde ac nunquam extitiſſet, texerit, gemitu quanto poteſt profundo, deſiderans nimirum ex illorum numero eſſe quibus non imputat Deus peccata, exclamat: O quàm bene habet, quàm beatus is ille eſt, cui peccata iam condonata ſunt, cuiq; ad pœnam ea Dominus non imputat. Obſeruandum enim eſt, quòd non dixit uates, beatos illos eſſe qui peccata admiſerint nulla: nemini enim hominum id datum eſſe aſſerunt: ſed quibus peccata prorſus donata ſunt, ac eo modo tecta, tanquam omnino non eſſent, Deiq; oculos penitus fugerent: neque planè imputanda à Deo cenſeantur, cum pœnas meritò de illis ſumendas à debiti ſyngrapha expungit. Cæterùm à Deo peccata tegi dicimus, cum nos non tegimus: non rurſus imputari, cum à nobis imputantur: non damnari, cum ſe homo damnat, ac iudicat: alioqui in illud facilè impietatis proruit, quod in ſequentibus deteſtatur uates cum ait:

Nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Poteſt

A Poteſt enim fieri, ut homo ſuorum operum ſuauitate illectus, dum exteriora duntaxat intuetur, & amat, facilè interim actionum ſpecie ſanctitatiſq; opinione decipiatur. Nimium enim turpiter is labitur, qui uirum illum iuſtum putat, cui adhuc peccata imputantur, neq; adhuc ſunt tecta atq; uindice Deo abſcondita. Nam cum homo ſpiritus radijs illuſtratus, ſuos interiores cœperit abſq; fuco & ſimulatione librare affectus, atque ex animo conſiderare: iudicat ſtatim ſeſe totum in corpore & anima, non dico peccatorem, ſed & ipſummet peccatum, nedum quidem illa craſsiora, quæ etiam mundus ipſe peccata exiſtimat, execratur, ac uitanda omnino iudicat. Vnde inſcrutabile ſui cordis pelagum ingrediens exclamare cogitur, Delicta quis intelligit? cui tam recondita motus ſunt noti? quis tam abſtruſa, ac planè incognita cognoſcere unquam poterit? Proinde hîc primùm ad Deum uerè abſq; dolo clamatur, dum uerè abſq; dolo peccatum cognoſcitur. Hîc, inquam primùm Dei miſericordia peccatum dimittit gratis & abſtergit, ſi tu tibi non remittis, non ignoſcis, non tegis, ſed ex corde atq; ex animo, nedum ore quidem, aut ex more, confiteris te nihil aliud eſſe, quàm peccatum maximum, & iniquitatẽ. Atq; hoc ſanè modo dolus qui in ſpiritu latêre uidebatur, detegitur. Non enim mediocris doctrinæ indicium eſt, proprij cordis malitiam non ignorare, quæ alios facilius, quàm ſeipſam damnare ſolet. Is igitur beatus, in cuius ſpiritu nihil fictum, nihilue ſimulatum deprehenſum fuerit: ſed ex animo ſeipſum diſcutit, peccataq; propria, non aliena, cognoſcit, detegit, damnat, ac lachrymarum riuo abluit. Actum enim de illo prorſus aſſerere audeo, qui cognoſcendi ſe peccatorem finem fecit. Putásne illum quanti periculi ſit, diuinam bonitatem peccando offendiſſe, non ignorare, qui licet ore ſe peccatorem fateatur (mos iam omnium is eſſe cœpit, ut ſeſe peccatores dicant: quàm uerò ſerió, atq; ex corde, parum perſpicuum eſt) peccata tamẽ, neq; corrigit, neq; ex animo confeſsionem illam pronunciaſſe, reliquo uitæ curſu præ ſe fert? non enim illi qui ex
B corde ſe iniquos & cognoſcunt, & fatentur, mundi plauſibus delectantur, ſed illius potius perfidiam atque iram in ſuum profectum pertrahunt. Norunt quidem quàm periculi plena res ſit illis ijſdem rebus inſeruire, quas hi ſolummodo ſectantur, qui ſeſe penitus ignorant. Quàm multi ſanè ſunt, qui cum, Dei ſpiritu ac dono aliquo perluſtrati, ſeipſos medullitus agnoſcãt, conantur tamẽ, & quanta poſſunt animi intentione ſibi perſuadere nitũtur, ſe bonos eſſe, & iuſtos, dum interim miſerrimè latentẽ dolum in ſpiritu aut non ſentiant, aut non ſentire, cum tamen ſentiant, arbitrantur. Vides mentitæ ſanctitatis fucum atq; impoſturam. Vides, inquam, ni fallor, quid ſit dolum in ſpiritu uerſari.

Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.

Felix ſic: In rugitu meo tota die. Cum cogitarẽ, inquit, in ſilentio delicta mea, præ multitudine anxietatis inueterauerunt, uel, ut alia eſt litera, cõtabuerunt oſſa mea. Obmutire enim ſolent hi, qui in maximis occupati ſunt cogitationibus, ut ijs planè accidit, qui cum nimio dolore, aut metu detinentur, ſpiritum diutius quàm par eſt continent: quo tamẽ poſtea erumpente, ac collectis in unũ uiribus ſeſe foras promente, æduntur mugitus quidam, ac eiulatus inſoliti à pectore iam ex caloris ad intima collecti abundantia penè torrido ac conſtricto: hincq; ſucco uitali in homine abſumpto, oſſa, reliquæue interioris texturæ partes neceſſariò fiunt tabidæ, ac uetuſtarũ rerum more, mucidæ. Ait igitur uerè atq; ex animo pœnitens: Hei mihi quia tacui, quia peccata non detexi, non agnoui, non confeſſus ſum, remiſi mihi, non imputaui, dolum in ſpiritu non attendi. Idcirco præ doloris æſtu & anxietudine, contabuerunt ipſa oſſa mea, nedũ delicatiores uiſcerum partes atq; exta, in rugitu meo. Siue, inquit, tacitus mecũ cogito, ſiue rugitibus dolorem meũ intimũ indico, contabeſcunt oſſa mea: ſeu, ut reddit paraphraſtes, conteruntur uires meæ. Vidiſti'ne aliquando hominem ſua ſecum peccata ſerió reputantem, ac quanta ſe maneant inferorũ tormenta conſiderantem, perpendentemq; ex corde diuinum iudiciũ, meritam damnationem, ac tandem pec

C cati fœditatem? Mirum ſi in eo colorem uiuidum, aut corporeã habitudinem admodum uegetam & robuſtam uidere dicas. Quid ſi ſuum internum cruciatum miris atq; inſolitis eiulatibus oſtendere cogitur? Teſtupidum, qui in tanta amici diſſolutione, atq; miſeria, pulchritudinem aliquam corpoream inſpicere opinaris. Luctus, crede mihi, aut internus mœror & dolor, maciem potius neruorũ, oſsium'ue debilitatem, & laxamentum gignunt, quàm robur, aut pulchritudinem. Quanto uerò exitio obnoxia ſint oſſa, hoc eſt, & decor, & uirtus animæ illius, quæ ſtupida quadam tum imprudentia, tum uerecundia attonita facta, ſua tacet delicta, eaq; tegit, & non ſibi imputat: quin potius ſe ea ignorare ſibi perſuadet, putatq; fucum rei tam certæ poſſe obducere, ac Deo ipſi impoſturam facere, multorum nec quidem minutioris gregis hominum uita probè oſtendit. Vnde, oro, imperia illa quorundam tyrannica magis, quàm Chriſtiana? unde uacillantia conſilia? unde doli? unde mentis inconſtantia? infirmitas? ægritudo? ab ignorantia ſanè noſtrî, noſtrarumq; iniquitatum, ac ſcelerum interiorum obliuione. Secus autem illi, quibus omnia ſua interna optimè perſpecta ſunt: ſe utiq; continuò damnant, ſibiq; ipſis, nõ alijs, indignantur atq; iraſcuntur. Cętera uerò, quibus ex officio portionem aliquam uitæ debent, ſtabili, firmoq; proposito ac mente, infractoq; conſilio, prudentiſsimè, abſq; animi ſcilicet perturbatione & dolo- iudicant, & moderantur.

Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Sentio, inquit, iudicij tui manum, & ſeueritatem die noctuq; mihi grauiter minitantem. Quid dicam? perinde coniectus ſum in ærumnam & miſeriam, ac ſolent hi, qui inter ſpinas uolutantur. Hîc ſpinam, terrificam diuini iudicij memoriam appellat uates. Qui ſanè ſapiunt, cum in mentẽ ſua primum errata ueniunt,
D ac mox pœnæ illis debitæ, ueluti ſpina aliqua acutiori, iudicij ſtimulo compungi ſolent. Felix, atqueadeo cęteri penè omnes Hebrææ linguę periti, ſecus legũt hunc uerſum. Immutatus eſt, ait Felix, humor meus in ſiccitates ęſtatis. qui ſemet exponens, ſic inquit: Euerſa eſt pinguedo mea, & humidum meũ in ſiccitates. id eſt, factus ſum macilentus, & exiccatus, ac ſi poſitus fuiſſem ad radiũ ſolis in æſtate. Quare ſic reddit paraphraſtes: Sic mutatus ſum, ut ex ſucculento factus ſim aridior quàm ſunt ariſtæ in media meſſe. Neſcio enim an apertioribus demonſtrationibus oſtendi poſſet hominis ſua peccata, quæ maximè in reconditioribus animæ receſsibus inſunt, conſiderantis & dolor, & mœror. Clamat Dominus in Oſeæ uaticinijs: Ego ſepiam uiam tuam ſpinis, id eſt, minis & terroribus, quò uel hoc modo ſaltẽ, tuũ ualeas non ignorare peccatũ. Alioqui cum omnia infelici animæ tranquilla ſunt & delitioſa, fit ſtupida atq; iners prorſus in periculis cõſiderandis, in quibus aſsiduò, dum ſe ignorat, miſerrimũ in modũ uerſatur. Nunquam enim ſe tutũ arbitratur uir ſapiens, hoc eſt, ille qui probè ſe norit: ſed quemadmodum continuò ſe peccatorẽ non ignorat, ita continuò peccatũ ſuum coram ſupremo iudice detegit clamans,

Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi.

Vides prudentiã animæ ſuæ ſalutis mirè anxiæ. Aliud, aliud, inquit, inij conſilium. Cur tacui miſera? cur delictum meum non detexi? cur medicum infelix horrui? Erraui igitur hactenus, modò uerò aliud mihi capiendum eſt iter. Meũ enim peccatum, meam iniquitatem, meam iniuſtitiã, meum denicq; morbum non amplius celare ſtatui, ſed aperire potius, ac cognitum medico facere.

Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiã meam Domino, & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei.

Dicto citius ſolet diuinus medicus ægrotantẽ animã ſanare, modò ex intimis medullis ſe morbo infectam fateri non erubeſcat. Non ſanè ualde admirandum eſt, licet ex ſe laudabile ſit, ac tutũ omnino, hominem in craſsioribus illis peccatis quæ etiã tecta ab alijs facilè cognoſci damnariq; poſſunt, prouolutũ, aliquando fateri

A fateri illa, ac deteſtari, ut ſunt homicidia, furta, rapinæ, publicus alieni tori concu
bitus, ciuiũ oppreſsiones, uſuræ, & cæteræ huiuſmodi rerumpub. peſtes: at illud
quod unum maximè à nobis requirit Dominus, nos ſcilicet totos à planta pedis
uſq; ad uerticem, aliud nihil eſſe niſi ſtrumã peccati ac luem confiteri, ſummę per
fectionis indiciũ erit. Referenda eſt igitur ac retorquenda omnino in nos noſtra
iniquitas & iniuſtitia, non in alios. Nos, nos, inquam, ſumus qui peccamus: nos
mali, nos reprobi: cæteri uerò & iuſti, & Deo chari. Vis, obſecro te, uidere quid à
penitiſsima eiuſmodi noſtri cognitione boni proueniat? Cum primũ, ait, me me-
am aduerſum me ſtatui confiteri iniuſtitiã, ſtatim tu, ô Domine, remiſiſti impie-
tatem peccati mei. Selah his interpoſitũ admonet, quantum tormentũ ſit pecca-
torum ſarcinam iam demũ ſenſiſſe. Illum' ne dicam peccatorũ pondus rectè ſen-
tire, confiteríq;, ac ex animo cognitũ facere, qui ſemper idem eſt, ac eadem ipſa,
quę crebrò ex eccleſiæ inſtituto & more ſacerdoti detegit, & ſectaẽ & amat? Hoc
certè modo ſua peccata confitentẽ, nunquã dixerim uerè ſuũ morbum detexiſſe.
Quòd ſi fallor, unde quęſo in ijſdem ipſis peccatis perſeuerãtia? unde ijdem ipſi
lapſus? unde eadem, quam modò coram ſacerdote execratus es, tam anxia mun-
danarũ rerum, honorumq; cupiditas & ambitio? Vide quomodo facilè dolus,
etiã cum non ſuſpicamur, in ſpiritũ clàm repat, ac nos deludat. Iam illud quidem
non erit ſilendum, quomodo ex huius uerſus principio, de Dei bonitate, celerita
teq; ad præſtandam ueniã peccatoribus, maxima concipienda ſit fides. Non dif-
fert enim uſqueadeo cœleſtis pater ſuam ſalutẽ miſeris impartire, quòd homo ſe-
ſe omnino in pœnitentiæ doloribus excruciet: ſed ſimulac dixit, ac ſtatuit in cor-
de ſuũ non amplius diſſimulare peccatum, ſed illud prorſus detegere & deteſta-
ri, adeſt diuinus medicus quamprimũ, ac animã in medio ipſo noui conſilij pro-
poſito perfectiſsimè (ut eſt perfectiſsimæ ſemper operationis Deus) à peccato-
rum omniũ ſordibus abluit, ac uſq; ad ſcoriã, ut ait Eſaias, repurgat. Vide rurſum
B quomodo anima propriæ ſanitatis cupida, non contenta peccatũ ſuũ, peccatum
dicere, uerùm iniquitatẽ, ſeu, ut alia eſt litera, prauitatẽ peccati appellat: non po-
teſt enim ſuũ non aggrauare peccatũ homo ille, cui ob oculos ſedulò, quàm peri
culoſum ſit propriũ morbum ignorare, tamq; excelſam naturã, ut Deus eſt, pec-
cando offendere, ſeq; ſua ſponte in æternam mortem protruſiſſe, uerſatur.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.

Poſtquã, inquit, tam facilis es atq; exorabilis, neq; aliud à nobis requirere uí-
deris, quàm ut noſtrum agnoſcamus peccatum, illudq; fateamur, omni abiecta
oſcitantia, atq; animi ſtupore amoto, orabunt te quotquot ſanctitatis adipiſcen-
dę ſtudioſi ſunt. Agit enim mirabilem in modum ac planè erudit bonorũ animas
diuinus ardor, ut eo minus ſe iuſtos arbitrentur, quo magis iuſtitia à Deo donan
tur. Iuſti enim ob illud primũ facti, quòd illis Deus peccatũ non imputauit, ſuam
tamen impietatem, peccatíq; prauitatẽ haudquaquã ceſſant accuſare, eo potiſsi-
mum tempore, quo ſeipſos uerè norunt, hoc eſt, peccatores, & ſcèleſtos: & quod
quidem tempus, opportunũ appellat uates: Paulus uerò, ex Eſaia, acceptũ: Tem
pore, inquit, accepto exaudiui te. Tunc enim, id eſt, cum homo ſuũ cognoſcit pec
catũ, tempus eſt miſerendi, tempus eſt gratiæ, atq; ad ſubueniendum animæ ſub
peccatorũ onere laboranti, opportunũ. Felix tamen legit, in tempore inueníen-
di. Idem Felinus. quod eſt, in tempore inquirendi Dominũ. Quæríte, ait Eſaias,
Dominum, dum inueníri poteſt, dum eſt occaſio, dum nos inuitat, dum nondum
ex arena diſceſſum eſt. Quandiu enim in hac uita uiuitur, puto tempus inuenien-
di Deũ eſſe, pœnitentiamq; agendi, ac promerendi per Chriſtum bona illa æter-
na: quibus adeptis, ſpes nulla, metuſq; nullus, aut pauor, nos coget, aut amitten-
di adepta, aut acquirendi maiora, cum Deus ſumma, atq; idem unica ac perfecta
noſtra felicitas, tum nobis aderit, ultra quem nihil.

Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

Ex Hebręo aliqui legunt hos uerſus hoc modo: Propterea orabit ad te omnis

C bonus in tempore inueniendi, etiam si multæ aquæ inundent. Vtcunq; sit litera, is erit sensus: quòd aquæ impetuosarũ tentationũ & tribulationũ, ad eum ipsum uirum iustum, qui sic orat pro impietate peccati sui, non appropinquabunt: hoc est, desæuient quidem, tantũ uerò aberit, ut eos à loco moueant, atq; à firmo proposito in Deũ deturbent, ut etiã in illo magis cõfirment, ac uires præstent. Hinc porrò illos nõ audiendos esse arbitror, qui legunt, ad Deũ non approximabunt aquæ multæ, hoc est, ut interpretantur, in luxuria fluidi ad Deum non appropinquabunt. Somnia sunt hæc, ad spiritus iniuriam excogitata. Paraphrastes sic reddit: Nullę quantumuis multę fiant malorũ inundationes, ad illum poterunt pertingere. Poterunt sanè uirum bonũ (ut aliquid interim demus conditioni humanæ) quassare, urgere, perterrefacere etiam: at perfringere omnino, prorsusq; conuellere, atq; ab instituto deijcere quî credam, cùm Deo ipsi potentissimo curę sit maximæ? Quare clamat,

Tu es refugium meum à tribulatione quæ circundedit me, exultatio mea, erue me à circundantibus me.

Tandem hîc uates rei summam aperit. Mirum enim si conceperas animo, uatem testaturum sese ab aquarũ multarũ diluuio ereptũ, quia bonus erat, quia fortis, quia de rebus cœlestibus bene meritus. Longè quippe aliter sese habent res seriæ in negocio spiritus, quàm cõmenta quorundã dolosa, non est enim cur propriam iustitiã, roburq; arbitrij plusquã par est iactitemus: Tu, inquit, refugium meum es, tu robur, tu arbitriũ, tu uoluntas. Felix legit: Tu secretũ mihi. Cui & alia conuenit litera ex Hebræo: Tu, inquit, absconsio mihi. Paulùm uerò aliter paraphrastes: Prouidentia, ait, tua occulta à malo proteges me. Quòd uerò Deus sit suis absconsio, atq; refugij domus, satis in præcedenti psalmo est dictũ. Hoc unũ uerò sciendum, quòd reconditiori prouidentia, quàm quę ab humano intellectu
D perspici queat, suos tutatur Deus. hoc est, quando res admodũ perditæ ac desperatæ uidentur, tum suis adest benignissimus Dominus: & cum non speratur, apparet, dicens: Ego sum, nolite timere. Cæterùm dicuntur tribulationes nos cingere & obsidere, cùm ita nos in angustũ conijciunt, ut euadendi spes nulla appareat. Ita sanè solet ab hostibus cingi ciuitas: ita aper in sylua à uenatoribus: ita à dæmonũ technis & dolis pauidę animę. Porrò illud, exultatio mea, sic reddit Felix: Canticis liberati circundabis me. quasi dicat, facies me undequaq; tibi laudũ cantica atq; odas celebrare, uti solet à periculo aliquo eximio liberatus: ita ut nihil circum me futurũ sit, unde non erumpant summa cum lætitia gratiarũ actiones. Præterea quemadmodũ à tentationũ mole quodammodo opprimimur, nisi Deus præstò sit, cui iacentem sub fasce animã subleuet: ita cum ab angustiarum acerbitate liberamur, exaltatio quædam ab imis ad altiora oriri solet, ex qua rursus exultatio in spiritu, canticis permixta gratiarũ actionum ac laudum, emanat: quam quidem uates, Deum ipsum esse ingenuè fatetur. Alioqui exultationes cętere, ac cantica absq; Deo quę fiunt, impia sunt & sceleſta, etiã si sacra appareant.

Intellectum tibi dabo & instruam te, in via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos.

Fit mutatio personæ. Deus enim est qui unumquenq; nostrũ cœlestiũ rerum studiosum indagatorẽ alloquitur. Proinde maximopere cauendum erit, ne cum diuinarũ rerum cõtemplationi incumbimus, alium ductorem, eruditoremq; efflagitemus, quàm Deum. Quid rem tam arduã memoro, cum ne ea quidem, quæ in nobis insunt, perfectè, nisi Deus erudiat, cognoscere possimus? Is est enim qui docet hominem scientiam, non tantum quidem reconditarũ rerum, quantum illarum quę proximè nos sunt, ac manu tanguntur. Ait igitur benignissimus pater & doctor: Faciã te intelligere, ô homo, qui hucusq; sine intellectu fuisti, cum tu tua ex te cognoscere opinabaris. Agè, in me solo cõfide: ego te instruã, te ducam, tibi oculos aperiã, ne tu te iterũ instruas, te ducas, te uidere arbitreris, ex te, non ex me. Si enim in uia ista uirtutum ac iustitiæ progredi est animus, ne dubita: ego qui te in uiam rectam conduxi, firmabo rursus super te oculos meos, hoc est, ocu-

li mei

A li mei in te erunt intenti, ne quid tibi, qui oculis tuis oberrare, atq; in præcipitia corruere consueueras, desit. Esto in oculis tuis cæcus, & insipiens, & ego intellectum tibi dabo. hoc est, ut ait paraphrastes, prudentem faciam te, & docebo quo te pacto uiuere oporteat, & studiosissimè obseruabo te oculo proprio: seu, ut interpretatur Rabbi Shlomoh, Innuam tibi oculo meo, id est, uiam quam te capere par est, nutu oculorũ monstrabo. Sensus igitur: Oculo meo, hoc est, meo fauore & cura tibi cõsulam. Egoipse, nõ tu, considerabo quid tibi utile sit, quid secus: quoq; uiã tuã dirigas, quò uitã, quò studiũ, uidebo: sine te meũ esse, non tuũ: alioqui tu tuus factus, absq; intellectu ac mente uitã uiues miserrimã. Ponã super te, ait Chaldæus, in bonum oculum meum, id est, tui curam geram. Tantùm

Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Tantùm, inquit, uos amor trahat, non terror, aut minæ, quibus solent à malis compesci complures, quemadmodũ equos aut mulos lupatis & freno ad obtemperandum dominis suis compelli cernimus. Animus enim humanus natura ad legum obseruantiã amore magis ducitur, quàm ui, aut, ut ait Satyricus, formidine pœnæ trahitur. Quanquam tamen neq; huius salus, qui metu potius, quàm suauitate ad bonum cogitur, sit desperanda, cum illi prorsus à spe salutis alieni sint, quos Deus penitus in malis obbrutescere sinit, neq; illos aliquãdo, uel saltem asperitate, aut terrore, à uia sua mala reuocat. Infelices omnino hi sunt, postquam ita à Deo permittuntur, sua ipsorum culpa, naturæ impetu, uti solent muta pecora, & ferri, & uiuere. Nec ab re quidem meminit equi & muli, animantium nimirum quæ ad humanos usus, atque ad ferenda onera præ alijs facilè mansuescunt. Sunt porrò qui in hoc loco arbitrantur uocẽ atq; adhortationẽ esse hominis iam à uitæ fœditate relabentis, ac proximos admonentis, hoc ferè modo: Cautum sit uobis ô amici, ne prorsus in malorũ perseuerantia perduretis. Ab ijs enim quæ
B propríjs oculis uidi, expertusq; sum in memetipso, consilium uobis do. Peccaueram certè, atq; à uia iustitiæ aberrans, uiam non bonam ingressus eram: uerùm aduersitatũ cumulo admonitus, intellexi iam tandem, atq; ad Dominũ reuersus, iustitiæ uiam non fictè, aut ignauè, sed ex animo totis conatibus perterere occepi. Quare uos hortor, ne uti ego olim, diuinam bonitatem intelligere negligatis, néue ceu bruta rationis ac intellectus expertia, lupato ac capistro in uiam salutis reduci cogamini. Cæterùm qui non approximant ad te, interpretantur, ne repugnẽt tibi: aut, ut reddit paraphrastes, ne mordeant te. Non præteribo etiam piam quorundam interpretationẽ, qui asserunt hîc ad Deũ precem esse illius, qui se sentiens à cœlesti patre duris monitis eruditũ, atq; à uitiorũ turpitudine terroribus coërcitũ, ita orat: Compertissimũ habeo, ô Domine, per uarias tentationes edoctus atq; eruditus, uiam hominis non esse in manu eius: idcirco spiritus tui suauitate allectos, trahe nos post te. Et si quos uides suo impetu, ueluti equos & & mulos ferri, illorũ ferociã reprime, à præcipitio reuoca, atq; illos, sicut me compulisti, intrare compelle, ut uel hoc modo duriori admoniti, intellectũ capiant, ac tandem in spiritu dolum sentiant: hoc est, seipsos ignorare dediscãt, uerbumq; illud tuum, quod illuminat, & intellectũ dat paruulis, omissis superuacaneis curis, toto studio atq; animo amplexentur.

Multa flagella peccatoris, sperantes autem in Domino misericordia circundabit.

Omnes enim quotquot mortales nascimur, & turpiter & crebrò in peccata labimur, atq; ob id nõ mediocri castigatione egemus. quare asserit uates, quòd multa flagella debentur homini (cum peccatorẽ nominat, hominem intelligit.) Verùm si quis sub lima, ut ait quidam, non contrahit rubiginem, sed candorem: hoc est, si sub pœnarum acerbitate uerè, atque ex corde resipiscit, ad Deumq; conuertitur, is proculdubio misericordiam consequitur, ac in uiam iustitiæ per manum Domini securè reducitur. Iam enim firmauit super eum oculos suos Dominus. Contrà uerò hi qui sub flagellis sua sponte indurantur, atque, ut sic di-

C cam, miſerrimè lapideſcunt, in brutorumq; naturam transformantur, à Deo relicti, neq; uiam, neq; modum ſuæ uitæ inueniunt, ſed conſilijs propríjs, cupiditatibusq; uarijs, & appetentijs impulſi, irrationabiliũ prorſus animantiũ more & impetu, res ſuas inſtituunt. Quis hîc non uideat, quàm ſatius ſit, nobisq; magis utile, rationis munere, atque intellectu, quo potiſsimum à feris diſtamus, uti in bonum, ſecundumq; eorum inſtigationem, & uiuere, & ab alijs ſic agi edocere, quàm rapi affectibus ut beſtiæ? Quòd ſi quando aut morbis, aut malis alijs affligimur, ut ſunt tyrannicæ oppreſsiones, ambitioſorum iniuriæ, calumniæ, dilapidationes, infamiæ, perſecutiones, uſuræ, & cætera huius generis, quæ in rebuſ publicis optimè inſtitutis perraro uidentur peragi ac probari, haud deſperandũ eſt, ſed cautè ponderandũ, agnoſcendumq; iſtuc potiſsimũ fieri, quo in nos conſiderandos facilius deſcendamus, cõfiteamurq; nuſquã perfectum bonũ eſſe, niſi in Deo. Et quemadmodum, ut iam diximus, illum tribulationibus circundatũ appellamus, cui nulla euadendi, aut ſeſe à cumulo aduerſitatũ extricãdi ſpes ſufficit: ita uirũ eum Domini miſericordiã circundare affirmamus, cuius uita adeò curę eſt Deo, ut undequaq; ſpiritus donis munita, telis hoſtiũ prorſus impenetrabilis, inacceſſaq; facta ſit. Soli igitur obſtinati in malis, ſub flagello pereunt.

Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.

Vide ſanctiſsimũ noſtri prophetæ morem, qui non contentus ex ſe ſolo lætitiã ſpiritus corã Deo teſtari, cæteros Dei dono effectos iuſtos hortatur ad idem faciendum. Iuſtos hîc uocat, quos in pſalmi exordio beatos appellauit: rectos uerò corde, illos à quorũ ſpiritu dolũ abeſſe optauit. Hos igitur felices, hos calculis omnibus beatos inuitat ad lætandum, gloriandumq; in Domino, atq; ad ipſum, qui remiſit iniquitates, qui texit, qui non imputauit peccatũ, qui refugiũ eſt noſtrum, qui dat intellectũ, quiq; inſtruit, & ſuis, ne errent, annuit oculo, laudem omnem ſuam, gloriã, lætitiam, honorem ue referendum. Vnde Eutymius: LætaD mini, exultate, & gloriamini non de ueſtris meritis & uirtutibus, quæ infirmæ ſunt, ſed in ipſo ſolummodo Domino: nam & ego aliquando in uirtute propria confiſus, lapſus ſum. Vide hîc, te oro, quomodo iuſti ſolummodo, & recti corde, ad celebrandum diuinũ nomẽ in domo Domini à ſpiritu inuitantur. Quare duo hîc mihi proponi iudico, aut quòd bonus ſim, rectoq; animo ac propoſito inter cęteros Dei ſanctos uiuã, quò in numero illorũ, quos hîc à ſpiritu ad exaltandam Dei gloriam & nomen uocari audio, cenſear: aut omnino à cæterorũ bonorum collegio ſecludar: ne cum non inuitatus, hoc eſt, ne, uti ſus immunda, impurus, ac undequaque maculis & cœno infectus, laudes ad Dei aras, aut hymnos canere preſumo, actutũ audiam, laudem in ore peccatoris ſpecioſam minimè à Deo reputari. Emundandus eſt igitur animus, atq; à malarum cogitationũ ſpinis repurgandus: auocanda rurſus mens eſt, ac à phantaſmatũ rerum corporearum incurſione auertenda prius, quàm os in Dei laude & gloria celebranda aperiatur.

IN FINEM PSALMVS DAVID XXXIII.

Exultate iuſti in Domino.



Iam aliàs diximus, atq; iterũ repetere non graue erit, mortalium animos, forſan & angelicos alioqui à noſtris affectibus liberos, facilè in Deum rapi per pſalmos, qui quidem Deus conditarũ rerum omnium finis eſt ac quies. Etſi enim uarij in pſalmis leguntur tituli, unus tamen omnium eſt ſcopus & finis, qui Deus eſt: ad quẽ quidem colendum laudandumq; cùm ſæpe aliàs in cũctis pſalmis nos admonet, hortaturq; Dauid, tum potiſsimũ in hoc, quem nunc tractare intendimus, & quem certè tanto ſpiritus ardore, ac flamma conuolutũ cernimus, ut mirum uideri poſsit, unde tantum ignis una ex oda emanauerit. Videtur hîc uates ſub duorũ aut trium inſtrumẽtorum, quæ harmonia conſtant, nomine, totam molem concentuũ in unum congerere uoluiſſe, quò ſciant mortales quàm diuina ſit Muſica, atq; ad laudandum Deum, eiusq; cultum celebrandũ efficax, ac propémodũ neceſſaria. Quo, quęſo, impulſu ullo alio ex

terno

A terno & motu, tam afficitur animus ac mouetur, quàm uoce, aut ſono aliquo appoſitè concinneq́; moderato? Et quemadmodum enim à triſti ſono & lugubri facilè mœrorem haurimus animo, aut graui & ſeuero grauitatē uiro dignam: ita effœminatos affectus, uimq́; mentis eneruem induimus à laſciuo ac turpi. Quocirca danda eſt opera, ne qui diuinæ in templis præfecti ſunt ſinaxi, uel qui reſpublicas atq́; urbes moderantur, ſinant ciuiū liberos à fidibus aut organis quicquid aliud haurire, quàm æquam animi temperaturam, ignemq́; illum, quo adoleſcentium ingenia alioqui per ſe concita & diſſoluta, ad diuinum amorem, ad grauitatem morum, cōmunemq́; concordiam prouocentur, non ad laſciuiā, uitæq́; corruptionem ac turpitudinem. Et ut quidem hi errant magnopere, qui hæc non curant in rebuſpublicis & templis: ita illorū deteſtanda cōſuetudo, qui adeò moroſi ſunt in auſcultanda harmonia quæ aut uoce fit aut ſono, ut malint ſibi ſubditos in rebus nihili, in fabulis ludisúe ſcurrilibus occupari, quàm in honeſta, uereq́; ingenua & liberali concentuum exercitatione. Iam illud profectò dignum conſideratione, quàm nihil omiſerit rex prudentiſsimus in pſalmis, quod ad informandum propagandumq́; Dei cultum faceret. Et ut multa fuerint ad id muneris idonea & appoſita, non mediocrē tamen locum ſibi uendicauit Muſica. Quare non mirum eſſe debet, ſi nos modò tubis, modò citharis, modò organis ac pſalteriis diuinū celebrare cultum adhortatur tam pius rex. Superuacua minimè hæc ſunt: quæ tamen, ne in ſuperfluis philoſophemur, ſic dicta eſſe à propheta intelligo, ut malim ex his uim quandam diuinam in Muſica ſitam eſſe cognoſcere, quàm in diſquirendis allegoriis plerunq́; frigidis ac ieiunis me ineptè torquere. Quanquam non me latet, ab expoſitoribus, præclariſsimis illis quidem uiris, pro citharа corpus, pro pſalterio intellectum, cui ſanè decalogi præcepta ſunt poſita, ſumi: qua quidem periphraſi uultuates à nobis intelligi, quàm neceſſarius ſit in celebrando diuino honore ac nomine, mutuus inter corpus & animam concentus,

B & conſenſio: ſecus uerò, diuulſa mente à corporeis ritibus, atq́; inuicem rixantibus, quę uera in diuino cultu coitio eſſet poterit? Et quemadmodum in Chriſto, quem unicè imitari oportet, res una fuit, corpus, anima & diuinitas, unus ſcilicet Chriſtus: ita quicquid in homine conditum eſt, uel in animo, uel extra etiam in membris, id totum ſimul unum eſſe neceſſe eſt, neq́; ab unione illa concordi, quā in eius cultu requirimus, ſeiungi debet. Somnia hæc quidem nō ſunt, ſed firmiſsima lege tum diuina, tum humana ſancita, atqueadeo in diuino obſequio tam neceſſaria, quàm quod aliud maximè. Qui enim huiuſmodi ornati ſunt bono, hi in pſalmi ſtatim exordio iuſti idcirco à uate appellantur, quòd omnem iam uirtutū cumulum, quam iuſtitiā appellamus, adepti ſint: his itaq́; dicitur, Exultate iuſti in domino. O uos, inquit, quos Dei bonitas iuſtitiæ nomine eſt dignata: ô qui in terris uitam uiuitis cœleſtem, quiq́; aliud nihil iam optatis, quàm quomodo Dei nomen illuſtretur, paſsimq́; cunctis innoteſcat, in domino, non in uobis, multò minus in rebus mundi caducis, ueſtra omnis ſita ſit exultatio ac laus: omni enim cordis tripudio ipſum laudate.

Nam rectos decet laudatio.

Felix: Rectis formoſa eſt laus. Quid æquius oro? quid rectius? quid decentius, quàm puriſsimū dominum à candidis puriſq́; animis laudari? Rectam porrò lineam dicimus, quæ nulla ſui parte obliqua ſit: ita uniuſcuiuſq́; animum uerè rectum appellari par eſt, cui undecunq́; ſuæ rectè coëunt partes, ac in obtemperando diuinis iuſsionibus conſentiunt. Aequiſsimū, inquit Paraphraſtes, ac decentiſsimū eſt, ut à candidis animis laudetur dominus. Cæterum iuſti rectiq́; nomen in hoc loco idem eſt, eoſq́; ſignat homines, qui à iuſtitiæ rectitudine nuſquā deflectunt, ſed in iam ſemel arrepto propoſito perſtant fixi & immobiles, contra eorum morē qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedūt: hi haudquaquā recti ſunt, atq́; proinde quicquid aut ore proferunt, aut corde cogitant, fœdum eſt, ac turpe: hoſce enim ad laudandum Deum nō inuitat uates, niſi quatenus homines ſunt, idcirco dociles, & ad capeſſendas rectitudinis ſemitas flexi-

C biles. Quandiu enim in uita uiuitur, nemo à ſalute ſe excluſum eſſe queri poteſt.

Confitemini domino in cithara, in pſalterio decachordo pſallite illi.

Felix: Laudate dominũ in cithara, in nablo & decachordo pſallite illi. Videtur hîc Felix uelle Nablum, quod Nebal Hebræi uocant, inſtrumentũ aliud eſſe à Pſalterio, cùm aliàs tamen aſſerat idem eſſe: quod quidem decem chordarum ordine diſtinctum fuiſſe ſcribit: uultq; id eſſe, quod nunc uulgò Viola appellatur. Ego autem ex hac Felicis ſententia ſuſpicor Nablum, ſeu Pſalterium, inſtrumentũ illud eſſe, quod Leutũ dicunt, ex eo, quòd in quibuſdam Italiæ locis id genus inſtrumenti, quod nos à leuore nomẽ ſumpſiſſe credimus, Violã appellant: & cui pro ætatum uarietate, ut uaria ſunt fermè omnia in hoc mundo, uariæ ſunt additę fides, aut demptę. Olim enim decẽ erant, poſtea pauciores, modò uerò undecim: plures etiam additura poſteritas, ſi ex uſu erit. Quicquid igitur fuerit Nebal, aut cithara, compertũ eſt hîc uatẽ eo inſtrumenti genere cæteris elegantiori innuere uoluiſſe, mortaliũ animos alioquí per ſe hebetes, atq; ad cõplendam ſuã originem tardos, per concentus atq; harmoniã poſſe excitari, rapíq; ſuauitate uocis ac ſoni, in amorẽ ſui cõditoris. Quòd uero Pſalteriũ ſeu Nablum nobilius fuerit, quàm cætera id genus inſtrumenta apud Iudæos, illud eſt argumento, quòd cum quatuor olim cantores in priſca illa Iudæorum ætate conſtituti eſſent, qui quatuor præeſſent choris, ob totidem præcipua mundi climata, atq; eorum quilibet ex duobus & ſeptuaginta uiris extaret, ex quibus alíj tuba, alíj tympano, partim organis, partim cymbalis, lyráue, ac cithara canerent, Rex ſolus pſalterio regio canebat, quod quidem decem chordarũ numero diſtinctum fuiſſe ſcribunt, non abſq; myſterio. Nam certè poſtquã homo ſacra unda tinctus, per Chriſtum factus eſt rex gratiarũ oleo illitus ac perunctus, ſupremum in modum ingratiſſimus erit in Deum, ſi uel tantillum quidem temporis arcanũ illud decalogi decachordum, plectro fidei percutere deſierit, aut ſanctarũ actionum digítis non aſſi

D duo pulſu tetigerit. Eſt præterea res auditu iucundiſsima, cùm quis doctè ad lyram canens, aut pſalterium pulſans, auditorũ aures oblectat. Sed quid ſi mirabiles illos concentus audíremus, non quos Hypate, aut Meſe cum Nete, grauiſsimæ atqueadeo ſuauiſsimæ omnium chordæ, quam harmoniã dícimus, formant, ſed illos quibus conglutinati ſimul & mens, & ſpíritus, cœleſtes choros huiuſmodi ſuauitate allectos, quę non iam à mortuorum animalium neruis oriri ſolet, ſed ea, quę à corde uiuo, ac in amore cœleſtium uegeto atq; ardenti, è cœlo ad terras pertrahunt? Legimus enim ad tam nobile pſalteriũ prophetaſſe Eliſæum: Dauidem quoq; ab impío rege fugaſſe dæmones. Verùm cur nõ ita impræſentiarum aut uaticinamur, aut dæmones fugamus, cum his noſtris nablis & organis? quia non idem nunc fidei ardor in nobis ineſt, qui in illis ſanctiſsimis uatibus inerat, per quem quidem omnia facilè dæmonũ irritamenta ſedari ſolent, cordaq; purificari, ac lumen illud amabile, qui Chriſtus eſt, penè in nobis extinctum reuiuiſcere. Vult uates igitur hiſce inſtrumentis muſicis ad ſubleuandos à mœrore animos inuentis, mortales omnes admoneri, diuinum cultum cum cordis lætitia, iubiloq;, ac mutuis concentibus & choris celebrandum eſſe, qui ſanè gaudiorum cumulus in fide reconciliataq; conſcientia maximè conſiſtit. Quid uerò canendum ſit, aperit dicens:

Cantate domino canticum nouum.

Solent enim hi, qui re aliqua inſigni afficiuntur, cuiusq; memoriam cupiunt ad poſteros tranſire, nouas componere cantiones, atq; odas. Quem quidem morem antiquos ſeruaſſe legimus: ſed in primis Moſem traiecto mari rubro, ac Debborah, fugato rege illo impío Iabin, atq; eius duce Siſara extincto. Sed quàm uereor ne adhuc in carnis uetuſtate uiuentes, ueteres etiamnum catilenas, è ueteri corporis cithara, non iam decem chordarum ordine diſtincta, ſed mille uitiorum confuſione diſtenta, reſonemus, nobiſq; dicatur per uatem illum, uice domini: Auferte à me tumultum carminũ ueſtrorum, & cantica lyræ ueſtræ non audiam. Atqui innouatis iam omnibus per Chriſtum, noua quoq; in Chriſtiano uiro debent

A bent eſſe cantica, noua organa, nouę citharę. Noua igitur ô mortales in nouitate uitę, in iuſtitia ſcilicet & ſanctitate, canite cantica. Quid enim uos quidem Deus ad iuſtitiam, qua iuſti facti eſtis per gratiam, idcirco aſciuit, ut illi denuò in uetuſtate literæ ac ſenſuũ ſeruiatis? Renouamini ſpiritu mentis ueſtræ: hoc cor agat, hoc mens, hoc animus, hoc demum quicquid in uobis eſt, nouo lætitiæ cantico peragat. Vetuſta iam omnia faſtidit dominus. Cæterum canticum hîc nouum, quod frequentare nos admonet uates, Euangeliũ eſt, de quo dominus, Mandatum, inquit, nouum do uobis: quodq; à ſenioribus illis antiquis inter phialas aureas ac citharas decantatum legimus. Quo uerò tum animi, tum oris aut linguæ motu, id canticum celebrari debeat, oſtendit uates:

Bene pſallite illi in uociferatione.

Nollem profectò hinc argumentũ ſumere pſallentiũ choris præfectos, perinde ac ſi tota pſallendi uis ac ſumma, in uoce forti & ualida potiſsimũ conſiſteret: alioqui tenuiſsimæ uocis homines, ut ſunt plerique mei inſtituti homines, ob rationem uictus, ac parſimoniã, à tam laudabili munere laudandi Deum excluderentur. Satis enim magna in choris celebrãdis uox eſt, ſi à magno corde, hoc eſt, in Deo, qui ſuper omnia magnus eſt & excelſus, fixo, proficiſcatur. Quare ne erroribus atq; ineptijs tam pura actio fœdaretur, huiuſmodi artificio patres quorundam ignorantiæ ſuccurrere decreuerũt. In primis, aiunt, adſit cor ac mens: deinde uox grauis, quę unà cum animo atq; affectu, graui, integro, rotundoq; concentu ac metro, non conciſo aut intemperato boatu, ſacrã legẽ proferat. Vociferationem enim hîc uocat uates decentem illam (ut ſic dicam) oris geſticulationẽ, quę ex eo fit atq; oritur, cùm mens adeò plenè afficitur gaudio, ut ſe cõtinere uix poſsit, quin in uocem aliquã inteſtini ſui gaudij teſtem erumpat. Proinde alio in pſalmo ſic canit uates: Tunc repletũ eſt gaudio os noſtrũ, et lingua noſtra exulta
B tione. quanquam tamen Fel. nõ uociferationẽ, ſed iubilationẽ ſimpliciter tranſtulit: alius uerò clangorem. quod quidem totũ ſic reddit Paraphraſtes: Operam date ut quamoptimè cantetis, & cum animi alacritate.

Quia rectum eſt uerbum domini, & omnia opera eius in fide.

Cauſam reddit Propheta, quamobrem Dei nomen tam attentè laudari conueniat, ut hi faciũt, qui toti in muſicis ſunt inſtrumentis, cùm ea pulſant, nihil aliud interim uel agentes, uel cogitantes. quia, inquit, rectum eſt uerbũ domini, et opera eius in fide. quem uerſum ſic interpretatur Paraphr. Aequa enim ſunt quæ loquitur & mandat dominus, & quicquid facit, optima illud fide facit, contra nimirum morem hominum, quorum plerique aut perfricata fronte nõ ſtant promiſsis, aut quæcunq; polliciti ſunt, mille interturbãt technis, ac interuertunt. Et quẽadmodum iſtiuſmodi mores inter homines turpiſsimi ſunt, & propterea à cõmuni ciuium cõſenſu uituperandi, radicitusq; extirpandi, ita Deus in omnib. ſuis tum factis tum dictis firmiſsimus ac rectus, ab omnibus laudandus eſt colendusq;, ac ſuper omnia in hymnis & cãticis ſpiritualibus (ut inquit Paulus) in cœlũ efferendus. Et eſt ac ſi breuiter diceret, Quæcunq; agit Deus, recta ſunt. nam dictio quam noſter interpres, uerbum, uertit, Hebræis eſt Dauar, id eſt, res, negociũ, factum, mandatũ. Quæcunq; igitur inſtituit, aut agit Deus, ſumma cum æquitate ac fide inſtituit & agit: ne interim huic loco fidem illam, quam definiunt eſſe ſperandarum rerum, argumentũ non apparentium, ineptè obtrudamus. Res hîc alia agitur, nimirum de fide illa, qua Deus uerax eſt, & quæ pollicitus eſt, conſtantiſsimè ſeruat. quem quidem ſenſum magis exprimit uates, cum infert,

Diligit miſericordiam & iudicium.

Vel, ut uertunt quidam, iuſtitiam & iudiciũ diligit. Nulli dubium, quod ubicunq; hæ duæ partes in tractanda re aliqua uel diuina uel humana cõcurrunt, ibi omnia rectè, atq; ordine tractantur. Quare quò intelligas omnia, & quæ in cœlis, & quæ in terris geruntur, ordinatiſsima Dei prouidentia, rectoq; ordine ac diſpoſitione geri, dixit quòd Deus diligit iudicium & iuſtitiam ſeu miſericordiã:

C & eſt perinde quaſi dicat, Quicquid à primis rerum exordijs actũ eſt, agiturq; in præſentia, ac deinceps agetur, id omne diuinæ bonitatis capax eſt & particeps.

Nam miſericordia Domini plena eſt terra.

Quid terram aio? nónne & cœli ipſi eodem cum terra fruuntur diuinæ bonitatis dono? fruuntur ſanè,

Siquidem verbo Domini cœli firmati ſunt.

Cùm tamen Auguſtinus dicat, quòd cœli non indigent miſericordia, ubi nulla eſt miſeria, Hebræi reddunt, Cœli facti ſunt. Volunt quidam uerbum domini in hoc loco idem eſſe, quod

Spiritus oris eius omnis virtus eorum.

Quo tropo haud raro ſcriptura uti ſolet. Percutiet (inquit Eſa.) terram uirga oris ſui, & ſpiritu labiorũ ſuorum interficiet impium. quare hîc uirgã oris Dei, ac ſpiritũ labiorum ſuorũ, Dei uerba eſſe aſſerunt: ut ſit ſenſus, quòd ſolo Dei iuſſu & præcepto, cœli conditi ſunt, atq; eorũ ornatus & decor perfectè fabrefactus. Sed ut hæc uera ſint, ſenſum tamen profundiorem requirendum eſſe uoluerunt ſanctiores. Quare uerbũ hîc, æterni patris filium eſſe interpretantur: ſpiritũ uerò oris eius, ſpiritũ ſanctum: quò hîc duo perſpici liceat, nempe Trinitatẽ totam rerum omniũ, quæ in uniuerſali opificio cõditæ ſunt, formatricẽ extitiſſe: filium uerò ipſum à patre eſſe, ſpiritum aũt ab utroq;. Datur igitur patri in rerũ conſtitutione autoritas, filio ſapientia, ſpiritui uerò uirtus ac bonitas, cùm tamen hi tres unus ſint Deus, propterea eiuſdem autoritatis, eiuſdem ſapientiæ, eiuſdemq; uirtutis, ac bonitatis. Proinde Trinitas tota rerum omniũ creatrix eſt, ut inquit Auguſtinus, atq; eius opera in generali cõditione indiuiſa. Non te moueat quòd cùm hîc tum aliàs uidetur uates Deo attribuere, quod propriũ hominis eſt, nẽpe uerbum, os, faciẽ, caput, & id genus permulta: uix enim aliter, quod aliàs admonui-
D mus, de Deo loqui poſſumus. Neceſſarium tamen eſt, corporeas huiuſce generis formas transferri ad animũ, nec aliud de Deo cogitare, quàm quod tanta maieſtate dignũ ſit, cùm nihil æquè abſurdum eſſe poſſit in negocio ſpiritus, quàm in contemplationibus ſimpliciſsimæ naturæ Dei corporea immiſcere. Aſſuefacien dus eſt igitur animus ad illa cogitanda, quæ purgatiſsimis mentibus cõueniunt: aliter intercepto corporeis imaginationibus ac phantaſmatibus animorũ curſu, facilè in id impietatis proruunt, ut in rimandis diuinæ naturę receſsibus, terrena turpiaq; interdum aduocẽt & cõmiſceant. Habitus enim feliciſsimi purè caſteq; perueſtigandi cœleſtia, ex his formantur cogitationibus, quæ abſterſo prorſus terrenarum rerum amore, in Deum qui puriſsimus ſpiritus eſt, feruntur: ſecus uerò uel minimũ quidem, conatum illum animi in Deum relaxare, non parum detrimenti ad perfectiora illa, ad quæ contendere debet uir Chriſtianus, afferre ſolet. Hincq; illud interminabile curarũ mare ortum habet, dum cœleſtia abſq; delectu ac fide contemplantes, Deum uolumus contentum eſſe noſtris ineptijs: & quod natura, legumq; præſcripto totum debemus Deo, mundanis illecebris deliniti, partim Deo, partim mundo ipſi impartimus: ex quo mediam quandam miſeriarum pleniſsimam nanciſcimur uitam, qua continuis curarum motibus ac gyris infeliciſsimè iactamur, ut tolerabilius foret, mundo penitus, quàm neq; mundo, neq; Deo obtemperare. Sed ad pſalmũ reuertamur, illudq; in primis conſideremus, nullam poſſe in terris diu conſtare rempublicam, aut regnum, niſi in tractandis rebus primas ſibi uendicent partes duæ illæ res nobiliſsimæ, quæ in Deo inſunt, iudicium & iuſtitia: hæc quidem, ut iuſtè decoreq; unuſquiſq; cum altero queat uiuere: illa uerò, ut omnia rectè matureq;, & cum delectu geri poſſint in populo: quemadmodum in adminiſtrando regno his uſus eſt Dauid, quem legimus iudicium feciſſe & iuſtitiam omni populo. Cupiditate enim atq; auaritia occæcati quidam, in adminiſtrandis rebuſpublicis, dijudicandiſq; cauſis forenſibus ac litibus, nihil non agunt, quò ſuam expleant libidinem ac ſitim, non ut legibus ſatisfaciant, utq; ea uiuatur inter ciues æquitate, ut nemo tam infimæ plebis homo

A homo ſit, qui rectè queri poſsit ſe à potentioribus oppreſſum, aut ob nummorũ carentiam inauditũ excluſumq; à iudicio: ex ditioribus uerò nullus inueniatur, cuius opes magis à iudice ſpectentur, quàm ius, fas, ratio, probitas.

Congregans ſicut in vtrẽ aquas maris, ponens in theſauris abyſſos.

Elegantiſsima catachreſi ſtupendum maris miraculum enarrat uates, quomodo ſcilicet ui diuinæ potentiæ adeò arctè intra littora continetur, ut quaſi in utrem collectum uideatur. Quod quidem ad efferendam Dei uirtutem magnopere facit, dum ei in tam uaſta undarũ mole id damus imperium, quod hominẽ in tantillo aquæ, quam utre gerit, habere cernimus. quanquam Fel. non utrem, ſed cumulum uertit. Non deſunt etiam, quibus ea uiſa eſt litera lucidior, qua legitur, Congregantis ſicut utre aquas maris: hoc eſt, qui Dominus congregat maris aquas ſuo ſanctiſsimo uerbo, ſicut in utrẽ: idemq; Dominus ponit abyſſos, aquarum uidelicet profunditates tanquã theſauros, in occultis terræ locis. Quam quidem profunditatem quis dimenſus eſt? aiebat Salomon. Manent hæc atq; id genus alia infinita, captumq; humanum excedentia, in obſcuriſsima diuinorum iudiciorũ caligine repoſita: ut uel hinc diſcamus, quam ſapientiſsimè diuerſorũ populorum multitudo in Eccleſiæ ſinu, ueluti in utre aquæ, ui uerbi Dei ſit congregata: quamq; facilè è ſacramentorum ripis efflueretur, niſi Dei ſpiritus humanos affectus colluctantes ueluti uentos in nobis frenaret. Cæterum nonne tibi uidetur hîc ſpiritum dicere, quod olim in primo rerum exordio dixiſſe legimus, Congregentur, inquit, aquæ quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, ut appareat arida? Quis, oro, uerbi illius æterni potentiam ſatis mirari unquam poterit? per illud enim non ſolùm facta ſunt omnia, ſed etiam inſtaurata poſtea per eius aduentum in carnem. Is Chriſtus eſt, cuius quidem beneficio ac dono adeò in ſublime euecta eſt humana cõditio, ut cunctos beatos ſpiritus ſupergreſſa, locum ſupremum in æternis ſedibus ac manſionibus teneat. Nos ingratos, qui tantum munus aut
B ignoramus, aut cognitum mille uitiorum maculis obnubilamus. Cùm talis igitur ac tantus ſit Dominus,

Timeat eum omnis terra.

Paueat cœlum, contremiſcantq; condita omnia, ut ad tam uenerandum nomen aſſurgat quicquid creaturarũ inueniri poteſt: utq; in Ieſu nomine omne genu flectatur, cœleſtium nimirum, terreſtrium ac infernorũ. Quod ſanè quidem in cœlis fieri certò ſcio, cùm nulla inibi diſſenſio animorum ſit, ſed una omnium ſub uno capite æterna ſentiatur harmonia, ac uoluntatum conſenſio. In Stygijs quoq; regionibus ſuum erga Deum eſſe timorem haud dubito, cùm lego dæmones credere ac contremiſcere: ſolus homo inſignitus Dei imagine, capax beatitudinis, hæres Dei, animantiumq; omnium ac cæterarum rerum conditarũ Dominus & rex, tam benefico Domino reluctans, inq; eius legem obnixus, nihil tam quærere uidetur, quàm quomodo exlex uiuat, hoc eſt, & Deo infenſus, & ſui ſimilibus odioſus. Quòd ſi quis hæc non ſic ſe habere contendat, in medium afferens puriſsimos eccleſiæ mores ac ritus, non contradico: uerùm id quæro, unde tanta uitiorum colluuies emanauerit? unde adulteria, inceſtus, rapinæ, bonorum uirorum oppreſsiones, furta, uſuræ, ſuſpiciones q; letales, ſimoniæ, ac horrendæ illæ in Deum blaſphemiæ, hoc frequentiores, quò nemo eſt qui eas uel leui mulctet reprehenſione? Vnde rurſus cupiditates inextinguibiles, in uiris maximè illis qui familiarius in eccleſia conuerſantur, quàm cæteri è uulgo? num hi, quæſo, ex his cenſendi ſunt, qui in hoc uerſu à uate admonentur, ut Dominum timeant? Timeat, inquit, eum omnis terra.

Ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.

Felix: Paueant ab eo omnes habitatores orbis terrarũ. ut ſic intelligas, quæ ſit terra illa, quæ Deum timere debeat, nempe homines, quandiu in terris degunt: ne fortè montem aliquem petricoſum, aut ſaxa inanima tibi effingas Deum timere poſſe. Solicitè colant Dominũ quotquot in terra degunt, inquit Paraphraſtes,

C & offendere illum metuant, quotquot ſunt habitatores orbis. quanquam et illud non nego, terrã ſcilicet, atqueadeo cætera omnia condita Deum timere ac reuereri, cum à præſcripta ſibi lege naturæ non aberrant, ſed quicquid illud eſt, æterno fœdere atq; inſtituto ſeruant: unde mirabilis uniuerſi quidam exoritur concentus & pulchritudo, ex qua quidem continuis ueluti rerum ſucceſsionibus ac uiciſsitudinibus, ab unaquaq; re Deus laudatur timeturq;, ac ut cuilibet rei brutæ datur, colitur. Non mirum quidem,

Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt.

Quid igitur admiratione dignũ, ſi plaſma, ſuum adoret plaſtem? Fel. ſic: Quoniam ipſe dixit, & fuit: ipſe præcepit, & ſtetit. Alius uerò: Ille enim cùm iubet, ſunt: cùm præcipit, conſtant res. Naturæ enim humanæ inditum eſt, ut plus homini illi uel honoris uel reuerentiæ deferamus, quem maiori tum dignitate tum potentia præditum eſſe arbitramur. Cùm igitur Deus in immenſum omnem aliam potentiam excedat præcellatq; & dignitate & uirtute, quippe qui dicto ſolo cuncta effecerit, ſeruetq; continuè, propterea ab omnibus coli, ſummeq; præ cæteris cùm diligi tum metui ac uenerari conſentaneum erit. Fide, inquit Paulus, aptata ſunt ſecula. quo uerò adminiculo, aut quo inſtrumento? Verbo, inquit, Dei. En habes, per Dei uerbũ ſecula, hoc eſt, omnia illa quę, ut inquit Theophylactus, ſecula hæc complectuntur, ex nihilo eſſe effecta. Senſus igitur: Illi ſoli, uel in primis ſaltem & ante omnia, noſtrum omnem debemus amorem, cultum, timorem, atq; ex animo reuerentiam, cùm tam potens ſit ac bonus, ut eius uerbo, ſapientia, conſilio & prouidentia, condita omnia ſubſiſtant, perſtentq;, ac perpetuis ueluti gyris ad ipſum tanquam rerum omnium exordiũ referunt ſeſe. Quis igitur deus ſicut Deus noſter? Ipſe ipſe, inquam, eſt,

Qui diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia
D *principum.*

Hebræis totum illud uacat, Et reprobat conſilia principum. Quare ſic uertit Fel. Dominus diſsipauit conſilia gentium, amouit cogitationes populorum. Paraphr. quoq;, Dominus turbauit conſilia gentiũ, irritas fecit machinationes populorum. Celebrato enim miro illo creationis ordine & miraculo, tranſit uates ad explicandum gubernationis modum. Nam quemadmodum ualidiſsima ſua uirtute, quæcunq; cõdita ſunt ipſe condidit, ita æterno ſuo conſilio ac prouidentia & ſeruat & moderatur. Et quia mortalium conſilia ex ſeſe natura ad malum prona, diuinæ legi continuè repugnant: propterea quæcunq; ſtatuunt, aut moliuntur, ex ſeſe uana ſunt omnino, ac nullius momẽti. Quare ne optata peruerſis improborum hominum conſilijs ac machinationibus reſpondeant, illa Deus ſapientiſsimè cõfundit, néue ſuum ſortiantur exitum, alió protrudit, ut quondam per æternum ſuum uerbum (hic Chriſtus eſt) dæmonum legionem à miſero illo qui, ut refert Lucas, in antris ac terræ hiatibus habitabat, in porcorũ gregem protruſit apud Gadarenos. Vana ſunt igitur humana conſilia, de moreq; nutantia, ac ſui diſsimilia: contrà uerò Dei conſilium & propoſitum, ſtabile perſtat, duratq; æternùm. Vnde ſequitur,

Conſilium autem Domini in æternum permanet, cogitationes cordis eius in generationę & generationem.

Euthymij interpres hunc uerſum breuiſsima quidẽ elegantia ſic reddit: Non ſolùm, inquit, quod uult Deus id ſemper permanet, ſed illud etiã, quod cogitat: nam cogitatio diuina perfectũ opus habet. Addit inſuper, nihil aliud eſſe, in generatione & generationẽ, quàm ſimpliciter, ſemper: quo ſanè intelligas decreta diuina nulli temporũ uarietati obnoxia eſſe, aut poſſe unquã diſsipari. Porrò in ſcripturis (quod penè exciderat) gentium nomine idololatras ſignificari, populorum uerò uocabulo Iudæos, iam aliàs admonuimus: quorum omnium cõſilia quàm fœda fuerint atq; iniqua, res clarior eſt q̃ ut eam multis perſequar. Fuit ne unquã ſecundum rationem, aut naturæ quoq; inſtinctũ ac legem excogitatum conſi-

A consiliũ, mutas pro Deo uero ſtatuas, ſaxaq; inertia ac cautes uelle colere? Quid illud (haud certè ſcio ſtultum ne magis an impium appellari debeat) cùm primi illi homines poſt uniuerſale orbis terrarum diluuium ab oriente profecti, conati ſunt turrim ad cœlum uſq; pertingentẽ ſtruere? Vides ne cõſiliorum illorũ quæ abſque Deo ſunt, exitum? Deſcendamus, inquit Dominus, & confundamus linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque uocem proximi ſui. Cogitauerunt quidem conſilia, ut ait ſpiritus, ſed quæ non potuerunt ſtabilire. Iſtiuſmodi igitur hominum conſilia per ætatum ſucceſsiones uti fœda atque à natura ipſa abhorrentia, confundit Deus, ac continuè noſtra quoque ætate perturbat, mirabiliq; ſuæ prouidentiæ conſilio ac nutu intercipit, uanaq; reddit. Malè enim res noſtræ ſe haberent, ſi peruerſorum hominum conatus & conſilia ſineret Deus eò ueſaniæ progredi, quò ab effreni ſua audacia atq; impudentia impelluntur. Nulla profectò in terris eſſet regio ac religio, in qua proborum hominum dolores, cruciatus, perſecutiones, exilia, direptiones ac crudeles mortis ſpecies nõ audirentur. Iam uerò quàm amentia fuerint, ut nunc ſunt, Iudæorum conſilia, quàm turpes motus animi, quàm ſcelerati conatus quibus puriſsimæ Chriſti doctrinæ (ut nihil interim de antiquis illorum in Dei honorem ac cultum iniuriis dicam) ſemper aduerſati ſunt, ſciunt non ſolùm doctiores, uerumetiam imperiti, & ipſi quoq; textores ac lanarij. Cæterum etſi non me clàm eſt, ut dixi, Et reprobat conſilia principum, in Hebræorũ litera non inueniri: aiunt enim in ſuperiori illo hemiſtichio id totum concluſum eſſe, quo legimus, Dominus diſsipat conſilia gentium: tamen ne fruſtra interiectum ab interprete putemus, ſic dici poteſt: Principum nomine non tantum urbium aut regionum dominos denotari in ſcripturis, quantum in cæteris rebus ac diſciplinis magnos & ſapientes: de quibus quidem ſic philoſophatur Paulus, quòd ſapientiam Dei nemo principum huius ſeculi cognouit. Sed priùs quidem non multò antea dixerat: Sapientiam loquimur in-
B ter perfectos, ſapientiam uerò non huius mundi, neque principum huius ſeculi, qui deſtruuntur. Vide, oro, quàm breuiter Paulus rem, de qua loquimur, colligit: Qui deſtruuntur, inquit: quod ſanè non tam de illorum uita intelligi oportet citò deſitura, quàm de illorum conſilijs & conatibus. Quî, quæſo, illorum conſilia æqua eſſe poterunt ac ſancta, cùm ab animo impuro, tetro & iniquo proficiſcantur? Pereat quidem neceſſe eſt quicquid moliuntur homines, quod aut Deo aduerſetur, aut præter Deum fit. Putant nonnulli inter conſilium Dei atque ſententiam illud diſtare, quòd conſilium æternum ſit atque undiq; ſibi conſtans & ſui ſimile: ſententiam autem uariabilem, ac prout hominum merita poſtulant, aut rumpi aut firmari: quod quidem in Niniuitis reſipiſcentibus locum habuit, quibus cùm horrendum illud euerſionis exitium comminatus eſſet Dominus, uiſa poſtea illorum pœnitentia, placatus eſt, ſententiamq; mutauit. Et uidit Deus, inquit Propheta, opera eorum, quia conuerſi ſunt de uia ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, hoc eſt, pœnam quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit. Verùm

Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem ſibi.

Beata gens, inquit Paraphr. quę dominum habet protectorem ſuum: & populus ille felix eſt quẽ Dominus ſibi elegit, ut illum peculiari modo poſsideat. Exclamat hîc uates, beatum illum fore hominũ cœtum, qui ſuperuacaneis omiſsis inquiſitionibus, curioſis ue diſputationibus, fatetur ſimpliciter, mundum æquiſſimo ordine à Deo, quemadmodũ olim factum, ita nunc regi, & prudentiſsimè, ut res cunq; cadant gubernari. Vltra hæc quidem tranſire non debet fidei ſimplicitas: alioqui curioſe nimium imperſcrutabilia Dei iudicia rimari attentans, atq; altè repoſita, omninoq; occulta denudare uelle præſumens, in uaſtiorem, quàm ſit Caucaſus aut Atlas, impinget lapidem. Quòd mundus à Deo ſit factus ſolo dicto, certum eſt: quòd uerò aut quamobrẽ id uel illud in mundo uel agat uel agi permittat, incertum. Tantarũ enim rerum nodos haud Oedipus quidem Sphingis interpres diſſoluere poſſet, ſed ille ſolus qui idcirco res ſuas obſtruſiores

C mortalium arrogantiam latêre uoluit, quò fides, quæ ſperandarũ rerum, non apparentium argumento fulcitur, deuicta mundi huius ſapientia, melius dicerẽ temeritate, gaudeat ac triumphet. Miſsis itaq; rebus hiſce inquirẽdis quę nihil pro ſunt, ut inquit Paulus, beatos illos aſſeueramus homines, quibus ſe Deus tutorem exhibet ſeruatoremq;, ſummũ denicq; ac omne bonum: & quos perinde charos habet, atq; ſolent inter mortales hæreditaria bona chara haberi: quod ſanè non fortuitò aut caſu fit, ſed æterna in Dei mente electione. Elegit enim nos Deus, inquit Paulus, ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati. quaſi dicat, nos idcirco ſancti ſumus, atq; à peccati ſorde immunes, quoniam ad ſanctitatem, mentiſq; candorem & munditiẽ aſciuit nos Deus: alioqui in peccatis concepti, nati altiq;, ac uſq; ad decrepitam ætatem prouecti, quid boni è nobis exire poſſe arbitramur? Obijciatur hîc quidem quamlibet liberũ in rebus agendis arbitrium, id humanæ penè collapſæ non admittunt uires, etſi illud in uoluntate humana habere neſcio quid imperij, & credo & fateor. Verùm ut rebus cæteris maximè ditatus ſis, haudquaquã te felicem dixero, niſi tibi perſuaderi patiaris, diuinos oculos mortalium actiones è cœleſti ſuæ ſanctitatis ſolio contemplari, dijudicareq; ac ſecernere. Vnde magnopere ſe peccare arbitrentur, qui aut in perpetrandis ſceleribus latibula, quò diuinum fallant conſpectum, perquirũt: aut falſa perſuaſione decepti putant mundum fortuitò regi, nec quenquam eſſe qui hæc curet inferiora. Idcirco palàm delicta illa quæ quotidie non abſq; maximo animo dolore, uel in mediis ipſis urbium plateis fieri cernimus, à nonnullis effrontibus perpetrantur. Secus uerò hi agunt qui propter fidei ſyncerítatẽ filij Dei effecti ſunt. Siquidem ut primis iam antea ab ipſis ſpiritus rudimentis edocti fuerunt, ita perſuaſum habent mundi rectionem non caſu eſſe & temerè, ſed ex certa diuinæ mentis ſcientia ac iudicio: quare ne in antris quidem terræ abdi-
D tiſsimis peccare audent, imò uulgò peccantes arguunt, aut ſaltẽ amanter admonent, atq; à propoſita illorum animis turpi illa, ut dixi, perſuaſione, quantũ poſſunt retrahunt. Quòd ſi tamen ob id, uel ob ſimilem aliam rationẽ publicè illos peccantes in ſe prouocauerint, non crucem ſibi imminentem perſecutionũ detrectant, non queruntur, non maledicunt, non par pari in iniurijs licet immeritiſsimè acceptis referũt. Illi enim qui cuncta etiam occultiſsima rimatur ac intuetur, ſuam commendant cauſam. Sciunt quidem quoniam

De cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum. Sciunt, inquam, quoniam,

De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram.

Videtur hîc uates eandem ſententiã repetere: aiunt enim haud inconſultò id à ſpiritu factum, quò non ignoret lector, mala illa quæ mortaliũ oculos fugiunt, Deum non latêre. Cæterum præparatum habitaculum uocat Dauid ſedem tanto numini cõmodam, ac ad contemplanda omnia quæ fiunt, habilem & idoneam. Paraphraſtes autem ſic reddit hunc uerſum: E tabernaculo quod ab omni inquietudine liberum ipſe inhabitat, conſiderauit uniuerſos habitatores terræ. Porrò uerbum, reſpexit, maiorem habet emphaſim in Felicis litera, qui ſic tranſtulit: Et proſpexit omnibus habitatoribus terræ: hoc eſt, prouidit omnibus, atq; illis conſultũ uoluit. Nónne, obſecro, de cœlo ſuis ab æterno proſpexit Deus? hoc eſt, ut inquit Auguſtinus, cùm in filio ſuo proprio decreuit ſalutem omniũ comparatũ iri? Et ut quidem illorum minimè peccata reſpexit aut conſiderauit, ſed ſeipſum tantummodo, humanæ ſe imbecillitati attemperans, factus homo: ita haud ſibi quidem ipſe proſpexit & conſultum uoluit, ſed ſuis ſolummodo quos in profundiſsima errorũ nocte ſtertentes deprehendit. O immenſum diuinæ charitatis argumentũ. Ille enim qui omni æternitate ſuperior eſt, ille qui ſibi undequaq; perfectiſsimus, ſeq; ipſo contentus, immortalis, nulli infortunio aut uarietati obnoxius, ſui ſemper ſimilis, ac nõ ſolùm beatus, uerumetiã ipſa eſt beatitudo, cuiusq; intuitu ac nutu condita omnia contremiſcunt, atq; in nihilum feruntur, reſpexit tandem ſuper omnes habitatores terræ: hoc eſt, terram hanc miſeram, imò miſe-

riarum

A riarum altricem, nõ minus animo atq; affectu incolentes, quàm corpore ac membris hiſce moribundis ac brutis, reſpexit: reſpexit, inquam, eo ſanè oculo atq; proſpectu, quo ſolent parentes filios in aliqua extrema calamitate conſtitutos, aut inter lictorum manus ad ſupplicium pertractos intueri. Certè ſi pater eſt, non niſi immenſo cum dolore atq; animi cruciatu & lachrymis, tam crudele filij ſpectaculum ac tragœdiã intueri poterit. Hos itaq; in Deo cùm ineſſe dicimus affectus, non illius quidem naturam exprimere conamur, ſed noſtræ illum potius indigentiæ ſuccurrere & calamitati denotamus: alioqui in Deo cuncta ſolida ſunt, nullíq; animi ægritudini ſubiecta atq; imbecillitati. Non poterunt igitur omniũ hominum ſecreta Deum latêre,

Qui finxit ſingillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.

Haud ſingillatim quidem, ſed ſimul, uertit Fel. Alius uerò, pariter. Sed Paraphraſt. diffuſius ſuo more: Qui finxit, inquit, ſine ulla exceptione corda omniũ. Quid enim non ſolùm actionum, quæ propalàm fiunt, uerumetiã reconditarum cogitationum ignorare poteſt Deus, qui humani cordis fictor eſt? Scilicet qui plantauit aurem, ut ait uates in alio pſalmo, nõ audiet? aut qui finxit oculum, nõ conſiderat? Senſus igitur: Deus enim, qui non ſecus hominem format, ac ſolet figulus uas fictile, num quidem ignorare poterit, quicquid in homine conditum eſt? Cognoſcit igitur ſupremus ille oculus, atq; perfectiſsimè intelligit, quæcũq; aut cogitant aut operantur homines, quamlibet penitiſsima & occulta. Eant modò qui falſa ſanctitatis ſpecie delectati nihil non agunt, quò rumorem de ſe ſanctum excitent, ac ſibi uendicent. Poteſt'ne homo ad tantũ diuinę ultionis cõtemptum deuenire, ut magis uulgi, rei adeò infirmæ & imbecillis, fauorẽ expetat, ametq;, ac impudentiſsimè uenetur, quàm acutiſsimũ Dei oculum reuereatur? illumq; timeat, cui noſtra æquè occulta nota ſunt, atq; illa quidem quæ media ipſa luce peraguntur? Proinde quot homines uita integerrimos & innocuos, occul-

B tè in occultiſsimas improborum hominum caſſes prolapſos uidi? quot ædes diruí? quot familias excîdi? ne interim de eccleſię bonis per ipſos eccleſię miniſtros tacitè diſtractis, uenditis, atq; (ô mores perditos) in luporum fauces, quò ſuum nonnulli ſarcirent cõmodum, ac nominis labem perpurgarent, proiectis, dicam. Hæc'ne Deum latêre arbitramur, lateãt licet homines? Nónne ipſe eſt qui finxit, formauitq; omnium hominum corda, & propterea intelligit omnia opera eorũ? Satis'ne tibi uiſum eſt, tot mala in Dei ædes cùm inuexeris, tot bona decoxeris, tot ſanctos uiros traduxeris, uenumq; expoſueris, illud pro tectorio uti, NIHIL DICAS? Scilicet Deo ſimul impoſitum eſt cum homine: quanquam ne homini quidem, adeò in nonnullis facinoroſis coniuncta eſt cum peruerſitate ſtoliditas, ut neq; uulgo imponere ſciant, quod potiſsimũ fallere arbitrantur. Diffuſius hæc quidem, quàm putaram: dolor enim eorum quæ cùm hæc ſcribo, fieri uideo, calamum penè ab inſtituto deflexit.

Non ſaluatur rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem, in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur.

Vt oſtendat uates, nihil quod homini ſalutem afferre poteſt, à rebus conditis poſſe expeti, ſed à Deo, res illas in medium adducit quibus maximè in prælio homines confidere ſoliti ſunt. Et notandum illud, quod noſter interpres uertit, Per multam uirtutẽ, Hebræis eſſe, In multitudine exercitus. quare is erit ſenſus, quòd neq; rex ui multa copiarũ, neq; alias uir fortis (uirum enim fortem ac ſtrenuum, gigantem appellat) quamlibet robore, aut equorum numero & fortitudine polleant, parare ſibi ſalutem poterunt ex ſeſe, ſed inualida hæc omnia eſſe abſq; Dei ope & fauore. Nemo quicquam habet, inquit Hieronymus, niſi à Deo: unde nõ potens ut rex, non fortis ut gigas, non diues, qui in equo notatur, conſequetur præmium ex ſua uirtute. Quàm uellem ex animo perpenderent illi qui in domini uinea non parum nauant operæ, ut ſancti tandem euadant, quòd ſicut nec rex per militum multitudinẽ, nec gigas ſeu athleta aut pugil per corporis fortitudi-

C nem, nec equus quidem per uelocitatẽ ſeu robur aut ferociam, in prælio tuti ſunt abſq; diuina uirtute & auxilio: ita nemo ſuis uiribus, ſuo ſtudio, ſuis actionibus, ſuoq; arbitrio ac conatu, ſuam ſibi parare ſalutẽ poterit, abſq; Deo. Fallax equus. Fel. uertit, falſitas equus eſt: uel, mendacium equi ad ſalutem. quod perinde eſt, ac ſi dicat, fallit ſpem ſeſſoris ſeruari per illum ſperantis. Equus, inquit Salomon, inſtruitur ad prælium, ſed dominus ſeruat. Illud enim, ſaluabitur, Hebræis eſt, ſaluabit, ſeſſorẽ ſcilicet. Ne uerò quis diu ſe torqueat in inquirendo confugio, unde pendêre debeat, quando quidem id neq; rex, neq; aliàs princeps, aut miles ſtrenuus & potẽs, neq; equus ipſe etiã bellicoſiſsimus præſtare poſſunt, adijcit uates:

Ecce oculi domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.
Vt eruat à mortẽ animas eorum, & alat eos in famẽ.

Mirũ quàm occulta prouidentię ratione cœleſtis pater ſuos à periculis quamuis immenſis eximat, ſiue ſit bellũ, ſiue latè graſſetur peſtis, ſiue fame laboretur: denicq; quicquid uitæ periculum intentat aut metum incutit, id omne quicquid illud ſit, ab amicis ſuis auertit. Sed hæc ad uitam ſolummodo temperariam: quid uerò cùm mille mortis generibus circunſepta tenetur anima? quid cùm æterni uerbi fame atq; inedia laborat? quid cùm labe aliqua letali ac mortifera peccati ſe afflatã ſentit? num aliud tam certum illi quærendum erit leuamen, quàm Dei? aliquid quidem afferre poteſt ad medelã animæ uel ſacerdos, uel præſul, uel ipſa quoq; bona in homine uoluntas: at morbum penitus euelli conſanęſcereq; ægrotum, diuinę opus eſt benignitatis, nõ humanæ induſtriæ & ſolertię. Vide, te oro, an alius in toto pſalmorum uolumine ſit, qui tam continuè abundéq; diuinam extollat gratiam, quàm is quidem eſt quem nunc præ manibus habemus, & cui quicquid ingenij in nobis eſt, modò ſit aliquid, perlibẽter impendimus. Si enim quæras, quod rerum conditarum fuerit exordium, quæ origo, quis fabricator,
D nónne id fuit uerbum domini? nónne diuina gratia? nónne ultrò Deus nullis noſtris, cùm nondũ eſſemus, meritis prouocatus, Verbo, inquit, cœli firmati ſunt? Quis porrò tam diligit miſericordiam & iudiciũ, ut dominus? Miſericordia certè domini plena eſt terra, atq; adeò quidem plena, ut nihil ſit ſiue in cœlis ſiue in terris, ſiue in ipſis quoq; infernis ſedibus, quod miſericordiã domini ac iudicium non reſonet. Dominus inquam eſt, qui elegit nos in hæreditatem ſibi, qui nos curat, nos reſpicit, nos ſeruat, nos eruit, nos alit. Nuſquam, quod ſciam, in ſcripturis legitur, iſtiuſmodi bona mortalibus contigiſſe ui operum ac ſtudiorũ, uerùm ex mera Dei gratia & uoluntate, quæ nos ad omne bonum prouocat, atq; occultiſsimis quibuſdam excitat inſpirationibus: cuius ſanè gemini oculi, pietatis ſcilicet & prouidentiæ, ſeu mauis miſericordiæ ac iudicij, in ſuos ſemper intenti ſunt, ille quidem ne labantur, hic uerò ut lapſos erigat, & quos tum hîc tum aliàs, timentes Deum, atq; in eius miſericordia ſperantes appellat uates: quoſcq; etſi interdũ membris affligi corporeis ſinit, aut iubet, potioris tamen illorum partis, quæ ſpiritu ac ratione conſtat, & quæ diuini numinis capax eſt, patrocinium ſumit. Vnde cõmodè illud eſt dictum, ut eruat à morte animas eorum. Ad hoc, inquit quidam, ſunt oculi domini ſuper metuentes eum, ut eruat à morte animas eorum, ſi non corpora, & alat eos in fame iuſtitiæ. Quare

Anima noſtra ſuſtinet dominum.

A domino, inquit, anima noſtra, quãta demũ eſt, dependet, qua ratione, quæſo?

Quoniam adiutor & protector noſter eſt.

Id enim inter cætera, quæ noſtra in Deum fiducia gignit, præcipuum eſt, quòd & nos, & noſtra omnia à Deo pendêre uolumus: atq; propterea quæcunque nobis ſunt neceſſaria, à benigniſsima illius manu expectamus. Ideo canit uates, Anima noſtra ſuſtinet dominũ. quod clarius uertit Fel. Anima noſtra expectauit dominum. Idem Paraphr. Ergo quoniam adiutor noſter eſt Deus & protector, anima noſtra ſuſtinet eum quidem in ſpe: ſpes uerò, ut inquit Paulus, non confundit. Impoſsibile nanque eſt animam ſuĩpſius prorſus oblitam, hoc

eſt,

A eſt, proprio amore exutam, in Deuḿq; penitus per amorem euectam, ſuis in ſup
plicationibus reiſci, atq; proinde confundi: angitur enim potius quàm frangi-
tur, ſuſtinet, tolerat, Deiq; moram ac tarditatem quodammodo portat humeris,
donec tandem exoret quæcunq; antea rogauerat. Ex qua quidem ſufferentia il-
lud in primis naſci ſolet, quod adiícit uates:

Quoniam in eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperauimus.

Videtur hæc ſumma eſſe totius felicitatis, quæ in hoc mundo, alioqui per ſe in
felici & ærumnoſo, haberi poteſt, gaudium ſcilicet internum, quod in ſpiritu ſan
cto ſitum eſſe ſcribit Paulus, ob pacatam nimirum cum Deo conſcientiam: quod
quidem ex eo fit, cùm non ſolùm ſe ſentit anima ab antiqua uitiorum ſorde puri-
ficatam, uerumetiam eò perfectionis aſcendiſſe, ut nihil iam in terris amare aut
expetere poſsit, quod aut Deus non ſit, aut ad Deum dirigat. Exuberantiam au-
tem illam diuitiarum & uoluptatum, qua ſe homo felicem arbitratur, felicitatem
appellare non audeo, cùm fieri nequaquam poſsit cor huiuſmodi affectuum le-
nocinijs non continenter perturbari, ſexcentisq; curarum morſibus non diſcer-
pi, propterea beatum non eſſe, cùm beatitudo ſeu felicitas, ut dixi, in eo maximè
conſiſtat, ut conſcientia prorſus tranquilla ſit, atque cum cæteris animæ partibus
conſentiat. Sufferendus eſt igitur dominus, quoniam auxilium noſtrum, ut uer-
tit Fel. & ſcutum noſtrum ipſe: quoniam in eo, non in nobis, ubi ſumma eſt ino-
pia & miſeria, lætabitur cor noſtrum: quoniam in nomine ſancto eius, hoc eſt, in
ipſo (nam ipſe eſt nomen ſuum) ſperauimus, nõ in rebus hiſce uitreis & caducis.
An uerò lætitia illa, quam è ſedatis animi motibus atq; affectibus oriri dicimus,
in anima mundanarum rerum curis diſtenta queat inueniri, illorum ſit iudicium,
qui mundi illecebris deliniti, in adipiſcendo ſcorto aut agro, aut gradu etiam &
magiſtratu, toti die noctuq; immoriuntur. Ambitionis enim ea uis eſt ac libidi-
nis, ut illum qui huiuſmodi laborat morbo, pallidum, planeq; deformatum, ac,
B ut ſic melius illius depingam effigiem, cadaueroſum reddat. Sic cæteri quoq; ani
mi affectus, quibus mens hominis ardentius inordinateq; agitatur atq; impelli-
tur, præ ſe ferunt faciem ac formam. Hi ut lubet, nos uerò interim in nomine ſan-
cto eius ſperauimus.

Fiat miſericordia tua domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.

Sic fiat, inquit, ut nos ſperauimus: ſperauimus autem quãmaximè, maxima ſit
itaq; & tua miſericordia. Sit, inquã, quemadmodum expectauimus, præterea ni-
hil. Atqui illorũ placet admodum cõiectura, qui à ſpiritu admoniti putãt hîc ua-
tem aduentũ filij Dei in carnem præuidiſſe, in quem nimirũ tanquã ultimum no
dum atq; annulũ, tota uirtutũ catena, gratiarumq; cumulus ac moles erat deſitu-
ra. A circunferentia enim ſphæræ ad punctũ ſeu centrũ paſsim reducuntur lineæ,
ab eoq; exeunt ad circunferentiã. Sic Chriſtus omniũ caput, uniuerſalis rerũ ma-
chinæ ueluti in meditullio poſitus eſt: ab eo enim tanq; è perenni fonte gratiarũ
omniũ riui demanant. Nec aliunde quidem unaquæq; res, ſiue rationis expers ſit
ſiue capax, atq; intellectu prædita, formã ſubſiſtendi, aut benè ſancteq; uiuendi
ſumere poteſt, niſi à Chriſto, in quẽ ſanè res omnes deriuantur, quemadmodũ ab
ipſius bonitate & miſericordia, ueluti ab æternis, ut aiunt, idæis, olim extractæ
fuere, cõtinueq; extrahuntur. Miſericordia igitur is nodus eſt, ad quẽ uirtutũ o-
mniũ ac gratiarũ capita referuntur, & id quidẽ in Chriſto, qui ad nos à patre dele
gatus, nos, dico, in infinitis reatibus deprehenſos, atq; propterea capite mulctan
dos, puriſsimã ſui corporis tabellam ſecũ tulit, aut potius in caſtiſsimis uirginei
uteri penetralibus formauit, in qua id ſolum ſcriptum erat, GRATIA ET MI-
SERICORDIA. Quid dulcius, oro, audiri unquã potuit? Quod magis morta
lium ægritudini cõueniens antidotũ admoueri debuit? Verùm nos miſeros, qui
ſub tam ſalubri medela grauius ægrotamus, illud in primis curantes, quonam
modo noſtram leuemus noſtra opera ægritudinẽ: uolumusq; laborioſiſsimo, ne-
ſcio quo, actionũ noſtrarum ſudori referre id acceptum, aut arbitrio quoq; huma
no, quod ſimplici debetur gratiæ & miſericordiæ. Bonæ enim operationes ideo

C bonæ ſunt, quia à gratia habent quòd bonæ ſunt. alioqui temeritas illa qua quis operoſus partim quidem gratiæ, partim ſibiipſi tribuit illarum actionũ, quæ bonæ uidentur, id ſanè efficit, ut illa actio quæ in ſe bona eſt, permiſtione propriĩ amoris, ac corruptæ uoluntatis, mala euadat. Num cenſes à corde humano prodire iam poſſe aliquid, quod prauum non ſit & turpe? adiutũ tamen à gratia, ſeu potius formatũ, rectum efficitur ac ſanctum. Cùm enim uideo nonnullos interdum adeò ſæuè atq; immoderatè de gratia & arbitrio diſputare, ut uerè illos abſq; gratia eſſe, quæ modeſtiſsima eſt, atq; arbitrio, quod donum Dei eſt, aſſeuerare poſſim, illud mihi ſtatim occurrit ſpectaculum Ioannis, ut hinc ſit ille qui arbitrĩj partes tueatur, illinc qui gratiæ. Diues ſum (ait arbitrĩj fautor & poſſeſſor) & locupletatus, & nullius egeo. Cui gratia: Neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus? Vis'ne affatim locupletari? Eme à me aurum ignitũ, probatumq;, ut locuples fias, & ueſtimentis albis induaris, ut non appareat confuſio nuditatis tuæ: & collyrio inunge oculos tuos, ut uideas. Satis quidem compendioſe inter gratiam & arbitrium contentionem hîc à ſpiritu expreſſam arbitror. Iam uerò illud non prætereundũ, quomodo hîc uates uideri uult ſibi perſuaſum eſſe ex noſtra in Deũ fiducia ac ſpe, tantundem miſericordiæ nobis diuinæ prouenire. quòd ſi illa quidem tenuis eſt, hæc ſimul & tenuis, & paruí momenti. Si uerò fortis illa fuerit ac magna, hæc eodem modo abundans & copioſa, ut uerè illud Cypriani uiri ſanè doctiſsimi, & in ſpiritus doctrina tam muſicè enutriti, quàm quis alius: Deum ſcilicet eum nobis eſſe, qualem credimus: ſi ſeuerum illum nobis effingimus & immitem, ſeuerum ſe nobis & immitem præſtabit: ſi pium, pium: ſi mitem, mitem. Prò diuinam erga homines facilitatem. Quare tum animo, tum ipſo quoq; corpore nobis contendendum erit, ut quanto maximo poſſumus conatu, in Dei bonitate ſperemus, illiq; quicquid accidat, fidamus, quò tandem illius fiat ſuper nos, ut ait uates, miſericordia, quemadmodũ ſpe ea
D nitimur, quam ex illius dono ac clementia nacti ſumus. Cui laus ſit æterna in ſecula ſeculorum, Amen.

PSALMVS DAVID CVM IMMVTAVIT VVLTVM *ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum, & abijt.*

XXXIIII.

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.

Refert magnus Baſilius, atq; ſubinde cæteri diuinæ legis interpretes, Abimelech cõmune fuiſſe nomen regibus omnibus Palæſtinorũ, quemadmodũ apud Aegyptios, Pharaones. Nomen autem propriũ regis iſtius, quo coram uultum immutauit Dauid, Achiſh fuit, cuius regia Geth, olim Gerata nuncupata. Ad hunc igitur regem, Dauid à facie Saul expulſus confugit, putans ſe tutum fore. Verùm à ſeruis regis cognitus furioſum ſe ſimulauit, ne ob inuidiam interficeretur. Audierat enim ab aulicis inſuſurrari, nunquid nõ iſte eſt Dauid rex terræ? Quocirca extimuit ualde, ut ſacra refert hiſtoria, & immutauit os ſuum coram Achiſh, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in oſtia portæ, defluebantq; ſaliuæ eius in barbam. Quo quidem ſpectaculo uiſo, iuſsit rex illum ſic ſimulantem eiici, neq; amplius introduci. Quare eiectus, & à periculo tutus, hanc uerè diuinam compoſuit odam, in qua Dei erga ſe bonitatem maximo animi feruore prædicat, aliosq; ad idem faciendum hortatur. Iam illud quod noſter interpres in titulo tranſtulit, uultũ, ſeu os, Hebræis eſt, ſententiam, intellectum, iudicium, guſtum quoq;: nam qui ſe amentem fingit, tum uultum ipſum, tum intellectum immutare uidetur. Et quod guſtum uertit Fel. illud fortè conſiderauit, quòd ratio id ſit menti, quod guſtus corpori: & eſt perinde ac ſi uertiſſet, dum mutaret rationem. Et hæc quantũ ad tituli interpretationẽ attinet, ſint dicta: niſi fortè quis altius rem contemplans, myſterium aliud occultius quàm ſit nuda ipſa hiſtoria, inquirendum eſſe cogitet. Chriſtus igitur is eſt, qui in titu-

A in titulo pſalmi, ſimul & in pſalmo ipſo quoque ſecretè latet. Nónne is tibi uiſus eſt uultũ illum maieſtatis pleniſsimũ, in quo contemplando totius noſtræ beatitudinis ſumma poſita eſt, mutare uoluiſſe, cum formã ſerui accipiẽs factus eſt homo omnium hominũ deſpectiſsimus? Quid cruentos illos ſanguinis riuulos ab ipſis cerebri penetralibus ui ſpinarũ crudeliſsima erutos, perq; os illud uenerandum ac pectus decurrentes memorem? Quid ſputa illa fœdiſsima tanto opprobrio, tantaq; deriſione in cœleſtẽ illam faciem coniecta dicam? Vídésne uultum Dauidis immutatũ? Vis ne etiã audire quomodo illum ſpreuit Abimelech, & dimiſit à ſe? Spreuit Ieſum (inquit Lucas) Herodes cum exercitu ſuo, & dimiſit ad Pilatum. Saxa, credo, parietum uiſo tunc tetro illo ſpectaculo & tragœdia, in lachrymas reſoluta ſunt. Heu corda pluſquàm ærea Iudæorũ: uideor enim uidere pallidam illam Ieſu faciem, ac moribundã, ab ipſis rupibus ſiccisq; cautibus & ſilicibus lachrymas excuſsiſſe: ſolus ille, qui ſemper dilectus eſt nuncupatus filius, neq; aliter à Deo & fotus & nutritus, q̃ ſolent teneri infantes à tenera matre & foueri & enutriri: ſolus, inquam, ille fera omni crudelior, ac ſaxo durior, tam miſerandum ſpectaculũ ſui conditoris, abſq; lachrymis, nedum cernere, ſed propriis manibus conficere eſt auſus. Nónne rurſum diſsimulauit uultum, alia'mue prę ſe tulit faciem, mutauit conſiliũ, ut ſic dicamus, & rationẽ, quando diuinã ſuam naturam corporea hac mole ac forma cõtexit? Etenim cùm immortalis eſſet, incorruptibilis, inuiſibilis, rebusq; omnibus locupletiſsimus, factus eſt ultrò mortalis, uiſibilis, omnium pauperrimus, ac tandem, ueluti corruptum cadauer, tumulo mandatus, quanq; corruptioni obnoxius fuit nulli. Superatis itaq; tot rerũ monſtris, atq; in priſtinam redacta deintegro formam facie illa diuina, in quam tanq; in totius beatitatis obiectũ, cœleſtes cupiunt proſpicere animi, cõpoſuit hanc amoris odam filius Dei Chriſtus Ieſus, eamq; ſuos edocuit, & ſic cecinit: Benedi-
B cam dominũ in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Nullũ tam euidens noſtræ fidei in Deum poteſt eſſe argumentũ, quàm cùm ipſum uultu eodem, atque eadem mentis tranquillitate laudamus, illiq; gratias habemus, ſiue proſpera ſunt quæ accidunt, ſiue aduerſa. Nimium enim is tener eſt, ac delicatus, qui in ſecundo rerũ ſuarũ euentu laudat Deum, in contrario uerò blaſphemat, aut ſaltem ingemiſcit, & lamentatur. Et ſicut quidẽ carnis mollitudinẽ ſuas in nobis partes exequi permittimus, ita infractũ animũ, inconcuſſumq; ac ſui ſemper ſimilem, in uiro cœleſtibus diſciplinis mancipato requirimus. Alioqui illud in primis cõtingere eſt neceſſarium, quòd mens humana continuis exagitetur curis & permotionibus, hisq; diuerſis & uariis, cùm diuerſa, planeq; inconſtantia ac uaria, etiã ſub unius horulæ momentũ accidere penè omnia cõſpiciamus. Quare danda erit opera, ut in uno perſtet immobilis tenaxq; propoſiti iam in Deo concepti tenore: qui Deus ut ea maximè omnia, quæ corruptioni debita ſunt, auerſatur, ita præ cæteris inconſtantẽ nutantemq; animũ faſtidit & execratur. Laudandus eſt igitur ſemper Deus, quoquouerſum ſe ſors uertat humana, & fortuna. Benedictus dominus, aiebant paſtores illi in uate quodã, quòd diuites facti ſumus. Censes ne tam molles paſtores in ſegetũ populatione, aut gregum inedia & morte, eaſdem laudis diuinæ notas potuiſſe occinere? Quotus enim quiſq; eſt, etiam ex his qui mundo abiecto, cœlum iam manibus attigiſſe uideri uolunt, qui nõ ſummopere doleat, excrucieturq; animi, ſi aut Padus ruptis aggeribus ſata inundauerit, aut Syrio ardentiori afflatæ uites exuſtæ fuerint, uel imbre è nimio luxuriantes uim omnẽ uuarũ in pampinos, frequenté ſue clauiculos deriuauerint? Quàm uereor ne cõmodis incommodisq; rerum harum inferiorũ, diuinam erga nos metiamur beneuolentiam: cùm ignorare tamẽ non debeamus, cœleſtem patrẽ ſuos ſub flagris ac uerberibus erudire ſolitũ, non delitijs fouere. Quomodo igit̃ cunq; res contingant, uir ſpiritualibus aſſuetus delitijs, cum Chriſto, quem in omnibus ſequi debet, ex animo dicat, Benedictus dominus in omni tempore, ſiue nubilũ id ſit, ſiue ſerenũ. Semper laus eius in ore meo. Sint mihi ubertim diuitiæ, ſit peculiũ, ſint numeroſi greges, ſint liberi, ſint honores, ſemper laus eius in ore meo.

C Sint contrà inedia, fames, ærumna, paupertas, languor, morbus, ac tandem filiorum orbitas, ſemper laus eius in ore meo. Itaq; abſurdiſsimũ illud quidem, minimeq; ferendũ in Chriſtiano uiro, quod à Cicerone prolatũ legimus: Bonum, inquit, liberi, miſera orbitas: bonum patria, miſerũ exilium: bonum ualetudo, miſerum morbus: cùm apud nos nihil malũ, aut miſerũ exiſtimari debeat, præter peccatũ: hoc excluſo, neſcio ſanè quid mali nomine uocari debeat, ac poſsit. Igitur

In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti, & lætentur.

Deuictis, inquit, tentationibus, non mihi quidem laudem, meis'q; uiribus ac ſtudijs arrogabo, ſed Dei miſericordiæ illud totum feram acceptũ. Fas enim eſt, ut illi qui uim ad ſuperandos hoſtes ſuppeditauit, laudũ magnitudo debeatur. In domino gloriabitur anima mea, legunt Hebræi, uel de domino: ut ſit ſenſus, Totis animæ affectib. de domino, de'q; eius bonitate gloriabor. & eſt ferè idẽ, quod nonnulli uertunt, Laudat anima mea dominũ: nam de domino gloriari nihil aliud eſſe arbitror, quàm laudes eius, maximo quantũ poſsis affectu, prædicare. Audiant hæc itaq; omnia manſueti, & lætentur. Vide grati animi argumentum. Non poſſunt quidem non ſupremũ in modum lætitia affici mites ac manſueti, ſimulac audiũt ſuæ ſortis homines à Deo in afflictionibus non deſeri, atq; propterea diuinum nomen ad cœlum uſq; efferre. Porrò manſuetos uocat illos, qui crudi libentius ſeſe ſubmittunt, quàm cuiuis eminentiſsimo principi aut regi: etſi nõ me clam eſt, à nonnullis manſuetudinẽ, uirtutem eam dici qua quis facilè, natura duce, iræ ardorem temperat & extinguit: uerùm manſuetudo etiam lenitas eſt, ac quædam cum aptitudine morum iuncta facilitas. Fel. tamen uertit, humiles: alius uerò, oppreſſos. Quare ſic reddit Paraphr. In laudando domino occupata erit anima mea, ut audiant qui aduerſa patiuntur, & recreentur. Vnde à quodam pſalmorũ interprete admonetur lector his fermè uerbis: Nunq; pſalmum hunc
D intelliges, niſi graui tribulatione per Deum liberatus: tũc laudabis Dei benignitatem, & dulcedinem miſericordiæ eius. An uerò noſtra quoq; ætate oblata nobis ſit propter aduerſitatũ frequentiam, occaſio laudandi Deum, equidem non ignorare poſſum: licet interdũ adeò extra me in dignioribus curis occupatus fiã, ut uix me eſſe hominem ſentiam: ſentio tamen tunc demum, cùm proborũ in rebus gerendis modeſtiã, lenitatemq; animi à nonnullis uideo ſuſpectam haberi. Illi, ut ſuus eſt mos, agant: ego uerò interim uel uſq; ad raucedinem clamabo, Audite, audite manſueti, & lætamini:

Magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.

Non mirũ enim ſi quis diuino numine afflatus, non ſolùm ipſe propter incredibilẽ, q; in ſe ſentit, cœleſtis perfuſionis lucẽ, lætitia geſtiat, uerumetiã alios ad idẽ mentis tripudiũ prouocat, cùm cauſam mox, quamobrẽ lætari debeãt, infert:

Exquiſiui dominum & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Ne quid ſibi uelit illud, Magnificate dominũ mecum, diutius quæras, breuibus id exprimit Paraphr. Laudibus, inquit, quantũ poteſtis maximis, efferte dominũ, extollamus nomen illius unà omnes. Ex qua quidem interpretatione admoniti, cenſemus nihil aliud eſſe dominũ à nobis magnificari, q; eo noſtro illum laudari propoſito, quo apud omnes, quemadmodum in ſeipſo maximus eſt, ſupraq; omnem magnitudinẽ infinitè excelſus, ita magnus exiſtimetur, colaturq; paſsim ab omnib. Cæterũ, in idipſum, Hebræis eſt, unà, ſimul, pariter: & eſt ſenſus: Non uos pudeat pigeatq;, ô mites, ô à mundo deſpecti & oppreſsi, tam bonũ principẽ unà mecũ, qui toties uim illius bonitatis expertus ſum, laudare magnificareq;, atq; eius nomen, quanto ualetis conatu, extollere: nam & ego quidem in tribulationẽ grauiſsimã ſæpenumero prolapſus, illum mihi ſemper quærendum eſſe duxi. Nec ſanè id quidem fruſtra: nam me actutũ ab oppreſsionũ mole leuauit, non ſecusq; extraxit, ac ſolent matres tenellos filios à periculo aliquo imminenti exterrefactos. Sic Fel. Ex omnibus trepidationibus meis eripuit me.

Accedite igitur ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.

Cùm

A Cùm hæc & ſimilia nimirum lego, uideor mihi uidere mortalium animos in caligine errorum denſiſsima æquè uerſari, atq; hi conſueſcunt, qui labyrinthum aliquē ingreſsi, hoc magis in ſinuoſis illis gyris horſum ſurſum implicantur, quo ex ſeſe abſq; lumine aut filo, tam confuſas uiarum ambages egredi nituntur. Labyrinthus enim uita hæc eſt: Chriſtus uerò ſolus, ne lumen aliud imagineris, fax ac lampas: fili autem glomus, fides: qua quidem noſtrarum operationum dexteræ unita ac colligata, præuio ſemper Chriſto, non labyrinthum iam quendam, ſed profundiſsimam errorum noctem illæſi ſuperamus. Acceſſerunt enim antiqui illi patres olim ad Moſen, ad iudices, ad Prophetas: uerùm ex his quis unquā ſe lucem eſſe teſtatus eſt, quemadmodū Dei filius, qui in Ioannis Euangelio clamat, Ego ſum lux mundi? Nónne de uiro illo ſanctiſsimo, quo nemo unquam è natis mulierum ſurrexit maior, ſacer refert ſcriba, quòd non erat ille lux? Lux itaque Chriſtus ſolus eſt, cuius beneficio non tantùm corpora hæc inferiora & uiuunt, & incrementum ſumunt, quantum mortalium animi, quorum lumen proprium ac uita, ipſe eſt: quo abſente, non ſolùm tenebroſo cuidam mortis generi ſunt obnoxij, uerumetiam nihil omnino ſunt. Omiſsis itaq; rebus cæteris, quæ aut carent lumine, aut falſum illud quidem pollicentur, ut ſunt cogitationes illę, aut opera quoq;, quæ ab humana ſolummodo proficiſcuntur ratione ac uoluntate, accedite ad eum, & illuminamini. Ipſum, ipſum adite: ipſe enim eſt, non alius quiſpiam, qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. In ipſo uita eſt, lux, pax, & omne bonum: in cæteris uerò tenebræ, nox, mors, atq; omne malum. Haud ſanè uerendum, ut in tam ſancta de obtinendo Chriſti lumine fiducia repulſam patiamur (ſic enim interpretantur, Et facies ueſtræ non confundentur) quin potius illud timendum, ne noſtra timiditate, puſillitate'ue animi offenſus, radios illos ſuos bonitatis, alioquin omnibus ex æquo patulos, ſubtrahat:
B quos illis tantummodo perpetuo quodam influxu exerere ſolitus eſt, qui idcirco tam beatiſsima luce perfunduntur, quòd illam abſq; hæſitatione & rogant, & iam ſe, propter ſpem certam, exoraſſe certò ſciunt. Quare illa non paruipenda eſt Pauli adhortatio, qua nos admonet, ut cum fiducia accedamus ad thronū gloriæ eius. Fel. tamen hunc uerſum ſic legit: Reſpexerunt ad eum, & cucurrerunt, ſiue illuſtrati ſunt. quod quidem duplici ſenſu niti uidetur: altero quo Ad eum, ad ipſum referatur Deum: altero uerò ad ſeſe. Prima quidem interpretatio concinna admodū uidetur, atq; apta ad ea quæ dicta ſunt: ut ſic uates, qui, ſimul ut dixit diuinos oculos ad ſuas reſpexiſſe calamitates, breui ueluti concluſione rem nectat hoc ferè modo. Poſtquam me in miſerijs adiutum, atq; adeò ab infinitis periculis tum animæ, tum corporis ereptum à Deo audierunt, reſpexerunt illicò ad eum, ac facto uelut agmine certatim cucurrerunt: uel reſpicient, ut uertit Fel. & accurrent, ſimili modo ſe, ſuaq; omnia Dei fidei committentes. Si uerò ad ipſum uatem illud referas, ut nonnullos referre uideo, ob illa quæ ſequuntur, is erit ſenſus, tanquam uates de ſe dicens, alium introducat: quod genus locutionis nonnunquam, etſi non frequenter, in ſcriptura legis diuinæ poſitum cernimus. Aſpicient, inquit, homines illum, hoc eſt, me, atq; admirabundi conſiderabunt, accurrentq; tanquam magnum quoddam uiſuri: nec quidem pudefient, uti hi ſolent, qui uiſa re illa, ad quam tanto ſtudio contenderant, illuſi reuertuntur, quippe quòd non ea uis rei illi inerat, quam prius animo conceperant. Cernebant enim uatem afflictum, deſpectum, irriſum, oppreſſum, à propriis laribus, à patria, à ſinu denicq; ciuium eiectum, tam ſubito fauore erectum. Vnde ſtupentes hæc inter ſe,

Iſte pauper clamauit, & dominus exaudiuit eū, ex omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.

O immenſam, aiunt, diuinæ beneficentiæ largitatem. Iſte profugus, miſer, proſcriptus, ab omnibus contemptus & eiectus, tam Deo charus eſt, ut cùm primū eius opem implorauerit, ſtatim adiutus ſit, atq; à tribulationibus illis tam ſæuis, tam immanibus, tam humanæ uirtuti imparibus, ereptus. Quis hæc grandia non fateatur, ac ſtuporis pleniſsima? Audi & miraculo propiora:

C *Immittit angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.*

Solet enim diuina bonitas ſuos ita in ærumnis ac laboribus illis, quibus tota hæc uita referta eſt, & tutari, & illæſos reddere: ut penè nihil aliud cogitare uidea tur, quàm ut illos in eo rerum culmine ſtatuat, quò conſpicui mundo, dij magis quàm homines reputentur: quæ quidem felicitas non ocioſis, aut in rebus huius mundi occupatis contingere unquam potuit, uerùm deſudantibus, atq; à iuſti tiæ ſemita ne paſſum quidem deflectentibus. Sunt & qui etiam (exemplo, ut a iunt, Dei, cui ſui maximæ, ut dixi, ſunt curæ) nihil omittunt, quo ſuos conſangui neos, licet ineptos, aut affines, aut ſaltem eiuſdem patriæ homines ſummopere extollant, atq; inter primos ciuitatis collocent, ut ferè inſanire uideantur, ſi quod quærunt non aſſequuntur. Atqui forſan id ſuperbiæ atq; ambitionis in rebuſpu blicis atq; urbium magiſtratibus tolerari poſſet, utpote in huius mundi gloria ac faſtu uerſantibus, atque ad eum certatim omnibus accurrentibus, paſsimq; con ſpirantibus: at in templis id uirus, templorumq; prouentibus & honoribus inue niri, quorum honor ac gloria ea tandem eſſe debet, ut unuſquiſq; paruo minimoq; contentus, nihil in terris magnum, nihilú e glorioſum arbitretur, niſi mundo inglorium eſſe, ac omnium abiectiſsimum, quis bonus æquo ferat animo, & potiſsimum cùm nulla uitæ aut doctrinæ habeatur ratio, ſed illa tantummodo, quòd conſanguinei ſunt, eiuſdemq; regionis incolæ? Nemo unquam, inquiunt, carnẽ ſuam odio habuit. Infeliciſsimũ profectò carnis genus, atq; ab animo pror ſus amputandum, illorum præſertim qui idcirco in templis ac clauſtris uitam de gunt à uulgo remotam, ut trãquillius res ſuas cum Deo, qui in puriſsimis ſolum modo, ac penitus à turbis ſemotis animis habitat, pertractent, non ut carnem il lam ſuam, turpiſsimo omnium exemplo, & foueant, & reclamante quoq; natu ra, in altum euehant. Sed ad Pſalmum. Diuus Hieronymus ex Hebræo ſic red dit hunc uerſum: Circundat angelus domini in gyro timentes eum. Fel. uerò ſic:

D Moratur, ſiue caſtrametatur angelus domini in circuitu timentiũ eum. Sumpta enim occaſione uates à ſua liberatione, ut in pſalmi titulo eſt dictum, fidiſsimam angelorum circa homines cuſtodiam celebrat, & ait, quòd dominus adeò erga ſuos uigilans cuſtos eſt ac inſomnis, ut uelit etiam uniuſcuiuſq; angelum ad ſui, ut ſic dicam, clientis tutelam caſtra circumponi, ne uidelicet ab inimicorum ca ſtris hinc inde circunfuſis lædatur. Quòd uerò noſter interpres tranſtulit è græ co, Immittit, Septuaginta tranſtulerunt, Irruet, quòd eadem dictio Græcis ſit, im mittere, irruere, inuadere, iniȷcere: utraq; tamen uerſio obſcurior. quanquam nõ me præterit, immittit, à nonnullis ita interpretari, quòd angelus tanquam mini ſter, diuini fauoris influxũ, in electorum cuſtodiam immittit. Quòd ſi porrò, qui ſint electi, à tardioribus ingeniȷs ignorari dicuntur, addit uates, quòd hi ſunt, qui timent dominum. Si rurſus, unde iſtiuſmodi timore affecti queant cognoſci, in terrogor: reſpondeo, à præceptorum Dei obedientia, Vbi (inquit lex ſacra) eſt timor, ibi etiam mandatorũ obſeruatio. Ergo in obtemperando diuinis iuſsioni bus, is facilè dignoſci poteſt, qui in electorum numerũ aſcitus ſit: alioqui in uia ſtertentes fidei, ac in media ipſa luce hallucinantes, præ ſe abſq; dubio ferunt, ab electione Dei æterna excluſos eſſe, atq; propterea tutiſsimis angelorum caſtris haudquaquam muniendos. Verùm ut non ſit alia cœleſtium ſpirituum cuſtodia ac defenſio, aut aliæ quoq; pro tutandis electis excubiæ, num ille quidẽ qui ma gni conſilij angelus appellatur, cum ſuis caſtris, ſuaq; tutela deeſſe poterit? Non deerit certè, quandoquidem ſe nobiſcum fore uſq; ad conſummationẽ ſeculi pol licitus eſt. O fidam ſupra humanum atq; angelicum præſidium, cuſtodiam. Vult tamen dux noſter ipſe omnipotentiſsimus, & imperator, ſuos ſecum ad noſtri tu telam & defenſionem habere exercitus, ne ullo prætextu, ullóue pallio noſtram poſsimus obtegere ignauiam, querentes nos eſſe indefenſos & derelictos. Olim enim obſeſſa ciuitate Dothan per regẽ Syriæ, in qua erat Eliſæus, uiſus eſt mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſæi, quæ quidem uiſio ni hil aliud præ ſe tulit, quàm adminiſtratorios illos ſpiritus (ſic eos uocat Apoſto lus)

A lus) continuis nobis affuturos ſubſidijs. Quid item illud, quod in Exodi libro legimus? Præcedet te, inquit dominus ad populũ Iudæorũ, angelus meus, & introducet te ad Amorræum, & Ethæum, & Pherezæũ, Cananæũq́, & Euæum, & Iebuſæum, quos ego conteram. Hi ſunt enim populi terræ, populo illi à Deo promiſſæ. Verùm priuſquam angeli cuſtodiã populo ſpopondiſſet, præceptorũ illi aceruum condiderat, addideratq́, ſe illi ſemper affuturum, tantùm omnia, quę ei locutus fuerat, non contemneret, ſed diligentiſsimè ſeruaret. Ecce mittam angelum meum, inquit, qui pręcedat te, & cuſtodiat ſemper in uia, & introducat in locum quem præparaui tibi. In obſequendo igitur mãdatis diuinis, huiuſmodi cœleſtium animorum tutelam atq; opem merentur electi, ne nobis naturalem quandam puriſsimis illis miniſtris conſuetudinem, qua nobis uelint nolint deuincti ſint, ſomniemus. Vos interim

Guſtate & uidete, quoniam ſuauis eſt dominus.

Quàm ueriſsimũ illud quidem eſt, diuina ſcilicet beneficia non ſolùm eſſe conſideranda meditandaq́, & ob oculos ſedulò retinenda, uerumetiã ſpiritus palato deguſtanda, atq; in cor traijcienda. Idcirco uates cõmemorata angelorum uigilantia erga homines, ac cuſtodia, dono utiq; ſublimi & diuino, datoris bonitatem, ſuauiſsimamq́ illius naturã ac facilitatẽ in ſuos nobis offert, non ſolùm quidem animo pertractandam, uerumetiam deguſtandã. Nam Dei munera, quæ nunquam deſunt mortalibus, nemo tam ſceleſtus eſt & impius, qui non interdũ uoluat animo, ac cogitet à Deo eſſe: uerùm illorũ guſtus & ſuauitas ad illos tantùm pertinet, qui nihil aliud in terris iam expetunt & amant, præter Deum: hi electi ſanctiq; uocantur & ſunt, cæteri uerò etiamnũ dubij, ut ſunt fermè omnes quos noſtra hac ætate, fœdo omnium exemplo, cernimus pede altero inter religioſos cœtus manere, altero uerò terrenis negocijs ac quæſtubus fixos eſſe & oc
B cupatos: raro enim hi guſtant, quàm ſuauis ſit dominus, quàm bonus (ut uertit Fel.) quàm benignus, quàm ſuper mel & fauum dulcis. Duos quidem pedes, hoc eſt, omnes animæ affectus, non illos aut illos, à nobis exigit puriſsimum atque adeo ſimpliciſsimum illud nomen. Quare id ſummopere cauendũ, ne dum hinc à mundi amore pellecti, ab infinitis terrenarum rerum curis impetimur, illinc à memoria pollicitationum Deo per nos factarum urgemur, ancipiti progrediamur paſſu, atq; illi faueamus parti, quæ modis omnibus à nobis eſt extirpanda. Vis uno uerbo rem totam concludi? Vult totum hominem Deus, uult animum, uult cor, uult ſpiritũ, uult omnes animæ affectus, uult corpus denique ipſum brutum. Cæterũ guſtus ad uoluntatẽ ſeu amorem attinet, uiſio autem ad intellectũ: in quibus ſanè rebus tota animæ beatitudo poſita eſt. Vtra uerò potior ſit, in hac uita maximè, fateor me neſcire. quanquã ſcio ſtatim quoſdã mihi reſponſuros, ſatis illud tritum, quòd non poſſumus amare incognita. Sed noſtrum id nõ erat inſtitutum. Illud tamen unum me ignorare haud dicam, totam uim Euangelij, in qua tanquam in ſpeculo noſtram cõtemplamur beatitudinẽ, à carcere, ut aiunt, ad metam, illam in primis auream reſonare dictionem, AMOR. Porrò ſi primam rerum originem reſpecto, ſi cœlum, ſi terram atq; eius ornatũ ac cultum intueor, ſi diuinum de recuperandis hominibus in Deo conſilium, ſi eius filij ad id negocium delegati aduentum, natiuitatem, miracula, ac demum ærumnas crucemq́ conſidero, uidentur hæc mihi omnia ſub una hac tantummodo dictione conclu di, AMOR. Ad hæc, quid aliud totius Legis, prophetarumq́ omnium ſummam, qua beati efficimur, in unum colligit nodum, niſi AMOR? qui quidem non tantum ab anxia diuinæ naturæ perueſtigatione, & quæ in terris ferè eſt nulla, cognitione, oriri ſolet, quantum à ſimplici in Deo ſpe ac fiducia. quinimò duę hæ optimę in anima partes adeò ſimul cohærent, & indiſſolubili connectunt uinculo, ut una ſine altera eſſe omnino nequeat. Nõ parũ enim (meum iudiciũ ſimpliciter profero) religioni noſtræ decederet, ſi è cognitionis magnitudine, quæ tenuiſsima eſt, noſtrũ in Deum amorẽ metiremur, qui immenſus eſſe debet, cùm diuinarũ rerũ notioni quidam ſit in terris præſcriptus finis & modus, ultra quem

C uelle progredi nefas eſſet: amori uerò nullus præfixus ſit terminus ac modus. Vn de quidam ex ſanctioribus noſtræ profeſsionis uiris olim interrogatus, quis mo dus in diligendo Deo deberet eſſe, Modus, inquit, ſine modo. Nec ſanè aliud ſpe ctaſſe Euangeliũ iudico, cùm iuſsit Deum toto corde, tota mente, atq; anima & uiribus à nobis diligi, quàm in Deum amore illo nos ferri debere, qui modũ ne ſciat ac menſurã. Hęc igitur cuncta longè antequã euenirent proſpectans uates, ac præuidens cœleſtis huiuſce amoris guſtũ ante Chriſti aduentũ ferè nullũ, per ſimplicem magis in Deum fidem ac ſpem ſenſuros homines, q̃ per rerum earum notionem, quæ nullatenus humano ab intellectu percipi poſſunt, exclamauit,

Beatus vir qui ſperat in eo.

Verum quidem illud etiam eſt, atq; à ſacra lege non ſemel celebratum, male dictum ſcilicet eſſe hominem, planeq; execrandum, qui in homine ſperat & con fidit. Veriſsimũ & illud, benedictum eum ſanè eſſe, ac beatũ omnino, qui in do mino ſpem ſuam collocat & fiduciã. alioqui certè tanta interdum rerũ confuſio inter homines commiſcetur, cùm alter alteri plus q̃ par eſt fidit, ac uiciſsim ſeſe mutuis quibuſdã uiciſsitudinibus fiduciæ ac ſpei confouent, ut non maiori com miſceatur fretum aliquod uí uentorum ingenti concitatum, funditusq; euerſum. Quàm falſus is quidem eſt, qui in homine quamuis amico & probo, adeò ex ani mo confidit ac ſperat, ut nullo unquã tempore aut occaſione, eum mutari poſſe cogitet. Ea enim animi inconſtantia mortalium pleriq; affecti ſunt, ut amicum quamlibet charũ facilè fallant, modò id uel ſibimet, uel rei illi, quã magis amant quàm fidem, inſeruire poſſe uideant. Et ut quidem huiuſmodi fallendi ſtudiũ in uulgo natura leuiſsimo ferendũ ſit, in magiſtratibus tamen ac rerum publicarum & Eccleſiæ primatibus neq; ferendũ, neq; nominandum. Sed illud unum hac in re poteſt eſſe remediũ, ne quis quotidie ab amicis ſe deceptũ expoſtulet, dicatq; imprudens, non putarã, ſi titubantẽ ſpem in homine, qui fallere cõſueuit, poſue
D rit: in Deo autẽ firmam ac conſtantẽ, qui ita à deceptione remotus eſt, quemad modum à cæteris animi uitijs quibus implicati ſunt homines, natura ſemotus eſt ac alienus omnino. Quare nõ abſq; ratione uates exclamauit, Beatus uir qui ſpe rat in eo: hoc eſt, felix ille, qui fidei illius ſeſe committit penitus. Quocirca

Timete dominum omnes ſancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Contrà verò, Diuites eguerunt & eſurierunt.

Elegantiſsima hîc quidem antitheſi uſus propheta, ſcribit, nihil non, quod ad uitæ uſum faciat, abundè in Deo ſperantibus, eumq; timentibus ſuppetere, ino pia interim laborantibus huius ſeculi diuitibus & potentibus, quos ſecundũ He bræorum literam leones appellare libuit. Sic Fel. Catuli leonũ inopes facti ſunt, & eſurierunt. Dictio enim, quã noſter interpres diuites uertit, magis prophetæ ſenſum exprimit, quàm uim uocis. alioqui dicendũ erat, leones iuniores, qui ob recentiorẽ ætatẽ, magisq; uiuidam, ferociores ſunt, atq; ad prædam ualentiores, inedia facilius ac fame deficiẽt, quàm hi qui timent dominũ: nam nihil deeſſe po teſt tam charis Dei amicis. Verum (ut dixi) diuites hîc à uate deſcribunt, feroces inſuper, rapaces, uſuris rem ſuã accumulantes, iniuſta lucra ſectantes, de aliorum fundis atq; agris poſteris ſuis diuitias cõparantes, & demũ de miſerorũ ciuiũ ſu dore & ærumna feliciter uiuentes: hi nempe omnes à paſtione illa æterna, qua pauperes ſolummodo ſpiritu recreantur, & uitã habẽt, tum hîc, tum in futuro uitæ ſtatu ieiuni erunt. Eſurientes (canit Deipara uirgo) impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes: uacuos ſcilicet ſuperno illo cibo, quo uel ſummis labijs deguſta to, in eum cõualeſcit anima uigorẽ, qui ab interitu tam longè abeſt, q̃ longè in uicẽ abſunt lux & tenebræ, mors & uita, felicitas & miſeria, eſſe & non eſſe. Ne putes, ait gloſſa, hîc dici de terrenis rebus, quæ nullius precij ſunt, ſed de ſpiritua libus. quanquã nõ rarò quidẽ eos ipſos etiã diuitijs multis turgidos atq; elatos, uidimus ad tantã rerum omniũ inopiam deueniſſe, ut aut fame interierint, aut ad poſterorũ exemplũ à diuina prouidentia ſeruati, uitam miſerrimã utcunq; tradu

xerint,

A xerint, nihilo tamen ſecius meliores effecti, & prius fuerant, cùm fortunã capillo (quod aiũt) tenere uiſi ſunt. Hi enim in limo limoſam, ut ſunt meriti, degũt uitã,

Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Fel. non indigebunt, uertit. Alius uerò, nõ deficient ullo bono. Quare uerborum horũ omniũ ſenſum Paraphr. quemadmodũ uenuſtè & uerè, ſic breuiter colligit hoc modo: Qui potentia leonibus ſimiles uidebãtur, ad inopiã redacti ſunt, & famem paſsi, cùm interim quærentibus dominũ nihil defuerit unquã. Atqui conſiderandũ, quomodo nunc uates eoſdẽ ipſos inquirẽtes dominũ uocat, quos ſuperius ſperantes in domino, eumq; timentes appellauit: quò animum aduertamus, nulla ferè alia ratione aut uia poſſe Deum inquiri & illa, quę ſpe fideq;, ac erga Deum ipſum timore ac reuerentia ſternitur, atteriturq; pedibus euangelizantiũ pacem, uel, ut inquit Eſaias, euangelizantiũ bona. Ac ne illorũ ſpes interim & timor nequicquã eſſe uideatur, continuis ſeſe macerant abſtinentijs, inedijs, cruciatibusq; corporis ſponte ſuſceptis, uigilijs, & ijs quidem diuturnis & conſtantibus: quibus ſanè rebus & indicijs, quantũ ſit illorũ ſtudiũ & conatus res eas ſuperandi, quibus prorſus deuictis, uirtutes omnes animi ſtabiliuntur, firmanturq; in Deo, ſed in primis pertinax illud propoſitũ inquirendi Deum, quod unà eſſe cum ſpei, timoriſq; diuini habitu diximus, omnibus teſtatũ eſſe cupiunt. hi certè non minuentur omni bono: quod quidẽ bonũ, ne diutius in diffiniendo ſummo bono ſcholas omnes philoſophorũ inuicẽ concertantium perueſtigemus, Chriſtus eſt: quo adepto, ſumma illicò præſtò eſt felicitas illa animorũ, quam beatitudinem appellamus: uerùm his tantummodo, qui non tam cognitionis regula, q; amoris ac fiduciæ illum inquirunt. Quare ne longius aberretur,

Venite filij, audite me, timorem Domini docebo uos.

Timorem hîc uocat uates cultum Deo ſyncerè impenſum, quem ſanè ſuos edocturum ſpiritus pollicetur, illosq; filios uocat. Quid ni filios appellet, cùm illo
B rum teneritudinẽ atq; infantiã aſsiduis alat cœleſtiũ donorũ alimentis, quò tandem in uiros coaleſcãt undequaq; perfectos? Filioli mei, inquit Paulus, quos iterum parturio, ut reformẽ in uobis Chriſtus. ad hoc enim ſupernis gratiarũ archiuis ac theſauris tam copioſe à Dei ſpiritu ditamur, ut Chriſtus tandẽ in nobis reformẽ, in ipſoq; per amorẽ, cultumq; illum transformemur, quem hîc timorẽ domini appellat Propheta, quem ſecutus Paraphr. ſic reddit: Venite quotquot diſcere cupitis, & auſcultate mihi, quo pacto uerè coli uelit dominus, docebo uos. Et quid ſit illud, uenite, interpretatẽ Fel. præparamini. Venite igitẽ, accedite, quid ueremini? pater eſt qui uos inuitat, rogatq;, ac quibuſdã ueluti crepundijs & crepitaculis ad ſeſe allicit. Cæterùm timorẽ huiuſmodi, qui in Dei religione poſitus eſt, è libris utcunq; diſcere poſſumus: ſed parũ illud quidẽ, niſi is cuius id donum eſt, illius cognitionẽ ſuppeditet, nosq; in filios illos quos hîc ad condiſcendã timoris huiuſce doctrinã prouocat, miſericorditer accerſat, moueatq; ad ea appetenda, quæ alioqui neq; per nudũ noſtrum arbitriũ, neq; per noſtrã duntaxat uoluntatem nanciſci idonei ſumus. Negocium id ſpiritus Dei eſt in primis, non hominis nimium per ſeſe ad diuinas contemplationes luſcioſi & tardi. Ergo

Quis eſt homo qui vult vitam? qui diligit dies videre bonos?

Fel. ſic: Quis eſt uir qui uult uitam? qui diligit dies, ut uideat bonũ? Paraphraſtes uerò clarius: Quiſquis cupis fieri longæuus, & multis annis uiuere feliciter, cohibe linguã à maledicẽtia. Idcirco enim annorũ prorogatio deſiderari debet, atq; à Deo peti, quò diuinus per nos cultus latius propagetur, inſeruiaturq; uirtutibus ac numinis immiſsionibus, nõ curis ſeculi aut uitijs, inter quæ ea quibus lingua inficì ſolet & maculari: indeq; animus ac mens non inferiorẽ ſibi uendicant locũ. Suſurratione enim murmurationeq;, ac qua maximè inquinatẽ anima, obtrectatione, periurio inſuper & blaſphemia, fœdari cernimus non ſolùm linguam, uerumetiã & cor & animum. Imò, ut rem clarius exprimã, à contaminato corde huiuſmodi turpes erumpunt fructus. Quocirca inter prima diuini cultus

C rudimenta id potiſsimum à uate ponitur, linguæ ſcilicet candori ac munditiæ aſſueſcere: nec facilè quò nos uocat animi petulantia atq; ira, clauſtra alioqui ſummo naturæ artificio occluſa, laxemus linguæ.

Prohibe (inquit) linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.

Priuanda eſt igitur his duobus potiſsimũ telis lingua, ne quem ſcilicet aperta lædat iniuria, ne quem doloſa & occulta. Natura enim hominibus cùm data ſit à Deo lingua, ut alter alteri ſuos aperire ualeat cõceptus, tum ut ipſum ſuũ fabricatorẽ laudibus efferat, atq; eius nomen diuulget, inſigne erit flagitium tam nobili abuti inſtrumento ad cõcinnandas fallacias, iniuriasq; illas, quæ & homini incõmodum, & Deo contumelias inferant. In lubrico quidẽ cùm ſita ſit, facilè in eam ſæpenumero prolabitur intemperantiã, ut ea quoq;, quæ non uis, impudentiſsimè effutiat. Iam illud ſcitè à Salomone dictum, quòd os lubricũ operatur ruinas. Sed illud horrendũ, quod inquit Chriſtus: Ex uerbis eñ tuis iuſtificaberis, & ex uerbis tuis cõdemnaberis. Iactis itaq; cœleſtis doctrinæ fundamentis, quæ in linguę ſanctitate poſita eſſe affirmat uates, ad reliquũ erigendũ ędificiũ trãſit, & ait:

Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam.

Audiſti ne unquã breuius ad totius ſacræ legis uim exprimendam compendium? Fuge, inquit Paraphr. malum, & fac bene. Sic ſanè res habet, ut in malo euitando ſolertia nihil propémodũ ſit, niſi & ad operationes illas, quæ à fide proficiſcuntur & amore, adíjcias animum. Cui unquam profuit, aut fuit decori, conſciſſas abieciſſe ueſtes, niſi nouas, aut ſaltem honeſtas & decentes induerit? ædes enim uetuſtate collabentes diruere, nec alias denuò erigere, quis nõ rideat? Porrò declinare à malo, eſt illud totũ, quod à ſanctiſsimo Chriſti Euangelio diſſentit, longè propulſare, nec quicquam in moribus, in uita, in cogitationibus denicq;
D noſtris & affectibus admittere, quod Chriſti uitã non referat. Ille uerò facere bene dicitur, qui natura ipſa prima præuia, ſed imbecilli & tarda, ad ipſius inſtaurationem amplexandam quæ per Chriſtum facta eſt, totis animi uiribus cõtendit. Hinc Deum ſuper omnia & colit & amat, illinc uerò proximum perinde ac ſeipſum diligit. Quod quidem ante Chriſti aduentum ad nos prorſus exoleuerat, reclamantibus tamen naturæ ipſius antiquæ inſtitutis ac lege. Inſtaurata ſunt igitur omnia per Chriſtum, & quæ in cœlis, ut inquit Paulus, & quæ in terris ſunt. Quare ſi adhuc ad ea, quæ agi oportet, cæcutis & dormis, pigetq; à doctioribus haurire quæ magno abſque labore non perdiſcuntur, pigebit ne etiam compendioſam Chriſti uitã, in qua totius ineſt iuſtitiæ ſumma ac uirtus, uel ſemel in die recenſere? Si legem bene uiuendi certam aſſequi peroptas, Chriſtum intuere: ſi modeſtiam, ſi patientiam, ſi in aduerſis tolerantiam, ſi fortitudinem, ſi mundanarum rerum contemptum ac neglectum appetis, à Chriſti uita hæc omnia perfectiſsimè diſcere poteris: nuſquam enim niſi in Chriſto, ad bene ſancteq; uiuendum lex ac forma ſtatui debet. Is certè cùm tantus ſit, ac tam uaſtus, ut rerum omnium molem & impleat & contineat, obuius eſt tamen omnibus, atq; adeò patens, ut nemo tam abiectæ ſortis homo ſit, qui tam excelſæ rei conſuetudinẽ non aſſequatur & obtineat, modò ſui prorſus ipſius immemor, in illum, quantum in ſe eſt, per amorem & deſideriũ ardentiſsimè feratur. Hîc certè non exacta admodum legis cognitio, non linguæ, nõ artes, non humanarũ rerum doctrina, addo, & diuinarum anxia illa ſolicitudo & inquiſitio in primis requiruntur, ſed amor, ſed puritas, ſanctaq; fidei ſimplicitas, ac quædã in moribus (ut ſic dicam) Chriſtiformitas. Induite dominũ Ieſum Chriſtũ, aiebat Paulus, & ſat eſt. Quid breuius dici potuit? quid rurſum utilius? poſito enim circa nos, ſupra nos, infra nos, & in nobis tandem Chriſto tanquã ueſtimento, nihil iam deerit, quò minus ſupra ſupremos ſpirituũ cœleſtium choros ſtatuamur. Eo quidem obtento, illud potiſsimum euenire neceſſe erit, quòd quemadmodũ cætera illa, quæ ad aſſequendum tot laborũ noſtrorũ præmium conducunt, facilè obtinemus: ita pacem maximè eam, qua tum omnibus, quibus cum uiuimus, cõmodi ſumus & gratioſi, tum nobis

A bis quoq; qui adeò pacata conſcientia, tranquilloq; animo, cum Deo primũ, poſtea cum hominibus omnia pertractamus, ut cœleſtes quodãmodo in terris diĳ uideamur, non ſolùm inquirimus, uerumetiam ſtudio omni & conatu, ut perfectè illam habeamus, contendimus. Idcirco addit uates: Inquire pacem, & perſequere eam. Res eſt enim, quæ niſi maxima ui animi ac niſu apprehendi poteſt: adeò multæ uariæq; inter homines interdum rixarum incidunt, atq; odiorum occaſiones. Non furit quidem æſtus in mari tam ſæuè, orta tempeſtate, quàm reſpublica illa, aut hominum aliàs congregatorum multitudo, rupta pace, & furit & inſanit, dum in ſectis diuiſa, alter alterum & lingua & ferro, &, quod eſt ſceleſtius, ueneno perſequitur, & atrociſsimè inſectatur. Fugato enim ſemel à nobis Chriſto, qui pacem tam diligenter nobis, cùm iamiam è terris diſceſſurus eſſet, tanquam bonorum omnium nexum ac ſummam commendauit, cuiusq; æternum in ſinu patris domicilium pax eſt & quies, quid in mundo aliud uidere cogitamus, quod non ſit bellorum diſcordiarumq; pleniſsimum? Quot urbes (malùm) exciſas? quot reſpublicas? quot familias? quot uel integras regiones, religionesq; è fundo erutas, tum legimus, tum noſtris quoque oculis uidimus, propter diſsidiorum rabiem atq; impetum? Atqui in infidelium conuentibus ac populis bella eſſe & diſcordias quis iam miretur, cùm abſq; Chriſto ſint, ac uiuant, qui pax ea eſt, quæ exuperat omnem ſenſum? at in Chriſtianis cœtibus, in oppidis atq; urbibus Chriſti fonte intinctis, in templis ipſis quoq; in Chriſti nomine erectis pacem non eſſe, ſed rixas & contentiones, magis mirandum eſt, quàm ſi in medio ipſo Galliarum centro Hiſpanienſes quis profiteatur partes, aut in Britannia Gallicas: quanquam id in Italia nulli iam detur opprobrio, cùm à multis iam retrò annis omni nationũ omnium ſceptro, ne dicam libidini, gens hæc proſtituta ſit. Vnde aut hîc in Pyrenæo monte educatus res Italas moderetur, aut il-

B le in ripis Rhodani ſeu Rheni altus, aut alius quoq; è Mæotide, ſi lubet, emergat palude, ac nobis imperet, non eouſq; mirabimur, utí res ſolemus inſolitas & nouas. Quòd ſi etiamnum à quamplurimis, unde tanta rerum confuſio ortum habeat, ignoratur: his una hac tantum uocula ſatisfactum iri uelim, DISCORDIA. Quòd ſi rurſus interrogor, unde nata ſit huiuſmodi bellua, quæ crudeliſsimam quanq; feram immanitate ſuperat: fatebor equidem, malum id omne à Chriſti abſentia exortum, quemadmodũ ab illius præſentia non ſecus bella omnia ac rixæ ſeſe ſubtrahunt & fugantur, ac uulgus ſolet ſeditioſum, in diſcordiasq; procliue ſedari, uiſo principe aut rege. Quoquo ſe modo res habeant, id nobis unũ maximopere curandum erit, ut tanto nos ſtudio & conatu, pacẽ ſaltem animi, ſi corporis inter uiperas coniecti non poſſumus, inquiramns, quò tandem illam aſſequamur, apprehenſam uerò mordicus teneamus. Id enim ſignificat, & perſequere eam. Nam

Oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.

Mirum in modnm noſtra perfectione delectatur Deus, atq; propterea iucundo uultu, atq; oculis undequaq; lætiſsimis, ſuorum uirtutem intuetur, uti ſolet pater liberos intuens bene moratos, atq; ad ingenuas, ciueq; optimo dignas operationes ita aptos & inſtructos, ut à præclariſsimis quoque ciuibus laudentur, uulgoq; celebrentur. Eſt & alia ratio, quamobrem aſſerat uates Dei oculos iuſtorum uitam contemplari, atque ad eorum preces aures facilè accommodare. Nam poſtquam mortales omnes generaliter admonuit, neminem ſeu clàm ſeu apertè lædendum eſſe, quin potius eo pacem ſtudio ac diligentia inquirendam, ut queat aliquando apprehendi & teneri, infert, ſubinde diuinos oculos in probos eſſe intentos, quo nimirum illis, ne quare egeant, aut à quopiam ſupra uires lædantur, proſpicit, conſultumq; uult. Proinde ſi quid acerbum calamitoſum ue (ut ſunt pleraq; huius mundi) inciderit, eos cumprimum ad ipſum confugerint, audit, atq; à periculis uel animæ uel corporis aſſerit. Quod ſanè dictum à Propheta idcirco arbitror, cùm ut ſuperbam quorundam petulantiã à miſerorum oppreſsione arceat, cùm clarè cernunt iuſtorum uitam curæ eſſe Deo, tum

C ut iuſti ipſi non tam præfractè potentiorũ iniurias perferant, cogitantes nullam eſſe in mundo tam fortem perſecutionũ acerbitatẽ, quin ſtatim à Dei manu, ſub cuius tutela atq; protectione tuti ſunt, confringatur. Nam

Vultus domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.

Ne uereamini, inquit, iuſti: neque quomodo improborum ulciſcamini iniurias, cogitetis: ſinite hanc curam Deo: facies enim domini ſuper illos. hoc eſt, ut reddit Paraphr. toruo uultu aſpiciet ſceleratos, ut aboleat à terra memoriam eorum. Fel. item, loco Vultus domini, ira domini poſuit, quò intelligas nihil aliud hîc eſſe uultum domini, quàm illius iram, atq; in improborum ſcelera excandeſcentiam: non quòd ſanè huiuſmodi affectus & ægritudines in puriſsima Dei natura ſint, ſed à ſignis irati hominis uoluit uates in Deo comprehendi iuſtiſsimũ illius eſſe conſilium, ſuos à peruerſorũ hominum contumeliis uindicandi. Et ut quidem in hoc mũdo ad innumera illorum ſcelera ut eſt natura patientiſsimus, ob quædam quæ nobis prorſus occuluntur iudicia, Deus conniueat, num conniuebit etiam in ſupremo illo die, cùm exactiſsimo examine aurum è ſcoria, triticumq; à palea ac bulla ſeligens, illud horrendũ in impios iudicium proferet, Ite maledicti in ignem æternum? Putásne tum infelices illos Dei uultum conſpecturos iucundum & lætum, an toruũ & acerbum? Intuebitur quidem omnes Deus & bonos & malos, hos nimirum ut damnet, illos ut ſeruet: hos ut ad æternos detrudat ignes illos uerò ut in feliciſsimis æternorum bonorum ſedibus collocet. O iudicium ab omnibus, dum hîc uiuitur, ex animo perpendendum extimeſcendumq;. Cęterùm quòd hîc aſſerit iniquorum omnium memoriam è terra abolendam, ſi non placet uiuentium terram, quam beatitudinem æternam quidam eſſe interpretantur, intelligi, ad quam quidem interpretationem tanquam ad certiſsimum ſenſorum confugium recurrunt: hunc uitæ eſſe ſtatum dicas, quo quidem
D peracto, nulla extat improborum actio quæ digna ſit memoria, ſed æterno dedecore & infamia. Et certè ſuis in ærumnis

Clamauerunt iuſti, & dominus audiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorũ liberauit eos.

Iuſti dictio in Hebraicis codicibus non inuenitur, ſed additum puto explicandi cauſa prophetæ ſenſum. Diuina quippe bonitas non poteſt non præſtò adeſſe ſuorum gemitibus, & orationibus illis præſertim, quæ è puriſsimis cordis radicibus egreſſæ, ipſum Deum quodammodo ad ſubleuandam miſerorum ſortem, quæ continuis afflictionum procellis exagitatur, cogere uidentur. Conglomerentur ſanè hinc inde anguſtiæ & miſeriæ, tantillo orationum igne adeò exedun tur, ut penitus in auram reſoluantur, aut in ſeſe collectæ tanquã putridũ cœnum commarceſcant. Non eſt quidem res ita efficax & fortis ad diſsipandos hoſtium humani generis cuneos atq; exercitus, ut eſt feruida ad Deum precatio. Vnde hîc uatem illud in primis aſſerere uoluiſſe arbitror, multam atque atram tentationum nubem ab aëre iſto caliginoſo pendêre, tonitrua perſecutionum audiri, fulmina, ignitaq; linguarum tela in nos ſpargi, ac demum uaſtiſsimam calamitatum procellam, abyſſumq; profundiſsimam ærumnarum, per hoc mare magnum & ſpacioſum mundi debacchari: ea tamen omnia, tanquam pueris quæ fiunt terriculamenta, ſolo orationum flatu diſsipari. Clamauerunt, inquit, ad dominum: nec fruſtra quidem, nam dominus exaudiuit eos. Quos eos quæſo? Iuſtos ſanè, manſuetos, humiles, cuncta huius mundi pro Chriſto deridentes, ad iniurias ferreos, ad beneficia molles, rerum prorſus ſuarum commodorumq; immemores, aliorum uerò memores, caſtos, ſobrios, & demum in Chriſtum per amorem transfuſos: horum enim oratio diuinis gratiſsima eſt auribus, cęterorum autem non item. Nam mens, in qua huiuſcemodi inſunt gratiarum dona, deiformis quodammodo fit: atq; propterea quicquid à Deo petierit hoc certius exorabit, quo illud gratum eſſe Deo, & ſcit, & alijs perſuadet. Ita profectò res ſe habent proborum, aliorum uerò ſecus. Nam clamauerunt, inquit uates in alio pſalmo, ad dominum, nec exaudiuit eos. fiat, inquit, illorum oratio in peccatum.

O hor-

A O horrendam imprecationem: ab his enim longè abeſt dominus, contrà uerò,

Iuxtà eſt dominus his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit.

Cùm multa ſint quæ conferri queant ægrotanti refrigeria, id potiſsimum uidetur, ſi lecto cubanti continuis aſsideat medicus obſequijs, ſoletur, excitet, ac demum ſanitatem polliceatur. Haud ſecus quidem ſe habet diuinus medicus erga animas ſuorum afflictas, tentationumq; ui conſternatas, fauciasq; aliquando & ualde afflictas: aſsidet enim, pientiſsimus uti pater, conſolatur, admonet, blanditijsq; ad reaſſumendum uigorem allicit, animat, & ſanat tandem. huiuſmodi enim ſunt hi, quos hîc uates cõtribulato uocat corde, ſpirituq; humiles & abiectos, ſeu ut illos appellat Dominus, pauperes ſpiritu, ut ſunt planè omnes qui piè in Chriſto uiuere cupiunt. Heu quàm diræ hos manent cruces: pectore enim his opus eſt adamantino. Quod quidem aduertens Propheta, è ſublimi tanquã ſpecula clamans, iſtiuſmodi quaſſatos hortatur homines ad hunc modum: Quid extimeſcitis? hoſtium ne feritatem & multitudinẽ? ueſtram ne imbecillitatem? Eia adeſt dominus, ut his qui fracto ſunt animo, opituletur, atq; eos qui afflicto ſunt ſpiritu, ſeruet.

Multæ (fateor) tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberauit eos dominus.

Paraphr. ſic: Multa incõmoda accidunt iuſto, ſed ex omnibus illis eripiet eum Dominus. Equidem quàm multa ſint aduerſa, quæ uiro iuſtitiæ ſtudioſo accidãt, & uideo & experior: uerùm illam quam promittit uates liberationẽ, non ſic frequenter uidere contingit. Quis liberationem illam ab incõmodis appellare unquam poterit in uiro inedia, morbo, perſecutione, exilio, & cæteris huius generis cruciatibus quoad uixerit afflicto? Mortem ne ærumnarũ huiuſcemodi finẽ, liberationẽ, quam hîc uates celebrat, dicemus eſſe? Magna profectò diuinæ bonitatis iſta eſſet laus, hominũ cœleſtiũ rerum ſtudioſorũ miſerias per mortẽ ſolui
B tantummodo, nec aliud interim liberationis genus extare etiam in hoc mundo, quo tanquã excelſæ abietes inter fruteta, humilesq; myricas, electorũ animi conſpicui apparerent. Quare diuinã hanc à malis liberationem, puto eſſe in aduerſis patientiam: qua qui abundè ornatus eſt, ruat æther, ac quicquid uſquã gentium eſt, in unum conſpiret, in illumq; deſæuiat, liber is erit, ridebitq; impauidus: non illius quidem pectus afflictionibus aſſuetũ induratum ue, uulnus quantumuis acerbum ac letale attingere unquã poterit. Incrudeſcat mundus, perterrefaciat dæmon, atq; eius miniſter homo, ne parũ quidem remolleſcet, laxabitq; ſeſe, in illa perſtans fide, quòd propè eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſeruabit. Scit quidem, quòd

Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, Vnum ex his non conteretur.

Oſſa hîc uocat animi uires, ſolidiores q; animæ cogitationes, quibus nõ ſecus, atq; oſsibus corpus, ſuſtentat, ac uires ſumit. Cuſtodit igitur dominus hæc, quæ diximus, iuſtorum oſſa, nullumq; eorum conteretur, uiolentia ſcilicet peccati. Alioqui & oſſa, & nerui quoq; ipſi proborum, eoſdem cum domino ſuo crucifixo ſubeunt cruciatus. Porrò cùm diuinæ ſit munificentiæ propriũ, iuuare, quos, rogo, in primis iuuabit? illos ne qui ſatellitio immenſo ſicariorum ſepti nihil uerentur, an illos potius, qui cùm ab omnibus deſtituti ſint & abiecti, uitam uiuũt miſerrimam? His ne, inquam, potiſsimum, quibus diuitiæ opulentiſsimæ ſunt, quibusq; maxima in horreis uis ineſt frumenti, nihil nõ interim procurantibus, quò annona in dies carior fiat, tantiq; ueneat, quanti uita hominis eſtimari ſolet, opitulabitur? an illis magis qui propter cõmeatus penuriã in uicis ipſis ac triuijs ciuitatum, uitam eiulatibus ſuſpirijsq; pleniſsimã effundunt? Hos igitur potius quàm illos tutari ſolet diuina bonitas. Cuius uices in terris cùm gerat Princeps, atq; urbiũ magiſtratus, danda illis erit opera, ne minimũ quidem à præſcripto diuinæ legis aberrent, qua cauetur, ut omniũ ſuæ ditioni parentiũ ex æquo curam habeant, maximè pauperum, pupillorum, uiduarum, orphanorũ. hęc ſunt enim, quæ Principum auribus inculcari debent, ut ſi quid pernicioſum heſterno clauo

C infixum fuit, hodierno eijciatur. Cæterũ hîc oſſa præ cæteris membris uates memorat, quia in ipſis texturæ humani corporis maximè ineſt robur. Oſſa eius, uertit Fel. ob id, puto, quòd obſtruſioris nos myſterij per uatẽ admoneri cenſuit. Et eſt ſenſus: Ne, uos oro, perſecutionũ crucem, uariarumq; anguſtiarum moleſtiã exhorreſcatis, ô qui in Chriſto uitam uiuere ſynceram inſtituitis. Ipſe enim dux noſter & imperator Chriſtus maiori ærumnarũ cumulo circũuentus, uſqueadeo malis non cedet, ut ne os eius quidem paruũ ac tenue ſuccumbat, ne de uegetioribus interim illius membris, rationiq; obtemperantibus, aliquid dicã. Vnde ſeruato Principe, quis populus non tutus? Obſerua ſcripturarũ conuenientiã. Os, inquit, illius non cõfringetis. Quid illud, quod in Ioanne legimus? Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerũt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo: ad Ieſum autẽ cum ueniſſent, ut uiderunt eum iam mortuũ, nõ fregerunt eius crura: ut ſcriptura impleretur, Os non cõminuetis ex eo. Sic nimirum Chriſto obire mortem peropus fuit, ſic eius amicis ac filijs eſt neceſſarium. Econtrariò,

Mors peccatorum peßima, & qui oderunt iuſtum delinquent.

Mors peccatorum, ait quidam, infamis & obſcura. Quare ſumptus illi regales in funeralibus, ſepulchraq; Pario lapide ac ſtatuis perornata, non magis quorundam mortem præclarã, minusq; obſcuram reddunt, q̃ cadauera ipſa, uel feretrum multa auri ui onuſtũ, uel numeroſa præficarũ multitudo ſuũ illud leſſum eiulantium celebriora faciunt, ac minus putida. Verùm probum anteactæ uitæ teſtimonium res ea eſt, quę ſanctorũ obitum cùm Deo, tum mundo precioſum reddunt. Hebræis tamen is uerſus aliter legitur: Malitia, inquiunt, ſeu noxa interficiet impium, & odientes iuſtum uaſtabũtur, ſeu deſtruentur. Quare Paraphr. ſic reddit: Occîdet impiũ ipſa impietas, & quotquot odio perſequuntur iuſtum, peribunt. Illud ſanè Euangelicũ hîc mihi à uate dici uidetur, In peccatis ueſtris moriemini.

D Atq; hos quidẽ Paulus ſuo admodũ graphicè pingit colore ad Philippenſes ſcribens: Multi, inquit, ambulant, quos ſæpe dicebã uobis, nunc autẽ & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorũ Deus uenter, quorũ gloria in confuſione ipſorũ, qui terrena ſapiunt: noſtra aũt cõuerſatio in cœlis eſt. Vis ne clarius, tum horum qui terrena ſectantur atq; ambiunt, interitũ, tum illorum uitam qui cœleſtia, ob oculos poni? Nefandorũ certè hominum uitam non dubia ſequitur mors infamiaq;, & æterna illorum obliuio. Proborum uerò uitam, uita alia comitatur, & ea quidem æterna, interim autem honor, dignitas, ſplendor nominis. Quòd ſi etiam piorum quorundã hominum nomen ac famam ſecretiſſimo Dei iudicio cernimus ita ab improbis perrodi ac fœdari, ut perpetuo quodammodo opprobrio è uita decedere uideantur: nomẽ tamen illud in cœlis dei digito conſcriptum manet indelebile incontaminatumq;. Ecce, inquit Chriſtus, nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis, hoc eſt, æterna ſunt ac ſplendida. Semper igitur iuſtorũ animæ in manu Dei ſunt. Verum enimuero propter aſſiduã obiectarum aduerſitatum crucem, ac cumulum, uiſi ſunt oculis inſipientiũ mori: in pace tamen decedunt, uiuuntq; illius uitæ genere, quæ ab irrationabili prorſus perturbatione atq; interitu in hac quoq; uita immunis eſt. Septies enim, ait Salomon, in die cadet iuſtus, & ſurget tamen: improbus uerò in malo corruet: hoc eſt, in multa, & ea quidem immenſa pericula ſæpe incidet iuſtus, emerget tamen uiere ptus diuina: uerùm improbus ac ſceleſtus ipſa malorũ mole opprimetur, interibitq; omnino, ſiue infortunia illa quæ ei obuenient, corporea fuerint, ſiue ad animam ſpectauerint, ut ſunt peccata, noxæq; illæ quibus quotidie diuinos offendunt oculos. Sed contrà,

Redimet dominus animas ſeruorum ſuorum, & non delinquent omnes qui ſperant in eo.

Illi enim, inquit, ut dixi, prorſus occumbent, proprijsq; in peccatis morientur, iuſti uerò in refrigerio erunt. Obſecro, cur ſanctas non dicã animas perenni beatitudinis ſtatione in refrigerio eſſe, cùm ad mortẽ, ut inquit Ioannes, peccare nequeant? Cauſam uerò quamobrẽ id fiat, ponit uates, cum ait, quòd redimet illos Deus:

A Deus: hoc eſt, ita ſe Deus miſericorditer cum illis geret, ut quicquid deliquerint, non illis imputabit, ſed teget potius, remittet, purgabit, ad uitamq; cooperari faciet. Et ne fortè in perueſtigando, qui ſint ſerui illi à domino redimendi, diutius immoreris, eos ipſos dicit, qui ſpem omnem ſuam in Deo collocant: hi nempe, quod dicere inceperã, delinquere haudquaquã poſſunt ad mortẽ, quia ex Deo nati ſunt, ſemenq; Dei in ſe inſitum habent. Nihil ergo damnationis, clamat Paulus, eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundũ carnem ambulant. Et hi ſunt quidem qui ſperant in eo, ut è ſpe tandem fiduciaq; in Deum, ſanctificationem omnem noſtrã auguremur. Omnis, inquit Ioannes, qui ſpem habet hãc in eum, ſanctificat ſe. Ex qua quidem ſanctificatione, quæ eſt ſanctiſsimi illius ſeminis, qui Chriſtus eſt, ubertas & fœcunditas, una prorſus cum ipſo efficitur inſitio ſpiritus, in nouamq; anima tranſit, ut ſic dicam, ſubſtantiam, ut ex humana fiat diuina, rapiaturq; per continuos exceſſus in eius penè naturam, cui concorporales facti ſumus, ut inquit Paulus, & compartícipes promiſsionis eius in Chriſto Ieſu per Euangeliũ: ubi non eſt gentilis & Iudæus, circunciſio & præputiũ, barbarus & Scytha, ſeruus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Nexus igitur ſanctorũ omniũ Chriſtus eſt, idcirco & pax & beatitudo: cui gloria ſit in ſecula. Amẽ.

PSALMVS DAVID XXXV.

IVdica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.

Haud dícere quidem poſſem, quantum me díræ íllæ pauperum deterreant ac miſerorum, in iuſtitiæ oppreſſores: quantumue ad toleran tius ferendas improborum iniurías me hortentur, excitentq;, ſimulac quotidianis intueor exemplis, afflictorum cauſam magis Deo curæ eſſe, quàm affligentium. Et cùm paſsim ferè per ſacrum uatis huius uolumen iſtiuſmodi imprecationes contineantur, id maximè hoc in pſalmo & diffuſius, & ut mihi uidetur, ardentius q; in cæteris, pertractatur. Caueant ſibi, oro, qui bonorũ uitam maB ledictis inceſſunt, facto q; ueluti agmine iniuriarum, in ipſos eorumq; fortunas & nomen ea ferũtur rabie, qua ſolent feræ in manſuetiores pecudũ greges. Sancto enim aliquando inſtigati furore uiri Dei, illas in oſores iuſtitię eiaculantur díras, ut ſatius illis eſſet fulmine è cœlo tangi, aut Parthico traíjci ſpiculo, quàm ab huiuſmodi proborum ardore ui ſpiritus excitato uel ſemel impeti. Putasne cõminationem illam in Deuteronomíj libro ſcriptam, ſuo uacaſſe myſterio? ad eumq; ſolum qui legem illam ueterem, imperfectam, atq; idcirco umbrarum pleniſsimã tranſgreſſus eſſet, pertinuiſſe? & non potius fidei Ieſu Chriſti, illiusq; profeſsionis hominum oblocutores ſpectaſſe? Percutiet te, inquit Moſes, dominus amentia, cæcitate & ſtupore cordis, eriſq; palpitans in meridie, ut cæcus palpitat in tenebris: nihil habebis in his quæ inſtitueris, proſperũ: calumniam & rerum direptionem quotidie patieris, nec erit qui ſeruet. O infelicem rerum ſtatũ. Nihil habebis, inquit, trãquillum: nulla erit pedibus tuis quies: dabitq; tibi dominus cor trepidans, oculos deficientes, & animam languidam. Vt certè hæc omnia interdum ſecus quàm hîc dicuntur, improbis euenire corporeis intueamur oculis: in interiori tamen conſcientię theatro ex illis quílibet ſuum experitur certamen. Sentit, inquam, quàm calamitoſius planè ſit rerum earum quæ non uídentur, q; quæ uídentur, quibusq; quantumuis fortunatis ſuus ineſt labor & dolor, iacturã perpeti. Bona enim mentis hoc dignitate præſtantiora ſunt, ac quàm illa quæ ad corpus attinent, nobiliora, quò nulli fortunæ ſubiecta uarietati, ab æternis, ut ſic dicam, bonorum ideis dependent. Quare illorum etiam magis timendũ eſt damnum, quàm cæterarum rerum quæ ſuis crebrò poſſeſſoribus exitio ſolent eſſe, rarò ſaluti: illa uerò ſuos ſemper cultores in tuto collocant. Atqui huiuſce rei diſcriminisq; inter bonos & malos olim numeroſæ præterierunt concertationes, ſed quæ in Chriſtum, præteritarum omnium ætatum ac ſcripturarum perfectionẽ & terminũ, tandem deſierunt: à quo quidẽ uti ab Eccleſię capite in membra quemadmodũ gratiæ, ita rerum earum quibus ad ipſum gratiarũ cumulũ peruenitur,

C doctrina proficiſcitur electorũ. Inter quas ſanè primũ ſibi uendicat locũ crux ipſa, quæ eſt continua in uita hac infelici pro Chriſto acerbitas. Nullas enim corporeas admittit delitias Chriſtianæ diſciplinæ profeſsio, ſi tamen unde eiuſcemodi profeſsionis haurienda ſit cognitio non ignoremus. A Chriſti, puto, doctrina ac uita, Chriſtianos ſuam uiuendi normã ſumere oportet. Quis, oro, unquam illum dixerit Platonis diſcipulum, qui cùm doctrina tum uita Epicurũ profiteatur? Ita ſanè nunquã equidem Chriſtianũ uirum appellauero, qui Chriſtũ & uita & moribus non prorſus referat. Sit quiſpiam quidem quantumuis in literis, in uirtutibuſq́, ac in mediis ipſis templorum aris enutritus, niſi illius uita cum Chriſti uita conſentiat, doctum forſan illum, aut bene moratũ eſſe affirmauero, Chriſtianum uerò minimè. Qui facit iuſtitiam, inquit Ioannes, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt: qui facit peccatum, ex diabolo eſt. Vides breuibus, quò ſe omniũ ſectæ atq́ hæreſes dirigant. Eſt' ne aliquis demum qui ſuum cupiat Chriſto non fictè aut fucatè, ſed ſeriò nomen dedere? Debet ſicut ipſe ambulauit, & is quoq́ ambulare ac uiuere: alioquin ſemoto à nobis Chriſto per prauitatem uitæ, exitio nobis erunt, non ſaluti, quęcunq́ illa ſunt quibus uulgò Chriſtiani uideri uolumus, & religioſi. Hæc quidem copioſius forſan quàm par fuit, quamq́ meum poſceret inſtitutum, diſſerui: eò enim in primis me craſſa quorundam adegit ignoratio, qui nimium ſibi quidem ob baptiſmũ, ſacroſq́ ordines ac ueſtes & ritus adblandientes, nihil ultrà in Chriſti ſchola quærendũ eſſe arbitrantur. Quare in diuinorũ guſtu torpidi ac ieiuni, raro, quò ſua dirigenda ſint conſilia, multò minus ſupplicationes & uota, compertum habent. Ex qua quidem inſcitia illud potiſsimũ oriri neceſſe eſt, ut oratio eorum fiat in peccatum: illiſq́ tumore, neſcio quo, inflati miſeri calamitatẽ minitentur, imprecenturq́, quos ſe interdũ æquiores ſanctioresue eſſe, ni talpæ prorſus eſſent, iudicarent. Excelſo quippe iudicio rebus in diuinis ſecernendis opus eſt. Nunquã enim uatem aliquẽ ex antiquis legi mala cuipiam imprecatum, niſi ui ſuperna aut ecſtaſi concitũ, quemadmodũ prophetas
D extitiſſe omnes à ſacris annalibus accepimus, ſed in primis Dauidem, qui è cœlo ad regnũ aſcitus unctuſq́, & in quo adminiſtrando nihil aliud unquã quæſiiſſe uiſus eſt, quàm populorum cõmodum, ac Dei honorem, hanc iuſti doloris inuectiuam in Saulum ipſum, eiuſq́ adulatores conſultoresq́ nequiſsimos, ui actus diuina compoſuit. Quare in exponenda ardentiſsima hac oda, Chriſtũ ante omnia, fidelẽ poſtea quemlibet, qui in anguſtias nonnullas inſignes coniectus contra Eccleſiæ inimicos precatur, ob oculos ſtatuamus, dicamusq́: Iudica domine nocentes me, expugna impugnantes me.

Clarius Hebræi: Contende cum cõtendentibus mecũ, præliare cum præliantibus mecũ. Expreſsius adhuc Paraphraſtes: Suppliciũ ſume ô domine de aduerſariis meis, pugna aduerſus oppugnantes me. Quid putas per ſe homines in bello tum ad corpus, tum ad animã ſpectante, abſq́ Dei ope poſſe? Nihil propémodum, etſi ſuas omnes arbitrij uires in unum colligat, atq́ animi uirtutẽ ac robur promat. In hoc certè pſalmo uideo animã præliandi quidem percupidam, ſed omni prorſus armorum genere denudatam, idcirco imbellem: unde ſuæ cõſcia imbecillitatis, quanto maximo poteſt clamore Dei auxilium implorat, dicens:

Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi.

Videor enim hîc mihi genus humanum audire, ſeu potius Chriſtum uice hominum ſuam exponentem infirmitatem. Quid certè ualeat pugil in harena abſq́ armis illis, quibus ſeſe à ui hoſtium queat defendere, aut eos quoque offendere, clarè uideo: occumbat enim neceſſe eſt, niſi alius utriuſq́ generis arma ſuppeditet. Clamat hîc igitur homo, clamat uoluntas, clamat arbitrium, arma illa omnia quæ in tam periculoſo cum mundo certamine neceſſaria ſunt, ſibi deeſſe. Deeſt quidẽ, quo ſeſe tutari poſsit, clypeus, deeſt enſis, deeſt ipſe quoq́ thorax æneus ac galea, quò ſe uertat, oro? Pugnis ſanè nudis res tanta cum tam crudeli hoſte minimè tractanda eſt. Sanè uerò animam intueor conquerentem ſe penitus dearmatam, propterea q́ alienum implorantem auxilium, & illam fortem, hoſtilíq́ telo

A telo impenetrabilem atq; inacceſſam dicam? Eſt (fateor) quædam in anima uis & poteſtas, qua neſcio quid poteſt, & uerè neſcio quid. De me autẽ (ut ingenuè quod ſentiam loquar) illud fateri poſſum, me ſcilicet ex me, meoq; ingenio nihil omnino poſſe: in illo uerò qui me confortat, omnia. Fel. uertit: Apprehende ſcutum & ſpiculũ, ſeu haſtam. Quare ſic reddit Paraph. Arripe clypeum & lanceã: clypeum nimirũ, ne uulnerer: lanceam uerò, ut uulnerẽ. Vides, ni fallor, quomodo utrunq; armorum genus à Deo petendum ſit. Sua porrò familiari de Deo anthropopathia utitur uates, quò quantæ ſit curæ Deo ſanctorum uita non neſciamus, ſimul ut eum tanquam hominem obarmat. Quid uerò clypeus, quid telũ, quid gladius, quid cætera armorum nomina in bello ſpiritus præ ſe ferant, alij dicant: nobis ſat eſt, huiuſce generis armorum appellatione cùm noſtram nuditatẽ indigentiamq;, & periculum in bello tam ſæuo contemplari, tum promptã Dei bonitatem ac uirtutem in ſuis defendendis pernoſcere.

Effunde frameam, & conclude aduerſus eos qui perſequuntur me: dic animæ meæ, ſalus tua, ego ſum.

Euagina, inquit, denuda enſem: ſeu, ut reddit Paraphr. Arma te gladio & lancea, ut occurras perſecutoribus meis. Conclude, inquam, illos, ne queant euadere, ſeu claude galeam, quandoquidem res urget, agendumq; eſt comínus. neque id ſolum quidem, ſed uerbis quoque meam ſolare puſillanimitatem & deiectionem. Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum. Solent enim hi, qui, ut amico in periculo aliquo immenſo conſtituto ſuppetias eant, ſeſe ingerunt atq; armant, non ſolùm quidem re ac manu amico ſubſidium afferre, uerumetiã uerbis in ſpem bonam timidum illius animum erigere. Promitte, inquit Campenſis, allaturum te animæ meæ ſalutem: hoc ſanè impetrato, cuiuſuis manus pugnet contra me, ne
B pedem quidem uel tantillum mouebo. Homini plerunq; illi qui haud fictè diſſimulanterq; ſua ſecum reputat errata, quàm fœde ſcilicet ac ſæpe lapſus ſit, quàm frigidè, quam' ue oſcitanter in diuinũ concaleſcere ſoleat amorem, quàm durum item in ſe ad lachrymas habeat ſenſum, quàm tardum ad capeſſendas iuſtitiæ ſemitas affectũ, quàm celerem uerò ad eaſdem ipſas deſerendas, quàm (inquam) imbecillis ob iam obductum in peccatis callum factus ſit, contrà autem hoſtes fortiſsimi, nullum aliud ſalubrius poteſt eſſe remedium ad ſedandã animi deſperationem, q; ſi in ſpiritu audiat à Deo, Salus tua ego ſum. Quid cùm paternam illam, mundanã omnem exuperantem lætitiam, aure haurit cordis increpationẽ? Modicæ fidei quare dubitaſti? Non eſt ſenſus quidem in homine, non mens, nõ intellectus adeò in diuinis contemplationibus immerſus, cui ea gaudij copia plenè uti eſt, ualeat ſignificari, cùm ſecretiſsimo quodã diuini motus ſuſurro atq; afflatu ſe ſentit anima excitari, pungiq; telis illis igneis, Salus tua ego ſum, Remittuntur tibi peccata tua, Vade in pace. O iacula, quorũ uulnere ſanantur animæ. Corde profectò molli, atq; (ut inquit ille) carneo hîc opus eſt, non ferreo, quò è tam ſuauiſsimo uerborum ſono, è fonte nimirum diuini amoris emanante emollitum colliqueſcat in eundem ipſum ignem, qui Deus eſt. Sed illud cauendum, ne anima tam ardenti nota ſemel inſignita, planeq; purgata, in glaciem denuò recidat, atq; in eaſdem ipſas rurſus remigret peccatorũ ſordes, relabaturq; præceps in id impietatis genus, ut infinitis ſuis erroribus addat etiam ingratitudinis culpam. Perſtandum eſt igitur in fide Ieſu Chriſti, qui mihi meisq; alioquin ad bona omnia occluſis, non ceſſat inſuſurrare quotidie auribus, Salus tua ego ſum. Sic itaq; tuis eueniat, ô Deus: contrà uerò

Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam. Auertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala.

Iam mala illa uates, quibus ſceleſti occultiſsimo aliàs modo, aliàs quoq; aperto, atq; omnibus expoſito affliguntur, enumerat. Haud ſemper quidẽ diuina animaduertere ſolet ultio in res iſtas improborum externas aut corpora, ſed in animam potius, quæ pœnarũ omnium maxima eſt ac magis atrox: è cõtrario uerò

C ſecus ſe habet in bonorum pœnis, quas ſanè in uitam hanc potius, quàm in bona animæ uim habere quotidie cernimus. Eam ob rem uitam hominis in libidinum cœno ſeſe perpetuò oblectantem, neq; ulla affici moleſtia aut mulcta, profligatam omnino eam eſſe, atque à Deo derelictam affirmabo: quandoquidem eum ipſum hominem chariſsimũ Dei eſſe filium ducimus, quem ipſe flagris, moleſtijsq; huius uitæ uarijs & aſsiduis expolit, aptatq; tanquam lapidem uiuum, cœleſti ædificio ac ſtructuræ. Cæterùm hos duos ſic legunt uerſus Hebræi: Pudefiant, & ignominia afficiantur, qui quærunt animam meam: reuereantur uerò & pateant probro, qui cogitant malũ mihi. Is enim confundi, pudefieri ue dicitur, qui ſuis fruſtratus conſilijs, alio ſe cardine rem uertere, quàm putarat, conſpicit: quicq; dum alium perdere nititur, ipſe infeliciter perit. Aiunt porrò ſancti Dei uiri, mirabili ſuffundi pudore dæmones (ſi tamen pudor in tam impudenti collegio inueniri poteſt) ſi quem ex perfectioribus noſtræ religionis hominibus adorti, omnicq; inſidiarum machina adhibita, nihil ſecius agunt, quàm ſi mutam ſtatuam aut truncum aliquem inertem adoriantur. Ea enim ſpiritibus illis tetris ineſt uis ac uirtus, ut uel modicũ quidem reiecti, pedem actutùm referant, ceſſentq; ab impugnatione confuſi. Et certè quòd dæmones tam crebrò ex hominum conflictu uictoriam reportent, non id quidem contingere ob fortem illorum uirtutem aut potentiam eſt cenſendum, ſed ob noſtram potius ignauiã ac ſocordiam, ne dicam promptam ad uincula & manicas uoluntatem: uincimur enim, quia uolumus. Proinde noſtram optimè perpendentes tum imbecillitatẽ, tum ad porrigendas hoſtibus manus procliuitatem, noſtra arma, quæ debiliora ſunt quàm aranearum ſint telæ, exuentes, diuina cum uate, uatumq; Domino impetremus, dicamusq; cum Paraphraſte: Suffundantur pudore, & afficiantur ignominia, quotquot ſtudent ſubuertere me: cõuertantur in fugam, & infames fiant, quot-
D quot machinantur malum mihi:

Fiant tanquam puluis ante faciem Venti, & angelus Domini coartans eos.

Mira enim atq; horrenda exaggeratione diras in æternam improborum perniciem accumulat uates. Non cõtentus quidem ſempiternam illis confuſionem, probrumq; æternũ exoptaſſe, denuò imprecatur ut pulueri & cineri, ſeu, ut uertunt Hebræi, feſtucæ ſeu paleæ uento expoſitæ ſimiles efficiantur: hoc eſt, nuſquam ſtabiles cõſiſtant, nullisq; certis regantur conſilijs. Vidiſti ne unquam pulueris aut palearum globum, uentorum ui ac turbine per aẽrem circunferri, ſurſumq; ac deorſum exagitari? Ita ſanè ſunt hi, qui ſemel à diuina ſua ſponte euulſi protectione, nulla certa nituntur uitæ ratione: ſed quò à mundo, mundanarũq; rerum cupiditate impelluntur, eò confuſiſsima conſiliorum textura, motuq; animi intemperato & effreni, ſeſe uertunt. Et quemadmodũ ſanctiſsimi Dei uiri certo ſuis in tractandis negocijs conſilio, firmoq; propoſito eunt, ut inquit uates, de uirtute in uirtutẽ: ita nefarij homines de malo in malũ, de ſcelere in ſcelus, inconſtantiſsimo ſemper auſu, temerarioq; conatu præcipitantur. Cæterum auget uates, quod dicere inceperat. Angelus, inquit, domini ſit coartans eos: ſeu, ut uult Fel. euertens & elidens eos. Da mihi hominem, ubi ſeſe firmet, tanquam quiſquilias uentorum impetu exuſcitatas, non habentem, quid certi unquã aget? quam rem unquam ſtabilem inceptabit? Sed quid ſi angeli uento omni potentioris adhibeas impulſum? Deus bone, quæ rerum confuſio? quę conſiliorũ actionumq;, & ipſarum quoq; cogitationũ uolubilitas? De his quidem illud à Salomone dictum fuiſſe arbitror: Stultus, inquit, ut luna mutatur. Verùm ut ſtrenuis copiarũ ductoribus id inconſtantię paululũ, quòd ſagacius hoſti queant imponere, concedendum ſit, in Chriſti certè militia nuda omnia eſſe debent, uera, ſyncera, cõſtantia, firma: alioqui hodie ordiri quod cras emoliaris, animi iudicium eſt parum ſui compotis, atq; propterea nulla bonorum ſocietate digni. Horum quoq; effigiẽ in ſequenti uerſu alia demonſtrat imagine Propheta, inquiens:

Fiat via illorum tenebræ & lubricum, & angelus Domini perſequens eos.

Lubri-

A Lubricum, uertit Fel. lubricitates. Nónne illud in hoc loco tibi uenit in mentem, quod ſuos in ciues iratus Eſaias olim imprecatus eſt? Excæca, inquit, cor populi huius, & auribus aggraua, ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant: ne conuertantur, & ſanem eos. Vidés ne quò miſeriarum tendant tenebræ huiuſmodi ac lubricitates à propheta cõmemoratæ? eò nimirum, ut qui ſic uiuũt aut gradiuntur, nullo unquam uiæ lumine, aut firmo regantur ſolo, ſemperq; in periculo ſint, & illo quidem irremeabili & deplorato. Cadant enim crebrò oportet, uel eò maximè quidem ſi à tergo impulſorem habeãt, quem hîc uates Angelum Domini appellat. Senſus igitur erit: Quæcũq; attentauerint, molitíq; fuerint improbi, nutantia ſint, obſecro, præterq; cadant opinionem: níhil eis ſuccedat, in omnibus ſuo fruſtrentur conatu, nutent, lapſentq; continuè, ac tandem quid ſequi, quóue ire debeant, ignorẽt prorſus. Sic ſunt ſanè omnes qui propria ducuntur prouidentia & arbitrio. Atqui extincta in anima luce illa, qui Chriſtus eſt, per quem quidem non ſolùm homines, ſed & ſupremi cœleſtium ſpirituum chori illuſtrantur, perficiunturq;, ut inquit Dionyſius, ac uitam ſumunt, quò tendat, oro? Plena ſunt certè omnia lapſibus, atq; æterna errorum nocte & caligine, abſq; Chriſto. Ad hæc, quod putamus aliud fuiſſe malum illud, quod Cain uago cõminatus eſt Deus, cùm dixit: Incertus rerum tuarum ſemper eris, & uagabundus ſuper terram: quàm inconſtantiam iſtam animi, confuſionemq; tum dictorum tum factorũ, qua iugiter infeliciſsima illorum uita rotatur, qui abiecto Deo, hoc eſt, omni bene uiuendi norma ac lege peſſundata, more pecudum in omnẽ feruntur libidinem ac turpitudinem? Horum igitur (ait ſpiritus) ſint uiæ obſcurę & lubricę. Angelus poſtea ille domini, qui in circuitu obambulat timentiũ eum, & qui nocte una percuſsit in caſtris Aſſyriorum centum octogintaquinq; millia hominum, à tergo illos inſequatur & impellat.

B *Quoniam abſq; cauſa abſconderunt mihi interitum laquei ſui, ſuperuacuè exprobrauerunt animam meam.*

Cauſam reddit uir iuſtus, quamobrem tam dira contra Dei hoſtes imprecatus ſit: Quoniam, inquit, ſine ulla cauſa (ſic enim legit Campenſis) clàm laqueis ſuis mortiferis conati ſunt inuoluere me. Certè cùm hæc lego & cõſidero, nullus mihi è cuncto iuſtorum grege occurrere poteſt, qui tam iuſtè de improborum iniurijs expoſtulare queat, atq; uſq; eò moueri & iraſci, ut mala illa quę hîc connumerantur, ſuis imprecetur hoſtibus, quemadmodum filius Dei, qui (ſi illius in terris uitam nouimus) nec pati debuit, nec mori. Quid unquã tam ſyncera natura, tam pura mens, tam defæcatus animus delinquere potuit, ut ea tormentorum genera experiretur, quæ ne à carnifice quidem crudeliſsimo nõ ſine miſericordia nefandiſsimis piratis admouerentur? pertulit tamẽ innocentia, quod nobis nocentiſsimis debebatur, ſuumq; fecit quod erat noſtrum, nempe peccatum, iniurias, crucem, mortem. quare de illatis ſibi immeritò contumelijs nõ raro queritur. Interitum porrò laquei uocat dolos illos ac fraudes, quibus innocentiſsimum Dei filium Scribæ illi aſtutiſsimi irretire conati ſunt. uerùm quandò ipſe uoluit, captus eſt. Ex qua quidem bona eius erga nos uoluntate, noſtra adeò uim ſumpſit ac robur, ut nemo iam ab hoſtibus quamlibet fortibus & truculentis uinci poſſit, niſi uelit. Data eſt igitur uis ea animi atq; uoluntas à Deo nobis per Chriſtũ, ut neq; cupiditatibus, neq; hominum iniurijs perſecutionibusq; ſuccumbamus, niſi uelimus. Quid uerò id ſit quod noſtram ita informet uoluntatem, ut bonum uelit, malumq; auerſetur, gratiam diuinam puto eſſe, quæ debili noſtro unita arbitrio per ſe algido & pigro, ipſam ad expetendum bonum excitat, pungit, irradiat, tantum abeſt ut illam cogat. Superuacuè exprobrauerunt animam meam. Licet is ſenſus uideatur perinde eſſe, ac ſi diceretur, Sine cauſa irridentes dixerũt omne malũ aduerſum me: Hebræis tamen alia eſt litera, proindeq; ſenſus alius. Vnde ſic uertit Fel. Fruſtra fecerũt foueam animæ meæ. Paraphr. uerò, Sine cauſa foueam foderunt animæ meæ, ſiue in perniciem meam. Verùm,

C *Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat ipſum.*

In ipſum, inquit, cadat laqueum quem alijs parauerat. Subitam hîc ruinã inſperatamq; calamitatem ſuis deprecatur hoſtibus, ſed metaphora à uenatoribus mutuata, qui ſcrobe aliqua obtecta, laqueum circumnectentes, lupis, aut alijs id genus feris inſidias parant, ut dum eæ inconſultò expoſitã ad eſcam adcurrunt, in doloſam incidant foueam, cuius altitudine ſaltem, ſi non laqueo, aut rete, capi queant. huiuſcemodi enim infortunij euentus per ſe homini ualde calamitoſus eſt, ſi cõtingat: ſed longè miſerior atq; infelicior ſi ſubitò, cum tumultuq; ac præter opinionẽ & ſpem, de quo ne cogitarat quidem, incidat. Quid ſi porrò in eandem ipſam, quã alijs parauerat, illabitur miſeriam? auget id quidem infortuniũ. Sic Felix: Veniat illi ſtrepitus, ſeu, ut alius tranſtulit ex Hebræo, tumultus quem non cognoſcet: hoc eſt, de improuiſo, antequam rei euentum agnoſcat, cadat. Nam ferè id ſemper accidit, ut qui è ſublimi in profundũ aliquod labitur, repenti no exanimatus caſu, deorſum in caput maximo cũ clamore ac ſtrepitu uoluatur. Vnde ſic reddere hunc uerſum aliquibus libuit: Laqueus ſeu rete quod abſcondit, capiat ipſum, cadatq; cum tumultu in illud. quò ſubitã intelligas fore Iudæis Chriſti hoſtibus ruinam & calamitatẽ. Certè ſi obſtruſiores humani cordis receſſus corporeis oculis uideri poſſent, nõ ſolùm quidem hæc, alioquin ſæua & horrenda, in ſceleratorũ animis ineſſe cerneremus, uerumetiam terrifica magis, magisq; dira & monſtroſa. Cùm enim Deus adeò natura in largitiones effuſus ſit, &, ut ſic dicã, prodigus, ut illius quoq; hoſtes indeficientis eius benignitatis participes efficiantur, uidentur hi interdũ feliciſsimi in mundo eſſe. Sed quid ſi morſus illos atroces in conſcientia cerneres? quid ſi confuſionẽ illam animi, mentisq; inconſtantiam uaſto perturbationum pelago atq; libidinum exagitatæ conſpiceres? iurares quidem illos tum maximè miſeros eſſe, atq; infelices, cùm uulgo ma
D ximè feliciſsimi uidentur ac beati. Extracta autem cruſta illa beatitatis in ſuperficie (prò Dei fidem) quid turpitudinis non uideretur? Deme, te oro, ab illis diuitias, deme magiſtratum, deme Principum fauorem, quid niſi nudos graculos intueberis? Rotentur itaq; (ait ſpiritus) in æternum ſuo illo, poſtquã ſic uolunt, confuſionum ſtrepitu & tumultu: contrà uerò,

Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.

Anima, inquit, mea, quæ in laqueis tanquam incauta auicula, perire ſperabatur, non peribit, non cadet, non ob id in mœrore contabeſcet: ſed exultabit in Domino, geſtietq; lætitia indicibili in ſpiritu, ob ſalutem ſibi præſtitam. Paraphraſtes tamen optandi affectu ſic uerſum reddidit: Anima mea gaudeat, & exultet ſerió, propterea quòd ſalutem afferre dignatus eſt mihi. Semper ferè noſter interpres ſalutare tranſtulit pro ſalute: quanquam nec ſalutare quidem uacat myſterio. Cùm enim ſalutarem hanc dictionem per pſalmos tanquam margaritam interſperſam uideo, occurrit mihi ſtatim Dei filius Chriſtus Ieſus, qui adeò ſalutaris noſtra factus eſt ſalus, ut nulla alia unquam fuerit, eritq; in poſterũ. Quare ſiue ſalutare eum appellet uates, ſiue ſalutem, idem Chriſtus eſt, idem Ieſus, idem ſeruator. Et quidem (ut quod ſentiam loquar) uidetur hîc mihi uates dicere uoluiſſe: Anima mea multas ob rationes exultandi in Deo, eiq; gratias agendi, materiam haudquaquam tenuem atq; inefficacem habet: uerùm omnis oblectamentorum meorum lætitiarumq; uis ac neruus, in fide uenturi Meſsiæ poſita eſt. Cùm ſanè recolo quid is mortalibus allaturus ſit in terris, uideo nuſquam bonum, nuſquam pacem, nuſquam uitam, nuſquam ſalutem poſſe eſſe, niſi in illo. Idcirco mea in me anima geſtit gaudio, in ipſoq; prorſus delectatur, illum uult, illum cupit, illum amat, illum uotis omnibus expoſcit. Sed nõ ſolùm id quidem, uerumetiam ipſa

Oſſa mea, res alioqui ſtupida ac vitæ expers, exultabunt, gaudebuntq;, & dicent: Domine quis ſimilis tibi? eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum.

Latinus

A Latinus interpres duobus ſenſum uerſibus expreſsit, qui uno tantummodo debuerat. Vnde Paraphraſtes: Omnia oſſa mea dicant non eſſe ſimilem tibi domine in eripiendo pauperem à uiolentia eorum, qui uiribus illo ſuperiores ſunt: in eripiendo, inquã, afflicto & egeno ab opprimentibus illum. quare ea eſt Hebræis litera: Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſicut tu, qui liberas afflictum ab eo qui illo robuſtior eſt, & afflictum & inopem à deprædante illum? Vides hîc certè genus humanum afflictum, ad eamq; olim redactum bonorum inopiã, ut in omnibus à fortiſsimo mundi tyranno deprædatoreq;, tanquã uiliſsmũ mancipium opprimeretur: id tamen Chriſtus in eam quam nunc cernimus libertatẽ, mortis ſuæ munere, à quo uita omnis dimanauit, tranſtulit. Sunt porrò qui intima ſeu uires, pro oſsibus uertunt, ut ſit ſenſus: Omnia intima mea uiresq; meæ omnes & affectus tantorum beneficiorũ memoria exterrefacti clamabunt, Domine quis ſimilis tibi? quis tam fortis? quis tam bonus? quis tam ad ueniam facilis? Tu afflictum, tu inopem, tu miſeriarum acerbitate ſeſe torquentem, à prædonum ſæuitia ſolus uindicas, præterea nemo.

Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.

Quod non cognoui, interrogabant me, uertit Fel. Paraphraſtes uerò: Quæ ignorabam, ipſi interrogantes obiecerunt mihi. Vehementem hîc hoſtium ſuorum crudelitatem exaggerat uir iuſtus, ſed in primis ipſæ iuſtitiæ dator Chriſtus. Inter cæteras enim uitæ miſerias quibus obnoxij ſunt improbi, illa potiſsimum deterior uidetur, cùm nefandarum cumulo actionum falſitatem quoq; teſtium in alicuius infamiam & perniciem addunt. Quod ſanè Chriſto agno candidiſsimo, cohortes inter prætorianas conſtituto contingit. Summi ſacerdotes, inquit Marcus, & omne concilium, quærebant aduerſus Ieſum teſtimonium, ut eum morti traderent. Cuiuſmodi autem generis illud fuerit teſtimonium tam importunè quæſitum à Iudæis, explicat dicens: Multi autem falſum teſtimonium di-
B cebant aduerſus eum. Sed uide, uel inter ſexcentos iniquitatis teſtes, quàm ualidè emerſerit innocentia. Teſtimonia, inquit, cõueniẽtia non erant. Solent porrò iudices, qui ui metuq;, pœnis aut interrogationibus quoq; in inuolucro confuſis, ab reo, quod uolunt, extorquere nituntur, ambages neſcio quas uerborum contexere, quò miſer ille incautè nõnunquam annuens ſeſe egiſſe, quod ne per ſomnium quidem unquam optauit, falſorum tandem teſtium iudicio & accuſationi ſubiaceat. Hinc q; eſt (opinor) quòd dicit uates, ſe de his quæ nunquam nouit interrogatum. Heu quantum olim attulit exitij bonorum uirorum integritati & candori, iſtiuſmodi peſtis lues.

Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.

Ecce aliud miſeriæ genus in improbis. Reſpondebat, inquit interpres Hebræus, malũ mihi pro bono, orbitatẽ animæ meę. Cõmodius tamen ſterilitatem uertit Fel. quàm orbitatem: ut ſit ſenſus: Ea quidem quæ in me moliuntur uiri athei, mors quodammodo ſunt animæ meæ: ſiquidem diutius ab illis afflicta nõ ſecus ſe habuit, quàm ſe habet mulier effœta, cubansq; in puerperio. Auxi, inquit, in illis beneficia, ueluti in agro ſemen: illi autem, negato fœnore, ſpinas, gramenq; inutile, ſignum nimirum ſterilitatis, retulerũt. Quid? in eam me conie cerunt miſeriam ac ſolitudinem, in qua orbi (orbitatis nomen explanandum eſt) hi ſcilicet qui nullo amicorum ſubſidio fulciuntur, ſoli eſſe ſolent. Eſt nimirum aliquid dignum laude, pro beneficijs beneficia compenſare, par pariq; in donis referre: ſed illud laudem omnem ſuperat, cùm quis bonum alicui pro malo reddit. Is calculis omnibus inter diuos referri debet, ſimulac æternũ patrem in tam liberali actu beneficentiæ imitatur, qui continuis & his quidem nefandiſsimis à nobis laceſsitus iniurijs, contumelijſq; affectus, haud ceſſat tamen quin è benigniſsimo ſuo gratiarum fonte hauriat, quod perpetua tanquam irrigatione in nos ingratiſsimos deriuet. Verùm non tantùm id quidem diuinæ imitationis argumentũ eſt, quantùm illud diabolicæ, cùm quis ab alio beneficijs prouocatus,

C ornatusq; dignitate ac gloria, probrũ refert & iniurias. Vidi ego aliquando præclariſsimos uiros atq; ad fortunæ uulnera planè immotos, neq; proprer morbũ aliquem, neq; propter uim quamuis ſæuam hoſtium, aut exilium, aut liberorum mortem rerumq; depopulationem & exterminium, à recto animi ſtatu potuiſſe deiici, unico tamẽ ingratitudinis actu adeò inſaniſſe, ut in mœrore prorſus contabuerint. Hinc ſunt (credo) innumera illa in ſcripturis exempla, in quibus Deus Iudæorum carpens proteruitatẽ, illis obiicit, quanta ſemper uel ab ipſa prima rerum origine pro illorum ſalute geſſerit: illi uerò pro immenſis beneficijs, immenſas (ô ingratum populum) contumelias, maledicta, blaſphemias, obtrectationes, ac mortẽ tandem eius rependerunt filio. Quare nõ iniuria hîc queritur Chriſtus, ſibi ſuiſq; amicis pro bono malum repenſum eſſe. Vide quid dicat:

Ego cùm mihi molesti eſſent induebar cilicio,

Humiliabam in ieunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuertetur.

Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam, quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar.

Summæ charitatis indicium exprimitur. Cæterùm ex Felicis litera, qui tranſtulit, ego autem, cùm ipſi infirmarentur, indumentum meum ſaccus: nõ tu illud Apoſtoli audire fateris? Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? Non poteſt quidem non dolore affici membrum, pro membri illius dolore aut damno, quod eidem ſecum corpori annexum eſt. Poteſt id manus pro oculo, pro manu oculus, pes, caput ipſum tandem in corporibus hiſce brutis & moribundis, et non poterunt membra illa quorum corpus Eccleſia eſt, caput uerò Chriſtus? qui æterna nos compage tam rectè ſibi inſeuit, uniuitq;, ut impoſsibile omnino ſit tam diuini corporis membrum non idem, eiuſdemq; ſubſtantię ac naturæ, cum reliquis eſſe membris. Idcirco eiſdem ipſis affectibus alterum pro altero afficitur, idem dolent, idem amant, idem appetunt, modò alteral

D terius membra ſint in Chriſto, ut inquit Apoſtolus. Mos porrò antiquis fuit, & nunc quidem manet, ut dolorem animi pro ſe aut pro ſuis intimis ſuſceptum, externis quibuſdam ſignis prę ſe ferrẽt: inter quæ erat luctus, ieiunium, triſtisq; inceſſus, & habitus ut plurimum cinere ac puluere conſperſus, mœror inſuper in facie, lachrymæ, ſingultus ac mœſta (quod pluris faciebant) ſedulaq; ſupplicatio. Etenim uerus dolor, hoc eſt, pro ſerijs rebus aſſumptus, eum facilè cui quid dolet, ita attonitum reddit, atq; in his conſiderandis, quæ premunt magis, occupat, ut ſui prorſus immemorem faciat, nedum cibi, aut honeſtioris uitæ cultus: nihil enim hi tam cupere uidentur, quàm ut quam primũ inuiſa hac ab luce ſoluantur, quocirca nulla illis propriæ uitæ ineſt cura. Hæc ſanè mœrorem intimum atteſtantia ideo hîc uates accumulat, ne non ſciremus qualis in Chriſto futura eſſet erga genus humanum clementia: ſubindeq; in ſuis quæ eſſe debeat, quos nimirũ ſui haud diſsimiles, cùm in omnibus, tum in his maximè, quibus miſerorũ calamitatibus ſubuenitur, eſſe uoluit. Eſtote, inquit, miſericordes, ſicut pater ueſter miſericors eſt. Quàm uerò ardenter homo hominem in ærumnis poſitum diligere debeat amplectiq;, ac æquè illius ſalutis uti propriæ curam habere, id eſt argumento, quòd illum ſic ſe in miſerijs torquentẽ, proximum fratremq; appellat uates. Quaſi, inquit, proximũ & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam, quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar. Clarius Hebræi: Habebam me, inquiunt, ac ſi eorum proximus, ac ſi frater fuiſſem: uti qui lugent matrẽ pullatus incuruabar. ut hîc primùm uideas matrem latinis in codicibus deeſſe. quare ſic uoluit Fel. Sicut lugens matrem nigerrimus humiliatus ſum. Solent enim filij teneriori affectu matrem, quàm patrẽ diligere, idcirco iſtius quàm illius mortem tolerantius ferre. Porrò uerbum, cõplacebam, ſic interpretantur: Ego homini ſic afflicto ſtudui tanquã amico, tanquam fratri, & illi quidem chariſsimo, complacere & gratificari. Vnde cumuli huiuſce uerborũ ſenſum elegantiſsimè, ut cætera, expreſſit Paraphr. hoc modo: Ego interim cùm ipſi infirmarentur, pro ueſtimento uſus ſum ſacco, & ieiunio macerauí me, & precibus impetraui à domino quę uolui

pro

A pro eis. Tanquam ſi ſummus amicus, imò frater quiuis eorum mihi fuiſſet, omnia humanitatis officia eis exhibui in aduerſis: non aliter quàm qui matrem luget, pullatus & capite demiſſo inceſsi. Atqui ſcribenti mihi, atq; ex animo, quid ſibi uelit hîc ſpiritus conſideranti, mœror ille Dauidis in mentem uenit, qui audita morte filij, cooperto capite incedens lugebat filium dicens, Abſalon fili mi, fili mi Abſalon: quis mihi det, ut ego moriar pro te fili mi Abſalon? Quid illud mirabile charitatis exemplum in Chriſto? qui præuidens ciuitatem illam ſceleſtam, ſui ſuoruḿq; interfectricẽ, haud multò pòſt iri exterminatũ, fleuit ſuper eam dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu, quoties ego, inquit, uolui cõgregare te quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur domus ueſtra deſerta. Vide quàm pio affectu, quàm non libenter futura ſuorum hoſtium exitia uaticinatur Chriſtus. O normam certè beatitudinis compendioſam, ſed parum à pleriſq; cognitam. Eò enim noſter à multis iam retrò annis aſcenderat faſtus & tumor, ut non ſolùm hoſtium noſtrorum ærumnas, infortuniáq; cum gaudio ac riſu recenſeremus, ſed etiam amicorum ſi non miſerias læto animo audiremus (id fuiſſet nimium inſolens) at ſaltem fecundas eorum res ac fortunas perturbato pectore uel audiremus ab alijs, uel nos alijs commemoraremus. An uerò in præſentia meliores noſtra hæc ætas pariat liberos quàm antea, non dico: ſunt qui deteriores arbitrantur. Iam illud poſtremò uidendum, quid ſibi uelit, Et oratio mea in ſinu meo cõuertetur. Conuertatur uertit Fel. alius uerò uerſabatur. Alius item ex Hebræo: Et totus eram in precationibus. ut nihil aliud fermè ſit orationem in ſinu noſtro conuerti aut uerſari, quàm nos frequenter orare: nec quicquam tam aduerſum poſſe contingere, quin ab orandi officio abſterreamur. quanquam non me clàm eſt alium ab alijs reddi ſenſum, hoc ferè modo: Semper quidẽ meis pro perſecutoribus Deum orani, quibus ſanè cùm nihil mea profuerit oratio, quippe qui indigni erant, pro quibus ego exaudirer, ea tamen
B in ſinu meo conuertetur, hoc eſt, mihi utilis erit. Quòd ſi mauis optandi affectu cum Felice uerſum legere, is erit ſenſus: Adeò mihi non ſum conſcius mala pro meis hoſtibus oraſſe, ut hoc ipſum quod orani, ad me reuerti cupiã. Si malè precatus ſum, id totum in me conuertatur, recidat́q;. & eſt ac ſi dicat: Bona illis ſemper precatus ſum, illi uerò contrà. O perfidiam hominum.

Aduerſum me lætati ſunt & conuenerunt, congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.

Felix ſic: Cùm ego attritus eſſem, lætati ſunt, congregati ſunt: congregati ſunt aduerſum me claudi, & non cognoui: aperuerunt, & non ſiluerunt. Hîc mihi (fateor) crudele ſpectaculum mortis Ieſu in memoriam uenit, cui adeò multa paulò ante crucem flagella accumulata fuere, ut impoſsibile planè uiſum tum fuerit, hominem unum tam diros perferre potuiſſe cruciatus. Tulit tamen amantiſsimus noſtrî dominus ea illa, quæ iure omni mortalium generi debebantur, & quæ ſpiritus in ſuperioribus una tantùm dictione Cilicium appellauit, nõ quidem illud hirſutis contextum uillis, aut acutiſsimis interſertum paliuris, ſed uerberibus, irriſionibus, contumelijs, ictibuśq; tam ſæuis & inhumanis, ut cruor è membris illius puriſsimis partim immenſo emanaret profluuio, partim ſub cute interceptus carnem illam ſanctiſsimã ita atris oppleuerit uibicibus, ut non iam caro hominis in ludæa enutriti, ſed nigerrimi Aethiopis appareret. O certè ciliciũ noſtris ſceleribus debitum, nõ illius innocentiæ: qui idcirco omnes omnium turpitudines & peccata integere dilueréq; potuit, quia unus omnium inuentus eſt ex omnibus Adæ poſteris, qui ſine peccato eſſet. Vis ne huius candorem ac puritatẽ à ſponſa ſecretorũ illius conſcia diffuſius audire? Dilectus meus, inquit, candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimũ, comę eius ſicut alatæ palmarum nigræ quaſi coruus. Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſsima. Genæ illius ſicut areolę aromatũ conſitę à pigmẽtarijs. Labia eius lilia diſtillantia myrrhã primã. Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus diſtinctus ſapphiris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas,

C Species eius ut libani, electus eius ut cedri. Guttur illius ſuauiſsimũ, & totus deſi derabilis. Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus filiæ Hieruſalem. Hîc habes Chriſti noſtri in ſpiritu effigiem, hîc animi illius formã, hîc candorem, hîc puram ab omni lue peccati animam: alioqui certè debitor pro debitore debitum quî ſoluere potuiſſet? Sed ad pſalmum. Illi, inquit, qui ob innumera mea in illos beneficia pro me ſtare, aut ſaltem in meis mecũ dolere afflictionibus debuerant, aduerſum me ſteterunt, ob meumq; lætati malum, unà cum alijs meam in mortẽ conſpirauerunt: hi, inquam, quos me ſalutem illis afferentem audire amareq; oportuerat, ut mortem mihi inferrent, congregati ſunt. Ego ut illis uitam darem, morti me dari paſſus ſum, illi uerò contrà pro uita mortem mihi aſciuere: ex qua quidem immani illorũ ſæuitia & ingratitudine, ipſi quoq; ſibi mortem pro uita nacti ſunt. Cæterùm putas ne, ô lector, cõuentus omnes, cõgregationesq; Chriſtianorum, in Chriſto fieri? nonne interdum contra Chriſtum? Aſtiterũt, inquit ſpiritus, reges terræ, & principes conuenerunt in unum, ad quid, obſecro? aduerſus dominũ, & aduerſus Chriſtum eius. Hi ſolummodo igitur Chriſtiani ſunt cœtus, ſanctiq; conuentus ac Concilia, in quibus aut de informandis ſecundũ Chriſti legem moribus, aut de illius dilatando cultu & religione iuſtitiaq;, quæ iam diu è terris exceſsit, reuocanda decernitur. De dilatando uerò temporali eccleſię dominio, req; familiari tutanda & augenda quoq; conuentus qui habentur, hoc magis uulgò probari ſolent, quò ob Chriſti honorẽ & gloriã hos cernunt fieri. Illos uerò quos paſsim à nõnullis quotannis acciri audimus, è quibus níhil aliud prodire cernimus, q̃ Chriſti iniurias, proſcriptiones, exilia, oppreſsiones, furta, rapinas, & cætera huius generis, in mutuas perſecutiones internecionesq; excogitata mala, quis probus laudet? Et ignoraui, inquit: hoc eſt, cauſa, cur me tantopere odio cõuicijsq; inceſsêre, me prorſus latuit. Quod uerò noſter interpres uertit flagella, Chaldęus, quò magis translationẽ aperiret, tranſtulit, impios inſidia
D tores. Et quod nos legimus,

Diſsipati ſunt, nec compuncti,

Hebræis eſt, diſciſsi ſunt, & non ſunt compuncti: hoc eſt, à ſeipſis quoq; diuulſi, diſcordíq; animo uiciſsim diſsipati, ad cor per reſipiſcentiam neutiquam redierunt. quanquam Felix, Aperuerunt, ſiue ut alius, Sciderunt, & non Siluerunt, uertit. Quorum uerborum ſenſum ſic reddit Paraphr. Proſcindebant me conuicijs ſine intermiſsione: ut Non ſiluerunt, in hoc loco, ut in pleriſq; alijs ſcripturę, idem ſit, quod non ceſſauerunt, quod aliàs admonuimus. quare reddit Paraphraſtes, ſine intermiſsione. Chaldæus uerò ſic: Si excoriarent me pelle mea, non haurirent à me ſanguinẽ. Vt hinc certè intelligas, Chriſti corpus adeò immenſis affectum fuiſſe cruciatibus, ut exangue prorſus remaneret. Vnde alio in pſalmo ad hunc queritur modum: Aruit tanquã teſta uirtus mea. An uerò ſanguis aut humor alius è teſta igne cocta exire queat, tute iudica. Sic igit̃, hiſceq; delitijs à ſuis acceptus fuit Chriſtus pro te, ô homo.

Tentauerunt me (inquit) ſubſannauerunt me ſubſannatione, frenduerũt ſuper me dentib. ſuis.

Hiſce enim deriſionum irarumq; indicijs, nõ ſolùm Dauidẽ quidem, alioqui fœdiora quoq; promeritum, obnoxium fuiſſe legimus, uerumetiam, & in primis ipſum omnium hominum, quotquot unquam uixerunt, uicturíq; ſunt, innocentiſsimũ Chriſtum. Vah, inquiunt, qui deſtruis templum Dei. Eat modò, ſi filius Dei eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Quid ſtrepitus illi frequentes, tu multusq; tum Iudæorũ tum gentiũ per trienniũ contra ipſum excitati? Quid porrò ſæua illa ſucclamatio, ſtridorq; uel uſq; ad ſidera, Tolle, tolle, crucifige eum, præ ſe tulit aliud, quàm iratos illorum animos, planeq; ferinos in manſuetiſsimũ agnum? Tota denicq; Chriſti uita, eo maximè tempore quo mundo conſpicuus eſſe cœpit, quid aliud fuit quàm uulgi irriſio, ſubſannatio, crux tandem, ac continua uſque ad tumulum perſecutio & mors? Eapropter non moleſtum admodum eſſe debet, ſi membrum eiſdem ipſis ęrumnis, quibus obnoxium fuit caput

expoſi

A expoſitum eſſe cernimus. Nimium quidem noſtram foueremus teneritudinem, ſi ſpinoſo ſub capite, ut inquit Bernardus, delitias quæreremus. quærāt hoc alij: ſacra uerò unda intincti hoc propius ſuã ad profeſsionem accedunt, quò durio-rem ſibi eligunt uitæ rationem. Tentauerunt me (clamat Chriſtus) improbi homines, claudíq;, ut uertit Fel. hoc eſt, uiles, ut ipſemet interpretatur, & abiecti ſubſannauerunt me, fremueruntq; ſuper me dentibus ſuis. Sic, ſic (inquam) meos à mundo tractari oportet. In mundo quippe ſunt, ſed de mundo non ſunt. Erat'ne de mundo amicus Dei ille qui inter hoſtiles Iudæorum turbas poſitus irriſusq;, percuſſus, ac ſaxis penè obrutus non ſuam, ſed perſequentiũ indoluit miſeriam? Vnde, ut refert Lucas, exclamauit, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatũ: cùm interim illi audientes diſſecarentur cordibus ſuis, & ſtriderent dentibus in eum. Nónne is cum Chriſto, cui martyrij primitias conſecrauit, dicere poterat, Tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus ſuis? Cæterum litera quæ eſt Hebræis, non alium quidem ſenſum, ſed paulò diuerſum habere uidetur. Aſſentatores, inquiunt, cum paraſitis omnia ſubſannantibus, infrenduerunt cõtra me dentibus ſuis. Fel. uerò paulò ſecus: Cum ſimulatoribus deriſionum eſculentorũ frenduere aduerſum me dentibus ſuis. & eſt ſenſus: Cũ ſimulatoribus claudi illi, uani ſcilicet homines & nihili, congregati ſunt deriſionum eſculentorũ: hoc eſt, quorum mos eſt, ut derideant alios, quò inde cibum habeant. Quare ſic reddit Paraphraſtes: Vnà cum ſcurris & irriſoribus fruſto panis conductis non deſtiterunt frendere contra me dentibus ſuis. quanquã forſan melius pro frendere, denudare uertendum erat, ut effuſum intelligas riſum quo dentes denudantur. Verùm quoquo ſe modo res habeat, id liquet, uirum hîc iuſtum conqueri, uanos homines, futiles, & qui ſcurrilibus oblectantur dicteriis, unà cum ſuis hoſtibus de ſuis malis lætatos eſſe, ſibiq; quò magis dolorem augerent, illuſiſſe. Idcirco ſic tranſtulit Chaldæus: Verbis deluſorijs & ſuperbis & deriſorijs ſtrinxerunt contra me dentes ſuos. Non eſt quidem in ciuiũ

B conuictu genus hominum tam turpe ac infame, quàm illud eſt quo quis gulæ cauſa, non ſolùm Principum (id forſan tolerandum, quanquam nec id quidem) ſed omnes omnium uulgò hominum menſas ac cupedias inſectantes Gnathonicam profitetur artem: hi quidem fœdiſsimis aſſueti moribus, nihil non turpitudinis in illorum gratiam, à quibus uictum ſperant, effutire ſolent: hincq; (ô animas fruſtra corporibus unitas) quiduis facilè derident, profuſiſsimoq; ſubſannant cachinno, modò ſuis Thraſonibus riſum moueant, illorumq; gratiam nanciſcantur, nulli quamuis circunſpecto ac graui uiro ſolent parcere: & id quidem præſentibus matronis puellisq; innuptis, ac pueris, & quod acerbius auditur, in uiduarum ædibus & nuptijs. Eo'ne uilitatis res ea deuenit, pro qua emenda Dei filius tam dira in terris paſſus eſt? Heu,

Domine quando reſpicies? Reſtitue animã meam à malignitate eorũ, à leonibus Vnicam meam.

Certè cùm tam crebras uatis huius querelas ob imminentium periculorum metum lego, alterius mihi generis hoſtium, quàm illud eſt quod in corpora deſæuire ſolet, in mentem uenit. Eſt multum profectò homini, præſertim in ſpiritus doctrina nondũ erudito, ab improbis hominibus tum lingua tum ferro quaquauerſum impeti, ac probro haberi: ſed longè atrocius illud eſt, periculoq; propius, atque magis extimeſcendum, cùm eſt cum hoſtibus incorporeis confligendum. Sauciari quidem ab hominibus, ac uulneri altè infixo irriſionẽ addi, ferendum utcunq; eſt: at à telo, neſcio quo, inuiſibili transfodi, inſuperq; derideri, eò grauius eſſe ſolet, quò uulnus à pleriſque non ſentitur, diſſimulaturq; interdum. Quocirca non tantum hîc uates à corporeis orat eximi hoſtibus, quantum ab incorporeis. Cæterùm maioris efficaciæ ea eſt litera, quæ eſt Hebræis: Domine, inquit Fel. uſquequo reſpicies? Reticentiæ plenus eſt uerſus: ſolent enim hi, qui cumulo aduerſitatũ oppreſsi ſuum detegere conantur dolorẽ, haud raro ſingultibus intercipi, atque idcirco aliàs mutire, aliàs uerò prorſus, quod ſciri cupiunt, retinere. Domine, inquit, quouſq; aſpicies? Vide ſermonis inciſionem: inferen-

C dum enim fuerat, Nec fers opem, nec hoſtium meorum ſuperbam retundis arro
gantiam, cùm tamen omnia uideas, æquiſsimoq; ponderes iudicio. Tunc enim
Deum quodāmodo noſtra non uidere arbitramur, cùm iuſtiſsima ſua prouiden
tia & conſilio nō æquè citò atq; optamus, nobis opitulatur: uidere uerò, cùm uo
catus præſtò adeſt, uenitq; actutùm ſuppetias. Hebræi ferè omnes pro malignì-
tate tumultum uertunt, & uerè tumultum. Nam quid agunt ſceleſti, aut moliun-
tur animo, quod tumultibus pleniſsimum non ſit: ordinatiſsimæ quippe Dei le-
gi non auſcultantes, quid in ſe habēt, quod ſtrepitum non referat & tumultum?
Porrò unicam uocat animam, hoc eſt, ſolitariam, deſolatam, ab omnibusq; dereli
ctam ac deſtitutam: quam orat ab improbis, quos propter truculentiā, morum-
ue faſtum & ſuperbiam, leones appellat, muniri. Fel. uertit, A catulis leonū: quò
quorundam ex primatibus (credo) conſuetudinem exprimat, qui interdum in
oppugnanda ex ſeſe miſerorum innocentia feſsi, ſurrogāt catellos, neſcio quos,
ipſi ſuccenturiati, qui ex illorum autoritate laſciuientes, palàm uel optimis qui-
buſq; inſultare non uerentur. Quod quidem impudentiæ genus, ob ſordidā eo-
rundem hominum qui in eo uerſantur conditionē, probis ſolet eſſe moleſtius, q̄
illud quidem, quod licet per ſe, uti cætera uitia, deteſtandum ſit, è domo tamē no
bili demanat: quanquā nulla poteſt eſſe domus nobilis, in qua ineſt ſcelus. Qua
quidem admonitione mortaliū aures uellendas eſſe duco, ne dum in diuitijs ſo-
lummodo, aut principum fauore ſuam ſtatuunt nobilitatem ac familiæ ſplendo-
rem, poſteris aut nullam illam omnino, aut tenuem relinquant. Siquidem (ſi me
interrogas) nihil unquam in rebus conditis tam fallax uidi & fragile, q̄ ſunt di-
uitiæ, aut fauor principū. Nobilitas uerò illis innititur rebus quæ æternæ ſunt, e-
tiam in exilio, extremaq; rerū inopia, ac (quod ait Eſaias) in camino paupertatis.

Confitebor tibi Domine in eccleſia magna, in populo graui laudabo te.

Voto ſe aſtringit hîc uates, uatumq; dominus, ſe patris nomen celebraturum:
& id quidem non in angulis, aut anguſta tantūmodo Iudæorū regione plebeq;,
D pro maiori parte uana atq; inutili, ſed in multa gentium frequentia & multitudi-
ne: id enim ſignificat Eccleſia magna. Aliàs admonuimus, confeſsionis nomen,
laudes interdū, interdum gratiarū actiones præ ſe ferre, ut in hoc loco. Vnde ſic
reddit Paraphr. Accepta tibi referam omnia mea, idq; palàm in hominū frequen
tia. Dona enim Dei (modò omnis ab animo abſit uanitas) obtegere, impietatis
indicium eſt atq; ingratitudinis. Duobus quippe affectibus hi maximè mouen-
tur, qui Deum diligunt: altero quidem amoris, altero autem ſtudij ac curæ diui-
na promulgandi beneficia. Venite, inquit alio in pſalmo, & uidete quanta fecit
Deus animæ meæ. Quare non fruſtra admonitum nos iri curauit ſcriba illa ſpiri-
tus, cùm ait: Quiſquis cōfeſſus fuerit quòd Ieſus ſit filius Dei, Deus in eo manet,
& ipſe in Deo. En amoris ſumma. Nec quicquam aliud ſanè hîc eſſe ducas con-
feſsionem, præterquā laudem gratiarum ue actionem, celebritatem, & ſanctifi-
cationem Dei nominis coram mundo. Quod quidem in primis, quoad in terris
uixit, executus eſt Chriſtus: ſubinde hi omnes qui ſunt eius. Cōfeſsiones uerò il-
læ gratiarumq; actiones quæ in templis quotidie fiunt in pſalmis ac canticis ſpi-
ritualibus, ut inquit Paulus, quemadmodū ſanctiſsimæ quidem ſunt, ac Deo di-
gnæ, ſi ab animis proficiſcantur tranquillis, & à terrenarū rerum contagione pu-
ris omnino: ita immundæ, prorſusq; inutiles iudicantur, ſi ab impuris elatisq; pe
ctoribus erumpunt. Quare eæ quidem nugæ, illæ laudes exiſtimari debent. Pro-
inde, ſi ſapimus, ſummo cauendum erit ſtudio, ne interuerſo rerū ordine, ſub ſan
ctiſsimo cœleſtiū uerborum uelo ac prætextu, pro laudibus gratiarum ue actio-
nibus, nænias ſtrepitu neſcio quo inani proferamus, atq; propterea ab eo qui ha
bitat in cœlis, irrideamur, excludamurq; à guſtu illo diuinarū rerum, quem hi ſo-
lum hauriunt, qui ab omni carnis inquinamento atq; ambitione ſemoti, in terris
quidem corpore, in cœlis uerò ſpiritu atq; animo uerſantur. Cęterùm, In populo
graui, in populo forti tranſtulit Fel. utrunq; enim Dei uerbum audienti neceſſa-
rium. Siquidem pectus diuini ſeminis capax, ab omni prorſus leuitate animi, at-
que

A que imbecillitate uacare debet, alioqui nullum ex eo fructum expectari conſentaneum erit. Nulla certè coitio atq; amicitia inter æternum & caducum, inter firmum paſsimq; cohærens, & diſſolutum, ſuiq; diſsimile, eſſe poteſt.

Non ſupergaudeãt mihi qui aduerſantur mihi iniquè, qui oderũt mẽ ſine cauſa, et annuũt oculis.

Ne gaudeant ſuper me, uertit Hebræus. Illud uerò, iniquè, falsò ſeu immeritò, & abſq; ratione, tranſtulit. quare ſic reddit Paraphr. Non habeant anſam inſultandi qui hoſtiliter inſequuntur me abſq; ratione. Cæterùm, annuunt oculis, nihil aliud eſſe interpretantur, quàm ſubſannant. unde ſubdidit: Nec illi qui odio me habent ſine cauſa, & ſubſannant me. Verùm ardentior mihi uidetur eſſe affectus in uerbo, annuunt: ſolent enim hi, qui alicui lapſum parant & ruinam, alterius nutum, quò ſuum quiſq; obeat munus gnauiter, obſeruare: nam id uerbis exprimere haud tutum putant. Alter igitur in alterius uultum iactantes oculos, tum rem ſtruunt, tum animi conceptum mutuo detegunt nutu. quod quidem eò periculoſius eſſe ſcimus, quò ab inimico animo proficiſci non ignoramus. Eſt porrò quoddam odij genus inter cætera abominandũ magis, cùm quis nulla accepta iniuria, ſed ſola libidine uoluptateq;, aut uirtutis odio, quempiam maleuolentia perſequitur: quod ſanè à liuore atq; inuidia pullulare non rarò experti ſumus. Ab his itaq; ſic malè affectis hominibus petit uir probus liberari: hoc eſt, non propterea deijci animo atq; à uia iuſtitiæ deturbari, quòd iniuſto ſcilicet odio & immerito impetitur: iſtiuſmodi enim peſtis cõtagione in primis infecti ſunt dæmones, homines poſtea illi qui, ut dixi, tanto quempiã maiori perſequuntur odio, quanto eum magis gloria & honore cõſpicuum cernunt. Hinc pallor, hinc macies, hinc in moribus acerbitas, ac trux quidam aſpectus, & ſermo in eum cui malè uolunt, mordax, perpetua demanãt miſeria: hinc rurſus perſecutiones, exilia, fictæ delationes expoſtulationesq;, & homicidia plerunq; origi-
B nem habent. hinc tandem delatoribus adulatoribusq;, ſimulatoribus, paraſitis, ſicarijs, & quibuſuis alijs huius monetæ hominibus aperiuntur portæ. Vidés ne quo ſatellitio munitum ſit iſtud, de quo nunc loquimur, odium? Te ſtupidum, ſi tot mala conſiderãs, quamobrem ab odioſis illis hominibus defendi petendum ſit, mirari perrexeris.

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Diuerſum planè ab hoc ſenſum litera quę eſt Hebræis demonſtrat: Quoniam, inquit Fel. non pacem loquentur. Nihil enim pacatum cogitant, uertit alius ex Hebræo. Vnde ſic reddit Paraphraſt. Non enim quibus tutò fidi poſſunt, loquuntur. Queritur itaq; uir ſanctus, ſe immeritò ab improbis odio maledicentiaq; diſcerpi: ab his, dico, qui in inferendis iniurijs innocuis, pacisq; ſtudioſis, in terra hac, alioqui mille bellorum tumultibus obnoxia, callent artem. Parúm ne eſt, in ipſo tumultu diſsidiorum ſectari pacem? Quòd ſi ideo quis à Dei ſpiritu admonitus ab omni bellorum genere abſtinet, non caret tamen ſuſpicione apud illos, qui cùm alienum ex ſuo metiantur animum, putant omnes haud diu in terris abſq; rixis ac iurgijs poſſe uiuere: ſemoti enim ſemel à Deo per uitæ faſtum, in quo quidem Deo ſumma ſemper ineſt pax, æternusq; rerum nexus atq; unio, & ſupera & infera continuis cõmiſcent prælijs. Cæterùm dictio illa quã noſter interpres uertit, terræ, Hebræis eſt, in tranquillos ſeu pacificos qui in terra ſunt: quod una dictione (opinor) reddit interpres, iniracundia. Vocat iniracundiam manſuetos, qui iraſci ferè neſciunt, eo modo quo appellamus interdum modeſtos, ipſam modeſtiã. Vnde ſic illum tranſtuliſſe ſuſpicor: In iniracundiã terræ loquentes. quare Paraphraſt. Aduerſus inſontes, qui in terra degunt, dolos concinnant. Fel. uerò: Et ſuper manſuetos terræ uerba fraudũ cogitabant. Hìc ſatis lucidè (arbitror) quorundam improbitatem depingit uates, qui adeò interdum irrequietis extimulantur diſcordiarũ æſtris, perpetrandorúmue facinorũ irritamentis die noctuq; perurgentur, ut quò certius triumphent, eò omnes peruerſitatis machinas in modeſtiſsimos ac mites, hoc eſt, contra inermes atq; imbelles diri-

C gunt. Quid ſi porrò moloſſus moloſſum, aut lupus lupum, cùm nihil minus cogitet, inuenit: quàm citò quidem tumor ille giganteus in uolumẽ deſinet: Quòd uerò quidã interpretantur, in iracundia terræ, id eſt, in iracundia terrena, quemadmodum equidem non improbo, ita non intelligo. Sed illud nõ omittendum, quòd noſter interpres uerſus initium legit abſq; negatione, Quoniam mihi, inquit, pacificè loquebantur: illud hominũ genus ſpectare arbitror, qui in corde & corde, ut ait ſpiritus, loqui conſueſcunt. Linguis (ait) ſuis doloſe agebant. Hi ſunt quidem qui ſecus atq; in corde habent, loquuntur: deteſtandum profectò uitium, modisq; omnibus à bonorum ſocietate extirpandum. Neſcio ſanè qua ſorte id accidat, ut non ſolùm colluſores, ganeonesq;, & id genus colluuiem reliquam infecerit lues hæc execrabilis, ſed etiam probiores qui uidentur, quiq; in abditiſsimis deliteſcunt templorum adytis: adeò letalis morbus tam impauidè à nonnullis ſuo in ſinu enutritur.

Et dilatauerunt ſuper me os ſuum: dixerunt, euge, euge, uiderunt oculi noſtri.

Perſpicuum id eſt interitus animæ indicium, cùm in ſpiritu ſentit dæmones lætitia geſtire, ſibiq; inuicem illatam ob mortem gratulari. Quòd enim infelix anima à tetris illis manibus impugnetur, ſaucieturq; interdum, non multum adeò mirum eſſe debet, licet lachrymabile. quòd uerò prorſus intereat, ſubq; ictibus illis hoſtilibus expiret, non eſt dolor, non luctus, non mœror, qui tam immenſum damnum æquare ualeat. Anima enim, res ſcilicet tam Deo chara, tam nobilis, tam diuina, à tam uili hoſte occiditur? Et dilatauerunt, inquit, ſuper me os ſuum, lætantes nimirum, ouantes, deq; adepta uictoria cachinnos efferentes, clamantesq; non abſq; irriſione, Vah, uah, uiderunt iam tandem oculi noſtri quod diu optauimus: uictus eſt, attritus eſt, occubuit. ô iucundum ſpectaculum, homo tam nobis infenſus eiectus eſt. Non defuerunt quidem impulſores, non rabulæ,
D non quadruplatores, non plagiarij. Puto enim de Chriſto humato Iudæos olim huiuſcemodi iactitaſſe inter ſeſe dicteria: Eat modò faber iſte qui contra Moſen uerba facere non eſt ueritus. Cenſes' ne hunc ſabbatum tanta cum religione à patribus ſeruatum, cuſtodijſſe? quid? filium ſe Dei faciebat. O inauditam blaſphemiam, iamiam tandem exaturati ſumus. Vah, is modò qui tanto ſtrepitu seducebat turbas, frigido nunc in tumulo iacet exanguis. Hæc quidem, atque horum ſimilia de unigenito Dei filio Iudæi olim. De pijs uerò, hoc eſt, de oppreſſa innocentia ac penè extincta, non iam amplius Iudæi, ſed ipſi Chriſtiani acerbiora quoq; blaterant. Verùm

Vidiſti Domine, ne ſileas, ne diſcedas à me.

Nihil profectò delectabilius puro conſcientiæ teſtimonio, impuro uerò nihil miſerius. Malè nanq; ſibi conſcia mens, tum legibus tum iudicijs ſemper rebellis eſt humanis ac contumax. Benè autem, non ſolùm ab humano diuinoq; non abhorret iudicio, uerumetiam illud expetit & quærit. Vnde nõ immeritò ſapientiſsimus ille aſſeruit Rex, quòd fugit impius nemine perſequente: iuſtus autem, ut leo erit confidens. Sua igitur fretus conſcientia uir bonus, diuinum non ueretur appellare iudicium, inquiens:

Exurge, & intende iudicio meo, Deus meus & Dominus meus in cauſam meam.

Iam illud conſiderandum, quanta ſit in uerbo illo, uidiſti, conſolationis uis & magnitudo. Eſto, inquit, quòd hactenus ea, quæ in me ſceleratorum hominum aſtutia machinata eſt, uidere nequaquam uiſus ſis, uidiſti nihilominus: hinc q; meam te cauſam tandem defenſurum, iusq; aſſerturum certò ſcio. Fac igitur, te oro, quod te facturum nõ dubito: ergo ne ſileas, ne diſſimules, ne longius abſis: alioquin te cauſam meam non defendente, aut te meis peccatis offenſo aliò diuertente, quem alium patronum, quem aduocatum, quem procuratorẽ interpellabo? hi enim interdum non tantùm iuſtitiæ, quantùm auri deſiderio, ſuis illis litibus nonnunquã iniuſtis, uel uſque ad emiſſionem animæ deſudant. Tu quietiſsimus tuo in throno ſedens, æquiſsimo iura omnia & condis & moderaris iudicio,

A dicio, & id quidem gratis: quare tu, non homo natura fallax, atq; ad bonum torpidus, euigila, exurge, atq; animum ad hanc meam cum hostibus controuersiam applica. Cæterùm, in causam meam, Fel. uertit, ad cõtentionem meam: sed idem ferè est cum nostro. Nam uita hæc assiduis in contentionibus, partim cum mundo atq; eius amatoribus, partim cũ incorporeis, & his quidẽ astutissimis & crudelibus uersatur hostibus. Quid sit porrò in Deo euigilare, exurgere, silere, procul abire, & cætera huiusmodi, iam aliàs fusius annotauimus. Anthropopathia quippe est uati huic nostro admodum familiaris: cuius quidem frequẽtia, ac feruido, ut sic dicam, motu, concita omnia redduntur in hoc poëmate, atq; ignita.

Iudica me secundum iustitiam tuam domine Deus meus, & non supergaudeant mihi.

Hebræi sic: Iudica me secundum iustitiã tuam ô domine, ô Deus mi: & ne gaudeant, ut ex repetitis uerbis illis, ô Domine, ô Deus mi, anxiũ liberandi studium, immensumq; periculum, quo urgemur continuè, aduertas. Nemo enim, nisi magnis in periculis constitutus, uerba illa quæ cõmiserationem mouere possunt, inculcare solet: quemadmodum hi sanè agunt, qui aut amnem aliquem rapidissimum illapsi, per ripam sparsim circunfusos homines, dum in præceps ferũtur, intuentur: aut qui ab hostibus telis igneq; circunsepti, ab alto tecto, & tegulas & cantherios, & quicquid aliud eis metus suppeditauerit, deorsum proijcientes, ingeminatis clamoribus, uicinorum, concursantisq; ad spectaculum multitudinis auxilium implorant. Non minori certè periculo, imò maiori multò mortalium animæ, dum tetro hoc corporis inclusæ sunt antro, circumuallatæ sunt, uel cùm à rapido cupiditatũ libidinumq; fluuio latè per oblectamentorum ripas deuagante, raptæ penè suffocantur: uel immundorum dæmonum hinc atq; hinc, tum inordinatis iræ motibus, tum superbiæ, ambitionisq;, auaritię, ac cæterarum eiusmodi rerum machinis obsessæ, nihil fore opis à quoquam circunspectant. Quò se uertant, quæso? quò suum dirigent clamorem? quò oculos? quò manus
B supplicabundæ? Ad patrem nimirum æternum. Quòd si ob peccatorum sordes, quas in te esse uides, ô homo, tam excelsi numinis iudicium exhorrescis, nonne cogitas quia pater est? adhuc ne trepidas? En uiam aliam (quanquam certè non aliam) quam qui refugit, licet ab uniuersis supernorum spirituum choris suppetiæ illi ferantur, nihil agit, quò minus in æternã mortis noctem protrudatur. Clamat igitur scriba ille diuinus: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Ipse, ipse (inquam) est propitiatio pro peccatis nostris, tantùm nostra non obtegamus scelera. Nam certè si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Vis uno uerbo rei summam (inquit) tibi aperiam? SANGVIS Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. In hunc enim, tanquam in salutis omnium finem, sacramenta omnia ecclesiæ, castiq; ritus & mores tendunt, deriuanturq;, hac sanè meta à sacramentorum, bonarum ue actionum & cæremoniarum cursu semota, frustra curritur: uanaq; sunt studia illa omnia & labores, quibus nos tandem diuinam promereri gratiam speramus. Est aliquid quidem, pro adipiscenda animi puritate inedia affligi, & crebrò coram sacerdote in recensendis reatibus confundi & erubescere: non est rursum parui momenti res, multorum inopiæ subuenire, uiduas, orphanos, reliquamq; turbam miserorum ab usuris, à carceribus, à uinculis, à triremibus quoq; uindicare, & mori tandem ob salutem proximi: uerùm nihil adhuc te egisse putes, nisi bonarum rerum huiusmodi Christum & nexum & finem statueris. Id per excessum fermè dicere uolui, non tantùm quidem ut alios monerem, quantùm ut me meiq; similes in uia iustitiæ pigritantes pungerem & excitarem. Sed ad uatem reuertamur, qui secundum iustitiam Dei, non suam, iudicari postulat: quam quidem iustitiam nihil aliud in psalmis ferè omnibus, atqueadeo in cæteris diuinæ legis libris esse iam diximus, quàm perfectissimam illius bonitatem, bonorum omnium cumulo exuberantem. Quia igitur uir bonus hoc minus in se esse bonitatis perspicit, quò exactius sese examinat, ad patris bonitatem, ad quam omnes, si sapiant, confugere

C debent, ſtatim recurrit, clamatq́; : Iudica me ô Domine, non ſanè quidem ſecundum iuſtitiam meam, quæ nulla omnino eſt, ſed ſecundum tuam, qua perfectiſsimè bonus es, atq; immenſe miſericors. Quòd ſi tamen iuſtitia illa quæ immutabili tui iudicij ſeueritate poſita eſt, utendum erit, non recuſo: ſcio equidem meam ex te iuſtam eſſe cauſam, hoſtium uerò meorum iniuſtam. Quare in illos potius, qui ſponte ſua mali ſunt, quàm in me, quẽ tuum eſſe uoluiſti, ſæuiendũ erit. Non itaq; ob partũ de me triumphum gaudeant, nõ lætitia efferantur, nõ glorientur,

Non dicant in cordibus ſuis, euge, euge animæ noſtræ: nec dicant, deuorabimus eum.

Depreſsimus eum, uertit Fel. Non te moueat tempus pro tempore interdum poni. Hebraiſmus quidem eſt creber admodum in prophetis ferè omnibus. Nec animæ noſtræ, ſed animæ meæ, tranſtulit. Et eſt ac ſi dicat, ut interpretatur Paraphr. Non habeant cur dicant in corde ſuo, ex animi noſtri ſententia hæc res ſucceſsit nobis. quanquam ab alijs ex Hebræo, anima noſtra, ſeu anime mi, uerti uideo. ut ſit ſenſus: Vah anima noſtra, ſimul ac iſte expulſus eſt & occubuit, lætare. O quàm nobis ex animo ouandũ eſt. quid putas? quæcunq; optamus aſſecuti ſumus. Et eſt ſummę uoluptatis exclamatio, perinde ac ſi quis exclamet: Vah, tandem quod diu noſter expectauit animus euenit. Dixerũt, inquit Hieremias, deuorauimus. En iſta eſt dies, quam expectabamus: inuenimus, uidimus. Dictio, quam noſter interpres nonnunquam uertit animã, Hebræis eſt interdum uoluptatem, deſiderium, libidinem. unde illud: Non tradas me in animas tribulantiũ me: hoc eſt, ne me improborum libidini ac deſiderio dilaniandum tradas. Chaldæus uerò ſic reddit: Non dicant, lætabitur anima noſtra: de ruina ſcilicet illata ac morte. Cæterùm ne id amplius dicant, effutireq; audeant,

Erubeſcant & verecundia afficiantur ſimul, qui gratulantur malis meis.

Induantur confuſionę & verecundia, qui maligna loquuntur ſuper mę.

Induantur pudore & ignominia, uertit Hebræus: ne reuerentiam illam, quæ
D uirtuti debetur, imagineris. Sic illud, Reuereantur, uertunt, confundantur, ſeu, ut reddit Paraphr. infames fiant, quotquot erigunt ſeſe, ut noceant mihi: ſeu, ut transfert Fel. qui magnificant ſuper me: hoc eſt, qui os ſuum ſuper me, uictorum more ſuper uictos, dilatant, impudentiſsimisq; inſultationibus dilaxant. Maximi id quidem odij eſt argumentum, cùm proſtratum hoſtem animamq; interuulnera efflantem, aut calamitatem in aliam coniectum quis procaciter inſultat, dicterijsq; inceſsit ac mordet. quod ſanè genus conuicij miſerrimo illi ſic afflicto ſolet eſſe triſtius, quàm ipſa miſeria & mors. Quòd enim id impietatis ſignũ in ſicarijs & gladiatoribus cernatur, non multum quidem mirandum. In grauiſsimis uerò uiris, & his quoq; qui ſpeciali quodam cultu ac religione, ſacris templorum aris inſeruiunt, id cerni non ſolùm admirandum eſt, uerumetiam monſtro omni deformius ac magis turpe. Cæterùm tota hæc uerborũ congeries nihil aliud præ ſe ferre uidetur, quàm quòd maligni homines, atq; illorũ impulſores dæmones, pudore afficiantur, hoc eſt, ſpe ſua deluſi pedem cum ignominia à perſequendis Dei ſeruis retrahant: contrà uerò,

Exultent & lætentur qui volunt iuſtitiam meam, & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſerui eius.

Pulchra ſanè antitheſis. Illi, inquit, qui ſuam uolentes conſtituere iuſtitiam, Dei iuſtitiæ non ſunt ſubiecti, erubeſcant, probroq; afficiantur. E contrario autem, exultent, lætentur, non erubeſcant, aut modo aliquo confundantur, qui uolunt iuſtitiam meam: hoc eſt, qui ex me, meaq; bonitate boni eſſe uolunt, non ex ſe ſuaq; iuſtitia ac uirtute, hi dicant ſemper, hi prædicent, hi uotis omnibus expetant, hi die noctuq; uel in mediis ipſis triuijs clamitent, magnificetur Dominus, paſsimq; ab omnibus celebretur: non homo quiſpiã, aut quicquid illud eſt quod non ſolùm ſupra ſe, ſed ſuper omne illud quod dicitur Deus, aut colitur, ſeſe extollit. Cùm enim conſidero, mi lector, tumorem quodammodo totius orbis, ſeſe uel uſq; ad regionem Lunæ (nihil dico) ad regionem illam igneam in qua cœle-

ſtes

A ſtes uiſuntur animi, efferentem, uideor mihi uidere uanam quandam ampullarum per undas colludentiũ imaginem & ſpectaculum: quæ ut cernentibus grandiores modò, modò minores uidentur, nunc apparent, nunc fallaci quodam præſtigio latitant & ſe abdunt, ita una facta omnium conuerſione euaneſcunt, in nihilumq́; reſoluuntur. O uanam mortalium arrogantiam. Verùm hæc animi leuitas uulgo utplurimum ſui diſſimili, ac tenuiſſimi iudicij, concedatur: quandoquidem eò peruentum eſt amentiæ, ut etiã inhoneſta concedamus: quis id ferat in ſapientibus, in ſchola Chriſti enutritis? in his tandem, qui, ut inquit Paulus, ſemel illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt ſpiritus ſancti: guſtauerunt nihilominus bonum Dei uerbum, uirtutesq́; ſeculi futuri? Quid hoc monſtri eſt, ut eò quis maiori afficiatur faſtu & tumore, quò maioribus ſe donatum à Deo donis, uelit nolit, fateri cogitur? Quid illud? (ſtupore obruor) hunc uidere ob ſanctitatem, quæ in humilitate, animisq́; inglorijs, & ignominia eſſe debet, intumeſcere? illum ob literas, & has quidem ſacras, non ſolùm intumeſcere, ſed inſanire omnino: & niſi uulgò celebretur, donetur ue mitra aut pileo, emori? hi certè nõ dicunt ſemper, Magnificetur Dominus: utinam ſaltem rarò. Iam illud non prætereundum, quòd Hebræi, Qui uult pacem ſerui ſui, legunt, ut ad Dominum, uult, referas: non, uolunt, ad homines. ut ſit ſenſus: Dominus qui in ſuis pacem omnino uult eſſe, atq; animi tranquillitatẽ, magnus ab omnibus exiſtimetur. Pacem uerò cùm hîc, tum aliàs rerum omniũ ſucceſſum uolunt eſſe: ſed quia in humanarum rerum ſucceſsibus uix, ob cõtinuam uiciſſitudinum inconſtantiam, id appeti poteſt, idcirco in diuinis tantummodo quæri oportet. Imò ſi daretur optio, qui Chriſti uitam profitentur, pacem illam quam in terrenarum rerum copia ſitam eſſe cernimus, nollent omnino: hanc uerò & uellent, & uotis omnibus à Deo peterent, ut ab illis peti quotidie, uita ſaltem, ſi non ore, cernimus: quanquam & ore quidem, qui abiectis omnibus quæ
B huiuſce generis pacem, quæ ad mundum attinet, pollicentur, ſeſe in antris, paruo minimoq́; contenti, occludunt, nihil aliud interim aut cogitantes aut agentes, quàm quomodo tam arduum uitæ genus temerè & caſu, minimè ſe apprehendiſſe teſtentur. Alioqui membris ipſis corporeis, ac citò deſituris, diuino ſe cultui dedere, animo uerò atq; affectu, mundo & ambitioni, crux quidem eſt, ſed non illa quam à ſuis exigit Chriſtus. Qui ſanè ſuum illud mirabile cùm conderet teſtamentum, ampliſsimamq́; ſuis relinqueret ditionem & imperium, inter cætera illud in primis nobis cordi eſſe uoluit, Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis, non quomodo mundus dat, ego do uobis. Putásne Dei filium de alia pace, quàm de illa, qua ſpiritus & caro in unum perpetuò ad obtemperandum Deo coëunt fœdere, intellexiſſe? De altera uerò illa qua anima quoq; cum corpore la ſciuire ſolet ac pergræcari, cenſeo illum diſſeruiſſe, cùm dixit: Non ueni pacem mittere in terris, ſed gladiũ & bellum, hoc eſt, ſciſſuras ac diſsidia. Hæc quidem æternæ apud inferos conflictationis ac pugnæ arrha eſt & pignus: illa autẽ æternæ pacis, quæ in Deo tota ſita eſt, qui pax eſt noſtra, ut inquit Paulus, & redemptio. Hanc itaq; pacem uult Deus in ſuis eſſe, hanc format, hanc præcipit, hanc donat tandẽ, ne quę Dei ſunt, abſq; Deo poſſe nos aſſequi ſomniemus. Pax porrò illa qua homo homini Deus eſt, non lupus, ut eſt adagium, ab hac originem habet. Fieri non poteſt hominem in ſe pacatum, Deoq́; per mentis puritatem unitum, in alios bellum ciere poſſe. Illud etiam quod in hoc uerſu à noſtro interprete legitur, ita aptari poteſt, ut homo iuſtitiæ illius quæ à Deo eſt, ſtudioſus, poſtquam ſuis imprecatus eſt hoſtibus confuſionem, infamiamq́; & probrum, mox de eiuſdem ſecum profeſsionis uiris pulcherrima uſus antitheſi, addat: Exultent & lætentur, qui uolunt iuſtitiam meam. hoc eſt, ut interpretatur Paraphraſt. Quibus placet innocentia mea, uel ut alius ex Hebræo, qui fauet innocentiæ meæ, hi quidem in ſpiritu gaudeant, orentq́; te, ô Deus, ut ego in ueritate tua ac fide, quæ eſt innocentia mea, perſeuerem: hi inquam, qui meam uolunt pacem, atq; à malis liberationem, mecum ſanè, non interruptè quidem, ſed ſemper

c dicant, Magnificetur Dominus. Nam quod ad me attinet,

Lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.

Nihil in hoc loco aliud uult uerbum, meditari iustitiam, quàm iustitiam exanimo, sedulocp ac promptissimo linguæ motu prædicare. quare sic uertit Paraphr. Et lingua mea sedulò prædicabit iustitiam tuam, hoc est, perfectissimam bonitatem tuam, qua sola duce, ad te ascisimur, in te perstamus, tibi unimur, de te cantamus, per te uiuimus, ac in te tandē per amorē transimus, renouamurcp in horas: cùm interim scelestos quosdam à te tanquam à Solis luce auersos intueamur confundi afflígícp, ac continuis anxietatum gyris rotari. O diuinam iustitiam. State, inquit spiritus, & uidebitis gloriam eius, cui laus sit in secula seculorum, Amen.

PSALMVS XXXVI. *Vincenti, serui domini Dauid.*

Dixit iniustus vt delinquat in semetipso, non est timor Dei antę oculos eius.

Cùm multis aliàs argumentis diuina erga mortales innotescere possit bonitas, tum ob id quidem maximè celebris uidetur, cùm non solùm suis, sibi nimirum per fidem copulatis, benefacit continuè, sed etiam improbis, à fidecp alienis sua cōmunicare dona nō cessat: hos & illos æquo intuetur aspectu sol ille iustitiæ, nec est qui se abscondat à calore eius. Quòd uerò à felicissimo illo prospectu alij perurantur, raptenturcp tanquam ab igne ad supernas, ut uocat Dionysius, illuminationes, alij uerò indurentur, obtenebrescantcp, obstrusior ratio est, quàm quæ ab humano intellectu disquiri queat, multò minus à lingua edisseri. Quis unquam nouit sensum domini, aut quis illi à consilijs fuit? Quare in his perueſtigandis, quæ occulta omnino Deus nobis uoluit esse, uel totam ponere ætatem, nihil aliud agitur, quàm quòd contingere diuaganti in Labyrintho aliquo cernimus, qui cùm diu sinuosas illas permeaue-
D rit, remeaueritcp uiarum ambages, in easdem semper recidit anguſtias: ita nimirum curiose nimium altissimas diuinarum rerum contemplationes humano sensu, hoc est, hebeti ac tardo quis aggrediens, caliginosis quibusdam inuoluitur mæandris, perditcp semitas, ac tandem à gloria, ut inquit Esaias, obruitur. Illud pro comperto habendum, neminem nisi sua culpa indurari. Vtruncp igitur hoc in psalmo à spiritu tractatur, bonitatē scilicet Dei adeò copiosam esse in omnes, ut etiam ipsos nefarios homines, terræcp animantia complectatur, moueatcp, ac cōtinuis afficiat donis & beneficijs. Quæ quoniam in Dei filium rerum omnium nodum ac summam referuntur, hac de causa à spiritu psalmus dicatur Vincenti, Christo nimirū, mortis atcp adeò peccati in cruce uictori: rursus, horum omnium rationem motalium captum prorsus superare: quorum duorum membrorum occultis quibusdam ueluti lineis uidetur totus ferè is psalmus adumbrari. Verùm non uacat mysterio, quòd in titulo uates se seruum Dei appellat: quare huiusmodi appellatione id quidem innuere uelle arbitror, quòd cùm plerunccp nefandissimi quicp, licet Dei hostes sint, diuinæcp legi & uita & doctrina interdum, ac ficta quadam religionis imagine reluctentur, rerum tamen omnium copia adeò pleno ueluti cornu abundant, ut nati planè ea uideantur lege, ut nihil eis deesse possit aut aduersari. Probi uerò quamuis pressi, nihilominus à fide non desciscunt, sed fixi in illa perstant professione, è qua supremum illum adepti sunt titulum, SERVI DEI, quem quidem tanti faciunt, quanti alij uel regna uel imperia. Verùm turpissimè à quibusdam in eo erratur, quòd tam sublimi non contenti titulo aut nuncupatione, stomachantur planè si quis in missis ad eos epistolis, & literarum superscriptionibus, illos simpliciter appellet Dei seruos, nisi & addat ampullosum reuerentiæ nomen: nihil enim excelsum in terris amat Dei seruus. Sed ad psalmi interpretationem, cuius initium obscurum admodum est, uertamus animum.

Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso, non est timor Dei antę oculos eius.

Video reproborū effigiem hîc breuibus deliniari. Dixit, inquit, iniustus, hoc est, im-

A eſt, impius, milleq; uitiorũ maculis notatus, intra ſemetipſum, ſtatuit decreuitq; in peccatis uiuere & mori. Eſto lex retrahat, admoneat rurſum pungatq; conſcientia, ac ingentes excitet ſtimulos, ſic definiuit, ſic ſolidis ueluti peſſulis poſitũ obfirmauit. Cauſam mox reddit uates, cur in id rebellionis quis incidat: Non eſt timor Dei, inquit, ante oculos eius. Semel enim diuino abiecto timore, quid non audet ſceleratus? Et quemadmodum quidem à felicíſsimo timoris domini exordio (quid de tota ſperandũ poſſeſsione?) uera proficiſcitur ſapientia: ita ſtultitia, hoc eſt, cordis cæcitas ac temerarius quidam auſus, ab illius emanat deli quio atq; odio. Verùm litera quę eſt Hebræis, difficilior uidetur. Sic Fel. Dictum tranſgreſsionis impio, Intra cor meum non eſt timor Dei in conſpectu oculorũ eius. Iſtud eſt, inquit, perenne dictũ in improborũ animis de ſua tranſgreſsione. quid alios audio? Intra cor meum, hoc eſt, in medio cordis mei: ſerioq; mihi placent quæcũq; ago. Non tam citò, ait, à propoſito dimoueor. Magis adhuc obſcurè ſic reddunt alij: Dixit ſcelus, ſeu ipſa innata peruerſitas (ſic legit Kimhi) de improbo, in medio cordis mei non eſt timor Dei coram oculis eius. Sed quid dicit de improbo ſcelus, quid iniquitas? Deum nequaquam timendum eſſe, & id quidem in corde ſancti: hoc eſt, ita uir ſanctus de ſceleratis in corde ſuo cognoſcit: ſic ſentio, inquit, quòd iniquitas iniquo dicit, fac quæcunq; libuerit. Sed quãobrem id dicit? quia non eſt timor Dei coram illo. ſic fermè reddit Kimhi Hebręus. Vnde alius horum omnium ſenſum colligens, ita uertit: Sic ſentit cor meum de audacia improbi, quòd non habeat Deũ ante oculos ſuos. Fuſius uerò Paraphr. Perſuaſit, quantum animo concipere poſſum, ipſa nequitia impio exlegi, non eſſe metuendum illi, ne Deus ſuppliciũ ſumat de ſceleribus illius. Dictio porrò ſcelus, ſeu iniquitas, rem magis exprimit, augetq;, quàm ut noſter uertit interpres: quæ dictio inſignem præ ſe fert peccatorem, quíq; pleniori de Deo cognitione, addito quoq; diuinæ legis cõtemptu, delinquit. Quare ut in peccatis quis

B obſtinatè uiuat, in ipſisq; moriatur, ſummo illum Dei, atq; eius timoris neglectu conniti neceſſe eſt: ut hi fermè ſunt, qui cùm nunquam uel boni uel mali omnino uulgò appareant, attamen peſsimi omnium ſunt: quorumq; uulnus eo periculoſius æſtimari ſolet, quò incognitum magis magisq; cùm illis tum cæteris, & tectum, & impudenti quodam inſcitiæ uelo diſsimulatum. Hi certè ad uitæ reſipiſcentiam difficilius reuocantur, quàm qui publico ueluti dedecore & turpitudine, peccata illa quæ uel audita ſolùm probis omnibus ſtomacho ſolent eſſe, committũt. Calcata enim clàm Dei religione, proſtrato cultu, timoreq; illius abiecto, quò nõ prorumpit impietatis genus illud hominum? Hincq; in profligata quorundam uita, illa neceſſariò inſunt peccata, furta ſcilicet, rapinæ, uſuræ, depopulationes, homicidia, adulteria, inceſtus, ſcortationes, blaſphemiæ, ludi illiberales, & id genus alia publicè à nonnullis patrata ſcelera, corrigenda tamen uel unico interdum ſpiritus admonitu. In ſecretiori uerò uitæ genere hæc ferè, mala mens, malus animus, odium, ſimulatio, tumor, ambitio, faſtus, ſuperbia, liuor, ac quo maximè Dei irritatur patientia, amor ſui. quæ quidem uitia cùm animæ tenacius hæſerint, quæ æterna eſt, quaſi cum ipſa æterna efficiuntur: unde rarò hi, quibus huiuſmodi inſunt delicta, in ueram ſui cognitionem deueniũt, quæ ſumma fermè totius ſalutis exiſtit.

Quoniam doloſe egit in conſpectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium.

Affectus hi ſunt illorum qui putant Deum haudquaquam timendum eſſe. In primis enim non ſolùm peccatis peccata coaceruant, uerumetiam ob turpitudinem illam, quæ peccatis grauioribus natura ineſt, ſibi adblandiuntur, placentq; non ſecus, atque ſolent ob res bene geſtas alij. Quod quidem eſt, quod in hoc uerſu aſſerit uates, quem ſic uertit Fel. Quoniam adulatus eſt ſibi in oculis ſuis. quanquam paulò ſecus Paraphraſtes: Blandis, inquit, perſuaſionibus egit apud illum (iniquitas ſcilicet) ut placere incipiat ipſe ſibi flagitijs ſuis. Obſecro, quid unquam uel uiſum eſt turpius, uel auditum ſceleſtius, quàm cùm quis ſua laudans ſcelera, inde ſibi lætitiam parat, unde æternum ultrò mœrerẽ aſſumere

C debuerat? Quare ſic offenditur Deus (ita reddit Paraphr.) ut ipſum cum ſceleribus ſuis deprehenſum odio perſecuturus ſit perpetuo: id quod noſter interpres uertit, ut inueniatur iniquitas eius ad odium: uel, ut Fel. ut odio habeatur, à Deo ſcilicet & hominibus. Dici quidem facilè non poteſt, quantum ad iracundiã æternum prouocent patrẽ, quantumq; probis diſpliceant, ſua, ueluti ſodoma, prædicantes flagitia. Idcirco is erit ſenſus: homines ſuis ſeſe flagitijs palpantes laudantesq;, illud efficere neceſſariò, ut et Deo et hominibus ſanctè inſtitutis, illorũ iniquitas inueniat, deprehendaturq; eſſe odio ac abominationi. Quàm uerò metuenda ea ſit actio quæ Deo nauſeam moueat, tute ni prorſus æneus es, iudica. Cæterùm nónne dementiæ genus eſt, doloſe fucateq; cũ illo loqui uelle aut agere, cui ab æterno cuncta, quamuis à cognitione humana remotiſsima, antequam ſint, in lucemq; producantur, notiſsima ſunt? Quid illud, cùm apud nos depoſitam ab amico pecuniam mala fide uel diſtrahimus, uel negamus? Neſcio enim quid inter ciuium pacta conuentaq;, doli mali titulo cenſeatur, ſi id nõ cenſetur. Depoſiti quippe nomine apud unumquenq; noſtrũ à Deo collocata eſt anima, ut intacta ſeruetur, aut fœnore augeatur. Quid ſi diſtrahitur, aut è capite quippiã minuitur? id dolo malo factum iudicabitur. Actio itaq; illa quæ diuinæ non reſpondet uoluntati, doloſe quidem fit, maloq; animo & ingrato: quocirca ab illa cui maximè inniti debuerat, euulſa, ab eius quoq; amore qui idem eſt cum uoluntate, euellitur. Vnde ab Dei amore ſemota anima, in eius odium cadere neceſſe eſt: & ſic inuenietur iniquitas prauí hominis ad odium, nempe Dei. Nam

Verba oris eius iniquitas & dolus: noluit intelligere, vt bene ageret.

Hîc mihi uidetur totam improbitatis ſummã deſcribi. Adeo' ne homo tam inconſultò inſanire decreuit, ut ne bene agat, hoc eſt, ne uitam uiuat feris diſsimilem, mente atq; intellectu, quo ſimilis Deo efficitur, ſe exui patiatur? & id quidẽ
D ab ſeſe, ac propria uoluntate & arbitrio? Noluit, inquit: hoc eſt, diuinæ luci ſanctisq; immiſsionibus, ac Dei uerbo & legi cor ultrò ferreum & obcæcatũ oppoſuit. O infortunium. Is enim, inquit, nõ ſolùm nihil aut cogitat, aut loquitur, aut agit, quod prauũ non ſit ac doloſum: uerumetiam ſe ad illa agenda quæ optima ſunt, non ſuſtinet erudiri & admoneri. Ceſſauit intelligere, uertit Fel. ut benefaceret, qua ſanè lectione quorundã inconſtantiã in rebus agendis taxari iudico, quibus ſi tandẽ poſt tot infuſas diuinitus inſpirationes, poſt crebras à patribus, à libris, à lege, à proprio, ſi lubet, ſenſu admonitiones, rem bonam inceptare libuerit, ceſſant continuò, atq; in ipſo relabentes exordio, ante oſtium illicò, ut ait Comicus, errãt. Ex quo quidem turpiſsimo imbecillitatis genere illud neceſſariò naſcitur, quòd nulla in diuinis progreſsio fit à multis, qui tamen ob longam rerum experientiam, atq; in his quæ ueram referunt religionem & cultum, exercitationem, nõ iam homines, ſed diſj in terris eſſe deberent. Iter enim, quo ad cœleſtem pergimus patriam, huiuſmodi eſt naturæ, quòd ſi non procedis, retrocedis. Vis quippe illi ignea eſt, nec deorſum quidẽ flectitur, aut uirtute ſua aliqua naturali perſtat in ſeſe: ſed ſurſum ducitur, atq; adeò arduè, ut niſi leuioribus animis, atq; à terrenarum rerum cõtagione liberis peruium ſit. Volatu quodammodo opus eſt, nõ greſſu paſſuue inerti ac tardo, in uia iuſtitiæ. Porrò quid ſibi uelit, Noluit intelligere ut bene ageret, elegantiſsimè expreſsit Paraphr. Noluit reſipiſcere, inquit, neq; uitam in melius commutare. Hinc diſci poteſt, quàm ferreus ſit quorundam animus, quam' ue in Deum ingrata mens illorum qui obſtinatiſsimo in malis propoſito, nihil ultro admittunt, quod idem exitiale nõ ſit, ac ſibi contemptis proborum admonitionibus letale. Vide quid inferat:

Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.

Videtur hîc mihi uates uelle dicere, Is prorſus deploratus eſt. Solent tamẽ hi, qui cuiuſpiã ſcelera enarraturi, totã ſimul uitiorũ congeriem uniuerſali quadam appellatione proferunt, diuiſim poſtea, ac per partes totã illam turpitudinũ molem, chaos' ue informe diſtinguere. quem quidem morẽ in rhetoricis quoq; ſeruari

A uari legímus. Nam ſimulac Dauid in pſalmi exordio dixíſſet, Dixit iniuſtus ut delinquat in ſemetipſo: poſito ueluti eorũ, quæ dicturus erat, fundamento, mox membra ædificij ſingillatim deliniare uoluit. Iam ſceleſtum illum, quem deſcribe re inſtituerat (ſiue hominem aliquem intellígas, ſiue impium Iudæorũ cœtum, quem in Chriſtum fore præuidit crudeliſsimũ, deſignari mauis, non adeò multũ refert) cùm alienum à Dei eſſe timore affirmaſſet, doloſumq; illum, atq; ea ſanè prauitate inſignem, quæ tum Deo, tum homini ſtomachum ciere poſſet, appellaſſet, ſubindeq; oris illius malitiam ac ſacræ legis, qua duce ad optima uitæ inſtituta formamur, contemptum detexiſſet, cordis tandem ſimul & operationũ fœditatem aperuit: Iniquitatem, inquit, meditatus eſt in cubili ſuo. quod clarius ex Hebræo alius reddit, Scelus parauit in cubili ſuo. Vnde ſic uertit Paraphr. Cogitabit noctu iacens in lecto, quibus artibus opprimat plurimos. Quemadmodum enim ſanctiſsimis aſſueti diſciplinis, nihil temporis horarumq; prætermittunt, quin obſtruſiſsima diuinæ legis ſenſa rimentur, perueſtigentq;, ac quomodo quoq; in mores ea inuenta transferant: ita hi, qui preſsi humi nihil cœleſte cogitare norunt, omne tempus, ſed nocturnum præcipuè, in quo ſilent omnia, atq; ab hominum conſpectu ſemota ſunt, in concinnandis flagitijs & ſceleribus conſumunt: itaq; luce exorta, breuiori ueluti compendio meditata noctu facinora perficiunt. Et ſic animus, portio utiq; Dei, ad illa ſolummodo expetenda, inquirendaq; à Deo conditus, quæ procul à terris ſunt poſita, humi figitur, atq; propterea humana ſolùm ac terrena diligens, in illorum prorſus naturã tranſit, quæ inſenſibilia ſunt, ac bruta omnino. Quare ſic malè aſſuetus, planeq; ſua culpa à Deo derelictus, aſtitit omni uiæ non bonæ. Aſtabit, uertit Fel. iuxta uiam non bonam. Clarius Paraphraſt. Sectabitur uitæ genus peſsimum: nullum genus malitiæ prætermittet. Non te moueat (quod iam millies admonuimus) tempus pro tempore poſitum. Id locutionis genus familiare admodum Hebræis eſt. Cæte-
B rùm, malitiam non odiuit, uidetur nimium tenuè redditum, nec plenè ſpíritus mentem referre. Expreſsius itaq; Paraphraſt. ut dixi. Quocirca alius ſic uertit ex Hebræo: Nihil mali auerſatur. pollet perinde ac ſi dicat, Ne multis, nihil mali quamuis deteſtandi non amplexatur: ideo quicquid cogitat, dicitq; & operatur, noxium ſit oportet, ac mortiferum. quanquã Fel. idem ferè cum noſtro, Malum, inquit, non abominabitur. Niſi fortè & illud haud minimi æſtimari debeat flagitium, malum prorſus non execrari, atq; odio perſequi. quod ſanè dixiſſe uolui, ne quis ſe ſatis diuinę legi feciſſe opinetur, ſi à malo tantummodo abſq; illius odio abſtineat. Perfecta enim eſſe debent omnia in Chriſtiano uiro: alioqui non uideo, quo perfectionis gradu ſtatuendus is ſit, qui id penitus non execretur, per quod iter ad perfectionem obſtrui poteſt. Iam illud quoq; addendum, quod penè exciderat, Cubile ſæpenumero in ſcripturis ſecretiores cordis latebras ſignificare: ut illud, exempli gratia: In cubilibus ueſtris cõpungimini. hinćq; interdum ſolitudinem, locumq; à turbis ſecretum. unde illud: Intra in cubiculum tuum, & clauſo ſuper te oſtio ora patrem tuum in abſcondito: quem ſenſum is quoq; locus, quem nunc tractamus, habere uidetur.

Domine in cœlo miſericordia tua, & ueritas tua uſq; ad nubes.

Vates enim conſiderãs quàm deplorata ſit quorundam uita, quamq; immenſum Dei bonitatis exemplum, qui adeò bonus eſt ac liberalis, ut ſolem ſuum oriri faciat ex æquo ſuper bonos & malos, pluatq; indifferenter ſuper iuſtos & iniuſtos, exclamat: Domine in cœlo miſericordia tua, & ueritas tua uſq; ad nubes. hoc eſt, ut reddit Paraphr. quicquid ambitu cœlorum continetur, benignitatis tuæ particeps eſt, & conſtantiam propoſiti tui ſentiunt quæcunq; inter terram & nubes media ſunt. Poſſet ne cõpendioſiori dictione integrum huius uerſus ſenſum quis reddere? Et licet idem planè ſit miſericordia in Deo, & bonitas ſeu benignitas, ueritas quoq; ac, ut uertit quidã ex Hebræo, fides: idemq; prorſus ſit, in cœlo, & uſq; ad nubes: quò tamen ampliori uerborum copia rem altius pertractaret, quoq; incluſum detegeretur myſteriũ, uberius eam deſcripſit. O domine,

C inquit, quòd tua in huius mundi effectione, æternaq; in moderandis rebus prouidentia, appareat bonitas & misericordia, magnum profectò existimatur, dignumq; stupore. Verùm in ipso cœlorum medio, in quo purissimi habitant spiritus, in ipsorum bonorum omnium meditullio, in ipsis secretioribus totius felicitatis adytis, in ipso (ut sic per excessum dicam) supernę Trinitatis sinu misericordiam tuam sensisse, quis satis unquam mirari potuit? O immensum tantæ tuæ bonitatis mare. Nónne in cœlestibus illis animorum choris prauitatem olim inuentam fuisse legimus? Quis reliquias illas in te, æterno incommutabilíq; stabiliuit fœdere? Nónne tua bonitas? nónne misericordia? nónne ueritas? hoc est, firmũ, constansq; in subleuandis miseris propositum? Igitur & quæ in cœlis, & quæ in terris degunt, per te tuamq; bonitatem & sapientiam, quæ Christus est, instaurata sunt. Volunt (quod dicere inceperamus) Hebræi interpretes, totum hunc uersum id fermè attestari uoluisse, orbem scilicet terrarũ omnem adeò Dei tum bonitate, tum prouidentia plenum esse, ut uel ad cœlos usq; istiusmodi beneficentiæ cumulus pertingat. quanquam quod ex Paraphrastæ litera coniectari potest, prima pars sublimiorem quandam rationem, quippe quæ in cœlorum pulchritudine, motu ue, atq; ordine consistit, spectare uidetur: altera uerò in his inferioribus ac magis densis, utpote à lunæ globo per nubes ad terram usq; concretis. Quòd porrò ueritas, seu fides, seu firmum gubernandarum rerum consilium, non solùm in nobiliore cœli regione eluceat, uerumetiã in his quę sub cœli conuexo, ut sic dicam, in aëre, in terris, in imis quoq; inferorum antris appareat, ordinatissima rerum conditarum series, ordo, decor, ac lex quædam æterna, cõmixtaq; iustitiæ diuinæ libra ac decreto, perpetuis ueluti uocibus clamitat. Quare in sequentibus eandem ipsam iustitiam, & iudicium, quę idem planè sunt cũ Dei bonitate ac fide, seu ueritate, monti ob eius eminentiam comparat: abyssò uerò, ob illius amplitudinem ac profunditatem. Nam in scripturis haud raro abyssus
D pro uastitate aliqua immensa sumi solet. Neq; aliud quidẽ hisce nominibus uult spiritus, quàm excellentissimam regendarũ rerum rationem ostendere in Deo. Iustitia enim infinita, æternoq; iudicio, fide insuper constantissima, atq; ampla in creaturas omnes effusa bonitate ac misericordia, cuncta Deus moderatur, implet, permeat, fouet: itaq; sua secretissima sustentat uirtute, ut unà cum hominibus animantia quoq; terræ suo in esse conseruet, deq; illis quemadmodũ de cæteris curam habeat. Ideo sequitur:

Homines & iumenta seruabis domine.

Salus hîc quæ iumentis, cæterisq; rebus rationis aut uitæ expertibus, à Deo tribuitur, eius bonitas est, qua omnia suo in statu, prout unicuiq; rei naturaliter conuenit, seruantur: ne salutem illam, quæ animis solummodo rationis capacibus debetur in cœlis, dari belluis imagineris, aut dæmonibus quoq;, ut quondã nonnullos, è nimia de Deo fiducia deceptos uoluisse, memoria est traditum. In sua igitur ingenita ui ac natura, quicquid conditum est diuina seruatur misericordia, sit quantumuis imbecille ac tenue.

Quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.
Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

O quàm (uertunt Hebræi) præclara est misericordia tua seu bonitas tua. Fel. uerò: Quàm preciosa est misericordia tua Deus: quò maiorem ex Hebræo energiam notes, quàm ex illo, quod noster transtulit interpres. Celebrata enim Dei bonitate illa, qua uniuersali quadam amplitudine condita omnia complectitur, ad eam describendam, qua pios tantummodo speciali communit prærogatiua, transit: & id quidem solita metaphora alarum. & est sensus: O quàm excelsa tua est bonitas, Deus, quàm in omnia diffusa, quàm efficax: simulac creaturas omnes quemadmodũ condidit, ita nunc fouet, ac placidissimo quodam naturæ illapsu & seruat, & moderatur. Filij uerò hominum, hi dico, qui tuæ se fidei, tanquã tutissimo alarum patrocinio, dedunt, aliter eam agnoscũt ac sentiunt. Alarũ hîc

meminit

A meminit uatès, ne uulgarem in Deo suos protegendi curam suspicemur, sed fidam potius, tutam, ab amoreq́ proficiscentem, & efficacem. Cæterùm quis motum illum amoris natura inditum auibus, quo suos pullos tanto cum studio, curáue, ac alarum tutela & fouent, & enutriunt, exprimere unquam posset? Difficilia hæc quidem dictu sunt, sed difficiliora multò illa, quæ diuinũ erga homines testantur amorem, & charitatem. Expansas enim suæ dilectionis continuè ad se mortaliũ animos inuitans Deus, extollit alas, clamat, admonet, hortatur, ad alarumq́ confugium, sub quarum umbra hinc & hinc obdormiscunt fides & amor, omnes quotquot rationis ui præditi sunt, ex æquo prouocat & inuitat. Sed quid ibi agitur? quid hisce ab alis commodi sperari potest?

Inebriabuntur ab vbertatę domus tuæ, & torrentę voluptatis tuæ potabis eos.

Vides ne felicitatis copiã in alis domini? Inebriabuntur, inquit. A quo, oro? Ab ubertate quidem. Crateris forsan, aut pateræ auro, gemmisq́ ac precioso cælatæ emblemate? Minimè quidẽ omniũ, uerũ amplissimæ domus Dei. Riuus ne is est beatitatis, à felicissima istiusmodi domo Dei silenti præterlabens susurro? haudquaquam sanè: sed torrens potius est rapidissimus, ab austroq́ diuinarum gratiarum impulsus, qui ad nos usq́ uoluptatũ immensarum, indicibilium, æternarumq́ profluuio decurrit. O felices alas. Putas ne tantum ab oceano scaturire posse aquarum, quantũ bonorum omnium à beatissimis Dei alis, à brachijs illis tam crudeliter in cruce extensis deriuatur? In alis tuis inuentus est sanguis animarum, clamat Hieremias. Quid porrò sint alæ huiusmodi, quibus & dij & homines beantur, ut ait Kimih Hebræus, litera, quæ est Claldæo, abundè demonstrat. Sic ille: Quàm preciosa misericordia tua Deus, homines autem in umbra diuinitatis tuæ sperabunt: quò nimirum æterna illa bona esse, quibus nituntur sancti Dei uiri, intelligamus, cùm interim in bonis nescio quibus infimis suam to-
B tam collocant spem nonnulli uel ex nobilioribus, ut sibi uidentur, ingenijs. Ab umbra igitur alarum Dei seiungi atq́ amoueri, certissimũ damnationis signum est. Et quia fieri non potest, mortalium animas aliquo non pasci edulio, ac potu: eo id quidem præstantius erit ac diuinius, quò propius ad alas istiusmodi, à quibus omnis spirat diuinitas, accesserit: hòc uerò infelicius letalius ue, quò longius recesserit. Illa enim satietas spiritus est, hæc carnis. Illa ad morũ munditiem attinet, hæc ad carnis lasciuiam & turpitudinem. Illa æternis concluditur annis, hæc cum carne finitur, atq́ interit. Vis rursum scire alarum Dei nomen? Altera quidem à misericordia nomen habet, altera à iustitia. qua quidem sola cùm iusti efficiamur, & id sanè per Dei misericordiã, concluditur indubiè, misericordiam & iustitiã idem esse in Deo, atq́ unum: quemadmodum & reliqua, quæ de ipso dicuntur, unus Deus est, uniusq́ naturæ & bonitatis. Tota itaq́ nostra in Dei misericordia & iustitia debet esse & spes & fiducia: quod est quidem in alarum illius umbra sedere: hinc spiritus ebrietas, hinc ubertas, hinc profluuia emanant gratiarum: nam de plenitudine eius nos omnes accipimus: nos, dico, qui in Dei familiam per gratiam censemur, per gratiam potamur, per gratiam ad bona animæ æterna adsciscimur. Verùm hæc tanta, tamq́ diuina ac salutaria abs te prodire, ô Deus, haud ualde quidem mirum est:

Quoniam apud te est fons vitæ, & in luminę tuo videbimus lumen.

Quid mirum enim si à fonte uitæ, aut luminis, & uita & lumen demanant? Atqui uita hæc, quam ab inexhausto, non iam riuo, aut amne, sed oceano, & eo quidem uastissimo diuinitatis prodire sentimus, misericordia est: Lumen uerò, fides à qua iustitia, paxq́ animi, ac salus ortum habent. Quæ sanè omnia cùm in Deo per nos sunt, ab eoq́ proficiscuntur, uiua sint oportet, ac uegeta: cùm à nobis, statim perlanguescunt, & moriuntur. Quamobrem iustitia, quæ è Deo est, per quam iustificamur, uiua est, atq́ æterna. Illa uerò quam ex sese habere homo existimat, per eamq́ iustificari arbitratur, mortua est, & quæ unà cum mundi uanitate occidit. Et quidem cùm spiritus hîc electorum animas suum à Dei lumine

C lumen haurire asserat, id sanè mihi dicere uidetur, quod olim Paulus Romanis persuadere conatus est, fidem uidelicet Dei donum esse: alioqui certè diuina absq; luce, nulla nostra est fidei uis ac lumen. Domine, inquit, in lumine uultus tui ambulabunt. Quid illud Esaiæ? Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Vides accessum ad eum per eius lumen, quæ fides est, fieri? hanc porrò splendorem ortus Dei appellat, propterea quòd per solam fidem iustitia Dei oriatur in cordibus nostris, ut idem ait uates: & hæc quidem omnia per Christum, per quem aditum habemus ad Deum, ut inquit Paulus. Surge (clamat spiritus) illuminare Hierusalem. hoc est, ô tu qui è tenebris ad lucem exire flagitas, lumen accipe: nam uenit lumen tuum. En, inquit, Dei filius, qui fons est uitæ, luxq; illa uera, quæ illuminat omnẽ hominem uenientem in hunc mundum, lumẽ omnibus attulit. Lumen igitur istuc à Christo duntaxat petendũ erit, non ab humana ratione aut arbitrio: aliter superuacaneum quidem fuisset, Dei filium rei illi lumen apportasse, quæ per se lucida esset. Venit igitur lumen, cùm tenebræ essent super faciem abysi, sederentq; omnes in regione umbræ mortis. Mirum sanè, si cùm umbram audis, aut abyssum aut mortem, lucem aliquã imagineris. Iam ante Christi aduentum ad nos, mundus planè omnis in pristinum illud chaos, molemq; indigestã recciderat: emergente uerò è diuina caligine Christo, actutùm uisus est sol, luminariaq; illa duo æterna fidei & amoris, mundo inuecta sunt. Tunc uita, tunc pax, tunc bona hominibus oblata est uoluntas, quæ antea mala fuerat, ac à Deo aliena. Cùm itaq; sic se res habeant, cùm inquam in tua omnino misericordia & iustitia, ô domine, nostræ omnis salutis summa posita sit, non in humanis uiribus atq; arbitrio,

Prætende misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his, qui recto sunt corde.

Extende, uertit Fel. misericordiam tuam cognoscentibus te. Ecce quomodo simpliciter absq; periphrasi rogat anima se sub tutissimis Dei alis foueri. En ite-
D rum quomodo misericordiam & iustitiam, quæ fidei summa est, imò uerò etiam ipsa fides, in medium reuocat. Extende, inquit, felicissimas gratiarum tuarum alas, è quarũ umbra fons aquæ uiuæ salientis in uitam æternam beatissima erumpit scaturigine, luxq; illa emicat, emanat ue, quæ nulla unquam tenebrarum obscuritate intercipitur: sed uiuax semper est, omnia perlustrans, omnia transcurrens, omnia permeans, omnia uiuificans, omnia instaurans, omnia æternis enutriens alimentis. Cæterùm Prætende, quod noster uertit interpres, id præ se ferre opinor misericordiam scilicet Dei, seu bonitatem appellare mauis, & iustitiã, nostris concupiscentiarum flammis, tanquam refrigerij uelum prætendi, expandiq;, quo sanè obtecta iustorum peccata, nõ iam peccata, sed illius generis actiones efficiantur, quæ in salutem tandem ac bonũ, ut ait Paulus, cooperari queant, his solummodo qui Deum per fidem agnoscunt: cùm interim merita illa, iam nõ merita, quibus nonnulli miserandum in modum intumescunt, nullo spiritus sancti umbraculo operta, in æternum illis cooperentur exitum ac mortem. Porrò quid aliud putas diuina Christi brachia in cruce expansa, traiectaq; durissimis clauis, admonuisse, quàm misericordię æterni patris alas omnibus apertas, patefactasq;, ac nunquam suis amplius dilectis claudendas? Quid uulnus illud crudele lateri infixit? quid caput spinis obduxit? quid mortẽ tam diram, tam cruentam, tam immeritã, tam lachrymabilem innocentissimo Dei unigenito attulit? nonne misericordia? nonne bonitas? nonne dilectio? En tandẽ alæ, sub cuius umbra pauidæ requiescũt animę, nõ temerariæ, aut suis in extollendis meritis nimiũ procaces. Notat hîc quidam, cognoscentes Deum, rectosq; corde, eosdem esse. Quicunq;, ait, uerè Deum agnouerit, is & amabit, eoq; recto & æquo corde erit, nihil sibi, omnia autem proximis in gloriam Dei quærente. Fiat igitur misericordia tua, ô domine, super nos, quemadmodum sperauimus in te. Ad hæc,

Non ueniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.

Affectus in anima pedes sunt: his enim celeribus ueluti pedibus sua habent itinera animæ. Sed ea felix, quæ rectà incedens, neq; ad dexteram, neq; ad sinistrã, ut ai

A ut ait ſpiritus, deflectit. Ad dexteram quidem deflectit, quæ faſtu ſuperbiæ inſolescens, primũ imitatur angelum: ad ſiniſtram uerò, qui Iudam domini proditorem, ob animi deſperationem. hæc enim facilè in aduerſis frangitur, ſuccumbitq; peccatorum oneri, ignorans miſera cuius bonitatis is ſit quem toties peccando offenderit: illa autem ſecundis inflata rebus, ſibiq; ob merita, non Chriſti, ſed ſua adblandiens, molitur neſcio quas excellentiæ formas, etiam non aduertens: quibus facilè perſuaſa, in id ſanè impietatis genus delabitur, ut uita ſaltem, ſi non ore, de ſe illud iactitet, Similis ero altiſsimo. Arrogans enim ſibi quiſpiam aliqua in republica aut regno dominium, legumq; antiquarum abrogationem & contemptum, ius item alias ſibi condendi nouas, neceſſe quidem eſt quòd is aut rex ſit, aut regnum affectet, contempto rege. Ita ſanè anima in ſuperbiæ ſemel fauces coniecta, ſacram in primis contemnit legem, legiſq; autorem, atq; propterea eos omnes qui eiuſdem legis ſtudioſi ſunt. Vnde à uero cordis alimento, quod eſt uerbum Dei, ſua ſe ſponte ſubtrahẽs, aliud actutùm quærit ex ſeſe, quod propriæ excellentiæ affectum & amorem appellari conſentaneum erit: quo quidem uel ſummis labijs deguſtato, mirum quàm inſolenter ſeſe efferat, ſe amet, ſe palpet, ſibi tandem & cæca & ſtupida miſerabiliter imponat. Cæterùm ab anima ſic affecta, ſic cæco præpedita iudicio, quid aliud ſperandum cenſes, quàm faſtum, quàm arrogantiam, quàm ſuperbiam, quàm ambitionem, quàm Dei contemptum, atq; ob id magnitudinis propriæ & excellentiæ deſiderium? Talem igitur affectum ac pedem in ſe uenire deprecatur uir ſanctus: & ne id quidem ſolùm, ſed eos omnes qui tali gradiuntur paſſu, ad ſeſe accedere non permittat ille qui ſuperborum colla, ut ait quidam, propria calcauit uirtute, inſtantiſsimè rogitat. Quare ſic reddit Paraphraſtes: Non perueniat uſq; ad me pedibus ſuis ſuperbus. Periculoſiſsima ſanè res eſt, cum iſtiuſmodi hominum genere neceſsitudinem habere, qui ſe admodum mirantur, ſe prædicant, ac ſeſe ob animi intem-
B perantiam cæteris anteponunt. Nullus quippe error eſt, in quem non proruat uir ſuperbus ac ſe amans. Et manus peccatoris non moueat me. Fel. uertit: Et manus impiorum ne amoueat me. Volunt hîc quidam ſpiritum de his innuere, qui cùm mali ſint, fingunt ſe bonos, ac per mentitam quandam ſanctimoniæ apparentiam uulgi iudicium aucupantur. Alij de obtrectatoribus ſermonem eſſe exiſtimant, quorum impudentia ac ueneno, adeò frequenter atteruntur boni, ut penè interdum ab incœpto uitæ inſtituto relabantur, uicti nimirũ à tam diro morſu ac dente: uerùm innocentia ſuo contenta teſtimonio, Deoq; nixa, huiuſmodi rerũ fæcẽ ac luem animoſiſsimè tolerat, ualidoq; graditur inceſſu in uia iuſtitiæ. Alij rurſum de adulatoribus dici opinantur, quibus & ego aſſentior. Non me, inquit, à uia Dei, à uita, ab animi rectitudine, mellitum iſtud adulatorum genus amoueat. Nulla enim maior poteſt eſſe peſtis in optimatum ædibus, atq; aulis principum, quàm cùm ex illorum familiaribus quis inducit animũ, ut ait Comicus, omnia aſſentari. Quid agat tunc princeps, cùm in iſtius generis inciderit familiares, qui nihil æquè in obſequijs, in ſermonibus, in actionibus, familiariq; cum principe conuictu curant, quàm quomodo, quicquid ille agit, approbent, extollantq;, ac crudeliſsimè tam bono domino imponant? impoſsibile nempe eſt, talem principem à uia Dei nõ deflectere: qua quidem amiſſa, quò infelix ſua diriget in moderandis populis conſilia? quid boni, quid quod ſapientiã referat, expetere unquam poterit? Cadat igitur oportet in uaſtum errorum barathrum princeps, cui qui uerum dicat, non inuenitur. Verumenimuero ut detur principem aliquando aut Regem, propter adulatorum frequentiam poſſe falli (quanquam certè non uideo, cur improbis, nuperrimisq; magis ciuibus, quàm probis, atq; ex antiqua patrum nobilitate grauiſsimis, fidem habere debeat Princeps) in Eccleſiæ uerò prælatis quis tam fœdum nõ execretur lapſum? Cæterùm utcunq; is uerſus accipiatur, illud pro comperto eſt, uatem hîc improborum uim ac proteruitatem, per pedem ſuperbiæ, manumq; peccatoris ſignificaſſe, quorum quidem caſum ac ruinam præuidens, mox addidit:

C *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.*

O horrendum iudicium. Sed ô nostram quoq; detestabilem in tolerandis aduersis tenerítudinem. Clamat quippe lex, clamant prophetæ, clamat ipse à summo empyreo Deus, non diu sua in illa mentita felicitate consistere posse improbos: nihilominus tamen, cùm infelices eorum quotidie intueamur exitus, ob secundas illorum fortunas angimur, querimurq;, ac Deum uolumus omnino suis in æquissimis iudicijs cæcutire ac labi. Ibi, ibi, inquit (ne dubitetis) hoc est, tempore illo maximè, quo uulgò dij in terris existimabuntur, suorum scelerum dignas persoluent pœnas. Transiui, ait uates alio in psalmo, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Vides ne superbi exitum? uis ne etiam mansueti atq; humilis? Permanet, inquit, in æternum in conspectu eius, Dei scilicet. Ceciderunt igitur olim impij homines à uita, à bono, à Deo, caduntq; in dies, ut crebris, ni prorsus plumbei simus, intuemur exemplis. Cadent rursus in posterum, expellunturq; tum hîc, tum in futurum à facie Dei, in qua summa inest rerum omnium cognitio, iucunditas insuper ac æterna quies. Non potuerunt, inquit, stare. Vidisti ne unquam fastuosum hominem atq; arrogantẽ elegantiori depingi penicillo? omnes enim illius actiones, nedum consilia quidem, atq; affectus animi, in incerto semper uersantur motu: adeò ut quid plerunque sibi uelit, aut cupiat, aut agat quoq;, ne Delius quidem ipse diuinaret. nõ mirum sanè: nam secundum spiritus uaticiniũ, Non potuerunt stare. Surgere, uertit Fel. Idem Paraphr. quæ quidem uox superbis tam aptè conuenit, quàm quæ alia maximè. Non possunt, inquit spiritus, surgere, non possunt resipiscere, nõ possunt per pœnitentiam ad uitam regredi: sua quippe sponte obdurati in malis, obcæcati, attritiq; in rerum humanarum cupiditate & ambitione, non possunt quidem, quia nolunt, quia suus illis placet tumor, quia diuinis ultrò reluctantur afflatibus, quia tenebras magis quàm lucẽ, ut inquit Christus, diligunt, quia ad Dei alas, in quiD bus omne inest bonum, confugere renuunt, sed ad se potius, aut ad magos & ariolos, in tractandarũ rerum prouidentia recurrunt. Tu uerò fili, clamat spiritus, noli æmulari in malignantibus. Sed alius is est psalmus.

PSALMVS IPSI DAVID XXXVII.

Noli æmulari in malignantibus, neq; zelaueris facientes iniquitatem.

Inter cætera enim, quibus maximè angi solent ac turbari imbecillis fidei homines, illud potissimum est, cùm cernunt improbos quosdam nullum unquam finem suis sceleribus ponere, & tamen sic rebus omnibus quæ felicitatẽ polliceri uidentur, abundare, ut hi soli Deo curæ esse uulgò appareant, cæteri uerò neglectui. quare eousq; interdum, ut sunt in fide debiles, & queruntur & excandescũt, ut quasi à Deo rationem eorum quæ fiunt in mundo, exacturi, cum uate illo clamẽt: Quare respicis contemptores, & taces? quare uia impiorũ prosperatur? Bene est omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt. Plantasti eos (ô iudicium inscrutabile) & radicem miserũt. Vide animam ob ea quæ fieri in mundo absurda arbitratur, conquerentẽ, nutantemq; in fide: quam sanè spiritus in hoc psalmo consolari, atq; earum rerum, quarũ ordinem ignorat illa prorsus, rationem edocere instituit. Cuius ea est summa, ut quicquid accidat, id totum diuino cõmittatur iudicio: idcirco nihil ultrà aut querendum aut expostulandũ, cùm illa maximè, quæ à cæcis iudicatur felicitas, fallax sit omnino, fluxa, ac crusta potius felicitatis, quàm uera felicitas. Id enim semper uel ab ipsa prima rerum constitutione in terris usum est, ut impij sceleratiq; homines fortunæ bonis, perpetuo ueluti riuo, affluerent: pij uerò, utpote, ad meliorem uitam seruati, inedia, atq; æterna ueluti malorum serie, ærumnis tererentur. Quamobrem autem id accidat, seu potius cur id Deo in disponendis rebus humanis moris sit, quis tam audax est, qui hoc interroget? Abstrusa enim planè hæc sunt: propterea ueneranda magis, castoq; silentio, ut inquit Dionysius, prætereunda, quàm disquiren-

A quirenda. Illud uerò interim cum uate noſtro fatendum erit, Iuſtus es Domine, & rectum iudiciũ tuum. Maxima proinde fidei pars ea eſt, uulpes haſce noſtras, quę demoliuntur uineam, ut canit ſponſa, actutũ capere, ac paruulos, dum paruuli ſunt, ne in giganteam creſcant formam, ad petram, quæ Chriſtus eſt, allidere. Memini equidem, cùm nondũ prima profeſsionis meæ perdidiciſſem rudimenta, in fideq; adhuc tener eſſem, de huiuſmodi, ut mihi tum uidebatur, inæqualitatererum conqueſtum me eſſe. Videbam enim inertes quaſdam moles (homines uix eos eſſe cõiectabam, à forma ſcilicet tantummodo) indoctas, rudes, planeq; ab omni probitate, ingenuitateq; animi abhorrentes, à ſarculis, à raſtris, à ganeis interdum extractas, ad honores ac dignitates promoueri, illisq; anteponi atq; imperare, qui cùm literis tum moribus, tum uitæ quoq; ſanctitate inſignes admodum eſſent. Monſtrum illud quidem tunc eſſe iudicabam: mox uerò meum, per Dei gratiam, aduertens errorem, non ſolùm ab admiratione illa mea indocta deſtiti, uerumetiam ſic fieri oportere duxi. Vnde illis ipſis, quibus olim inuidendum fermè eſſe opinatus ſum, nunc ex animo compatior, queror q; præclariſsima quorundam ingenia in his occupari, quæ aut paruã, aut nullam referunt religionem. Quòd ſi ad cõmunem omnium utilitatem, Deiq; honorem, illud in primis optandum uidetur, ut bonorũ prorſus in partiendis honoribus ac dignitatibus, ratio omnis habeatur, nulla uerò improborum: fatendum tamen eſt, id optimè, ſummaq; ratione factum, quod diuino fieri conſilio non ignoramus. Tantùm illud cupit ſpiritus, ne ſecundis nefandorum hominum rebus inuideamus. Alioqui quid aliud eſt ob fortunatos illorum ſucceſſus dolere, quàm ad ea ipſa, quæ illis miſerè inuidemus inclinari? Noli igitur, clamat ſpiritus, æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Fel. Noli contendere cum malignantibus, ſeu commiſceri: quod eſt, cùm quis certatim cum alio contendit ut ſuperior ea in re, de qua contendunt, euadat. quanquam alius ex He-

B bræo ſimpliciter tranſtulit, Noli imitari malos. Paraphraſtes uerò, Nihil te moueat, ſi ſceleratos uideris opulentos, nec illis inuideas proſperitatis tantillum, & uerè tantillum,

Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent.

Non eſt ſcelus quod non audeat uulgus, ſi ſuum uiderit principem, atq; eos quirerum potiuntur, ſceleſtè uiuere. Quare id ſemper natura comparatum fuit, ut filij parentes, ſerui dominos, plebs principem, oues, ut ſic dicam, paſtores, in uitæ filo ac ratione referant. Vis ne Princeps tua æquitatis præcepta à populis ſeruari? tute prius æquus eſto. alioqui parum aut nihil prorſus, ipſius etiam ſummi Pontificis leges de frænanda hominum libidine luxuq;, & peccandi licentia, mortalium animos mouere poſſe arbitror, niſi ipſe Pontifex, cæteriq; eccleſiæ primates & paſtores ea præditi ſint uitæ excellentia, ut meritò abſq; rubore ſancire queãt leges atq; ordinationes. Hæc igitur totius orbis ſumma pacis uidetur, atq; uniuerſalis reipublicæ Chriſtianæ inſtaurandæ, etiam abſq; Concilijs, ratio, ſi ſic ſuam inſtituant uitam paſtores, ut in illis ſubditi, tanquam in mundiſsimis ſpeculis, quò ſibi eundum ſit, contemplentur. Tenacius, crede mihi, uel unicum ſanctimoniæ exemplum in paſtore, ſubditorũ hæret ingenijs, quàm mille leges aut ordinationes abſq; uitæ integritate. Hæc enim ad pietatem atq; obedientiã inſtituit, illæ uerò ſic ſancitæ, adriſum & contemptum. Verùm tu, ſi ſapis, ob aliorum improbitatem ne digitum quidem à recta uiuendi ratione deflectas: neq; liuore tete maceres, propterea quòd ſceleratos uideas fortunæ bonis florere, imperitare ue cæteris. Diuturna enim eſſe non poteſt huius generis felicitas, quæ in momentaneis fundata eſt rebus: tanquam ſanè fœnum inareſcit. Quid prato uiridi gramine ac floribus perornato pulchrius amœniusq;? uerùm à fœniſecis cæſo, quid nudius, quid inamœnius? Flos enim, aut herba quamlibet uiridis ac uiua, cum primum ſuccidítur, perlangueſcit decoremq; amittit, atq; emoriens in aliam transfertur formam. Sic nimirum ampulloſæ fortunatorum hominum uitæ contingere omnino neceſſe eſt, ſi morbo hi aliquo grauiori aut morte in ter

C ceptí, ſeu principum fauore denudati, caſuq; alio repentino perculſi, in ærumnas deciderint. Non perinde quidem citò flos à tenero demeſſus culmo intermoritur, ac citò fortunæ (ut uocant) filius in miſerrimã proruit calamitatem, ſi uel parum ab ipſa deſeritur matre. Facti ſunt, inquit Dominus, uelut fœnum agri, & uirens herba tectorum, quæ arefacta eſt antequam ueniret ad maturitatem. Quare ſic reddit Paraphr. Similes enim deprehendentur fœno, quod exortum minimo durat tempore: & herbæ ſimiles erunt uirenti, quæ marceſcit ſubitò. Quis igitur tam fragilem exoptat amicam, aut amet, aut alijs inuideat, quæ excisæ in pratis herbæ, aut fœno in ſtriam collecto æquiparatur?

Sicut olera herbarum, inquit, citò decident.

Olera hîc herbarum pro ipſis herbis uiuis poni aſſerunt. Vide quàm flaccidæ rei comparetur mundi huius proſperitas: idcirco abiecto tam caducarum rerum amore,

Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſcêris in diuitijs eius.

Fel. Spera in Domino, & fac bonum, & inhabita terram, & paſce ueritatem: ſeu paſce fide, ut alius ex Hebræo. Vnde ſic reddit Paraphr. Fiduciam tuam colloca in domino, & ſectare quod bonum eſt, ut terram inhabites longo tempore, & paſcas & augeas aſsiduè de domino conceptam fidem. Tota hîc perfectionis ſumma à ſpiritu nectitur, quæ eſt, cùm fidei, quam in Deum eſſe oportet, adduntur opera, hoc eſt, arbori per ſe eleganti ſuus etiam fructuum decor additur. Et quemadmodum fidei ſeu fiduciæ proprium eſt, nudis affectibus nudum ſequi Chriſtum, ita operationum illam conuenit diuitem eſſe copia atq; ubertate: imò ſi deſunt opera, fides ea non eſt, ſed mortua quædam uox & nomen. Vide igitur quid hîc ſpiritus admonet. Curam, inquit, omnem tuam, reiecta procul diffidentia, cõmitte Deo: atq; eadem nixus in operando qua credis fiducia, tuas diſpone
D actiones, ſic cogitans: Poterit ne Deus me in ſe ſperantẽ, etiam in rebus huic uitæ neceſſarijs, in anguſtijs, in ærumnis, in tribulationibus deſerere, qui ſuos ſic ditat cõtemptores in hoc mundo, ſic ornat honoribus, ſic beat, ſic in altum euehit, ut penè nihil aliud cogitare uideatur, quàm ut ſuis benefaciat hoſtibus? haud ſanè quidem credo. Certò equidem ſcio, quòd non illi quidem beati, ſed beatus uir qui ſperat in eo. Niſi fortè inſtabilem hanc diuitiarũ honorúmue copiam, & cui ſumma annexa eſt miſeria, beatitudinem appellandam eſſe arbitremur. Quare mens uatis hæc eſt, ut nos à falſæ felicitatis admiratione, qua improbi ex more ſeſe efferunt, retrahat: idcirco clamat, ueram eam tandem, ſolidamq;, atq; ab omnibus expetendam felicitatem, in Deo, non in hoc mundo ſitam eſſe. Cæterùm, inhabita terram, id præ ſe ferre uidetur, quòd qui concepta in Deum fiducia nihil non agit, quò tum Deum, tum proximum optimis promereatur actionibus, iam uel in terris beatus ſit, ac quicquid contingat, quietus: cùm interim alijs, qui fortunati uulgò appellantur, nihil deſit quo ſe iugiter affligant, quod offendat, quod moleſtias die noctuq; afferat. Hi certè ſuis libero nunquam utuntur animo, ille autem ſemper felix & beatus, etiam in exilio, ac ſumma rerum inopia, tranquillam agit uitam: hi quidem mundo ſeruiunt, ille imperat: hi uel in minimo fortunę uulnere anguntur, dolent, inſaniunt, ille nec in maximo quidem uultum mutat, ſed ſapientior eò quotidie fit, quò atrocior fuerit calamitas & crux. Hic profectò diuitijs, ut canit uates, etiam in extrema paupertate conſtitutus, abundat, recentioribus continuè fomentis fidem, quam in Deum habet, enutriens. Paſcuntur igitur improbi inani quadam rerum uanitate, illiq; fidunt: probi uerò, & fide, & ut uertit Fel. ueritate, qua certò credunt ſuis Deum, qui uerax eſt, deeſſe non poſſe, iucundiſsimè aluntur. Sunt porrò qui uolunt, maximo cum myſterio illud, quod noſter uertit interpres, in diuitijs eius, Dei ſcilicet, à nonnullis uerti in fide: quò nimirum tandem à mortalibus non ignoretur, diuitias omnes animi in fide Ieſu Chriſti ſitas eſſe. Quare delectare in Chriſto, mi lector, delectare in eius fide.

Delecta-

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

A Id inſitum fermè omnibus natura eſt, ut ea in re, cui fidunt maximè, delectentur. Eam ob rem ſi quem uidero in diuitijs, in honoribus, in dignitatibus, cæterisq; huiuſcemodi rebus fluxis & caducis, in literis quoq;, ac quod nouum forſan aliquibus uidebitur, ſanctis in operationibus tanquam in fine ſeſe oblectare, conquieſcereq;, hunc ſanè ſuis in fortunis ac literis ſanctisq; actionibus, non in Deo beatitudinem collocaſſe aſſeuerabo. Nulla enim in re quamlibet excelſa ac diuina, requieſcere mens debet humana, præterquàm in Deo. Proinde quanto poteſt pectore, è ſublimi ueluti turre, hîc clamat uates: O tu quiſquis es qui aliam ab hac, quam in mundo tanquam ludibrium fortunæ horſum ſurſum uerſari cernis, felicitatem aſſequi efflagitas, ſine hos hiſce in rebus nihili oblectari, ſuumq; bonum ſtatuere: tu in domino, qui bonorum omnium fons eſt atq; autor, delectationes omnes tuas colloca. Ipſe, ipſe, inquam, non princeps, non mundus, non quicquid uſpiam conditum eſt, etiam in ſecretioribus cœli receſſibus ac ſedibus, dabit tibi petitiones cordis tui. Cupis ne honores, dignitates, diuitias? A Deo hæc quidem petenda ſunt, qui æterna donat: non à mundo, qui mortalia & caduca. Nolite filij, aiebat ſenex ille ſanctiſsimus, diligere mundum, neque illa quæ in mundo ſunt. O nos beatos, ſi iam tandem quàm fallax ſit mundana hæc felicitas uel ſerò cognoſceremus: quamq; ea uera ſit, quam Chriſtus ab alto crucis ligno ſuis oſtendit familiaribus. Iam illud maximum omnium uidetur, quî fit quòd Deus nihil non de illis, quæ à ſuis rogatur, præſtare dicitur? Præſtat nimirum omnia: nam nihil planè hi rogare poſſunt, quod totum ad illuſtrandum Dei nomen ac gloriam, non faciat. Cùm enim, inquit quidam, diligas Deum, nihil indignum poſtulabis. hincq; illud eſſe opinor, quod dominus Ieſus ſuos admonuit diſcipulos, ad hunc modum: Si manſeritis in me (en animæ in Chriſto per amorem, quo ſolo in re amata conquieſcimus, oblectamen-
B tum) & uerba mea in uobis manſerint (en amoris effectum) quodcunq; uolueritis, petetis, & fiet uobis. Quis princeps, quis rex aut imperator, quæ fortuna id polliceri audeat? Inſatiabile enim cor eſt humanum, nec unquam ſuos ſedare poteſt motus aut appetentias, niſi illis in rebus quæ æternæ ſunt. quid igitur in multis te torques?

Reuela domino uiam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.

Diuus Hieronymus ex Hebræo uertit, Volue ſuper dominum curam tuam. Fel. uerò, Circumuolue ſecus dominum uiam tuam. Vtcunq; ſit litera, is erit ſenſus: Tuam illi cõmitte uitam, uitæq; inſtitutum: quicquid agis acturus ue es, in illum reijce, ſperaq; te aſſecuturum quod quæris: ipſe certè, non tu, aut humanum ingenium faciet: hoc eſt, perficiet omnia, optatumq; dabit finem. Ipſe nanq; eſt, ne dubita, qui in te & uelle & perficere operatur. Atqui mens denicq; ea ſpiritus eſt, noſtram ut excitet ignauiam, non ut alat. Etenim quemlibet ſuas animoſe ordiri actiones prout ſuggeſſerit ſpiritus, oportet, cæterùm abſq; cura rei euentum diuinæ commendare bonitati. Admonet nos Petrus ſolicitudinem omnem noſtram proijciendam eſſe in Deum, quoniam illi cura eſt de nobis. Vide igitur quanta debeat eſſe in Chriſtiano uiro fidei uis, ac robur. Quod quidem elegantiſsimè, ut cætera, expreſsit Campenſis: Cõmitte, inquit, domino ſtatum rerum tuarum: fide illi, optima enim fide curabit & te & tua.

Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.

Difficillima quippe res eſt, urbem in ſublimi monte poſitam diu latêre poſſe. Iuſtitiam in hoc loco, ac iudicium, nihil aliud eſſe interpretamur, quàm uniuſcuiuſque uitam iuſtè rectoq; iudicio inſtitutam: quam quidem aſſerit ſpiritus in lucem productum iri, atque eundem adeptura ſplendorem, quem in meridie eſſe cernimus: hoc eſt, uitæ huiuſmodi ordinatæ Deum tandem dignum, etiam in hoc mundo, conceſſurum præmium. Quandiu enim improbis res omnes ad uota ſuccedunt, probis uerò nullæ, ut fit, uidetur rerum ordine quo-

C dammodo uerſo, horum uita ſanctè æquoq; iudicio inſtituta, in obſcuro poſita A
eſſe: illorum uerò qui in flagitijs uiuunt, maiorem in dies nanciſci lucem. Ve-
rùm hiſce fortunæ bonis tandem expoliatis, in ærumnoſumq; uitæ genus con-
iectis, expulſis, pœnaq; ſuis ſceleribus digna mulctatis, bonorum uita ſplende-
ſcere incipit, laudatur, honoratur, ac tandem meridiano illo lumine, in quo Deus
ipſe ineffabilibus bonis diues, in ſeſe manens habitat, donatur. Vtram, oro, ui-
tam cenſes æquè probeq; inſtitutam? illorúm ne qui mundi huius mancipia cùm
ſint, quoquouerſum ſe uertit fortuna, eò temerario feruntur impetu, aguntur q;
non ſecus, ac ſolet turbo ludicrus in gyro ui actus: an horum qui cùm in mundo
ſint, ut ait Chriſtus, de mundo non ſunt? hoc eſt, quibus nihil iam in terris place
re poteſt, quod iuſtitiam, quod rectitudinem, quod diuinitatem demum quan-
dam non referat. Id ne an illud uitæ genus putas dignum eſſe, cuius Deus ratio-
nem habeat, cuiq; ſuum impartiat lumen? Diuino certè lumine in his qui reſpu-
blicas, regiones, religioſasq; familias moderantur, extincto, quò ſe uertant miſe-
ri? unde in tractandarũ rerum labore uigorem ſument? unde iuſtitiam addiſcent?
unde æquitatem? Tu fili, inquit ſpiritus, non propterea quòd res uideas humа-
nas eo ſe habere modo quem dixi, frangaris animo: tantùm tu

Subditus eſto Domino, & ora eum.

In omnibus, inquit, diuinis obtempera conſilijs, haud quærens quidem, cur
id magis quàm illud fiat in terris: oraq; eum, ut abs te, alioquin ingenio teme-
rario & curioſo, queat perfici. Verùm alia Hebræis eſt litera, idem tamen ferè ſen
ſus. Diuus enim Hieronymus ſic: Tace domino, & expecta eum. Alius uerò: Si-
le domino, & formare ei: hoc eſt, tacitus abſq; murmuratione omnia Deo permit
te, teq; adeò diuinę attempera uoluntati, ut ab ea, ueluti in utero fœtus, formeris,
ad illaq; ſine querelis amplexanda inſtituaris, quæ ſic fieri decreuit Deus. In ſilen
tio enim ac ſpe tota ferè Chriſtianorum ſita eſt perfectio. Dominus, inquit Mo-
D ſes, pugnabit pro uobis, & uos tacebitis. Expecta dominum, uertit Fel. & expe-
cta ipſum. Idcirco ſic Paraphr. Patienter expecta dominum, & fer æquo animo,
ſi quid ab illo tibi immittatur aduerſi: neq; contriſteris, ſi uideris alium quempiã
felicius augere ſua, quod ſæpenumero ſceleratiſsimo cuiq; euenire ſolet: quod
eſt, quod noſter interpres tranſtulit,

Noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua, in hominę facientę iniuſtitias.

Fel. ſic: Ne contendas, ſeu commiſcearis cum producente ad proſperitatem
uitam ſuam, cum faciente ſcelera. Eandem planè ſententiam hîc repetit uates,
quam in ſuperioribus dixit, nempe bonos haudquaquam fortunatis improbo-
rum ſucceſsibus moueri debere, ſed tacitos diuina præſtolari iudicia. Tempus
uerò, quo res in melius uerti debeant, is ſolus nouit, cui & præterita & futura æ-
què ut præſentia nota ſunt: quæ quidem res propria Dei eſt, non hominis: cuius
ſanè tantummodo intereſt, quicquid emergit noui, diuina uenerari conſilia, il-
liſq; gratias agere, quorum abſq; nutu ne minimum quidem arboris folium tre-
mit & mouetur, gemmáue è uite intumeſcit. Quocirca

Deſine ab ira, & derelinquę furorem: noli æmulari vt maligneris.

Vide quàm prudenter uir ſanctus nos ab æmulatione inuidentiaq; illa quæ
infirmioribus natura ineſt animis, auocet. uſqueadeo enim interdũ hi ob impro-
borum felicitatem ſtupidi efficiuntur, ut ne ab excandeſcentia quidem atq; ira,
& cœlum & terram querelis commiſcentes, ſe temperent. Cùm uides, inquit Eu
thymius, iniuſtos homines in ſecunda eſſe fortuna, noli iraſci aut indignari con-
tra eos, quaſi præter id quod par eſt, proſperentur: neq; tecum ipſe illud doleas,
quòd ob ſummũ tuum erga uirtutes amorem potius infelicior ſis. Non deſunt e-
tiam, qui hunc uerſum de nõ referendo par pari in iniurijs interpretẽtur, ut ſit ſen
ſus: Non reddas malũ pro malo, non maledicta regeras, nõ quæras uindictã, ne
& tu, dum te ulciſci quæris, fias illi ſimilis qui malum intulit. Maleficioſus eſt, fa-
teor,

A teor, caue ne tu quoq; idem ſis, dum eadem quę in alijs reprehendis, efficis. Verū prior ſenſus ad ſuperiora aptius quadrare mihi uidetur: unde ſic reddit Paraphr. Cohibe animum tuum ab ira, & pelle furorem, ne ſic incendaris, ut illorum ſceleratorum exemplo, ad perpetranda ſimilia animum inducas. Cæterùm illud notandum, à Felice ferè ſemper Contendere aut commiſcere, pro æmulari reddi: cuius uerbi interpretationem in ſuperioribus perſecuti ſumus. Nunc ad reliqua.

Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram.

Noxij enim malignicq; homines non regnabunt ſemper ſuper terrā, ut ait Salomon: tantùm hi quibus cœlitus miſſa eſt crux, animum in perſecutionibus nō deſpondeant. In ſuperandis nancq; aduerſis niſi tandē longo indureſcat uſu cor, in amoremq; rei illius quæ in adipiſcenda animi pace neceſſaria eſt, licet guſtu acerba atq; amara, trahatur, nunquā in Deo firmari poterit, in quo ſolo uera eſt pax & quies. Quid enim habent improbi in hoc mundo, aut ferunt, quod idem anxietatum bellorumq; pleniſsimum non ſit? Nam Chriſto, qui pacis illius, quā omnem ſuperare ſenſum affirmat Paulus, autor eſt, ab expetendarum rerum aut agendarum quoq; fine excluſo, quid aut iam expeti aut agi poteſt, quod continuis curarū gyris non implicetur? Contrà uerò his euenit, qui in omnibus ſuum ſibi ſemper Chriſtum, uirtutum omnium archiuum atq; exemplar, proponunt: quibus ipſa quoq; totius orbis confuſio & fluctuatio in tranquillitatē cedit. Tantùm illud auet ſpiritus, ut nō ſolùm id animoſe fortiterq;, quicquid illud eſt quod ſors affert humana, feramus: ſed & conſideratè ac ſapienter, ne quid in uiro probo, caſu fortuitoq; fieri cernatur, longè antequam accidat, præuideamus. Etenim eo ex uſu quidam formatur in nobis habitus, quam patientiā appellamus: qua nimirum obtenta, Chriſtum in nobis innouari, ſeu, ut inquit Paulus, reformari in dies magis ſentimus: cuius porrò tanquā benigniſsimi hoſpitis, tum ope
B tum donis in eam euehimur magnitudinē, ut mundo facilè imperemus, rerumq; omnium conditarum poſſeſsionem, hæreditario ueluti iure adeamus. Atq; id ſanè eſt quod hîc uates aſſerit, ſuſtinentes ſcilicet, ſeu, ut uertit Fel. expectantes dominum hæreditare terram. Beati, inquit dominus Ieſus, mites, quoniam ipſi hæreditabunt terrā. A patientia quidem miteſcere incipimus. Verùm ne diutius diuina nos mora torqueat, admonet uates, breui id quidem futurum, cùm ait:

Et adhuc puſillum, & non erit peccator: quæres locum eius & non inuenies.

Breuiſsimè, inquit Paraphr. ſic interibit impius, ut ueteris pompæ, qua admirationi fuit multis, nihil reliquum uiſurus ſis. Paululum ſuſtine, uertit Hebræus interpres, & impius non ſupererit: cumq; aduerteris ad locū eius, nullus aderit. Intelliges uerò in loco eius, uertit Fel. hoc eſt, cōſiderabis locum eius. Hæc quidem uel ſola, maxima omnium deberet eſſe timidis conſolatio, cùm legunt nefarios homines breui excidendos, adeoq; penitus ſuis illis à tumidis deijciendos ſedibus, ut nunquam ferè extitiſſe uideantur. O diuinum iudiciū, ô deploratas animas. Quot uidi ego aliquando ex humili fortuna, tanquam è trito ſepulchro, ad urbium magiſtratus, regionum, religioſarumq; ædium dominium, ſeu à principe, ſeu à ſorte neſcio qua aſcitos, ad tantam animi impotentiā, tumoremq; deueniſſe, ut prioris penitus, ſeu humanæ potius conditionis obliti, tanti iuſtitiam, æquitatem, religionemq; fecerint, quanti ſues gemmas ſpurciſsimi. Hi tamen repentina conſternati fortunæ indignatione, ita in nihilum reſoluti ſunt, ut cum illorum faſtu, & uita, & res, & locus, & quicquid illorum mortale uſpiam fuit, unà interijſſe uiſum ſit. Quò uerò animæ ſic malè de religione Chriſtiana meritæ abierint, humani haud quidē eſt ingenij id uelle inquirere, uel diffinire: hæc Dei omnino ſunt. Quod autem ad nos attinet illud certum eſt, mortalium omnium animas Deo curę eſſe: quę uerò ſint eius, quæ ue ſint in æterno prædeſtinationis diuinæ libro conſcriptæ, ipſe ſolus nouit. Ego ut de me aliquid dicam, maximo cum timore quid de me futurum ſit operior: meamq; cum tremore &

C tu, ut me admonet Paulus, ſalutem operor: de alijs uerò nulla mihi cura, niſi ea quidem, qua omnes cupio, oroq; in Chriſto Ieſu ſaluos eſſe. Cæterùm illud conſiderandum, quàm continua rem narret uates antitheſi: Quæres, inquit, locum eius, nefarij ſcilicet hominis, & non inuenies.

Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

Idem fermè ſuperioribus cecinit dicens: Suſtinentes dominum ipſi hæreditabunt terram. Porrò pax, tranquillitas illa animorum eſt, qua quis adeò fortiter ſuos omnes mentis affectus, ad mutabiles rerũ euentus componit, ut quicquid contingat, id totum in ſuum pertrahat colorem, omnibus in rebus eam ſeruans animi æquabilitatem, quæ uiro non tantũ Stoico, quantum Chriſtiano conuenit. Sedebit, inquit dominus in Eſaia, populus meus in multitudine pacis. Is enim ſic Deo per fidem unitus, hoc utitur mundo tanquã mancipio, illi uerò tanquam domino ac Deo. Is imperat, illi obſequuntur. Is continuo quodã pacis tenore, etiam inter tela & neces, tranquillam agit uitam: illi etiam in medio ipſo fortunæ ſinu obdormiſcentes, miſerrimam. O rem penè dictu incredibilem. Vide, oro, ad quem felicitatis gradum adſciſcitur anima, ſic ad rerum inſtabilitatem compoſita ſilensq; domino, atq; illius ſe totam committens prudentiæ, ut illiſce leſtiſsimus quiſq; quamlibet primarius inuideat.

Obſeruabit, inquit, peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.

Obſerua liuoris naturam atque effectum. Eſt ſanè uſus uerbo admodum peruerſæ uoluntatis hominibus apto: obſeruat enim quis aliquem (de obſeruantia illa, in qua ſumma ineſt admiratio & reuerentia, non loquor modò) cùm eum & oculis & animo, in modum ſpeculatoris ita cuſtodit, ut nihil aut loqui, aut agere is queat, quod illum latere poſsit: & id propterea quidem, ut ampliorem calumniandi occaſionem habeat. Qui porrò non contentus uidiſſe, diligenterq; om-
D nia, quæ ab eo, quem odio inſectatur, ſanctiſsimè interdum peraguntur, obſeruaſſe, alia confingit, ſurrogat, defert tandem, ne quid totius malitiæ cumulo defuiſſe uideatur: qui quidem cumulus tum ad ſummũ uſq; exuberat, cùm illi, qui tam nefandum ignem reſtinguere deberent, non ſolùm illum fouent, ſed etiam emunt, ac tanquam peregrinas merces in bonorum omnium pernicie deuehũt. At uide quàm uehementer inuidiam indignationemq; improborum contra innocuos, puritatisq; cultores exprimit, cùm illos canũ more infrendere dentibus aſſerit. Malitioſe cogitat de iuſto improbus, uertit Hebræus: & nudat, ſeu frendit, ut Fel. ſuper eum dentibus ſuis. Atqui ex tam periculoſa inuidorũ rabie permotum quondam fuiſſe Apoſtolũ arbitror, cùm Philippenſes admonuit dicens: Videte canes, uidete operarios malos, uidete conciſionem. Quam quidem prudentiſsimam Pauli admonitionẽ non tantum ad illos pertinere iudico, in quos diri iſti canes facilè ob uitæ innocentiam deſæuire ſoliti ſunt, quantum ad Principes, rerumq; publicarum miniſtros: quorum omnium illud præcipuum munus eſt, ut diligenter perpendant, ut ait Epictetus, quis eſt qui loquitur, aut de quo. Verùm utcunq; conniueat in rerum delectu ſummatum ignauia, illud in primis ſumma debet eſſe pijs conſolatio, quòd

Dominus irridebit eum, quoniam proſpicit quòd ueniet dies eius.

Huius uerſus ſenſum ſic cum ſuperiori nectit Paraphr. Conabitur impius iuſtum ſubuertere, & frendet aduerſus illum dentibus ſuis: dominus autem ridebit minas illius: nouit enim, quàm ſit in propinquo tempus, quo ipſe peribit. Non parum quidem, quod aliàs admonuimus, noſtræ officit ſaluti, cùm noſtris in metiendis aduerſitatibus, conſideranda'q; diuturna ſolummodo, ut nobis uidetur, improborum in innoxios petulantia, malumq; ſtruendi licentia, Deum penè in iudicijs anteuertimus. Vis' ne, ô amice, pleniſsimam undequaq; mentis adipiſci tranquillitatẽ, arrham nimirum cœleſtis patriæ ac uitæ? Quæcunque in terris contingant, tu tantùm reuela domino uitam tuam, & ſpera in eo: quod uerò ſupereſt ipſe faciet, dabitq; rebus exitum non quidem ſecundum deſideria cordis

A cordis tui, præpropera ſanè interdum nimis & præcipitantia, ſed ſecundum beneplacitum puriſsimæ ſuæ uoluntatis in Chriſto: qui cùm ſit ante omnes (ut inquit Paulus) & omnia in ipſum cõſtent, ſitq; caput corporis eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatũ tenens, quia in ipſo complacuit omnẽ plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, per ipſum pacificans, per ſanguinẽ crucis eius, ſiue quę in terris, ſiue quę in cœlis ſunt, poterit ne ſuos tam forti ſibi nodo, ut eſt eius ſanguis, adglutinatos, adeò ſub aduerſitatũ mole ſinere laborare, ut deſperent omnino? Spera, ſpera, inquit, in domino, & ipſe faciet. Faciet, dico, cũ tentatione prouentũ, ut poſsis ſuſtinere. Nam certè illius eſt bonitatis Deus, ut non det in æternum fluctuationem iuſto. Cæterũ dies cùm uarias habeat in ſcripturis ſignificationes, interdũ, ut hîc, pro uniuſcuiuſq; exitu atq; euentu intelligi oportet. Vnde illud quoq; eſt, quod in Iob libro legimus: Super diẽ illius obſtupeſcunt. Dei riſu porrò Dei, atq; ſubſannatione, cùm aliàs tum maximè in ſecundo pſalmo eſt dictum. Sed iam iræ uehementia in noxijs quanta ſit, ſatis admodum cõpendioſe in ſequentibus explicat, cùm illos facit, educto è uagina gladio tenſoq; arcu, iuſtiſsimos quoſq; adoriri.

Gladium, inquit, euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum.

Hunc nimirum, ut clàm: illum, ut apertè offendant. Qui enim gladio, aut enſe coràm quempiam adoritur, ui id agit aperta, atq; ut ſic dicam, ingenue: qui uerò arcu, is prius uulnus infigit, quàm ſaucius ſe inſidijs circumuentum ſentiat, quoniam, inquit in alio pſalmo, intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra. Quamobrem, obſecro, tantus ſagittarum apparatus? ut ſagittẽt, ait, in obſcuro, hoc eſt, ex inſidijs, rectos corde. Quid illud? Intenderunt arcum (rem amaram) ut ſagittent in occultis immaculatum. Vtroq; igitur armorum genere noxium, maleuolorum hominũ in eos, qui tum de Deo, tum omnibus de rebus rectè ſanctèq; ſentiunt, quosq; hîc uates pauperes, inopes, & rectos corde appel
B lat, & animum & apparatum exprimens, ait:

Vt decipiant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde. Sed
Gladius eorum intret in corda ipſorum.

Vulnere ſcilicet. Nam cordi aut telo aut pugione traiecto, nulla tam efficax, præſentaneaq; adhiberi poteſt medela, quin ſtatim intereat ſaucius.

Et arcus eorum confringatur.

Ex Hebræo potius per futurũ legi par eſt, quàm ut noſter uertit interpres. Sic enim reddi poſſet: Gladius eorum penetrabit in cor eorum, & arcus eorum frangentur. Quis hîc iam non uelit eam aſſequi iuſtitiam, qua habita, tam chari Deo efficimur, ut penè illũ oculis intueamur corporeis, ex hoſtiũ noſtrorũ manibus tela excutere, arcusq; in noſtrũ exitium tenſos perfringere, ac eundem ipſum gladium, quo nos interimere poſſe exiſtimant, in illos ui ea retrorquere, ut medio prorſus corde transfodi uideantur? Ne dubites, inquit: pugna hæc, quæ in Chriſti pauperes excitatur, haud iam in Chriſti pauperes ſolùm, ſed in Deum ipſum excitatur. Is enim, non tu, ô homo, pro te in acie ſtat: ſibiq; factũ putat, quod ſuis fieri membris, ſiue beneficium illud ſit, ſiue damnum, aut iniuria, uiderit. Quare illud aptè admodum ab Apoſtolo eſt dictũ, cùm fatebatur ſe adimplere ea, quæ deerant paſsionum Chriſti in carne ſua pro corpore eius, quæ eſt Eccleſia: quaſi Chriſtus (uah charitatẽ immenſam) non ſatis habuit ſuo in corpore tot diros pertuliſſe cruciatus & iniurias, niſi & eadem ipſa in ſuorũ corporibus perferret. Siue igitur aperto, ut uocant, marte, manifeſtaq; ui & cõtumelia te inuadat homo, aut dæmon: ſiue clàm & doloſe, ut ſolent maledici & obtrectatores, ne in fide Ieſu Chriſti titubes & deſperes, à ſpiritu admoneris, ſimulac aſſerit iniurias iſtas omnes diuina manu infringẽdas: alioquin ea eſt in nos amoris magnitudine Deus, ut tum demum nos totos penitus ſuos eſſe uelit, cùm nos uelimus, totiq; interim nihil in fide hæſitantes ab eo pendeamus. Bonum quidem eſt: quid bonum aio?

Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas.

C Vide quàm amanter in fide tenues enutriat ſpiritus. Si, inquit, optio daretur, ô tu, quiſquis es, cui cum inedia ignominiaq; apud homines maxima eſt conflictatio, amplas' ne ſceleratorũ hominũ diuitias, honores, pecunias' ue partim ui, partim nefandiſsimis uſuris, exactionibusq; è uita pauperum, miſerorumq; ciuium acuiduarum exactas eligeres, an ſimplicem & puram uiuendi rationem pauperiemq; illam, quæ paucis minimisq; contenta, nihil aliud uult, aut expetit, niſi quod naturæ uſui honeſtè ſuppetit, eò ſanè ſuas omnes dirigens appetentias, ubi ueræ ſunt diuitiæ, ubi ueri honores, ubi ampla bonorũ omnium poſſeſſio, quę Deus eſt, inuenitur? Quàm ſatius (mihi crede) quàm tutius, quàm honoratius eſſet paululum habere, ut reddit Paraphr. & partum iuſtè, quàm diuitias plurimas, quomodo habent eas improbi, quomodo, inquit, hoc eſt, tanta anxietate, tanto ſtrepitu, tanta turpitudine & infamia, non dico partas, ſed inuita iuſtitia proiectoq; pudore ac religione, è ſinu ipſo calamitoſæ multitudinis congeſtas? Non hîc quidẽ diuitias iuſtè acquiſitas à ſpiritu damnari arbitror, modò in eum transferantur uſum, qui pius ſit ac Chriſtianus. Qualis uerò is eſſe deberet, non eſt præſentis inſtituti definire: quòd ſi definirem, inſolens forſan, & nouum uideretur, non quòd nouum quidem ſit, ſed quòd à mortaliũ memoria unà cum ſuo autore Chriſto iam planè exciderit. Reuocato enim Chriſto, innouatoq; in nobis ſpiritu, reuocabitur & priſca illa uiuendi ratio ab ipſo cœpta, à nobis uerò penitus obliterata. Tantùm id dico quòd hîc me docet ſpiritus.

Brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iuſtos dominus.

Hoc eſt, quæcunq; illa ſunt, in quibus confidunt improbi, illisq; nituntur, à domino breui confringentur, ſiue diuitiæ illæ ſint, ſiue honores, ſiue dignitates, aut quicquid illud ſit, in quo ſperãt diuites. Idem fermè uaticinatur Hieremias: Cornu, inquit, confringetur, & brachium conteretur auari. O curam Dei in miſe-
D ros. Illis, inquit, infeliciter cadentibus, iuſti à Deo iuſtitię ipſius autore, perpetuo ſtabilientur robore. Huiuſce quidem mirabilis iudicij tum uiſum eſt præludiũ, cùm in æternam proruentibus miſeriam primis illis angelicarum mentium choris, cæteri diuina ſuffulti manu ſtabiles in Deo permanſerunt: à quo tamen (uide quid boni potuerit tunc quoq; liberum arbitrium) niſi Dei ſuffragata eſſet bonitas, irreuocabiliter deſiuiſſent. Deſcendit pluuia, clamat Chriſtus, uenerunt flumina, flauerunt uenti, & irruerunt in domum iuſti, & non cecidit: fundata enim erat ſupra petram. Vnde id quæſo? Quia

Nouit dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit.

Nouit, ait alio in pſalmo, uiam iuſtorum, & iter impiorũ peribit. Pulchrè enim admodum dies immaculatorũ illi opponit, quod ſuprà dictum eſt: Dominus irridebit eum, quoniam proſpicit quòd ueniet dies eius. Non mirũ, inquit, ſi confirmat iuſtos dominus: nam ipſe, quod eſt eius naturæ præcipuum, agnoſcit eorum dies: hoc eſt, eorum uitam approbat, dirigit, ſuoq; fauore fulcit, curat, fouet, protegit, tutatur, perindeq; enutrit, ac ſolet tenellos infantes nutrix. Quare eorũ hæreditatem æternam eſſe oportet, nõ momentaneam, et illam quidem, quæ infinitis litibus obnoxia ſit. Nonne, ut inquit Paulus, hæredes ſumus Dei, cohæredes autem Chriſti? Quibus uerò bonis Chriſtus uſus ſit in hoc mundo, nulla certè inuenio præter perſequutiones, famem, ſitim, mœrorem, inediam, anguſtias, ærumnas, tentationes, ac crucem tandem: hæ ſunt quidem delitiæ, diuitiæq;, quas ſuis dominus cum pacis codicillo & charitatis, ab humanis diſcedens reliquit: hæc bona, inquam, ſunt, quorũ participatione iure ueluti hæreditario in Chriſti familiam traducimur. quanquam ne id quidem unquam filijs Dei uera eſſe hæreditatem exiſtimo, quod æternum idem nõ ſit: quocirca ea omnia, quæ in Chriſti uita nobis imitanda proponuntur, non hæreditas, ſed gradus ad hæreditatem illam, qua Chriſto cohæredes efficimur, appellanda erunt. Cæterùm quomodo terrenis in facultatibus noſtram nos ueram, qui imagini filij Dei conformes fieri ſperamus, expectamusq;, ut inquit Paulus, corpus humilitatis noſtræ

A noſtræ configurari corpori claritatis eius, ſtatuimus hæreditatẽ? Regnũ meum, clamat Chriſtus, non eſt hinc: hoc eſt, hiſce rebus caducis ac tranſitorijs minimè conſtat: & nos qui tam felicis capitis membra uideri uolumus, nihil tam ardenter uel cupimus, uel amamus, quàm quæ mundus falſa plerunq; fide pollicetur. Vaniſsima hæc igitur bona, quæ in fortunæ arbitrio poſita eſſe cernimus, noſtra ſint hæreditas, ſi poſt mortem nihil in homine ſupereſt reliquum, ut fermè ſibi perſuaſiſſe nõnullos etiam ſublimis uitæ ac profeſsionis uiros in Dei eccleſia ſuſpicor, cùm eos cerno nulli rei tam tenaciter affixos eſſe, quàm mundo & carni: & tamen id non neſciunt, quòd qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vera igitur proborum hæreditas æterna eſt: quare peregrinos ſeſe fatentur in hoc mundo, non ciues. Hoc ſanè illis perſuaſo,

Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis ſaturabuntur, quia peccatores peribunt.

Hæreditas, inquit uates, iuſtorũ æterna erit: peccatores uerò, atq; illa omnia, quæ ſibi effingunt bona, ſimul cum ipſis interibunt. Summa enim hæc eſt omnibus in ſcripturis concluſio, probis quidem uiris æternã deberi uitam, improbis autem æternam mortem. Vtri uerò ſectæ magis adhærendum ſit, tu mi lector iudica. Num te præterit, epulonem illum diuitem ſua in terris recepiſſe bona? Lazarum autem, hoc eſt, pauperem ſpiritu, atq; in Chriſto nudum, mala? Cæterùm ſenſum huius uerſus ſic reddit Paraph. Non fruſtrabuntur ſpe ſua, quando alios inuoluet temporis infelicitas: & alijs fame laborantibus, ipſi ſaturabuntur. Tempore igitur illo, quod malum appellat uates, in quo mundus uniuerſali quadam labe, inedia, ut nunc fit, bellis, aut aquarum diluuijs, deuaſtatur & laborat, tuti hi ſoli ſunt, qui ſpem ſuam omnem in Deo ſtatuunt, idcirco quòd nihil tam acerbũ ac triſte in hoc mundo accidere poteſt, quod illis dulce nõ ſit ac tolerabile, quippe quibus iam pectus ad id genus iniuriarum, per Chriſtum, induruit: quibusq; illud in primis compertum eſt, omnia quæ hîc fiunt, à ſapientiſsimo Dei conſi-
B lio proficiſci: nec eſſe in rebus conditis quidpiam tam ab hominum uſu abhorrens, quod à Chriſtiano uiro non queat uinci. Contrà uerò improbis omnia dura ſunt, inæqualia, aſpera, mortifera, licet rerum illarum copia abundẽt, quę cùm animi tranquillitatem polliceantur, nihil minus tamen præſtant. Verùm ſecreta ab humano prorſus ſunt intellectu huiuſmodi Dei iudicia, quæ cùm quotidie à ſupremo illo arcanorum cœleſtium theſauro ad nos uſq; deſcendere conſpicimus, ob fidei tamen tenuitatem, atq; in rebus nihili occupatum animum, non ſolùm ignoramus, uerumetiam cùm ſic fieri aut audimus, aut cernimus, uti noua horremus, & pertimeſcimus. Amantibus certè Deũ omnia abundè ſuppeditantur: non amantibus autem, quid excogitari poteſt, quod ſatis ſit? Eſt & aliud famis genus eò periculoſius, quò ad animarum magis quàm corporum interitum attinet. Euangelij quidem, atq; adeò Chriſti Ieſu fames hæc eſt: qua qui affecti ſunt, aut moriantur neceſſe eſt, aut in continua uiuant miſeria: & maximè cùm qui frangat panem, ut queritur dominus, non inuenitur. Impuriſsimis igitur omnibus à tam ſancto edulio, ut Chriſtus eſt, amotis, puro hi qui ſunt animo pleniſsimis (quod aiunt) crateribus exaturantur:

Inimici verò domini mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.

Quantam hîc mihi cõſolationis uim ſentire uideor, ſimulac ſuos ſibi Deus reputat inimicos, qui probis infeſti ſunt. Verendum itaq; minimè nobis eſt, ne fortior iuſtorum pars ſit, & cauſa melior, quàm illorum, qui cùm dij ferè in terris habeantur, ut fumus tamen in auras reſolutus, euaneſcunt. Naturam porrò fumi eam eſſe conſpicimus, ut dum durat, non ſolùm lædat oculos, uiſumq; impediat, ac nitentia obnubilet, uerumetiam & ſolem, & diem, & cœlum quoq; ipſum obſcurare uelle uideatur: is tamen uel breui mora, dictum, factum, in nihilum relabitur. Haud diuturniori quidem felicitate illi beati ſunt, qui cùm uaniſsimis rerum ineptijs inſeruiant, fumoſoſq; etiam cum inſtitiæ ac probitatis iniuria ſe-

C ctentur honores ac magiſtratus,& obtineãt quoq;,nihil antiquius habẽt, quàm ut Deum contemnant,bonos opprimant,ac quicquid luminis in terris eſt, faſtu atq; arrogantia extinguãt. Verùm hæc diu non tolerat Deus: nam ſimul ut præſcripto honorati fuerint termino, ſuumq; in exitium exaltati, uelut fumus extemplò occũbent,ac deſinent: ſeu,ut reddit Paraphr. nõ alter quàm adeps agnorum,qui adoletur ſuper altare,finem capient, unà cum fumo deficient. Sic enim is uerſus Hebræis eſt: Quoniã impij peribunt, & inimici domini uelut adeps agnorum defecerunt,in fumo defecerunt.quod dictum quidam putant,ut quàm facilè id, quod ſpiritus comminatus eſt, futurum ſit, lucidius exprimeretur. Ait igitur, Dei hoſtes ea conſumendos celeritate, qua agnorum adeps & pinguedo igni impoſita conſumi ſolet, atq; (alludit enim ad ueterem ſacrificandi morẽ) in aërem citò cum fumo ipſo deſitura ſuſtolli. Non deſunt etiam qui loco adipis,lucem, ſeu precioſum camporum, aut planitierum, poni debere arbitrantur: quæ quidem omnia quemadmodum ſolo ictu oculi circunſpiciuntur,ita et unico proſpectu præterlabuntur. Horret ſanè animus cum terribilis illius mihi uocis è cœlo auditæ in mentẽ uenit: Quantum glorificauit ſe, inquit,& in delitijs fuit,tantum date illi tormentum & luctum. Sedeo regina, & uidua non ſum, & luctum non uidebo. O faſtum, ô arrogantiam: en quid te maneat inſpice. In una,inquit, die uenient plagæ eius, mors & luctus & fames,& igne comburetur: quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illa. Ecce uides quomodo Dei hoſtes in una die, hoc eſt, breui temporis interuallo,ſuorum ſcelerum luant pœnas. Vis' ne iterum breuiſſimo,ut ſic dicam, cõpendio diuitis huiuſcemodi, qui diuitijs paret,nõ imperat, morem omnium turpiſsimum agnoſcere?

Mutuabitur peccator,& non ſoluet:iuſtus verò miſeretur & commodat.

Illud ante omnia conſiderandum eſt,quomodo noſter interpres à ſpiritu(opinor)admonitus, peccatorẽ abſolutè diuitem illum nuncupet:Hebræus uerò im-
D pium, cui diuitiæ oneri ſunt atq; iacturæ, non dignitati & cõmodo. Is enim cùm ualde rebus omnibus,quæ ad mundum attinent, & honorificè abundet,ſi cui tamen quid debet,aut non reddit omnino,aut ægrè quidem,quantulumcũq; illud ſit,reddit. Adeò miſeram hanc caducarum rerum cupiditatem tanti quidem faciunt. Econtrario uerò iuſtus, hoc eſt, qui ſe continuè ad probitatis regulã,quæ eſt in Chriſto,componit,ultrò etiam illos quibus nihil debet beneficijs afficit,iuuat omnes, illisq; nulla habita ratione amicus' ne ſit, an inimicus,ſua impartitur bona: & id quidem nullo alio punctus ſtimulo, niſi miſericordiæ. quem ſanè affectum cùm duri illi diuites ignorent,omnibus ſuis in rebus &actionibus difficiles ſint oportet, inexorabiles, diriq;, truces, & propterea impij. Ex qua quidem miſera illorum conditione illud proculdubio concludi poteſt, pauperrimos omnium illos eſſe, cùm tamen opulentiſsimi uideantur, quippe qui nec in debitores quidem rerum earum quas illis debent, uel mediocriter benigni eſſe audeant. Iuſti uerò,quamlibet fortunæ tenuis ſint ac facultatis,ita in egenos atq; alios ſæpenumero liberales ſunt, ut meritò ditiſsimi uocari queant, duo interim aſſecuti laudum genera, unum quidem liberalitatis, alterum miſericordiæ. Cæterum quemadmodum illorũ interpretationem non improbo, qui uerſum hunc de ingratiſsimo illorum more interpretantur, qui cùm & corpus & animam, & cætera à Deo dona,tanquam talenta mutuò acceperint,non ſoluunt tamen,non gratias agunt,multiplicatumq; non reddunt fructum. Iuſti autẽ bona illa ſua omnia,quibus meritò iuſti appellari debent, cæteris largiter impartientes,ſeſeq; omnibus ſecundum gratiam quæ data eſt eis,ut inquit Paulus,attemperantes,domino ſuo,multo auctum fœnore reddũt pecuniã. Quemadmodũ, inquã,hanc tam piam non improbo interpretationem, imò etiam uerò & laudo & exoſculor, ita paululũ à ſenſu, quem in hoc uerſu requiri uult ſpiritus, deflectere ſuſpicor. Verùm prudentiã hîc mihi tandẽ iuſti conſidera, qui idcirco miſeretur,& cõmodat,

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram,maledicentes autem ei diſperibunt.

Nouit enim uir iuſtus, quòd quicunque ei, Deo nimirum benedixerint, gratias ue

A tiásue egerint, atq; alijs ſibi conceſſa diuinitus beneficia communicauerint, nihil interim quærentes quod ſuum ſit, ſed quod aliorum ac Ieſu Chriſti, ut inquit Paulus, hi demum ſumma animi pace terram hanc quoq;, alioquin impuris magis, quàm candidis mentibus fauentem, feliciter poſsidebunt. Qui uerò maledixerint, blaſphemiasq; pro gratia tam benefico domino retulerint, peribunt omnino, hîc quidem inopinato miſerrimoq; euentu ac morte, ut frequentibus quotidie intuemur exemplis, illic poſtea futuro in ſeculo ac reſurrectione, à uera uita, quæ Deus eſt, eiecti in perpetuum protrudentur ignem, in quo animas infeliciſsimo mortis genere uiuere credimus, ſed ea uitæ conditione, ut mallent quidem non eſſe omnino, quàm ſic eſſe miſeras. quanquam aliter ſentiunt nonnulli, qui uolunt animas illas miſeras malle eſſe miſeras, quàm non eſſe omnino: uerùm meam ſimpliciter protuli ſententiam, nec adhuc compertum habeo, quid aut honoris aut commodi mihi afferre queat ens illud ſuum tam nobile, cùm perpetuò miſerum ſit. Fel. hunc uerſum aliter ex Hebræo legit: Quia (inquit) benedicti ab eo hæreditate accipient terram, & maledicti ab eo exterminabuntur. quæ quidem ſententia adeò uera eſt, ut mirum ſit, ſi cui in dubium uertatur. A diuina enim benedictione noſtrum omne bonum originem habere, à maledictione uerò malum, non eſt qui non fateatur. Et quod ſanè malum, unde oritur maledictio, noſtra à uoluntate, atq; obſtinato in peccatis propoſito, emanare certò ſcimus, bonum uerò à mera diuinæ benedicentiæ gratia & largitione. Sunt & qui illud, ei, ad iuſtum referant, non ad Deum: quòd minimè ignoretur tam charum Deo iuſtum eſſe, ut his quoq; bene eſſe uelit, qui ei benefecerint: perire autem illos, qui male. Tanta erga ſuos Deus afficitur cura, ut quicquid uni ex ſuis quamlibet minimis quis fecerit, ſibi factum dicat. Huiuſce porrò ueritatis umbra tunc fuit, cùm Iacob ille ſimplex à patre ſubrepta penè de manu fratris benedictione audiuit: Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus: & qui benedixerit ti-
B bi, benedictionibus repleatur. Illud quoq; ad Abraham: Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi. Verùm litera quæ à Felice legitur, ſequentibus magis quadrare uidetur.

Apud dominum greſſus hominis dirigetur, & uiam eius uolet.

A domino, clamat Salomon, diriguntur greſſus uiri, & quis hominum intelligere poteſt uiam ſuam? Non eſt quidem conſolatio ſuauior, non afflatus diuinior, non teſtimonium intus in mente iucundius, quàm cùm in ſpiritu certi reddimur quòd filij Dei ſumus. Iacto proinde hoc fundamento, cõfirmatoq; huiuſmodi fidei teſtimonio intra nos, non poſſumus non fateri nos ſummæ curæ eſſe Deo, atq; idcirco ab ipſo, ut ſolent filij chariſsimi à parentibus, foueri alíq;, ac, ne in tortuoſis uitæ huius ſemitis deerremus, dirigi. Itaq; cùm rem aliquam aut cogitatione aut actu quoque, uel molimur, uel incœptamus, curſus quidam eſt atq; iter, quod, ut rectum ſit ac dignum in quo laboretur, à Deo formari neceſſe eſt: alioqui quæcunq; in homine, tanquã ab homine concipiuntur, aut extrà per operationes exeunt, infirma ſint oportet, & momentanea. Sunt'ne fortioris naturæ aut roboris homines quamuis grandæui in uia iuſtitiæ, quàm ſunt pueri in firmandis ſuis illis paſsibus & greſsibus? Si hi quidem adeò infirmè titubant, ut aut cadere uideantur, aut cadant omnino, num ſeſe, ex ſe, ne cadant, cõtinebunt, proſtrati'ue ſe erigent ex ſe, an à nutrice? Delapſi certè & eiulatibus & uagitibus opem quidem implorare poterunt, ſe uerò è terra erigere neutiquã. Non maioris itaq;, ut dixi, ſunt roboris homines in peccata prolapſi, auſíq; quicquã, quod ſuam ad ſalutem ſpectet, aggredi proprio ſenſu & conſilio: proinde uana illa eſſe omnia, quæ ab homine facta ſunt, quæq; fiunt in præſentia, & quæ in poſterũ facturi hi ſunt abſq; Deo, aſſeuerare fas ſit. Qui quidem Deus non idcirco liberum homini conceſsit arbitrium, ut ipſe excluderetur: ſed ut, quemadmodum donorum omniũ quibus copioſe ditati ſunt homines, autor eſt & erogator, ita eorundem ipſorũ adiutor ſit ac conſeruator, imò excitator: alioqui perpetuo oblangueſcerent ocio ac ſomno. Manifeſtè hîc docemur, inquit Euthymius, quòd abſq;

c diuino auxilio, homo per se nullum operari potest bonum: promptitudini autē nostræ cooperari solet Deus. Cæterùm quid sibi uelit, Et uiam eius uolet, interpres Hebræus aperit: Et uiæ, inquit, eius fauet: seu prosperabit, ut uertit Symmachus. Non mirū quidem: nam rei illi, quam quis charā habet, quî non faueat? Amat enim Deus suos, suaq; in illis conseruat munera, atq; in dies magis accumulat. Quare quicquid in hoc uasto peregrinationis uitæ itinere uir probus agere instituit, id Deus uult, id approbat, id dirigit, illiq; perpetuò fauet. Quocirca

Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

Si, inquit, in infortunium inciderit (ut incidere necessarium illis est, qui Deum quærunt) non succumbet tamen, etiam si illud peccatum sit: sed diuina protinus subleuatus dextera erigitur, in pristinumq; restituitur statum. Hinc, opinor, illud est, quod à Ioanne asseritur, hominem per gratiam in filium à Deo adoptatū, ne quaquā peccare posse ad mortē, quia charitas Dei manet in illo. Quare equidem cùm uideo probum quempiam uirum à mundo uexari, affligi in fortunæ quoq; bonis, in uita, in nomine detrimenta subire, addo & in peccata proruere, haud multum quidem moueor: scio enim id genus aliquando exercitationum, uel perfectissimis ipsis uiris, cœlitus proinde dari, ut sese diligentius examinantes, quid à se, quid à gratia sint ac possint, iam demum agnoscant. Quod quidem iudicium & consilium in Dei mente æternum, in angelis olim locum habuit. Siquidem hi cadentes, illi per gratiam à casu reparati, quantum suum nudum potuerit arbitrium, quantum gratia, experti sunt. Periculosissima ea res est, uirum quamlibet iustum se sibi uel tantillum committere: alioquí certè hunc uersum aliter à uate proferri oportuerat. Cur, oro, non potius ad hunc modum? Cùm ceciderit non collidetur, quia suam sibi supposuit manum. Verùm ut quæ dixi, adeò uera sint, ut nullo modo in dubiū uerti debeant, Dei scilicet filios in hoc mundo
D iniuriarum lima, ac quò iam demum cuius temperaturæ sint appareat, igne purgandos & expoliendos: ita hi admodū detestandi sunt, qui iniurias inferunt. Ne insidieris, clamat Salomon, & quæras impietatem in domo iusti, neq; uastes requiem eius. Sed tu uide quid parenti fidei quondam pollicitus sit Deus, Inimicus, inquit, ero inimicis tuis. Fel. tamen hunc uersum aliter reddit ex Hebræo: Quoniam dominus sustentat manum eius: ut in lapsantibus sit, aut arduum aliquem ascendentibus cliuum, quibus manum manui, aut brachio supponimus, (de more illo mollissimo non loquor modò, quo mulieres in nonnullis Italiæ locis manu sustentantur clericorum maximè cùm obambulant, uanissimo illo quidem & periculoso, idcirco in regionibus christianè institutis abrogando omnino) qua ueluti basi nixi fulciantur. Quare is erit sensus, ac summa: Cùm cœperit cadere, non penitus proruet, quoniā dominus sustentat illum. hæc ferè Felix.

Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

Quòd enim iusti à benignissimo domino non deserantur, id iam compertius est, quàm ut argumentis probetur. Planum id quidem est. Quòd uerò illorum semen, filij uidelicet & nepotes, aut ipsi quoq;, nunquam uisi sint panem quærere, non sic compertum, cùm per orbem passim uniuersum non desint qui mendicitatem colant, qui tamen probi existimantur. Id igitur uult hîc spiritus, neminem unquam ex illorum numero, qui diuinę iustitiæ studiosi sunt, ad tantam deuenire posse rerum inopiam, ut necessario, licet tenuissimo interdum, uictus usu careat, nisi quem ad tolerantiæ posteris exemplum æternus deligit pater: uel quem uoluntario quodam mentis ardore ærumnosam sibi eligere paupertatem iubet, ut sunt hi, qui in harenosis degentes eremis, aut incultis montibus, baccis solummodo & glandibus naturam sustentant. Vnde cùm inter diuites quoque non pauci quidem sint, qui cœlestem penè uiuant uitam, ita in egestate constitutos inuenies complures mundo adeò addictos, ut neminem plerunq; è uulgi colluuie facile deprehendes, qui tam nefariè uiuat, quàm pauperes quidam, atq; hi ut plurimum, qui in urbium triuijs atq; templorum adytis stipem quærunt. De

his

A his enim non loquitur ſpiritus, ſed de filijs Dei ingenuis, et apertis, qui domi, aut nemore aliquo & ſeceſſu occultiori occluſi, arctam quidem degunt uitam, ac tenuem, ſed puram, nitidam, totamq; diuinæ conformẽ uoluntati. Nihil enim fœdius paupertate ſordida, ac deſideriſs illis infinitis habendi infecta. Iuueniſ, inquit, fui, & diu uiuendo ſenex factus ſum, nec tamen uidi iuſtum deſertum, nec ſemen illius laborare uictus inopia. Quòd ſi porrò laborat, aut ut diuinum in terris patientiæ exemplum ſit, à deo ſelectus eſt, ut dixi, aut iuſtus nõ eſt: ne in omnibus mendicis, quos uicatim, oſtiatimq; panem petere uidemus, ſanctimoniam uitæ nobis effingamus. Vera enim in Chriſto, atq; illius ob amorẽ ſuſcepta paupertas, ab omni prorſus impudentia, ac procacitate tam longè abeſt, quàm à cæteris animi uitijs & peccatis. Cæterum illud (ne minima quoq; intacta præterea mus) non omittendum, dictionem Etenim, in hoc uerſu ſupereſſe. Quare uertendum erat ſimpliciter, &: ſeu ut Felix, etiam. Puer, inquit, fui, etiam ſenui, & non uidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Imò

Tota die miſeretur & commodat, & ſemen illius in benedictionẽ erit.

Horum uerborum ſenſum ornatè aperit Paraphr. ad hunc modum: Aſsiduè in omnes miſericors eſt iuſtus, & mutuò dat, ideo poſteri illius abundabunt. Dictio enim quam noſter interpres, In benedictione, uertit, Hebræis eſt, in delitijs, ſeu in beneficio: quo nobis compertum ſit, omnia Chriſti pauperibus ſuppeditari, ſi non ad luxum, ad uitæ tamen cõmodum, & quantũ ſat eſt: non ſolumq; ipſos, uerumetiam illorum poſteros perpetua fruituros Dei benignitate. Tantum uerò abeſt ut aliquid Deum timenti, quod ad honeſtum uitæ uſum facit, deeſſe poſsit, ut ſucceſſuris etiam liberis, unde honeſtam uiuant uitam, relinquat. Fili mi (ſic filium alloquitur pater) pauperem quidem uitam gerimus, ſed habebis multa bona, ſi timueris Deum. Ait igitur uates, Tota die, hoc eſt, iugiter, continuè, quandiu in carne uiuit uir iuſtus, egenorum curã habet, miſereturq;, ac ſuo
B minimè parcens genio, cùm non opus eſt ut donet, commodat, datq; mutuò, & ſua libẽter impartitur cùm omnibus, tum his potiſsimũ, qui miſerabiliores ſunt. Atqui hæc ingenijs terrenarum rerum uiſco remoratis difficilia uidentur. Quî fit aiunt, ut hi pauperes cùm ſint, dent ſua, & abundent? Quibus Salomon reſpondet, non ego: Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. A cœleſtium enim rerũ diuitijs excluſi auari, quid in terris, quod ſatis illis uideatur, adipiſci unquam poterunt? Contrà uerò ad illas probi omnes inuitati, quid eſt in mundo, quod magnũ reputent? uerùm ex illo eam ſibi deligunt portionem, quæ ad neceſſarium uitæ obſequium, non imperium, quaſi indignabundi utantur. Cæterùm diuino ſic aſſueti edulio, quicquid in terris delitioſum uidetur, amarum ducunt, ac mortiferum.

Declina à malo & fac bonum, & inhabita in ſeculum ſeculi.

Nemo tam ſanctus eſt, qui non cupiat ſæpius admoneri: non eum ſanè fugit, quàm facilè uel ipſi perfectiſsimi uiri, in uia iuſtitiæ, ni crebrò admoneantur, laſſeſcant. Quare is denuò à ſpiritu, prompto audit animo, quod in ſuperioribus etiam audiuit, nempe, Declina à malo, & fac bonum. At id uerendum, ne, ut monet Eſaias, dicamus bonum malum, malum bonum. Summa igitur opus eſt prudentia in delectu rerum tum omnium, tum maximè earum quæ uariè interdum edocentur. Verbum Chriſti habitet in uobis, clamabat Paulus, in omni ſcientia docentes. Et ut quidem purus ſimplexq; animus ac candidus, neceſſarius omnino eſt in huiuſmodi doctrina & ſchola in qua purgantur animæ: ita ſtupiditas omnis mentis, & inſcitia deteſtanda. Senſus itaq; & ſumma hæc erit, ut à malo prorſus abhorrentes, quodcunq; bonum nobis à ſpiritu commonſtratur, pro uiribus aggrediamur. Et ſic abiecta ueteris hominis, in quo omne ineſt malum, uetuſtate, nouum, à quo omne proficiſcitur bonum, quiq; ſecundum Deum creatus eſt, ut inquit Paulus, induamus: quo ſanè per diuinam gratiam adepto, habitabimus, ut aſſerit uates, in ſeculum ſeculi, hoc eſt, æternorum bonorum ſtabiles cum

C Dei filio, nos quoq; eius facti per fidem filij, hæredes erimus. Nam certè secundum Christi doctrinam, seruus non manet in domo in æternum, sed filius.

Quia dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos: in æternum conseruabuntur.
Iniusti punientur, & semen impiorum peribit.
Iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam.

Id quidem ad iudicem in primis attinet, ut exactè utriusq; partis ratione cognita, bonis, excluſa improborum cauſa, faueat. Itaq; dominus, utpote æquorũ omnium iudicum æquiſsimus, amat iudicium, amat æquitatem: idcirco iuſtam ſanctorum cauſam ita approbat, tutaturq;, ut iuſti perpetuò appareant, atq; innocentes: eam uerò, quam ſe habere improbi arbitrantur, aut certè ſibi impudentiſsimè fingunt, damnat, à defenſioneq;, mulcta eorũ ſceleribus adhibita, excludit, tantùm abeſt ut eos aut defendat, aut honoribus augeat: illos uerò nõ ſolùm à metu omni, perturbationeq; liberat, uerumetiam protegit, fouetq;, ac cæteris tanquam ſublime quoddam uirtutũ exemplar proponit, honoribusq;, quò magis illorum pateat probitas, adeò in altum euehit, ut meritò is cenſeatur iudex, qui optimi iudicis partes non ignoret: cuius ſanè id potiſsimũ munus eſt, ut contemptis improbis, probis faueat. Nego igitur bonum eum eſſe iudicem, qui in diffiniendis cauſis, dirimendisq; litibus & controuerſijs, aliter agit, quàm quod hîc agi à Deo opt. max. indicat uates. De illis porrò iudicibus, qui cauſas iniuſtas data opera protrahunt, quò debilior proborũ pars iam tandem feſſa lite cedat, tranſitiones ue neſcio quas uelit nolit admittat, quiq; pecuniarum ui neceſsitudinisq;, uel patriæ affectu corrupti & obcæcati, cauſas ipſas iniquas defendunt & obtinent, nihil aliud dicendum eſſe arbitror, niſi quòd ut hi, qui iuſtum iudicem in tractandis cauſis referunt, dij in terris quodammodo cœlo digni cenſeri debent: ita illi dæmones ne terra quidem digni, à foro omni atq; magiſtratu
D abdicãdi ſunt. Nulla enim letalior poteſt eſſe peſtis in rebuſp. et regnis, quàm cũ iudicibus, primarijsq; cauſarum forenſium ac templorum hominibus corruptis, minima proborum habetur ratio, maxima uerò improborum. Felix nimirũ mundus ſi illi, in quorum uita, tanquam in uirtutum omnium forma & facie, ab omnibus proſpectatur, ea eſſent prædita doctrina, & morum probitate, ut illis meritò iuſtitiæ gladius uibratus, nimirum ad uindictam malorum, ut inquit Paulus, laudem uerò bonorum, committi poſſet. Verumenimuero ne longius quàm par eſt à pſalmo digrediamur, ſenſum horum trium uerſuum à Paraphraſte acceptum aperiamus. Sic ille: Amat enim dominus quod æquum eſt, nec unquam deſerit ſanctos ſuos (cuſtodia enim adhibita eſt illis perpetua) improrũ uerò poſteritas exterminabitur. Iuſti tanquam ſuam poſsidebunt terram, & inhabitabunt eam diutiſsimè. Cæterùm ea ornati ſunt animi æquabilitate, atq; in toleranda quæcunq; utcunq; accidant, in terris patientia Dei filij, ut ne digitum quidem latum à iam concepta in deo fiducia ac ſpe dimoueri queant. Quare paruis, minimisq; mundi huius cõtenti cùm ſint rebus, ſemper diuites ſunt, alacres, iucundi, tantiq; uel Crœſi ipſius diuitias æſtimant, quanti cætera, quibus à curſu retrahuntur animæ, & onera & impedimenta. Abijciendæ ſunt ſanè res omnes huius mundi, atque in profundo demergendæ ſalo, ne ab illis, ut ait Crates, demergamur: niſi quatenus honeſto uitæ uſui conducunt, aut ad aſſequendas æternas illas in Chriſto diuitias adiuuant. quòd ſi uel parũ quidem officiunt, quid, obſecro, amantur? quid tam anxio ſtudio & cura quæruntur?

Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.
Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius.

Nimirum à Deo directi. Vide filiorum Dei felicitatem. Hi enim quacunque in regione ſint & degant, quocunq; in ſtudio uerſentur aut arte, quacunque ſub lege uiuant humana, ſemper quæ recta ſunt atq; utilia loquuntur: & id quidem ſeriò, magnoq; animi affectu, & deliberatione. Verbum enim quod noſter interpres uertit, Meditari, Hebræis eſt perinde ac Latinis, quod ſummã mentis attentionem

A tionem in ſe habet, reiſq; omni conuenit, quam cogitatione ac ſtudio complecti-
mur. Porrò ſapientia hîc Chriſtus eſt, qui à nobis totus, quantus eſt, animo, cogi-
tatione atq; intellectu concipiendus eſt, nedum quidem ore celebrandus. Ignis
inſuper eſt, qui nos, niſi refugiamus, ad ſe penitus rapit, transformatq; in ſeſe:
quos deinde ſic raptos, tranſmutatosq;, ac feliciſsima tanquam metamorphoſi
in diuinam penè conuerſos naturam, adeò in altum tollit, ut ſupremos illos bea-
torum ſpirituum choros tranſcendentes, ea in parte cœlorum collocet, ubi ipſe
ad dexteram Dei patris ſedens, cùm ſit caput corporis eccleſiæ, ut inquit Pau-
lus, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & con-
ſtructum creſcit in augmentum Dei, abſq; ſuis membris manere haudquaquam
contentus eſt. Volo, inquit, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut uideant clarita-
tem meam. O felicem conditionem humanam. Cæterùm iudicium in hoc loco,
ut in ſuperioribus quoque oſtenſum eſt, interpretantur eſſe quicquid rectè or-
dinateq; fit, eſtq; rationi conſentaneum. Vnde quidam ex Hebræo ſic uertit, Et
lingua eius loquitur æquitatem. Immiſſo enim ſemel Chriſto per aſsiduas cor-
dis meditationes in animam, non poteſt quidem aliter aut cogitare, aut eloqui,
aut agere etiam, quàm quod tam ſanctus conceptus ſuggerit. Putas ne homi-
nem ſic affectum, hoc eſt, cuius cor cum Chriſti corde iam unum factum eſt per
amorem, poſſe quicquam loqui, quod Chriſtum non referat, & propterea & iu-
ſtitiam, & æquitatẽ, & ſapientiam, & omne bonũ? Non mirũ tamẽ: nam lex Dei
eius in corde ipſius, & non ſupplantabuntur geſſus eius. Vide quomodo fides,
ex qua ſalus, ex auditu ſit, per uerbumq; Dei ac legem addiſcatur. Cauſam igitur
reddit uates, quamobrem os meditabitur ſapientiã: Lex Dei, inquit, in corde ip-
ſius: hoc eſt, cùm ſalutarem iam animo conceperit legem, nihil potius aut aget,
aut cogitabit, quàm ut diuinam ex ea eliciat uoluntatem, uitamq; ea inſtituat ra-
tione, ut nihil ab illo, quod iam per gratiam nouit, diſcrepet: alioquí labor om-
B nis ac ſudor, qui in diſquirenda diuina lege impenditur, ſuo careat fructu neceſ-
ſe eſt, ſi huiuſmodi haud nititur fine ac ſcopo, qui proprius legis finis ſit ac ter-
minus. Finis itaque legis, Chriſtus, inquit Paulus, ad ſalutem omni credenti:
quo ſanè cognito, cognoſcitur & patris uoluntas, quam uelle quærere aut ex-
equi ſine Chriſto, amentia ſumma eſt. Sine me, inquit, nihil poteſtis facere. Cæ-
terùm de aſsidua, quæ debet eſſe in lege Domini meditatione, ſatis copioſe in
primo pſalmo eſt dictum. In quam certè, qui eo quo conuenit ſtudio incumbit,
impoſsibile eſt ſuis in meditationibus, ſiue illæ ad animã, ſiue extrà ad mores ſpe
ctent, poſſe falli. Idcirco additur, Et non ſupplantabuntur: ſeu, ut uertit Fel. Non
commouebuntur: uel ut alius ex Hebræo, Non nutabunt greſſus eius. Stabilis,
ait Campenſis, erit, & à lapſu ſecurus pes eius. Ecquæ igitur alia quærenda ſunt
diuerticula, remediaq; alia ad firmandos pedes noſtros in uiam pacis? Lex enim
Dei, negociũ id totum operatur. Vnde illud mirum, præclara quædam ingenia,
inter nos etiam, maiorem ſuæ ætatis partem in literis, neſcio quibus, atque occu
pationibus ſucco ſpiritus prorſus uacuis adeò, priuſquam neceſſarium hoc deli-
bent poculum, terere, ut feſſum planè intellectum, ac, ut ſic dicam, effœtum, tum
demum ſanctiſsimis diuinæ legis ſtudijs uix ui admoueant, cùm guſtu omni in-
teriori carẽt. Ingenia enim dum tenera ſunt ac uiua, illis prius aſſuefacienda ſunt
ſtudijs, quæ uera ſunt ſtudia, atq; animæ quodammodo naturalia: alijs poſtea, ſi
libuerit. quanquã nõ uideo cur adepto regno aliquo immenſo, arctiſsimus quæ-
rendus ſit uicus. Quòd ſi porrò aditum neceſſariò ad ſacram legem à prophanis
literis, aut tumidis loquacibusq; philoſophorũ ſcholis captandum eſſe iudicas,
toto proculdubio erras cœlo: nam uerum ille ſolummodo præbet aditum, cona
tumq; adiuuat, ac rem tandem perficit, qui legem condidit. Is Chriſtus eſt, qui ſe
non temerè, falſò ue, & uiam & ueritatem & uitam appellauit, appellatq; conti-
nuè: ut hi probè norunt, qui contemptis cæteris ſtudijs, in lege Domini meditan
tur die ac nocte, nihilq; aliud ſe ſcire præ ſe ferunt, quàm Ieſum Chriſtũ, & hunc
crucifixum, ut de ſe olim teſtatus eſt Paulus. Interim uerò, heu mores corruptos,

C *Conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificarę eum.*

Latinius Fel. & quærit occidere eum. En uirum illum, quem ſuperius miſereri, & commodare aſſeruit uates: cuiuſcę lingua ſapientiam iudiciumcę meditatur, ac loquitur: & cuius uiſceribus accordi, ut inquit Hieremias, ſcripta eſt lex Dei. En, inquam, uirum illum ſic per gratiam à terris elatum, quomodo peccator conſiderat, ſpeculatur, attentecę obſeruat, ſi qua forſan aut lingua, quæ natura in lubrico eſt poſita, aut moribus non omnino ab humanis lapſibus intactis, uel leuiter errauerit. Tum quidem oblato ueluti triumpho, quid nō molitur miſer? Ferro enim (ſi ferro res peragi poſſe uidetur) inermem illum, imbellemcę adoritur, opprimit, occîdit tandem: uerùm ferro uti illum ſi uel metus, uel religio prohibet, tunc eò liberius maledicentiæ, falſiſcę delationibus ac commentis, frænalaxat, quò impunè hæc omnia. utinam impunè ſolummodo, nec præmijs id genus ſordium ad lacerandam proborum uitam pelliceretur.

Dominus aũt non derelinquet eum in manibus eius, nec damnabit eum, cùm iudicabitur illi.

Conniueant utcunqę principes, & paſtores, diſſimulentcę, ac ſi lubet peſtem hanc foueant, Dominus non derelinquet eum, iuſtum ſcilicet. Vide, te oro, doctrinam ſpiritus. Vt maximè, inquit, ſit iuſtus in improborũ manibus, diutiuscę ſurſum deorſum inter crudeles illorũ fauces ac dentes exagitetur, ne ſic quidem deſeritur à Domino: nam ſi tempus eſt ut pro Chriſto, ac eius fide & iuſtitia tutanda pati debeat, occumbet ſanè fortiter, nec tantillum quidem aut ſicarijs, aut obtrectatoribus cedet: tantum abeſt ut ſuccumbat, ignauiterę ferat ſi quid ferendum eſt, aut mors quoqę obeunda. Sin autem immaturum illud fuerit tempus, quo pati quis debeat, non eſt quòd dubites improbos quidem à ſimultate, & perſecutione non deſituros, illum uerò feliciter euaſurum. Nam & dominus Ieſus tranſiens per medium illorum ibat. Necę illud porrò conſentaneũ eſt, eum quẽ ſcelerati quidam oblocutores, delatorescę infamant & condemnant, à Deo
D quoqę, qui æquiſſimus arbiter eſt, ſic iudicari, & condemnari. Nec damnabit, inquit, eum Dominus ſcilicet iuſtum, cùm iudicabitur, nempe ab improbis: nam dictio, illi, Hebræis ferè omnibus ſupereſt. Paraphraſtes uerò paululum diuerſum reddit ſenſum. ſic ille: Dominus non ſinet eum opprimi tyrannide illius, nec permittet eum impietatis conuinci, quando cauſa eius in iudicio tractabitur. Magna profectò fidei ea uis eſt, cùm quis non cernit ſolùm ſe à maledicis, falſiſcę delatoribus accuſari, uerumetiam iudices ipſos corruptos eſſe, ſperat nihilominus Deum ſuæ non defuturum innocentiæ. Qui ſi tamen deeſſe interdum uidetur, atqę ad ſuorum iniurias cæcutire, illoscę, quò excelſum mundo patientiæ exemplum præbeatur, deſtituere, ſeruatur tamen ſic male habita in terris innocentia, ad futurum illud ab illo tutanda iudicium, in reuelatione domini Ieſu, ut inquit Paulus, de cœlo cum angelis uirtutis eius, in flamma ignis, dantis uindictam his, qui non nouerunt Deum. qui quidem Deus utpote iuſtiſſimus omnium, ſuis in diffiniendis cauſis, necę pecunia necę turpiſſimis illis animi affectibus, quibus pars maior hominum obnoxia eſt, corrumpi poteſt, quin cuicę, quod ſuum eſt, reddat. Tu interim, ô quiſquis es, qui trucì etiamnum ſub malleo aduerſitatum ingemiſcis,

Expecta dominũ, & cuſtodi viam eius, & exaltabit tę, vt hæreditatę capias terram: cùm perierint peccatores, videbis.

Solent enim hi qui ærumna aliqua inſigni ac perſecutione oppreſsi, ſuis uident aduerſarijs, quæcunqę optant, feliciter euenire, præberi honores, atqę illis per magiſtratus in miſeros deſæuiendi materiam quodammodo ſubminiſtrari, conqueri, ac Deum quaſi ignauiæ, qui tam abſurda non corrigat, inſimulare. Hos itaque monet ſpiritus, hortaturcę, ne ſua, proborumcę cæterorum deterriti oppreſsione, diuinam uelint iudiciorum moram reprehendere. Cur, inquiunt, hi tandiu noſtræ urbi, noſtræ reipubl. noſtræ patriæ, quam iam totam prorſus è fundo rapinis ac furtis exhauſere, præpoſiti ſunt? Ignorat ne hæc Deus? clamant

A mant ciues, eiulant uiduæ, plebsq; ipſa, ac uulgus, non iam pane, quo omnino carent, ſed ſuſpirijs & lachrymis infelicem enutriunt uitam, & tacet Deus? Vide mi lector, quò nos aliquando noſtra impellit arrogantia, ut ſapientiſsimum audeamus dominum in rerum moderatione carpere. Expecta, clamat ſpiritus, Dominum: noli, oro, nimium feſtinanter accelerare, ſpera, confide, ſuſtine. Verum interim cuſtodi uiam eius: hoc eſt, fidem, qua uel ſola ad Deum iter eſt, ſerua. Ab illa enim, ſi ſapis, ne minimum quidem diuertas: alioqui regio omiſſo itinere, quò tandem perueniendum tibi eſſe cogitas? Expecta igitur patienter (ſic reddit Paraphraſtes) aduentum domini, & uiue ſecundum præſcripta illius: quod ſi feceris, extollet te, & terræ præficiet. Porrò illud, Et exaltabit te, interpretantur, & ſuperiorem te faciet. Magna nimirum hæc eſt ſpiritus promiſsio, qua totius mundi ſuis pollicetur uictoriam. quanquam haud multum quidem id poteſt uideri, uictum ſcilicet hoſtem iterum poſſe uinci. Mundus enim, ſi neſcis, tunc prorſus uictus, profligatusq; fuit, quando Chriſtus in ſuorum gratiam alto confixus eſt ligno. Ego, inquit, uici mundum. Ecquid igitur proſtratum extimeſcimus inimicum? Iam ille quidem uictus eſt, iam captus eſt, iam uires noſtri ui Imperatoris perdidit. Quomodo uerò terram lege tanquam hæreditaria obtineamus, in ſuperioribus dictum eſt: hæredes enim cum Chriſto facti ſumus uniuerſorum. Proinde quid in rebus conditis tam excelſum, tam ue etiam à terrena hac mundi machina ſecretum eſt, cui uir iuſtus non imperet? hunc cœlum, hunc tellus, hunc inferi, uti dominum & colunt & uenerantur: excelſior enim ob unionem cum Chriſto omnibus factus eſt creaturis. Quare non mirum uade eſſe debet, cùm legis hominem iuſtitia illa quæ in Chriſto eſt, iuſtificatum, terræ quoq; huius dominium habere. Cæterùm cùm perierint peccatores, uidebis. Voluptas quidem illa, qua uulgò homines ſolent affici, cùm cernũt crudeles ſuæ reipub. miniſtros è medio tolli, non una certè nititur ratione: nam ignobiliori
B qui ſunt animo ac fide, ſolo odio illius, quem è ſumma uident felicitate in extremam coniectum miſeriam & inopiam, aut fato abſumptum, oblectantur: cæteri uerò quibus altior ineſt mens & animus, utpote cum Deo perpetuo fidei ardore uniti, non propter miſeri illius infortunium aut odium, uoluptatem capiunt, ſed Dei potius cõſiderata in ferendo ſuis auxilio ſedulitate, uehementiſsimè gaudent, nihil aliud interim optantes, quàm ut illi demũ regionibus religionibusq; præponantur, qui ſanctiores cæteris ſint, in quibusq; Dei timor cum morũ concinnitate, atq; in tractandis rebus prudentia & manſuetudine coniunctus ſit. Literaturam autem in Antiſtite & magiſtratu abſq; diuino timore & charitate odit dominus. Sed ad pſalmum. Noli, inquit uates, uelle ante tempus ab æterno patre conſtitutum uidere, uidebis poſtea, & ſi certè non citius, at ſaltem in extremo terrificoq; iudicio, tum dico, quando & ipſi quoq; impij uidebunt in quẽ tranſfixerunt. Interim uerò ego, ut de me dicam,

Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani: & tranſiui, & ecce non erat: quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.

Locus eius, Hebræi non habent: quare ſic uertit Fel. Quæſiui eum, & non eſt inuentus. quanquam Paraphraſtes uidetur locum legiſſe. ſic ille: Vidi impium potentem, & uirentem, & ſimilem lauro quæ uiret perpetuò: ſed paulò pòſt obiter præteriui locum, in quo antè floruiſſet ille, uerùm inueniri non potuit: euanuerat enim. Porrò ex Hebræo partim laurum uiridem, partim arborem ſimpliciter, ſed annoſam indigenamq; interpretantur, quod noſter interpres uertit, cedros Libani: in quo quidem monte proceriores illas creſcere, quàm in cæteris montibus affirmatur. Vtcunq; ſit litera, idem eſt ſenſus, qui is erit: Iam ſanè uideram impium florentẽ, uiridem, atq; adeò in huius mundi felicitate ſtabilem, ut annoſam, indigenamq; altiſsimis in montibus arborem altè radicatam dixiſſes: & dum reſpicio, iam euanuit, iam in auras reſolutus eſt, iam perinde ac nunquã fuiſſet, nuſquam apparuit, contentus interim cubitalis foſſæ domicilio. heu ca-

c ducam fortunam. Illud uerò mirum, quòd omnibus ferè idem fatentibus, atq; perpetua ueluti exemplorum ſerie ſpectantibus, non deſint tamen qui libenter uaniſſimo illi fortunæ ludibrio ſuccedant. Haud magiſtratus hîc quidem, & dignitates in rebuſpub. ac templis, damno: imò uerò etiam illas quemadmodum neceſſarias eſſe iudico, ita & colo, & obſeruo: id tantùm cupio, ne ambitionis fumo ac ſuperbiæ obcæcati quidam, illud degant uitæ genus, quod meritò queat à probis reprehendi, ab improbis laudari. Notant hîc quidam, ſuperexaltatum, ab alijs, à ſtulto nimirum populo, ignauoq; principe aut ſenatu, intelligi: eleuatum uerò à ſeſe, proprioq; faſtu & ambitione, & quem quidem uates cedro comparat Libani, utpote miræ magnitudinis arbori, in monteq; ſublimi enutritæ, uerùm ſterili & infructuoſæ, quod aliàs annotauimus. Et tranſiui, inquit, hoc eſt, paululum deinde uixi, poſteaquam tumidum illum ſic ſe efferentem uidi, & ecce non apparebat: adeò omnia ſuperborum umbra ſunt, ac fumus. Tu fili, quantumcunq; illi tumeant,

Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico.

Tu tantùm, inquit, æquitatem in omnibus cuſtodiens, quæ ad te attinent, cura, cætera Deo cõmitte. Et ſic quidem proborum reliquiæ, hoc eſt, quicquid poſt mortem hominis relinquitur, pijs æternum eſt, reliquiæ uerò impiorũ interibũt: non quòd omniũ tam proborum, quàm improborũ animę immortales non ſint, ſed quia eæ ita miſeræ erunt & infelices, ut meritò nõ eſſe quis eas dicturus ſit: illæ uerò ſicuitę illi æternę, quæ Deus eſt, unitę, ut ſolùm res illas uerè eſſe iudicet, quæ tanto bono coniunctæ ſint, atq; adglutinatæ. Pacificum hîc uocat uirum illum, qui neminem contemnens, omnibus benefacit, dat, cõmodat, diſſidia componit, pacemq; cum omnibus, ut eum admonet Paulus, ſeruat. Fel. tamen, atq; adeò cæteri fermè Hebræorũ interpretes, nõ innocentiã & æquitatem legunt, ſed innocentem, ſimplicem, & rectum. Obſerua, inquit Fel. ſimplicem, & reſpice re-
D ctum, quoniam nouiſſimũ uiro pax. Alius tamen ex Hebræo, Cuſtodi ſyncerita tem & uide rectum: nam poſtrema uiro pax. Id enim in primis à nobis uult ſpiritus, ut omiſſo anxio illo ſtudio, ac cura aliena conſiderandi ſcelera, nos tantùm illos, qui puro ſunt animo & recto, nobis in exemplum proponamus. Quòd ſi, quos tibi deligas in uitæ duces, non habes, deerit ne tibi unquã Chriſtus, quem hîc ſpiritus innocentem, rectumq; ac pacificum appellat? Cæteros enim ut à rectitudinis linea facilè deflectere, quæ eſt humana conditio, deprehendas, Chriſtus tamen idem ſemper eſt, qui uirtutũ omnium autor idcirco in miſeram hanc ærumnarum uallem è patris ſinu deſcendit, ut uel ſolus ad perfectiſſimæ uitæ inſtitutionem ſufficeret. Non nos igitur tantum deterrere debent nefariæ improborum actiones, quantum proborum rectæ ac ſanctæ, animare. Paraphr. Cùm modò innocentiã & æquitatem adamaſſe uiſus eſt. Sit tibi curæ, ait, integritas, & ſpecta ſemper id quod rectum eſt: eum enim, qui talis eſt, pax manet perpetua. Vide quomodo proborum reliquiæ, ſeu, ut uult Fel. nouiſſimum: ſeu ut alij, poſtrema, pax ſit æterna, ac quies.

Iniuſti autem diſperibunt ſimul, reliquiæ impiorum interibunt.

Id enim, quod in ſuperioribus eiſdem propémodũ uerbis dixit, replicat. Iniuſti, inquit, punientur, & ſemen impiorum peribit.

Salus autem iuſtorum à Domino, & protector eorum in temporę tribulationis.

Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos, quia ſperauerunt in eo.

O ſpem, quo tuas ſtylo laudes celebrabo? Vide, mi lector, quot bona ab unica illa uirtute, quam ſalutis anchoram Paulus appellat, proficiſcuntur: ſalus nimirum à Deo. Vis' ne aliud? protectio rurſus, dum hîc à domino peregrinamur, patrocinium, liberatio, & id genus aliæ auxiliares, ut ita loquar, copiæ. Hæc, inquam, omnia uni contingunt animæ, ſi in Domino ſpem omnem ſuam collocauerit. Et ego hîc quidem (fateor) non poſſum non meum aperire animum. Cùm enim

A enim totus interdū in me collectus, à quàm bono pendeā domino & patrono, re
colo, præ lætitia inſanio, reprehendoq́; meipſum ſi aliquando ſecus egerim, aut
opinatus fuerim. Vacillantia quippe omnia eſſe, iam demū intellexi. Sol, luna,
ſtellæq́; & quicquid in cœlis eſt quod per ſe, aut mutuato lucet lumine, ſed &
angeli ipſi quoq́; cùm mihi ſeruiant, quid in eis ſpem ponam? Miror equidem ſi
inueniatur dominus, qui in ſeruo ſperet. Venio autem ad inferiora. Diuitiæ ne
huiuſmodi ſunt aut bono aut perennitate prædítæ, ut meritò quis in eis ſperare
debeat? quid his fragilius, aut fortunæ indignationi magis expoſitū? Quid por-
rò illud unum omnium (ut dicunt) maximum, principum ſcilicet fauorem memo
rem, cùm nihil unquam ſub ſole tam præceps uiſum ſit, & uarium, & periculo
ſum? Si cymbæ uitreæ, ſemi ue gelu cōſtricto amni lapſantibus pueris fidendum
eſt, & ego quoq́; tam titubantis rei fidam ueſtigio. Amicorum uerò frequentiam
non habeo cur demirer, aut qua admodum niti debeam. Siquidem inter homi-
nes nihil adhuc homine fallacius inueni. Omnes enim quæ ſua ſunt, non quæ Ie-
ſu Chriſti, aut amicorum, quæſiuiſſe expertus ſum. Ergo in his iterum ſperare au
debo? Inſaniā omnino, ſi ulla alia in re deinceps ſperauero, præterquā in illo, qui
ſolus ſuis in pollicitationibus conſtans eſt, utpote natura æternus & incōmuta
bilis. Verùm ut hæc omnia, quæ dixi, infirma ſint, planeq́; indigna, quibus res
tam nobilis, uti homo eſt, fidere debeat, illud autem infirmiſsimum, atq́; abſq́; du
bio periculoſiſsimum, illis in rebus quæ in nobis inſunt, ſperare uelle: huius e-
nim generis ſunt, ſcientia, literatura, artesq́;, quas uocant, liberales, ac diſciplí-
næ: hisq́; addo uoluntatem, arbitrium, atq́; actiones illas, quæ à fide charitateq́;,
tum in Deum, tum in proximum, proficiſci uulgò exiſtimantur. Etenim abſq́; ca
lore diuino hæc omnia penitus ieiuna ſunt & gelida. Deo itaq́; gratiæ habendæ
ſunt, in illoq́; ſperandum, non in hac aut illa re, & operatione quamuis excelſa, &
cœleſti. A ſpe quidem, quam in Deo habemus, bona omnia ortum habent: ab ea
B autem quæ alia in re eſt, quæ Deus non ſit, mala. Itaq́; ut ſuauiſsima ſpei adhor-
tatione pſalmum finiam, ſperet Iſraël in domino ex hoc nunc & uſq́; in ſeculum:
cui laus ſit in ſeculorum ſecula, Amen.

PSALMVS DAVID AD MEMORANDVM, XXXVIII.

Domineq́; ne in furoreq́; tuo arguas meq́;, neq́; in ira tua corripias meq́;.

Titulus odæ huius licet ſecundum Hieronymi translationem ſit ad
rememorandum diem ſabbati, in Hebræis tamen omnibus, quos ſciā,
codicibus, dies ſabbati non inuenitur: ſed tantummodo, ad memoran
dum, ſiue, in rememoratione. Putant quidā diem ſabbati à D. Hieronymo addi-
tum propterea, quòd à uetuſtiſsimis forſan annalibus, ut uir erat infiniti propé-
modū ſtudij, acceperat odam hanc, in die ſabbati decantari ſolitā. Chaldæus ue-
rò habet, ad incenſandum, ſeu ſuffumigandū. Nam cùm pſalmus hic totus pœni
tentię lachrymis reſperſus ſit, uidetur odorē quendā, ac ſuffitū ſuauiſsimū ad Dei
nares attollere. Verū hæc omnia occulta omnino. Sunt etiam qui cenſent dictio
nem lehazchir, quā noſter interpres ad memorandū, ſeu reminiſcendū uertit, He
bræis eſſe inſtrumentū muſicū, quo Dauid, cùm pſalmū hunc caneret, uteretur.
Omiſsis igitur ſuperfluis, illud in primis fateri neceſſe eſt, hoc in pſalmo Chri-
ſtum eſſe, qui noſtra ob uulnera, quæ ſua, ut immenſa eſt in homines dilectione,
eſſe uoluit, mortalium miſeriam è peccatorum turpitudine contractam memo-
rat, fateturq́;, ac miris ob id ſeſe torquet modis. Hîc, fateor, dum hæc commen-
tari meditor, à lachrymis impedior. Tanta quidem mihi diuini amoris copia in
mentē uenit, ut cùm intellectus meus prorſus in me, in illo conſiderando, conta-
beſcat ac torpeat, nihil aliud agere poſsim, quàm amariſsimis ſuſpirijs ac lachry-
mis meam tacitus ſolari ſtupiditatē. Quid primū igitur defleam? Méne tam ſor-
didum, atq́; in peccatis à primis iam meis annis educatum, ut nulla omnino in
me pars ſit, quæ tota ſordibus non ſcateat? an tam mei amantiſsimi Chriſti æ-
rumnas? qui adeò me charum habuit, ut me in tuto collocato, tantis ſe rerum pe-

C riculis & tormentis pro me obiecerit, eaq; omnia, quę meis ſceleríb. debebantur, tam gnauiter ſubierit, ut mirum uiſum ſit, quomodo puriſsima Dei natura tanti me omniũ impuriſsimũ fecerit, ut non ſolùm ſordes in me omnes peccati abluerit, ſed & ipſas ſuas quoq; omnino eſſe uoluerit? Et ut ego quidem pro me tantũ, quantũ debeo, flere nequeo: ita in immenſa illa conſideranda Dei charitate, nullum ſtatuere poſſum lachrymis terminum, ac modum. Non ſi quidem Oceanus, quantus quantus eſt, meis ex oculis exiret: non ſi quicquid ſeu in cœlis, ſeu in terris conditum eſt, in lachrymas conuerteretur, ex meq; paſsim per artus ebulliret, nec ſic mihi quidem ſatisfacerem. Verum'ne eſt Deum, peccatum, maledictum'q; pro me factum? O uaſtum contemplandi diuini amoris pelagus. Verum'ne eſt, inquã, illum, cui condita omnia ſubiecta ſunt, ab eoq; perſiſtendi tanquã à naturarum omniũ principio uim ſumunt, in ipſoq; uiuũt ab æterno, pro tam uili mancipio mortuum eſſe? Eſt'ne intellectus ita uiuax, in perueſtigandisq; rebus animi obſtruſioribus ac ſecretis adeò acutus & ſolers, ut hæc perfectè, aut ſaltẽ mediocriter intelligat? Cæcutit nimirũ mens, hebeſcit animus, cor adeò ſtupore afficitur, ut penè à uita deſtituatur. I nunc ô anima mea, ac tandem tuo maximo admonita morbo, perpende quantus ille ſit, quem toties peccando offendiſti, quem in te prouocaſti, cuiq; pro beneficijs iniurias ingratiſsima rependiſti. Dic, dic, mecum'q; quanto potes eiulatu clama: Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Cùm aliàs, tum ſexto in pſalmo præcipuè dixi, iram & furorem in Deo pleriſq; in ſcripturis horrendum eius ſignificare iudicium, iudicijq; pauorem, qua afficitur anima, cùm præterita ſua rememorans peccata, mirum in modum expaueſcit. Quem ſanè affectum atq; animi mœrorem ego infelix in me non eſſe, tanto afficior dolore, quòd ni certò ſcirem amantiſsimũ mei Chriſtum omnia illa, quę in me deſunt, quibusq; maximè æterni patris ſedatur ira & furor, pro me ſupplere, deſperarem prorſus, non aliterq; me à tam pij patris conſpectu
D ſubtraherem, atq; olim Cain ille ſceleratus ſeſe, ſeipſum tanquam feram indomitam exhorreſcens, ſubtraxit. Verùm cùm cogito cuius bonitatis is ſit, qui idcirco in terris iam omni uitiorum labe contaminatis ac corruptis, natus eſt, ut cùm omnium, tum potiſsimè miſerorũ curam patrocinium'q; ſumeret, non ſolùm animo non deficio, ſed & ipſum ſumma colligo fide, ac uti infirmũ membrum ſub fortiſſimo capite, aut tanquã miles ſexcentis transfoſſus uulneribus ſub robuſtiſsimo atq; incolumi duce, audeo adhuc neſcio quid ſupra me, nõ tamẽ ex me, uerùm ex eo qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorũ, clamoq;. Quid clamorem meum tenuem & exilem iactito? clamat pro me Chriſtus clamore ualido (ut inquit Paulus) & lachrymis: Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Cùm meæ, inquit, tranſactæ uitæ memoro errata ac lapſus, uideor mihi te ad illud iræ genus adegiſſe, ô Domine, ut nullo modo ultionẽ, quam peccando merui, effugere ualeam. Quò me igitur conferã? Nullibi adhuc ſalubrius meo morbo inueni remedium, quàm in te: imò alia omnia, cùm diu quæſiſſem, uana eſſe, ulcusq; magis exaſperantia, quàm medelam adhibentia cõperi. In me enim primùm nihil eſſe uideo, quod nõ deteſtari quidem potius debeam, quàm amare. A planta ſanè pedis uſq; ad uerticem nulla in me eſt ſanitas. Quem porrò inter homines, qui mea, quàm egomet, ſtudioſius cõtrectet uulnera, requiram? Si equidem tam dirus mihi fui hoſtis, erunt'ne alij mitiores? Vidi enim aliquando tenuiſsimas puſtulas ob medicorum inſcitiam aut potius improbitatẽ, in ulcus fœdiſsimũ erupiſſe, dum hi quidem non tantùm quò ægrotũ ſanarent, quantum ut proderent, infamarentq;, ac omnibus infenſum redderent, ſuis illis informibus uterentur epiſpaticis. Ego itaq; cùm uehementiſsima laborẽ ægritudine, medicosq; uideam pleroſq; aut crudeles, aut iniquos, ad te, mi deus, confugere decreui, petoq; ne me, prout merui, abs te abdices, eoq; deſperationis mea impellas culpa, ut nulla poſt hac ſpe ueniæ admiſſa, in reprobam protrudar mentẽ. Te (fateor) ad iram, ad furorem, ad uindictam, meis infinitis prouocaui ſceleribus. Num id nego? Ego enim homo, quod in me erat, egi, agoq; continuè: tu Deus,

quod

A quod tuum eſt, age. Ego, inquam (quod meis à primis perdidici annis) peccaui: tu (quæ tua eſt ab æterno bonitas) parce & miſerere. Mea quidem eſt miſeria, tua uerò miſericordia. Quare tua utens miſericordia, me à mea emunda miſeria:

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Habet Deus ſuas ſagittas, quibus uulnerat, ut ait Iob, & medetur. Vnde anxio in mœrore poſitus uir ille, poſtea quam ſua appendi peccata & calamitates in ſtatera à domino petierat, clamauit: Sagittæ domini in me ſunt, quarum indigna tio ebibit ſpiritum meum, & terrores domini militant contra me. Hæc ſunt omnia uulnera conſcientiæ, terroréq; futuri iudicij ac mortis. Sed ea in primis ualidior, cùm anima ſuos in amaritudine reputans annos, ſentit quàm pœna omni dignum fuit, tam bonum dominũ, tamq; amabilem offendiſſe patrẽ, odiumq; atq; iniurias pro amore ac beneficijs retuliſſe. Atq; non eſt dolor huic ſimilis, non uulnus, non ſpiculum cum hoc comparandum. Solet enim anima uarijs interdum à dæmone tranſuerberata concupiſcentiarũ telis ac ſagittis, quę ignitæ admodum ſunt (ut inquit Paulus) ita in malis obſtupeſcere, ut nec letales quidem ictus perſentiat. Longo ſanè uſu in peccatis attrita, planè ſtupida fit, & abſq; ſenſu: uerum à ſalutifero Dei telo, qui Chriſtus eſt, traiecta, ſentit iam tandem uulnera illa præterita letalia fuiſſe, hoc uerò ſalutem ſecum afferens ac uitam. Incipit inde res ſuas exactius conſiderare: perpendit periculum, cogitatq; in quàm fœdum uitæ ſtatum ſeſe præcipitauerit: quare confunditur, erubeſcit, & mirũ ni in lachrymas tota colliqueſcat. Mortis igitur memoria ac iudicij, unà cum conſcientiæ teſtimonio, atq; bonorum amiſſorũ reminiſcentia, ſagittæ illæ ſunt, quas in ſe hîc fixas eſſe queritur anima: quæ ut continuũ ſuum aperiat uulnus, adijcit: Et confirmata eſt ſuper me manus tua. Alio in pſalmo ſic ſuum detegit dolorem: Quoniam, inquit, die ac nocte grauata eſt, ſeu depreſſa eſt, ut uertit Fel. ſuper me ma-
B nus tua: hoc eſt, non extentam illam quidem uideo ad percutiendũ, ſed depreſſam. Iam, iam, inquam, percutit. Iam crebros ictus ſentio. Confirmaſti, inquit, ſuper me manũ tuam: hoc eſt, me tuo tremendo iudicio, mortiſq; memoria, in qua totius uitæ ſumma concluditur, perterrefacere non ceſſas. Hinc porrò à mundo, à dæmone, à meipſa quoq; uulnerata tam dirè conturbor, ut penè tui firmiſſimi auxilij oblita, in id impietatis cadam, ut me prorſus abs te neglectam putem. O meum præteritum faſtum. Fateor, fateor quòd

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facię peccatorũ meorum.

Vir enim in diuinis occupatus, facilius quàm ille qui in libidinibus, aut ſordidis curis, die noctuq; emoritur, ſeipſum cognoſcit. quæ quidem cognitio adeò in ſpiritus academia eſt neceſſaria, ut ea propemodũ res prima ſit, quam in cœleſti doctrina oporteat addiſci. Sole igitur ipſo clarius cernit experiturq;, quàm infirmum ſit ac fragile, humani corporis uaſculũ. Totum enim, quantumcũq; eſt, aut eſſe poteſt, ſexcentis non ſolùm morbis atq; ægritudinibus eſt obnoxiũ, uerumetiam uitijs illis turpiſsimis, quibus unà cum anima, percuſſo ueluti fœdere, ac iunctis, ut ait Cyprianus, complexibus, ambo in mortiferas ſuauitates lapſi obdormiunt. Cumq; euigilauerint, inquit, ſerò pœnitentiã adducit confuſio, & inquinamentorũ horror fœdatæ menti occurrit. Hanc igitur corporis huius miſeri, fœdiſsima hinc inde euomentis inquinamenta, imbecillitatem, nihil aliud animæ quàm onus conciliantem atq; impedimenta, ſibi uir iuſtus à diuina prouenire indignatione propter peccata arbitratur, exclamatq;, Heu non eſt ſanitas in carne mea à præſentia iræ tuæ, ô Domine. Nihil integrum in toto meo eſt corpore, præ metu, quem de te concepi irato: nihil eſt in oſſibus meis quietũ, propterea quòd peccatorũ mihi conſcius ſum. Non eſt quidem in rebus cõditis immanior atrocitas ac confuſio cum illa æquiparanda, quam homo ſuę malè anteactæ uitę conſcius, hoc eſt, ex animo, quanti periculi fuerit Deum peccando irritaſſe, cogitans, in ſe experitur, quid meruerit, quid calamitatum ſua ſibi ſponte aſciuerit, quid bonorũ amiſerit, quid miſeriarũ non tantùm ſibi, uerumetiã probis omni-

C bus accumulauerit. Quòd ſi, mi lector, quæ dico non intelligis, uim nondũ illam noſti, qua filius Dei impulſus, in hoc pſalmo pro te, alioquin ad ea quæ ad te attinent conſideranda ſtupido & inerti, angitur, eoq́; lamentatur affectu, quo illum conuenit, qui totius orbis peccata, ſua fecit. Eſt'ne dictu facile, numen illud immortale æternumq́; pro re mortali & caduca, illo ſub onere, quo omnes premebantur, perinde gemere, ac ſi omnium hominũ debitorum reum perageret, ſolusq́; cæteris in uitæ innocentia permanentibus, peccaſſet? Hinc igitur noſtrum perpendamus periculum, ſalutiſq́; deſperationem, ſimulac metu terroreq́; futuri iudicij, tanquam ſagittis è Dei manu contortis, ſe Dei filium transfixũ queritur. Magna profectò noſtra erat indigentia, magna ægritudo, magnũ uulnus, pro quo ſanando Dei filiũ noſtras omnes infirmitates ſubire peropus fuit. Non eſt, inquit, ſanitas in carne mea, non pax, non quies in oſsibus, non in ipſa anima. Caro enim infinitis ſubiecta ærumnis, tota lacera eſt, anima uerò tædio ac pauore afflicta, prorſus contabeſcit. Quid igitur ego infelix hîc dicam, mi lector? Ego, ego ſum, qui peccaui: ego debitor, ego pœnis obnoxius, ego ſcelerum horum, pro quibus Chriſtus moritur, reus ſum: ego, non ille, fateri poſſum, quòd non habitat in carne mea bonum. O perditam mortalium uitam: ô diuinam clementiam ac bonitatem: humana enim caro tota languida eſt, tota putet, tota immundiſsimis ſcatet obſcœnitatibus, conſpurcaturq́; in dies tanquam ſus in uolutabro, infinitis libidinũ monſtris: & tamen ſecura omniũ, ac ſi nullum eſſet periculum, in utranq́; obdormit aurem. At è ſublimi ueluti monte in Iericontinam hanc miſeriarũ uallem deſcendens Samaritanus, tam infelicis deſperataeq́; naturæ morbos in ſe aſſumens, dixit: Veniam & curabo eum. Et ſanatus eſt puer, inquit, in hora illa. In qua hora, quæſo? Tum puto, quando incubuit ſuper defunctum puerũ, poſuitq́; os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, &
D manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri. Moritur igitur autor uitæ, & non eſt qui, cur id fiat, cogitet. Vide, te oro, quid hîc de ſe, pro te, dicat innocentiſsimus omnium:

Quoniam iniquitates ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graueq́ grauatæ ſunt ſuper me.

Nulla fuit unquam tam grauis ſarcina, quàm ea eſt, qua ſuo unaquæq́; anima peccatorum premitur onere. Quid ſi peccata des omnium hominũ, qui fuerunt, ſuntq́; in præſentia, ac erunt in poſterũ, unius ſolummodo imponi humeris? Excederet, credo, uim omnem humanam: quocirca diuina ſit oportet, quæ id ferat, quod humanas prorſus ſuperat uires. Is igitur Chriſtus fuit, qui humanã diuinæ cõiungens naturã, utranq́; in ſe ueriſsimè habuit: hanc quidem, ut tanquã Deus illud ferre, proq́; illo mori uellet: illam uerò, ut poſſet. alioqui nec Deus unquam abſq́; homine mori potuiſſet, nec homo abſq́; Deo uoluiſſet. Iniquitates, inquit, ſupergreſſæ ſunt caput meum: hoc eſt, immaniores ſunt, quàm ut humana queat ferre imbecillitas. Vide in quam rerum deſperationem ſeſe immergat interdum anima, ut ea, ſua ſe ſponte oneret ſarcina, quam ferre nequeat. Iniquitates ſuperauerunt caput meum, uertit Campenſis, & factæ ſunt grauiores, quàm quibus ferendis ſufficiam. quid?

Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à faciẽ inſipientiæ meæ.

Cicatrices in anima, eadem ſunt peccata ſæpius repetita, cõcupiſcentiæq́;, quę interdum cùm non aduertimus, ob inſipientiã noſtram recrudeſcũt: uel cùm eas ſanatas eſſe per pœnitentiã ducimus, emergunt denuò. Ex qua quidẽ ignauia id plerunq́; cõtingere experimur, ut fœdius è recrudeſcente cicatrice dimanet pus & ſanies, quàm priùs è uiuo ulcere & aperto emanauit. A primo enim peccati actu & uulnere, facilis quidam oriri ſolet pudor & cõfuſio, ex qua reſipiſcentia: à frequentatis uerò repetitiſq́; ijſdẽ in peccatis ictibus, formatur cõſuetudo quædam turpis, atq́; ut ſic loquar, indolentia, in qua neceſſariò ineſt cõtemptus ac deſperatio. Quod ſanè cicatricum corruptionẽ appellat uates, eò periculoſiorem, quò ab inſipientia ſtupiditatéue animi proficiſci magis, quàm ab ullo alio leuiorimen-

A rimentis affectu asserit. A stupidis enim animis quid sapientiæ sperare poteris? A facie, ait: hoc est, à præsentia, ut aliàs annotauimus. Quæ uerò sit huiusmodi insipientiæ facies, seu præsentia, sic aperit Paraphr. Putruerunt, & recruduerunt malè obductæ cicatrices meæ, propter insignem stultitiam meam. Vnde

Miser factus sum, & incuruatus sum vsq; in finem, tota die contristatus ingrediebar.

Vide normã pœnitentis. Habe, inquit Origenes, tristitiã cùm conuerteris, & esto quasi desperatus. Vir enim ille qui, cùm propter transactæ uitæ memoriam, tum ob instantis futuræq; periculum, in mœrorem delabitur, quomodo, si sapit, quod restat uitæ, in iocis ac risibus sibi traducendum esse iudicabit? Nónne istud quidem esset, uelle iterum cicatrices refricatis uulneribus aperiri? Est diuina quædam ac planè necessaria in Dei ecclesia lex & consuetudo, ut semel saltem anno quolibet (sic consulendum fuit mortaliũ tarditati, ac ut sic dicam incogitantiæ) sua quilibet denudet scelera sacerdoti. Quo sanè medio uulnera animæ à spiritu sanantur, obducunturq; cicatrices, hòc quidem solidiores, quò acutiori pœnitentiæ cultro fuerint purgatæ. Sed illud uerendum, ne post pudorem, consternãtionemq; illam animæ, quam nobiliorem partem pœnitentiæ esse uolunt, post lachrymas, post singultus, hoc est, post consolidata ulcera, teneras iterum rescindamus plagas, fiantq; nostra ultima deteriora prioribus, ut prædixit Dominus. Nõ contenti tamen nonnulli sancta hac Ecclesię constitutione, eam frequentius repetunt, laudabiliter id quidem, modò eos non lateat uulnera illa in homine letalia quodammodo efficí cùm placent, & quæ crebrò sanata, crebrò recrudescunt. Rarò enim anima uerè à Dei spiritu diluta, hoc est, quæ priusquam sacerdoti sese purgandam offert, purgata à spiritu fuit, egesta reuomet. Quæ quidem purgatio ab intimo dolore propter admissa peccata, firmoq; abstinendi sese à reliquis proposito, id omne agente Dei spiritu, in animam prouenit. Quare in re tam seria, ut est peccatorũ confessio, illud maximè requiritur, ne nos aut usus, aut metus, aut
B alius huiusmodi affectus ad illi obsequendũ instituto ac legi adigat: uerùm peccati odiũ, sanitatisq; recuperandæ desiderium, ac quædam in nos propter peccati turpitudinem excandescentia atq; ultio, non ui trahant, aut ex more, sed uoluntario mentis consilio atq; deliberatione, sponte nos nostra ducamur. Hæc planè paululum à proposito diuertens dixi, quò facilius animum aduertant in religione rudiores, quot modis non bene obductæ repullulent cicatrices: & quàm periculosum sit, uelle ulcera antea consolidari, quàm opportunis abstergantur remedijs. Sed ad meipsum redeo, qui meæ fœditatis conscius, meq; tanquam implacabilem mihi exhorrescens hostem, miser factus sum, & incuruatus sum usq; in finem, tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.

Miserias miserijs mihi coaceruans, quomodo miserũ me esse non fatebor? Atqui fieri minimè potest, me tam graui miseriarũ onere pressum, non curuũ incedere. En remediũ uerè diuinũ meę arrogantiæ datũ ac superbiæ. Nisi enim esset, qui elatum in me animũ frangeret, quis eum ferret? quid cor superbissimo meo in pectore nõ auderet? Verùm cùm me ipse seriò contemplor, hoc est, quàm intolerandum, quamue ærumnosum sit pondus istud, quod mihi ultrò asciuerim, nõ queo non ex intimis animi præcordijs dolere, ac continua quoad uiuam tristitia affici. Contristatus igitur uitę huius iter utcunq; expediam, me macerans, supplicium q; de me sumens: quoniam lumbi mei adeò repleti sunt illusionibus, ut nulla in carne mea sit sanitas, nulla integritas, nullaq; eius extet pars, quæ libidinũ incendijs non ardeat, illudaturq; ab obscœnis quibusdam formis ac motibus, tanquam captiua meretrix omnibus omnium uulgò iniurijs prostituta: siue uigilem, siue dormiam, siue legam, siue orem, siue aliquid aliud sacratius peragã, is molestissimus sese ingerit carnifex. Quid dicam? in eremis, in solitudinibus, in harenosis q; locis, ac solitarijs, ubi nulla cernitur amœnitas & suauitas, ubi nihil est quod non horrorem ac metum afferat, præstò est, & sese etiam frigidissimis

C anachoritarum ſenſibus inſinuat, illiſq; petulantiſsimè illudit, dum irritabiles quaſdam obijcit ſpecies ac formas: ad quas conſiderandas uel perfectiſsimi interdum uiri, à cœleſtium rerum contemplatione ſenſim, cùm non aduertunt, delabuntur. Itaque iam ſatis ſuperq; præteritis meis annis uacatum eſt mundo, nunc tandem referendus eſt pes, atq; animus à mundi uanitate reuocandus. Inſtat iam mors, urget, admonet, minaturq;: & ego, ut fera quæ naturæ impetu magis, quàm rationis fræno in ſordidas uoluptates fertur, in laſciuijs degã? Meum ſanè periculum animaduertens,

Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

In ſuperiori uerſu illud quod noſter interpres uertit, In finem, Hebræis eſt uehementer, nimium: ſeu, ut reddit Paraphraſtes, ſupra modum. Vnde quidam ex Hebræo ſic tranſtulit: Afflictus & humiliatus ſum eouſq;, ut omne tempus mihi faſtidioſum ſit. Etiam illud in ſuperioribus, Tota die contriſtatus ingrediebar, ſic uertunt Hebræi: Tota die, hoc eſt, iugiter, pullatus ſeu atratus, ac mœrens ambulaui. Tota die, inquit Campenſis, habitu lugubri obambulaui triſtis, argumentum nimirum ingens mœſti animi & afflicti. Illud quoq; notandum, Paraphraſtem ſecus reddidiſſe ſuperioris illius hemiſtichij ſenſum, Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus. Inteſtina, inquit, mea feruenti plaga plena ſunt, quæ ſic erumpit, ut nihil in corpore integrum reliquerit. Quod quidam de morbo aliquo uiſcerum grauiori intelligi exiſtimant: ego mallem de interno dolore, ob præteritorum peccatorum memoriam & terrorem. Ilia mea repleta ſunt combuſtione, uertit Fel. quæ litera primo ſenſui magis conuenire uidetur. quanquam Paraphraſtes quoq; eundem reddere uoluiſſe uideri poteſt. Nam cùm uehementioribus quis rerum uenerearum flammis incenditur, ardet totus, neq; in eo pars ulla eſt, quamuis abdita & intima, quæ tunc non ebulliat. Neſcio enim
D an noſtri iſti frigidiuſculi eunuchi, quibus titillatio quamlibet parua in alijs obſcœna (ſuas plerunq; turpiſsimas & uehementes, nec in confeſsione quidem nudè detegunt, ſed quantum poſſunt, mille obtegunt circumlocutionibus) atq; à natura excitata, horrori ſolet eſſe, quæ hîc dico, imò quæ dicit ſpiritus, intelligant. Ego quidem perfectorum mentem exprimere aueo, qui ſanè ſuis in enarrandis miſerijs eò diligentiores ſunt ac nudiores, quò exactius cognoſcunt ſeſe. Ardentem nunquam uidi demanaſſe confeſsionem à corde, niſi quod ſpiritu arderet diuino. Cæterùm tepida omnia abominatur Dominus. Ego enim meam, inquit, cùm mecum reputo miſeriam afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Colliſus ſum, uertit Fel. & contritus ſum uehementer, rugiui præ palpitatione cordis mei. alius uerò: Fractus & cõminutus ſum, ſeu diſſolutus ſum, relaxatus, mutatus ue nimis. Quocirca ſic Paraphraſtes: Debilitatus ſum, & modis tam miris uulneratus, ut præ intolerabili animi cruciatu uocem ediderim non humanam, ſed rugitum potius leoninum. Hæc ſanè omnia ex Hebræis interpretibus libenter addidi, quò à pleriſq; qui ſe Pœnitentes nominant, haud ignoretur, cuius habitus is eſſe debeat, quem uerè atq; ex animo ſuorum pœnitet delictorum. Vera enim pœnitentia non tantùm (crede mihi) in rebus conſtat externis, quantum in amaritudine animæ & cruciatu. Tunc uerò bene ingemiſcis, ut inquit Auguſtinus, quando ſic te pœnitet errati, ut tibi amarũ ſapiat in animo, quod antè dulce fuit in uita: & quod te prius oblectabat in corpore, ipſum te cruciat in mente. Diſſoluitur tunc quidem anima, ac quodammodo in ſeſe frangitur: itaq; in lachrymas tota reſoluitur, ut nullam amplius admittere uelit conſolationẽ, nullam capiat requiem donec ex Dei ore audiat: Remittuntur tibi peccata tua, uade in pace. Cæterùm de rugitu ac fremitu illo, quem à dolore ui interdum preſſo retentoq; proficiſci cernimus, in pſalmo uigeſimo ſecundo, in quo Chriſti narratur paſsio, abundè eſt dictum.

Dominẽ antẽ te omnẽ deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Perſuaſum quippe ſancti Dei uiri habent, ſe à Deo amari, atq; propterea debere

A bere ab illo ſuis in ærumnis & tentationibus eueſtigiò adiuuari. Sic ſentit caro, utpote cui res uel mediocriter graues, oneroſæ ſunt, peneq; intolerabiles. Verũ à conſuetis ſpiritus immiſsionibus admoniti, breui animum colligunt, certoq; ſciunt, uſqueadeo aduerſitates ab æterno patre ſibi inferri, quatenus abſq; ſalutis diſpendio ferre eas poſsint. Interim tamen eo, quem iam à ſpiritu didicerunt, commoti affectu, iniurias quodammodo quibus undequaq; obiecti ſunt, cum Deo expoſtulare uidentur. Quouſq;, inquiunt, hæc in nos deſæuiet procella? Patieris'ne diutius animas has noſtras, iam ab ipſis primis noſtræ infantiæ tibi dedicatas annis, à diris huiuſcemodi calamitatum atq; ærumnarũ uiperis diſcerpi, cùm maxima coram te ſint noſtra deſideria & affectiones, amorq; noſter quibus in rebus poſitus ſit, te minimè lateat? Quis melius, quàm tu, qui nos ſic eſſe uoluiſti & formaſti, ac denuò in pulchriorem refudiſti formã, nouit, quò noſtra dirigantur ſuſpiria? quò gemitus? quò lachrymæ? Tu bonorum omnium autor atq; erogator, per quem ſic, ut uides & iubes, die noctuq; ſuſpiramus, ingemiſcimus, cœlumq; ipſum eiulatibus oneramus, tuos inſpice afflatus, nosq; iam tandem in eo rerum colloca ſtatu, ut nulla poſthac aduerſitatum nos à noſtra, quæ eſt in te, pace, deturbet moles ac tempeſtas. Nam

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum.

Vide ſummi doloris effectum. Cor enim animæ ſedes ac domicilium, non poteſt non anxium eſſe ac crebris ictibus palpitare, circuireq;, ut uertit Fel. hoc eſt, miris circumagi pulſibus ac motibus, cùm maximo aliquo afficitur dolore anima & metu. Corde igitur ſic affecto, tota penè corporis textura diſſoluitur, ægrotatq;: unde membrorũ miſeranda quædam ac ſenſuum oritur debilitas, ut uerè ſui domini tota (ut ſic dicam) uideatur miſereri familia. Et ut quidem artus o-
B mnes ac ſenſus, unà cum corde ſimili afficiantur damno, acerbius tamen id oculis, utpote delicatioribus, & nobiliori ſeruientibus ſenſui, contingere cernimus: & ſi quidem non aliam ob rem, ob lachrymas tamen frequentiores à dolore erumpentes adeò plerunq; atteruntur, ut corrupta planè pupula aut ſcintilla lumi nis, ut eam uocat Lactantius, ſuo deſtituantur uidendi munere. Hîc igitur uates, ſeu potius uatum princeps, ſui uolens uehementiam doloris, hic ob aliena peccata, ille ob ſua exprimere, clamat, cor ſuum crebris palpitationibus agitari, uires deficere, atq; oculos lumine prorſus orbari. quanquam nihil me uetat, qui hæc omnia meo maximo experior mœrore, de internis animæ uiribus atque oculis hunc uerſum interpretari. Sentio enim (ô utinã meo cõmodo) nõnunquam è ſæuiori aliqua infortuniorũ procella, quid meæ poſsint uires, quid uoluntas, quid arbitrium. Sentio, inquam, quàm caliginoſum mihi factum ſit cœlum, quàm tenebroſa mei ipſius cognitio: hebet tum quidem magis uiſus ille interior, quem liberè in altiſsimarum rerum indagatione figi poſſe cogito, cùm tranquilla omnia illa quæ mentis aciem obtundere obfuſcareq; ſolita ſunt, eſſe uidentur. Verùm ab igne, cuius perfectionis aurum ſit ac naturę, facilè dignoſcitur. Fateor igitur, neq; cor in me, neq; animum, neq; ſi quid aliud ſum, diu ſub aduerſitatum tentationumq; malleo, ſuum ſeruare poſſe uigorem ex ſeſe, ſeruare tamen in meliusq; refundi poſſe ex Deo, qui cor ipſum ac mentem, cõtinuis non ceſſat munire ſuarum gratiarum præſidijs & donis, ita quòd, niſi uelim, à firmo contemplandi diuina, terrenaq; deſpiciendi propoſito & uoluntate nequaquã poſsim diuelli. Meritò quidem, & uerè ego inter cæteros peccatores queri poſſum, quòd cor meũ conturbatum eſt in me, quòd dereliquit me uirtus mea, quòd lumen oculorum meorum non eſt mecum, quòd

Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt:
Et qui iuxta me erant de longè ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam:
Et qui inquirebant mala mihi loquuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

Inter multa uitæ huius infortunia, illud acerbius uidetur, cùm quis in ærum-

C nam aliquam insignem proiectus, ab amicis ac propinquis deseritur. Quare non immeritò quidem alio in psalmo Christus multis prius suis enumeratis calamitatibus, quas ultro sibi pro omniũ asciuerat redemptione, postremò tanquã infortuniorũ omnium maximũ addidit: Tribulatio proxima est, & nõ est qui adiuuet. Cuicp scriba ille diuinus succinuit dicens: Omnes relicto eo fugerũt. Parum ne id fuit? O instabilem amicorũ fidem, posteaquã non solùm columnæ ipsæ Ecclesiæ tum prorsus uacillasse uisæ sunt, uerumetiã dilectus ille discipulus, qui è sapientissimo Christi sinu quicquid diuinitatis in terris humano ab intellectu hauriri potest, abundantissimè hausit, relicta sindone aufugit nudus. Fratres mei, clamabat Iob, præterierũt me ut fluuius, qui alueo suo decurrit. Vnde illud est de Christo uaticiniũ: Amici procul recesserunt ab eo. Fel. hunc uersum sic legit: Diligentes me, & socij mei ex aduerso plagæ meæ stabunt, & proximi mei longè steterunt. Non hîc te immoretur temporum mutatio: familiaris hæc est Hebræis phrasis, ut sæpe aliàs admonuimus. Vident enim interdum nostras amici miserias & plagas, uerùm contrà hiscere neutiquam audent, tantùm abest ut succurrant, partim animi ingratitudine infecti, partim metu corũ qui innocentiã affligere soliti sunt, deterriti. Vnde hi rebus suis proprijs & cõmodis in primis consulentes, inter amicos fortunæ connumerandi sunt, illi uerò expungendi omnino ab hominum conuictu & conuersatione. Cæterùm huiusmodi fidelium, si Deo placet, amicorum sodalitio fultus uir probus, totus quantus est insidiantium libidini ac crudelitati dilaniandus traditur. Semoto igitur amicorum solatio, impunè uim faciunt, qui quærunt animam meam: hoc est, qui nomini meo dignitatiq; ac uitæ insidiantur, dolos mihi connectunt. Nam quod noster interpres uertit, uim faciebant, Hebræis est, laqueos seu insidias parauerunt. Quid hunc (aiunt) adeò in altum euehi permittimus? Quid tenerum dum est uirgultum, non amputamus omnino, aut saltem deorsum, ne in proceram coalescat arborem, deflectimus? Si
D dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Hic est hæres, clamabant illi malæ fidei agricolæ, occidamus eum. Sic nimirum semper in terris male habita fuit innocentia. Porrò uanitates Fel. uertit prauitates: alij uerò ex Hebræo, partim pernicioſa, partim scelerata. Vnde Paraphrastes: Loquebantur scelerata, & fraudes assiduè machinabantur:

Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in orę suo redargutiones.

Quid faciat anima mille intus perturbationibus exagitata, foris uerò innumeris iniquorum hominũ iniurijs expoſita, ab amicisq; derelicta? Tacet nimirum, perinde ac solent natura elingues, atq; ad calumnias obsurdescẽs: tota in Deum fertur, qui cum res suas liberius quàm cum hominibus pertractans, de illatis innocentiæ iniurijs confidenter expostulat. Corruptis enim mundi tribunalibus, quibus coram mutire solent innoxij, noxij uerò libenter audiri, nostras hîc omnium, qui in ærumnis uitã agimus calamitoſam, discutiendas in cœlis causas relinquimus. Quæ quidem spes adeò nos tutos reddit, ut ne in præsentia quidem multũ perturbemur, si inaudíti damnamur. Atqui subitus quidam (exempli causa) exoritur rumor, probum aliquem ciuem fregisse reipub. ærarium, corrasisseue è templo calices, ac perditissimum omnium iudicatum, peculatus reum factum, quid hîc agat uir optimo conscientiæ fretus testimonio? uel eo maximè quidem, si illos quorum interest innocentiæ causam tutari, non solùm corruptos esse, sed & pariter cum maledicis illis conspirasse uidet? Aequè enim illa omnia de se sic uulgò iactitata præteribit, atq; solent surdi, aut modo alio attoniti & amentes. nam quid cui quis respondeat de quo non auditur? Erit igitur tanquã natura surdus, cui reticentia necessariò comes est: hoc est, non respondebit, non cõtumelias pro contumelijs referet, non remordebit, sed Deo tantùm causam suam uentilandam committet. Quòd si tamen interdum in maledicos, arcta quadam atque honesta cogente necessitate, audendum erit, non insolens id quidem omnino, modò au-

c dò auſus huiuſmodi in temeritatem exiens, æquitatis limen non excedat. Vide quid Chriſtus ſæua illa accepta coram iudice alapa, ſacrilego reſponderit percuſſori. Si malè, inquit, locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi uerò bene, quid me cædis? Quàm uerum illud tunc fuit, quòd ſicut ouis coram tondente, ſic non aperuit os ſuum. Et factus ſum, inquit, ſicut homo nõ audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. quaſi dicat, adeò tacui, ac ſi non haberem quid iuſtè reſponderem, aut redarguerem. Similis eram, inquit Paraphraſtes, uiro qui nihil audit, nec diluit quæ illi obijciuntur crimina. Enimuero noſtrum dum nimium amamus nomen ac famam, dumq; omnibus, & maximè improbis, anxiè nimium ſatisfacere efflagitamus, illud contingere neceſſe eſt, quòd & noſtras mollius, quàm par eſt, feramus iniurias, & illos quibus tanta cum ſolicitudine placere nitimur, magis inflammemus, atq; idcirco perpetua in anxietate uiuamus. Huiuſce enim generis hominibus id moris eſt, ut eos repercuſsione magis frangas, quàm obſequio places & humilitate. Quanquam uir chriſtianè inſtitutus, mauult millies improborum perſecutionibus eſſe obnoxius, quàm uel tantillo iniuriarũ poſſe uincere. Scit enim uitam hanc militiam eſſe ac pugnam, in qua qui uincitur (de controuerſijs cum hominibus loquor) uictoria potitur. Vis ne, inquit ſanctiſsimus meæ profeſsionis ſenex, tuum uincere aduerſarium? ſinas te uinci. Verùm ut ad me redeam,

Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me, domine Deus meus.

Faſtidio iam demum, inquit, & homines, & quicquid pollicerí poſſunt filij Adæ. Vidi tandem, ac meo iam periculo expertus ſum, condita omnia titubantibus incedere ueſtigijs: quare ſumma hæc eſſet amentia, rei illi fidere, quæ perpetuo nutet motu. Itaq; in domino mea erit deinceps collocanda fiducia, non in homine quamuis potente, aut amico: multò minus in rebus inanimis, rationisq; expertibus, ut ſunt diuitiæ, dignitates, regnaq; & magiſtratus. Solus enim
D Deus eſt cui idcirco fidendum eſt, quia uerax, quia omnium ditiſsimus, quia inuocatus actutùm ſubuenit. O ſpei robur. Exaudiet (inquit ſpiritus) quoniam in ipſo ſperatur. Reſpondebis, uertit Fel. hoc eſt, annues, uotisq; meis auſcultabis. Sed de ſpe iam centies diximus. Tu exaudies igitur, quoniam in te ſperaui. Tu exaudies,

Quoniam dixi, ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt. Tu exaudies,

Quoniã ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Tu exaudies,

Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.

Rationes hîc quaſdam adducere uidetur homo Dei, quamobrem in anguſtijs & perſecutionibus, tanquam qui loqui neſciret, obmutuerit, cùm nihilominus ſupra uires affligeretur, ab amicis quoque deſertus, & propinquis omnibus planè ſtomacho fuerit. Ex qua quidem animi lenitate ac manſuetudine ſibi à cœleſti patre data, ſe exauditum iri ſperat. Prima igitur ea eſt, ut cùm ab atrocioribus quis impetitur iniurijs, non tantùm cogitet, quàm mali illi ſint qui iniurias inferũt, quantũ quòd propria ob delicta, longè immaniora meritus ſit: quocirca ſe, ſuasq; (ut aiunt) opes diligenter expendens, eò ſe totũ proijcit, unde tantis ſuis malis opem medelamq; expectari par eſt. Cognito enim quòd nulla res ſit in mundo cui uel horulam quidem innitì aut poſsit, aut debeat, in Deum totus fertur, ſperatq; à cœleſti medico ſe ſuis erratis, unde ſæuæ illæ perſecutiones ortum habent, ueniam impetraturum. Nec fallitur quidem: nam cumprimum amantiſsimus noſtrî Deus, qui hac de cauſa in mundum uenit, ut animæ languoribus mederetur, ad nos curandos, qui infinitis propémodũ ægrotamus morbis, inuitatur, præſtò adeſt, modò ſpe firma exorandi quod oratur, ſupplicationes fiant. Hinc eſt, ni fallor, quod hîc dicit: Quoniam in te ſperaui, tu exaudies me domine Deus meus. Alia item ratio eſt ab iſta demanans, cùm nõ ſolùm ſub iniuriarum onere, tanquam mutus ſileat, nec queratur, ſed etiam dicat, hoc eſt, ex

C animo optet precetuŕq; tantũmodo, ne uera illa unquã ſint, quæ ſibi hoſtes obiiciũt, pro quibuśq; nõ tantũ ſe hominẽ alioqui miſerũ ac fœdum, uerumetiã iuſtitiam ipſam atq; innocentiã impudentiſsimè impugnant, ſibiq; cum gaudio inſultant: nanque eos huiuſcemodi affectos impudentia nouit, quòd ineptiſsimè in quamlibet parua aliorũ nõ dico ruina, ſed lapſus ſuſpicione, quã pedũ cõmotionem appellat uates, lætitia geſtiant, ac magna glorioſáq; uerba de iam adepto triumpho blaterent. Hinc illud eſt, quod alio in pſalmo optauit uates dicens: Ne quando dicat inimicus meus, prẽualui aduerſus eum: & qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero. Huius porrò uerſus ſenſum ſic reddit Paraphraſtes: Valde metuebam ne nanciſcerentur ipſi anſam gloriandi aduerſum me: qui quoties uel tantillum accepiſſem incommodi, erigere ſolent criſtas ſuas. Putas ne animã ſic malè ab aduerſarijs habitam, poſſe de ſe altè quicquam ſentire? Deijcitur mirum in modum, ualdéq; atteritur animæ faſtus, per iniuriarũ limam ac ſcalprum. Verũm maledictum ferrum, ut ait uates quidam, quod contrahit è lima rubiginem non candorem. Quoniam igitur in perſequutionibus ſurdus mutuśq; extiti, non maledicta maledictis regerens, cùm tamẽ poſſem: quoniã in illis meis anguſtijs atq; ærumnis, ſpem nunquã, quã in te ſemper habui, remiſi: quoniam, inquã, pro mea tutanda innocentia ac fide, qua omnibus in rebus meis quamlibet aduerſis, tuo fultus prẽſidio niſus ſum, rogauíq; non tam pro me, quàm pro meis hoſtibus & perſecutoribus, quæ omnia dona tua ſunt, exaudiſti me ſemper, exaudieśq; in poſterũ: nam impoſsibile planè eſt, te tua nõ amare munera. Et cùm quidẽ noſtrã tutaris innocentiã ac iuſtitiã, tu tua tunc defendis dona. Exaudies rurſum, quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in cõſpectu meo ſemper. Nihil enim tam gratum eſſe poteſt Deo, quàm ſi indicia ſui erga homines amoris, ea ſu ſcipiantur animi mãſuetudine & modeſtia, prout cõuenit cętera diuinitus mundo collata beneficia ſuſcipi. Quę porrò præcipua illa ſint indicia, puto moleſtias
D uitę huius eſſe, et flagella: nam quẽ diligit dominus, corripit, ut inquit Salomon, & quaſi pater in filio cõplacet ſibi. Quare id nõ ignorans uir ſanctus, diuina, nõ ſua, fretus uirtute, clamat: En ego in flagella paratus ſum, en cor, en animus, en quicquid in me eſt, tua ad amabilia admittenda uulnera præparatũ. Quid mihi iucundius accidere poteſt, quàm tuis erudiri flagellis? quid utilius? quid maiori deſiderio amplectendũ, quàm illis ipſis trãsfodi iaculis, quorũ uulnere meliores efficimur, eaq; inſignimur nota, quæ nos propalã omnibus ueros Dei eſſe filios oſtendit? Vtcunq; enim in me deſeuiãt dæmones, utcunq; mundus, ego poſthac tanquã ſurdus nõ audiã, ac tanquã mutus non habens in ore ſuo redargutiones ero: tantũ res meas mecũ reputans illud in primis curabo, quomodo dolor meus in cõſpectu meo ſit ſemper: hæc mihi cura die noctuq; erit, hoc ſtudiũ, hoc perſeuerans animi propoſitũ. Ceterùm dolor is, animæ eſt cruciatus, quo cõtinuis tanquã uiperis, ob peccata iam olim admiſſa proditur. Nemo enim tam ſanctus eſt, tamq; per pœnitentiæ lauacrum emundatus, cui peccata uitę antiqua, dolori eſſe non debeant, & id aſsiduè: cùm quidẽ in memoriã illi uenit, quantus ille ſit, quẽ delinquendo innumeris laceſsiuerit modis, ni prorſus ſaxeus ſit, totus in lachrymas reſoluitur, doloréq; eò afficitur uehementiori, quò iam nitidior factus, ſeipſum clarius intuetur, quàm antea peccati turpitudine obnubilatus intueri poterat. Et dolor meus, inquit, in cõſpectu meo ſemper. Quocunq; me, inquit, uerto, aut humana fugio conſortia, is me ſemper angit cruciatus, mecuḿq; commoratur: quoniam iniquitatem meam ego, ego inquam qui peccaui, annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Iſtuc igitur graue illud uulnus eſt animæ meæ, is dolor, hæc afflictio, quòd iniquitatem meam non poſſum non agnoſcere, dum memet mihi oſtendo, nec dolorẽ remittere ſinit recordatio peccati mei. Ergo meas fatebor maculas, neq; unquã à conſideranda peccati mei fœditate auertam animum. Fel. ſic: Quoniã iniquitatẽ meam indicabo, anxius ero præ peccato meo. Vide, mi lector, an ad tuas diluendas culpas, tẽporaria illa, quæ in extremo uix quadrageſimæ calce, peccatorũ tuorum ſit memoria, ſatis ſit. Non hîc certè diui

næ bo-

A næ bonitati terminum præſcribere animus eſt, qui dicto citius hominem à mor
bo quamuis letali curare poteſt, ac curat continuè, ut olim etiam ante Chriſti
aduentum, per quem ueram nacti ſumus medelam, Naaman illum Syriũ, in Ior-
dane ſepties lotum, iuſſu Eliſæi, à lepra emundauit. Verùm id timeo, ne conten-
ti ſubita illa, non dico uitæ mutatione, ſed peccatorum memoria, ac confuſa ple-
runq; confeſſione, nos noſtris debitis ſatisfeciſſe arbitremur. Peccati enim labes
huiuſmodi res eſt, quæ niſi nouis ſemper coërceatur ſtudijs, doloreq; mactetur,
aut repullulat, aut ne ſemel quidem unquã radicitus excidítur. Dolore quidem,
& illo immenſo ac diutino opus eſt ad reconciliandam nobis diuinam gratiam,
quæ tamen adeò abundans eſt, & ſui, ut ita loquar, prodiga, ut nec reluctantes
deſerat, nec ipſos prorſus in ſordibus delictorum deuolutos auerſetur. Audi igi-
tur, quid clamet anima peccati telo transfixa. Dolor, inquit, meus in conſpectu
meo ſemper. Alio item in pſalmo: iniquitatem meam, inquit, ego cognoſco, &
peccatum meum contra me eſt ſemper:

Inimici autem mei uiuunt, & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt qui oderunt mę
iniquè.

Interea, inquit, loci, dum ego ſileo, ſaxeusq; quodãmodo ad iniurias efficior,
perferoq; omnia, ea fultus perſuaſione, quòd non diutius tuos abſq; ope ſub mo
le aduerſitatũ laborare ſinas, mei hoſtes uiuunt, ualent, exultant, robuſtioresq;
quotidie & numero & uiribus aucti efficiuntur, & quod fœuitiam omnem ſupe-
rat, me immaniſsimè nihil unquã uel re uel uerbo à me læſi perſequuntur. id eſt,
quod ait, iniquè. O genus hominum uerè execrabile & odioſum. Illi

Quia retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.

Hoc eſt, illi quibus inhumanus quidam mos eſt, malum pro bono, iniuriasq;
pro beneficijs compenſare, detrahebant mihi aduerſabanturq;, me lacerabant,
B mordebant, allatrabant, non alia quidem magis cauſa, quàm quoniam ſeque-
bar bonitatem. Perſequebar bonum, transferunt ex Hebræo quidam, uoluntq;
de bono ſeu beneficio intelligi, quod pij homines in ſuos hoſtes pro calumnijs
refundere ex animo quærunt. Vnde ſic quidam interpretantur: Quacunq; re il-
los iuuare poſſem, eam perſequutus & conſectatus ſum præcipuo ſtudio. Per-
ſequi enim rem aliquam nos dicimus, cùm eam diligenter, curaq; ac ſtudio con-
ſectamur. Vnde illud eſt: Inquire pacem, & perſequere eam. hanc enim in pri-
mis immanitatem, à Iudæis Chriſtus expertus eſt: Occidamus, inquiunt, eum,
contrarius quippe eſt opibus noſtris. Quare cùm te, ô Chriſte, uideam ex his quę
paſſus es, miſericordiam didiciſſe: cumq; te audiam continuis ueluti clamori-
bus meq; ſimiles, hoc eſt, miſeros, multaq; uitiorum turpitudine inquina-
tos, preſſosq; pondere cupiditatum, è cœlo inuitantem, clamantemq;, Venite
ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos: audebo & ego
unà cum illis ad te, fide ea munitus, qua meam niti imbecillitatem uoluiſti, confu
gere, quaſiq; reclamare,

Ne derelinquas me domine Deus meus, ne diſceſſeris à me.
Intende in adiutorium meum, domine Deus ſalutis meæ.

Vides Domine quo in loco ſint res meę, quàm truces aduerſarij, quàm impar
mea cum tam crudelibus inimicis uirtus: quàm non ſint, etiam inter religioſio-
res, qui innocuos à noxijs, purosq; ab inquinatis, eximere aut poſsint, aut ue-
lint: quare auxilio tu ſis mihi domine mi Deus, & ne relicto me in his
periculis, tu procul hinc abſceſſeris. Citò igitur accurre, ut
auxilio ſis mihi domine autor ſalutis meę. Cui
laus ſit & benedictio,
Amen.

C IPSI IDITHVN. PSALMVS DAVID XXXIX.

Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.

Idithun, de quo sic legitur: Idithun in cithara prophetabat super confitentes & laudantes dominum: ex primarijs cantoribus, qui sacræ præerant melodię, psalmisq; Dauidis in diuino canendis obsequio, unus erat, cuiq; inter cęteros is fuerat demandatus. Nec immeritò quidē: nam Idithun transiliens interprætantur: psalmusq; uirum illum graphicè describit, qui è mundi uanitate ad Deū transire & cupit & nititur. Diuinę certè cōtemplationes haud facilè ab ignauis apprehenduntur animis: res enim est, quæ continuū effla gitat motū & transitū. alioquin omisso, uel parū, cęlestem illum gustū obtinendi studio ac nixu, in rebus facilè corporeis considerandis, fruendisq; firmamur, ma nemusq; in Aegypto, durissimis luti ac lateris conficiendi operis addicti. Summa proinde ui emigrandum est ab impijssimis mœnibus Pharaonis, ad montem Dei Oreb (hic Sinai est) in quo lex uitæ à purgatissimis tantummodo percipitur animis. Verùm nescio qua mea miserrima id contingat sorte, ut cùm me iam uepres hasce curarum superuacanearū, noxiasq; affectiones transilijsse somniem, in easdem me iterū reuolutum sentiam: & cùm me penitus è luto emersisse arbi trer, rursum in lutum deuoluar, rursum in terra me esse uideā, rursum idem, utinā nō peior, sim. Vnde id quæso? Ob id, opinor, quòd nondū Aegyptū dereliqui: adhuc Rameses magis, aut Phiton placet, quàm desertæ solitudinis labor, atq; iter. Sed illud in me ualdè admirandum, quòd cùm etiamnū super ollas carnium Aegypti sedeā, me in Aegypto esse nō cogitem, eaq; uiuā animi securitate, acsi in culmine ipso montis, Deum facie ad faciem cum Mose alloquerer. O meam stupiditatem. Proinde, si sapio, alia mihi ineunda est uitę ratio. Iam igitur decreui, iam (ut inde mei transitus exordium sumam, unde mala propémodum omnia originem habent) deliberaui, & dixi: Custodiam uias meas, ut non delinquā
D in lingua mea. Ea enim meæ mihi in primis habenda est uitæ ratio, ut quicquid agam, aut loquar, adeò exactè ad diuinæ legis regulam perpendiculumq; informem, ut ne uerbo quidem quamlibet minimo quenquam offendam. Vides quo exordio felicis huiusce transitus auspicanda sit uia? Nam certè quemadmodum suam non refrænanti linguam, ut diuus ait Iacobus, uana est religio: ita primus ad religionem aditus in linguæ moderatione est positus. Quare ne in re iam toties à multis decantata diutius immoremur, illud asserere possumus, nullum unquam malum in terris extitisse, quod lingua effrænis non inuexerit. Non est, inquam, tam algida regio, etiam ipso sub frigidissimo Bootis sydere collocata, omnis scilicet caloris atq; ignis expers, quam non incendere queat turpissima obtrectatorum lingua. Quantum uerò incendij afferat mortalibus adulator, quantum palpo, quantum simulator, quantū mendax, quantum dolosus falsusq; delator, quantum periurus, iam non est ulla orbis plaga quę id ignoret. Quod ego quidē damnum non ignauiter expendens, quanto possum conatu nauo operam, quò non solùm tam lubricum diligenti custodia membrum muniam, uerumetiā capistro alligem, aut fiscella reprimam. Quod noster interpres uertit, posui ori meo custodiam: Hebræis est, custodiam os meum fiscella, boum scilicet more, quos fiscellis, ut ait quidam, capistrari oportet, ne germinū tenera decerpant. Hoc sanè uerbo usus est Moses in Deuteronomio: ubi nos legimus, Non alligabis os boui trituranti: Hebræi habent, Ne capistres fiscella bouem dum triturat. Obseruа igitur animæ diligentiam.

Posui, inquit, custodiam ori meo, cùm consisteret peccator aduersum mę.

Hoc est, ut reddit Paraphrastes, frænū adhibebo ori meo, quandiu negotiū mihi fuerit cum impio. Putas' ne undecunq;, uel cùm non aduertis, sparsos esse corycæos, qui nostram, ut inquit Paulus, explorantes quæ est in Christo libertatem, miro obseruant artificio, si quid non rectè dictum excidat? olim enim coricæi per Asiæ portus interspersi, quid mercatores rerum ferrent, quo uenirent

A rent ſubauſcultantes, inſidiasq; interim ſaxa inter latentia, inſulasq; occultiores molientes, egreſſos illos è portu adoriebantur, diripiebantq;. Sic nimirũ à nõnullis etiam in intimis ciuitatũ, templorumq; interdũ uiſceribus fieri cernimus. Hi enim amicitiarũ neceſsitudinumq; prætextu, aut aliquo alio honeſtiori habitu, tanquam ſecretiori receſſu tecti piratæ, quicquid loquimur ſubauſcultare ſoliti ſunt: unde anſa uix unius uerbi prolatione aut reperta aut ficta calumniandi, in noſtram graſſantur innocentiã, famamq; deprædantur, ac ne cogitata quidem, ad Principes & magiſtratus pro factis deferunt. Qui interdum malæ fidei paſtores cùm ſint, non ſolùm probos ſic male habitos, ab improbis non aſſerunt, ſed etiã (malùm) opprimunt, illosq; præmijs qui inſontes, tanquã oues belluis cruento in theatro obiecere, & ornant & exaltant. Cæterùm peccatorẽ aduerſum nos conſiſtere dicimus, cùm uel alijs, nobis præſentibus, obloquitur, uel nobis adulatur. Verùm illud diuinum, poſſe adeò obfirmari animum, ut nõ pecces lingua, cùm ſemper, tum potiſsimum cùm te aut tuos calumniantẽ audis. Non eſt quidem multùm te tuam oſtentare manſuetudinẽ, cùm nemo lædit, obſiſtitq; & prouocat: at illud non ſolùm magnum, uerumetiam maximum omniũ uidetur, cùm conſiſtit peccator aduerſum te, ſilere. quanquam aliquibus perſuaſum eſt ſuum periclitari honorem, niſi in ſuos, quanto poſſunt nixu, ferociant calumniatores. Talem quidem morem Chriſtiana nõ admittit conſtitutio. Imò, ſi ingenuè quod uerum eſt fateri uolumus, non conijcio cur hominem illum, qui par pari ſuis referre calumniatoribus paratus eſt, referq; ſi poteſt, Chriſtianum appellare debeam, cùm Chriſti legem longè aliter præcipere uideam. Quibúsne igitur ſuam perſcripſit uoluntatem ac legem Chriſtus? O mores corruptos. Vide, mi lector, quantum nonnunquam à uero aberramus ſcopo, parumq; conſideramus quæ ſit Dei uoluntas bona, ut inquit Paulus. Quàm uereor, ne illa Chriſti ad nos magis, quàm ad Iudæos olim, pertineat cõminatio: nos dico, qui omiſsis ſolidioribus, B leuiſsima neſcio quæ interdum amplexamur, quibus planè ſeruatis, ſecura omnia nobis fore pollicemur. Væ uobis, inquit, hypocritæ, quia decimatis mentham, & anethum, & cuminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, nempe iudicium, & miſericordiam, & fidem. Hæc quidem oportuit facere, & illa non omittere. Hæc igitur atq; his ſimilia cùm cerno (ut inquit) illis præſertim in locis fieri, illisq; ab hominibus, à quibus ob uitæ ſublimitatem nulla ferè ſperatur correctio, ſic mecum: Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem: quare

Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt.

Obmutui ſilentio, uertit Fel. hoc eſt, ut reddit Paraphraſtes, obmutui penitus: abſtinui etiam bonis, metuens ne & illa in calumniam raperent. Solet enim aliquando uir probus, ſi quid acerbius contra ſe, aut ſui ſimiles, uel quod magis eum angit, contra diuinũ honorem aut dici aut fieri uidet, in querelas quaſdam parum ſe dignas erumpere, reclamareq;, ac commotiore, quàm par eſt, animo in illos inuehi, qui cùm turbas conciuerint & rixas, lautiſsimè triumphant. Quam ſanè intemperantiam quò facilius ſuperent, malunt perpetuo ſilentio etiam de his quę bona ſunt, obmuteſcere, intusq; ſua, ut aiunt, in ſartagine cõſumi, quàm quid ineptè intemperãterq; effutire. Verùm dolor ille ſic ex diutina exortus reticentia, ſicq; in interioribus animæ partibus cõpreſſus, ſuam ſecum enutrit pœnam: nam ſpiritus à mœrore quodammodo repercuſſus, ſeſe ad intimas cordis ſedes reuocat: unde contracto introrſus per ſpiritum calore, doloris incitabula, (ſic illa uocant philoſophi) mirum in modum incenduntur. Ex quo quidem calore uis eò acrior fit doloris, quò calor ipſe uehementius incruduerit. Quare ſimulac ſuum in ſe dolorem innouatum, ſeu exagitatum, ut uertunt Hebræi, eſſe ſaſſus eſt, ſubiunxit illicò,

Concaluit cor meum intra mę, & in meditationę mea exardeſcet ignis.

Quorum uerborum ſenſum ſic reddit Campenſis: Cùm animo reuoluerem quibus in malis eſſem, non aliter æſtuabam, quàm ſi ignis intra me arderet, qui

C erumpere cogeret me in uocem hanc. Vnde uehementes cogitationes, hæ præſertim, quæ in querelas, ob multa abſurdè quæ fiunt in mundo, ſeſe effundere geſtiunt, intus in animo retentæ, irrequieto tanquam igne exagitantur motu, inardeſcunt, exæſtuant, uixq; ui ſe, ne erumpant, continent. Sic ea nobis peccati à Deo relicta eſt infirmitas, quò quales tandē ſimus, nō ignoremus. Cæterùm non eſt dolor cum illo cōparandus, cùm uir diuini honoris ſtudioſus, ſancta uidet ſanctorum à ſuibus conculcari conſpurcariq;, & nihilominus ne mutire quidem illi integrum eſt. Tacet igitur, ſuumq; in ſemetipſo macerans dolorem, cum Deo ſaltem, poſtquam cum hominibus non licet, diuinam expoſtulat iniuriam.

Locutus ſum, inquit, in lingua mea.

Quid, oro, poſt diſſimulatum tandiu dolorem, locutus eſt?

Notum fac mihi dominē finem meum, & numerum dierum meorum, quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi.

Tædio, inquit, incolatus huius uitæ affectus, in qua ſanè nihil quod uerū gaudium afferat, inuenitur, ſed omnia turbida, moleſta, aſpera, confuſa: tantùm id cupio, ut mihi infelicis huius exilij finis, quantoq; tempore in miſerijs mihi uiuendum ſit, innoteſcat. Putas ne diutius cum his qui oderunt pacem, commorabor? Quantum nam mihi æui ſupereſt? Spes certè finis, uitæq; melioris expectatio, dolorem hunc meum ſi non leuare omnino, at ſaltem lenire poſſet. Iam quæcunq; guſtu amara ſunt, ut ſunt pleraq; huius mundi, expertus ſum, tuaq; ope adiutus utcunq; ſuperaui. Reſtat finis, quo ſanè cognito, non tanta cum moleſtia quod uitæ reliquum eſt tranſigam.

Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum antē tē.
Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens.

Illud in primis aſſeuerandum, finem unicuiq; ſui incolatus, facilè poſſe innoD teſcere, ſi ſe breui cogitat moriturum. Nam longa haudquaquam ſerie, non dico annorū, ſed horarum, recenſendum eſt, quicquid totum hîc uiuitur. Ecce ad menſuram pugillorum poſuiſti dies meos, uertit Fel. & tempus meum ac ſi non eſſet coram te. Minimam omnium quæ manu fiunt, hîc ponit menſuram, quo te nuiſsimæ uitæ noſtræ tempus adeò breue eſſe, ac citra omnē, ut ſic dicam, numerum cogites, quòd tam parua menſura, ut eſt pugillus, metiri poſsis: aiunt enim quartam partem eſſe palmi. Vnde nonnullis placuit ſic uerti poſſe: Ecce palmares poſuiſti dies meos, hoc eſt, breues, modicos, citoq; deſituros, utpote tam modica re incluſos. Vtcunq; igitur ſit litera, illud non ambigendum, breuitatem hîc uitæ humanæ deſcribi. Siue enim cubito, ſiue ulna, ſiue ſpithama, aut ſemiſſe & pugillo tuam hîc uitam metiaris, ſcito te quamprimum moriturū: atq; propterea inanitatem quandam rerum eſſe, mortalium ætatem. Reuera enim, inquit Campenſis, modis omnibus uaniſsimus eſt, quiſquis eſt homo, quantumuis uideatur eſſe aliquid. Subſtantia mea, partim tempus meū uertunt, partim æuū, quod uates uice hominum aſſerit, ſi Deum ſpectes, qui ſuper omnem æternitatē poſitus eſt, nihil penitus eſſe. atq; hîc non abſq; ratione interponitur Selah. Cæterū uniuerſa uanitas omnis homo, ſic interpretantur: per omnia, per uniuerſosq; ſuos affectus, & appetentias, illas præſertim quæ ad mundum attinent, uanitas eſt omnis homo uiuens. Nihil eſt, inquit, humana uita, præterquàm uanitas. Certè (uertit Fel.) omnis uanitas, omnis homo permanens. Alius uerò, Certè tota uanitas eſt uniuerſus hominis ſtatus: ut hinc ex Hebræorum interpretum conſenſione, non ignoremus illud repetitum in noſtra æditione Veruntamen, certè eſſe, aut ut alijs uiſum eſt, tantùm: ut ſit ſenſus: Nullam ferè in terris uitæ hominis eſſe ueritatem, ſed quandam potius umbrā, ueſtigiumq;, ac tenuem rerum imaginem, ſi æternum illum uitæ ſtatum cogitemus, quem, tranſacta miſerrimi huius incolatus peregrinatione, in Deo per Chriſtum adepturi ſumus: unde ſtultitiæ proximum eſſe, quicquid hîc accidat, conturbari hominem & affligi: quod à ſpiritu ſtatim additur,

Verun-

A *Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur.*

Et uerè fruſtra ſuperuacueq; perturbationibus acceptis concutimur, deq; rerum humanarum damno ac iactura querimur, quas citiſsimè tanquam, non di co imaginem, ſed imaginis ſomnium præterire conſpicimus. Si uita hominis adeò fugax eſt ac uelox, ut eam ſpiritus umbræ & imagini comparet, cui puras rei diuitias, honores, regna item atq; imperia poſſe compararí? O quantum certè fallimur. Scit quidem omnia hæc infelix homo, cognoſcit, intuetur, experitur quoque, ac manibus quodammodo contrectat: & tamen ad leuem tam caducarum rerum motum angitur, & nequicquam conturbatur, easq; quamprimum in nihilum reſoluendas amat, quantoq; poteſt ſtudio & colligit, &

Theſaurizat, & (quod infeliciſsimum omnium videtur) ignorat cui congregabit ea.

Heu falſam mortalium expectationem. Cui tanto labore, ac tum animæ tum corporis intertrimento acquiſita, poſt tuum relinquere paras obitū? Extraneus interdum hæres, atq; hoſtis ſæpenumero, licet filius ſit, & conſanguineus, tuis ſuccedit fortunis. Suſpicatus ne unquam fuiſſes decoctorem aliquem breui hora conſumpturū, quod tu tanto tempore, tantoq; ſalutis tuæ diſpendio congeſſiſti? Quid uerò ſenſerint hi, qui tot bonis beneficijsq; eccleſiam ditarunt, multi ſe ignorare dicunt. Illud tamen fatentur, non propterea quidem aut ſuos ciues, aut conſanguineos & affines, aut filios quoq; et amicos pauperes ſuis bonis fraudaſſe morientes, ut in nefarijs abſumerentur uſibus. Horret animus illa cōmemorare, quæ ob beneficiorum, ut uocant, lautitiam interdum peraguntur: quare illa, quorum intereſt, curent pontifices, ac corrigant. Meis ne partibus me omnino defuiſſe cenſebor, ſi uerecundè, ac cum pontificum reuerentia admonuero? Nec ipſi quidem orbis moderatores, ſi ex Deo ſunt, uiros illos, qui ingenuè doctrinā ſpiritus edocent, auerſantur, tantum abeſt ut odio habeant. Cæterùm

B *Ecquæ nunc eſt expectatio mea? nónne Dominus? & ſubſtantia mea apud tē eſt.*

Rurſus ſubſtantia hîc Hebręis eſt, præſtolatio, ſeu ſpes. Vnde ſic Fel. Et nunc, quaſi dicat, rebus mundi ſic ſe habentibus, quid expecto domine? ſpes mea in te eſt. Iam, inquit, confeſſus ſum mortalium uitam, ac quæcunq; moliuntur homines, uanitatē quandam eſſe, atq; umbrā. Quid igitur in tam caducis cōfido rebus? Tu certè unus es, in quo ſpes mea omnis, ac quicquid ſum, & uiuo, recumbit. Appetant alij, ut lubet, & diuitias, & delitias, quibus nihilomnius in terris nullus ſtatuitur finis, & modus: ego autem hæc omnia faſtidiens in te ſolum me, quantus ſum, reijcio. Ergo

Ab omnibus iniquitatibus meis eruę mę: opprobrium inſipienti dediſti mę.

Omnes, quod ſciam, Hebręorum codices habēt, opprobrium inſipientibus, ſeu ludibrium ſtolidis, ſeu nequam, ne ponas me: hoc eſt, ne ſinas me perditis hominibus, ac nullius frugis, opprobrium fieri: ſolent enim hi, ſi quando probos uident diutius in miſerijs uiuere, cum malaq; conflictare fortuna, illorum deridere patientiā, ac ſpem, quā ignauiā appellant. Ne proinde id fiat, rogat uir ſanctus: ſed prius illud, ut ſcilicet ſuis ab iniquitatibus, ac trangreſsionibus, ut uertit Fel. utpote origine atq; exordio, unde mala cætera proficiſcuntur, emundet. Nulli dubiū, quòd à noſtris ſceleribus illud naſcitur, quòd in opprobrium inſipientiū traditi ſumus. Illuſio, inquit alio in pſalmo, his qui in circuitu noſtro ſunt, facti ſumus. Vide quid hîc aſſerat: Dediſti me, ait, opprobriū inſipienti. Cauſam mox addit cur id contingat: quia in te peccaui. Ego enim meis à meipſo diluendis maculis nō ſum idoneus: quare tu, qui omnipotentiſsimus es, ab omnibus iniquitatibus meis erue me. Et ſic abs te adiutus, haud amplius quidem irriſioni meis eroaduerſarijs. Interea autem ubi me illorū uanitati ac ſannis obiectū eſſe uoluiſti,

Obmutui, & non aperui os meum.

Illorum enim arroganti non reſpondi temeritati,

Quoniam tu feciſti.

Tu, inquā, ſic fieri iuſsiſti. Tu, tu, non homo, es qui percuſsiſti, Tu etiam ſolus

C es, qui uulneri meo medelam adhibuisti. Te igitur solum inuoco, te rogo, te imploro, tantũ abest ut cum cæteris uel uerbo quidem uno expostulem. Tu tantùm

Amouę à me plagas tuas.

Alij forsan æternam abs te summa animi fiducia petent beatitudinem, ac uitam: ego id quidem non nisi pauidè ac reuerenter: istud uerò & opportunè & importunè, & procaciter quoq; tandiu orabo, donec me exorasse sensero. Non te, inquam, dimittam, nisi prius benedixeris mihi, à teq; audiero, Aurora est. Vulnera igitur illa, quæ tu met inflixisti, tu ipse etiam remoue. Verùm nõ id quidem oro, quasi non me grauiora meruisse arbitrer, querarq; me iam satis pœnarũ dedisse: hoc sanè stultissimum esset: sed dico, me iam prorsus plagarum tuarum ui attritum esse. Acerbiores quippe sunt, quàm ut his meæ ferendis uires sufficiant. Hebræi simul & Græci alio hanc legunt ordine literam. Quod enim noster uertit interpres, Amoue à me plagas tuas: deinde ueluti finito & uersu & sensu, alium ordiuntur uersum, ad hunc modum:

A fortitudinę manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominẽ.

Felix sic transfert: Aufer à me plagam tuam, à uulnere manus tuæ ego defeci. Postea uerò sic: Cum redargutionibus super delictũ castigasti uirũ. Alius item: Remoue à me plagam tuam, ab exagitatione manus tuæ consumptus sum: in obiurgatione ob iniquitatem corripis uirum. Euthymius quoq; græcus: Amoue à me plagas tuas, à fortitudine manus tuę ego defeci: in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem. Idem fermè Chaldæus: Amoue à me, inquit, uulnus tuum, à percussione ualidę manus tuę consumptus sum. Quorũ omnium sensus ac summa est, quòd anima sui suorumq; facinorũ, simul & inferendis pœnis uirium bene conscia, clamat, petitq; iam demum à tam dira plagarum immissione reparari: non quòd quidem & has, & acerbiores quoq; non merita sit, ue-

D rùm ob id, quòd se iam planè sub grauitate manus Dei consumi sentiat. Vnde sic reddit Paraphrast. Aufer à me pauliſper flagellum tuum: præ metu enim manus tuæ propémodum exanimatus sum. Nam in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem: hoc est, ut idem interpretatur, castigationibus ob iniquitatem immissis, erudire soles hominem. Cur hîc igitur felicissimas non appellauerim aduersitates, simulatq; per eas, quasi per eruditiones quasdam & instructiones, ad diuinam intelligendam uoluntatem informamur? Verùm has caro quantum potest refugit: spiritus uerò, modò ex Deo sit, non solùm illas non refugit, sed immissas libentissimè admittit, ac si ardentior est, & amat, & quærit. Clamat ubiq; lex sancta, filiorũ Dei pectora ad mundi iniurias ac persequutiones erudiri solita, planeq; per tribulationes & angustias occallescere. Ad hæc si bene aduerteris, ut inquit Theophylactus, inuenies non aliter regnare in nobis Iesum, nisi per afflictionem: atq; ita qui in delitijs uiuunt, inimici sunt Christi. hæc Theophyl. Cæterùm cui iam compertũ non est, duas ob res cœlitus immitti aduersa? ob unam quidem, quia turpissimè peccauimus: ob alteram uerò, quò nos Deus, qui nostrî amantissimus est, cuius simus temperaturæ agnoscat. Hoc igitur non ignorantes, quid tam molliter sub ærumnarum mola perstrepimus, ingemiscimusq;? Verùm, ut dixi, carnis hæ partes sunt, non spiritus, qui non secus à tentatione & angustia, expoliri solitus est, ac solet ferrum mordaci à lima splendorem nancisci. Vide quid dicat caro:

Et tabescerę fecisti sicut araneam animã eius: ℣eruntamen ℣anè conturbatur omnis homo.

Atrocitatẽ castigationis exaggerat. Eo enim modo, inquit, tuos in correptionum acerbitate contabescere uoluisti, quo solet aranea, quę dum in texendis suis illis telis, opere scilicet inutili, intenta est, seipsam exhaurit & consumit. Hebræi tamen non araneam, sed tineam uertunt. Vnde Felix uertit: Tabescere fecisti ue lut tineam precio sum eius. Quid porrò sit precio sum eius, hominis uidelicet, nostra expressit æditio, animã inquiens eius, cuius quidem uigorem propter flagella contabuisse asserit, perinde atq; solent uestimenta etiã summa diligentia repo

sita

A sita, à tineis rodi & absumi. Notat hîc quidam, subaudiendum esse, uestimentũ, ut non rarò aliquid, quod ex reliquis uerbis satis intelligitur, omittere scriptura soleat. hæc ille. Quare sic uertit: Dum tu hominem ob iniquitatem tantùm quasi obiurgans castigas, illicò tabescere eum facis, ut pereat quicquid in eo desiderabile est, sicut uestem depascit tinea. Et cùm homo tam infirmum animal sit, ut minutissimis istiusmodi comparetur uermiculis, ueruntamen uanè conturbatur, adhuc intumescit, adhuc suæ nullum statuit terminum ambitioni. Mera enim uanitas homo est. Illud rursum non omittendum, quod ex annotationibus Felicis conijci potest, cui & quadrat litera, quam modo posui, Precioſum eius, desiderabile uel desideratum eius posse uerti: ut sit sensus: Idcirco enim hominem corrigere decreuisti, & id quidem acriter, ut ita in eo pereat, quicquid desiderare est solitus, dum mundo addictus est, quemadmod perit consumiturq; à blattis, pannum aut uestis. Desiderabiles certè erumnas: non secus enim affectiones nostræ effrænes, concupiscentiæq; ac desideria ab ipsarum dente perroduntur & euanescunt, ac solent quidem tabulæ è ligno, aut uestes, & cætera id genus alia, à tineis perforari, exedi ue, & in minutissimam, ut sic dicam, scobem redigi. I nunc, qui perinde aduersitates, rem tibi adeò necessariam exhorrescis, atq; horrere solet inuentam in itinere uiperam uiator. Crebris, inquit Euthymius, tentationibus & flagellis extenuat animam nostram Deus, crassitudinem illam nimirum, quæ ob peccata concreuerat, ei circuncidens. Solet, inquit, anima à peccatis quodãmodo crassior reddi, & contrà afflictione & flagellis attenuari. Quare, mi lector, appetendæ sunt aduersitates non detrectandæ. Verùm quoniam Dei donum id est, robur ab ipso quidem non ignauis péti debet desideríjs ac uotis. Certè qui suum aduertit periculum, quamq; longè adhuc à patria exulet, nõ potest non immenso affici dolore, ac queri se tandiu peregrinari à domino, atq; illius felicissimo priuari aspectu: ad quem assequendum maiori sanè ui opus est ac nixu, quàm quem humanæ admittant uires. Si quidem corpus spectes, atq; il
B lius cõmoda, nostra hîc firmantes tentoria, immortalem hanc fore uitam, quamuis difficilem & ærumnosam, cupimus: & tamen scimus, ut inquit Paulus, quòd si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis. O deplorandum errorẽ. Dispeream, si suis homo uiribus, quantusquantus est, uel usq; ad lunæ globũ saltem pertingere potis est intellectu: multò uerò minus ad illa quæ purgatissimis tantũmodo animis à Deo cõtemplanda obijciunt. Alij igitur suã iactitent excellentiam, ne dicam uentosam persuasionẽ, suasq; optimas à natura dotes & prędicent: &, si lubet, etiam ad posterorum memoriam parietibus, duræq; silici imprimant, ac statuas erigant: ego autem meam non celans indigentiã ac paupertatẽ, clamabo ad Deum altissimũ, Deum qui benefecit mihi, dicamq; cum propheta:

Exaudi orationẽ meã domine, et deprecationẽ meã: auribus percipe lachrymas meas: ne sileas.

Inculcatæ enim dictiones, oratio, deprecatio, lachrymæ, commiserationis plenæ sunt, eoq; tendunt, ut quod forsan aut ius, aut ratio nequeũt, ipsæ importunè impetrent. Hæc dixisse uolui, ne in distinguendis in hoc poëmate sæpenumero oratione à deprecatione, rursumq; deprecatione, ab obsecratione, tẽpus melioribus impendendum studijs, conteratur. Ne putes, inquit quidã, hîc animã ore solummodo ac uerbis orare, addit & lachrymas, quæ uiolentissimæ sunt in precib. ad mouendũ iudicẽ. Quę quidẽ anima licet, ut inquit Augustinus, tot trãsilierit, habet tamẽ adhuc quod fleat: quia abest quod desiderat, quia crebrescũt scandala, abundat iniquitas, refrigescit charitas. hæc Augustinus. Possem & ego illud addere, quoniã defecit sanctus, atq; ideo Christus iam ferè ab omnib. ignoratr, idcirco cõtemnitur, ostentuiq; habetur, ut ait Paulus. Cæterũ alio modo legitur Hebræis hæc litera. Sic Fel: Exaudi orationẽ meam domine, & clamorẽ meum auribus percipe: ad lachrymã meam ne sileas. uel, ut alius, ad lachrymã meam ne obsurdescas. Clamorẽ meũ auribus hauri, uertit Campensis: ad fletum meum ne obsurdescas. Atqui hîc duo mihi, quæ ad clariorem uulgatæ æditionis intelli-

C gentiam faciant, uidere uideor: alterum quidem, nihil aliud in hoc loco deprecationis uocem esse, quàm clamorem illum internum, è corde anxio erumpentem ad aures usq; Dei: alterũ uerò, ne fileas, ad lachrymas referri: quæ sanè adeò necessaria sunt in oratione, ut ferè ea indigna sit, quæ audiatur, si desint lachrymæ. Vbi lachrymæ, ibi spiritus. Lachrymæ, inquit Ambrosius, tacitę quodammodo preces sunt: ueniam non postulant, & merentur: causam nõ dicunt, & misericordiam consequuntur: nisi quòd utiliores lachrymarum preces sunt, quàm sermonum: quia sermo in precando sæpe fallit, lachryma omnino non fallit. Sed illud arbitrandum, ueras nunquam lachrymas, eas dico quibus orationem munitam esse oportere diximus, à corde duro atq; occupato, prodire posse. Liquor enim est, qui animę libenter illi adhæret, quæ spiritus suauitate affecta, nullo amplius alio satiari expetit edulio quàm suspirijs ac singultibus illis, qui à desiderio cœlestis patrię, atq; à miserrimo uitæ huius ergastulo dissoluendi proficiscũtur. Alioqui lachrymarum facilitatem in his, qui nunquam suam reformant uitã, sed semper mali sunt, quo nomine appellem, prorsus me fugit. Ea enim uirtute prædita sunt sanctæ lachrymæ, ut animam totam abluant, mutentq; in aliam, quã antea omnino ignorauerat, formã & imaginem. Sed de lachrymis satis: quanquã perpetuò mihi lachrymandum esse scio, ô Deus:

Quoniam aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei.

Quandiu enim in corpore sumus, clamabat Paulus, peregrinamur à domino. Vis' ne peregrinationis humanæ statum audire? Per fidem, inquit, ambulamus, & non per speciem. Audemus autem (en sanctorum fiduciam) & bonam uoluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad dominum. Nam & in hoc, inquit, ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superinduí cupientes. En tædium animæ, quo mirum in modum afflicta, ab istis iam tandem mundanarum rerum tricis cupit dissolui, & esse cum Deo: qui
D certè cùm sit uera hominis quies ac beatitudo, in hac carne tamen uix in ęnigmate conspicitur: quare à diuino illius aspectu semoti, ac per id tetrum uelum corporis disiuncti, querimur quòd tam diu ab illo, quem supra omnia, imò quem solum & amamus & colimus, extorres simus, clamamusq; cum propheta: Aduenę sumus, apud te tamẽ, per fidem, sicut omnes progenitores nostri, qui in nube fuerunt: hoc est, in caliginoso uitæ huius incolatu atq; exilio abs te peregrè degentes, spe tamẽ in cœlis ac desiderio tecum in patria felicissimè diuersabantur. Sic nos quidem. Sed quid alios memoro? Ita ego, inquam, inæquali licet passu atque affectu, meam mecum deploro miseriam, ingemisco, quantoq; possum nixu contendo, si fortè eò per te ueniam, ubi tu mea es merces, mea quies, mea felicitas, & patria, ô benignissime. At prius tu quidem (mitigata paululũ pœnarũ atrocitate, sub qua, nisi manum porrigas, mihi omnino periclitandũ esse uideo)

Remitte mihi, vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero.

Suspende, obsecro, tuum de me iudicium, manumq; à percussione reprime, ut antea quàm è uita hac mortali demigrem, respirare ualeam: hoc est, ut spiritus consolatione accepta, te tandem pientissimum agnoscam patronum, quem hactenus seuerum, propter peccata mea, expertus sum iudicem: & sic abs te refocillatus, securè deponam spiritum meum. Cui laus sit & benedictio in secula seculorum, Amen.

IN FINEM PSALMVS DAVID XL.

EXpectans expectaui dominum, & intendit mihi.

Aut certè in ueritatis indagatione prorsus hallucinor, aut nos ferè omnes amentes appellari necesse est, qui cùm psalmorum librum, scriptum nimirũ Dei digito, ad mores hominum informandos, refundendosq; denuò in nouã imaginem in Christo Iesu, qui summa psalmorũ est, clamore, eiulatu, lachrymis, suspirijs, metuq; ac terrore simul cum flagrantissimo orationũ studio, respersum cernimus, uix oculos aperimus ad ea sanè cõsideranda, quæ

A quę in psalmis nobis imitanda proponunt. Clamat in his Christus, ingemiscitq́, mœret, affligitur, ac quasi sub tuo onere, ô homo, exanimatur: & nihilominus, perinde ac tua minimè res agatur, & rides, & profundissimo stertis somno. Nón ne, te obsecro, hominis parum pensi habentis indiciū illud est, sese penitus suo à ferendo onere subducere, alium interim sub eo emorientem contemnere & irridere? O nostram ignauiam. Putamus ne nostra ad diluenda scelera, unam uix ui excussam ab oculis lachrymulam suppetere posse, qui Deum legimus pro nonsuis, tantis affectum fuisse doloribus & cruciatibus? Censemus ne nostra in re, tanta præsertim, debere nos obdormiscere? Atqui ut illud omnium uerissimum sit, Christum nostra omnia suis ærumnis adeò extenuasse delicta, ut planè nulla effecta sint: num te propterea prorsus tuo in negotio indiligentem, incogitantemq́ esse decreuit? Vult igitur Deus, ut secum in his, quæ ad te spectant, collabores, teq́ saltem, ut grati animi homines solent, in tuis curandis rebus, & promptum, & non ignauum omnino præbeas. Si Christus itaq́ pro te doluit, ualdeq́ afflictus est: tu & pro te ualdè doleas, affligarisq́, ac nulla prętereat dies, quin tu pro te cum illo, qui pro te ubertim lachrymauit, abunde illachrymes. Alioqui certè cùm sacram seriò intueor legem, contraq́ nostram cùm è regione expendo uitam, mihi nescio quid, nulla sui parte sibi cohærens, ac, ut in somnis fit, totum disiunctum & luxatum uidere uideor: hæc enim imperat continentiam, modestiam, charitatem, pacem, concordiam, mansuetudinem, humilitatẽ, iustitiā, ueram religionem, nostrî odium: nos contrà libidinem rependimus, arrogantiā, simultatem, discordiam, fastum, superbiam, iniurias, superstitiones, ac nostrî amorem. Stricto ne hæc simul coëunt modo? Erro ne, an ista prout reuera sunt deliniaui? Non ne, te oro, luxui adeò intentè auaritiæq́, ac cæteris huiusce generis orbis monstris addictus es, ac si in terris nihil aliud Christus aut egisset, aut alios edocuisset? Ille unam uiuendi rationẽ præ se tulit, nos aliam longeq́ diuersam &
B amamus, & mordicus tenemus. Atq́ hæc quidem, cùm eo se habeant modo nos tamen christianæ disciplinæ sectatores esse, nõ solùm credimus, uerumetiam pro nostra huiuscemodi tutanda persuasione, cum contradicentibus rixamur cõtendimusq́, ac usq́ ad audientium nauseam digladiamur. Sed de his satis. Nunc ad psalmum mentem applicemus, interim his non ab re defletis. Narrat hîc anima ea, quæ per fidem ita annexa est Christo, ut is caput sit, illa membrum, quomodo per gratiā à multis erepta sit malis. Verùm unde ipsa in tam mirabili & diuino exponendo consilio deficit, ille, ut est anxius, ut sic dicam, animarum zelotypus, quasi succenturiatus supplet. Quare non mirum admodum esse debet, si tum hoc in psalmo, tum in pleriscq́ alijs, membrum modò uideas unum è Christi corpore, tanquā in scena, loqui, modò ipsum caput pro se interdum, interdum uerò uice omnium, & nonnunquā ignobilium, ut illa uocat Paulus, membrorũ introduci. Quæ sanè norma ad intelligẽdas scripturas uniuersalis est, atq́ eousq́ necessaria, ut planè à psalmorum studiosis absq́ ea non secus erretur, atq́ errant hi, qui nandi prorsus imperiti, nare absq́ utre aut subere præsumunt. Cùm diutius, inquit, aduersariorum telis impeterer, diris ue persecutionum stimulis exagitarer, quid putas egerim? num quidem mihi ob moram dilationemq́ diuinam tunc fuit desperandum? Minimè certè omnium, sed, ut sanctus mihi suggessit spiritus, Expectans expectaui dominum, & intendit mihi. In me, inquit, suos iniecit oculos dominus, beneuoloq́ intuitus est aspectu. Quid porrò sibi uelit repetita dictio, expectans expectaui, Hebræus aperit. Cùm diu, inquit, expecta uissem dominum, tandem attendit mihi. Paraphrastes uerò: Solicitè expectans expectaui, donec præberet se mihi. Iam illud periculosum, in continua hac cum carne & mundo lucta, moræ diuinę, qua non propterea cœlestis pater in suis defendendis utitur, quòd illos negligat, uerùm ut aptiores eos ad suum cultum pietatemq́, quæ in rebus arduis posita est, efficiat, impatientem fieri. Et cùm quidem nostrũ omnino excedat intellectum, quamobrem id potius quàm illud in terris fiat: ita nos planè fugit, cur nõ actutùm præstò adsit Deus nostris in suble-

C uandis miſeriis, & uocatus, & lachrymis, ut nobis uidetur, coactus. Hebræi totum hunc uerſum ſic integrè tranſtulerunt, ut principium ſequentis ſecundum noſtram æditionem, præcedentis illis finis ſit, hoc modo: Expectans expectaui dominum, & inclinauit (aurem ſcilicet) ad me, & exaudiuit clamorem meum. Poſtea alium ſic incœptant: Et exaltauit me de puteo perſtrepente, uel ſtrepitus. Quod noſter interpres ſic uertit:

Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.

Siue miſeriã, ſiue ſtrepitũ legas, ſtatum illum calamitoſum denotat, in quo anima propter tentationũ rerumq; aduerſarũ uehementiã poſita, ipſa in ſe aliud nihil ſentit atq; experitur, præterquam tumultũ, ſtrepitũ, pauorem, miſeriã. De luto fæcis. de luto cœni, ſeu limi, reddunt Hebræi. Videtur metaphora ab his ſumpta, qui amnem aliquẽ turbidũ pedibus, aut equo uadare tentantes, in occultum fundi limum incidunt, à quo, niſi aliena extrahantur ope, emergere nequeũt: unde in fœdo illo mortis genere interire eos neceſſe eſt. Ita igitur omnis huius mundi calamitas eſt, ita erumna, ita perſecutio, ita tentatio, ita peccatum. In peccatis, inquit Chriſtus, ueſtris moriemini. Ecce limoſi uadi periculum. Ecce in cœno mors, dum noſtris nimiũ pedibus, animæ ſcilicet affectionibus & cupiditatibus, aut equo, hoc eſt, irrationali, effrænique humanæ prudentiæ conſilio, noſtrã committentes ſalutẽ, in illas rerũ anguſtias incidimus, à quibus ſanè eximi quammaxima ui opus eſt, diuina ſcilicet: nam uirtus omnis humana tenuis eſt ac debilis.

Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.

Non contentus quidem unquã eſt Deus ſuos à periculis extraxiſſe, niſi illos etiã tuto in loco collocet. Id eſt enim quod hîc aſſerit ſpiritus in hoc uerſu, qui ſic à Paraph. redditur cum ſuperiori: Solicitè, inquit, expectaui dominũ, ut extraheret me è puteo illo calamitoſo, & luto ſordidiſsimo, & cõſtitueret me in rupe erectum in pedes meos, uiam mihi præparans per quam ambularẽ inoffenſe. Purga
D tos igitur per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, animæ affectus, qui ſunt eius pedes, euulſosq; à peccati limo ac ſorde, adeò firmo in ſolo & petra, hoc eſt, in ſeipſo roborat æternus pater, ut nequaquã amplius nutare poſsint, ſed rectà gradientes, eò ſeſe expeditè dirigant, ubi naturalis ſuus eſt finis, quam beatitudinem appellamus. Idcirco enim mortalium animas creauit Deus, ut beatitudinem habeant. Quare eam non adipiſci, contra planè ſuæ naturæ conditionem eſſe arbitrandũ eſt. Vide igitur quàm fœdè erret anima quæ peccat, cùm non ſolum ab Deo, qui eius eſt finis, ſe impudentiſsimè ſubducat, uerum etiã ipſa ſuam corrumpat naturam. Vnde hîc tranſacti iam periculi memoriam retinens, illudq; procul tanquã ſcopulum in mari è littore proſpectans, ſibi ſe in tuto eſſe applaudit, Deoq;, qui ſuos ſtatuit ſupra petram pedes, ac ſuos ne amplius à uia iuſtitiæ aberret, direxit greſſus, quanto poteſt tripudio gratias agit, additq; ad ſui gaudij cumulum:

Et immiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro.

Nouum hîc uocat canticũ, nouã oblatã laudandi Deum materiam, ob nouã innouati ſpiritus gratiã: quod in ſequentibus magis exprimit. nam quod nos legimus, carmen Deo noſtro, Hebræis eſt, laudem Deo noſtro, ut ſequens hemiſtichion prioris ſit explanatio. Vnde ex Hebræo quidã Carmen, inquit, ori meo inſeruit, gratiarum uidelicet actionem Deo noſtro, quod à Paraph. ſic redditur: Vt immitteret, inquit, hoc eſt, expectans expectaui dominum, ut immiteret in os meum carmen, quo noua & inaudita beneficia Dei noſtri decantentur. Cæterùm de cantico nouo, in Pſalmo trigeſimotertio abundè eſt dictũ. Iam enim per nouũ Adam, noua mundo oblata ſunt munera: neq; uetuſtũ illud Væ amplius, tam frequens in prophetis, à primisq; exortũ parentibus: quorũ delicto noſtræ adeò afflictę ſunt res, ut ſanctus ille uir clamare non ſit ueritus, Væ ſeculo, & qui habitant in eo. nõ amplius, inquã, Væ illud antiquũ ſimul & horrendũ auditur: ſed uox turturis, uox dilecti pulſantis, ut inquit ſponſa: uox qua dictũ eſt, Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. nam is ſolus eſt, qui canticũ illud nouum compoſuit, quod nemo cantare poterat, niſi centum quadraginta quatuor millia, qui exem-

A exempti ſunt de terra. Vetuſta enim omnia faſtidit dominus. Quare nõ abre clamat Paulus: Renouamini ſpiritu mentis ueſtræ. Quo uerò modo id fieri debeat, alius breui aperit compendio: Quieſcite, inquit, agere peruerſe, diſcite benefacere. Hæc eſt ſanè noua in Chriſto creatura, ad cuius exemplum

Videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Domino,

Vide quid boni à grata anima ob percepta diuinitus beneficia proficiſcatur: nam (ut multa alia omittam) illud in primis nobiliſsimum eſt, quod à ſanctiſsimis eius conſilijs, actionibuſq; & uerbis, ad ſanctitatem complures amplexandam, quæ in ſpe potiſsimum, ac Dei timore conſiſtit, incenduntur: quemadmodum à prauis moribus, illorum præſertim qui magis conſpicui ſunt, deterrentur, ac deſperati maledicta blaſphemiaſq; deo pro laudibus regerunt. Quot interdũ animæ, multorum qui aut ætate, aut ſexu, aut iudicio & ingenio infirmiori ſunt, audito uiſoq; turpi aliquo exemplo in natu grandioribus, atq; in his qui religioſiores cenſentur, non ſolùm ab incœpto fidei propoſito reſiliunt, uerumetiã ad quæuis facinora ſeſe impudentiſsimè ingerũt? Danda proinde eſt opera, ne quẽ noſtro exemplo ad turpes incitemus operationes. Nam unicuiq;, ut ſacra ſanciuit lex, mandauit Deus de proximo ſuo. Verùm tu, cui lux iam per Chriſtũ oblata eſt, eorum tantummodo uitam imitare, qui boni ſunt: cæteros uerò, quamlibet primarios, tanquã angues aut ſcorpios deuita. Quòd ſi quem tamen illorũ, qui ideo in ſublimi aliquo gradu & dignitate ſunt conſtituti, ut norma omnibus bene ſancteq; uiuendi exiſtant, turpiter uiuere contigerit, ne dubites, ſi à tam periculoſo monſtro te fuga auerteris, à melioribus ingenijs reprehendi. Tantum illud cura omni obſerua ac fac, quod tibi ſimili in periculo faciendum eſſe præcepit Chriſtus: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Hîc mihi itaq; cõſidera, quid de ſe dicat uir ſanctus, ſeu pro eo filius Dei. Videbũt multi. Quid, oro, uidebunt? Meam nimirum in aduerſis & ſpem, & tolerantiam: meum erga
B Deum tum amorem, tum reuerentiam, candoremq; animi, ac fidem. Quare his moti quamplurimi, meoq; incenſi exemplo, totam ſalutis ſummã ex me diſcent, quam in ſpe maximè, ac Dei timore poſitam eſſe, haud ſemel dixi. Itaq;

Beatus uir cuius eſt nomen domini ſpes eius, & non reſpexit in uanitates & inſanias falſas.

Beatus, inquit, uir, qui tentatus, alicuiusq; rei honeſtæ percupidus, non ariolos, aut magos, meras nimirũ uanitates atq; inſanias ſibi accerſiuit, ſed ſpem omnem ſuam in Dei nomine uoluit eſſe. Vult Euthymius dictiones, inſanias falſas, Græcis eſſe uaticinia dęmonum: quæ idcirco falſa ſunt, quia à dæmone, qui mendax eſt, ut ait Chriſtus, & pater eius, originem habent. Furore enim temerario atq; impotenti uates illi dæmonum perciti, quid inſaniæ, falſęq; religionis & doctrinæ non effutiebant? Sic Fel. Non reſpexit ad ſuperbos & diuertentes, ſeu circumeuntes, mendacio. quanquã Paraphr. ad quaſcunq; uanitates illud referendum eſſe opinatur. Vnde ſic reddit alius quoq; ex Hebræo: Non reſpexit ad faſtuoſos, & eos qui ad uana deficiunt: hoc eſt, qui Deo uero relicto, quæ carni libent ſectantur, & qui iam non bona, ſed inanes bonorum imagines atq; umbras anxio amplectũtur deſiderio. Id eſt, ni fallor, quo ſuos in Hieremia uoluit Deus admonitos eſſe: Nolite, inquit, confidere in uerbis mendacij, dicentes: Templũ domini, templum domini, templum domini. Vtinam noſtra hæc ætas, alioqui ſatis iam demum ad ſolidum bonum experrecta, huiuſmodi careret uitio & errore. Iam quidem uel inter ipſas uiliſsimas textrices, non deſunt quæ aſtrologiam illam ineptiſsimã profiteantur, qua, dempto ueluti ſceptro de Dei manu, non ſolùm priuatas præſagiunt cuiuslibet fortunas & ætates, ſed & imperijs, regniſq;, ac diuinæ illi (ô ineptias) ſummi Pont. maieſtati neceſſarios quoſdã euentus contingere & aſſerunt, &, quod magis dolendum eſt, toti perſuadent orbi. Sunt ne hæc ſolidę in Deum fidei argumenta atq; indicia, an uanarum potius inſtrumenta ſuperſtitionum, falſarumq; opinionum, ac doctrinarum inſitiones? Non hi ergo beati, qui huiuſmodi in Dei domo enutriũt errores: ſed is beatus, qui ſpe omni ſua in Dei nomine repoſita, non reſpexit ad uanitates & inſanias falſas. Verũ

C his parumper omíſsís, ad te redeo, ô, cuius fidei me iampridem dedicaui. Nam *Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tui. Annunciaui & locutus ſum, multiplicata ſunt ſuper numerum.*

Sic enim ex duobus noſtri interpretis uerſibus, unum legunt Hebræi, & eſt ſuperioris propemodum exclamationis cauſa. Diuino quidem ſpiritu, à quo uera omnis cognitio oritur, accenſa anima, atq; ex conſideratione immenſæ Dei beneuolentiæ erga homines ſtupida effecta, exclamauerat: O felicem uirum, ô beatum, qui fiduciam ſuam omnem in domino collocat. Subinde uerò alio exclamationis genere, tanquam rationẽ, cur ſic exclamauerit, reddítura, ſuum depromit ſtuporẽ, & ait, ut uertit Campenſis: Plurima deſignaſti tu domine admiratione digniſsima: & cogitationes, quibus ſedulò curas nos, tam ſunt multæ & mirabiles, ut nemo hominũ intelligere queat, quantũ tibi debeat pro illis. Si enim aliis enarrare coner eas, & uerbis proloqui, inueniam plures eſſe, quàm ut numerare ſufficiam, nedum uerbis explicare. Quis porrò illas æternas patris cogitationes, quibus ante omne æuum decreuerat per unigeniti ſui ſanguinem & mortem genus ſeruare humanum, uel intellectu capere, uel lingua proloqui unquã poterit? Abſtruſiores illæ ſanè ſunt, admirabiliores ue, quàm quę ab humana mente percipi ualeãt. Quare nõ immeritò exclamat anima: In cogitationibus tuis, hoc eſt, tam admirandis, tamq; amore ac charitate refertis, quis ſimilis tibi? quis tecũ cõparandus? Quid ex ſe homo cogitationibus cõprehendere unquã poterit, quod idem aut turpe omnino non ſit, aut inconſtans, aut bonarum rerum odio pleniſsimum? Tuarum uerò cogitationũ modum ſuper nos non eſt ordinare ad te (ſic quoſdã hunc uerſum reddere uideo) hoc eſt, tam ſublimes ſunt, nempe diuinæ, ac ſupra omnẽ æternitatẽ, captũq; humanũ poſitæ (noſtræ uerò ſordidæ, ac temporarię) ut nullus omnino modus, aut ratio in his perueſtigandis idonea ſit, quo modo ſeſe ad te habeant, hoc eſt, à te proficiſcant. Annunciabo, inquit, loquar,
D præualuerunt numero. Adeò, inquit, omnẽ numerũ ſperant, ut nihil propemodum ſit, uelle eas lingua exprimere. Quis, oro, hîc ſtupore non extra ſe fiat, conſiderans tanta tamq; immenſa Dei mortalibus ſubueniendi eſſe cõſilia, ut omnẽ prorſus excedant cogitationẽ, ac numerum ſuperent, uincantq; omnem omniũ ſpem atq; expectationẽ? Certè ſi nõ aliud, id ſaltem, puto, uel ipſa gelidiſsima ad diuinũ amorẽ accẽdere deberet pectora, cordaq; è ſede propria euulſa, in ipſum, qui tanta nos proſequitur charitate, transformare. Quid illud? O cæca mortaliũ iudicia ac ingenia. Quid, inquã, illud, cùm te ſentias per ignominiã ad gloriam, per turbationẽ ad pacem, per mortẽ ad uitam, per peccatũ ad iuſtitiã miro modo aſciſci, ac ui fidei adduci? Hîc enim, mi lector, cuperem & ego, ne ingratus omnino dicerer, annunciare aliisq; enarrare, quanta fecit Deus animæ meæ, quàm miranda, quàm innumera: ſed in ipſo prorſus exordio dicẽdi deficio, uideoq; quàm temerarium id penitus ſit, tentare uelle, quod non ſolùm homini, uerumetiã ipſi ſupremo ſpirituum beatorum ordini, dictu eſt difficile. Cæterùm, ne etiam minima prętereamus, illud quod uulgò legunt, multiplicati ſunt, neſcio quam ſententiam adducat. Multiplicata igitur uertendum erat, quod tum Græcos omnes, tum Hebræos, ſine controuerſia uelle uideo. Sed ad reliqua.

Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi.

Ex Hebræo, Aures autem perforaſti, ſeu aperuiſti mihi, uertunt. legimus enim in Exodi libro, quòd ſeruo illi qui, neglecta libertate quæ ſeptimo quoque anno ſeruis offerebatur, domino ſuo ſeruire mallet, quàm liber abire, ſubula perforabant aurem: quod quidem perpetuę ſeruitutis indicium erat. Ita in hoc loco dei ſeruus, ſuum cupiens æternum prę ſe ferre erga deum obſequiũ, quod ſanè abſq; ipſius domini uoluntate fieri nullatenus poteſt, dicit ſuã à domino perforatam eſſe aurem, apertamq;, ac ad percipiendas diuinas iuſsiones præparatã. Et eſt perinde, ac ſi dicat: Me tibi æterna diuinxiſti ſeruitute, auresq; ad tuam perdiſcendam uoluntatem perforaſti, aperuiſtiq;. Nam fides ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Hic locus citatur ab Apoſtolo in Epiſtola quam dedit

Hebræis,

A Hebræis, ſed aliis uerbis. Corpus, inquit, aptaſti mihi. ſed idem omnino ſenſus eſt, ſi res medullitus inſpiciatur. Nam cùm alicuius aures à domino perforantur, inſtituunturq; ad cœleſtem capeſſendam doctrinam, ex qua fides, atq; ardens ad parendum Deo, eiusq; ſanctis monitis deſiderium oriri ſolet, id neceſſariò fit, quòd totũ ſe homo diuino conſecrat obſequio: unde ipſum quoq; corpus, alioqui uoluntati Dei contumax & rebelle, ad eius cultũ ac religionem aptatur, formaturq;. Sed hoc de impuro homine ſit dictũ: ſecus uerò de Dei filio, cuius mundiſsimũ corpus, propter ſuam puriſsimã naturam, hoſtia & ſacrificium pro mortalium omniũ peccatis fieri potuit. Vnde cùm impoſsibile foret, taurorũ ſanguine & hircorum auferri peccata, ut inquit Paulus, ipſe Dei filius ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: hoc eſt, corpus meum conſummatã perfectamq; hoſtiam fore ab æterno deſtinaſti. Vnde infert Paulus de diuina loquens uoluntate, in qua uoluntate ſanctificati ſumus per oblationẽ corporis Ieſu Chriſti. Succurrit & alius, dum hæc enarro, ſenſus, & eſt ac ſi diceret alloquens patrem Chriſtus: Spretis, ô pater, umbroſis illis cruentisq; uictimis, umbra ſcilicet futurorũ, me corpus, hoc eſt, umbrarũ illarum omnium ueritatem eſſe uoluiſti. Ait Paulus ad Colloſſenſes ſcribens, in Chriſto habitare plenitudinem diuinitatis corporaliter: hoc eſt (id obiter dictum ſit) uerè, non per imagines ac figuras. Nam uictimæ illæ antiquæ atq; ſacrificia, umbræ quædam atq; imagines fuere: Chriſtus uerò ueritas. Neq; unquã fuit umbra per ſe, ſed à corpore aliquo denſo, ſoli obiecto. Veniente igitur tempore, in quo corpus, hoc eſt, res ipſa, ac ueritas propalata erat, ceſſere umbræ atq; imagines. Ipſo, inquit Auguſtinus, ueniente, noluit ea, quæ erant eius figuræ. Porrò diuerſa uictimarum ac ſacrificiorũ nomina in lege ueteri, diuerſos portendebant effectus: alia enim ſimpliciter ſua quilibet uoluntate, abſq; diuino præcepto offerebat, & hæc oblationes uocabantur: alia rurſus ex legis iuſsione. Erat poſtea ſacrificium
B ueſpertinum, erat matutinũ: alia item ſecundum tempora & perſonas, quemadmodum Leuitici libro uidere licet. Verum holocauſtum, illud erat ſacrificiũ (ſacrificium generale erat nomen, quicquid ſcilicet altari inferebatur) quod totum diuino incendebatur honori. Holocauſtum uerò pro peccato, ſacrificium expiationis appellabatur: & id ſemel tantummodo in anno per ſummũ perficiebatur Pontificem ingreſſum, non ſine ſanguine, in ſancta ſanctorum. quod quidem uerum illud ſacrificium per ſummũ pontificem Chriſtum conſummandum præferebat, à quo ſanè noſtra omnia ſanata ſunt uulnera, diluta ſcelera, ac uita reſtituta. Erant & alij ſacrificandi ritus, pro peccato, pro ignorantia quoq;. Sed de his ſatis, quantum ad pſalmi intelligentiam ſpectat.

Holocauſtum (inquit Chriſtus) pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi, Eccę Ɔenio.

In capitę libri ſcriptum eſt de me, Ɔt facerem Ɔoluntatem tuam Deus meus Ɔolui, & legem tuam in medio cordis mei.

Licet enim hi uerſus unicuiq; noſtrũm, quatenus Chriſti membra ſumus, coaptari queãt, quippe qui nihil adeò curare debeamus, quàm ut toti, quanti quanti ſumus, diuino, quod hîc canit uates, mancipemur cultui, qui in eo potiſsimum conſiſtit, ut Dei obtemperemus uoluntati, quemadmodum ea totius ſacræ legis ſumma eſt, ac perfectio. Tunc dixi, inquit, Ecce uenio: nam in capite libri ſcriptum eſt de me: hoc eſt, diuinę legis præcipuũ caput eſt ac ſumma, ut ego, qui ad tuam ſeruitutẽ aſcitus ſum, faciam uoluntatẽ tuã Deus meus. Volui. quid uolui? uolui legem tuam in medio cordis mei, id eſt, ex animo, ac ſeriò tua in meditanda lege immorabor. Vide promptitudinẽ atq; ardens ſtudium animæ perficiendi Dei uoluntatem. Etſi, inquã, hæc ad nos pertinere poſſe arbitramur, tamen ea Dei filio in primis ſanctorũ omnium capiti conuenire exiſtimamus, qui patrem pro nobis alloquitur, dicens: Holocauſtũ pro peccato, ſeu, ut uertit Fel. ſacrificiũ expiationis non poſtulaſti: hoc eſt, cruentis illis hoſtijs ac ritibus, in quibus nulla extat purgatio ac iuſtitia, abs te reiectis, tunc ego uictimarũ illarum omnium finis, dixi, Ecce uenio, ecce me uerum, conſummatumq; ſacrificium, in quo om-

C nis ineſt animarum puritas, ac peccatorum remiſsio, pro toto humano genere, non pro hac tantummodo aut illa deuoueo natione. Sic enim in capite libri ſcriptum eſt de me: hoc eſt, caput ac ſumma cùm legis, tum prophetarum omnium illa eſt, ut tempore abs te ordinato mundum planè perditum inuiſam, eumq; ſuis à ſceleribus, meo purgem ſanguine ac morte. Nam nihil tam cupio, quàm ut tuam de ſeruandis hominibus compleam uoluntatem. En, mi pater, hoſtia, en ligna, en ara, en gladius. Iam quidem alius incœptandus eſt cultus, aliaq; ædificanda religio, cuius uiſceribus tua imprimenda ſit lex ac uoluntas, quę eſt, ut qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam. Cæterùm lex tua, lex ſpiritus eſt, non corporeis illis ac immundis ſacrificiorum ritibus innixa, licet adumbrata, rudiq; populo ad tempus, tanquam illius fidei ſignum, credita. Ecce quàm breui ſumma magnus ille ſacrificiorum aceruus, acrituum concluditur. Quòd porrò Deus à mundi ſemper exordio, ab homine fidem magis, atq; ardentem in eius cultu, qui in ſpiritu maximè ac ueritate poſitus eſt, animum requiſierit, quàm ſacrificia illa antiqua ac cerimonias, nihil tam accuratè narrant ſcripturæ. Quare illud, quod noſter interpres uertit, In capite libri: diuus Hieronymus, atq; adeò cæteri ex Hebræo habent, In uolumine libri ſcriptum eſt de me: hoc eſt, & lex & prophetæ de me ſcripſerunt, ut faciam uoluntatem tuam. Alludit enim ad Iudæorum morem, qui etiamnum oblongis quibuſdam ſuam conuoluunt legem membranis, argumentum ſanè ingens, quòd nondum illis mens legis explicata eſt, ſed adhuc manet in inuolucro, ac mæandris ueluti quibuſdam inuoluta. Porrò in medio cordis mei, uertens interpres, ſententiam magis quàm uerba reddidit: nam Hebræis eſt, in medio uiſcerum meorum: ſeu, ut uertit Fel. intra inteſtina mea. Vnde Paraphraſtes: Doctrinam tuam in penetralibus pectoris mei deſcriptam habeo. Notant quidam, ut faciam [ut] ſupereſſe, ſed ſolummodo legi debere, facere uoluntatem Deus meus uolui. Voluntas, inquit, patris fuit fi-
D lij mors, quæ pro humana ſalute, ſumma cum diſpenſatione à Deo permiſſa eſt. Verùm iam eſt uidendum, quò illius tendat propoſitum ac ſtudium, qui cum filio Dei ſe dicere poſſe confidit, Facere uoluntatem tuam Deus meus uolui, & legem tuam in medio cordis mei.

Annunciaui iuſtitiam tuam in eccleſia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti.

Quanquam Hebræis Tuam uacat, non officit tamen ſenſui, imò explicat magis: nam nihil tam curat uir ſanctus in hoc mundo, quàm ut quãplurimis Dei iuſtitia, quæ eſt eius perfectiſsima bonitas, innoteſcat. Mirũ quàm ardenti flagret deſiderio & ſtudio, ne tam immenſum Dei beneficiũ, ut eſt eius miſericordia ac ueritas, à mundo ignoretur. Videt enim per ſacros diuinæ legis afflatus, quibus quotidie magis ac magis accenditur, non amplius in arcta, ut olim, atq; anguſta Iudæorum gente celebranda eſſe dei dona, ſed in ampla totius orbis plaga, frequentiaq; populorum, uel uſq; ad effuſionem animæ propalanda. Non quidem ob improborum hominum minas, & crudelitatem, à diuini uerbi præconio ceſſare poteſt: proinde nihil eum, quamlibet dirum aut aſperum, à concepta iam flamma, atq; igne amouere idoneũ eſt. Clamat, urget, inculcat, admonet, hortatur, rogat, minatur quoq;, nec quicquã tam auidè cupit, quàm pro Chriſto, à cuius ſpiritu tam ualidum hauſit animũ, atq; eius cultu & honore, poſſe emori. Quid humanas minas, mortemq; illam, qua corpora duntaxat pereunt, uir diuino fultus præſidio timere debet? Tantùm enim Dei religio uiua ſit, lateq; per orbem uniuerſum diuulgetur, omnia quamuis horrenda ac ſæua, leuia animæ Chriſto per fidem atq; amorem unitæ, imò uerò etiam leuiſsima uidentur. Ecce, inquit, labia mea non prohibebo, Domine tu noſti. Inſuper

Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, ueritatem tuam, & ſalutarę tuum dixi.
Non abſcondi miſericordiam tuam, & ueritatem tuam à concilio multo.

Iam illud conſiderandum, quàm non obſcurè Euangelij munus in uerbo illo, Annunciaui, uerſus ſuperioris appareat: nam Hebræis eſt, non tantùm rem aliquam

A quam ſimpliciter annunciare, quàm rem nouã inſolitamq́, & quę audita animos mirum in modum afficiat atq; accendat, prædicare: quod ſanè tam aptè ſacroſancto Dei Euangelio cõuenit, quàm quod aliud maximè. Quid unquã tam nouũ à ſeculis auditum eſt, quàm totum humanũ genus, unius Chriſti ſanguine & morte, atq; illa quidem ignobili & infami, è morte ad uitam reſtitutũ eſſe? Quid porrò tam noſtros afficit animos, atq; ad diuinã excitat religionem, quàm unius ſolummodo fidei in Chriſtum, qua noſtra omnia per ipſum deleta eſſe ſcelera certi ſumus, ſeruatos nos eſſe beneficio cernere? quis hîc amore omnino nõ colliqueſcit? Quantum putas ſpiritus ſuauitatem concepiſſe Apoſtolum, quando illud fidei elogium protulit? dicens: Iuſtificati per fidem, pacem habemus ad Deum. hoc eſt, Deo per fidem, ac Chriſtum qui fidei noſtræ finis eſt, reconciliati, in amicitiamq; aſciti, perfectam adepti ſumus animi tranquillitatẽ, ac de remiſsis peccatis certitudinẽ, ex qua nimirum tumultus illi, ob legis ſarcinam, ac ſtrepitus conſcientiarum experrecti, ſedati ſunt. Iuſtitiam igitur tuam, ô Deus, qua perfectiſsimè bonus es: ueritatem item tuam, hoc eſt, conſtantiam in promiſsis: ac ſalutem, quam mihi uel in mediis ipſis conclamatis rebus ſemper attuliſti, haud meo quidem in corde deliteſcere ſinam, ſed quemadmodũ mihi, ita & aliis notas fieri curabo. Tametſi enim cuncta hæc, ut dixi, de unoquoq; homine diuini cultus ſtudioſo dici queant, de Chriſto tamẽ melius ac uerius prædicantẽ, qui apud Eſaiam ſic de ſe teſtatur: Ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer cõtritis corde, ut prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, ut prædicarem annum placabilem domino, & diem ultionis Deo noſtro, ut conſolarer omnes lugentes, ut ponerem fortitudinem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.

Tu autem Domine ne longè facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua & ueritas tua ſemper ſuſceperunt me.

B Non abſq; ſalutis periculo eſt, ex diuina ad ſubueniendũ dilatione, argumentari animam, ſe eſſe prorſus à Deo derelictã. Etenim, ut ſæpe iam diximus, iucundiſsimo quodammodo ſpectaculo ſuorum cum mundo luctam intuetur Deus: tantum abeſt, ut eos omnino negligat. Ego enim, inquit uates, peto ut in multiplicibus meis tentationibus atq; ærumnis, multiplici uarioq; miſericordiæ tuæ genere ac modo mihi ſubuenias: quanquã illud exploratiſsimũ habeo, req; ipſa toties expertus ſum, miſerum hunc homuncionẽ tua à miſericordia, ac, qua promiſſa conſtantiſsimè ſeruas, ueritate ereptum. Vix quidem uerbis exprimi poſſet, quàm uaria, ut ſic dicam, arte, ſuis in liberandis à perſecutionum tentationumq; atrocitate utatur Deus. Proinde uarias multiplicesq; hîc appellat Dei miſerationes propheta. Anima enim quæ tum dæmonum, tum peruerſorum hominum inſidias incurriſſe ſe ſentit, cupit quidem eripi, atq; propterea diuinum implorat ſubſidium: ſed eo tamen conſilio, ne quid ultra: crucem enim tam mortalibus ſalutiferam, quantum poteſt refugit. Verùm Dei conſilium ſecus atq; putamus, in ſuorum cura ſeſe habet ac patrocinio. Dura quippe atq; amara afflictæ animæ aliàs, cùm id illi conducere iudicat, porrigere ſolet ſolatia: aliàs uerò mollia & ſuauia: quæ tamẽ omnia haud multò pòſt in immenſam cedit animæ conſolationem, cùm ſe uidet tam obſtruſo incomprehenſibiliq; liberationis genere à ui hoſtium extractam: idcirco in uocem illam fidei pleniſsimam erumpit: Miſericordia tua, & ueritas tua, haud raro quidem, & interdum, ſed ſemper ſuſcepe runt me. Quid poſthac uereor? Quemadmodum igitur hactenus mecum egiſti, mi Deus, ita in poſterum ne longè facias miſerationes tuas à me:

Quoniam circundederunt me mala, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut uiderem.

Non potui uidere, tum Græci tum Hebræi tranſtulerunt: & eſt lucidior ſenſus, qui is erit, ut interpretatur Paraphraſtes: Circundederunt me, inquit, mala innumerabilia, apprehenderunt me iniquitates plures, quàm ut eas uiſu aſ-

c ſequí potuerim. Fallunt certè oculos, fallunt ingenium, fallunt animæ cognitionem tot mea infortunia & ærumnæ, atq; ob id peccata & ſcelera. quid dicam?

Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit mę.

Quàm hîc ſeriò ab anima illa, quæ cæteris omiſsis curis in illud ſolummodo incumbit, ut purgatior in dies euadat, exclamandum eſſet, Delicta quis intelligit? At neſcio qua infelici mortalium ſorte accidat, ut quiduis potius libentiusq; & curent, & cogitent, quàm ut ſe ipſi pernoſcant homines. quo ſanè adepto id fit, quòd (ut in optimo contingit ſpeculo) in ſe eſſe uideant quod continuè defleant. Quis, oro, ſecuram, multò minus laſciuam diſſolutamq; degere poteſt uitam, illud ex animo pertractans, quòd ſuæ uſq; eò prævaluere iniquitates, ut numero ſuperent, ut inquit Paraphraſtes, capillos capitis ſui? Poteſt ne homo torrentium glaream, mariſq; arenam, aut atomorum copiam enumerare? Eo ſe habent numero ac modo hominum peccata: quod ſi quis non uidet, profectò non dum perfectè ſe nouit. Ridebunt hæc, ſcio, nõnulli elegantes, ſi Deo placet, religioſi, quibus durum admodum uidebitur, me hiſce meis in commentarijs aſſeruiſſe, hominem qui ſe adamuſsim nouit, quamuis iuſtus ſit, pureq; in Dei eccleſia conuerſetur, ſe non ſolùm peccatorem, ſed etiam peccatorum omnium impuriſsimum fateri: ad hæc, opera omnia humana, conatus & lachrymas, frigidas, inanes, atq; imbecilliores me dixiſſe, quàm quæ per ſe, ſuoq;, ut aiunt, marte ac uirtute, tot mentis notas, ac maculas, quæ numerum omnem ſuperent diluere queant, nihilq; boni agere poſſe hominẽ penitus abſq; Deo. quod quidem ethnicos quoq;, nedum optimos eccleſiæ theologos uidiſſe compertum habeo. In tertio enim de Natura deorũ clamat ille atq; inculcat, nihil omnino poſſe hominẽ abſq; Deo. Quòd ſi tamen, ut unicuiq; ſuus eſt ſenſus, tantùm ſibi ſuoq; arbitrio tribuunt nonnulli, ut multùm ſe poſſe ex ſe arbitrentur, &, ut olim Pelagiani, diſputent, dicant quæſo, cur ſanctiorem, quàm agunt, nõ perſequuntur uitæ rationem? unde tanta illorum effutiendi quicquid in buccam uenerit licentia? unde D ambitio? unde odia? unde effrænis illa cupiditatum bellua? Pereat, oro, in me huiuſmodi facultas arbitrij, quę me impium nefariumq;, ac mei prorſus immemorẽ reddit. Verùm illi, ut lubet, ſuis pareant affectibus: mecum uerò agi nõ malè duxero, ſi meam mecum reputans imbecillitatem atq; ignorantiam, cum timore ac tremore, ut me hortatur Paulus, meam operabor ſalutem. Cohorreſco planè totus membris cùm cogito, tam innumeris peccatorum me coopertum eſſe puſtulis, ut capillorum mei excedant capitis numerum. Non ſunt hæc fabulæ: ſpiritus enim Chriſti eſt, qui mortaliũ omnium uice loquitur, queriturq; ſe multis circumuentum eſſe malis, ſuasq; adeò increuiſſe iniquitates, ut numerum planè omnem excedant. O innocentiſsimũ dominum: quid ego pro me hîc dicam, cùm tu pro me tam ex animo meis pro ſceleribus, tuis iam factis, & doles, & quanto maximo potes eiulatu clamas, implorasq; ſolitam æterni patris opem, dicens:

Complaceat tibi Dominę, vt eripias me, Dominę ad adiuuandum me reſpicę.

Illud notandum, quod penè exciderat, in hemiſtichio illo, Cor meum dereliquit me, uim illam ineſſe, qua oſtenditur, quanto malorũ cumulo præuenta interdum ſit anima: & eſt ſenſus: Omnis uirtus, uigorq; & robur defecit me. Animus meus deſtituit me, reddit Campenſis: quod idem tamen eſt cũ noſtro. Nam cùm cor uirium humanarum ſedes ſit ac fons, animam quoq; complectitur, & fouet. Cæterùm clarius hunc quoq; uerſum reddit: Velis, inquit, domine eripere me: hoc eſt, tuam hîc appello uoluntatem, quę mihi benigna ſit, meq; è ueſtigio à tot malis eximat. Nam quod nos legimus, reſpice, Hebræis eſt feſtina. quare ſic uertit Paraphraſtes: Ad ferendum mihi auxilium accurre: quod uerbum diuinam ad ſubueniendum celeritatem poſcere uidetur. quanquam etiam uerbum reſpice, ut noſter uertit interpres, optimè quadrare ſcio: id enim Dei fauorẽ proſpectumq; facilem ac benignũ ſibi eſſe rogitat, illud properantiam: longa enim mora omnis in Deo animæ in ærumnis laboranti uidetur eſſe. Ideo nobiliſsimã Dei naturam, atq; in ſeſe quietiſsimam, iræ excandeſcentiæq; interdum accuſat,

atq;

A atq; ob id trucem penè illius aſpectum, & inexorabilem putat, dum ſuis in angu
ſtijs nullam ſentit conſolationem. Nullus quippe homo eſt, quin libentius otio,
uitaq; tranquilla ac beata in hoc mundo uelit uti, quàm curis onerari, & in ærum
nis eſſe. Sed Deus crucis illius, quæ ueram ſuppeditat uitam, autor, longè diuer-
ſo utitur conſilio in rebus ſuorum curandis. Nouit enim ſuprema illa prouiden-
tia, quàm uitrea ſit, planeq; ad uitia prona mortaliũ natura: quamq; facilè ex o-
tio, uitaq; malorum experte, à cœleſtium cõtemplatione ac deſiderio auertatur,
hauriatq; infinitas illas concupiſcentiarũ flammas, quibus ad uiuum uſq; torre-
facta, nec ſe cognoſcere, nec in Deum aſpicere iam potis ſit. Huic igitur, afflictio
num cruce ſuccurrere cœleſtis decreuit pater, amara illa quidem primo hauſtu,
ſed quæ poſtea uſq; eò ipſam oblectet, ut omne aliud uitæ genus infelix arbitre-
tur, quod abſq; cruce ſit. Nulla itaq; in aduerſis ab anima ſuæ ſalutis cupida au-
diatur querimonia, nullum tædium, nulla deſperatio: ſed diuinæ tantummodo
bonitati gratias agens, quanto poteſt affectu & conatu, illam ſibi tot inter mala
nõ deeſſe rogitet, dicatq; cum propheta: Complaceat tibi domine ut eripias me,
quin potius, poſteaquam ſic expetere uidentur,

Confundantur & uereantur ſimul qui quærunt animam meam, ut auferant eam.
Conuertantur retrorſum & uereantur, qui uolunt mihi mala.
Ferant confeſtim confuſionem ſuam qui dicunt mihi, euge, euge: contrà uerò,
Exultent & lætentur ſuper te, omnes quærentes tę,
Et dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutarę tuum.

Pulcherrima ſuo more hîc utitur antitheſi uates. Cæterùm ſolent hi, quibus
uolupe eſt aliquem odiſſe, atq; illis quidem rebus, quibus comes eſt odiũ, laceſ-
ſere, pudore ſuffundi, ſi illum, quem perſequuntur, æquo animo & hilari per-
ſecutiones tolerare uiderint: mirantur enim unde tam robuſta dimanet uis ſpíri-
tus ſuo in hoſte, quare illius patientia nonnunquã uicti, pudoreq; affecti, ab in-
B cœpto deſiſtunt, atq; ad meliorẽ uitæ ſtatum ſui hoſtis exemplo ſeſe transferunt.
Sed quid de illis cenſendum, qui eò acerbius irritantur, quò illum quem iniu-
rijs inceſſunt tranquillè ferre, quicquid malorũ ab improbis inferri poteſt, per-
ſentiũt, opinanturq; metu illum, atq; ignauo animo ac ſpiſſo, tacere, in iniurijsq;
quieſcere? Vtinam id ſolùm de his, qui ſeculares uulgò appellantur, dici poſſet.
Heu corruit robur è Sion, heu quid interdũ uidere cogimur. Audiui quendam
non ſemel ita queſtum fuiſſe: Vtinã Dei fuiſſet uoluntas, ut in faſcijs ulnisq; nu-
tricis meam obijſſem mortẽ. Non ſanè quidem id cupio, quòd improborũ iniu-
rijs admodũ mouear, utpote qui eas mihi ſemper neceſſarias fore duxi, ac luben-
ti amplexatus ſum animo: ſed nollem à fonte illo proceſsiſſent. Maiori quidẽ affi
cior dolore, cõſiderans unde tam turpe prodierit uitiũ, quàm quòd ego quorun
dam cõtumelijs pateam: uerùm quoniã duriores ſunt, quàm qui mea uinci poſ-
ſint tolerantia, decreuerunt q; tanquã ſues, ſuis in ſordibus cõmarceſſere, nihil mi
hi aliud agendum atq; orandum eſſe iudico, quàm quod me docet ſpiritus: Con
fundantur igitur, & uereantur ſimul, qui quærunt animã meam. Illi, illi ignomi-
nia notentur, nõ tui, tuæq; religionis ſtudioſi, ô Deus, ad unumq; pudore ſuffun
dantur. Conuertantur in fugã ſpe ipſi ſua deluſi, ſignenturq; ipſi, non ego, qui fal
ſò accuſor infamia, qui malo meo, ut ipſi arbitrantur, atq; exilio, quãmaxima ge-
ſtiunt uoluptate, triumphantq;, & in abſentẽ quoq; (nefas) oblatrant. Ferãt con-
feſtim confuſionẽ ſuam qui dicunt mihi, euge, euge. Hactenus ille, uir quidem,
ut mihi uidebatur, neutiquã improbus. Videant igitur, oro, innocentiæ, hoc eſt,
Chriſti perſequutores, quàm periculoſum ſit piorũ execrationibus ac diris ſubij
ci. Varijs hîc modis hoſtes ſuos execratur anima, quò conceptũ dolorẽ apertius
explicet: & eſt ſenſus: Quamprimũ, oro, tanta illorũ impietas, qui mihi propter
miſeriam, in qua uolutor, inſultant atq; illudunt, manifeſtetur. Nam ſi diutius, ô
domine, meam ad refocillandã imbecillitatem, tuam opem diſtuleris, periculum
erit, ne aut ego perſecutionũ oneri uictus ſuccumbã, aut alij metu deterriti à iu-
ſtitiæ linea declinent. Cæterùm aliter hunc uerſum Hebræis, Ferant confeſtim

C confuſionem ſuam, legentibus, alius redditur ſenſus. Fel. Sic: Obſtupeſcāt iuxta præmium ignominiæ illorum: hoc eſt, opprobriū, talionis iure, atq; ignominia eadem, qua bonos notari efflagitant, digna nimirum merces illorum ſceleribus rependatur, ut ſit debitum quodammodo illorum peruicacitati hoſtimentum. Chaldæus legit, prę uerecundia: quòd ſanè cum ſuperiori uerſu, quo dictum eſt, confundantur & uereantur ſimul, optimè cōuenit. Porrò de dictione, Euge, iam aliàs dictū fuit uocem inſultantis eſſe: quam uocem nonnulli ex Hebræis, uah, ſeu, ohe, uertunt. Paraphraſtes tamen Euge cum noſtro reddit. Sic enim ille: Pereant mercede accepta pro ignominia, qua me afficere conati ſunt, & quotquot inſultantes dicunt in aduerſis meis, euge, euge: contrà uerò, gaudeant & lætentur freti fiducia tua, quotquot ſtudent placere tibi: & dicant iugiter: Magnificat dominus, quicunq; cupidi ſunt aſſequendæ ſalutis tuæ. hæc ille. Non raro enim, imò omnibus fermè in locis, ſalutare pro ſalute uertit interpres, ut hîc uides, & eſt ſenſus, ut ſuprà à Paraphraſte accepimus: Tuam igitur ſolius opem, ô Deus, non mundi, non principum, non falſorum plerunq; amicorū expetentes, amantesq;, quod nobiliſsimum in primis pietatis genus eſt, tui in te gaudeant, de te lætentur, exultent, ac abſq; animi intermiſsione te celebrent, dicantq;: Magnus, ac ſuper omnem immenſitatem longè immenſus eſt dominus:

Ego autem mendicus ſum, & pauper: dominus ſolicitus eſt mei.

Iam diximus in ſuperioribus, æqua erga omnes cura diuinam teneri prouidentiam: ſed præcipuè erga pauperes illos, quos Chriſtus pauperes ſpiritu in Euangelio nuncupat. Quare frequentiſsimus prophetarum is mos eſt, ut Deum pupillorum, uiduarum, pauperum, orphanorū, cæterorumq; iſtiuſmodi miſerorum curatorem faciant. Et hæc noſtra ſumma eſt religionis perfectio, ut anima ſua denudata ſponte, mundi fortunis & præſidijs, ſolo Deo nitatur, ipſi fidat, atq; ab ipſo ſuis in actionibus & conſilijs pendeat. Mirum quàm ſemper huiuſce inD ſtituti anima ſui ſimilis ſit, hoc eſt, hilaris, bene morata, atq; prauorum hominum iniurias non ſolùm patienter ferens, uerumetiam animoſè deridens, ac ſumma illas alacritate, qua maximè afficiuntur hi qui Deum poſsident, refringens. Vide tamen quid dicat: Quoniā, inquit, ab omnibus meis in aduerſis deſtitutus ſum, idcirco ſolicitam mei curam ſuſcepit Deus. Ex præteritis enim meis incōmodis probè didici, quòd eius miſericordia & ueritas ſemper ſuſceperūt me: ſuſcipient, ſcio, & in poſterum. Cæterùm nonnulli legunt: Dominus aſſignabit mihi: hoc eſt, dominum id ſaltem mouebit, quòd ego humanis ultrò exutus armis, ad ipſum ſolum confugio. Alij uerò cogitauit mihi, hoc eſt, de me cogitauit in bonū. Quare ſic habet Chaldæus: Deus cogitauit mihi bonum. Non præteribo etiam aliam Kimhi Hebræi literam, non quidem ut intelligentiæ confuſionem afferā, uerùm magis ut acutioribus, ne dicam curioſioribus, ſatisfaciam ingenijs. Aeſtimauit me, inquit, Deus: hoc eſt, me dignum eſſe duxit, cui ſuppetias iret. Cùm igitur ſic ſe diuina habeat erga mortales bonitas, ut nunquam nō, etiam cùm nō ſentitur, in inferenda ſuis ope, ut ego quidem, inquit, indignè licet, non raro expertus ſum, iugiterq; experior, præſtò ſit,

Adiutor meus & protector meus tu es, Deus meus non tardaueris.

Cùm auxilium meum, inquit, tu ſemper meis in ærumnis extiteris, ne modò etiam in ſubueniendo tardus ſis: diſcrutior enim miſerum in modum ſi uel parū abs te deſeror. Quòd ſanè à mundo, qui tuos perſequi odio ſolitus eſt, deſtituar: quòd ab amicis, mihiq; neceſsitudine coniunctiſsimis deſerar: quòd improbis infenſus ſim & odioſus, id mihi certè nouum aut inſolens, inexpectatumq;, atq; proinde moleſtum, intolerandumq; minimè uiſum eſt: iſtiuſmodi enim decerpi ſolent fructus è mundo. Verùm abs te, in quo omne ineſt bonum, à quo pax uera animi, tranquillitasq; conſcientiæ tanquam riuuli ab immenſo gratiarum decurrunt oceano, contemni, in aduerſisq; deſeri, nulla acerbior uidetur poſſe eſſe aut crux aut mors.

PSALMVS DAVID XLI. EFFVNDENTI SANGVINEM.

A

Beatus vir qui intelligit ſuper egenũ & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Haud mihi quidem multùm elaborandum erit in ueriori formando ſenſu huius pſalmi, ſimulac lego nonum uerſum à ſeruatore noſtro Ieſu Chriſto in ſui proditoris reprehenſionẽ citatum olim fuiſſe. Dicant alij, ut lubet, uatem morbo aliquo grauiori oppreſſum, planeq; ſuis à cõiunctiſſimis amicis derelictum, deſperatiſq; prorſus rebus de ſe lecto cubanti hunc pſalmum compoſuiſſe: alij uerò pro Salomone eius filio factũ opinentur, cuius inſidiæ ab Adonia paratæ eum non latuerunt: alij rurſum aliud. Nos autem, ut uera illa omnia ſint quæ dicunt, ad Chriſtum, cuius typus fuit Dauid, totum pſalmũ, ne in antiquis recenſendis annalibus occupemur, referre tentabimus. Sunt fermè omnibus obuia & nota, ut umbræ tamen queũt cognoſci. Qui uolunt, in his euoluendis occupari poſſunt: atqui mihi dictu facilè non uidetur, quantũ meus in me lætitia geſtiat ſpiritus, cùm de Chriſto aliquem enarrari pſalmum, aut de illius membris, qui ſumus nos, uideo. Iam diximus, in pſalmis continuum eſſe recitatorem Dominũ Ieſum: ſed ita, ut aliàs tanquam caput & loquatur, & miris ſuæ diuinitatis aſpirationibus electorum corda perluſtret atq; exurat: aliàs uerò, ut membrum, & plerunq; ignobiliſſimum, ſeſe noſtræ uſque eò attemperat imbecillitati, ut miſerias noſtras ipſe, tantus ſcilicet dominus, ſuas uelit eſſe, in ſe cognoſcat, in ſeq; eſſe & fateatur, & doleat, quò à membris caput diſiunctum eſſe minus uideatur. Quare quæcunque ſancti Dei uiri indignè perpetiuntur à mundo, in ipſis Chriſtus patitur, ſudat, angitur. Vnde non abſque diuina ſcientia illud fuit ab Apoſtolo dictum, qui cùm Romæ captiuus eſſet, mortemq; operiretur, faſſus eſt ſeſe paratum eſſe adimplere, quæ afflictionibus Chriſti in ſua
B carne adhuc deerant. Quæ quidem omnia quantùm uelim ex animo perpenderent principes, atque animarum paſtores: ſed fabulæ propémodum noſtris hiſce animis penitus exulceratis, quę de Chriſti manſuetudine dicuntur, apparent ac ſomnia. Nam eò quidem diſsidij inter capita & membra noſtra iam proceſſit uita, ut magni Eccleſiæ proceres, ſua contenti magnitudine, infirmiores ſibi ſubditos, oues ſcilicet languidas, atque artus moribundos faſtidiant, execrenturq; : tantùm abeſt, ut curent, illorumq; morbos (quod fecit, facitq; etiamnum Chriſtus) in ſe transferant. Vera'ne ſunt quæ dico? Vtinam falſus ſim, uanæq; fiant rerum, quæ mihi hoc in ſecreto receſſu occurrunt, imagines. Sed ad Dominum meum Ieſum Chriſtum redeo, qui pſalmi huius ſumma eſt, & qui ſe pro te, ô ingratiſsime animantium omnium homo, & pauperem & inopem & egenum eſſe fatetur. Chriſtus, inquit Cyprianus, pauper fuit, pauper mater, pauper filius, inops hoſpitium, atq; proinde diſcipulos diuites aſpernatur. Verùm beatus ille, ac ter & quater felix, qui uerè intelligit cuius excellentiæ & charitatis is pauper ſit, qui cùm diuitiarum omnium, quæ tum ad animum, tum ad corpus ſpectant, autor exiſtat ac dator, factus eſt tamen in mundo rerum omniũ ad uitam pertinentium inops, miſer, deſpectus, atq; ab omnibus fermè contemptus. O ſi intelligas, mi lector, quàm ingens bonorũ omnium copia ſub tam uili lateat tegumento, te certè cum propheta beatũ dixerim. Eſt proinde ex probis quiſpiã, qui prauorum hominũ iniurijs laceſsitus & oppreſſus, uix ui poteſt oculos ad cœlũ attollere, duret, obſecro, cogitetq; intra ſeſe, beatitudinis inſtrumentũ id quidem eſſe, uel eò maximè, ſi in die malo, hoc eſt, in tetro perſecutionũ tempore perſuaſum habeat, intelligatq; Chriſtum non procul abeſſe: imò illum magis in ſe pati, quàm ipſemet in ſeſe, illa quæ ab impijs inferuntur. Deſperet ne id cogitans & intelligens? Nequaquã certè: nam firmo illo iacto fundamento, ſtatim liberabit eum dominus. Dominus, inquã, cuſtodiet eum, & uiuificabit eum, fietq; beatus in terra, & non tradet eum in animã inimicorũ eius. Sic enim hos legunt uerſiculos Hebræi per futurũ, quos noſter interpres reddit optandi affectu, hoc modo:

C *Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.*

Illud in primis conſiderandum liberationem illam de qua ſuprà dictum eſt, in die malo liberabit eum dominus, in ſtabili ferendi pro Chriſto, quicquid accidat, propoſito potius intelligi oportere, quàm quòd re ipſa ab aduerſarum rerum onere, cruce ſcilicet ſanctis neceſſaria, leuetur uir iuſtus. Illam enim ueram à malis liberationem eſſe iudico, cùm quis eo animi robore à Deo donatus ſit, ut illa non tantùm fortiter toleret, atque infractè, uerumetiam libenter, &, ut res charæ ſolent, percupidè, & cum oblectamento, quò præmium quodammodo uiro illi, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malo propoſitum ſit, ut quemadmodum homo homini in ærumnis miſericordiæ uiſcera aperit, ita repenſa quaſi à Deo uice, is quoque tempore in aduerſo à malis eximatur. Summa igitur eſt, quòd anima multis circumſepta miſeriis, in Deum qui pro miſeris miſer factus eſt, figat intuitum, intellectumq; in ſublimi contemplanda diuinæ bonitatis diſpenſatione exerceat: nam nulli dubium, quin plena à malis ſequatur liberatio. Ea enim fiduciæ in Deum uis eſt, ut Deus ipſe quodammodo animæ ita erga ſe affectæ amore deflagret, atq; propterea nihil aliud uelle uidea tur, quàm quod ipſa uelit, ac caſtiſsimis petat ſuſpiriis, & oret. Sunt præterea q i legunt, ut nos è noſtro interprete: In die malo liberabit eum dominus. alij uerò, quibus non coactus aſſentior, punctum, quod Hebræi ethnachthà appellant, poſt in die malo transferunt, quò ſuper egenum & pauperem in die malo, aduerſo ſcilicet & ærumnoſo, prouidentia habeatur. Cæteri porrò qui ſequun tur uerſus, ab Hebræis per futurum, ut dixi, leguntur. V traque enim interpretatio uatis ſpiritui non diſſona uidetur. quanquam (ut mea eſt opinio, quam tum hîc, tum aliàs interſerere interdum audeo, ſummiſſe tamen, ac cum omni Eccle-
D ſiæ reuerentia) per futurum aptius legi debet, ut uerbo liberabit, & conſeruabit, & uiuificabit, beatumq; faciet (quò fidei uis uerbi non ignoretur) ſpes quoque reſpondeat: tamen, ut præfati ſumus, quæ per imprecationē noſtro ab interprete leguntur, ſolitam prophetæ anaſtrophen, ſubitamq; uocis uerſionem imitantur: qua poſtea, etiam ſecundum Hebræos, uſus eſt, cùm dixit, non tradas eum in animam, hoc eſt, in libidinem, ut aliàs admonuimus, & uoluntatem inimicorum eius. paulòq; poſt.

Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius, vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.

Hebræi ſic: Dominus confortabit eum ſuper ſtratum dolorum: uniuerſum cubile eius conuerſiſti in infirmitate eius. Verum illud non prætermittendū, quod in ſuperioribus legimus, uiuificabit eum, non tam de futura, æternaq; uita intelligi, quàm de præſenti, in qua per Chriſti fidem, quæ eſt uita animæ, iuſti efficimur. Nam pietas, ut inquit Paulus, promiſsionem habet uitæ quæ nunc eſt, & futuræ. Ex qua porrò animæ iuſtitia, illud quod ſequitur felicisimè naſcitur: Et beatum, inquit, faciet eum in terris. Quòd ſubſequentium bonorum uir iuſtus, ſpe iam concepta, futurus ſit hæres, nemo ferè ambigit: quòd uerò in hac quoque uita, atque in terris, in quibus ærumnoſa quædam, perpetuaq; illi promiſſa eſt crux, non ſic perſpicuum. Durum quippe nonnullis uidetur, eum beatum dici poſſe, cuius uita continuis in anguſtijs uerſatur. Id ſanè durum eſſet, ſi ſanctorum felicitatem in hoc mundo, uitæ commodis, ac delicijs metiremur. Sed longè aliter, beatioribusq; ſe habet rebus ſanctorum felicitas in hac uita, quàm ſint diuitiæ, honores, & id genus alia, quæ ab hominibus ut plurimum diliguntur. Intus enim in anima, hoc eſt, ubi Chriſtus ſuum habet domicilium, id beatitudinis genus reperitur, quæ eſt pax animi, tranquillitasq; conſcientiæ, ac iugis cœleſtium bonorum guſtus, frequensq; cum ſponſo animæ congreſſus & confabulatio. hincq; in uiro illo ſic affecto, quædam cernitur morum æqualitas, uultus hilaris, comitas, parſimonia, frugalitas, modeſtiaq;, ac quidam longo ex uſu

A uſu obductus ad iniurias callus. Quid illud? quòd per aſsiduas tentationũ ictus, diutinamq; perſecutionum rabiem eruditus, affabreq; edolatus, atq; propterea uel ipſis demum improbis cognitus, non deſint etiam è perditorum hominum numero, qui illi inuideant ſanctitatem morum, dicantq;. O tali certè nos prædíti eſſemus animo: non eſt quidem alia in terris beatitudo, non felicitas, non perfectio, præter illam, quam tranquillorum hominum ſectatur uita. O beatos illos, qui ſe prorſus à negotioſo uitæ genere abdicarunt, lætamq; etiam in mediis ipſis uulgi turbis, uiuunt uitam. Verùm nos miſeros, qui ultro mundi perfidiæ obiecti ſimus: bis enim, aiunt quidam, nos noſtraq; Deo deuouimus: ſed nihil actũ, in idem reuoluimur lutum. Sentis, mi lector, quò afflictorum pro Chriſto tendat beatitudo? Quantas uerò inſidiarum machinas commoueant improbi, ut quietarum mentium cùm nomen, tum uitam, aut uulgò contumeliis interſpergant, aut extinguant omnino, notior res eſt quàm ut eam ego multis perſequar uerbis. Sed illud in tentationum, perſecutionum ue diritate, omnium, quæ leuamen afferre ſolent, iucundiſsimum uidetur, quòd animæ ſic laboranti exploratiſsimum eſt, innocentiam poſſe quidem quaſſari, atteri uerò omnino, & extingui, nequaquam. Quod ſanè à Chriſto in ſuorum gratiam oratum eſſe olim, atq; à patre exoratum probè nouit, cùm in ſublimi illa ſupercœleſtiq; precatione illud in fine ad miſerorum conſolationem addidit: Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Hac igitur perſuaſione ac fide fultus uir iuſtus, nullam quamlibet diram mundi pertimeſcit tyrannidem. Compertum quippe habet, non ſemelq; expertus eſt, dominũ ſibi opem attuliſſe ſuper lectum doloris, uniuerſumq; ſtratum ſuum uerſaſſe in infirmitate. Vide quomodo uates, quò cœleſtium capaciores ſimus, ab uſitato hominum ſermone non libenter diuertit. Solet enim qui aliquo affectus eſt dolore, maximè animi, non perdiu quidem ſolùm, ſed de nocte potiſsimum, tanquam curarum altrice ac matre, curis exedi
B & affligi. Verùm Deus uiro iuſto ſic ſe ſuo in lectulo maceranti, ſalutarem ſupponit manum, ne collidatur penitus, emolliensq; dolorem, illud ipſum ſtratum anxietatum pleniſsimum, in aliud ſtrati genus, ut fieri ſolet à morbo aliquo liberatis, cõmutat: hoc eſt, ſanum illum prorſus reddit, lectumq; eius (ô fidum obſequium) angulis, lateribusq; undequaq; uentilatis, etiam atq; etiam uerſat, &, ut mollius cubet, diligentiſsimè tùm manibus, tum baculo percutit, & explorat. Vult Auguſtinus lectum carnem eſſe, in qua ineſt peccatum, unde continuus animi piis eſt dolor, cùm id agere plerunq; quod diſplicet, ui carnis impulſi coguntur. Hincq;, ut ait quidam, nõ raro in perplexas mentis anguſtias incidunt: in tremorem iudicij, doloremq; conſcientiæ: ut quocunq; ſe uertant, nil niſi anguſtias uideant, atq; propterea Dei patris conſpectum, quantum poſſunt, fugiunt. Tunc, ô Deus, horum uniuerſum uerſaſti ſtratum, ut hi filij tui qui iam ſibi uidebantur perditi, qui uolutabantur in ſpinis, qui nihil quietis habebãt, poſſent molliter quieſcere, dormire, & melius habere. Qui enim ſemper pater es, hîc planè matrem agis, ut filij, qui alijs ſolent eſſe miſericordes, iam quia indigent, miſericordiam conſequantur. Sed noſter ad Chriſtum redeat ſermo, qui noſtra, perinde quaſi ſua eſſent, deflet peccata. Omnium enim ubiq; mortalium delicta, cùm innocentiſsimus tamen omniũ eſſet, ſua fecit Chriſtus, pro illisq;, tanquam ſuis, patrem placare intendit, dicens:

Ego dixi, Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi.

Quàm melius hæc mihi miſerrimo, qui ſemper peccaui, dicenda eſſent, quàm illi, qui nunquam. Verùm quî poſſum ex animo ac ſeriò dicere, Peccaui, qui totus in peccatis natus altusq;, in ipſis adeò obdurui, ut nihil iam aliud nec agere, uel cogitare queam, quod fermè peccatũ non ſit? Video enim quomodo hac in infirmitate mea neceſſarium omnino ſit, ut meum ſubtus me ſtratum ille, qui ab omni eſt peccati contagione liber, crebrò ſurſum deorſum exploret & uerſet: alioquin in peccatis ortũ, in peccatis emori neceſſe erit. Ego (inquit pro me Chriſtus) dixi, ô Domine miſerere mei, illamq; animam tuam ad imaginem, ſimi

C litudinemq; formatam, per peccatum deformatam, collisam, fractam, laceram, sana, & consolida. Ne, te oro mi lector, mentis oculos, cùm hæc legis, tuo à capite subducas. Ipse est qui pro te hîc loquitur, oratq; suas sibi, quæ uerius tuæ sunt, quàm illius, remitti culpas. Eadem quippe ratione Christus mortaliũ omnium moriens in se transtulit delicta, suaq; fecit, qua olim uictima illa antiqua in lege, quæ pro peccatis immolabatur, peccatum in se suscipere, secumq; incendere ferebatur. Christi hæc erat umbra. Quare mirum admodum est, si totus in Deum per amorem non raperis, considerans tua peccata, non iam tua, sed Christi, per æterni patris misericordiam facta esse: Christiq; iustitiam, meritum, ac uirtutem in te ab ipso tanquam ab oceano gratiarum immenso transfusam. Sed ne longius ab instituto diuagemur, Christũ persecutiones suas enarrantem audire non pigeat, qui hîc loquitur:

Inimici mei dixerunt mala mihi: quando morietur, & peribit nomen eius?

Nulla in terris pernicioſior inuenit̃ pestis, quàm est simulatus amicus. Quòd enim ab hostibus quis aperto, ut aiunt, marte impugnetur, penè tolerandum. At à falsis fratribus, fucatisq; amicis circumueniri ac decipi, quis id cogitans præ dolore non extra se exeat? O insulsa Iudæorum consilia. Quando, inquiunt, morietur? Scilicet is, qui uita est illa, à qua condita omnia existendi uim sumunt ac uitam, expectatur ut occidat. Ab illo die, inquit Ioannes, cogitauerunt ut interficerent eum. Queritur hîc igitur Dominus multas in se blasphemias, multa dicteria & diras suos congessisse hostes, mortemq; suam cum nominis interitu efflagitasse. Cernis'ne, pie lector, quomodo in hoc psalmo proborum hominum uita, cum probitatis autore Christo, pedetentim quasi per membra effigiatur? Quàm uerum quidem illud est, quòd qui piè in Christo uiuere cupiunt, multas incurrunt molestias. Verùm illud omnium amarissimum uidetur, si à domesticis id fiat amicis, si à necessitudine coniunctis, si ab ipsis denique pasto-
D ribus ac patribus. Sed iam uisa patentium hostium feritate, tectorum simulationem detegamus.

Et si ingrediebatur vt videret, vana loquebatur, cor eius congregauit iniquitatem sibi: egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum.

Omnes Hebræi, quos sciam, unum tantùm habent hîc uersum, quem sic reddit Paraphrastes: Si fortefortuna uenit quispiam illorum ut uiseret me, loquebatur fucatè, addebat sceleri scelus, longè aliud habens in animo, quàm in ore: egressus enim à me foras, linguam aduersum me exacuebat. Fel. uerò: Et si uenit ut uideret, uanum loquetur, congregabit iniquitatem sibi: egredietur foras, loquetur. Ex qua lectione perspicuum est, illud, in idipsum, quod simul interpretantur, ad sequentem referri uersum: unde Fel. sic illum orditur: Simul aduersum me susurrabant omnes. Alius uerò ex Hebræo: Aduersum me concursant simul omnes inimici mei. Paraphrastes: Vnanimiter aduersum me conspirabant. Hîc sanè nonnullorum simulationem à Domino meo (quò cautiores simus, quibus cum uiuere instituimus) quorum typus fuit Iudas Iscariotes, describi uideo. Vide & tu, cui pro nefandissimo est more fratris existimationem, ac uitam sub amicitiæ prætextu traducere, cuius similitudinem nanciscaris, proditoris nimirum filij Dei. Subintroierunt, inquit Paulus, quidam fratres, ut explorarent libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu. Verùm hi nihil propémodum obtinent, si princeps, aut alius quispiam ex primoribus orbis, cui de fratre defertur, haud faciles delatoribus accommodant aures. Eo quippe modo malignorum deterrita simulatione, tuta redditur innocentia, paxq; orbi uniuerso conciliatur: alioqui certè dissidia, in ipso etiam sacrarum ædium sinu ac centro, oriri necesse erit, dum Corycæis eiusmodi, ignitisq; iuniperorum prunis, à primatibus non solùm impenditur fauor, uerumetiam statuitur præmium, ac, quod uix dicere audeo, honoribus illis, quibus ornari solent optimi, integerrimiq; ciues, nefandissimus quisque simulator & malus, ut sic dicam, plagiarius, etiam

A etiam in rerumpub. adminiſtratione, plus dicam, animarum quoq; rectione, peſſimo omnium exemplo donatur. O infelices animas, quibus à tam tetro monſtro gubernari contingit. Interdum enim cùm hæc, horum'ue ſimilia mundi portenta conſidero, occurrit Iudæ actutũ temeritas atq; impudentia. Occurrit ſcribarum phariſæorumq; leuitas, ac promptæ aures ad admittendas proditoris fucatiq; amici & diſcipuli, in amicum & magiſtrum inſidias. Occurrit mihi, inquam, ſic cogitanti Chriſtus ipſe totius probitatis ſpecimen & exemplar, quomodo traductus tunc fuit & uenditus: quomodo noſtra quoq; ætate ſuis in membris traducitur, uenitq; ac cruci affigitur. Is eſt enim qui hoc in pſalmo noſtram, qui in mundo cum ipſo affligimur, ob conſolationem & exemplum, queritur ſe à fucatis proditum amicis. Cæterùm illum uana loqui exiſtimamus, qui cùm cor odij amarulentia ac fraude plenum habeat, eum tamen quem prodere cogitat, laudat, cum ipſoq; familiariter conuerſatur, inuitat, blandoq; compellat ſermone ac uultu. Illud certè comicũ perfidioſæ huiuſmodi conſuetudini aptiſſimè conuenire arbitror: In melle, inquit, ſunt linguæ ſitæ ueſtræ, atq; orationes: corda in felle ſunt ſita, atq; acerbo aceto. Linguis dicta dulcia datis, corde amara facitis. Vana proinde ea ſunt omnia, quia falſa ſunt, fuciq; plena, & ſimulationis. Quòd uerò ab huius generis hominibus frequenter obſeruatus fuerit Chriſtus, & circumuentus, dum uitam hanc in terris nobiſcũ ageret, nemo eſt uel mediocriter in Euangelicis literis eruditus, qui id ignoret. Quid ſit porrò, cor eius congregauit iniquitatẽ ſibi, expoſuit Paraphraſtes, cùm ait: Addebat ſceleri ſcelus. Diuus etiam Auguſtinus ſimulatã æquitatem, duplicem appellat iniquitatem. En igitur quomodo cor impij ſibi facilè accumulet iniquitatem. Egrediebatur, inquit, foras, & loquebatur. Nunquam uidi proditorum morem elegantius deſcribi, & eſt perinde quaſi diceret: Concepto per ſimulatorem illum atq; exploratorem in corde ueneno, emptaq; doloſo colloquio innocentia, ac riſu pellecta
B Sardonico, erumpit foras proditor, egreſſusq; ab illius præſentia, cui inſidias parauit, ſuis ſtatim cum coniuratis, quid actum ſit, quid'ue agendum, loquitur: deinde nouas machinatur artes, quibus irretita probitas, aut cedat, aut intereat, neceſſe eſt. Id eſt igitur quod uates ait: Egrediebatur foras, & loquebatur. Quòd ſi cui placet huic addi uerſiculo, in idipſum, exponi poteſt, quòd loquebatur unà cum ſuis, eiuſdemq; farinæ hominibus.

Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, aduerſum me cogitabant mala mihi.

Vide quomodo is improbis potiſsimum proditoribus mos ſit, ut nihil ingenuè aperteq; loqui audeant, ſed quodam tacito, ut ſic dicã, ſuſurro res ſuas muſſant potius, quàm exponunt. Etenim quemadmodum ille, qui malè agit, odit lucem, ut inquit Chriſtus, ita odit proborum congreſſus, & quicquid probitatem, candoremq; animi ſapit, deteſtatur. Fucus enim eſt quicquid agit, loquitur, & cogitat. Cæterũ quid ſit, cogitabant mala mihi, diuus exponit Auguſtinus ad hunc modum: Cogitabant, inquit, mala mihi, ſi quis alius alio amplius inueniret. Et id quidem ad conſpirationem, quæ in alicuius ſtruitur perniciem, attinet, cùm interim ille nihil mali cogitans, aliorumq; animũ ex ſuo ponderans, aut domi, aut in ſeceſſu aliquo ſecretiori ſedens, pietatiq; ac literarum ſtudijs incumbens, ſubito transfoditur uulnere, aut ſolum uertere iubentibus dijs cogitur. Nam ſimulac etiam atq; etiam cogitarunt mala mihi (inquit Chriſtus) tandem

Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum mę, nunquid qui dormit non adijciet vt reſurgat?

Tandem, inquit, iniquam protulerunt ſententiam. Tandem poſt longum aëris murmur ſecutus eſt nimbus. Tandem innocentiſsimum agnum mori coëgerunt. Ablato itaq; à mundo ſole, extinctoq; uniuerſi lumine, inter ſe omnes in denſiſsimis conſpirauerũt tenebris: Nunquid, inquiũt, qui dormit, qui ab omnibus, etiam à propriis diſcipulis derelictus eſt, à nobis uerò infamatus, expulſus, ac tandem crucí affixus, atq; in tumulum, uti ſolent cæteri mortui, proiectus, adijciet, hoc eſt, animum inducet ut reuiuiſcat, iterumq; nobis negotium faceſſat?

C Tuti enim iam ſumus. Iam extinctus eſt. Verùm litera, quæ eſt Hebræis, paulum diuerſum huius uerſus ſenſum habere uidetur. Verbū, reddit Fel. Belial effuſum eſt in ipſo, & qui iacuit nō reſurget amplius. nihilominus Belial eandem prę ſe fert ſignificationem, quam iniquum. & eſt ſenſus: Maximū ſcelus ac flagitium infuſum iſti eſt, ut à tam longa, diraq; ultione ac pœna nequeat liberari: nondum enim debitas ſuę impietatis perſoluit pœnas. Quare fieri non poteſt, ut qui nunc tam atroci affectus eſt ſupplicio & morte, denuò reuiuiſcat. Perpetuò quidem ſic eum iacere opus eſt. Vide quam de filio Dei opinionem conceperant Iudæi, ſed in primis ſynagogę antiſtites. Præterea Belial Hebræis ſcelus eſt: uerbum uerò Belial, res ſceleſta ac perdita. quocirca in ſcripturis uiri Belial hi dicuntur, qui ad uſum bonū ſunt inutiles, prorſusq; nefarij, ac qui, ſecundum etymologiā Hebraicam, ad nocendum alijs tantummodo uiuunt. Sic filij quoq; Belial. Vnde Anna Samuelis mater temulentiæ ab Heli ſacerdote inſimulata, reſpondit: Ne reputes ancillam tuam quaſi unam de filiabus Belial. Et ſic in hoc ſenſu Belial in ſcripturis haud raro reperies. Porrò Verbum, inter alias ſignificationes quæ paſſim in ſcripturis nobis obuiæ fiunt, rem, negotium, factumq; ſignificat. Videamus, inquiunt paſtores illi feliciſsimi, hoc uerbum, quod factum eſt nobis: hoc eſt, rem ipſam, de qua nobis dictum eſt. Nam Hebræis id moris eſt, ut quodlibet negotium, aut factum, uerbum dicant: ita ut etiam diuinam legem, præceptaq;, atq; interdum prophetias, uerbum nuncupent: adeò celebrior Hebræis uerbi ſignificatio uiſa eſt, quàm Latinis. Illud poſtremò notandū, nunquid qui dormit, clarius abſq; interrogatione, ut legunt Hebræi, poſſe legi. Qui iacet, inquiunt, non reſurget. Quòd ſi tamen noſtra alicui magis arridet litera, expungendum omnino erit nunquid, & ſic legendum: Qui dormit non adijciet ut reſurgat. Decumbere, inquit Paraphraſtes, tam grauiter cœpit, ut nunquam ualetudinem priſtinam recepturus ſit.

D *Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos magnificauit ſuper mę ſupplantationem.*

Nulli dubium quin hîc Chriſtus de Iuda dicat, cùm hæc eadem pro ſe citauerit uerba in Euangelio. Sed clarior erit ſenſus ſi, etiam, non etenim, legas, ut uertunt Hebræi. & eſt ac ſi dicat Seruator: Quòd ab ipſis meis, patriſq; hoſtibus deriſioni habitus ſim ac ludibrio, atq; propterea morti addictus, non mirum admodum uideri poteſt: uerùm illud me angit, quòd etiam homo, qui cum arctiſsima mihi interceſſerat familiaritas, cuiq; fidebam, qui & meo mecum uictitabat pane, ſublato pede, ueluti calce petebat me. Litera porrò quæ eſt Hebræis, ſic poteſt legi: Etiam uir pacificus meus, hoc eſt, amicus meus quo nitebar, edens panem meum, magnificauit contra me inſidias. Chaldæa uerò: Magnificauit ſuper me dolum. Vtraq; enim litera eundem ſenſum, quem noſtra, reddidit. Attamen qui inſidias uertunt, ſeu dolos, ſimplicius id quidem, quàm qui ſupplantationem: quæ ſanè uerſio quandam allegoriæ ſpeciem ſapere uidetur. Queritur hîc itaq; Dominus Ieſus, ſe ab amico & ſodali, illo præſertim cum quo arcta ac pacifica ſibi ſemper fuerat conſuetudo, & qui cum cibum conſumere ſolitus erat, deceptum fuiſſe. Supplantationem dicens, ad illud alludere uidetur, cùm quis currentem aliquem, aut ſecum luctantem, calcaneum inter eius tibias inſinuans, uelit nolit cadere compellit. Quomodo uerò Chriſtus in Iuda ſperauit, illoq; nixus fuerit, intellectu difficile uidetur: uerùm puris animis, cœleſtibusq; rimandis rebus aſſuetis, cùm occurrit cogitandum, permulta Iudæ à Chriſto credita fuiſſe, ſed in primis pecuniam rei familiaris, diſpenſationem menſæ, Apoſtolatum, familiare colloquium, miniſterium uerbi, uirtutem miraculorum, cibi menſæq; domeſticę ſocietatem, &, quod omnium maximum fuit, ſuperdiuinum ſui corporis ac ſanguinis edulium, ſatis facilè apparet. Num, quæſo, hiſce muneribus ornatus tibi inferior uiſus eſt Petro? num cæteris Apoſtolis? Sed maxima cùm ſint beneficia, maximam præ ſe ferunt iniuriam in ingratis. Quare non abſque ratione poſitū eſt uerbum, Magnificauit, hoc eſt, magna fuit Iudæ ſupplan-

tatio

A tatio, & iniuria, hominis nimirum mei familiaris cõuiuęq́, atq́ innumeris meis affecti beneficijs. Vnde (malùm) ſperanda mihi fuit grati animi teſtificatio, repenſa eſt iniuria & contumelia.

Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me, & retribuam eis.

Voluntnonnulli, ex præcedenti uerſu uaticinium de ultimo illo oſculo dato Chriſto per Iudam in horto, debere intelligi, cùm ait: Etiam homo pacis meæ. Oſculum enim, pacis charitatisq́ (de uero oſculo loquor) indicium eſt. Item buccellam tinctam in catino, datamq́ ipſi proditori in cœna illa Chriſti cum diſcipulis ultima, ſub uerborũ illorum uelo adumbrari: Qui edebat panes meos. Vt uera iſta non ſint, pia tamen ſunt, & quæ ego facilè amplector, modò prius germanum diſquirant ſenſum. hæc poſtea. Sed ad Chriſtum redeamus, qui hîc noſtram ad conſolationem, ſuis enarratis perſecutionibus, quas cùm ab hoſtibus ſuis omnibus, tum à domeſtico amico & familiari perpeſſus fuerat, orat patrem, ut tantarum ærumnarum, totius uidelicet generis humani, iam tandem miſertus, ab eiuſmodi calamitatibus, atque è ſepulchro ſe emergere, reuiuiſcereq́ faciat, atq́ illis quidem ipſis, quibus perſuaſum erat mortuum non amplius reſurrecturum, uiuum fortemq́ apparere. Idem fermè rogauit Chriſtus in humanis agens, cùm ait: Venit hora ut clarificetur filius hominis. Pater ſaluifica me ex hac hora: ſed propterea ueni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum. Ex potentiſsima quidem Chriſti è tumulo reſurrectione, tum pater, tum filius ipſe, tum tota deinq́ trinitas purgatiſsmarum mentium hominibus glorioſa uiſa eſt: cæteris uerò extimeſcenda, & nonnullis etiam uana & commentitia: de quorum ſanè duritie atq́ amentia, tunc locutus eſt Chriſtus, cùm dixit: Propterea nõ poterant credere, quia dixit Eſaias: Excæcauit oculos eorum ut nõ uideant, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Hæc dixit Eſaias, inquit Ioannes, quando uidit gloriam eius. Vide quomodo in hoc omnes conſentiunt, ut

B Chriſti reſurrectionem, eius gloriam appellent: quæ & certè noſtra eſt. Nam etſi ab eius morte noſtra omnis orta eſt purificatio, ab eius tamen reſurrectione, iuſtitiæ nomen & præmium adepti ſumus: ſiquidem Chriſtus ut ait Paulus, mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Alioquin, inquit, niſi eſſet reſurrectio mortuorum (abſurdiſsimum omnium foret, caput abſq́ membris poſſe reuiuiſcere fateri: in Chriſto enim è ſepulchro ſeſe excitante totum mortalium genus reuixit) miſerabiliores cunctis eſſemus animantibus, ne dicam Sarmatis ac Getis, quibus nondum ullum huiuſcemodi impartitum eſt lumen. Quid deinde Chriſtus his, à quibus tam malè habitus fuit in terris rependendum eſſe cenſeret, cùm ait, Et retribuam eis, eleganter exprimit Paraphraſtes, dicens, ut illis quod meriti ſunt retribuam. Id enim proprium iuſtitię politicæ munus eſt, ut unicuiq́, quod quis meritus eſt, à iudice tribuatur. At Chriſtus, qui de ſeipſo tanquam uniuerſorum domino ac iudice, ſuam poſt reſurrectionem teſtatus eſt, omnem ſibi à patre datam eſſe poteſtatem in cœlo & in terra, uerius has ſibi integras iudicandi partes, diſtribuendiq́ omnibus, ut meriti ſunt, uindicat, quàm cæteri è mundo iudices. E tumulo igitũ excitato Chriſto, iniquum illud uerbum, quod inquit, Conſtituerunt aduerſum me, nunquid qui dormit addet ut reſurgat? diſiectum fuit, uanumq́ redditum. Propterea illud quod ſequitur, additum uidetur:

In hoc cognoui quoniam voluiſti me: quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.

Hebræorũ interpretes partim uertunt, quoniam dilexiſti me: partim quoniã cõplacuiſti in me. ſed idem ſenſus eſt. Idcirco, inquit, me abs te amari noui, quòd inimicus meus gloriandi aduerſum me cauſam non habet. hoc eſt, ſine peccato inuentus ſum. Quod me perſecutus fuerit, quòd proſtrauerit, quòd à propriis laribus eiecerit, traduxerit, occiderit tandem, quid illi gloriæ eſſe potuit, cùm hæc omnia iniquiſsimo egerit animo, atq́ abſq́ cauſa? Ille enim me attritũ omnino, extinctumq́ arbitratus, ſuis cum adulatoribus exultandi occaſionem ſe nactum exiſtimauit. Verùm id fruſtra: nam breui à cœleſti patre, qui filium æquè ac ſe-

C ipſum diligit, omnibus ab ærumnis, aduerſisq; ereptus, atq; à ſepulchro excitatus, gloriam illam, ditionemq; ac poteſtatẽ adeptus ſum; ut iam omnia mihi condita pareant, nedum minimus uiliſsimorũ hoſtiũ conuentus & globus. More hîc humano, ut multa alia, de cognitione, qua ſe à patre diligi teſtatur, loquit̃ filius Dei. Verũ qui hac de re longas appetit diſputationes, diſtinctionesq;, quomodo ſcilicet Chriſtus triplicem habuerit cognitionem, ab alijs petat: ego enim, niſi coactus, ad illa, quæ parum huic meo inſeruiunt labori, diuerto. Suo itaq; fruſtrati triumpho de me impij (clamat Chriſtus) debitas ſuis ſcelerib. dederũt pœnas.

Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

Nónne illud tibi in mentẽ nunc uenit, quod de huiuſcemodi ſuſceptione, confirmationeq;, à ſcriba illo ſpiritus enarratur? Dominus, inquit, Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum (ecce aſſumptio) & ſedit à dextris Dei (ecce æterna in conſpectu patris confirmatio.) Quod quidem, mi lector, meis in aduerſitatibus tantum mihi affert conſolationis, ut penè doleam, queraríq; me à domino meo deſtitutum, cùm qui me aduerſis exerceat deeſſe ſentio, poſtquam uideo meum Chriſtum, meum bonum, meum, cui annexus ſum per fidem, caput, crucis tolerantia tam nobilem meruiſſe aſſumptionem, ut æterna ſtabilitate in conſpectu Dei patris ſedeat, maneatq; perpetuò. O certè felicitatis uenturæ argumentum, cùm quis innocenter uiuens perſecutionum lima atteritur & expolitur. Sentio, ſentio, quàm non detrectandæ ſint mundi iniuriæ: alioquin, ait ille, qui non tentatur, quid ſcit?

Benedictus igitur Dominus Deus Iſraël, à ſeculo & in ſeculum. fiat, fiat.

Vates more ſuo cum gratiarũ actione, Deiq; laude pſalmũ claudit. Cæterùm familiaris ſcripturæ tropus eſt, ut benedictionis nomine inter cætera huius uocis ſignificata, quæ multa admodũ ſunt, pro laude gratiarum ue actione utatur:
D quod non raro in ſuperioribus eſt dictum. Calix, inquit Paulus, benedictionis, hoc eſt, diuinæ largitatis munificentiæq;, quo benedicimus, laudamusq; Dei beneficentiam, quoq; de morte Chriſti ſalutifera gratulamur, patríq; gratias agimus. ut idem fermè ſic calix benedictionis, qui & gratiarũ actionis. Ita igitur, Benedictus dominus Deus Iſraël, idem præ ſe fert, quod laus, gratiarum ue actio Deo ſit. Iſraëlis uerò Deũ appellat idcirco, quòd nulla tunc alia à gente ritè colerétur: uel quia hi ſoli ueram de Deo habent cognitionẽ, atq; propterea puras ex animo referre queunt gratiarum actiones, qui à Deo electi, directiq; (ſic à nõnullis hanc uocem interpretari uideo) etiam in carne poſiti, diuino frui conſpectu & quærunt, & non raro aſſequuntur. Omni laude maior dominus Deus Iſraëlis, reddit Paraphraſtes. Ab æterno fuit, & uſq; in æternum erit. Amen, Amen. Hebræi auditũ ſermonem approbare uolentes, hac uoce, Amen, uti ſoliti erant. Vnde illud inter alia in Deuteronomij libro legimus, quòd cum per Moſen deuotiones, ut ita dicam, in legis tranſgreſſores recitarentur, reſpondebat populus, Amen: affirmantes nimirum hac uoce, ratumq; habentes, quicquid pronunciaſſet Moſes. & eſt perinde, ac ſi dicat, Fiat, & ita fiat, ut noſter ferè uertit interpres. alij autem, ut Aquila, Verè, uerè: quò ipſa uocis geminatio maiorem oſtendat confirmationem eorum, quæ quis dicturus eſt, uel quæ iam dixit. Cæterùm, ſeculum ſeculi, ſeu ſecula ſeculorum, circumlocutio eſt, qua æternitatem ſignificamus. Sit gloria, inquit Paulus, in Eccleſia per Chriſtũ Ieſum in omnes ætates ſeculi ſeculorum: hoc eſt, illius ſeculi, quod ſuccedentibus ſeculis, nunquam ſortietur finem. aliàs uerò ſeculum, centum annorũ dimenſio eſt, & pro longo tempore plerunq; à Latinis uſurpatur. Sit Deo laus igitur tum omnium, tum potiſsimum illorum, qui, ut poſſunt, & ut grauiſsima carnis ſinit ſarcina, in iucundiſsimum illius aſpectũ fixos tenent oculos. Sit, inquam, illi laus, ſit gloria, ſit gratiarum actio in æternum. Quod quidem benedictionis genus ego peccator, qui hæc ſcribo, approbans, ratumq; habens, illi ſubſcribo, dicoq;, Amen.

PSAL-

PSALMVS XLII. Vincenti eruditiuum filiorum Choræ.

A *Vemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Ardet tota hæc oda, ſed priuſquã illius calorẽ hauriamus, pauca de titulo. Extincto Chora illo ſeditioſo, ut in Numerorum libro legimus, tres illi filij ſuperſtites fuere: è quibus poſtea uſq; ad Dauidis ætatẽ poſteri aliquot deſcenderunt, quorum doctiores in muſicis, Rex ipſe cum alijs Leuitis (Chora enim Leui pronepos fuit) ad ſacros decantandos hymnos elegit. Inter quos quidem hymnos, is quem nunc exponere intendimus, mortales omnes miris ſancti ſpiritus afflatibus erudire uidetur: quapropter in titulo poſitum eſt, Eruditiuum: ſiquidem ad percipiendũ totius pſalmi ſenſum multa lectori opus eſt eruditione. Illorum uerò, qui hunc pſalmum cenſent ab ipſis propriis Choræ filijs compoſitum pro futura Iudæorum captiuitate, atq; in Babylonem tranſmigratione, extant ſcripta: qui huiuſmodi delectantur lectione, illos, ſi lubet, aut otium eſt, legant. Ego enim hiſce parum deguſtatis, ad illa libenter contemplanda, quæ ardentius moueant animum, mentem applico. Nihil terrenum mihi ſapere uidentur pſalmi: ueruntamen ut ea quoq; ipſa uera ſint quæ ab alijs dicuntur, ſiue de regis dolore, qui ob exilium feſtis illis præcipuis Iudæorum minimè intereſſe potuerit, ſiue de crudeli ab Aſyrijs in Babylonem captiuitate, omnia nihilominus illis umbra fuere, nobis ueritas. Omiſsis igitur umbris, ueritatem amplexemur. Haud nos quidem præterit, quomodo Dauid in omnibus fermè Chriſtum præfigurauerit, illiuſq; uitæ typus fuerit: captiuitas uerò illa celebris Iudæorum, humani generis portendebat captiuitatem: quam hîc nimirum à Dei filio deſleri uideo, atque propterea æternam deſiderari patriam, cuiſq; per fidem anima atq; amorem unita, perlangueſcens ſuſpiranſq;, cùm nihil aliud ſuis in angustijs præter tenebras ac mortem uideat, audiatq; in ipſo etiam Eccleſiæ diuerB ſorio, à multis ſibi non abſq; improperio dici, ubi eſt Deus tuus? ſuum aperit deſiderium, & flens ingemiſcenſq;, quanto ualet affectu clamat: Quemadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Aiunt rerum naturalium ſcriptores, ceruos natura calidiſsimos ſerpentium carnibus interdum ueſci ſolitos, quamobrem æſtu, ſitiq; perenni cùm ferè ſemper, tum maximè à canibus agitatos affici, proindeq; ſumma celeritate atq; appetentia, cui comes ſit clamor, ad aquas ferri. Vnde ſic uertit Fel. Quemadmodum ceruus uociferat ſuper inundationibus aquarũ, qui ſeipſum exponens, præ deſiderio, inquit, clamat propter inundationes aquarũ, hoc eſt, ut inueniat. ſic ille. Alius uerò glocitat, interpretatur, quòd illa propria ceruorũ uox ſit: alius itẽ, mugit: Paraphraſtes autem, anhelat. Quæ quidem omnia permagnum bibendi deſiderium præ ſe ferunt. Volens igitur ſpiritus animas erudire, quàm ardenti attolli debeant affectu in Deum, eiusq; religionem, illas animanti huic ſitibundo, omniſq; moræ impatienti comparat. Et certè non uideo cur anima tota, quanta eſt, diuina perſpecta in ſe bonitate, ac gratiarum inundatione, ex amore, deſiderioq; amorem ſaltem rependendi nõ comburatur. Excelſas enim illas, æternasq; diuini amoris contemplationes, in quibus deguſtandis totí intenti eſſe deberemus, frigidis, utinam non turpibus, occupati curis, uel nunquam guſtamus, uel guſtatas miſerè faſtidimus. Contenti enim aliquando noſtris, neſcio quibus, non penitus à iuſtitia, ut uidetur, abhorrentibus cogitationibus, aut præſcriptis ritibus, nihil ultrà quærimus. Ex quo ſanè ignauiæ genere illa, à quibus perpetua ueluti cruce impetuntur boni, rerum monſtra emergere continuo noſtro mœrore cernimus, nempe ſuperbiam, arrogantiam, bonorum morum iuxtà & hominum contemptum, odia, ſimultates, perſecutiones, diſcordias, cupiditates, atque horum omnium altricem ambitionem. Quæ, oro, reſpublica? quod regnum? quæ regio? quæ religio ab huiuſmodi deuaſtata feris diutius perſtare poterit? Hæc quidem, atque horum ſimilia ſecum reputans anima, ſimulq; tanquam uenenatos angues, aut canes uenaticos exhorreſcẽs, fugienſq;, ad aquas haud amplius con

C traditionis, ſed pacis & quietis, hoc eſt, ad ſuũ Ieſum, ad ſuum amatũ, qui in uate illo clamat, Omnes ſitientes uenite ad aquas, quanto poteſt curſu cõfugit. Faſtidit planè omnia, imò uerò etiã pertimeſcit quæcunq; germanũ religionis candorem dehoneſtare uidentur: fateturq; ſeſe non aliter Deum, in quo omnis ineſt tranquillitas, ſitire, atq; ſolet ceruus ſiti ardeſcens anhelansq; fontium aquas appetere. Quod quidem deſiderium ita exprimit Paraphraſtes: Quomodo ceruus anhelare ſolet ad riuulos aqua plenos, ita anhelat anima mea ut perueniat ad te.

Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo antę faciem Dei?

Nullus, quod ſciam, Græcorum Hebræorumq; uertunt, fontem uiuum, ſed, fortem uiuum, ut diuus uertit Hieronymus: ſeu, uiuentem, ut alij: ſeu etiam, ualentem, ut Paraphraſtres. Vicinitas enim literarum hunc peperit errorem, ſi tamen error dici debet. Nam ea animæ hîc, ut uides, æſtuantis mens eſt, quò omnibus diuulget, qualiter rebus iam demum omnibus, quamuis in mundo conſpicuis & honoratis, in quibus tamen maxima reperitur debilitas & miſeria, cõtemptis, ad illum, qui planè fortis eſt, uitaq; illa prædítus, quæ condita omnia ſuum in ſtatum conſeruat, ac uiuere facit, confugere expetat, flagretq; deſiderio penè intolerando. Quod quidem ut magis exprimat, ſitiuit uerbo uſa eſt. Sunt enim quędam cœleſtium quoq; rerum deſideria, ſed abſq; ſiti tamen, frigida nimirum, ac ſine ullo animi æſtu & ardore. Hi quidem qui tardis huiuſcemodi ac torpidis afficiuntur motibus, raro, imò nunquã perfectũ uitæ genus aſſequuntur, execrabile uerò nonnunquã ac turpe. Siti igitur opus eſt, & ea quidem ardenti, ad aſſequendam iuſtitiã illam, qua adepta, aut ſaltem ſitibundè concupita, is qui ſiti affi citur, beatus à Chriſto nuncupatur: qui ut ſanè ſe unicum eſſe fontem, in quo ſitis omnis ſedari poſſet, oſtenderet, clamabat: Qui ſitit, ueniat ad me. Nam qui uenit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet in æternum. O fidem uerè bo
D norum omniũ conciliatricem. Quid miſer hîc dicam? Da mihi Domine hanc aquam, ut non ſitiam amplius. In hoc quidem æſtu, ni opitulęris, pereo. Tu, qui Deus fortis es, ac fons uiuus, mihi imbecillo, ne in me prævaleat mũdus & mors, ſubueni. Te ſitio, te concupiſco, te uolo: ſed tua abſq; gratia, nec mea uera eſt ſitis, nec bona concupiſcentia, nec recta uoluntas. Quandiu enim miſerrimo hoc in ſtatu uitæ ſexcentis uitiorum errorumq; nodis conſtricto durabo? Quando ueniam? quando, inquam, apparebo ante faciem tuam? qua uel ſemel conſpecta, meus pleniſsimè refocillabitur animus, reuiuiſcet ſpiritus, cor iandudum innumeris concupiſcentiarum telis tranſuerberatum exanimatumq;, uitam recupera bit, mensq; ab erroribus liberabitur, ac meus in te totus cõmigrabit amor ac uoluntas. Facies hîc Dei, uera de illo eſt notio: quam ſanè perfectè in hac uita habere non poſſumus: uerùm in æterna patria, in qua tota noſtra poſita eſt beatitudo, ac motuum omnium animorum quies, perfectiſsimè obtinebimus. Cæterùm diuerſa à noſtra nonnullorum ex Hebræis litera, diuerſum parit ſenſum: legunt enim, Quando uidebor? ſeu, quando aſpiciar? Quare ſic uerit Paraphraſtes: Quando mihi cõtinget, ut intromiſſus ad te aſpiciar placido uultu tuo, qui nunc ob peccata ſcilicet mereor intuitu conſpici irato? Vide porrò quomodo anima ſiti undequaq; fruendi re ſua amata exæſtuet, fermeq; inſaniat: nõ contenta enim eorum, quæ ad ſui deſiderij ſignificationem locuta eſt, alio accumulat, reddítq; rationem cur tam ardenter cupiat diſſolui, & eſſe cum Deo.

Fuerũt mihi (inquit) lachrymæ meæ die ac nocte, dum dicunt mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus?

Sunt multa in terris quæ pias affligunt animas, uerùm illud in primis, cùm quid in Deum, eiusq; honorem ab improbis malè dictum aut factum audiunt. Honos porrò Dei eſt, ſi in eius non deſint Eccleſia, qui uel in medio ipſo perſecutionum igne atq; ardore, totam ſpem ſuam in illo habere præferant, & propterea nullius hominis, quos penè omnes aut fallaces, aut ad ſubueniendum oppreſsis frigidos & uident, & experti ſunt, opem implorent. Id igitur ſpei genus mundo inſolens, ac planè incognitũ, à profligatis animis rideri ſolet, uel eò maxímè,

A ximè, ſi occulto Dei iudicio, iuſtiſſimo tamen, ex probis quempiã diutius, quàm uelle uidentur, in aduerſis ſeſe torquere conſpiciunt. Vnde illa impiiſſima audítur uox, Vbi eſt Deus tuus? ubi ille, cuius auxilium tam tibi certum fore prædicabas? dormit ſanè, aut tuas nõ curat nugas. Quid hîc agat anima, dum hæc tam nefanda audit, nec tamen interea ſibi cœlitus opem ferri ſentit? nondũ enim per fectè expolita uiſa eſt æterno patri. Suam itaq; ſolatur confuſionem lachrymis ac ſuſpiriis. Cauſa, inquit quidam, pię animæ lachrymarum eſt, inſultatio iugis prauorum. Non ſic quidem dirè ferro transfoditur corpus, quàm anima crebris illis improborũ inſultationibus, quę in contumeliã cedũt Dei, tota, quanta eſt, tranſuerberatur. quare cùm nihil aliud ſe poſſe cernit, non ſecus auidè in lachrymas reſoluitur, illiſq; oblectatur, atq; alij ſolent fame coacti pane. Solet enim huiuſmodi quis affectus dolore, & qui iam penitus exhis, quæ turpiter tum dici tum fieri à ſceleſtis uidet, feſſus eſt, angulo quopiã ſecretiori delecto, ſeſe, ne uideat, ne audiat, ne centies in die una ob religionis zelum ſibi mori contingat, abdere: ubi ad Ieſu pedes prouolutus, non iam quidem liquido aut cõfidenti, ut ſolitus erat, affectu, ſuum compellat amatũ, ſed deſtitutus prorſus Eliæ more uiribus, totus in lachrymas reſoluitur, nihilq; dicens, omne illud cellulæ ſilentium amariſsimis interturbat ſuſpiriis, non abſq; ſpe tamen. Proinde additur:

Hæc recordatus ſum & effudi in mẽ animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſq; ad domum Dei, in voce exultationis & confeſsionis ſonus epulantis.

Sic enim integrè continuant hunc uerſum Hebræi, & eſt ſenſus, ſummaq; omnium horum uerborum atq; intelligentia: Ego qui olim, cùm contra me admodum ſæuirent improbi, uidebam puriſsimum tuum cultum ac religionem à quorundam tyrannide fœdari, planeq; excindi, uerebar equidem ne tandem tuis deſtitutis aris, ſacriſq; abolitis ritibus ac ceremoniis, ego quoq; unà à iuſtorum conſortio, quæ tua uera eſt Eccleſia, ſecluderer: uerùm cùm mihi eorũ in mentẽ ue-
B nit, quæ iam tuis pollicitus es cultoribus, continuiſq; nõ ceſſas repetere monitis, memet reuoco, à mœroreq; animi, tanquam à triſti ſomno experrectus, meã melioribus in recenſendis annis dilato animam, quæ nimio ex dolore ac tædio conſtricta prorſus indurauerat: meq; ipſum item conſolans, ſpero fore, quòd ex infinitis meis calamitatibus in reformatum tui ſanctiſsimi cultus ſtatum, ſanctorumq; conſortium aliquando illo cum gaudio remigrem, quali dies feſti peragi ſolent. Dei tabernaculum, & id admirabile, Eccleſia eſt: ſeu, ut inquit Auguſtinus, fideles ſunt: & eſt tutus ille fidei ſinus, ad quem qui cõfugit, tutiorẽ degit uitã, quàm qui in munitiſsima tum foſſa, tum uallo atq; arce ſeſe tutatur. Etenim in ipſo (ut ſic loquar) æterni patris corde fixas habet radices, unde tres illæ inclitæ ſorores, ſpes, fides, & quæ his maior eſt, charitas, ad nos tenuiſsimo miſericordię uelo inumbratæ prodeunt. Cùm igitur te in Dei tabernaculo per fidem collocatum ſentis, ingratus nimiũ es, ſi aliud expetis confugium. Cæterũ, Tranſibo cum numero, uertit Fel. quòd magnã mortaliũ copiam, ſedatis Eccleſiæ perſecutionibus, ad Deum reuerſurã, quę à pietate, ob animi deſperationẽ omnino deſciuerat, intelligas. Durũ quippe id eſſe uidetur, cùm res nobis charas, ut eſt honor Dei, eiuſq; cultus ac religio, ab improbis, & his quidem nonnunquã miniſtris, deuaſtari cernimus, neq; ulla alia à nobis, qui abiecti ſumus & irriſi, expectatur tutela, aut ſubſidium, præterquã lachrymarũ. Sed illud durius, cùm ille qui in Dei Eccleſia iudicandi munus ſibi ſumit, idem ipſe accuſator efficitur, actor inſuper & carnifex. Porrò quòd ait ſe tranſiturum ad ædes Dei ſacras in uoce exultationis & confeſſionis, ſoniq; epulantis, ad antiquũ alludit Iudæorũ ritum, qui templum ingreſſuri uariis utebantur cùm ornamentis, tum cantibus & harmoniis, indiciis ſanè maximi gaudij multitudinis & lætitiæ. Quod uerò tripudiũ futurum ſit, qui cantus, quæ ſymphoniæ, quæ epulæ ſuauiſsimæ ac lautæ, quæ in diuinum effuſio amorem eorum, qui æternam ingreſſuri ſunt Hieruſalem per Dei miſericordiam, puræ caſtæq; tantummodo nouerunt mentes: quapropter omnis illis eò perueniendi mora difficilis uidetur, atq; amara. Cùm tamen ſic ſe res habeant,

C *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas mę?*
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Quid me tam dirè perturbas ô anima mea? Quid cogitationibus meam æquè frangis quietem, ac ſi res tota funditus excíſa eſſet? Non eo quidem res ſpiritus ſe habent modo, quo mundi & carnis: hæ enim tum maximè perlabuntur atq; occidunt, cùm magis florere uidentur: illæ uerò contrà caſtiſsimo quodam præſtigio, humanos fallunt arbitratus ac iudicia. Eas ſanè in terris preſſuras ſubire neceſſe eſt: attamen dum perditas illas omnino eſſe ducimus, feliciter emergere uidemus, tunc̃q; uerè uiuunt cùm exangues uulgò reputantur. Quorſum igitur, ô mea anima, triſtis es, atq; intra me tumultus excitas? an tuę ſolitæ in Deum fidentiæ immemor iam facta es? Si rectè iudicas, nihil eſt in mundo quamobrem turbari debeas. Spera, ſpera in Deo, in quo certa eſt ſalus, in cæteris uerò rebus uana & incerta. Venient profectò dies, in quibus iucundiſsimas illi, qui mihi ſalutem attulerit, agam gratias, cunctaq; in me collata diuinitus beneficia, illi liberè accepta referam, qui haud multò pridem propter perſecutionum acerbitatem ac tenebras, circa ueritatis lucem, tanquam ad lucernam papilio, cæcutiebam. Salutare uultus mei, Hebræi reddunt, ſalutem uultus tui: ſeu, ob auxilia faciei ſuæ illum celebrabo, quamuis ex Hebræo ſalutes magis aut ſaluationes uertendũ erat, quàm ſalutẽ. & eſt ſenſus: Veniet tẽpus quando ego impauidus Deo propter opem & ſalutem multis mihi modis allatã, oſtenſamq; à beneuolo ſuo uultu atq; aſpectu, fauoris nimirũ teſte ac uadimonij, gratias agam. Solent enim, quod alias quoq; diximus, hi quorum noſtrã intereſt leuare miſeriam, è uultu, cuius animi erga nos ſint, ſignificare. A truci quidem principis aſpectu atq; irato, quid pacis tuis in calamitatibus ſperare audes? ab hilari uerò, atq; in te facili & iucundo quid non boni? Vnde illud iam omnibus palàm factum eſt, quòd cùm Deus noſtris in miſeriis nobis opitulatur, eum nos beneuolo intueri uultu aſſerimus: cùm
D non ſubuenit uel centies interdum inuocatus, toruo & iracundo. Cæterum ſi cui noſtra magis arridet litera, is ſuus erit ſenſus: Erit enim aliquando cùm amoto metu, recuperatąq; ui ſpiritus, Deo cantabo, atq; eius nomen ob ſalutem meo uultui exhibitam celebrabo: uultui dico, nuper ob mœrorem deſperationemq; deiecto, humiq; defixo, nunc uerò exhilarato, atq; ad cœlum uſq;, uti forma ſub limis eſt, liberè ſeſe attollenti. Vide quomodo perfectiſsimi quoq; uiri, multis uariiſq;, interdum etiã uſq; ad deſperationẽ animi, curis exagitari à Deo ſinuntur. Id licet ſcimus, abnuimus tamen, quantumq; poſſumus, cum hoſte congreſsionem detrectamus. huius nempe erroris, in orbe penè uniuerſo dominium habentis, cauſa eſt, fidei inopia, atq; erga dei religionem torpor & ſuperſtitio. Porrò, Deus meus, ſequenti uerſiculo connectunt Hebræi, hoc modo: O Deus meus, anima mea depreſſa eſt ſuper me, propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonim à monte Mizahar. quem noſter interpres ſic reddidit:

Ad meipſum anima mea turbata eſt, propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermonij à monte modico.

Eſt continua uiri iuſti, ſuam enarrantis ærumnam, ſeries, ſpe tamen in Deum minimè abiecta. Ad me conturbatur, inquit Auguſt. quæ ad Deum reficitur: nõ enim mihi firmitas, uel ſpes in me, ideo nunquam prę ſumo de me, ſed ſperabo in Deo. Stulta profectò anima illa eſt, quæ in ſe aliquid eſſe ſomniat, quo niti admodum debeat. Vis' ne tibi Deum iratum conciliare? dic cum propheta: Humiliatus ſum uſquequaq; domine: alioqui tua, neſcio quæ, in rebus ſpiritus, cõſcientiæq; ratiocinatione cõputans, diuinæ derogas gratiæ, quicquid tibi, quòd tuũ non ſit, aſſignaueris. Super me, uertit Fel. anima mea depreſſa eſt. Idem fermè doctiores ex Hebræis alij, hoc eſt, deiecta, planeq; humiliata. Euthymius uerò, In meipſo, exponit, id eſt, nemine alio mœrorem hunc meum ſciente: quò ſanctę animæ prudentiam intelligamus. Nihil enim fœdum, nihil turpe, nihil effœminatum, aut, in medio ipſo quoq; tentationum tumultu, inconſultum agitur ab anima

A nima diuino ſemel affecta timore. quaſſari quidem poteſt, uinci autem difficile. Quis uerò ſit ſenſus huius uerſus, à Paraphr. elegantiſsimè exprimit. Mi Deus, inquit, anima mea cruciat ſeſe intra me, nec habeo quo me conſoler, niſi recordatione beneficiorum patribus noſtris exhibitorũ iuxta Iordanem, & à Mithzar uſq; ad montem Hermon. Mos is erat antiquis Iudæorum patribus, quò ſua magis Deo probarentur uota atq; orationes, quoq; ſuas, in quibus uerſabantur, mitigarent anguſtias, antiqua Dei beneficia memorare, illiq; quodammodo obijcere, tanquam eadem, quæ patribus tum promiſſa, tum data eſſent, ſibi deberentur. Vnde illa eſt præclara Salomonis oratio in templi dedicatione, in qua inter cætera illud quoq; legitur: Domine Deus Iſraël, qui cuſtodis pactum cum ſeruis tuis, qui ambulant corã te in toto corde ſuo: qui præſtitiſti ſeruo tuo Dauid patri meo quæcunq; locutus fueras ei: & quæ ore promiſiſti, opere compleſti, ſicut & tẽpus præſens probat: nunc ergo, domine Deus Iſraël, imple ſeruo tuo patri meo Dauid quæcunq; locutus es. Hunc igitur ſeruat morẽ uates, atq; anima illa, quæ modò ſuas quærens ſolari calamitates, præclariſsimas quaſdam, in antiquorum patrum gratiam factas per Deum, operationes cõmemorat, remediũ nimirũ maximopere ſalutare ad ſuſcitandã ſpem in Deum, quæ in aduerſis nonnunquã frigere ſolet, planeq; obnubilari. Quia, inquit, meis in ærumnis ac perſecutionibus penè animo deſtituor, propterea memor tui ero de terra Iordanis & Hermonij à monte modico. Nulli dubium eſſe debet de mirabilibus hîc ſermonem fieri, quæ Deus olim pugnando operatus eſt pro populo ſuo ad Iordanẽ, montemq; Hermoniorum, prope Baſſan, aut ad montẽ modicũ, ſeu Mizahar, quem quidam putant in regione Seon regis Amorrhæorũ ſitum eſſe: alij uerò, quid ſit mons iſte, ignorari etiam ab ipſis Hebræorũ eruditioribus aſſerunt. Hermon porrò mons trans Iordanẽ ſitus eſt, in quo, cęteriſq; illius regionis montibus, iam antea regnauerat Og rex Baſſan: quo deuicto tota illa regio in poſſeſsionẽ Rubenitis, Gadi

B tiſq; ceſsit. Vtut ſe res habeat, ex Hebræo ſic poſſet reddi: Propterea memor ero tui propter terram Iordanis, & Hermoneorũ, & montis modici, ſeu Mizahar. Illud quidem pro comperto eſſe debet, mirandas quaſdam operationes, quæ partim nobis per ſcripturas patefactæ ſunt, partim uerò nos fugiunt, illis in partibus per Deũ in populi ſui fauorẽ geſtas eſſe: & quarũ hîc uates, ſeu populus in Babylone afflictus recordabatur, nosq; cum ipſis, ſed altiori quodam rerũ geſtarũ myſterio. Scimus enim quid in Iordane per Chriſtũ in noſtri gratiã actũ ſit. Scimus quid Hermon iuxta Iordanis fluenta poſitus, quem anathematizationẽ interpretatur quidam, & quem uult modicũ illũ eſſe montem, quẽ Hebræi Mizahar uocant, portendat. Antequam enim quis myſticũ hunc Iordanẽ, in quo omnes peccati ſordes abluuntur, ingrediatur, ad illiusq; undas per Chriſtum purificatas deſcendat (Iordanis enim deſcẽſio eſt) prius illi proximus radendus eſt Hermon: hoc eſt, ſuæ ſunt prius deteſtandę uitę cõſuetudines & mores. Anathematiza te, inquit Auguſtinus, diſplicendo tibi, ut placeas Deo. Quàm uerò admiranda ſint illa quæ quotidie in ſui populi cõmodum operatur Chriſtus in ſacro hoc purificatoq;, & uerè diuino Eccleſiæ fonte, et in monte modico, non eſt mẽs, non animus, non intellectus, qui exprimere ualeat, adeò ſtuporis plena ſunt omnia, captumq; humanum excedẽtia. Memorare ea quidem noſtrã ad conſolationẽ, atq; admirari poſſumus, intelligere autem neutiquam. Nam certè cum illa attentiori perueſtigare nitimur animo, ô Deus, tum clarè cernimus, quòd

Abyſſus abyſſum inuocat in uoce cataractarum tuarum.

Verùm alio exponendus eſt ſenſu uerſus. Abyſſum hîc uocat anima calamitatem atq; infortunium. Aquas enim imperuias, profundas, cõfuſasq; abyſſum appellant: ita calamitatis interdum, illiusq; maximè, cuius acerbitate ſpiritus ſolet humanus concuti uehementer, ac labefactari, neq; origo, neq; modus, neq; quò omnino tendat, à quoquam ſciri poteſt. Et cum ex una emergere (ueluti hi qui in contortam aquarum uorticem delapſi, & manibus, & pedibus, & toto denique enituntur, quo exeant, corpore) contendimus, en alia parata eſt ſubitò, adeò ut

C calamitas calamitatem accire, ſecumq; trahere uerè ita dicatur, quemadmodum abyſſus abyſſum inuocare, ſibiq; aſciſcere, à uate ſcribitur. Vellem, inquit, continuo tanquam obtutu eorum omnium quæ memorauí, effigiem ob oculos habere: ſed infortunia ita infortunijs agglomerantur, ut planè altiſsimam aquarum abyſſum uidere mihi uidear aliam ſibi abyſſum, ruptis cœli canalibus, aſſociaſſe. Metaphora enim ſumpta uidetur à diluuio illo memorando Noë, in quo legitur cataractas cœli fractas, quò intelligas uim omnem imbrium tum erupiſſe. Nam cataractæ, aquæ illæ ſunt, ut alia earum omittam ſignificata, quæ ex alto tam præcipitanter feruntur, ut ruere potius dici queant, quàm fluere. Loca quoque ipſa, è quibus aquæ illæ exeunt, uel per quę tranſeũt, cataractę appellantur. quare nõ abſq; ratione, in uoce canalium tuorum, uertunt nonnulli. Cæterùm nemo iam homo eſt qui ignoret, aquas, aquarú mue inundationes, aduerſa in ſcripturis, atq; infortunia, haud raro prætendere.

Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.

Hic uerſus cum ſuperiori unus eſt Hebræis: & eſt eorum, quæ de abyſsis, aquarumq; irruptione dixit, interpretatio, quas ab excelſo Dei habitaculo, hoc eſt, à diuina prouidentia effluxiſſe narrat. Clamat Eſaias: Cataractę de excelſis apertę ſunt. Inde porrò eſt, quòd anima in tentationum confuſione ac ſtrepitu poſita, ſi mulcq; à prauorũ hominũ iniurijs laceſsita, id oneris, ærumnas, calamitates, miſerias, fluctus, procellas, & tandem excelſis euulſas è cataractis abyſſos, ut hîc uides, appellat. Alio in pſalmo ſic orat: Saluũ me fac Deus, quoniã intrauerunt aquæ uſq; ad animã meam. Et hîc quoq;, ut uertit Fel. omnes undæ tuæ, & fluctus tui (tentationũ ſcilicet) ſuper me tranſierũt. Mi lector, hæc fermè ſunt remedia illa, quæ proficienti animæ, ne inſoleſcat, à cœleſti adhibentur medico: & quæ nemo, præter illũ qui exercitatos habet ſenſus, ut inquit Paulus, uerè nouit, in hiſq; delectatur, atq; ex his in ſpiritu coaleſcit. Animalis quippe mens atq; animus uix
D hæc preſſe per tranſennã intuetur: non percipit enim quæ Dei ſunt: nam in ſpiritu examinantur. Qui uerò in ſpiritu ambulant, hæc & ſimilia perpeti, amplectiq; pro diuina tutanda iuſtitia parati ſunt. Non uult enim Deus ſuæ religioni addictos tardo uti otio: ſed negotioſo quodam uitæ genere, ac pugnaci, illos cõtinuè exercet, indurat, experitur. Tantũ uerò abeſt ut eos indefenſos relinquat, ut etiã in mediis ipſis aduerſitatum fluctibus, miris inauditisq; ſoletur afflatibus atq; inſpirationibus, quarum radijs illuſtrati perſuaſum abſq; dubio habent, quòd

In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.

Dies in ſacris literis pro ſecundis aliquando, fortunatisq; uitæ ſucceſsibus accipi ſolet: nox uerò pro contrarijs, turbidis, & ærumnoſis. Quare memor Eſaias illorum quæ paſſus fuerat, aiebat: Anima mea deſiderauit te in nocte. Hac enim cùm quis ex piorũ numero premi contigerit, ualdeq; offuſis circunquaq; tentationũ tenebris obfuſcari, nil niſi caliginẽ, obſcuritatẽ, ut in nocte fit, metumq; uidere aut cogitare idoneus eſt. Quò ſe uertat? In mentẽ quippe ueniunt præteritæ uitæ ſcelera: atq; propterea nox illa terrifica iudicij, de qua Zacharias, Vidi, inquit, noctẽ. Pauet interim, atq; hoc magis triſtitia, deſperationeq; obruitur, quò ſe ſolummodo intuetur. Ad dominum igitur eiusq; uerbum, quod diem auroramq; ſancti Dei uiri appellare conſueuerunt, confugiendum erit: hoc eſt, eatenus patienter Dei manus toleranda erit, quatenus illi, qui noſtram, ſiue in die, ſiue in nocte uerſemur, melius quàm noſmetipſi, ſalutem curare eſt ſolitus, uiſum fuerit. Scit enim cœleſtis pater quid opus ſit nobis. Tantum illud cauendũ, ne ob diram diutinamq; infortuniorum acerbitatem, animum deſpondeamus. Benedicam, canit uates alio in pſalmo, dominum in omni tempore. & hîc quoq; ferè idem: In die, inquit, mandauit dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius. hoc eſt, ut reddit Paraphraſtes: Pulſis malorum tenebris in die, dominus decreuit miſericorditer agere nobiſcum. quare neq; hac quidem tribulationibus plena nocte à laudando illo ceſſabimus. Carmen enim in laudem illius ſcriptum, & precatio ad Deum omnipotentem, & uitæ autorem, ſemper erunt in

ore

A ore mihi. hæc ille. Sic Hebræi totũ integrũ uerſum legunt. Vnde Fel. adeò & cæteri Hebræorum interpretes hoc ferè modo uertunt: Per diem mandabit dominus miſericordiam ſuam: & in nocte canticũ eius mecum, oratio Deo uitæ meæ. Poſtea alium ordiuntur uerſum:

Dicam Deo, ſuſceptor meus es tu.

Sed de nocte aliquid alio prius ſenſu, de quo tamẽ alio me in pſalmo ſcripſiſſe memini. Quotidie, inquit quidam interpres, hoc eſt, continua ueluti ſerie temporum, commendat dominus bonitatem ſuam, ideo omni nocte laudem Dei uiui canam. Ex his quidem cùm mihi in mentem uenit ordinationis illius, quam Dauid in libro Verborũ dierum promulgauit dicens: Leuitæ ſtent manè ad laudandum, canendum confitendumq; domino, ſimiliterq; ad ueſperam, cogor aliqua cum experientia aſſerere, tempus illud noctis, quod concubium uocant, ad hæc crepuſculum, ſanctis priuatim precaturis maximopere inſeruire. Eo enim horarum momento cùm ſileant omnia, concoctusq; ſit ſtomachus, ac ſedati ſeu potius euaporati humores noxij, mens ad diuina contemplanda experrectior redditur: & ſi quid perdiu ob tumultus ſtrepitusq; aſſiduos, quos audit, in cœleſtibus rimandis rebus, ſeſeq; excutiendo, torporis atq; ignauiæ contraxerit, tunc in quiete illa profunda abſtergere nititur, ac queritur tantillum duntaxat temporis ſuo cum ſponſo colloquendi ſibi concedi. Quantulumcunq; tamen illud ſit, in ſu ſpiritus totũ, atq; ab amore fideq; profectis ſingultibus & lachrymis, plerunq; nihil dicens aut petens, impendit. Vnde haud immeritò quidem ſolis radios ſuas interturbaſſe contemplationes ſanctiſsimus quidam conqueſtus eſt ſenex. Hinc porrò à probis laudatus mei inſtituti hominibus mos eſt, hyberno maximè tempore, ut, peractis de more laudibus matutinis, unuſquiſq; ſecretiori aliquo in angulo ſemotus, aut obſcuriores ad aras proſtratus, uel, quod magis placet, cellulæ ſecretorum cum Deo colloquiorum conſciæ occluſus, mediam ex patrum præ-
B ſcripto, quaſiq; precariò, horulam diuinis impendunt meditationibus. Qui uerò ardentiori ſunt ſpiritu, media illa non contenti hora, longius in ſponſi ſinu commorantur. Sanctiſsima profectò iſta eſt cõſuetudo, & quæ uel ſola ad expungenda quotidiana uniuerſæ congregationis, ne dicam orbis, errata, idonea ſit. Alioqui certè non uideo, quamobrem remotis à religioſorum cœtibus ſimplicium mentium orationibus, diutius conſiſtere ualeant. Quare ob multa quæ abſurda, utinam non impia, in mundo fieri conſpicio deterritus, ſiue in die, ſiue in nocte mihi uiuere contingat, perpetuo ueluti clamore, dico Deo, dicamq; in poſterum, ſuſceptor meus es tu. Alij ut libet, ſuum quo nitantur, bonum diuitias dicant: alij honores & magiſtratus, artes alij, cauillationesq; humanas, quibus rebus omnibus fulti timorem ſibi potius, quàm ſpiritus fauorẽ, uulgoq; reuerentiam ac dilectionem conciliare putant: ego interim dicam, Deum meum omne bonum eſſe, meum robur, meam, cui fidere debeã, uirtutem. Cùm is ſim igitur, qualem tu me eſſe uoluiſti, hoc eſt cùm totus à te, per te, mi Deus, pendeam, nec quicquã quietis uſquam eſſe præterquam in te, ac per te, & credam, & prædicem,

Quarę oblitus es mei? & quarę contriſtatus incedo, dum affligit mę inimicus?

Quare ſemper eſt, unde mihi ſemper lugendum ſit? Quare me ſemper obterit inimicus? quare tandiu impunè tuum in ſeruum debacchatur? Ero' ne ſemper hiſce in lamentis occupatus? Erit' ne unqnam ut expeditius tuam uidere queã præſentiam uultumq; illum tuum deſiderabilẽ, cuius aſpectus tota mea eſt felicitas? Quando, ô uitæ meæ autor, erit ut in conſpectu conciliij lætus obambulem, idcirco quòd dignus inuentus ſim, qui pro nomine tuo contumelias ſubeam? Ex Hebræis quidam uertunt, Quare ater, ſeu pullatus ingrediar, dum coartat hoſtis? Omnia quippe hæc mœrorem denotant maximũ: qui quidem ut clarius pateat, quoddam tanquam auctarium addit:

Dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerunt mihi inimici mei, dum dicunt mihi per ſingulos dies, Vbi eſt Deus tuus?

Ita ab Hebræis, & rectè quidem, integer legitur uerſus, cuius ea eſt ſumma ac

c ſenſus: homini diuini honoris percupido omne tormentorum genus, quod cor-
pori uel à ſæuiſsimo carnifice adhiberi poteſt, ſed illud in primis, quod uidetur
omnium maximum, cùm ſecantur oſſa, tolerabilius fore, quàm cùm audit ſibi à
procacibus inſultatoribus cum irriſione obiici, Vbi eſt Deus tuus? Quæ ſanè ex-
probratio nõ tantum ad illius contumeliam, qui illa afficitur, cedit, quantũ Dei,
qui quodammodo ſtupiditatis & ſæuitię in non ſubueniendo ſuis, etiam millies
interdum inuocatus, ab improbis accuſatur. Vnde impudentiſsima quondam il
la Iudæorum de Chriſto crucifixo audita fuit uox, Saluum nunc faciat eum ſi
uult. Quare ſic reddit Paraphraſtes: Tolerabilius foret mihi ſi gladium adige-
rent in uiſcera mea, quàm impias cõtumelias audire ab inimicis meis dicentibus
aſsiduè cum riſu, ubi nunc eſt Deus ille tuus? hoc eſt, quem tam ardenter inuoca-
bas, quemq; tibi nõ defuturum aſſeuerabas? Fel. uerò ſic: Cum gladio in oſsibus
meis opprobrio affecerunt me tribulantes me, dum dicerent ipſi mihi quotidie,
ubi eſt Deus tuus? Quorum uerborum is erit ſenſus: æquè enim me opprobrio
affecerunt hi qui me perſequuntur, dum in me inſultantes iactitarent, ubi eſt
Deus tuus? ac ſi mea gladio traiecíſſent oſſa. Noſtri autem interpretis litera, unà
cum græco, eum præ ſe ferre uidetur ſenſum, quem ponit Euthymius meæ pro-
feſsionis monachus: ſed ante eum Auguſtinus, qui ſic ait: Quaſi oſſa frangũtur,
dum uirtus patientiæ afflígitur, quod irrident mali. hæc eſt exploratio illa, dum
dicitur mihi, ubi eſt Deus tuus? uel nullus eſt uel de te non curat. hæc ille. Euthy
mius uerò ſic: Contritis nimirum oſsibus meis ob tam graue onus ſeruitutis, ob
uerbera, ob plagas (per oſſa enim uires intelligit) irridebant me inimici mei, illud
mihi ſemper obiícientes, ubi eſt Deus tuus, qui te eripiat & liberet? Verum quia
diuina bonitas haud diutius, quàm ferre poſſunt, ſuos ſinit ab aduerſa exagitari
fortuna, idcirco poſt longa, quæ in pſalmo legimus, lamenta iam tandem ſe reci
pit anima, ſeſeq; conſolatur, idem dicens quod ſuperius:

D *Quare triſtis es anima mea, & quarę conturbas mę?*
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutarę vultus mei, & Deus meus.
Cui gloria ſit, laus, honorq; in ſeculorum ſecula, Amen.

PSALMVS DAVID XLIII.

Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam à gente non ſancta, ab homine iniquo &
doloſo eruę me.

Hebræi hunc pſalmum eiuſdem argumenti cum ſuperiore abſq; ti-
tulo legũt. Videt enim (iudiciũ meũ ſimpliciter profero) ea eſſe oratio,
quã ſuprà pollicitus eſt, dicẽs: Apud me oratio Deo uitę meæ. Oratio igitur hæc
plena eſt fiduciæ in Deũ, ita ut diuinũ iudiciũ alioquin inexorabile, & ſeuerũ, æ-
quiſsimũ tamẽ, appellare uideat. Adeò multũ eſt ſyncera uiuere conſcientia, nec
admodũ angi & torqueri, ſi bonos improbis à deo permitti uidere contigerit, po
ſteaquã iam parte aliqua ſaltẽ ſpiritus imbutis compertũ eſt, Dei ſeruos crucis do
labro expoliendos neceſſariò eſſe, ſed eouſq; tamẽ ne toti in perfidorũ manib. re
linquant: hi enim in corpora, artusq; moribundos, famã quoq; ac nomẽ ferocire
poſſunt, in animã uerò, in uoluntatẽ, in arbitriũ, imperiũ nõ habent. Quare illorũ
iræ, exilia, tormẽta, & ſi quid dirius eſt, ut ſunt oblocutiones, detractiones, calũ-
niæ, fictæq; delationes & maledicentiæ, ridenda ſunt magis, quàm timenda. Ex-
pulſo enim aliquo ſua ab urbe & patria, quid ultra hęc? Hem paruã tyrannorũ di
tionẽ. Atqui ut ueriſsimũ prorſus ſit hunc pſalmũ à uate, ut nõnullos aſſerere ui-
deo, illis fermè compoſitũ diebus, in quibus totũ penè regnum cum filio in ſe con
ſpiraſſe uidit, Achitophelemq; illum perfidũ, quem hic hominem iniquum & do
loſum appellat, totius conſpirationis autorẽ extitiſſe: uerior tamen interpretan-
di ratio eſt, ſi ad Chriſtum, cuius typus rex ille fuit, pſalmi ſenſum referamus, qui
cùm in terris nobiſcum cõmoraretur, nihil non tum à Iudæis, tum à gentibus in-
commodi paſſus eſt: modò uerò immortalis factus, ſummaq; potentia inſignis,
ac uirtute, ab uniuerſo fermè orbe ſuis in membris impugnatur. Et quia mem-
bra

A bra ipſa adeo iam malignorũ hominum iniurijs, tum dæmonum inſidijs atq; ictibus attrita ſunt, ut uix reſpirare aut hiſcere audeãt, nedum apertè loqui quod ſentiunt, aut diuinum compellare iudicium, ipſe benigniſsimus ſubintrat Chriſtus, cui maxima ſemper fuit de miſeris cura, & ſic pro me, qui omnino infans ſum, patrem alloquitur: Iudicia me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente nõ ſancta, ab homine iniquo & doloſo erue me. Tantum hîc abeſſe puto ut uir ſanctus ſua oret à Deo diſcuti peccata, ut id etiam quantum poteſt fugiat: quippe qui minimè ignoret quàm periculoſum ſit cum deo in iudicio uelle contendere: uerùm illud rogat, ſuã ab impijs cauſam ſeparari. Corpus Chriſti, inquit Auguſtinus, hîc gemit inter zizania, hoc eſt, inter malos poſitũ, cum quibus quia non habet communem cauſam meritorum, licet alia multa habeat cõmunia, naſci ſcilicet, mori, proſpera & aduerſa, clamat, Iudica me Deus de gente nõ ſancta: hoc eſt, à gente praua, impia, ſceleſta, iniquitatisq; ſtudioſa, me meamq; cauſam aſſere. Nõ te moueat mutatio numeri, quod iam centies admonui: nam cùm prius dixiſſet de gente, mox ſubdidit, ab homine iniquo. Tropus Hebræis familiaris eſt, quanquã nihilominus me haud prẹterit animam ſic afflictam, poſtquam uniuerſalem totius orbis defleuit malitiam, unum aliquem ſibi inſignius infeſtum tacitè, ſub uerborum q; inuolucro deſignare: ut mihi planè contingit, qui in hoc meo cõmentario rum labore, cùm generalem improborum turpitudinem, aut proborum candorẽ cum propheta ſtylo depingere ad Eccleſiæ ædificationẽ cogito, occurrunt mihi priuatim illicò uiri quidam mihi noti, in eoq; uitæ genere, de quo tractare uatem arbitror magis inſignes, è quorũ uita, tanquam à mente diuina excerptas ideas, meo inſeruire propoſito ac conſilio, uti ſolent plaſtes argillam contrectatam digitis, facio. Verùm illud in primis mihi curæ eſt, ne quenquã lædam, néue à malorum contagione næuum aliquem indelebilem contraham. Non me quidem præterit quàm periculoſum ſit diutius cum gente nõ ſancta, ſed ante omnia cum
B uiro iniquo & doloſo commorari. Huius enim æquè exhorreſco contubernium & conuictum, atq; ſoleo meo in otio & quiete, cum Deo, turpes obſcœnasq; rerum mundanarũ incurſiones exhorreſcere. Id igitur domine meo ab animo procul abigendum eſt, idq; uel uſq; ad rauim abs te petendum,

Quia tu es Deus fortitudo mea, cætera omnia infirmitas ipſa. Verùm
Quare me repuliſti, & quarẹ triſtis incedo, dum affligit me inimicus?

Et uerè ſuorũ fortitudo Deus eſt. nam cùm mundo plerunq; deſpecti ſint, ab eoq; afflicti, arduum planè uidetur, quomodo tantillis queant uiribus tam immenſo perturbationũ, quas ciere ſolent improbi, cumulo obluctari. Tunc quidẽ cùm humanæ deficiunt uires, quæ breui exhauriuntur labore, hoc eſt, cùm maximè eſt opus, diuina opitulatur benignitas: tum, inquã, qualis erga ſuos ſit deus in calamitatibus, apparet, fortis ſcilicet & mirabilis. Nam proſtratis proborũ hominum perſecutoribus, perfractaq; doloſi uiri atq; iniqui arrogantia & faſtu, quod difficile admodũ uidebatur, quis neget diuinũ illud opus extitiſſe? Siquidem tyrannum indomitũ ab humili ciue & uix cognito, adde & in opproſsionibus ſilente, deuinci ac ſuppeditari quis unquam uidit? Verũ interim quòd Deus colluctationis huiuſcemodi ſuorum cum mundo ſpectator ſolummodo eſt, non defenſor, illos quodãmodo deſeruiſſe uidetur: idcirco clamat anima, Quare me repuliſti? quare me ſinis tandiu à perfidioſo hoc monſtro & fraudulento uexari? quare dum in me, aperta dirarum abyſſo, iniuriarumq; profundo, deſæuit: ego ater, pullatus, mœrens, obſcurus, funeſtus, uitam utcunq; traduco miſerrimã? Vſquequo lugebo? uſquequo triſtis incedam non accepta ſpiritus ſancti conſolatione? Haudquaquam quidem mihi in tanta ærumnarum uarietate conſtituto integrũ omnino eſt, ut efflagito, te abſq; turbis poſſe quærere, multo minus tuo iucundiſsimo frui aſpectu. Quo ſanè negato, ipſæ totius mundi deliciæ, nedũ iniuriæ, mihi amariſsimæ ſunt & letales. Hallucinor profectò uel in mediis ipſis radijs meridianis tuo abſq; lumine mi Deus. Quocirca

C *Emitte lucem tuam, & veritatẽ tuam: ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.*

Deducent, & adducent, uertit Fel. & eſt tempus pro tempore. Cęterùm lucẽ hîc appellat anima diuinam opem: ea nanq; cum infortunijs, quæ penè infinita ſunt, colluctante, tetra omnia apparent & obſcura: recepto uerò ſpiritu, è denſiſſimis ueluti tenebris læta emergit, fateturq; nihil lucis præterquã in Deo inueniri poſſe. Veritatẽ porrò addit, ut ipſum quodãmodo ad ſibi opitulandum cogat, utpote qui ſuis ſe nunquã defuturum iam prima à mundi ætate pollicitus fuerat. Et cùm fidelis ſit Deus, ut inquit Paulus, & uerax, num quæ, interpoſito etiã iuramento, promiſit, negare poterit? Hiſce igitur duabus ſuffulta alis anima, nihil obſtat, quin in excelſam animi pacẽ ac quietẽ, quam montẽ ſanctũ appellat uates, in quo Deus habitat, in carne etiã poſita tranſuolet, futuramq; atq; adeò immortalem & æternã, iam tandem ſuperatis mundi procellis, beatitudinẽ, quam tabernaculi nomine, ſecretioris nimirum diuinæ maieſtatis habitaculi deſignat, in quo tota animarũ conſiſtit felicitas, adeat, ingrediaturq;, non propria quidem luce adiuta, ſed quia Dei lux ac ueritas, ipſam, tanquã porrecta manu, deducet & adducet: hoc eſt, ne fruſtraneus ſit eius labor & conatus, peruenire faciet. Quòd autẽ uates hîc Dei filiũ, qui ſe paſsim per ſcripturas tum lucem, tum ueritatẽ, tum uitã denicq; fatetur, præſagierit: quicq; diruta inimicitiarũ, quæ inter Deum & hominem interceſſerãt, maceria, euulſiſq; inferorũ à poſtibus portis, proſtrata morte, occiſoq; peccato, perempto item mundo, mundicq; principe foras eiecto, ſanctorum animas, quas ipſe ab æternis ſeculis in libro uitæ ſcriptas eſſe uoluit, imò quas proprio ipſe digito conſcripſit, in feliciſsimas æterni patris ædes, in quibus multæ ſunt manſiones, deducturus eſſet, & credo, &, ut res maximas ſoleo, ueneror & admiror, cupiens nimirum neſcio quid, quod exprimere nequeo: interim
D uerò mea illò dirigens ſuſpiria, ubi meus eſt amor, ubicq; ſanctorũ animæ corporeis exutæ uinculis, exemptęq; à gente nõ ſancta, atq; à uiro iniquo & doloſo liberæ, conquieſcunt beatæ. Ego interea loci, quòd in felicẽ illum quoq; ſtatum per Chriſtum lucem, uitamq; & ueritatem aſciſcar, deducarq; & adducar,

Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus.

Hæc uerba omnia, unum duntaxat reddunt uerſum Hebræis, & rectè quidẽ: alioqui ſubobſcurus eſſet ſenſus. Alio in pſalmo memini me dixiſſe de ara, quam libenter ſancti Dei uiri frequentant: hæc eſt Eccleſia, hæc diuinitatis ſtatio, is demum Chriſtus eſt, ut inquit Ambroſius. Vide igitur quò anima, tanquã cerua à canibus ſurſum deorſum agitata, à perſecutorumq; morſibus, eorũ maximè, quibus Dei honorem, religionemq; periclitari cernit, exterrita, confugere debeat: nempe ad Eccleſiam, hoc eſt, ad ſanctorum collegiũ, ad locaq; illa, in quibus libenter Deus, propter inhabitantiũ puritatẽ atq; innocentiã, aſsiduus cohabitator eſt. Haud rarò quidem apud prophetas, altaris, ſacrificiorũ, ceremoniarũ, rituumq; ſacrorũ, atq; harmonię fit mentio: ſed eorũ ratio nonnullis obſcura. Quare ne quis ex rudioribus, illis in diſquirendis uocibus ſe multùm torqueat, illud cenſendum, uates omnes, ſed in primis Dauidem, priſcæ illius religionis mirum in modũ ſtudioſum extitiſſe: quocirca rebus omnibus illis, quibus cultus ille ornari poſſet, non defuiſſe. Et ut re ipſa, licet informi ac uelata, pręſtiterit quęcunq; ſe in pſalmis præſtitiſſe aſſerit, ita planè diuina eum non latuere myſteria, quæ quidem ſub literæ uelo atq; umbra, quod prophetarũ propriũ eſt, enarrans, mores illos antiquos Iudæorũ intermiſcet, alludítq; ſepenumero ad cultũ illum informem his uocibus, quẽ dum uixit tanti fecit, quanti imperia alij ac regna. Alluſiones ſunt igitur hæc omnia myſterijs ampliſsimis, ſed obſtruſis, grauida multaq; rerum ſpiritualium onuſta merce: ſed ſubuereri aliquando cogor, ne dum nimium noſtræ fidimus prudentiæ atq; ingenio, ſomnia pro rebus certis & inueniamus, & literis ad poſterorũ memoriam mandemus. Caſtè enim, ac cum delectu di-

A ctu diuina ad perueſtiganda myſteria accedendum eſt, non inuerecundè atq; inconſultò. Itaq; ne altare hîc manufactũ ſimpliciter ſolùm adeundum eſſe exiſtimes, additum eſt, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam. O diuini uerbi efficaciam. Ad Deum, inquit, ad eiuſq; meditandam legem (ecce aliud aræ genus) accedam, per quam quotidie uetuſta noſtra infirmitas iuueneſcit, uiuidiorq; fit, ac magis florida. Et ne quidem hanc molem corpoream pulchriorem adepturã faciem imagineris in hoc mundo, in mentem tibi ueniat Paulus, qui ſcribens ad Corinthios ſic ait: Licet is qui foris eſt homo noſter corrumpatur, tamen qui intus eſt renouatur de die in diem. Homo igitur interior eſt, qui abiecta peccati, prauæq; conſuetudinis uetuſtate ac ſenio, nouam quotidie nanciſcitur formam, & id ſanè per Chriſtum, qui etiam ætate grandæuos perinde innouare eſt ſolitus, ac ſolet aquila ex ardentibus ſolis radijs innouari. Quocirca uates de ſe huiuſce innouationis percupido, alio in pſalmo illud ſpe plenum proferre non eſt ueritus: Renouabere, inquit, ut aquila iuuentus mea. Attamen Hebræorum litera non habet, Iuuentutem meam: ſed ſimpliciter uertunt, ad Deum lætitiæ, gaudij, ſeu exultationis meæ, ut uertit Fel. Quare ſic Paraphraſtes: Ad Deum ipſum autorem inenarrabilis mihi lætitiæ: quam & referam ingenuè acceptã tibi citharæ modulatione Deus, animo meo chariſsime Deus. Interpres enim noſter ad ſenſum magis aſpexit, quàm ad uerba, indicium nimirum non mediocre, ardenti in Deum ſpiritu uiri. Subtrahant illi, ut lubet, doctrinam, profundamq; literaturam: ego quidem illi candidum, purumq; in Deum animum, ſi fas eſt, inuideo. Cæterùm repetitio dictionis, Deus Deus, magnã ſignat beatæ animæ cum Deo cõſuetudinem & familiaritatẽ: quam ſanè longo uix ſeculo, multis in laboribus atq; ærumnis per Chriſtum attrita indipiſcitur anima. Id quidem dictum eſſe uolo ad meam in primis, complurium q; mei ſimilium excutiendam ignauiam atq; ignorantiam, quibus perſuaſum eſt, abſq; ſudore illo inteſtino aclabore, qui po-
B tiſsimum è iugi contemplandi exercitatione contrahi ſolet, poſſe animam ad familiare cum Deo colloquium admitti. Ex qua quidem perſuaſione illud neceſſariò contingere experimur, ut qui frigidè Deum in uita tum amauerint, tum quæſierint, in mortis quoq; tempore frigidius & inuocent, & uti omnium ſolamen ac refugium amplexentur. Etſi enim dona hæc omnia ſunt Dei, illi tamen noſtrũ non ingratum eſt ſtudium, atq; ad conciliandum nobis ſuum amorem & familiaritatem conatus. Cùm itaq; tam benignè ſe habeat erga me diuinus fauor,

Quarẽ triſtis es anima mea, & quarẽ conturbas me?

Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi ſalutarẽ vultus mei, & Deus meus.

Ne idem illud, quod in pſalmo præcedente eſt dictum, ſæpius repetamus, te hortor, mi lector, ut cognita iam tandem humanarũ uirium imbecillitate & inconſtantia, in Deo tua ſolùm fixa ſit ſpes, tua fides, tua dilectio, tua tota deniq; lætitia, ac gloria. Cui & laus ſit perennis, atq; honor, in ſecula ſeculorum, Amen.

PSAL. XLIIII. Vincenti filiorum Choræ eruditiuum.

Deus auribus noſtris audiuimus, patres noſtri narrauerunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

Ne quod dictũ eſt de titulo huius pſalmi ſuperius in pſalmo quadrageſimo ſecundo, iterũ dicamus, uel eò maximè quod quæ de titulis ab expoſitoribus dicunt, nutantia fermè omnia ſunt & dubia, anima hinc iuſti eruditur per Chriſtũ, quanti facienda ſit ab homine bene inſtituto, oppreſſo tamen in hoc mundo, præteritorũ beneficiorũ memoria & grata recordatio. Exuſcitat enim hoc modo & ratione penè emortua & profligata, ob perſecutionũ atrocitatem, fides, emolleſcitq; quodãmodo durities animæ, propter præſentiũ malorũ inſtantiã concreta, cùm in memoriã illi uenit eundem ipſum eſſe Deũ, qui nunc rerum omniũ ſummã moderatur, qui & patrũ tempore, quibus ſanè largiſsima ſuæ bonitatis copia in aduerſis nunquã defuit. Noſtra porrò ætas, ut de antiquis Iudæorũ temporibus ſileam, de quibus uolunt interpretes hunc pſalmũ ſcriptũ

C eſſe, licet inuicē non conueniant, habet abundè quid in præteritis annorū ſeculis miretur, quid doleat, quid imitari debeat. Idem quippe Deus, qui tunc, etiā nunc eſt, idem ſpiritus, eadem cœleſtis patris bonitas: uerùm nō eadem fides, hoc eſt, non tam feruida & ſyncera, cætera uerò æqualia. Proinde noſtra omnis tarditas atq; ignauia nō aſſequendi, quod illi aſſecuti ſunt, ab informi quidem fide & dilectione ortū habet. Nam quæcunq; admiranda priſci illi actitarunt, à fide, ut opti mè teſtatur Paulus Hebræis ſcribēs, profecta ſunt. Neq; ego quidem illos proinde audio, qui ſibi ſe in fide firmos eſſe, facilè perſuadent, cùm tamen nihil minus, quàm quod ad fidei candorem attinet, agere uideantur. Bonarū enim actionum teſtimonio, ſpiritus item ardore, mutuaq; charitate, humilitate, patientia, iugiq; contemplandi cœleſtia exercitatione, mundi odio, ac cæteris id genus fidei ornamentis ac fructibus, noſtra oſtendenda eſt fides, nō uerbis neſcio quibus ſolùm. Abſq; enim fidei ſyncerítate, quî nō omnia, quæ à nobis aguntur, ambages meras eſſe dixerim? Et hæc, quantū ad eruditionē in titulo poſitam ſpectant, ſint dicta: nunc ad pſalmum, cuius prima eſt ad illos eruditio, qui uel carne uel ſpiritu, patres ſunt, quorumq; intereſt Dei opera filijs enarrare, illosq; & uita & uerbo ad amorem ueræ religionis accendere: non fabulis uitæq; turpitudine à iuſtitiæ itinere arcere. Quando enim ueram religionem dico, Chriſtianā dico, hoc eſt, quæ Chriſti uita ac doctrina contenta, nihil ultrà quærit. Tunc ſe illa felicem, utreq; beatā eſſe exiſtimet anima, cùm Chriſti duntaxat inſiſtens ueſtigijs, neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram, ut ait ſacra lex, aberrat. Vita igitur Chriſti ſatis iam tandem omnibus ſit: id quippe ille uult, id eius uolunt diſcipuli, id uel ab ipſis mundi incunabulis, tum prophetæ, tum patriarchæ requirunt: id demum meus pater Benedictus & uult, & nos idem uelle hortatur. Nam ſuam cùm ſcriberet regulam diſcretione, ut inquit Gregorius, præcipuā, quò omnem uitaret iactantiam, tanquā qui perfectiſsimæ Chriſti legi, priuatam, ueluti neceſſariū additamentū,
D addere uoluiſſet uiuendi normā, prudentiſsimis ſemper uſus eſt uerbis. Vnde in principio ſtatim libelli, ſic in proœmio: Cōſtituenda, inquit, eſt nobis dominici (id eſt chriſtiani) ſchola ſeruitij, in qua inſtitutione nil aſperū, nil graue nos conſtituturos ſperamus. Nónne, mi lector, tibi illud Chriſti dici cogitas: Iugū meum ſuaue eſt, & onus meū leue? Quòd uerò aſperū durumq; à nōnullis, qui rerū potiuntur, conſtitutionū uoluminibus reddatur, ampla eſt, ut mihi uidetur, ad implicandos rudiorū animos & conſcientias occaſio. Quanquā non me clam eſt, continuos ſubditorū lapſus, continua egere reformatione, ac ueluti reflexis paſſibus, innouatione. Tantum id cupio, ut quæ quotannis neceſſariò ad informandos ſubditorum mores, aut coërcenda uitia, & errores ordinantur, grauia ſint, & quæ uenuſtatē religioni poſsint addere ac reuerentiā, non riſum mouere, ac, maxima cum animarū iactura, contemptū. Haud multò pòſt diuus ipſe ſic ait: Proceſſu conuerſationis & fidei (en legis Chriſti ſumma) dilatato corde, inenarrabiliq; dilectionis dulcedine currítur uia mandatorū Dei, ut ab ipſius nunquam magiſterio diſcedentes, in eius doctrina uſq; ad mortem perſeuerantes, paſsionibus Chriſti per patientiā participemus. O uerè aurea atq; Euangelica mei patris inſtitutio. Quanta porrò, quamq; admiranda in ipſius cæterorumq; deinceps patrum gratiam operatus ſit Deus, nos qui ſub illius uexillo cœleſti patri meremus, & legimus, & auribus noſtris audiuimus, quin & ipſi patres, noſtrum ad excutiendum torporem, narrauerunt nobis. Faxit Deus ne degenerent poſteri. Cæterùm hîc uates ſentit de mirabili cœlorū orbisq; uniuerſi fabrica, ad hæc de portentis illis terrificis cùm in Aegypto, tum in expugnandis terræ promiſſæ incolis, tum in Iordanis tranſitu, excuſſaq; è ſaxo aqua, & cæteris huius generis propè infinitis ſummæ potentiæ ſignis per Deum in ſui populi fauorem oſtenſis. His enim auditis, illius amore, qui tanta pro hominibus operatus eſt, ni prorſus ferrei ſimus, incaleſcimus, atq; propterea fore ſperamus, ut quemadmodum illos tam immenſis ornauit beneficijs, ita nobis noſtris in miſerijs defuturus minimè ſit, uel eò potiſsimum, quòd huius odæ uaticinium nos magis, ex Pauli teſtimo-

A ſtimonio, noſtraq; tempora ſpectaſſe credimus, quàm illa Iudæorum umbrarum plena. Paulus enim Chriſtianorũ perſecutiones attendens, hunc pſalmum citat dicens: Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Et uerè oues occiſionis dici queunt hi, qui propter Chriſtũ, quicquid ſæuitiæ in eos moliuntur improbi, æquo fortiq; animo tolerant, ut illę cùm à laniįs iugulantur, nihil repugnãt, nec queruntur. Nobis igitur, qui ſi nõ omnino propter Chriſtum, eiusq; iuſtitiã affligimur, at ſaltem propter peccata noſtra & ſcelera, totum id canticũ ſcribitur, nosq; ueluti digito deſignat. Illud notandum, &, copulam, quæ in diebus eorum, & in diebus antiquis interiecta eſt, in Hebræis codicibus non inueniri: quæ tamen nihil officit ſenſui, imò etiã, ut mihi uidetur, clariorem illum reddit: quem ſic exprimit Paraphraſtes: Quæ temporibus illorum operatus es, & temporibus quæ illos præceſſerant.

Manus tua diſperdidit gentes, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & expuliſti eos.
Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos:
Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio uultus tui, quoniam complacuiſti in eis.

Narrat effectum facinoris illius eximij, quod egiſſe Deum in diebus antiquis faſſus eſt in ſuperiori uerſu. Vide pulcherrimam antitheſim, ſed ſubobſcuram ob uerbum, expuliſti: quod ſi ſimpliciter, ut noſter uertit interpres, legendum putas, ad gentes referendũ erit, ſed ſtatim geminatæ antitheſis deperit gratia & decor. Quare à doctioribus animaduerſum eſt, uerbũ illud Hebræis eſſe germinare facere, uel, propagines extendere: in quo quidem ſenſu, illo ipſo uerbo uſum eſſe interpretem aſſerunt in pſalmo LXXX. ubi de Iudæis, uinea nimirũ Dei electa loquens propheta, ſic ait: Extendit palmites ſuos uſq; ad mare, & uſq; ad flumen propagines eius. Idcirco uerſum his ferè uerbis uertendum eſſe ſcribũt: Afflixiſti populos, illos uerò germinare, propagines q; expandere feciſti: ut ad Iu-
B dæorum populum referatur, non ad gentes, quò ſuus, ut dixi, remaneat antitheſi decor. Is ſenſus quoq; Paraphraſtæ placuiſſe uiſus eſt, qui ſic reddidit: Tu omnipotentia tua (en manus Domini) gentes extirpaſti, & patres noſtros in loca illorum inſeruiſti. Plurima mala tu intuliſti populis illis, ut patres noſtros in terras illorum introduceres. Veteres præterea Iudæorum annales haudquaquam nunc mihi recenſendi ſunt ad id, quod ſcribit uates, oſtendendum: nota iam hæc omnia ſunt uel ipſis textricibus, nedũ clericis, cæteris q; Chriſtianæ religionis, quibus is meus deſudat labor, ſtudioſis. Illud quoq; notum, manum Domini, dexteram, brachiũ, pro illius autoritate, fortitudine, robore, auxilio q;, & uindicta nõ nunquã ſumi ſolita. Nunquid manus Domini, inquit dux ille, inualida eſt? Quare in ſuperioribus exclamat uates: A fortitudine manus tuæ ego defeci. Horrendum tandem eſt incidere in manus Dei uiuentis. Mens igitur prophetę ea eſt, ut ſuos antiquorum beneficiorũ Dei moneat: illud tamen in primis illis obįciens, quòd ſi feracem illam promiſſionis terram, eiectis Cananæis, Amoræis q;, ac reliqua illius gentis colluuie, adepti fuere, id quidem non ſua, aut patrum uirtute & ſapientia contigiſſe, uerùm diuina uirtute & fauore, quẽ hîc uultus Dei illuminationem appellat: atq; id ſanè nullam aliam ob cauſam aut rationem, niſi quòd ita uiſum eſt illi, cui placuit ſuam in gentes illas impias exercere poteſtatẽ atq; iram: in Iudæos uerò miſericordiã, quoniam complacuiſti, inquit, in illis: ſeu, ut uertit Fel. dilexiſti eos. Mirum ſi his auditis etiamnũ inter nos ſint, qui aſſerant beneficia cœlitus nobis conceſſa, noſtro aliquo merito aut labori, tanquam mercedem reddi, & non potius ea omnia ſpontaneę Dei uoluntati & miſericordiæ accepta referant. Et ut id, quod dico, uerum eſſe, prout eſt, bona ſcilicet noſtra omnia à diuina nobis gratia prouenire ac uoluntate, nõ à nobis, niſi quatenus cor noſtrum alioqui durum, & penè indomabile diuinis aſſurgat inſpirationibus, pulſantiq; numini nõ reluctetur, ſed, quod poteſt, libenter impendat, paruam illam ſcilicet uoluntatis ſcintillam, atq; arbitrij portionẽ, quę libera relicta eſt in anima, ſeu potius reformata per Chriſtũ, ut, inquã, id uerum eſſe & credant, & fateant, illud ta-

C men non abſq; metu atq; animi horrore, ſerio expendendum, an æquiſsimo Dei iudicio, occultiſsimo tamen & incomprehenſibili, nos qui in hac Chriſtiana repub. nihil minus quàm Chriſtum, illiusq; uitam referimus, cõtingat aliquando, uel Sarmatis, uel Aphris, cæterisq; religionis Chriſtianæ hoſtibus locum cedere, illosq; à cœleſti patre admonitos, diuinis parere afflatibus, atq; oblatum iuſtitiæ donũ auidè arripientes Eccleſiæ, nobis exciſis, inſeri? Quis, oro, ſi id accidat, diuinum poterit meritò reprehendere conſilium? Qualis obſecro, noſtræ ratio eſt uitę? Si Chriſtiani ſumus, ubi in nobis Chriſtus? hoc eſt, ubi in nobis pax? ubi puritas? ubi fides? ubi totius legis ſumma ac nexus charitas? Quàm uereor, mi lector, quàm timeo, quòd ſi porrò tantus errorũ aceruus in uulgo ſolummodo natura rudi & inculto inueniretur, ſpes quidem reuocandorum rudium ab erratis, ſapientioribus planè certa eſſet: uerũ cùm ſapientes ipſi, primarijq; orbis homines in eiſdem ſæpenumero (utinam non fœdioribus) conuoluantur cum multitudine peccatis, quæ ſpes iratũ placandi Deum erit reliqua? Si ſal, inquit Chriſtus, euanuerit, in quo ſalietur? Scio equidem, quòd in quem Deus illuminationem uultus ſui iecerit, is ſtatim quamlibet infidelis & perditus, modò donum illud gratuitum non refutet, in Chriſti ouile introducetur. Scio & illud, turpis uitę Chriſtianũ, hoc eſt, ambitioni terrenarumq; rerũ cupiditatibus addictũ, magisq; mundo, quàm Deo atq; eius aſpirationibus, quę nunquã deſunt, obtemperantẽ, diutius in tutiſsimo, atq; omnibus aperto Eccleſiæ ſinu manere non poſſe. Nec quidem iraſci quis debet, ſi ego immenſam noſtri æui ingratitudinẽ in Deũ conſiderans, minimãq;, aut nullam potius, quæ uera ſit, reſipiſcentiã cernens, unà cũ multis ſubuereri cogor, an Deus uelit iterũ uocare ea quę nõ ſunt, tanquã ea quę ſunt. Nõ ſanè id quidem durũ uideri debet, poſtquã ſic uolumus, totaq; rei ſumma ab abſtruſiſsima Dei prouidentia, puriſsimaq; eius uoluntate, turpiſsima noſtra ſic exigente uita, dependet. Vnde nõ ab re additũ eſt à uate, Quoniã dilexi-
D ſti eos. O mirabilem certè diuini amoris uirtutẽ. Dilexit, inquit Paulus, nos cùm adhuc inimici eſſemus. Obſecro quid ab hoſte meritorũ expectari potuit? Num igitur noſtrũ iactandum eſt conſilium? num uoluntas per ſe admodum ægra ac debilis? nunc arbitriũ, utpote res multũ robuſta & ualens? num merita humana, nempe ſordidiora, quàm ſit fluor menſtruus ille letalis, cuius, ut inquit quidam, aceſcunt ſuperuentu muſta, ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exurunt hortorum germina, & fructus arborum, quibus inſedit, decidunt, ſimulatq;, cauſam ſimpliciter diuinę dilectionis erga homines Chriſtum extitiſſe, ad Epheſios idem ſcribens Apoſtolus aſſerat? Dilexit nos, inquit, in Chriſto, ante mundi conſtitutionẽ. Chriſtus igitur totius amoris Dei autor eſt, idemq; erogator. Proinde exclamare mihi fas ſit cum Paulo, Quis me ſeperabit à charitate Chriſti? Quis te mihi unquam adimet, ô animæ meæ uirtus, atq; idem ſalus ac uita?

Tu es ipſe rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob.

Rapta enim à ſpiritu anima diutina ex conſideratione immenſæ Dei charitatis erga homines, in familiarẽ huiuſmodi uocem, blandumq;, ut ſic loquar, plauſum erumpere ſolita eſt. Tu es, inquit, rex ille meus, qui in me regnans, meq; totum permeans, poſsidens, occupans, nõ ſinis peccatum regnare in meo mortali corpore. Per te enim ſolum hiſce in miſerijs, quæ me quaquauerſus circundant, ſuſtentor, in te quieſco, à te uictorias triumphosq;, deuictis profligatisq; hoſtibus reporto, ſub teq; alacriter, licet multis cõfoſſus uulneribus, decerto. nam ipſe es, qui mandas ſalutes Iacob, hoc eſt, qui curas, præſtasq; multis modis occaſionibusq; adinuentam ſalutem fideli ſeruo tuo, qui tua iam fortiſsima ſuffultus manu, impoſturam uitijs facere perdidicit.

Etenim in te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.

Petemus cornu, ex Græco legi poſſet: ex Hebræo, percutiemus. Metaphora enim à malè cicuratis ſumpta uidetur bobus, quibus mos eſt, ut obuios cornu pe-

tant

A tant, de quibus quidem cornupetis fit mentio in lege Moſis. & eſt uetus de his adagium, Fœnum in cornu portat: nam fœnum alligatũ cornibus, indicium erat ferini illius moris, ut dixi, quo bos haud bene edomitus facilè in obuios quoſq; ferebatur, cornuq; feriret, ſi poterat, quos deinde perculſos proſtratosq;, & pedibus & genibus conculcaret & cõminueret. Quare ſic Fel. ex Hebræo legit: In nomine tuo conculcabimus inſurgentes in nos. Idem Paraphraſtes: Freti, inquit, tuo auxilio aduerſarios ueluti cornu petebamus: freti potentia numinis tui proſternebamus quotquot inſurgere audebant in nos. quanquã nec, uentilabimus cornu, ut noſter uertit interpres, aberrat à uero. Simile huic in Maccabæorum geſtis, qui duce Iuda illo eximio, occiſoq; Nicanore, reliquias exercitus uiam unius diei inſecuti ſunt, legimus. Et exierunt, inquit, de omnibus caſtellis Iudææ in circuitu, & uentilabant eos cornibus, ut ſolent nimirum pilę à tauro in theatris uentilari, aut triturate paleæ in area horſum ſurſum raſtris paliſq;, ac demum uentilabris exagitari, in ſublimeq; proijci, atq; à granis ſecerni. Cæterùm in nomine tuo idem eſſe, quod in te, iam aliàs diximus: nam ipſe eſt nomen ſuum. Hebræi filium intelligunt.

Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit mę.

Narrat mortalium uires & fortitudinem (creber uſus eſt in ſcripturis, arcum pro robore poni ac fortitudine. Apprehenſi ſunt, inquit Hieremias, fortes eius, & elanguit eorum arcus) nihil propémodum eſſe ad bellandos hoſtes cùm uiſibiles, tum potiſsimum inuiſibiles. Id per ſe quilibet, niſi cæcus prorſus ſit, uidere poteſt. Quòd ſi noſtra tamen aliquid ualent arma, ualent nimirũ per Deum. Noſtra, inquit Paulus, arma potentia ſunt per Deum. Stulta igitur ea eſt opinio, qua quis ſe multum per ſe, in re præſertim ſalutis, poſſe arbitratur. Malè profectò res ſe noſtræ haberent, ſi noſtris duntaxat utendum eſſet armis contra hoſtes tam diros atq; inexorabiles, ut ſunt nefarij homines ac dæmones: his enim cunctis uiB ribus ac uirtute, ne in nos præualeant, obluctandum eſt: illis uerò patientia & manſuetudine. Cæterùm gladij nomen haud raro in ſcripturis pro bello ſumi ſolet. Non igitur mortaliũ eò ſeſe efferat faſtus, ut ſibi ſe ex hoſtibus uictorias ex ſe adipiſci poſſe perſuadeant, ô Deus: nam tu, non homo, non conſiliũ, non quamuis præſtans deliberatio & conatus,

Saluaſti nos de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti.

Confuſio hîc cœlitus in eos, qui innocuos diuexare ſoliti ſunt, immiſſa, duabus de cauſis contingere liquet: aut enim à Dei iudicio prouenit, qui ſuos minimè indefenſos, quæ immenſa ſuæ maieſtatis eſt bonitas, ſinit, aut noſtra è patientia: quanquam utrunq; à Deo eſt. Nullo quippe acerbiori uulnere transfigi poteſt uir probitati bonorum infeſtus, quàm ſi illos audit ſuas irridere perſecutiones, perindeq; minas, exilia, & cruciatus eo ferre animo, ac ſi blanda amicorum eſſent oblectamenta. Nos itaque, qui ſub aduerſitatum lima ſplendidiores per Chriſtum reddimur,

In Deo laudabimur tota die, & in nominę tuo confitebimur in ſeculum.

Hebræorum interpretes, laudabimus, uertunt, tota die: hoc eſt, ut reddit Symmachus, per omnẽ diem. Aquila uerò, per totam uitã: & nomen tuũ, inquiunt, in æternum celebrabimus. Quid autem illud ſit, quòd de reportato ab hoſtibus triumpho, partaq; uictoria laudare debeamus, nos eſſe exiſtimo: & tunc laudare, pro gloriari, ut interpretantur doctiores, accipi par eſt. nam qui gloriatur, ſeipſum laudat: uerũ iſtiuſmodi laus aut gloriatio, tota in efferendo Dei nomine atq; honore poſita eſt. Nam qui ſe dono aliquo aut uirtute affectũ à Deo gloriatur, gloria hęc in diuinũ refunditur honorẽ, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Cæca enim omnino eſſet anima, quę cœleſtibus ditata muneribus, in ſe meritum, unde laus quædam ſordida ac turpis dimanare ſolet, atq; honorem reflecteret. Atqui ne abſurdum aliquid à uate hîc dictũ ſuſpiceris, prioris hemiſtichij addita eſt interpretatio: Confitebimur, inquit, tibi in ſeculum: id eſt, te laudabimus, tibiq;

C gratias ob immenſa illa patribus collata beneficia, die noctuq́, quoad uixerimus, agemus.

Nunc autem, hoc eſt, tranſacta illa patrum felicitate ac fide, qua media, quicquid optabant, abs te facilè impetrabatur, nos, noſtris ſic poſtulantibus meritis,

repulisti & confudisti, & non egredieris Deus in uirtutibus noſtris.

Neq; id ſatis quidem tibi, ut es natura æquiſsimus, uiſum eſt: nam

Auertisti nos retrorſum poſt inimicos noſtros, & qui oderunt nos diripiebant ſibi.

Heu diuinam ultionẽ, heu quàm terrificũ eſt incidere in manus Dei uiuentis.

Inſuper dedisti nos tanquam oues eſcarum, & in gentibus diſperſisti nos.

Vendidisti populum tuum ſine precio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

Quid propterea ſubſecutum eſt?

Poſuisti nos opprobrium uicinis noſtris, in ſubſannationem & deriſum his qui in circuitu noſtro ſunt. Ad hæc, *Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus, cõmotionem capitis in populis.*

Hiſce, atq; horum ſimilibus ſolent queſtibus ſanctiſsimi quoq; uiri interdum tum ſuam, tum reliquæ multitudinis mille uitiorum laqueis præpeditæ, ſortem deflere, ſingulatim q́ enarrare apud Deum: ſignũ nimirum maximi doloris ac fidei. alioqui certè tam longa pro noſtra miſeria concio coram illo, qui perfectiſsimus humanorum cordium perſcrutator eſt, minimè eſt neceſſaria: uerùm ingenti id dolori donandum eſt. Repulisti, inquit, nos ueluti uiliſsima proiectamenta ab irato uultu tuo: confudiſtiq́ nos, tanquam noſtris in poſtulationibus inauditos, ſpretosq́. Ex quo porrò contemptu, noſtra omnis exorta eſt confuſio, illudq́ effectum, quòd non amplius tu noſtris cum exercitibus, utpote dux potentiſsimus, inuictusq́ imperator, ut olim cõſueueras, egreſſurus ſis. Virtutes enim pro robore ac belli neruo ab interprete noſtro ponuntur: unde ab Hebraicæ linguæ peritioribus hæc dictio, exercitibus, redditur, non uirtutibus. Quare ſic Fe-

D lix: Non es egreſſus cum exercitibus noſtris. Paraphraſtes uerò: Quî fieri, inquit, poteſt ut nunc deſerueris nos, & ignominia affeceris nos, nec ingrediaris nobiſcum, ſicut ſoles, in prælium? Vide quàm familiariter, quantaq́ cum fiducia, anima Deo plena, ſuum alloquitur ſponſum, illiq́ non tantum quidem ſuas, quantum aliorum, æquè ac ſi ſuæ eſſent, exponit calamitates. Quæ enim coniunctam ſic cum Deo animam calamitas uel parum quidem turbare poterit? Neq; mors, inquit Paulus, neque uita poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Illud propterea in nõnullis, etiam ex iſs qui ſe cœlum manu tangere opinantur, reprehenſibile, qui cùm ob uitæ puritatẽ, flagrantemq́ ſpiritum, Deum ſibi prorſus conciliaſſe uideantur, conciliarũt quoq;, ad leuem tamen iniuriarum ictum expaueſcunt, eneruesq́ facti, repentè ab inſtituto reſiliunt, queruntur q́, ac ſuas omnibus declarant afflictiones. Admonendi hi quidem ſunt, ut ſui prius ſolidam concipiant notionem, quàm temerario forſan auſu, atq; inconſultò, ſupra id, cuius capaces neutiquã ſunt, ſe extollant. Sed ad animæ querelas redeamus. Auertiſti nos, inquit, retrorſum poſt inimicos noſtros: clarius Hebræi, Conuertiſti nos retrorſum à tribulante. quorum omnium uerborum ſenſum eleganter exprimit Paraphraſtes: Coëgiſti nos, inquit terga præbere hoſtibus, & præda facti ſumus illis, qui odio habebant nos. Succurrit hîc mihi dux ille ſtrenuus, ac Deo amicus, Mathathias, quem cum filiis è prælio ad montes confugientem, ex militibus non parua ſecuta eſt manus. Typus is quidem futurorũ. Atqui anima tum quidem hoſti præſertim inuiſibili terga dare uidetur, cùm aut corporis grauata onere, carnisq́ mollitie & teneritudine deuicta, aut quia bellorũ expers eſt, atq; propterea imbellis, congreſſusq́ impatiens, armis illicò ad primum uix hoſtium impetum abiectis, fugam arripit: hoc eſt, ſe uictam fatetur. quanquam melius dixiſſem, animas à ſeſe, propriisq́ cupiditatibus deuictas, non à mole inerti corporea atq; immobili, ſeductas peccare, quibus idcirco illud quod à uate additur, contingere neceſſe eſt. Dediſti nos, inquit, tanquam oues eſcarum, & in gentibus diſperſiſti nos. Oues in cibo, uertit Fel.

uel,

A uel, ut alius, gregem comeſtionis. Solent enim qui oues ad lanificium poſterita-
teḿq; enutriunt, illas, ab ijs quas macello deſtinauerunt, ſeligere, atq; ita ſelectis
è grege, reliquas iugulandas lanijs tradere: quarum quidem conditione quid in-
felicius? Hæc omnia enim miſeriã penè intolerabilem interdum ſanctis Dei ui-
ris accidere præ ſe ferunt. Simile quiddam cùm aliàs ſæpenumero, tum ab Antio
cho illo immani, perpeſsi ſunt Iudæi, qui nõ ſemel, ut ſacri teſtantur annales, par
tim ab hoſtibus trucidati ſunt, partim fugati captiq;, ac uiliſsimo uenditi precio.
Proinde additum eſt, Vendidiſti populum tuum ſine precio, & non fuit multitu
do in cõmutationibus eorum. Hîc penè mihi uideor audire Paulum clamantem:
Ego homo peccator, ſum uenundatus ſub peccato. Vel illud Eſaiæ: Gratis ue-
nundati eſtis. Cuius uerò imaginis iſtiuſmodi ſit uenditio, alio in loco graphicè
admodum effigiat dicens: Domine Deus noſter, poſſederunt nos domini abſq;
te. Quòd porrò quis uili dicatur precio uendi, aut nullo, ad eius contemptum di
citur. Prauos enim, nulliuśq; frugis ſeruos, non ſolùm abſq; precio nõnunquam
diſtrahimus, uerumetiam illorum emiſsionem pro magno aſſcribimus lucro. Et
non fuit multitudo in cõmutationibus eorum: hoc eſt, non magna quidem fuit
pecuniarum uis ac ſumma, cùm uenirent, ærećq; commutarentur. Precium, in-
quit quidam, quo alienati ſumus, ad paruam aſcendebat ſummam. Verùm a-
lium huius hemiſtichij eſſe ſenſum, litera quæ eſt Hebræis oſtendit. Fel. ſic uer-
tit: Et non multiplicaſti in cõmutatione eorum. Item alius ex Hebræo: Non au-
xiſti in permutationibus eius. Rurſus ex eodem fonte alius, alioq; ſenſu: Vendi-
diſti, inquit, populum tuum in frequenti mercatu, neq; tenaciter contendiſti de
precio eorum. Sed Paraphraſtes ſic totum uerſum clarè, ut Paraphraſtem decet,
Deum alloquens, interpretatur: Vendidiſti populum tuum, inquit, nulla pecu-
nia, nec obolo uno factus es ditior ex uenditione illorum. horum enim omnium
ſententias ponere libuit, quò obtuſiorem aliquantiſper pungerem lectorem, hor
B tarerq; quaſi ex obliquo ad ſcripturarum ſtudium & laborem. Contenti quippe
nonnulli lectione, neſcio qua, obiter inuenta, interdumq; inepta, atq; errorum
plena, nihil ultrà inquirendum eſſe exclamant, præterquam illa, quæ ſimpliciter
à ſimplicioribus ſcripta ſunt autoribus, utinam non indoctè, &, quod ſublimio-
res magis excruciat animos, impiè. Boni enim autores à bonis bonitatisq;, il-
lius quæ à Deo eſt, ſtudioſis legi debent: cæteri uerò aut non legendi omnino,
aut cum delectu legendi.

Poſuiſti nos opprobriũ vicinis noſtris, in ſubſannationẽ et deriſum his qui in circuitu noſtro ſunt.
Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus, cõmotionem capitis in populis.

Poſuiſti nos prouerbium in gentibus. quaſi dicat, infortuniorũ noſtrorum cumulo,
alioqui per ſe moleſtiſsimo, addunt & dicteria, irriſionumq; prouerbia, præ in-
dignatione & deriſione capita quaſſantes, uiciſsimq; oculis annuentes, ac nomen
ſanctum tuum blaſphemantes. De opprobrio, quo tum aliàs, tum noſtra hac æta
te afficiuntur ſerui Dei, qui res ſuas cum ſilentio atq; animi quiete curant & exe-
quuntur, aliis in pſalmis diximus, dicturiq; ſumus cùm occaſio fuerit: illud tan-
tùm nunc dicam, huiuſce generis irriſionum iactandiq; ſcommata cauſam, ab u-
traq; demanare parte: à nobis quidem, noſtram ob ignauiam uitæq; diſſolutio-
nem, ac fidei carentiam: ab illis uerò qui in circuitu noſtro ſunt, ob contractam
maledicendi obtrectandiq; rebus ſacris conſuetudinem atq; habitum, qui cùm
in rerum mundanarum copia, & luxu penè natent, aliorum quoq; inhiant fortu-
nis: unde illis facilè peruerſus obuenit mos, ut illorum corrodant uitam, quorum
facultates nequeunt: illiſq; inuideant & oblatrent, quorũ bona auferre cõnitun
tur. Quocirca (ut de me loquar, qui quantum poſſum turbas omnes auerſor) hoc
in ſeceſſu Caſini, tum mole ipſa montis, tum monachorum ſanctitate ſublimis,
deliteſco, penitusq; me me, ne audiam, ne uideam, ne inquiner, ne mœrore con-
tabeſcam, abdo. Letaliter enim quodammodo uulneror, cùm religioſos audio
uiros á plebe deriderí, atq;, ut efficaciori utar uerbo, catamidiari, illud ſemper ti-
mens, ne nos in cauſa ſimus. Quare

C *Tota die verecundia mea contra me est, & cōfusio faciei meæ cooperuit mę, à voce exprobrantis & obloquentis, à facię inimici & persequentis.*

Narrat hîc anima suum dolorem continuum esse (id significat, tota die) dum oblocutoribus opprobrantibus ac impudentissimè conuiciantibus, seu ut uertit Aquila, blasphemantibus sanctorum cœtum obnoxium esse, & id impunè, conspicit. Quod sic reddit Hebræus: omni die ignominia nostra ante oculos nostros est, & pudor uultus nostri operit nos: id est, nos totos occupat. Is enim mos est illis, qui maximo afficiuntur pudore, faciem sustollere non audere, quin potius uelare, si licet, & tegere, ut in ualde pudefactis uidere est. Quare cupiens anima suam ostendere confusionem ac uerecundiam illorum ergò, quæ quotidie in sanctorum, suæq; religionis ignominiā iactari audit, consuetis inter homines utitur uerbis: uerùm nō propterea à fiducia, quam erga Deum concepit, ne latum quidem unguem discedere animus est. Ideo subinfert,

Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo.

Omne hoc, reddit Fel. uenit super nos, & non oblíti sumus tui, & non mentíti sumus in fœdere tuo. Magna profectò uis ea est amoris, qua anima erga Deū afficitur: uide enim quomodo tantis suis in expostulationibus ab amato minimè auersa sit, sed contrà potius fateatur se nunquā, etiam in medijs ipsis infortunijs, Dei immemorem extitisse, nunquámue fœdus iam olim cum suo amato initum uiolasse. Nihil falsum, inquit, nihil iniquum, fraudulentumq; & dolosum, in tua sancta lege ac testamento cōmiscuimus: sed quicquid tibi, mi Deus, polliciti sumus, id te opitulante seruauimus. Atqui ea hæc est laus & gloriatio, de qua suprà, In Deo, inquit, laudabimus tota die, & in nomine tuo confitebimur in seculum. Felicissimum id sanè laudis genus est & gloriationis, cùm quis se Dei amicum esse gloriatur. Fuit ne unquam celebrior inter homines uel honor uel dignitas? Aspice, te obsecro, quanta cum fiducia Deum alloquitur:

D *Et non recessit retrò cor nostrum.*

Amor scilicet noster nullam aliam ad rem, te relicto, translatus est. Auia enim qua ad te itur, non retrocessit unquam cor nostrum.

Et declinasti semitas nostras à via tua.

Consuetudo Hebræis est, ut negationē duobus locis seruire faciant, ut in hoc uersu. Quare diuus sic uertit Hieron. Nec declinauerunt gressus nostri à semita tua: ut illud, nec, magis additū à uiro sancto intellígas, explanandi gratia, quàm quòd in codicibus Hebręis inueniatur. Noster quippe interpres, prout sonat Hebræus, uertit: itidem quoq; Chaldæus: uerùm negationem, ut dixi, utrunq; hemistichium complecti oportet, ne sensus secum pugnare uideatur. Cæterū uia Dei, uia æqua est, ut ait uates quidam, uia iustitiæ, uia amoris, uia ueritatis: hoc est, diuinæ est iussionis consummatio, perfectaq; in Dei obsequio constantia: à qua tamen iustissimo Dei iudicio declinare præclarissimi interdum uiri sinuntur, ut inde, quid propriè uires ualeant, quid item diuina gratia, & cognoscāt, & alios edoceant. Idcirco Esaias illorum uice quibus nondum compertum est, quanta animi puritate ac fide, morem Deo gerere oporteat, exclamauit: Quare fecisti nos errare à uijs tuis? indurasti cor nostrum ne timeat te,

Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.

Si obliti sumus Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum, nónne Deus requiret ista?

Quàm animosa redditur anima, quæ nullius turpitudinis conscia, nulla expalescit culpa. Quoniam, inquit, deiecisti nos in teterrimum afflictionum locum, nosq; totos planè calamitatum tenebris, quas umbram mortis appellare fas sit, obtexisti, nō propterea tui sancti nominis ac cultus immemores esse uoluimus, neq; subinde uanos ethnicorū deos, ut complures faciunt, eorumq; opem implorauimus. Si hæc quidem egissemus, num certi non fuissemus Deum illa non latu rum? Nónne requisiturus ea fuisset ille qui arbiter omniū est? Certè enim cordiū secreta

A ſecreta quamlibet abdita tam uigilem iudicẽ minimè fugiunt, multò uerò minus aperta quę fiunt à mortalibus, ac plena luce. In loco afflictionis, Hebræorum interpretes, & in primis D. Hieronymus, reddunt, in loco draconum: quod perinde dictum putant, ac ſi dixiſſet, In eam nos protruſiſti ſeruitutem, nempe ſub illorũ dominatione qui feritate draconibus ſimiles ſunt. Alij rurſum pro locis deſertis & arenoſis, in quibus maximi oriuntur & creſcunt dracones, dictiones illas poni arbitrantur. Quod quidem quàm horrendum ſit, metuq́; plenũ, habitare ſci licet ubi habitant dracones, ſtupidus prorſus es, ſi id te ignorare dicas. Quis duro animo ſiccisq́; oculis illud Maccabæorũ aut legere aut audire unquã potuit? Iudas, inquit, Maccabæus ſeceſsit in deſertũ locum, ibiq́; inter feras uitã in montibus cum ſuis agebat, & fœni cibo ueſcentes cõmorabantur. Cæterùm umbram mortis appellant quidã calamitatẽ, quæ cùm præſens eſt, tam eſt acerba, ut morti penè ſimilis uideatur. Vmbrã, inquiunt, eam appellauit, quia umbræ rebus ſimiles eſſe ſolent, quarũ formas repræſentant. Vmbrã etiam mortis peccatũ eſſe alias me dixiſſe memini: ſed alia res eſt: nunc enim pro tentationũ mole tetroq́; perſecutionũ profundo atq; abyſſo dictum eſſe liquet. Siue igitur draconũ legas cum Hebræis, ſiue afflictionis cum Græcis, eundem prætendit ſenſum, quem ſic reddit Paraphraſtes: contriuiſti nos interim locis, quibus nõ homines, ſed dracones habitare uidentur. Nam pluribus in locis ſcripturarũ, rixoſos homines ac exleges, uarijs ferarũ nominibus nuncupari inuenies. Quare nequaquã mirũ eſſe debet, ſi homines illos qui ad hoc nati uidentur ut inquieti ſint, quamplurimisq́; noceant, ut permultos nos quoq́; nouimus, dracones appellauit uates, appellantq́; quotidie integerrimi quiq́; uiri, quibus morte dirius ſemper uiſum eſt, ſanctum Dei nomen atq; honorem cernere improborũ libidini tradi, horrendasq́;, & id (malùm) impunè, audire blaſphemias, oblocutiones, maledicta, proborũq́; exilia ac mortes. Heu hominũ confidentiam, nónne Deus tandem requiret iſta?

B Eſt rurſum in ſcripturis draconũ planctus, & ſtruthionũ horribiliter in deſerto eiulantium: quod quidem locutionis genus cùm reperiri cõtigerit, uaſtationem ibi maximam, luctuoſamq́; eſſe miſeriam intelligas. Vnde illud eſt Micheæ: Faciam, inquit, planctum ſicut draconum, & luctum quaſi ſtruthionũ. In hac enim uatis querela, Deum non ultrà populi illius miſerturum intelligi oportet. Struthio porrò, ut eſt apud rerum naturalium indagatores, cùm primùm pullos produxerit, in illos ſtatim, ac ſi ſui non eſſent, induratur. Sed ad pſalmum.

Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.
Exurgẽ, quarẽ obdormis Domine? exurgẽ, & ne repellas in finem.

Hîc certè, inquit, tua res agitur. Quis, oro, dominus ſuum cernens ſeruũ pro ſe ſuoq́; honore decertantẽ, atq; inter hoſtium gladios periclitantẽ, non it illi ſuppetias? Sæuus is quidẽ reputabitur, planeq́; ingratus, ſi non ſubueniet. Id igitur grati animi obſequiũ, quo ſe libenter occumbere, mortẽq́; pro tutando illius honore ac cultu oppetere, tanquã Dei beneuolentiã impetraturus, oſtentat uir ſanctus. Simulac, inquit, pro te, nõ ſecus ab improbis ſceleſtisq́; ſicarijs iugulamur, paſsimq́;, ut ſolent oues à lanijs, trucidamur, quid adhuc dormitabundus ociaris? Cur tuos, æquè ac ſi alieni eſſent, contemnere uideris? Expergiſcere Domine, ferq́; opem, ne perpetuò neglecturus tuos uidearis. Iam ærumnarum infortuniorumq́; adeò accreuit cumulus, ut noſtram omnino ſuperet uirtutem. Hinc enim, fateor, impudentiſsima illectat caro, illinc mundus, illecebræ, uariæq́; phantaſmatũ imagines ac formę mihi illudere conantur. Ad hæc deterrent dæmones, ineſcant rurſus, adblandiuntur, minantur. Quò me uertam? uel eò maximè ſi nefarij perditiq́; homines, ſuo in meum exitium patrocinantur principi?

Quarẽ faciem tuam auertis? obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?

Longa nimirum uidetur animæ mora illa in Deo, qua ſuis differt auxiliari: ignorat enim quanta cum ſapientia & conſilio, res ſuas agat Deus: qui quidem tunc illi quodãmodo dormire uidetur, aut iratus omnino eſſe, cùm nõ ſuccurrit,

C idcirco faciem illam ſuam uiuificam, qua uel ſemel inſpecta, putrida reuiuiſcunt corpora, nedum animæ, indignabundus auertere. Summæ profectò indignationis ſignũ id eſt, & iracundię in iudice, aut principe illo, qui cùm à miſero quopiã rogatur, uultũ furibundus auertit, atq; aliud cogitare ſe ſimulat. quare inauditus ſecretè ſuam deflet ſortem, publicè non audet: interim uerò ab auariſsimis magiſtratibus tum ille, tum cæteri miſeri licenter, utpote cum principe in populi pernicíem coniunctis, proteruntur. Ad Deum itaq; conuerſi, quanto poſſunt clamore, ſuas cum illo expoſtulant calamitates. Cur faciem, inquiunt, etiam tu tuam æquè noſtris à querelis deflectis abſcondisq;, ac ſi ex hiſce ignauis unus eſſes príncipibus, qui nos aut nõ audiunt, aut auditos utcunq; (facilè ex congreſſu ciuium ſtomachantur príncipes) ad magiſtratus interdum corruptos, ciuiliſq; ſanguinis ſitibundos reijciunt? Putás ne, mi lector, tot pijs prouocatum querelis Deum, poſſe ad ſuorum ærumnas díutius cõniuere? Sciunt mei ciues quid nuper ſua in ciuitate actum ſit: clamauerũt certè ad dominũ, & ipſe exaudiuit eos: faxit Deus ut illis meliora contingant in poſterum. Quid clamauerunt rogas?

Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra uenter noſter. Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.

Conglutinatus eſt, Fel. uertit, adhæſit. Videtur mutuata ſimilitudo ab his qui letaliter percuſsi, ſolo hærent penitus, quantiq; ſunt, attoniti diſtenduntur. Cæterũm quòd noſter interpres uertit, Propter nomen tuum, Hebræis eſt, propter bonitatẽ tuam, ſeu, miſericordiã tuam, ut Fel. Vtcunq; autem literã accipias, explo-ratiſsimum id eſſe debet, natura nos irę filios eſſe, idcirco nullam nobis à mundo inferri poſſe plagam, quæ noſtris nõ debeatur peccatis. quare de his quæ nos nobis ſpontaneo aſciuimus conſilio & uoluntate, quî querimur? quid perinde ac ſi indebitè nobis prouenirent aduerſitates, aut illas declinare nitimur, aut ſaltem
D ægro, ac, uel uſq; ad deſperationẽ, reluctante ferimus animo? Inſaniæ argumentum id eſt, ac teneræ nimium imbecillitatis ſignũ. Illud poſtremò notandum, dictiones illas, Humiliata eſt in puluere anima noſtra, Conglutinatus item uenter noſter in terra, maximam animæ præ ſe ferre deiectionem ac deſpectũ. quid puluere deſpectius? quid ſubmiſsius uentre humi ſerpente? Sic Paraphraſtes: Proſtrati ſumus uſq; in terram, & uenter noſter terræ adhæret. Exurge tandem ut auxilíeris nobis, & libera nos pro immenſa benignitate tua, ô Deus, cuius nomini laus ſit ſemper atq; honos in ſecula ſeculorum, Amen.

PSAL. XLV. Vincenti ſuper lilia filiorum Choræ eruditiuum. Canticum dilectionum.

Ructauit cor meum uerbum bonum, dico ego opera mea regi.

Cùm omnes etiam Hebræorũ interpretes hunc pſalmũ de Chriſto atq; eius Eccleſia exponunt, ſed in primis D. Hieronymus, tum maximè Chaldæa translatio, eo nixa uerſu quo dícitur, Pulchritudo tua rex Meſsia, ſuperabundat à filijs hominis. quod quidem noſter interpres ſic uertit: Specioſus forma præ filijs hominũ. Item illud: Et concupiſcet rex decorem tuũ, quoniam ipſe eſt dominus Deus tuus, & adorabunt eum: ſeu adorabis eum, ut díuus uertit Hieron. Quę ſanè omnia de Dauide aut eius filio Salomone intelligi, ut nõnullos interpretari uideo, abſurdius eſt quàm quod multis conuinci debeat. Non negauerim tamen patrem de filio in hoc pſalmo tanquam Chriſti typo atq; umbra ſic prædixiſſe, quæ tamen in Chriſtum atq; eius ſponſam, quæ in Canticis amatorijs ſe amore perlangueſcere fatetur, deſinerent. Lilia in titulo utrunq; complectitur nomen ſponſi & ſponſæ. Vnde in Canticis ſimulac ſponſa ſponſi pulchritudinem laudauit, ille contrà ſuę dilectę non auerſatus laudes, laudem ei rependit uices, dicens: Ego flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Hic igitur Chriſtus atque Eccleſia, quam ille unicè deperit, ueluti in ſcenam introducuntur, haud illam quidem quæ immode-

A moderatiſsimo apparatu & luxu, ad ciuium corruptionẽ publicè ab urbium dy-
naſtis nonnunquã ſacris initiatis, peſsimo ſimplicium atq; in fide rudium exem-
plo agitur: uerùm illam quę altiſsimis adumbrata myſteriis, ſuos ad ſe adeò rapit
ſpectatores, ut ex hominibus deos penè faciat. Sed antequam ſacri huius epitha
lamij dialogum excutiamus, de proœmio prius nonnulla. Is enim mos eſt illis
qui præclara quædam narraturi ſunt geſta, literisq; mandaturi, ut proœmia præ-
ſcribant. Quem ſanè morem à uate noſtro ſeruatum hoc in pſalmo cœleſtium re-
rum fœtura grauido, diuinicq; connubij buccinatore, & cernimus, & uenerabun
di exoſculamur. Itaq; proœmij exordiũ id eſto: Eructauit cor meum uerbum bo-
num, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus ſcribæ uelociter ſcribentis.
hucuſq; præambulum. Cor meum, inquit, muſto ſpiritus, diuinaq; quodammo-
do oppletum crapula eructauit, more ſcilicet ebriorũ. Quid, oro, eructauit? Ver-
bum, inquit, bonum, ſuaue, iucundum, amatoriũ. Diuinum prorſus id eſt, quod
euomere geſtit. Proinde quicquid canere inſtitui, & nunc lucubro, id totũ meo
regi, & cano, & lucubro. Cæteras quippe lucubrationes inutiles eſſe exiſtimo,
præter illas quæ ad honorem fiunt Dei. Illic enim percipit anima, quid ſit uer-
bum illud, quod hîc è uatis corde erumpere nititur. Rachas dictio, quæ in pri-
mo ſtatim exordio uerſus Hebræis eſt, illam propriè cordis loquutionẽ indicat,
quæ nondum ad os, ut exeat, peruenit: attamen cor illam ab ſeſe emittere medi-
tatur & contendit, ſed plerunq;, ut in efferatè nimium lætis cõtingere uidemus,
nequit. Quare quidam ex Hebræo uerterunt, ebullit: Paraphraſtes uerò, erum-
pit. Verùm equidem (ut quod eſt non diſsimulem) cùm hęc cõmentor, ſuccurrit
animo, nihil aliud id eſſe uerbum, quod bonum uocat propheta, quodq; in eius
ebullit corde, quàm ut ſponſum faciat ſuæ iam tandẽ dilectę dicere, Amo. O cer
tè uerbum ſuper omnem bonitatem optimũ, perfectum, diuinũ, ſimulatq; à tam
parua dictione noſtra omnis orta eſt ſalus. Quid, mi lector, fuiſſet unquam mor-
B talium genus, niſi Chriſtus ſuam adamaſſet Eccleſiam? ſuam columbam? ſuam
formoſam? nullum quippe animal infelicius homine inueniretur. Sed poſtquã
amor ille in immenſum adeò creuit, ut tam ardentem amaſium pro ſua mori di-
lecta, & morte quidem infami ac ſæua, adegit, felicíſsimus omnium quæ ſub
hoc cœlorum tegumento, forſan & quæ ſupernis in regionibus uitam degunt
cœleſtem, factus eſt homo. Quocirca ingratiſsimi omnino inſimulandus erit a-
nimi, ſi quicquid agit, aut cogitat, aut ſcribit etiam, id totum illius non dedicat
honori, qui cùm meritò damnare eum poſſet, ex gratia ſeruare maluit. Cæterùm
illud quod ſequitur,

Lingua mea calamus ſeu ſtylus ſcribæ uelociter ſcribentis,

Studium canendi maximum teſtatur, cùm linguam ſuam ſtylo ſcribæ celeris
atq; expediti comparat. Nam certè ut expeditè, ita percupidè ſe laudes regis ce-
lebraturum hoc dicto demonſtrauit, ne ſpiritum ſanctum Dei pro ſcriba huc mo
dò auocemus, ut quoſdam ſuis in commentarijs agere cernimus: quanquam nec
id quidem omnino diſplicet, cùm ſpiritum Dei, digitum in ſcripturis nuncupa-
ri lego. Vnde Eccleſia in hymnis ſpiritum ipſum alloquens canit: Dextræ Dei
tu digitus. Illud quoq; ſeruatoris: Si in digito Dei eijcio dæmonia, filij ueſtri in
quo eijcient? In Moſe etiam legis tabulas, Dei digito conſcriptas ſacra narrat hi-
ſtoria. Diuus hîc Auguſtinus ſuas ſibi ſolitas connectens alas, in cor patris tranſ-
uolat, ubi æternum illud uerbum, & uerè bonum, à quo noſtra omnis bonitas o-
riginem nacta eſt, conceptum inuenit. Sed iam epithalamium, uiſo præambulo,
diſcutiamus, in quo ſponſa illa, quam cœleſtis pater ſibi, ut eam filio ſuo dilectiſ-
ſimo coniugio copularet, è fæce mundi per gratiam delegit, ſui ſponſi laudes ita
texit, ſed prius à forma:

Speciosus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

Nulli dubium, quòd qui dignioribus animis, præclarioribusq; ingenijs ſunt

C prædíti, ut reges maximè decet esse ac príncipes, formę etiã præstantia pollere so
líti sunt. quòd si secus aliquando cõtingat, id raro quidem: secundum enim com-
munem existimationẽ loquor. Proinde illud à rege potissimũ sic cœlitus ornato
prouenire certũ est, quòd populis terrori magis sit ac reuerentiæ, quàm is cuius
sordido tum animo, tum ingenio, deformitas quoq; corporis coniuncta est. Ve-
rùm alius in sponso, alteriusq; generis decor ac forma, quàm sit in homine mor-
tali, citoq; transituro, à sponsa laudatur. Sic Paraphrastes: Supra modum formo
sus es, nec quisquam ex posteris Adæ conferri tecum ulla ratione poterit. Vo-
lunt enim utranq; breuiter in Christo naturam hîc depingi, humanã scilicet sub
speciei nomine, diuinam uerò sub pulchritudinis. Quarũ sanè excellentia, qua-
lisq; in illis fuerit, sitq; perpetuò & decor & gratia, difficile non erit, non dico co-
gnoscere, nam id quidem impossibile, uerùm saltem quasi per transennã intueri,
his tantummodo, qui cœlestibus rimandis rebus assueti, sensum omnẽ suum atq;
intellectum in contemplanda mirabili illa in Christo unione, quæ captum om-
nem humanũ excellit, attentius figunt. Cùm enim Deus esset (intelligis ne quæ
dico, cùm Deum dico?) cùm Deus, inquam, esset, pulchritudinũ omnium machi
nator, sine quo quidem fœda essent omnia ac turpia, quî fieri potuerit, quin illius
quædam diuinitatis notæ, ab illis membris Dei digito fabrefactis concretisq;, è
purissimis uirginis uisceribus, teste Deo solummodo, id est, obstupescente natu
ra, non eluxerint? Quas tamen notas neq; ego quidem distinctè delineare cona-
bor, simulatq; uideo cœlestem sponsam illius pulchritudinem ac formam gene-
ratim duntaxat, ut res solent difficiles, comprehendisse. Illud unum dicam, nul-
lam unquam formam, nullam pulchritudinem, nullam elegantiam, nullum de-
corem in mortali homine fuisse, neq; esse posse, quin longè excellentius in pul-
cherrimo Christi corpore extiterint. Quàm uerò sublimis, cunctisq; absoluta nu
meris eius fuerit anima, tute, è copula illa ineffabili cum diuinitate, coniecturam
D facito: ego enim illius dotes me magis admirari fateor, quàm uelle calamo disse
rere. Verùm quid canat sponsa uideamus. Diffusa est, inquit, gratia in labijs tuis,
propterea benedixit te Deus in æternum. Laudato sponso à forma, nunc ab elo-
quentia, leporeq; sermonis laudat: quæ sanè pars in principe non mediocrẽ sibi
uindicat locum: ut de Salomone legimus, qui adeò orationis gratia & facundia
ualuit, ut multos & reges & príncipes, & ex sapientioribus non paruam manum
ad se audiendum traxerit, sed in primis reginam illam ex orientali plaga egres-
sam, idcirco ut audiret sapientiã Salomonis, ut in Regũ gestis cernere est. Quan-
tum porrò Christus uel puer in terris uiuens elegantię & in uerbis & in moribus
præstiterit, norunt legisperiti illi Iudæorũ, nedum uulgus, qui in templo tam gra
tiosum puerum (duodecimũ tunc agebat annum) concionantem disputantemq;
audientes admirabantur, unde tam doctus sermo à puero, qui líteras non didi-
cisset, emanaret. Iacula quidem erant ignita, uerba Christi, sed quæ magis homi-
nes ad amorem, quàm ad terrorem cõmouerent. Cæterùm labia pro sermone in-
telligas posita. Ait igitur percita amoris œstro anima: O sponse posteaquã uer-
bum caro factus es, nobisq; similis in terris uisus, Deus homo, iucundus statim
aspectu, dulcisq; affatu apparuisti, nihil in te austeri habens, ne illos, quos, ut cœ
lesti patri reconciliares, mansuetissimo quodam, ut sic dicam, artificio pertracta
bas, metu refringeres ac deterreres. Num scientiam in primis, aut cognitionem
rerum illam, qua maximè mortalium ingenia tumescere solita sunt, diffusam ha-
bes in labijs tuis? Non hanc quidem in te uideo, sed gratiã potius, sed dignitatẽ,
sed sermonis mansuetudinẽ atq; humilitatẽ, qua peccatores potissimũ allicis, nõ
terres: qua Euangelíũ, iugumq; suaue prædicas, qua fidem, qua amorẽ, nõ legis
minas terroresq; ac mortem, annuncias. Num quid suauius in terris unquã audí-
tum est? num uel ab ipso rerum exordio uisum? O si, mi lector, ambo unà tam iu-
cundi spectaculi, ubi aliud nihil q̃ pax, quàm charitas, quàm mutua in his quæ
Dei sunt, consensio docebatur, spectatores fuissemus. Quis tam frigidæ mentis
homo est, qui id non cupiat? Verùm unde tantus gratiarũ effluxit líquor? Propte
rea

A rea quòd benedixit te Deus in æternum. quò non nobis clam sit, Dei patris beneficentiam causam extitisse, quòd filius tam gratiosis moribus in terris uisus sit, ac super omnes mortales speciosus. Sic ab aliquibus hûc intelligi uersum uideo. Plures nihilominus cum nostro consentiunt interprete, cuius litera eum habere sensum uidetur: Idcirco benedixit te Deus in æternum, id est, te immensis pater cõdecorauit muneribus, quæ finem habebunt nullum, quia natura speciosus es, genuinaq; gratiarum dote copiosissimè præ omnibus ditatus. Cùm igitur talis tantusq; sis, ô pulcherrime,

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, specie tua & pulchritudine tua.

Hîc sponsa sponsum à fortitudine laudat, similitudine nimirũ à duce, aut principe illo præsertim, qui se patrem pastoremq; populorum ac militum præbet, assumpta: is enim ne in somno quidem, bellorum præcipuè tempore, quiescit, sed dormiens, ut ita loquar, uigilat. Vide an elegantius accuratiúsue unquam legeris, quæ in principe debeant esse, partes describi. Inuitatur hîc itaq; rex noster à regina, ut arma sumat, ensemq; lateri accingat: qui sanè ensis, decor quidam regius esse solet. nam Hebræi sic integrum hunc legunt uersum: Accinge gladium tuum super femur, gloria tua & decor tuus: hoc est, qui gladius gloria tua est ac decor, ô potentissime. Paraphrastes item sic: Accinge gladium tuum femori tuo, ô potentissime: laudem enim & honorem magnificè assequeris. Verùm quia Ecclesiæ arma spiritualia sunt, ut inquit Paulus, non carnalia, à sponso nimirũ Christo, qui in spiritu amari colíq; in primis debet, accepta, aliud hîc armorum genus quærendum esse arbitror, quod è ferro aut ære minimè fabrefactum sit: diuinas illa esse scripturas definierunt patres, quibus sanè spiritualia nequitiæ in cœlestibus occîdi solent, quemadmodũ illis corpora solummodo corruptibilia & caduca. Hîc igitur à uate uice futurę sponsæ è cœlo quodammodo trahitur spon
B sus, inuitaturq; iam tandem, diu expectatum exequi liberandorum à captiuitate mortalium negotium, prouinciamq; illam tam homini necessariam, illíq; soli debitam, utpote omnium fortissimo aptoq; ad debellandũ radicitusq; euellendũ amplum mundi dominiũ, ac regnum dæmonũ aggredi. Sponsa itaq; à consueto belligerandi usu non discedens, uocat gladium uerbum Dei, quod est Euangelium: femur uerò, per quod carnalis designatur procreatio, uocat Christi humanitatẽ (ut recepto iam utamur uocabulo) qua assumpta, unitaq; diuinitati, maximam sibi apud patrem conciliauit gloriam & claritatem. Vnde illa est è cœlo audita patris uox: Et clarificaui, & clarificabo. quare is erit sensus: Appareat iam tandem, ô potentissime, caro illa tua à conditarum rerum origine mundo promissa, diuq; à me desiderata expectataq;, ut uerbum illud iam demum salutis audiamus: cuius sanè efficacia ipsi etiam perditissimi homines, in profundumq; malorum ac desperationis proiecti excitabuntur, sumentq; animum, ac sponte ipsi sua iugulum tam uiuifico uulneri præbebunt, actiq; in fugam hostes, aut ignominiosissimè trucidabuntur, aut æternas in miserias detrudentur.

Intendẽ, prosperè procedẽ, & regna propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.

Verba plerunq; in nostro interrupta interprete, concisíq; uersus id agunt, ut in excutiendo sensu Delio interdum opus sit coniectore. quanquam tamen suos & ipse habet sensus, pios nimirum & castos: uerùm ubi litera, quæ est Hebræis clarior uisa est, nonnihil ab illo, licet inuitus, diuerto, quò sensus lucidior reddatur, ut hîc planè necessarium fieri duxi. Quemadmodum enim superiorem uersum Hebræorũ ita uertunt interpretes, ut diximus, sic & hunc sequentem plenio rem reddunt, nempe cum subsequenti coniunctum, hoc modo, ut uertit Fel. Et decore tuo prosperare, equita super uerbũ ueritatis & mãsuetudinis & iustitię, & docebit te terribilia dextera tua. Nam supra dixerat: Accinge gladiũ tuũ super femur tuũ, qui est gloria tua, & decor tuus. Modò uerò decoris nomine delectata sponsa subiungit: Et decore isto tuo, qua cunctis admirabilis es, undeq;

C serenitas quædam iucundissima dimanat, nos aspice, veniq; felici comitatus, ut decet regem, prosperitate, terrificoq; excluso mortis atq; adeò peccati regno, regna, & nos prorsus, qui tanquã oues erramus absq; pastore ac duce, ad te trahe, reuoca, cogeq;, si lubet. Quid tandem? Currum ueluti adornatũ mansuetudinis cõscende, equitaq; propter causam fidei & ueritatis & iustitiæ, quæ planè omnia in mundo extincta sunt. Et sic nimirum tua te dextera, potentiaq; ac uirtus, ad maxima perpetranda facinora & mirabilia adhortabitur. Chaldæus habet: Docebit te dominus, ut terrorẽ inferas cũ manu dextera tua. Loco porrò, procede, Hebræis est, inequita. & est perinde ac dicas, inequita, ueharisq; his rebus, ueluti quadrigæ rotis, ueritate, fide, mansuetudine & iustitia. Vide quàm breui sic obiter compendio, qualis in terris rex esse debeat, depinxit sponsa. Da mihi igitur regem, principem, antistitemq; animarum, qui suis in pollicitationibus uerax sit & constans, in moribus mansuetus, mitis, ac omnibus suis in actionibus, regniq; moderatione iustus, nil ultrà quæram: absolutissimus is quidem erit, dignusq; cuius fidei maxima meritò hominum multitudo committi debeat: his uerò excluſis, ne ouicula quidem. Id dictum uelim ad quorundam etiam religioſorum taxandam opinionem, qui asserunt, arte potius in gubernandis populis opus esse humana, ac simulatione, quàm Dei spiritu. Error is est maximus: nam si in rebus quamlibet paruis instituendis diuino egemus lumine ac ductu, multo magis in magnis, quarum maxima omniũ est hominũ gubernatio, sed illis in rebus præcipuè, quę ad animarũ attinent informationem. Syncera hæc esse debet, spiritusq; perpendiculo diligentissimè collibrata. Sed ad psalmum.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis.

Sagittas uocat sponsa, fidei uerba, quæ aciem omnem gladij quamuis acuti superãt: uerba enim uitæ à Petro appellantur. Proinde nulla tam dura res esse potest, ac telis minus peruia, quæ ad tantillum uerbi Dei ictum protinus nõ cedat,
D emolleſcatq;. Illud præterea notandum, confusam hîc literã, sensus confusionẽ, ni aduertas, parere: qui tamẽ facilis redditur, si per parenthesim (populi sub te cadent) legeris. Verùm, cadent, ad duo referri potest, nempe ad sagittas cadentes in corda inimicorũ regis: & ad populos qui uisa regis potentia, uirtuteq; ac iustitia, proni subijciuntur caduntq;, ut dicitur, sub rege. Atqui ea in Dei uerbo sita est uis ac energia, ut quicquid nactum fuerit in homine uitiositatis, prosternat illicò: sed partim ad uitã, ut de bono odore ediſſerit Paulus: partim ad mortẽ, cordisq; duritiẽ & desperationẽ. Sed hi sua culpa atq; obstinatione in mortem franguntur, illi uerò ad uitã, ob Dei misericordiam: alioquin tum hi, tum illi eodem damnationis genere mulctandi erant. Traiecta igitur hostiũ Christi corda Euangelij telo, nõ eundẽ nanciscuntur finẽ. Quidã enim illorũ uulnus salubre nõ auersantes, ex hostibus fiunt amici, ut quondã Paulo contigit: quidã etiã unde medelam amplecti debuissent, uenenũ hausere, & id præsentaneũ. Nam qui mali prius fuerant, sanctissimo trãsuerberati gladio, peiores sua culpa ac uitio euaserũt, ut de Iuda Domini proditore legimus. Quis hîc igitur nõ exclamet: Dextera domini fecit uirtutem? dextera domini exaltauit me? Non moriar igitur amplius iustitiæ, ut hactenus imprudens egi, sed uerã uitã, quæ est in Christo Iesu, uiuã, & sic narrabo opera domini. Putásne absq; Christo, quẽ hîc tam speciosum, tam fortem, tam mansuetũ, tam iustũ, tam potentẽ regem depingit sponsa, te Dei opera tum noscere, tum meditari, aut literis mandare posse? Erras, si id putas, toto, ut aiunt, cœlo. Absq; enim capite quid uitę habet pes? quid manus? quid cętera totius corporis mẽbra? Num te latet, quòd caput uiri Christus est, caput uerò Christi Deus? O tu igitur qui uitã aues degere cœlo dignã, à capite tuo ne, si sapis, procul esto, alioquin euulsum a capite corpus marcescat necesse est, & intereat. At tu mihi præterea splendorẽ aliũ in sponso nostro, dignitatemq; nobiliorẽ cõsidera:

Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis virga regni tui.

En quomodo iam demũ spõsa, præmisso illo tam honorifico præludio, in quo sponsi formam, pulchritudinem, sermonisq; suauitatem ac lepõrem, uires insuper

A per & poteſtatem laudibus extulit, Deum illum eſſe fatetur. Sedes tua, ait, hoc eſt, poteſtas tua regia, ô ſponſe, æterna eſt, non temporaria, ut ſunt planè omnia mortalium. Eſt, inquam, uirga, ſceptrum ſcilicet regni tui, ſceptrum directionis, ſceptrum ueritatis, ſceptrum iuſtitię, non erroris, non mendacij, nõ iniuſtitiæ. In illo enim nulla inuenitur aſperitas, nulla arrogantia, nullus faſtus, nulla crudelitas, uerùm omnia placida & æqua. Quomodo autem regnum Chriſti ſit regnum æquitatis ac rectitudinis, ipſa aperiat ſponſa, & dicat:

Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

Illud non omittendum in ſuperiori uerſu, ubi nos legimus unà cum Hebræis, Deus, Chaldaica translatio ponit inenodabile illud nomen Tetragrammaton, quod ſoli Deo, uel ipſis Iudæis teſtibus, competere definierunt antiquæ legis interpretes, quò uel hinc ſaltem, ſi non aliunde, hauriant Iudæi Meſsiam Deum eſſe, de quo hunc pſalmum compoſitum eſſe affirmant. Duræ profectò iſtæ ſunt Iudæorum reliquiæ, quas per orbem penè uniuerſum incertis peruagare ſedibus uidemus. Sed ad rem noſtram. Quemadmodum enim pro cumulo uirtutũ perfecto, ut aliàs diximus, iuſtitiã in Deo ſumi legimus: ita in homine iniquitatem pro plena undequaq; uitiorum menſura intelligimus, ut in hoc pſalmo cernere eſt. Maximum porrò laudationis genus eſt in principe, ſi iniquitatẽ huiuſcemodi ſuo à ſolio excludat omnino, iuſtitiãq; amplexetur. Tunc ſanè populus ille felicíſsimus cenſeri debet, cui princeps illius moris contingit, qui nihil nõ ſyncerũ purumq; ſua in ditione uidere patitur. Hunc certè patrem potius, quàm regẽ aut principem appellabimus, eumq; in terris tanquam Deum uenerabimur. Et ut quidem hæ duæ in homine partes, mille nimirum animi perturbationibus obnoxio, perfectæ eſſe non poſſunt, ita in Chriſto, cuius hîc laudes celebrantur, perfectiſsimæ fuere, & ſunt, eruntq; perpetuò: & id ſanè propterea, quòd (ſic uideo ab aliquibus exponi) unxit illum Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. B Oleum exultationis, legit Græcus, ſed idem eſt. Nam oleum lætitiæ ſeu exultationis nõ raro poni pro ſpiritu ſancto, ſiue eius gratia, in prophetis maximè clarum eſt. Spiritus, inquit Chriſtus in Eſaia, domini ſuper me, eò quod unxerit me. Cui ſubinde ſententiæ ſcriba ille diuinus in Apoſtolorũ actis Deum alloquens, occinuit dicens: Conuenerunt autem uerè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem unxiſti, hoc eſt, quem leniſsimo gratiarum tuarum oleo abundè perfudiſti. O uerè copioſam, paſsimq; exuberantem perfuſionem, de cuius exundantia ac plenitudine nos omnes, qui ſponſæ nomine diuinis in obſequijs ſuauiter libenterq; exanimamur, accipimus. Iſtud igitur olei genus internũ in corde eſt, ubi ſedem ſancti ſpiritus eſſe perſentiunt hi, qui nullis mundi cupiditatibus inquinati, totum, quantũ eſt, cor cœleſti conſecrarunt ſponſo. Illic enim gaudium, lætitiaq; animi, atq; in ſpiritu exultatio, non in rebus exteris, in quibus cõtinuus ineſt motus, idcirco & corruptio, tripudiũ agũt. Illic, inquã, inungitur anima, fitq; regina, fit ſponſa, fit ſacerdos altiſsimi. nam utrunq; hominũ genus, regale ſcilicet & ſacerdotale, oleo perungi corporeo ſolenne erat: ſed abſq; illo ſpiritus, nec corporeum id quidem ueros reges, uerosq; altiſsimi ſacerdotes, ſua quãlibet ampla perfuſione afficere poſſe, audeo dicere. Sunt porrò qui cẽſent in hoc uerſu dictionẽ, Deus, repeti minimè debere, ſed ſimpliciter legi, propterea unxit te Deus. Sunt & qui repetũt: unde priorẽ ad ſponſum referunt, poſteriorẽ uerò ad patrẽ. Quare ſic reddit Paraphraſtes: Amantiſsimus es iuſtitiæ, & odio perſequens quicquid eſt ab æquitate diuerſum, ideo unxit te, ô Chriſte Deus, Deus tuus oleo fragrantiore, q̃ ullũ unquã ſociorũ tuorũ. Prophetæ quidem antiqui, ſocij nimirũ ſpõſi, iſtiuſmodi olei perfuſione deliniti fuere: Apoſtoli poſtea, ſed copioſius: ut ueriſsimũ illud appareret, unguentũ ſcilicet à capite in barbam, barbam inquã Aaron placidiſsimo lapſu deſcendiſſe. Etenim cui compertũ non eſt, in capite abundantius huiuſce generis oleũ extitiſſe, quàm in ipſa Aaron barba, quæ ab ipſa capitis exuberantia perfuſa dicitur? Caput porrò Chriſtus eſt,

C barba uerò omnes Christi amici: sed illi præcipuè, qui propius felicissimo sponsi ori adhæserunt, ab ipsoq; uerba uitæ audiere, ut olim prophetis contigit, qui sua plerunq; uaticinia huiusmodi confirmabant testimonio: Os domini loquutũ est. Quare sponsa illa, quæ & nunc hîc loquitur, moræ quodammodo diuinæ impatiens clamabat: Osculetur me osculo oris sui. Ab eodem postea capite, ueluti à torrente, apostolorum hausere riuuli, sed feliciori cursu, quàm prophetarũ. Hauriunt & in præsentia sanctissimi quiq; uiri. Quid sanctissimos tantummodo dico uiros, simulac lego fragrantissimũ illud unguentum ad oram usq; ac fimbriã uestimẽti summi huius sacerdotis iuxtà & regis, id est, usq; ad infima quoq; Christi membra defluxisse? Verùm omnibus quantumuis sponso propinquis & familiaribus, impartit Deus spiritum ex dimenso: haud sic uerò Christo, cui nõ datur spiritus, ut inquit Ioannes, ad mensurã. Cæterùm nos qui in Ecclesiæ gremio per Christum uiuimus, ideo sancti uocamur, quia à sancto peruncti sumus. Christus autem sanctus sanctorum, ut eum uocat Daniel, à patre, cui potentia æqualis est, atq; idem Deus. Meritò igitur à sponsa laudatur, quòd ipse Deus à Deo præ cõsortibus suis atq; amicis, spiritus sancti oleo perfusus sit: ut ex hac sanè perfusione id factum uideatur, quòd iustitiam dilexerit, iniquitatemq; odio habuerit. Verùm quia id aures simplicium maximè audire renuunt, illud addendũ uidetur, idcirco Christum exultationis oleo à patre unctum fuisse, quòd iustitiam prius dilexerit, & iniquitatẽ odio habuerit. Atqui non contenta tam sublimi titulo sponsa laudasse sponsum, ad aliud laudum genus, ne quid suo dilecto, quod ad perfectum regis ornatum faciat, deesse arbitraremur, descendit.

Myrrha, inquit, & gutta & casia à uestimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.

Laus est à uestium ædiumq; ornatu ac splendore. Et id quidem haud minimã regi cõciliat gratiã, hinc atq; hinc passim cùm graditur, honestã spirare suaueolen-
D tiam, quanquam nostra hac ætate, in qua quiduis audemus, non solùm reges, urbiumq; primarij istiusmodi delectantur odoramentis, uerumetiã lanij, lanariisq;, & qui abdomen publicè uendũt, principes ipsos æquare in hoc ornatus genere enituntur. Cæterùm dictionem quã noster uertit interpres, myrrha, ex Hebræis quidam asserunt esse, quẽ uulgò muscum dicunt: alioqui quid grati odoris è myrrha spirare queat nõ uideo, nisi quatenus diuinum aliquod prætendat mysteriũ. Idem de gutta dicendum, quam stacten Græci uocant, quamq; scribit Hieronymus, ut ab his qui aromatũ nouere uirtutes, audierat, florem esse myrrhæ, quem stillã aloënq; nonnulli appellant. Verũ aliquibus dictionẽ hanc Hebræis id genus odoramenti misturæq; significare uisum est, quã nos populariter ambrã appellamus: non succinũ illud quidẽ, quæ gutta est ab arboribus desudans, electrũ Græci uocãt, sed potius pigmentũ est odoriferũ. Quodcunq; tamẽ illud sit, id certè nõ ignoramus, uatẽ altius spectasse, q̃ sint illa quibus etiam lanistæ pariter cũ regibus uti possunt. Idẽ quoq; de sumptuosioribus ædificijs quæ hîc à spiritu domos eburneas appellare uideo, dici posset. Quid nõ tentat interdũ uulgi temeritas? eò enim nostra iam processit audacia, ut si quid exquisitius insigniúsue à principe, uel in erigendis ædificijs, uel in cõmutando uestiũ usu inuentũ fuerit, id statim à uulgo, & excellentius nonnunquã usurpetur. Casiã porrò, quã fistulam uocant, herbã esse, quæ & interdũ in fruticẽ coalescẽs, suauissimũ emittit odorẽ, ab antiquis autoribus accepimus. Sensus itaq; totius uersus, qui Hebræis post Dele ctauerũt, seu lætificauerũt te, actutũ finitur, is erit, ut candidè à Paraphraste redditur: à quo illud etiã obiter perdiscí poterit, nõ domibus eburneis, sed repositorijs uestiũ eburneis, legi debere. Nihil quàm myrrhã, inquit, aloën & casiã spirãt omnia uestimẽta tua, ex repositorijs uestiũ eburneis deprõpta in hoc, ut te exhilarent. Vides quàm musicè eleganterq; regis forma, facundia, aspectus, roburq;, ac uestimentorũ fragrãtia, simul & ædiũ magnificẽtia hucusq; descripta sint. Sed iam ad obstrusiora sponsæ sensa utcũq; deliniãda uertaẽ stylus, licet incultus, &, quod mihi natura insitũ est, pauidus, in his præsertim enucleãdis quę ardentiorẽ

in

A in Deum, quàm mea ſit, requirunt mentẽ atq; ingeniũ, quod nunquã in me extí
tiſſe fateor, ſed tardum potius ac rude: uerùm ille cui me à puero, & ſciens & pru
dens uoto indiſſolubili addixi, addicoq; recentiori denuò affectu & uoluntate,
ſcit omnino quid meus expetat ſpiritus, nouit cor, nouit mentẽ, nouit quò meus
aſpiret animus. Scit tandem quorſum id mihi ſcribendi negocium & laborem a-
ſciuerim: ſcit quidem, quia ipſe, ipſe Deus, non alia prorſus res, me ad iſtos ut-
cunq; concinnandos commentarios ſuis ſanctiſsimis excitauit monitis. Nulla
enim (fateor) mihi unquam oblata fuit occaſio, quæ me adeò à ſenſibus, atq; à
mundi amore ac metu abalienaret, quàm hæc modò quæ mihi à cœleſti patre o-
ſtenſa eſt. Et ut quidem nihil unquã mundo uel oblectamenti uel utilitatis allatu
rus ſit is tantulus meus labor, illud tamen nunquam in me uituperabitur, meo
me ocio abuti noluiſſe, maluiſſeq; huiuſcemodi cruciatus genere, effrænes meo
in animo infringere motus, & eos qualitercunq; in bonis, quæ uera bona ſunt,
firmare, & docere quàm periculoſum id prorſus ſit, animum natura cœleſtem in
rebus nihili occupare, ut olim meo maximo incõmodo ac iactura occupaui, pe
neq; obrui. Modò uerò liber ea qua me libertate liberauit Chriſtus, illi rurſus
me, meosq; cogitatus, actiones inſuper, lucubrationes, ſi non aureas, aut argen
teas, æreas ſaltem deuoueo, illiusq; nomini dedico, offero, conſecro. Nam te-
nuem (ſcio) homunculi oblationẽ nõ auerſabitur altiſsimus, modò a cãdido pro
ficiſcatur animo, quem in me eſſe, per ſponſi illius miſericordiam, cuius in hoc
pſalmo deſcribitur gloria, non diffiteor. Myrrha, inquit ſponſa, & gutta, & caſia
à ueſtimentis tuis, à domibus ſeu repoſitoríjs eburneis, ex quibus delectauerunt
te. ultrà, ut dixi, non procedit Hebræis uerſus: ſequentem uerò ita ordiuntur: Fí-
liæ regum in magnificentijs. Verùm his parũper omiſsis, ad alia quæ pollicíti ſu
mus tranſeamus. Sub odoramentorum nomine, ſanctorum hîc mores, uitæq; e-
xempla, qui in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, inſita, ab ipſa, quę domus ebur
B nea, ob fidei candorem & caſtitatem à ſpiritu cùm hîc, tum aliàs in ſcripturis nun
cupatur, mirabili ſuaueolentiæ ſuffitu egrediuntur, myſticè enarrantur. Illita e-
nim ſemel anima ſpiritus ſancti unguento, quod à Chriſti uita ſpirare ſentit, ab
illiusq; experrecta fumo atq; odore, ſe totam illo (ut uerbo utar comico) fumifi-
cat, quem poſtea è candido cordis repoſitorio, ædeq; eburnea, in qua duæ illæ ſo
rores cõmorantur, fides & uirginitas, ad eos qui foris ſunt, effundit. Iſtiuſmodi
enim fumigatione ſanè quàm delibutus olim Apoſtolus, illamq; in Corinthios
deriuans clamabat: Chriſti bonus odor ſumus Deo, qui odorem ſuæ notitiæ ma
nifeſtat per nos in omni loco. Verùm ne hîc tardus ſomniet lector, huius gene-
ris pigmenta ſuauia eſſe ac delicioſa, ut ſunt illa quæ à Felicis Arabiæ plaga tran
ſportantur: myrrham dixit, genus profectò aromatum amariſsimum, & qua uo-
lunt carnis afflictionem, ſeu amaritudinẽ, ut inquit Auguſtinus, ſignificari: quã
qui in Eccleſia ſyncerè admittit, exercetq;, mirabilẽ ſpargit boni odoris fragran-
tiam, inuentam nimirum in ſplendidiſsimis ſponſi ueſtibus: quas diffiniunt íl-
lius eſſe corpus atque animam: quibus ſanè uti pallio cooperta diuinitas homi-
nem illum, quem ſine ſpecie & decore in terris, ob tormentorum fæuitiam appa
ruiſſe teſtatur Eſaias, non uni tantummodo carnis amaritudini, ſed ſexcentis, &
eò amplius expoſuit: unde fragrantiſsimus quidam uel uſq; ad inferorum um-
bras delapſus eſt odor. Chriſtus, inquit Paulus, tradidit ſeipſum pro nobis obla-
tionem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Ecce odor à cruce Chriſti, ecce o-
leum, ecce, in quibus oblectari ſe debent Chriſtiani, ſuffitus atq; perfuſiones. O
felicem odorem, ô admirandam à laniato Chriſti corpore perſtillantem ſuauita-
tem. Video amorem, uideo pacem, uideo iuſtitiã, qua ego gratis iuſtificor per fi-
dem, in Chriſti uulneribus, tanquã in repoſitoríjs eburneis, requieſcere, publi-
camq; ab illis tabulam cruentis inſcriptã literis ad hunc modum pendêre: FRV-
CTVS DIGNOS AGITE POENITENTIAE. En myrrhæ effectus. En
quomodo Chriſto crucí affixo uinũ dabant ad bibendũ myrrhatũ. En quomodo
ipſius corpus uí euulſum eſt cruce, atq; ab anima deſtitutũ, myrrha & aloë per-

C ungere cupiunt ſanctiſsimæ mulieres. En quomodo antea munus illud funebre exoluit Nicodemus, ut ferè inde quidem coniecturam fieri oporteat, nihil non in terris amarum eſſe oportere illis, quibus Chriſti ueſtigijs adhæreſcere animus eſt. Proinde D. Hieronymus eboris nomen interpretãs ſic ait: In ebore caſtitas, quod prius obſcurũ, ſerris ac limis lucidum fit: ita ſancti per ſectiones & attritiones diuerſorũ ſupplicíorũ elimati, uirtutũ uarietate fiunt lucidi. Eburnea profectò ſententia, & diuo illo digna, utpote aſſueto inter ſponſæ ubera unà cũ ſponſo deliciari. Cæterùm idem de aloë fermè dicendum, cui cùm ea inſita ſit uis, ut è ſtomacho noxios extirpet humores, aut ſaltem ſedet, humilitatis typum ſecũ habet: quæ quidem à ſui notione reſipiſcentiaq́, quam facilè uir uerè pœnitens aſſequitur, originem habet. Quis, oro, tam ſtupidus eſt, qui ſe cognoſcens peccatorem, propterea q́ dignum cui æterna debeatur mors, non pertimeſcat, ſubindeq́ ſeſe omnium uiliſsimum, ingratiſsimumq́ arbitretur, qui auſus fuerit tam benignum dominum, ut Deus eſt, iniurijs laceſſere? hanc qui obtinet, mirum ſi ſe alijs anteponat. Siquidẽ inuenta tam præclara margarita, ſubitum quoddam illius qui inuenit cordi effulget lumen, cuius radijs perluſtratus in alium mutatur hominem, innouatur, exægroq́ fit ſanus, ſedatis iam per gratiam inordinatorum affectuum humoribus, biliq́ tetra concupiſcentiarũ ac libidinũ procul eiecta & eliminata à corde. Nulla enim Deo uictima ſalubriori litari poteſt, quàm cùm nos peccatores agnoſcentes, fateamur quoq́ omniũ miſerrimos nos eſſe, indignosq́ quibus Deus unquã ueniã præſtare debeat. Forſan, mi lector, hîc myrrhæ opinabaris nomen aut ſtactis, obiter abſq́ ratione interiectum. Altiora quidem rurſus, quàm ea quæ à me patrũ autoritate fulto ſunt dicta, id continere certò ſcio: ſed hæc curſim tantummodo attigi potius, quàm, ut tantæ rei dignitas poſtulat, plenè deſcripſi: & id ſanè, quantum ad cõmentariorum legem rationemq́ pertinet. Caſia porrò, ſiue fiſtula, quam in aquoſis udisq́ locis naſci affirmant re
D rum indagatores, quamq́ aiunt in immenſum fermè creſcere, ſuauemq́ paſsim ſpirare odorem, fides eſt: quæ cùm baptiſmi proxime aquas oriatur, in ſublimem ſeſe erigens altitudinem, mirabiles per orbem uniuerſum odoramentorũ effundit ſuauitates. Et ut quidem cæteri uirtutũ chori, qui hîc ſub odoramentorũ uelo adumbrantur, neceſſarij omnino ſint in decorandis ſponſi ueſtimentis, quæ ſunt uarij in Eccleſia ſtatus & ſacramenta, fides tamen primã ſibi uendicat ſedem, ut pote qua cæterę cõnitantur tanquam capite uirtutes, illa uerò Deo, per Chriſtũ. Verùm omnes ſimul iucundiſsimo ſponſum afficiunt oblectamento, è domibus nimirũ exeuntes eburneis, quæ quidem, ut diximus, eburneæ appellantur, ob fidei candorem & puritatem.

Ex quibus, inquit, *lætificauerunt te.* Proinde, *Filiæ regum in honore tuo.*

In magnificẽtijs tuis, uel palatijs, uertit Fel. ſeu, ut alius, precioſitatibus. Filiæ, inquit, regum, nempe illorum animę qui ab Apoſtolis, uerioribus ſanè regibus, quàm illi ſint quorũ libidini nec tota quidem ſatis iam facit Europa, à cæteriſq́ Chriſti diſcipulis geniti per Dei uerbum altiq́, in uirum adoleſcunt perfectum, in menſuramq́ plenitudinis corporis Chriſti, in magnificentijs ſplendoribuſq́ ſanctorũ, in amplis, dico, precioſiſq́ uirtutũ tectis ac domicilijs cõmorabuntur. Quòd piorum animæ ab Apoſtolis, alijſq́ Chriſti nuncijs ac diſcipulis, fidei partu in Chriſto edantur, ſanctiſsimę illorum teſtatæ ſunt olim conciones, ſigna, uirtutesq́ uariæ, ac iugis in edendo Chriſti fœtu & labor & ſudor: modò uerò illorum ſcripta, quibus quotidie proborum enutriuntur animæ. Ab illo enim qui ſe mundi lucem eſſe aſſeuerabat, ea hauſerunt quæ poſtea in nos, tanquam ſedulæ nutrices cibum apprimè manſum & comminutum in pueros, tranfunderent. Quare non ſuperuacaneè, ad Galatas ſcribens Apoſtolus, illud addidit inter cætera: Per Euangelium ego genui uos. Rurſus: Filioli mei, quos iterum parturio. Hunc quoq́ morem ſeruamus & nos in Dei Eccleſia, ut illos ipſos qui nos tum corporis, tum animæ potiſsimũ enutriunt pabulo, patres appellemus atq́ epiſcopos. Verùm illud uerendũ, ne aliqui qui ſibi hoc nomine ambitioſius quàm par

A par eſt applaudunt, eoq́ nimium oblectantur, ſe prorſus ac ſuos tantummodo de Eccleſiæ bonis ac gradibus infarciant, Chriſti autem pauperes ab utroq́ abigantur edulio: ab illo quidẽ, quia in priuatos duntaxat ſeruatur uſus, ab hoc uerò, quia nullum. ſed hæc de malis bonorum Eccleſiæ miniſtris ſint dicta, qui ſi paſtores aut patres uulgò nuncupantur, adulatorij illi ſunt tituli, ab auraq́ populari præcariò mutuati. Boni uerò qui ſunt, quiq́ optima erogant fide domini ſui talenta ac pecunias, non tantum, quantũ ſat eſt, laudari, in altumq́ euehi & extolli queunt: hi enim iam diſ effecti humanum omne ſuperant meritum ac præmiũ. Cæterùm cùm mihi in mentem uenit illius uaticinij Apoſtolorũ dignitatẽ prædicentis: Conſtitues eos principes ſuper omnem terram, nõ poſſum nõ illos tanquã reges patronosq́ uniuerſales, & colere, & uenerari, ut ipſiſsimos quoq́ regionum immenſarum reges facere uideo (ingens id eſt Apoſtolici principatus argumentum) qui non ſolùm Apoſtolos in cœlis iam beatos colunt, uerum etiã in terris eorum cineres & oſſa humi proni exoſculantur. Ad hæc, cũ ipſi ſint hæredes Dei, & cohæredes Chriſti, quem pater conſtituit hæredẽ uniuerſorũ, quî fit quo minus reges & ipſi ſint, & nos quoq́ cum ipſis, ſimulac noſtrorũ cuilibet data eſt cœlitus poteſtas filios Dei fieri? Filij igitur ſumus altiſsimi in primis, Apoſtolorũ poſtea, qui & ipſi reges ſunt, & ueri paſtores, nos oues & alumni. Proinde danda nobis eſt opera, ne à tam nobili degenerantes ſtipite, haud filiæ quidẽ regũ, quæ ad ſponſi honorem, in amplis hiſce ſacrarum ædiũ bonis, ſuo fruuntur ocio, appellari mereamur, ſed ſtolidæ uirgines ac excordes, quæ cùm olim extuliſſent lampades, non ſumpſerunt oleum ſecum. Abundantius, clamat Paulus, oportet nos obſeruare ea quæ audiuimus, ne fortè perfluamus. Solæ itaq́, ô domine, proborum animæ regum filiæ meritò dici queunt: attamen

Aſtitit regina à dexteris tuis in veſtitu deaurato, circundata varietatẽ.

Multa, inquit, per orbem uniuerſum delubra, uarioq́ rituum genere diſtín-
B cta, tuo erigentur nomini atq́ honori: uerùm una eſt columba, una formoſa, una ex millibus electa, quamq́ regio ab æternis ſeculis dignatus es nomine. Ea eſt Eccleſia, nempe ſanctorum communio, ad quam ſanè reliquæ aliæ Eccleſiæ uti membra referri debent, ut una ſit fides, unũ baptiſma, una religio, unus paſtor, unum ouile, ne ſint ſectæ & hæreſes. Porrò illiuſmodi potentię, Eccleſiæ eſt unitas, ut neq́ inferorũ portas reformidet, nedum minaces mundi iras, prauorumq́ hominum perſequutiones atq́ iniurias. Quid tam ſolidam concutere domũ eſt ualidum, quæ ſuum ſuper petram ſtabiliuit fundamentum, quæ eſt Dei confeſſio in conſcientia pura, & fide non ficta? Quòd autem dicit illam à ſponſi dexteris ſedere, immenſum quidem oſtendit amorẽ, quo Deus ſponſus, ſponſam Eccleſiam, id eſt, ſanctarũ animarũ pulchritudinẽ deperit, quamq́ aureo uariegatoq́ uirtutũ ornatu ueſtitã aſſerit. Hebræi tamẽ nõ legunt, Circundata uarietate: ſed tantũmodo, Aſtitit, ſeu, præſtò eſt regina à dextera tua in ornamento auri Ophir (ex Ophir Indiæ loco optimũ aſportari aurũ dicunt.) Hocitaq́ nomine perfectiſsimũ aurũ illud eſſe, quo ornari filij Dei ſponſam cõueniat, intelligi uult ſpiritus. is amor eſt quem aureum, pureq́ ab omni alio amore defæcatum eſſe oportet, & quem uarium, hoc eſt, uariarum uirtutũ ornatu inſignem in ſuo cultu requirit Deus. hæc rurſus ea eſt ueſtis nuptialis, qua homo ille non indutus, auſus tamen unà cum alijs ad cœnam illam magnam ſedere, maxima cum expro bratione ac ignominia foras eiectus eſt. Atqui (ut breuiter quæ iandiu parturio tandem pariam) ubi amor non eſt, mutuaq́ dilectio & charitas, quam ſponſæ uestem appellamus, ibi Deus eſſe non poteſt: idcirco neq́ eius Eccleſia, neq́ religio, neq́ conuentus ille, qui ad reginæ contubernium, quod unum atque idem cum rege habet, pertineat. Pura omnia, atq́ amoris plena uult Deus eſſe in ſua ſponſa, qui ſumus nos: modò id ſimus quod uocamur, Chriſtiani ſcilicet: hoc eſt, adeò amore & fide Chriſto uniti, ut prorſus cum eo unũ efficiamur. nam maledictus is eſt numerus, qui primus ab unitate diſcedit. Propterea enim Deus homo factus eſt in terris, ut nos inuicem diſiunctos diſcordesq́, atq́ à cœleſti pa

C tre penitus euulſos, unà reponeret, cõciliaretq; denuò inuicẽ, ſed in primis Deo, ut uno tandẽ cum capite corpore effecto reformatoq;, illò tota integra aſcende ret Eccleſia, ubi ſponſum nacta ſedentem ad patris dexteram, ſimul cum ipſo in ueſtitu deaurato, circundataq; uarietate, per gratiam reſideret. Verùm interim dum cœna paratur, altiliaq; occiduntur, & iam menſa poſita eſt,

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, et domũ patris tui. Et concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Adorabis eum, uertit Fel. & melius meo iudicio. Audi filia, inquit æternus pa ter ad humanum genus, ſed ſpeciali prerogatiua ad paucos illos quos inter mul tos ab æterno ſuos fore præuidit, idcirco uocauit, arcteq; attraxit. Quid ab excel ſo igitur intonuit cœlo? Aure, inquit, fidei quæ dicturus ſum percipe: nam fides ex auditu. Sponſam hîc pater ſui dilectiſsimi filij appellat filiam: ſiquidem præ ter illam uniuerſalem genituram, qua mortales omnes ſui creatoris filij nuncupa ri poſſunt: eſt & alia excellentior, qua electorum animæ, hoc eſt, Eccleſia in fidei utero concepta, feliciſsimo paternæ dilectionis partu in lucem editur: & id qui dem ſancto operante ſpiritu, alimentaq; ſubminiſtrante Dei uerbo, quo conti nuo ueluti incremento, ſub magiſterio ſpiritus ac doctrina grandeſcunt animæ, æternæq; aluntur beatitudini. Et uide quæ hactenus cæca fuiſti, quò tui dirigen di ſint greſſus: res quippe tua agitur. Vide ne bonũ malũ, aut malũ bonũ dicas: nam in ſpiritus doctrina maximo opus eſt delectu. Vide igitur, atq;, quod uides, prudenter intellige, tandemq; aurem illam tuam à ſalubribus olim abhorrentẽ monitis, tumidam, reluctantemq; ſpiritui, inclina, & aſſentire. Hîc quidem cœ leſte tranſigitur connubium, ô pulcherrima mulierum: nam formæ tuæ amore captus eſt Deus, teq; afflictim deperit. Eſt autem, ne ignores, hic rex, dominus Deus tuus: tu ancilla, & ea quidem præ illo nihili. Quòd ſi tamen aliquid effecta
D es, nempe digna quæ ad caſtos tam ſancti regis admittaris amplexus, id totum illius gratiæ acceptũ referas, qui te ſuam in ſponſam uoluntario ſuę æternę men tis conſilio, è ſtercore, pauperem, humilem, deſpectam, omnibusq; proſtitutam delegit. Tuas ille maculas, qui omnium puriſsimus eſt, abſterſit, nõ tu, quæ iam luto fœcis aſſueta, penitus in ſordibus emarcueras. Verùm illud abs te in primis exigit ſponſus, ut tui prorſus obliuiſcaris populi, illius nimirum qui te antea ſe ducere conſueuerat. Huius ſanè omnis deuitandus eſt conuictus. Neq; porrò id ſatis quidem: nam omnem paternarũ ædium memoriam longè abijcere tua ad modum intereſt. Abijce igitur mundum, quem loco patris habuiſti, atq; eius uo luptatibus ac lenocinijs finem ſtatue. ſiquidem ſponſum, qui te, ut ſancta eſſes & immaculata, è millibus tanquã liliũ è ſpinis decerpſit, uulneraſti in uno oculorũ tuorũ, in unoq; crine colli tui. Quare munda & tu planè ſis oportet, interim non ignorans, quis, qualis, quantusq; ſit ille, cui te deſponſatam uides. Talis quippe eſt quem non ſolùm amore proſequi debeas, ſed etiã dignus cui tu in genua pro uoluta ſupplex fias, eumq; colas & adores. Alludit hîc uates, ni fallor, ad illud Gen. Propter quod, inquit, relinquet homo patrem & matrẽ, & adhærebit uxo ri ſuæ. Magnum id quidem ſacramentum, clamabat Paulus, quod eſt inter Chri ſtum & Eccleſiam: cuius hîc pulchritudo atq; ornatus, miro ſpiritus artificio, ty piſq; pleno adumbratur: quocirca minimè obtuſo ad tam alta perſcrutanda my ſteria opus eſt ingenio. Mentem hîc requirimus ſublimem, nitidam, purgatam, impendioq; in his quæ diuinitatem oleant, eruditam. Mens enim uel tantillum à terrenarũ rerum amore & ambitione remorata, in iſtiuſmodi rimandis myſte rijs hebes prorſus reddit & obſcura. Quòd ſi nõnullos uideas rebus hiſce mundi exteris toto animo affixos, & nihilominus elegantiſsimè de Dei ſecretis diſſere re, non amant tamen, nec minimum quidem eorum, quæ ui interdum prophanę doctrinę, aut peritia linguarum diſertè proferunt, guſtum habent. His igitur ſuo in cœno derelictis, ad munera quæ ſponſæ parãtur, deſcribenda uertamus cala mum. Et ut illorum dignitas maior ſit, quàm ut ab homine in carne poſito diſqui ri

A ri queat (quis enim unquam mortalium immortalia Dei dona plenè perueſtiga-
re poterit?) illud tamen proximè lambendum, quatenus ex munerum magnifi-
centia, quanti æſtimanda ſit Chriſti ſponſa, coniecturam facere poſsimus. O for-
tunatam ſponſam, ô felices animas, modò ſuam non diſsimulent uocationem.

Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes diuites plebis.

Filia Tyri, codices ferè omnes tum Hebræi tum Græci habẽt, & ponitur pro Tyro. Quemadmodum enim in ſcripturis Hebræi pro hominibus filios hominũ ponere conſueſcunt, ita filias Sion pro ipſa Sion, & filiam Tyri pro Tyro. Verũ ſiue filiæ, ſiue filia legas, non multùm adeò refert, modò gentium multitudinem hîc ad Eccleſiam Chriſti ſponſam cum muneribus acceſſuram intelligas. Tyri porrò meminit Matthæus in Euangelio, ubi enarrat mulierem (typus hæc erat Eccleſiæ) egreſſam à finibus Tyri & Sidonis, ad Dominum, pro aſſerenda filia à dæmone obſeſſa, confugiſſe. E gentibus ea quidẽ erat progenita, in gentium q̃ alita ciuitate luxu perdita. Vnde uates ille eximius Eſaias, Tyri uolens euerſionem ob ciuium impietatem prædicere, ſic orſus eſt: Onus Tyri. Et poſt pauca: Vlulate, inquit, naues maris, quia deuaſtata eſt fortitudo ueſtra: & erit in die illa, in obliuione eris, ô Tyre, ſeptuaginta annis. Nomine itaq; Tyri, urbis ſanè omnis generis facinorum altricis, uult ſpiritus Eccleſiã ex peccatoribus, & his quidem profligatiſsimis, ſed per gratiam ad reſipiſcentiam accitis, conflatam à nobis intelligi, quò maior gratiarum actionum cumulus diuinæ accreſcat bonitati: quæ adeò in donis, ut ſic dicam, profuſa eſt, ut illa etiam quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, ad ſe trahat, ſibiq; per fidem uniat. quod ſanè gentibus olim reiecto ludæorũ ſupercilio contigiſſe, & credimus, & nobis quoq; ipſis ex gentibus oriundis, ob tam mirificam diuini amoris ſignificationem gratulamur. Quid tam mirandum in terris unquã uiſum eſt, quàm ex peccatoribus, ex meretricibus, ex lenonibus, idolothyſiæq; deditis hominibus, unum in Chriſto, & id quidem uir-
B gineum, concretũ eſſe corpus? Quis crederet ex turpiſsimis ſordibus exuſcitatã eſſe Eccleſiæ puritatem ac ſanctimoniam? Currit iam Tyrus, currit Sidon, currit Babylon, currunt diuites plebis, hoc eſt, multa egregij tum ſapientia, tum diuitiarũ copia, q̃uè inſignes, & ſe & ſua ad pedes Eccleſię proijcientes, fatentur nullam uſquã ſapientiã, nullas q; ueras, neq; in cœlis, neq; in terris inueniri poſſe diuitias, præterquam in Chriſto Eccleſiæ ſponſo, cuius faciem, præſentiãq; uenerabundi & cõtemplantur, & tanquã diuini numinis domicilio adorant. Clamat alio in pſalmo ſpiritus: Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic. Vides hîc quoq; ex alienigenis & peccatoribus & diuitibus, ut ſunt de more Aethiopes, Aegyptij, Syri, Sabæiq; erectam eſſe, pulcherrimeq; honeſtatã Chriſti ſponſam. Verùm ne rudes etiamnum in ſpiritus doctrina, corporea aliqua hoc in decore atq; ornatu ſponſæ commiſcerent, uide quid doceat.

Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.

Laudat ſponſam à forma & pulchritudine quam in interioribus animæ bonis omnino eſſe definit. Nam cùm deus ſpiritus ſit, in ſpiritu potiſsimum coli debet. Quòd uerò exteri additi ſint ritus & cæremonię, prudentiſsimum id fuit inuentum à patribus, corruptum tamen à poſteris, qui facilè ad ſuperſtitionem ſua dentur. Multas, inquam, ob rationes id fuit à maioribus excogitatum, ſed propter illud præcipuè, quòd uulgus, illorũq; multitudo, quæ aut in colendis agris, aut diſtrahendis mercibus, concinnandisq; emporijs occupata, ad erigendam rarò mentem res ad illas, quæ purgato ſolummodo percipiuntur animo, niſi externis huiuſcemodi admotis adminiculis excitatur. Quæ ſanè res ut ab ingenijs atq; animis probe inſtitutis, aſſuetisq; in ſpiritu cum Deo colloqui & laudatur, & contra obtrectatores defenditur, ita ea ipſa quæ ſuæ interdum officiunt tranquillitati, ad imbecillium ædificationẽ (ſic olim Chriſtus ſoluit didrachma) tum ſeruant, tum ab alijs ſeruari efflagitant. quanquam illos non latet, quòd tota gloriosa (ſic uertit Fel.) filia regis interior, & quòd interſertionibus deauratis indumentum eius. Cæterùm dictio ab interprete noſtro reddita in principio fermè

C uerſus, eius, & Græcis & Hebræis uacat: ſed ſimpliciter legunt, Omnis gloria filiæ regis interior. Et aptè hîc quidem fides, animæ gloria nuncupatur: nam per fidem cùm ſe ſaluam fore anima præſentiat, fideśq; ipſa ſit donum Dei, ut inquit Paulus, cur non intra ſeſe, ubi ſuum poſsidet amatum, illiuſq; fruitur contubernio & amore, de donis diuinitus acceptis gloriari debet? ingratæ id nimium eſſet mentis indicium. Gloriatur igitur probi uiri anima, & crebro quidem, ſed in domino, ſed in ſponſo, ſed in ſuo duntaxat amato: qui cùm natura ſpiritus ſit, in medullis animæ, quæ & ipſa ſpiritus eſt, libenter commoratur, ubi connubium illud ineffabile inter Deum & humanam mentem trãſigitur. Nulla ibi diſcordia, nullus rumor, nullus ſtrepitus auditur: ſed pax ſumma animæ, tranquillitaſq; in media quoq; ipſa flagranti diuini amoris fornace ac flamma, placidiſsimo ſpiritus leniter flantis ſuſurrio inuenitur. Quæ gloria in terris, ô tardæ mentes, cũ hac comparanda? Omnis, inquit, animę gloria, quæ eſt filia & ſponſa ſummi regis, interne cernitur. Interne item fimbriæ illæ ſunt aureæ, quibus ea circumamicta uarietatibus, hoc eſt, ornatu uariis coloribus, quibuſdaḿq; precioſarum rerum, ut inquit Fel. ligamentis ac nodis elaborato, quæ ſunt à fide dilectionéq;, uariis in locis ac temporibus profectæ operationes, quarum omnium uncini ſunt ac nodi, ſapientia, ac quibus maximè delectatur Eccleſia, humilitas & caſtimonia, ſublimis graditur. Dictionem, fimbriis, Hebræi non habent, ne ſuperfluè in exponenda fimbriarum uoce, ut nonnullos facere uideo, philoſophemur, qui dictionem illam aut zonæ, per quam lumborum profluuium coërcetur, adſcribunt, aut temporis fini & termino. quæ quidẽ ſi cui placent, habet unde hæc abundè hauriat: nos ſolùm dicimus fimbriis nõ eſſe in Hebręis codicibus, ſed tantummodo, Et textura auri ueſtimentũ eius, uel huic ſimile. Quòd ſi tamen quis ſaliuæ antiquæ aſſuetus, fimbriis aureis legi debere contendat, id in illius gratiã dicam, fimbrias extremas eſſe oras ueſtium, quæ debiliores in Eccleſiæ ueſtitu ſignificant
D cõmiſſuras, quæ & ignobiliora à Paulo nuncupari membra uideo: nam qui tam ardenti in Eccleſia, ut perfectiſsimi agunt uiri nõ incenduntur fide, & tamen ſuo uruntur modulo, hi tanquam debiliores in extremo circi cõſeſſu collocantur. Et cùm ad ſponſę ornatum ipſi quoq; pertineant, ipſáq; ſponſa nihil quod perfectũ nõ ſit, ad ſublimiora ſecum euehat, hi etiam nihilominus aurei ad eius pedes tanquam in infima ſtolæ candidæ ora cõquieſcunt, Dei gratia cõtenti, qui ſe quamuis frigidos, ſuæ tamen ſponſæ pallio aſſuere dignatus eſt. Vnde

Adducentur regi virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi.
Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis.

A frequenti puellarum choro hîc laudatur ſponſa. Iucundiſsma cogitatu planè res eſt, reginam iſtam, nuper quidem è medio Tyri laceram tetraḿq; egreſſam, ad tam ſublimem dignitatis gradum aſcendiſſe, ut precioſiſsimis induta ueſtibus choriſq; uirginum diuinum pæan, caſtuḿq; hymenæum concinentiũ comitata, uniuerſorum regi Deo opt. max. cõiugio copuletur. Dementor prorſus, mi lector, cùm in nemoroſo hoc meo deambulans interdum ſeceſſu, aut cellula ſedens feriatus, rem tantam uerſo animo, contemploŕq; infinitam, imperueſtigabileḿq; omnino diuinam eſſe bonitatem, quæ tam ineffabilia taḿq; noſtrum excedentia intellectum, ſpontaneo ſui altiſsimi, æterníq; conſilij motu ac propoſito, iam olim operatus eſt, operatuŕq; in dies in eorum gratiam, quos ſibi, ut ſui eſſent, antea quã quicquã faceret à principio, aut formaretur terra & orbis, è mundo ſecreuit, at́q; æterna ſua illos prouidentia ad ſempiterna capeſſenda bona deſtinauit, ut́q; eſſent uaſa miſericordiæ aptauit. Sed ô, dignus ego aliquando inueniar, ô Chriſte, ut cæteris abiectis curis in te totus, quantus ſum, tranſeam, tranſmigreḿq;, ac penitus, ut cupio, abſorbear, quò in te uideam, cognoſcaḿq; me ex illis unam eſſe uirginibus, quæ tuam comitaturę ſint ſponſam, eaḿq; uariis depictam coloribus, ingenti cum tripudio & exultatione, uſq; ad templum ſanctũ tuum, ubi ad dexteram Dei patris, tu Deus ſedens, æquiſsimo cuncta expendis

iudicio,

A iudicio, deducturæ. Id ſanè mihi interim compertiſsimum e't, eaq; uiuo fide, quòd non carnis turpitudine inquinati, non mundo, mundanarumq; rerum illecebris irretiti, adducentur regi: ſed adducentur uirgines, puræq; animæ poſt eam, ſponſam nimirum tuam. Verùm non omnibus id continget uirginibus, ſed his tantummodo quæ uitæ puritate, fideiq; candore proximæ illi ſunt: eæ, dico, ſimul cum ſponſa, reſonantibus utrinq; choris, feſtumq; diem celebrantibus, cũ gaudio & exultatione adducentur in templum regis. Iam illud non omittendũ, uerſum hunc Hebræis copioſiorem eſſe, quàm noſtra habet editio. Vnde Fel. Veſtibus phrygiatis, ſeu, acupictis, ut alius: ſeu etiã ut Chaldæus, diuerſarum figurarum deducentur ad regem uirgines. Parum uerò aliter Paraphraſtes: Veſtibus, inquit, elegantiſsimè uariegatis perducetur ad regem illum, uirgines comitabuntur illam. adducitur iam nunc cum ſuis uirginibus regina tibi, ô rex. Nonnihil, ut uides, ab Hebræis diſſentit Paraphraſtes, ueruntamen ut illorum uera ſit litera, ita huius ſenſus ueriſsimus, atq;, prout ſe res habet, elegantiſsimè expreſſus. At tandem

Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.

Ecce iam demum qualis è cœleſti inter Chriſtum & Eccleſiam connubio prodit partus. Vates enim nuptiali enarrata pompa, ſeſe ad ſponſum conuertens illum alloquitur, Pro patribus, inquit, olim tuis, è quorũ poſteritate tu tuam aſſumpturus es carnem, nati ſunt tibi filij, Apoſtoli nimirũ, qui in uerbi tui negocio & ſatione, in prophetarum cæterorumq; patrum locum ſuccedent: ſed in primis patriarcharum, quò utrorumq; numerus concinnè admodum æquari poſſet. hi quidem duodecim extitere, illi tantundem. Atqui hi omnes unà ſunt, quos Ioannes, aſſumpto utriuſq; partis numero, uigintiquatuor ſeniores appellauit. Vice igitur patrum omnium antiquorum, diuinus ille emerſit Apoſtolorũ chorus: quẽ
B ſanè orbi rex ipſe Chriſtus Deus & homo, etiam in terris familiarẽ cum illis degens uitam, præfecit uniuerſo: Ite, inquit, in mundum uniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Verùm quid iſtud eſt? nihil aliud certè, quàm mortalium omnium generi annunciare, pacem reconciliationemq; cũ Deo factã eſſe, peccata diluta, ac ſalutem omnibus allatam. Ite, inquit, ipſum arguite mundum de peccato, de iudicio, de iuſtitia: reges inſuper ac tyrannos imperterritè reprehendite, illisq; leges ad bene beateq; uiuendum præſcribite. Quid rogo, mi lector, aliud à principe exigendum cenſes? principes hi ergo noſtri ſunt Apoſtoli & patres, quorũ uerbo, utpote à Chriſti ore demanãte, nos qui fidei alimento nutrimur, geniti ſumus, è quorumq; academia poſtea cæteri qui Eccleſiæ præſunt, exiere patres, uel cũ primis ſummus Pont. qui ſi eodẽ ipſo quo illi accenſus eſt ſpiritu, informatusq; doctrina, eadẽ quoq; ipſa gubernandi ratione ac modo uti ſolet: utũtur & eius collegæ Epiſcopi, & reliqui Eccleſiæ proceres, quibus nimirũ omnibus Apoſtolorũ munus onusq; tum uita, tum uerbo alios erudiendi impoſitũ eſt. Vtraq; igitur uitæ qualitate, hi qui cæteris præponunt, præſtare debent, ſanctimonia ſcilicet & doctrina: cæteroquin Apoſtolorũ ſedes nõ honorãt quidẽ, ſed derident potius, & quantũ in ſe eſt, demoliunt. At ego, inquit ſponſa,

Memor ero nominis tui Domine, in omni generationẽ & generationẽ.

Eſt uox ſponſæ, quæ ut gratum erga Deum ob innumera in ſe collata beneficia præ ſe ferret animũ, ad ipſum conuerſa ait: Simulatq; me tantis, tamq; immenſis adornaſti muneribus, tui ſemper nominis, tuæ beneficentiæ, tuæ largitatis, tuęq; erga me dilectionis & memor ero, & te poſteris omnibus memorabilẽ reddam. Id nempe ſignificat, in omni generatione & generatione.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſeculum ſeculi.

Vides iam demũ cuius ſint qualitatis ſponſæ ueſtimenta? populi ſcilicet confitentiũ Deo, ut hæc tota ſit Eccleſiæ diffinitio ac ſumma. Quòd uerò uoces illas tam accuratè inculcat, in generatione & generatione, in æternum, in ſeculum ſeculi, uult ſponſa innuere ſuam nunquam defuturam ſobolem, quæ æternis uelu-

C ti excubijs à posteris in posteros, quoad perstiterit mundus, diuinũ laudibus extollat nomen, atq; eius cultum per cunctas orbis regiones latè disseminet. Hac sanè fide ac spe munita uiuit, quòd deformata quoq; mundi huius forma & imagine, transactaq; corruptibili annorum serie, ac temporum uicissitudine, non deerunt qui eundem ipsum patrem, coæternumq; eius filium, ac utriusq; spiritũ laudabunt, concelebrabuntq; in æternum, & in seculum seculi. Amen.

PSAL. XLVI. In finem, filijs Choræ pro occultis, canticum.

Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.

Solent plerique mortaliũ illud quammaxime admirari iuxtà & quærere: quî fit quòd cùm Deus æquissimus rerum omniũ ponderator sit, atq; idem omnipotentissimus & rex & dominus, suos tamẽ sinat amicos & familiares adeò acerbè diuq; ab improbis uexari, ut penè illorũ curam uideatur habere nullam: contrà uerò perditissimis quibusq; suis omnibus in negocijs, imò etiam sceleribus ita cuncta succedere, ut ob id solummodo nati esse uideantur, ut perpetuò beati sint. quomodo, inquiũt, tolerat hęc Deus? num æquũ illud est, ut boni malis, mali uerò bonis afficiantur? Hæc fermè tardis ingenijs atq; animis, in contemplandis rebus diuinis parum exercitatis, à proprio sensu, nempe carnali & crasso, solent obijci, sed frustra. Siquidem istiusmodi secretorũ Dei iudicia, altissima obuoluta sunt caligine, nec nisi à spiritualibus, prorsusq; à carnis cõtagione remotis intelligi possunt. Carnalis enim sensus ut inquit Paulus, non percipit quæ Dei sunt. Eapropter superuacanea minimè illa est dictio in titulo, pro occultis. Hoc igitur in psalmo iucundissimũ id erit spectaculũ, uirũ probum intueri cum mundo colluctantẽ, subq; persecutionũ mole desudantem, sed spem omnẽ subsidij in Deo, quem refugiũ, quem uirtutẽ, quẽ adiutorẽ appellat, collocantẽ. Ait itaq;, Deus noster refugium & uirtus, adiutor in tribulationibus
D quę inuenerũt nos nimis. Virtus hîc robur est seu fortitudo. Dictionem uerò, nimis, tum Hebręi, tum Græci, inter quos diuus est Chrysostomus, qui illam ad dictionem, adiutor, referendã esse existimat, transtulerunt, ualde. Idem quoq; uelle cum Chrysostomo Hebræos uideo. Vnde sic Felix: Deus nobis refugiũ & fortitudo, auxilium in tribulationibus inuentus est ualde: hoc est, nõ debile aut meticulosum illius est auxilium, sed ualidum ac præsens. Paraphrastes autem interpretatur, manifestissimè. Vtcunq; accipias, id non te clam sit, Deum nõ semper suos prorsus à malis eximere, illis tamen semper opitulari, comitemq; sese, quæ est eius benignissima natura, in afflictionibus addere, uiresq; suppeditare. Haud facilè quidem patitur diuina maiestas suos diutius in terris uiuere absq; cruce: sic placitum excelso illius est consilio. Proinde illud nobis, qui persecutionum tentationumq; crucem non eo quo par est animo toleramus, satis esse debet, quòd Deus nunquam suos sub angustiarum onere ingemiscentes omnino deserit, sed illis patrocinatur, illorumq; perfectionem tunc maximè cùm non sentitur, æru mnarum lima ac scalpro fabrefacit

Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.

Cor maris, more Hebraico, pro in medium maris posuit. Vnde etiam Ionas è uentre ceti clamans aiebat: De uentre inferi clamaui, & proiecisti me in profundum, in cor maris. Quare sic reddit Paraphrastes: Non timebimus etiãsi subuertatur terra, & præcipitentur montes in medium mare. Cæterùm propria scripturarum phrasis est, ut uim furoremq; & impetum improborũ hominũ, æstuanti ponto, uastæq; aquarum inundationi æquiparent. Proinde illa est in Esaia de impijs analogia: Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum (cuius undæ, uertunt ex Hebræo, spumam eijciunt, & lutum) NON EST PAX IMPIIS, dicit dominus. Non mirũ igitur esse debet, si tam graphicè & uerè à sacro uate improborũ mos & natura depingitur: à Dei quippe spiritu hæc eadem hauserat. Atqui non fuit unquã,

A unquam, neq; eſſe poteſt ſiue in regnis, ſiue in urbibis, ſiue in priuatis quoq; ædibus ac lararijs tam alta pax & concordia, quam uel unus tantummodo irrequieti animi homo & ambitioſus, quod quotidie ingratis experimur, non perturbet, & emoliatur: & id quidem breui, ſi ambitioni cor additur falſum, & ſimulatio. Senſus igitur huius uerſus is erit, quòd in uirum optimè inſtitutum, ſubq; Dei aliis quieſcentem, nullus cadere poteſt ab impijs metus, etiamſi ſint illi magis terrifici atq; horrendi, quàm ſit terræmotus, aut mare furens ſpumansq;: cuius horriſono appulſu littus quodammodo in lutum liquefieri uidetur, non liquefit tamen, ſed durius planè è ſæuis illis undarum ictibus redditur. Ita ſanè ſtabiles in fide animæ, Deoq; nixæ, in calamitatibus fortius indureſcunt, fiuntq; in dies magis lucidæ, atq; in ſupernarum rerum amore feruidæ.

Sonuerunt & turbatæ ſunt aquæ eorum, conturbati ſunt montes in fortitudine eius.

Perſtat uates in iam cœpta metaphora. uerũ illud notandũ, aquæ eorũ, melius ſecundum Hebræos poſſe legi, aquæ eius, ut ad mare referatur: uel ſi aquæ eorũ, magis placet lectio, uertendum ſuperius erat ſecundum Græcos, in corda mariũ. Illud rurſus nõ omittendum, in fortitudine eius ambiguũ admodum eſſe etiam inter Hebræos. Fel. uertit, in ſuperbia eius, quod ſine dubio ad mare refertur. Paraphraſtes uerò: Contremiſcant, inquit, montes metu maieſtatis illius, Dei ſcilicet. Verùm litera Fel. uidetur uatis metaphoræ aptius inſeruire, ut ſit ſenſus, Tumultuentur licet, pulſuq; immani ac terrifico perſtrepent maris aquæ, hoc eſt, iræ illæ minaces improborum ut uis ferueant, incrudeſcantue, montes item, tumida ſcilicet eorum corda, atq; arrogantia ui mala animi exagitata, ex uno in aliud mutentur ſcelus, frendant, irrumpant, tranquillasq; piorum hominũ ripas, ſedatosq; receſſus inundare, prorſus ſue colluuie illa ſua perfidię diruere adnitantur, nihil omnino obtinebunt. Nam

B *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, ſanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus.*

Inter hunc uerſum & ſuperiorem Selha dictio interponitur, de qua nonnulla in ſuperioribus diximus, ut de re ambigua dici potuit. Illud tamen pro minus dubio tenendum, Selha indicium alicuius inſignis affectus eſſe, quo qui pſallit promouentis ſpiritus ſancti libito atq; impetu afficitur: qui quoniam in noſtra non eſt facultate, ſed ſpiritus illum cientis, propterea nec in omni pſalmo, nec in omni uerſu haberi poteſt. unde illud fit, quòd ipſa dictio quadam, ut ſic dicã, confuſione, citraq; rationem per pſalmos interſperſa uideatur, ut hoc ipſo planè indicetur ſecretam, omninoq; incognitam illi ineſſe uim, ac ſubitum ſecundum ſpiritus uoluntatem motum. Kimhi uerò Hebræus ſimpliciter interpretatur notam fuiſſe exaltandę uel cõmutandæ uocis cùm pſallerẽt, ut in regiſtris (quod aiunt) organorum uidere licet, atq; propterea cogitationes animi uehementius intendendę: ſed, ut dixi, res admodum ambigua eſt. Hîc tamen, illam, quo dixi modo, inſertam eſſe arbitror: nam cùm fragorem illum immenſum tum montium, tum littorum, tum procelloſi maris, impetũ nimirum ac rabiem implacabiliũ Dei hoſtium præ ſe ferentem deſcripſiſſet uates, uolensq; è regione ſolidam animæ oppreſſæ fiduciam in Deum, ipſiusq; Dei certiſsimum erga ſuos auxilium laudare, atq; interim ſcribere, utpote rem captum omnem humanum excedentem admiratus, Selha intermiſcuit, atq; ita exorſus eſt: Fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei. Fluminis riuuli eius lætificabunt ciuitatem Dei, uertunt Hebræi: quæ ſanè litera ſuauiorem reddit uerſum, quàm ea quam nos legimus. In diuinis enim exprimendis ſenſis, illis præſertim quæ Dei miſericordiã ac bonitatem oſtendunt, uerbis utendum eſt mitioribus, quàm cùm tractantur prophana. Poſteaquam fractos illos impiorum ſtrepitus ac tumultus, qui è perditorum hominum corde, tanquam ruptis amnes aggeribus limoſo ex alueo, erumpere ſoliti ſunt, horrendis quibuſdam deſcripſit uerbis, uolensq; cõtrà Dei opponere tranquillitatem, tranquillioribus uſus eſt uocibus: & eſt idem, ac ſi dicat: Interim enim dum ſalum undequaq; ſpumoſum, ira ſcilicet improborum exæſtuat, pulſatq; proximè

c poſitos ſcopulos ac montes, necnon littora uelle obruere uidetur, fluminis riuuli placidis præterlabentes meatibus, id eſt, pax, ſilentium, ſecuritas, gaudiumq́ in ſpiritu ſancto, quę omnia ab æterni patris amore, tanquam ſuauiter currentes fontium aquæ, in nos deriuantur, altiſsimi ciuitatem, quæ eſt Eccleſia ſanctorũ, in qua diuina maieſtas ſuum poſuit tabernaculum, non manufactum, neq́ creationis huius mundi, aut corruptibile, ſed ſanctum & perenniter beatum, lætificant, inebriantq́, ac læta felicitq́ irrigant ſcaturigine. Eccleſia igitur, cor item purum ac ſanctum, tabernaculum dicitur eſſe altiſsimi, quod quidem ab æternis ſeculis ſuum eſſe uoluit: ideo illud, ut eſt natura ſanctiſsimus, ſanctum eſſe iuſsit. Felix profectò Eccleſia, felix anima, felix mortalium cõditio & ſtatus, ſi bonum id ſuum pernoſceret. Vnicuiq́ enim illud inſitum debet eſſe fidei robur, ut ſe unum ex illis eſſe credat, cuius cor Deus per gratiam inhabitet: alioqui in dubijs perplexisq́ mentibus, diuinum non libenter cõmoratur numen. Cæterùm integrum huius uerſus ſenſum ſic reddit Paraphraſtes, quem ſanè frequenter citare ſoleo, quò rudioribus ingenijs, crudisq́ ſtomachis uario ciborum genere conſulam, ſimulq́ hi norint, quantũ noſtræ huic ætati debeamus, quæ tales nobis produxerit uiros, doctos ſanè, & in his quæ ad Chriſtianæ religionis ſynceritatẽ attinent, impendiò eruditos. Sic igitur ille: Exterritis alijs, fluuius amœniſsimus in uarios diductus riuulos exhilarabit ciuitatem noſtrã, quam Deus inhabitat protector noſter, & gratiſsimè humectabit loca ſancta, quæ incolit ſanctiſsimus ipſe. Heu, mi lector, quàm pauidus ſum, cùm me recolo uocatum non in immunditiam, ut inquit Paulus, ſed in ſanctificationẽ in Chriſto Ieſu, hoc eſt, ut ſanctus ſim, ſanctumq́ ſeruem illius in me domicilium, quemadmodum me uocauit, elegitq́ (ſpero) in ſortem filiorum Dei, ut ſim ſanctus & immaculatus per ipſum in Chriſto. Illud tamen ſummopere me ſubleuat, meumq́ ſedat timorem & anxietatem, quòd quæ ego ex me mea in cauſa facere nequeo, ipſe pro me faciet: id
D eſt, arbitrij uoluntatisq́ meæ, ac uirium imbecillitati uim addet, manumq́ illam ſuam ſalutarem, quæ mortuis dat uitam, ne prorſus collidar, gratuitò ſupponet, hac itaq́ munitus perſuaſione, quid dæmonum iras expaueſco? quid terræ hiatus? quid procelloſas maris undas? quid nutantes natantesq́ in freti corde, aut montes aut inſulas pauidus perhorreſco? De impijs enim impiorumq́ iniurijs atq́ inſidijs hîc loquitur ſpiritus, à quibus quidem me fore tutum arbitror quoad in Eccleſiæ gremio tranquillè iaceo, nec id ſanè fruſtra. Nam

Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam Deus mane diluculo.

In medio, inquit, tabernaculi ſui, quod ſibi ſanctificauit altiſsimus: hoc eſt, in medijs ipſis Eccleſiæ penetralibus, tanquam propugnator, perſtat intrepidus, uexillumq́ ſubtimidis hac nota inſigne, aureisq́ inſcriptum literis, illorum ignauiam obiurgans oſtendit, Ego ſum, nolite timere. Hæc probè nouimus (heu noſtram in rebus fidei inconſtantiam) & tamen ad tantillum iniuriarum exterrefacti, diuinum nobis auxilium deeſſe & clamamus, & noſtram deteſtantes ſortem, muliebriter ingemiſcimus, noſtrisq́ ipſis perſecutoribus uel uſque ad rauim obtrectamus, quos nihilominus à nobis diligi oportuit tum ex Dei præcepto, tum quòd maior ex illorum iniurijs atq́ odio nobis exoritur utilitas, quàm plerunq́ ex amicorum beneuolentia & obſequio. Cauſam porrò aliam addit uates, quamobrem Dei domus, qui ſumus nos, non etiam in feruidiſsimo maris æſtu trepidabit, eò quòd adiuuabit eam Deus manè diluculo: hoc eſt, ſummo mane, ſtatim, maturè, &, ut reddit Paraphraſtes, ante ipſam auroram. Solent enim hi qui noſtro alicui negocio interdiu adeſſe pollicíti ſunt, ſi ex animo ad agere inſtituunt, ne lucem quidem ipſam diei primam operiri, ſed ante auroram, quò ſua nobis magis probetur opera, rem aggredi. Eo, imò longè diligentiori, ſe habet modo noſtris in periculis Deus. Vnde non raro in antiquis uatibus, ſe celerem pro ſuis fore propugnatorem teſtatus eſt, ſed in Eſaia potiſsimum, ubi ſuam ſic pollicetur operam: Antequam inuocauerint, ego annuam: & adhuc ipſis loquentibus, ecce ego adſum. Nónne & id ferè obſequium ipſis quoq́ ſuis hoſti-

bus

A bus olim præſtitiſſe faſſus eſt? Expandi, inquit, manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in uia non bona. Putamus ne igitur illum, qui nec ipſis ſuis profligatiſsimis hoſtibus, qui eum ſpernunt, dicuntq́, recede à nobis, non appropinques nobis, quia immundus es, ſuam nõ ſubtrahit miſericordiam, nobis qui eum colimus, quibusq́ uel horulam ab ipſo ſeiungi, morte ipſa omni no acerbius uidetur, ſuam beneuolentiã inuocatum negaturũ? hac certè fide tam debili in Dei Eccleſia non uiuitur. Trepident qui uolunt, nutentq́, ac diuinas in dubium uertant promiſsiones, nos hunc morem non approbamus: neq́ id Eccleſia imperfectionis, cui à benigniſsimo domino dictum eſt, Fides tua non deficiet in æternum, admittit. Quocirca

Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna, dedit vocem ſuam, & mota eſt terra.

Certè ſi nõ aliàs, hoc ſaltem amabili cantico, quanta fuit ſemper, eſtq́ in præſentia, atq́ erit in futurum uis uerbi Dei, comprehendi poteſt. Et ut præterita omittamus, quanta ſcilicet ſolo uerbo ac uoce operatus ſit Deus in Aegypto, in terra Amoræorum & Canaan, quanta in ſolitudine, quanta ad Iordanis ripas, aut ad Iericontina mœnia, quanta demum in aſpera illa eremo, in qua ſui uerbi notionem ac uirtutem tum mundo apertè oſtendere uoluit, cùm non tantum calumniatori illi immundo, quantum futuræ ſuæ poſteritati reſpondit, Non in ſolo pane, inquit, uiuit homo, ſed in omni uerbo quod procedit de ore Dei. Vt illa, inquam, uetuſta, unde tamen noſtra omnis orta eſt fides, prætereamus, futuraq́ uatibus inquirenda relinquamus, noſtra cõſideremus: hoc eſt, illa quæ quotidie in Eccleſia Dei fieri cernimus. Diuerſis igitur animorum permotionibus diuino audito uerbo afficiuntur plerique homines, & eo quidem modo nonnulli ac trepidatione, qua olim Amoræorũ, Cananæorumq́ reges audito nuncio apparatus bellici filiorum Iſraël, affecti ſunt. Diſſolutum eſt cor eorum, inquit, & non remanſit in eis ſpiritus. Vnde hîc uates cupiens quàm ſit efficax diuini uerbi
B uirtus ac potentia demonſtrare, ait è Dei uoce edita terram omnem contremuiſſe, gentesq́ paſsim per orbem uniuerſum interſperſas infremuiſſe, ac regna ipſa tandem alioquin uicinis formidata regionibus, nutaſſe, altumq́ arrogantiæ ſupercilium demiſiſſe: uerùm non uno quidem modo omnes, aut ratione, quod ſanè lucidius noſtro à ſeruatore Chriſto diſſeritur, quàm ut à me aliquid addi poſſit. Iacto, inquit, ſemine, aliud cecidit ſecus uiam, aliud ſupra petram, aliud inter ſpinas, aliud in terram bonam. Vide, mi lector, quàm multifariam diſtrahuntur mortalium animi in ſuſcipienda Dei uerbi ſatione. Horum omnium quidem aures illa Chriſti admonitione uellendæ ſunt: Qui habet, inquit, aures audiendi, audiat. Omnes igitur quotquot in terris ratione utuntur, à ſummis regibus uſq́ ad nouiſsimum plebis hominem, inanima quoq́, quinetiam beati in cœlis ſpiritus, & quicquid ſpirat in aëre, aut undas nando ſulcat maritimas, inflexis genibus ſacro aſſurgunt Euangelio, utpote rerum omnium bonarũ fini & termino. In hoc enim omnium ſalus, laborumq́ & ærumnarum quies, qui Chriſtus eſt, non iam deliteſcit, ut olim in uatum libris, ſed propalàm omnibus exponitur, ab omnibus uidetur, inter omnes uerſatur, cum omnibus colloquium habet, atq́ omnibus tandem nobis, ni prorſus oblatam auerſemur gratiam, ſalutem, pacem, uitamq́ æternam apportat. Hæc omnia in Dei uerbo, in Euangelio, in Chriſto inſunt bona. Sed illud maximopere aduertendum, cuius habitus tunc noſtra reperiantur corda, cùm ab ignitis diuini uerbi petuntur telis & iaculis, ne dum uulnus animæ ſalutare infigi credimus, letale hauriamus. Conturbari quidem omnes neceſſe eſt, ut inquit uates, inclinari regna, commoueriq́ terram, hoc eſt, terræ huius incolas, audito regis uniuerſorum uerbo: uerùm quemadmodum reprehenſibiles ſunt in homine conturbationes atq́ ægritudines illæ, quæ niſi fide in Chriſto temperentur, mortem inferunt: ita ſanctiſsimæ quoq́ inſunt, quæ uitam, his præſertim qui, ut ait Chriſtus, audientes uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia: quam quidem nobis in hac uita leuiſsimam factam eſſe experimur, poſtquam

C *Dominus Virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob.*

Hîc Dauid apertè ad illud, quod futurum erat, alludens uaticinium, quo Chriſtus appellatur Emanuel, quid ſit Dei filius, diffinit. Emanuel enim interpretatur, nobiſcũ Deus: quod idem omnino eſt, quod Dominus uirtutũ nobiſcũ. Per carnis enim unionem cum diuinitate, totus factus eſt noſter Chriſtus, adeoq; nobis tum carne, tum animæ affectibus, exceptis noxijs illis qui ſunt peccatorum origines, unitus, ut is ſit caput, nos membra. O immenſum & incomprehenſibile donum. quare non abſq; ingenti animi ſtupore, hîc iterum à uate Selha interponitur. Quòd uerò uirtutum, ſeu Zebaoth, id eſt, exercituum dominus ſit Chriſtus, id idem ipſe cum patre Deo, Deus homo à patre accepit. Data eſt mihi, inquit, omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ille igitur qui omnibus, & quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris imperat agminibus, omniaq; diſponit iura regnorũ, calcatq; colla regum: hoc eſt, ille qui omnipotentiſsimus omnium eſt, nobiſcum eſt, intra nos eſt, atq; propterea, cõtinuis tanquam excubijs, nos in periculis protegit, tutatur (quemadmodũ olim multis à periculis tutatus eſt Iacob) ac in ſeſe per fidem atq; amorem traijcit. Quid ergo tam meticuloſe noſtris in rebus, quas ipſe ſuas uoluit eſſe, pericula, ærumnas, hominum iras, iniurias, exilia detrectamus? Dominus enim ille, ille inquam Dominus uirtutum cùm nobiſcum ſit, quis contra nos? O interminabile diuinæ bonitatis pelagus. Agitedum

Veniteq; et Videteq; opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terrã, auferẽs bella Vſq; ad fines terræ. Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igne.

Prodigia, mirabilia uertit Fel. ſeu deſolationes, ſeu etiam uaſtitates & ſolitudines, ut alij. Campenſis uerò, admiratione digna, tranſtulit: quæ tamen omnia in eundem recidunt ſenſum, qui is erit, quòd diuina edita uoce, de qua ſuprà, dedit uocem ſuam, & mota eſt terra, promulgatoq; Dei uerbo, ac iacto per uniuerſas mundi plagas Euangelij fideiq; fundamento & ſemine, mirificæ illæ quidem
D fuere operationes, ſuntq; modò, quæ uirtute fidei à ſanctiſsimis peraguntur uiris, & quas qui ſeriò contemplari uoluerit, non illas quidem humanas, ſolitasq; fieri in terris iudicabit, ſed planè ſtupendas, inſolitas, nouasq;, & quæ prodigiorum imaginẽ habeant. Et ut ſanè cætera admiratione digna cenſeantur, illud omne prorſus ſuperat miraculorũ genus, quòd mundo aliter infinitis bellorũ motibus agitato, pax ſumma, ueniente Chriſto, dictum faciũ reddita ſit. Atqui prædictiones nõ raræ auream Chriſti ætatem, in qua nos quoq; auream, atqueadeo tutiſsimã ſub tanto duce agimus uitam, promittentes, ab antiquis per Eccleſiam oſtenſæ fuere uatibus: ſed illud in primis à Michæa, qui Eſaiam imitatus, imò eo quo Eſaias ſpiritu accenſus, ita inter cætera de futura pace prælocutus eſt: Et concident gladios ſuos in uomeres, & haſtas ſuas in ligones: non ſumet gens aduerſus gentẽ gladiũ, & nõ diſcent ultrà belligerare. Et poſt pauca uates eximius concludit, reddítq; ratione unde tam ſubita prodierit pax: Quia os Domini, inquit, locutum eſt. Ab ore itaq; domini, à Dei uerbo, à ſacroſancto Euangelio, hoc eſt, à Chriſto, pace terris reddita, reconciliatus eſt Deo mundus. Congregabo, inquit, claudicantem, & eam quam eieceram colligam, & quam afflixeram conſolabor. Vide hîc Eccleſiam olim reiectam, à Chriſto autẽ non modò reuocatã, uerumetiam in dilectiſsimã ſibi ſponſam aſcitam, atq; ita cõiunctam, ut una omnino facta ſit caro, unumq; corpus cum ipſo. Eſt porrò aliud pacis genus nobis, qui in fide Ieſu Chriſti uiuimus, per ſanctum Dei uerbum comparatũ, quo quis adeò perfectè ſuos per Chriſtũ ſedauit interioris hominis motus atq; appetentias, ut nihil ferè in mundo accidere poſsit, quod eum ab adepta per Dei gratiam animi pace deturbare ualeat. Iuſtificati enim per fidem pacem habemus. Vide quàm compendioſe pacis ſummã deſcripſit Apoſtolus: uerũ cui tam excelſum cõtigit donum, felix is prorſus eſt, planeq; beatus, & cuius uita non iam, ut cæterorum è uulgo hominũ eſt uita, æſtimari debet, ſed quoddam potius portentum, prodígiumq; inſolitum, ac lapſum è cœlis miraculum: quod quidem mundus, mundanarumq; rerum cupiditatibus remorati ignorant omnino. Certè non eſt pax impijs.

A pijs. Da mihi itaq; cœtum hominũ, da populum, da ciuitatem, quæ iſtiuſmodi pacis, cuius uirtute turpes omnes ſopiuntur concupiſcentiæ, uel in primis ambitio, atq; amor ſui, perfruatur bono: illinc ſubitò colluuies illa execrabilis rixarũ, diſſidiorum, contentionũ, litium, bellorum, mutuarumq; perſequutionũ, ac quibus maximè diuina ad iram irritatur bonitas, ſuperbarũ mentium & arrogantiũ, tanquam meretrix ab honeſto amphitheatro, ignominioſiſsimè explodetur. Cæterùm ſcuta, plauſtra uertit Fel. hoc eſt, currus, carroſue, quibus antiqui in prælijs utebantur, igni cõburet. Vult uates iſtiuſmodi militaribus uocibus cunctos bellorum apparatus ui uerbi Dei confractum iri ſignificare. Vnde ſic Paraphraſtes: Ceſſare fecit bella per totum orbem & omnes angulos illius, arcum confregit, ſagittas & lanceas perdidit, currus bellicos igne exuſsit. Quare

Vacate & videte quoniam ego ſum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Fel. ſuperſedete & cognoſcite. Alius ex Hebræo, acquieſcite & cognoſcite. Alius rurſum ex eodem fonte, Remittite & cognoſcite. Verba ſunt æterni patris, fidei hoſtes, innocentiæq; oppreſſores alloquentis. Et eſt mutatio perſonæ, ut crebrò in prophetis quoq; cæteris fieri cernimus. Exuſtis igitur armis bellicis, inquit pater, per me, paceq; terris reddita, quid ultra confracti uermes criſtas eritis? remittite, ceſſate, depoſitaq; rixandi libidine, ac tumultus cõciendi in meæ religionis homines, impugnare illos deſiſtite, pro quibus ego uniuerſorũ Dominus propugno. Atqui eo optimè à uobis animaduerſo, facilè cognoſcere poteritis me illum eſſe Deum, qui poteſtatem habeam in gentes, & terram latè uniuerſam. Quid itaq; conamini? quò ueſtra tendit temeritas? quò faſtus? Quò amentiæ ulciſcendi uos protraxit rabies, ut illos, pro quorũ ſalute ego deorũ omnium potentiſsimus in acie ſto certoq;, extinguere omnino arbitremini? Acquieſcite, ne mea à uobis ſæpe irritata bonitas, ac, quę uos ad animi reſipiſcentiã præſtolatur, patientia in ſeueritatem exeat, ſumatq; de uobis pœnas, quas lento ue-
B luti gradu differo, quò uos ſaltem pudore confuſos, meaq; lenitate deuictos, in gratiam reuocem. Eſt' ne homo in terris, mi lector, tam durus, qui Dei cõminationibus huiuſmodi ex animo penſitatis, uel mediocriter ſaltem non moueatur, ceſſetq; ab amicorum Dei impugnatione? è qua quidem nulla illi contingere poteſt utilitas & gloria, ſed turpitudo magis, diſpendium, & duas ob res infamia: tum quia cum Deo, qui omnium fortiſsimus eſt, litigare quodam modo uelle uidetur: tum cum hominibus qui ſuapte ſponte imbelles ſunt, & qui nihil in terris tam auerſantur, quàm rixas, & ob Chriſti amorem diſſidia? Diuina enim contenti protectione ac gratia, lætiſsimam etiam in exilijs & cruciatibus degunt uitam, illud quod à uate in calce pſalmi replicatur, perpetuis concinentes horis:

Dominus uirtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob.

Cui laus ſit, gratiarumq; actio atq; honos in ſecula ſeculorum. Amen.

PAAL. XLVII. Vincenti filiorum Choræ.

Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis.

Rumpentur ilia (credo) impiorum ob illa quę hoc in pſalmo legun tur. Legunt ſanè cum cæteris, ueruntamen ſpiritualis guſtum tripudij, quod hîc ab animis in Chriſti amore, quæcunq; occurrãt aduerſa, permanentibus tanto cordis gaudio celebrat, minimè ſentiunt. Audiũt enim uel inuiti, quàm ſtabiles in fide Ieſu Chriſti perſeuerẽt hi, quos iandudũ propter aduerſitates extinctos planè eſſe opinabant: quocirca nullũ non mouent lapidẽ, quò etiã abſentiũ pacem interturbent. Verũ pij ſub infortuniorũ onere indurati, aſſuetiq; crucẽ cum Chriſto ferre, quæ in eo maximè cõſiſtit ut odio nos inſequentes diligamus, obſequijſq; iuuemus, atq; cœleſtem pro illis patrẽ æquè atq; pro nobis neceſsitudine coniunctis oremus, non ſolũ in Eccleſię ſinu agentes, uerumetiam extorres, prorſusq; à fide & dilectione alienos, ad Deo gratias agendũ, ipſumq; mentis alacritate ac tripudio laudandũ inuitant. Vide enim quàm diligenter Eccleſiæ filij matris conſuetudinẽ ac fidem ſeruant. ea quippe, ut eſt charitatis

c in omnes propè infinitæ, amplas illas, quibus orientales occiduis connectit plagas, expandens manus, omnes quotquot ratione utuntur, diuiniq; capaces sunt numinis, hoc suaui prouocat cantico ad plaudendum Deo manibus: quod sanè miræ indicium est lætitiæ, idcirco additur à spiritu, In uoce exultationis. Ecclesię igitur uox est exultantis, lætitiaq; inenarrabili gestientis, inuitantisq; gentes omnes ad cognoscenda, itidemq; prædicanda beneficia Dei: sed illa in primis, quæ propter Christi atq; eius uerbi accessum ad nos, mortalibus æquè omnibus collata sunt. Gentes omnes, populi omnes, diuus uertit Hieronymus, ut omnes regionum omnium in toto degentes orbe hîc inuitari intelligas. Nam in scripturis ferè pro particulari hominum genere, quos gentiles uulgò appellamus, gentes, quæ ex Iudæorum genere minimè sunt, accipi solent. quanquã certè nescio quid hîc mihi mysterij subolere uidetur. Quid si dicam, perspecta uatem in spiritu suæ gentis reprobatione, futuram è diuersarũ nationum multitudine præsensisse Ecclesiam? Reiectis enim Iudæis, in eorum locum subrogatus est alienigena, pauper scilicet, scortum, peccator, ganeo, atque idolorum cultor, quos omnes una duntaxat appellatione gentes hîc uocat spiritus, dicens: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis. Plausus iste manuũ simul cum cæteris lætitiæ uocibus, quæ hîc à uate ponuntur, ad animum referendæ sunt: nam quæ à spiritu sub carnalium uerborum tropo ac uelo enarrantur, spiritualem requirunt intellectum: uerùm cùm illarũ conceptus in animo formati sunt, adeò in immensum, quod gaudiorũ cœlestium proprium est, coalescere consuescunt, ut uix ui in purissimis cordis penetralibus comprimi queant, quin foras interdum erumpant, more scilicet amnis leui præterfluentis cursu, qui impetu tamen imbrium è proximis aliquando montibus cadentiũ ita copiosè impletur, ut ruptis aggeribus è ripis exeat, lateq; campos circumquaq; positos inundet. Hinc proinde è spiritualis scilicet copia lætitiæ intus in corde ebullientis, exteri in Ecclesia
D demanarunt cantus, organa, ritusq; cæteri solennes, atque templorum ornatus: hæc enim omnia internam spiritualium gaudiorum præ se ferunt abundantiam: imò uerò etiã torpentem interdum animæ calorem, ut aliquando nos pueri experti sumus, mirũ in modum excuscitare solita sunt. Quare decor iste totus sacrarum ædium, modò non nimius sit, ac nimium frequens, & sordidus, lucri scilicet causa ac pompæ, ut ferè fit (quonam uanitatis iam nostra processit religio?) tolerandus utcunq; est, atq; ad spirituale omnino rerum illarum, quæ in animo sunt, pertrahendus augmentum. Gaudete igitur iusti, sed in Domino. Plaudite manibus, sed in Domino. Iubilate uoce exultationis, sed in Domino:

Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.

Excelsus, diuus interpretatur Hieron. potens quod uult. Terribilis, qui iudicaturus in potestate est. Rex magnus porrò, quia nõ solùm rex est Iudæorũ, sed & gentium, ut inquit Paulus: idcirco additum est, super omnem terram. Plumbei prorsus sumus, nisi quanta nobis hîc lætandi in Domino suppeditetur occasio, uel mediocriter saltem pernoscamus. Quis unquam in terris tam excelsus uisus est rex, qui quod uoluerit perfecerit? Et ut cætera potuerit, quod minus tamen concedendum est, potuit ne non mori? potuit ne sexcentis infortuniorum, morborúmue, atq; animi ægritudinum necessitatibus non obnoxius esse? Ad hæc, il lé ne tam terribilis ac seuerus, ut suis in iudicijs legibusq; sanciendis ac pœnis, ea usus sit potestate ac terrore, ut neminem reluctantem inuenerit? Et ut quidem in suo regno neminem cõtradicentem nactus fuerit, num propterea rex magnus super omnem terram dicendus erit? Solus itaq; Christus, cui à patre dictum est, Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, rex magnus est super omnem terram, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, nõ solùm quidem eorum qui terras has imas incolunt, uerumetiam qui supernas, quiq; infernas habitant sedes. Data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Quis igitur dominus Deus est, sicut Deus noster? Quocirca haud immeritò quidem nos hortatur Ecclesia hoc ferè modo: Gaudete ô filij in Domino: iterum

dico

A dico, gaudete, iubilate, psallite, perpetuumq; mecũ concelebrate sabbatũ: quoniam Dñs ille noster qui excelsus est terribilisq;, ac magnus super omnẽ terram,

Subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.

O miram Ecclesiæ potestatẽ, simulac suis sub pedibus prostratos nationũ omnium populos intuetur. Comprimet populos sub nobis, uertit Fel. & regna sub pedibus nostris. Vtcunq; legas, immensam hîc Ecclesiæ dominationem, spiritualem nimirũ, ne terrenarum illam rerum potissimũ reginã debere esse opineris, tibi effingas uelim: nam suo à sponso olim audierat, Regnũ meum non est hinc. Et licet Christus rerum omnium conditarũ Dominus sit, atq; idem quemadmodũ effector, ita & conseruator ac rex, siue ille terrenæ sint, siue cœlestes, uult tamen suam sponsam totam cœlestem esse, totamq; in spiritu uersari, atq; illo comburi igne, quo excitante secretissimũ illud atq; admirabile transigit connubiũ: è quo nos qui in utriusq; fide, quę una est, solidi uiuimus, originem habemus, regenerati quidem è sacrarum undarum profluuio in spiritu & igne. Quare cuncta in Dei Ecclesia igne illo, qui spiritus est, quiq; in aquis illis salutaribus delitescit, uri debent: non eo qui è mundi huius amore ac desiderio, tanquam à duro saxo solet excuti. Quòd uerò populi omniumq; orbis regionum gentes ac regna, Dei Ecclesiæ parêre dicto debeant, submissęq; illam uenerari, id ea fieri debet in primis religione ac cultu, qui in spiritu uersatur: nam Deus, qui spiritus est, sua in Ecclesia, qui spirituum humanorum unitate constitit & concordia, in spiritu præcipuè colí uult & ueritate: siquidem diuina omnia uera sunt, terrena autem nutantia ac dubia. Volunt quidam etiã ex doctioribus, simul ut tota iam Asia atq; Aphrica, magnamq; partem Europa ab Ecclesiæ institutis desciuit, posse illam uti terrenarum rerum dominio atq; ense, non ad tumorem quidem & fastum, aut ad usurpandas uicinorum regiones & arces, ut olim actum fuisse legimus, sed ad sui tutelam, contra illos qui nulla spiritualis sceptri cõminatione deterriti, ab iniurijs
B sibi inferendis nõ desistunt. Audio. Verùm si res syncerius tractanda foret, tutelam solummodo diuinam sufficere, quæ fide ascíscitur, dicendum esset: quam si quis haberet, quid insidiarum, quid machinationum non prudentissimè declinaret? Verùm hi non tantùm quid priscæ conueniat Ecclesiæ contemplantur, quantùm quid complurium mortalium arrogantia, duraq; & insolentissima etiam in ipsum creatorẽ quorundã peruicacia, ne dicam uecordia, mereatur. Proculdubio nulla est tam indomita rerũ natura, quin fide in Deum uera resideat, & commolescat. Itaq; illorũ numero qui in fide Iesu Christi perseuerãt, uniuersus subiectus est orbis. Quidam enim ueneranda quadam religionis maiestate permoti, allectíq; suauitate uerbi Dei, ex hostibus amici, defensoresq; fidei efficiuntur: & qui antea tumore elati Christi sponsæ aduersabantur, modò uerò fratres nostri facti sunt in Christo. Reliqui autem, hi scilicet qui à fide sua se sponte abdicarunt, aut qui nunquam illi adhæserunt, aut qui etiam in Ecclesia diuersantes impiè ambitioseq; uitam uiuunt scelestam absq; fœdere, ut inquit Paulus, & misericordia, quomodo nostro non erunt subiecti iudicio, cùm ipse asserat nos quoq; angelos, nedum mundum iudicaturos? Nescitis, inquit, quoniam angelos iudicabimus? Quid sanè mirum?

Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Iacob, quem dilexit.

Hæreditatẽ nostram, uertunt ex Hebræo: sed idem sensus. Si nostram legas, maiorem ostendit Dei clementiam, qui sua uult nostra esse. Causam reddit uates, quamobrem mundi regna ac nationes Ecclesiæ Dei uiuentis, uelint nolint, dicto parêre necesse sit, nempe ex diuina electione, ut electio, inquit, permaneat. Quòd enim nobis æternorum bonorum hæreditatem, quam hîc speciem Iacob noster appellat interpres, Hebræi uerò splendorem seu magnificentiam, pollicitus sit Deus, ex electione id factum est & gratia, non nostris ex meritis, alioqui gratia non esset gratia, ut inquit Paulus. Ipse nimirum elegit, nos autem illud tantillum, quod in nobis est arbitrij, ultroneæ Dei electioni seruire fecimus.

C Nam, ut diuus inquit Bernardus, absq; arbitrio humano non est, quod saluetur: absq; gratia non est, unde. Iacob porrò in hoc loco (ne illud modò citemus uaticinium, quo cœlitus dictum fuit: Iacob dilexi, Esau autem odio habui) interiorem designat hominem iam uitijs imponere consuetũ: cuius splendor & magnificentia fides est, qua adepta per Dei gratiã splendidus fit, ac similis Deo, cui insitus est per fidem, magnus & excelsus super omnes populos. Incomprehensibilis quippe est animæ, Deo per fidem atq; amorem copulatæ unitæq;, & dignitas & potentia. Vnde non absq; ratione à uate Selha hîc interponitur, quo admonitos nos esse uoluit, purgatissimis hisce in rimandis rebus opus esse animis. Alioqui sordidis fœdisq; ingenijs nil nisi sordida fœdaq; & terrena occurrere possunt, cùm contemplantur phantasmata. Non enim imis in rebus inuenitur altissimus: etenim

Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in uoce tubæ.

Nulli dubium de Christi ascensione ad patrem hîc dici, post admirabilem illam, è qua nostra omnis orta est iustificatio, ut inquit Paulus, resurrectionẽ. Vnde occiso pariter cum morte peccato, ereptoq; de manu hostili homine, ac patri per suum sanguinem, in quo mirabiliter iucundari solent piorum animæ, reconciliato, ascendit in cœlum, sedetq; ad dexteram Dei patris. Verùm tanta tum fuit in cœlis lætitia, tantus harmoniæ concentus ac sonus, ut uix ab accensis supernarum rerum amore animis sobriè comprehendi potuerit: quę tamen omnia Psaltes sub iubilationis uocumq; tubarum appellatione adumbrauit, ad illam, credo, alludens quam & in spiritu uidit pompam, qua, ut in secundo Paralipomenon libro legimus, Dei arca in templum fuit inuecta. Cunctis, inquit, pariter & tuba & uoce & cymbalis & organis, & diuersi generis musicorum concinenti bus, uocemq; in sublime tollentibus, longè sonitus audiebatur. Et uerè quidem
D tripudij illius cœlestis ad introitum tanti regis in æternam patriam uox longè quoq; audita fuit: nam qui ob uitæ turpitudinem procul à cœlestiũ rerum gustu aberant, agni mox sanguine conspersi propè adeò facti sunt, ut quicquid tum actum fuit in cœlis, mirabili rerum cõmutatione plenissima exhauserunt saturitate, hauriuntq; impræsentiarũ, si quæ illius excellentiæ in terris etiamnũ reperiuntur animæ, quæ è longinqua ueluti regione reuersæ, ad patris oscula atq; amplexus admittuntur. Propior'ne datur alicui ad aliquem accessus, quàm is qui fit per osculum? O quanta tunc impletur cognitione anima, quanto perfunditur gaudio, quanto afficitur stupore atq; ecstasi, si illi uel leue quidem æterni patris contingat osculum. quid tunc uidet, mi lector? quid suaueolentis spiritus? Sed deficio, fateor, dum illa quæ me prorsus fugiunt, mandare literis conor. Verùm illud sanè de meipso fateri liceat, quòd cùm me procul à diuinarum rerum gustu, ob meam ignauiã & torporem sentiam, nihil tamen tam ardenter cupio, quàm iam tandem superuacaneis dissolui curis, & esse cum Christo. Non tam quidem hebeti uiuo sensu, quin quantũ Christo debeam omnino nesciam. Quocirca in recessu hoc meo conditus, secretusq; à turbis, inter quas non inueniri dominum iam toties expertus sum, quæro, clamo, nemorosq; hos colles lachrymosis impleo questibus, nec desistam, donec inueniã quem diligit anima mea. Interim autem (non erro prudens) sub alis Ecclesię requiescens, audio quid in me loquitur Dominus, & quæ audio illius iussu scribo: quàm uerò feliciter, iudicẽt alij: satis enim mihi id uisum est, si diuinis obtemperans monitis, meo nõ abutor ocio, sed illud, quantulumcũq; est, cœlestibus impendo obsequijs. Verùm ad Ecclesiam redeo, quæ ut lætanter, ita & robustè è sublimi contemplationum uertice, ubi uirtutum dominum maximo cum astantiũ gaudio & iubilatione cœlos introeuntem conspicit, quasi aurora consurgens suos inuitat dicens:

Psallitę Deo nostro, psallitę: psallitę regi nostro, psallitę.
Quoniam rex omnis terræ Deus, psallitę sapienter.

Frequens enim uerbi psallite repetitio, diligens laudandi Dei studiũ, quod in sancto-

A ſanctorum cordibus ineſſe debet, cõmonſtrat. Laudandus eſt igitur Deus non ſemel aut bis, ſed iterum atq; iterum, hoc eſt, dum cor in nobis palpitat ac uiuit: id enim indignum eſt, cuius domicilio delectetur Deus, niſi perpetuo ſupernarũ rerũ deflagret deſiderio, atq; propterea diuinũ nomen celebrandi, extollendiq; inter illos qui adhuc extra uineã ociantur. Pſallite, inquit, Deo noſtro, pſallite, illiusq; nomẽ odis, hymnisq; à ſpiritu formatis efferte. Si Deũ quæritis, ipſe Deus eſt noſter: ſi regem, rex ipſe noſter eſt. Huic igitur ueſtros dedicate cantus, nõ inſulſe tamen, aut cum cordis uanitate, ſed ſapienter, ſed cum ſpiritu, ſed cum intellectu. Quod enim noſter uertit interpres, Pſallite ſapienter, Hebræis eſt, canite prudenter: id eſt, unuſquiſq; illorũ quæ canit, intelligens ſit. Cæterũ quis Deum laudibus ritè efferre poterit, niſi is qui illius bonitatem ac ſapientiam probè nouerit? Illo duntaxat hi munere cœlitus ornantur, qui cum prudentia atq; intellectu ab ignorantię fæce depurato, quę eſt in rebus agendis ſapientia, res ſuas cum Deo cõmunicant. Quid ni igitur toto cùm uocis, tum cordis nixu Dei noſtri nomen à nobis celebretur, cùm rex omnis terræ Deus ſit? Quare quotquot ſapitis, pſalmos in illius honorem ſuccinite. Aliam rurſus adducit cauſam, cur tam diligenter à nobis celebrandus ſit Deus: quoniam, inquit,

Regnabit Deus ſuper gentes, Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Maximum hîc tandem ſuę bonitatis Deus dedit ſpecimen, cùm ſe ſtabilem fore gentium regem pollicitus eſt: gentium dico, quæ longioribus iam antea ſeculis, quàm quæ hominum memoria colligi queant, à Deo reiectæ, cõtemptæ, atq; à ueræ religionis cultura, tanquam ſues immundę, ſua ipſarum culpa exploſæ, uita uix hominum uiuere à Iudæis credebantur, adeò repentè immutatæ ſunt per Chriſtum, ut uerſa rerum uiciſſitudine, populus ille dilectus & religioſus à cœleſti pabulo, quam fidem appellamus, ultrò ſemotus ſit, gentes uerò Deo infenſæ ſubintroierint. & ſic nimirum effractis è fidei trunco oleæ ramis inſitus eſt olea-
B ſter, ſurculusq; alienus illorum loco ſuccreuit: hoc eſt, à Dei tutela ac religione, ſua ſe ſponte ſubtrahentibus Iudæis, per gratiam gentes admiſſę ſunt, atqueadeo arctè ſponſæ ueſtibus aſſutæ, ut æterna illarum in Eccleſiæ bonis facta ſit habitatio. quam quidem perpetuitatem expreſsit uates, cùm dixit: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. Seſsio enim, ſtabilitatis indicium eſt. Vnde Paulus firmam Chriſti cum patre uolens ſignificare manſionẽ, Sedere, inquit, illum fecit Deus in dextera maieſtatis ſuæ in excelſis. Idcirco

Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraam, quoniam dij fortes terræ ὑehementer eleuati ſunt.

Variè enim cùm legatur hic ultimus pſalmi uerſus, uariũ reddit ſenſum. Fel. ſic: Principes populorũ congregati ſunt, populus Dei Abraam, quoniã Dei ſcuta terræ: nimis exaltatus es. Vbi illud in primis animaduertendũ, dij uel dei, genituũ eſſe tam Græcis, quàm Hebræis. quare ſic Græca lectio poſſet uerti, Quoniam fortes Dei à terra uehementer eleuati ſunt. Chaldæus quoq;: Principes populorum cõgregati ſunt, populorũ qui credunt Deo Abraam: nanq; coram Domino ſcuta terræ. Volunt præterea interpretes, principes populorum pro Apoſtolis accipi debere, qui ob Dei uerbi miniſteriũ, illud ab orbe uniuerſo adepti ſunt nomen. Alio quoq; in pſalmo Deum alloquẽs propheta ſic ait: Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Hi etiam fortes, ſeu propugnatores terræ dici poſſunt, unde ſcuta terræ à nonnullis appellantur. Quocirca non eſt nomen tam ſublime, quod illi felicíſsimo Apoſtolorum collegio tribui poſſe haud æquum uideatur: ideo à ſpiritu principes populorum Dei Abraam, hoc eſt, uerè credentium, ut fuit Abraam, atq; ad Dei hæreditatem pertinentium nuncupantur: quorum quidem patrocinio, literarumq; monumentis, pars illa mundi quæ in fide Ieſu Chriſti perſtat immobilis, tanquam ſcuto contra hæreticorum inſaniam utitur ac enſe: coluntur à regibus, à populis celebrantur, amantur, inuocantur, ab omniumq; paſsim Europæ regionum hominibus ad illorum ædes, ad

C delubra, ad aras, ad dies feſtos certatim concurritur. Cùm itaq; tales ſint, num dubitas illos uehementer, ut canit uates, eleuatos eſſe à terra ſcilicet, terrenarũq; rerum cupiditate & amore? Non deſunt etiam qui illud, diſ fortes terræ eleuati ſunt, ad Iudæos referunt, qui eo modo à ſpiritu diſ terræ appellantur quo olim Adam, nempe per ironiam: nam miſer poſtquam diuinam tranſgreſſus eſt iuſſionem, pellicea accepta à Deo tunica, illud ironiæ plenum audire meruit, En Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum: ita hi ob legem, ritusq; ſacros, & ceremonias elati, cùm in ſeipſos mutuis odiis, tum in Deum contaminata religione, impij extitere. Verùm quia litera quæ eſt Hebræis, alium præferre ſenſum uidetur, illud quaſi pro epilogo totius pſalmi breuibus dicendum erit, quòd Eccleſia ea eſt, quæ ob multa collata mortalibus beneficia Deo gratias agit, ſed in primis de mirabili Chriſti in cœlos aſcenſione. Vnde ait, Aſcendit Deus in iubilatione, cœleſtium ſcilicet ſpirituum, qui è ſublimi tanquam ſpecula, accepta tuba, inſonuere dicentes: Viri Galilęi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Deinde de felici atqueadeo perenni cum patre manſione: quocirca cecinit, Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. Deinceps de propagato illius regno, non amplius intra Iudææ pomœria concluſo, ſed ſuper omnem terram protenſo. Ideo dixit: Rex omnis terræ Deus. Illud quoq;: Et regnabit Deus ſuper omnes gentes. Poſtremò de electione, principatuq; Apoſtolorum, quos in diuini uerbi miniſterio ac labore, filio tanquam comites aſſociauit. quare illud de ſanctiſsimis illis uiris concinuit elogium: Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraam. Chaldæus uerò, quamobrem principes illi congregati ſint cum Chriſto, qui Deus erat Abraam, cauſam exprimit magis quàm noſter interpres. Nam cùm uertiſſet, Principes populorum congregati ſunt, populorum qui credunt Deo Abraam: cauſam ſtatim addidit. nanq; coram Domino ſcuta terræ: ualde exaltatus eſt. Et eſt uox Eccleſiæ, ſeu ſponſæ circumiacen-
D tes adoleſcentulas alloquentis. Cùm hæc, inquit, de meo ſponſo tam ſublimia dicantur, dicenturq; in poſterum, ualde exaltatus eſt. Idcirco uos omnes ſpectatores plaudite manibus, iubilate Deo in uoce exultationis, cui æterna debetur laus in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. XLVIII. Canticum pſalmi filiorum Choræ.

Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.

VAtis Eſaiæ futuram felicitatem ob Chriſti præſentiam, atq; ipſius uerbi ſuauitatem, in quo uita eſt animæ, ciuitatis Hieruſalem præſagientis, inter cætera illius uaticinia illud extat eximiũ: E Sion exibit lex, & uerbũ Domini de Hieruſalem. Quæ quidem felicitas haud in ſe manens, utpote umbratilis illius prædictionis & finis & ueritas, alterius felicitatis umbra fuit, noſtræ nimirũ Eccleſiæ, hoc eſt, gentiũ per gratiam ad fidei lauacrũ aſcitarũ: & id quidem apertè, abſq; umbra & uelo. Iam propalato Euangelio, in manibus Chriſtũ, nempe certiſsimã noſtræ ſalutis expectationẽ habemus. Iam uates, inquã, omnes qui beatitudinẽ noſtrã in inuolucro & tectè prædixere, è mundo deſierũt. Ceſſarũt ænigmata, quę in Chriſto Ieſu rerũ earũ illiuſmodi omniũ termino cõquieuere. Qui Chriſtus innumeras ueluti refigens obligationũ plantas, ſe ſolũ illud eſſe lignũ uitæ, quo afflictæ, fameq; pereuntes animæ recreari poſſent, apertè denuncians clamat: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiã uos. Ad unũ itaq; nobis eſt cõfugiendũ, in unoq; aſpiciendũ, cui quic quid felicitatis, quæ immenſa eſt, puriſsimæ ſuæ contigit ſponſæ, gratiſsimo animarũ obſequio acceptũ referri par eſt. Aureus igitur per Chriſtũ Eccleſiæ ſtatus hoc in pſalmo ſub typo Hieruſalẽ à uate, obſcurè tamẽ, prædicitur. ait itaq;: Magnus Dñs & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in mõte ſancto eius. Magno hîc in primis opus eſt intellectu, quo quàm magnus is ſit qui nos adeò magnos fecit, ut illa quæ in mundo magna, etiã à magnis reputantẽ, & irrideamus, & tanquã noſtrę dignitati imparia auerſemur, aptè intelligat. Paruus quippe animus,

hoc

A hoc eſt, in paruis, ut ſunt planè omnia huius mundi, occupatus, tam altæ magnitudinis minimè capax eſt. Idcirco quæ tum hîc, tum aliàs à uate ſpiritus ardore cõcito ſcribunt̃, tanq̃, puſillo quæ nequeãt cõprehendi intellectu, ſtulta & noua exiſtimant̃. Proinde in quibuſuis alijs potius occupant̃ rebus homines, q̃ ut, quid ſpiritus dicat Eccleſiæ, intelligãt: atq; ita animus, diuina utiq; portio, humi preſſus infeliciſsimè à nõnullis etiam tenetur, qui cùm maxima illis ocij, tum profeſſionis rimandi cœleſtia occaſio ſuppeditetur, ingratiſsimi tamẽ omniũ ſunt, qui cõtempto ſpiritus guſtu, ſiliquarũ porcorum more paſtionibus delectant̃. Hi igitur à ſpiritu admonentur, quòd ſi illum qui magnus eſt, quærere decreuerunt, in monte ſancto eius, nõ in planitie, ubi Hierico ciuitas, quæ Luna interpretat̃, ſita eſt, quærãt. In Eccleſia quidem, magna ac ſublimia iam facta ſunt omnia, ſimulac Chriſtus eam ſibi, in qua per credentiũ fidem habitaret, elegit. Quocirca mons Dei ſanctus appellatur, è quo omnẽ ipſe ſanctitatẽ, tanquã ab exundanti fluuio riuos, in ſuos deriuat amicos: nam de plenitudine eius nos omnes accipimus. Cũ itaq; magnus ſit ac ſanctus, quin & lapis ille præciſus de monte, ut ait Daniẽl, ſine manibus, qui creuit in montẽ magnũ, & impleuit omnem terrã, quid ni ſuos, quos ſibi conformes fore pollicitus eſt, & magnos & ſanctos non efficiet? Vide quomodo uates in enarranda Eccleſię felicitate, à ſimilitudine Hieruſalẽ, quę in monte ſita erat, nõ ſecedit: eo enim loci ſitu, Deiq; religione conſpicua, reliquo fermè terrarum orbi nota erat: noſtra uerò in ſublimi contemplationũ altitudine fundata, in diuinas q; per animarum exceſſum transfuſa illuminationes, in cœlis deſiderio atq; amore: in terris aũt bonorum morũ odore atq; exemplo, ſynceriſsimè cõuerſatur. Sentis ne quomodo magna eſſe debeat Eccleſia, quæ & terras ſimul & cœlum uno amplectatur ambitu? Magnũ igitur eum eſſe oportet, qui Eccleſiæ magnitudinem non ſolùm ut purificator inhabitet, uerumetiã permeet, ac admiranda, planeq; imperueſtigabili cõtineat ratione, atq; propterea laude omni digniſsimus ab omnibus cenſeri debet, & prædicari. Campenſis hunc ſic red-

B dituerſum: Magnifit Dominus, & laudatur meritò ab his, qui ciuitatẽ Dei noſtri incolunt, quæ ſita eſt in monte, quẽ ſanctitas illius inhabitat. Quid?

Fundatur exultatione? Vniuerſæ terræ, mons Sion latera Aquilonis, ciuitas regis magni.

Laudat urbem à ſitu, dicitq; illam optimè fundatam, gaudioq; omniũ uniuerſali erectam, Sion montem, in quo diuinus erat cultus, parte ab aquilonari ſpectaſſe. Aiunt enim ea in regione urbis, quam ferit Aquilo, Sion montẽ poſitum eſſe: ad cuius radices, altiori tamen cliuo, ſtructũ erat templum, in quo Deus conpioſiori uerbo ac ſpiritu, quàm in cæteris locis, ſuam oſtendebat maieſtatem: eapropter ciuitas regis magni paſsim ab omnibus appellabatur. Hebræi tamen ſecus hunc uerſum habent: quare ſic Fel. Formoſa nympha, lætitia totius terræ mons Sion. Alius uerò: Pulchrum clima, ſiue pulchra regio, locusq; elegans eſt mons Sion, exhilarans omnem terrã, latus ſpectans Aquilonis, ciuitas regis exi mij. Sancta igitur Eccleſia, ciuitas nimirũ Dei excelſi, in qua electi nõ tanquam hoſpites & aduenæ, ſed tanquã ciues ac domeſtici Dei quietiſsimè diuerſantur, pulchra eſt nympha ſeu ſponſa, pulchra regio, pulchrũ orbis clima, atq; excellentior ager ob conſitas undequaq; gratiarũ plantas, ac riuos ſuauiſsimo ſpiritus ſuſurro per ſacramentorum ripas perſtrepentes, quàm ille unquam fuerit montis Sion, ſub cuius typo Eccleſiæ pulchritudo hîc à uate figuratur. Verùm quia nulla in terris perfecta inuenitur pulchritudo, tantus ſponſæ decor à noxio Aquilonis flatu, non è regione quidem, ſed de tranſuerſo percuſſus, nonnihil interdum decoloratur, licet non omnino obtenebretur. Quare in amatorijs Canticis, poſtquam audierat à ſponſo, Recti diligũt te, ad adoleſcentulas circumiacentes conuerſa, illud tandem protulit: Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol. In ſcripturis enim, & Solis ardorẽ, & frigidam aëris plagam, ut fermè illa eſt quæ Boreæ ſubiacet, pro aduerſis nonnunquã accipi legimus. Proinde neſcio qua id ſorte accidat felici ſsima, quòd in ſponſæ uultu, hoc eſt, in externa Eccleſię conuerſatione, næuus etiam à preſſuris cõtractus, mirum in modum

C ſponſo Chriſto placeat. Eſt profectò Eccleſia affabrè in monte excelſo & amœniſsimo, qui Chriſtus eſt, exædificata: eſt admodum elegans, eſt pulcherrima, ut à ſponſo laudatur, mulierum, eſtq; ea quæ de ſponſo illud prædicare audeat: Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius: ueruntamen ſuum & ipſa patitur algorem. Ab Aquilone, clamat Eſaias, fumus ueniet, & non eſt qui effugiat agmen eius: ſed Dominus fundauit Sion, & in ipſo ſperabunt pauperes populi eius. En hîc habes, è frigidiſsimis Boreæ faucibus fumum euomi, quo uel perfectiſsimi inter dum uiri non raro afflati, uelint nolint, ſubnigreſcunt, ſed non ſuffocantur. Atrocitas enim perſecutionum, quas fumus ſecum affert Aquilonis, licet animarum pulchritudinem extinguere omnino nequeat, nam Dominus fundauit Sion, nigritiem tamen quandam ſubobſcuram obducere ſolita eſt: qua tantum nihilominus abeſt ut decor ille à ſpiritus radijs animæ cõciliatus deperire poſsit, ut etiam ſub perſecutionum obſcuritate, uti ſolent ſub bruma ac gelu fruges, uiuaciorin dies efficiatur & pulchrior. Quocirca in Canticis ſic canit ſponſa: Nigra ſum, ſed formoſa. Cæterùm tam procelloſo uento ac noxio, ut eſt Aquilo, latus ſeu latera dictio optimè quadrat, quippe qui nunquam, uti mos eſt doloſis hoſtibus ac ſicarijs, recto afflat ſpiritu, ſed obliquo. Quare ſuperbiſsimum illum principem legimus dixiſſe, Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Verùm illud nobis, qui etiam inuito Borea, à matris tutela neutiquam diſcedimus, permaximam affert conſolationem, quòd in ea uiuimus ſede, quæ ciuitas regis magni à ſpiritu appellatur: ſcimus enim quòd humiles ſpiritu ſeruabit Dominus. Multæ ſanè, fateor, ſunt tribulationes iuſtorũ, quis negat? quis bonus aliud in terris expetit? uerùm de omnibus his liberabit eos Dominus, quia Rex magnus eſt ſuper omnes deos. Exultemus igitur in domino, cantumq; lætitię illius dedicemus nomini, poſtquam noſtra fundata eſt Eccleſia cum exultatione uniuerſæ terræ, nempe omnium qui mundanarum rerum cupiditatibus immerſi, in terræ penè
D naturam tranſierant. Quid mirum? fundauit eam altiſsimus, non hæreticus, non mundanæ gloriæ cupidus, nõ auarus, quemadmodum Doëg ille fuit Idumæus, qui potentiſsimus erat paſtorum Saul. Quare

Deus in domibus eius cognoſcetur, cùm ſuſcipiet eam.

Ergo in domo eius tantummodo, in Eccleſia, in ciuitate Regis magni, in monte Sion cognoſci poteſt Deus, ſubindeq; amari ac guſtu percipi: extra uerò neq; cognoſcitur, neq; amatur: & id quidem magis, cùm inuocatus ſuæ præſtò adeſt ſponſæ, illamq; ob mundi iniurias exterrefactam non ſecus in ſuæ diuinitatis ulnas, intra quas ipſi quoq; uita defuncti reuiuiſcunt, & ſuſcipit, & fouet, ac ſolet mater tenellam natam ſpectri alicuius imagine pauefactam ex humo erigere & conſolari. Cæterùm in domibus plurali numero cognoſci Deum aſſerit uates, cùm tamen una ſit Eccleſia, ob plura ſcilicet, quæ ubiq; locorum conſtructa ſunt delubra. Vnde quemadmodum in nobilioribus orbis locis atq; urbibus multæ ſunt ædes ſacræ ac fana, quæ uni tamen ex ipſis, quam matricem appellant, obtemperare par eſt (hæc ſedes eſt epiſcopi, ad quem ſuæ omnes diœceſis controuerſiæ referri debent: qui quidem ſi ea, qua oportet, præditus eſt uitę integritate, meritò de abrogata ſuæ iuriſdictionis ac dominij poteſtate à priuilegiatis queri poteſt, ad ſummumq; referre pontificem) ita in orbe paſsim uniuerſo innumeræ penè erectæ ſunt, in quibus ſacra peraguntur myſteria, ſacræ ædes, una tamen eſt columba, una formoſa, una digna, de qua illud cani debeat: Circundate Sion, & complectimini eam: hoc eſt, ad eam undiq; confluite omnes: ſiquidem illius ſponſa eſt, de quo illud legitur Eſaiæ uaticiniũ: Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domũ Dei Iacob, & docebit nos uias ſuas. Ecce igitur quomodo mons Domini, domusq; Iacob, in qua uera inuenitur ſpiritus doctrina, per quã cognoſci poteſt Deus, à uate illo nuncupat̃ Eccleſia: ad quã ſanè cùm ab omnibus concurritur, is in primis Chriſto debetur concurſus. Ideo ab Eſaia dictum fuit, Et fluent ad eum omnes gentes. Iam illud ex Hebræorum litera notandum, dictionẽ illam quam

noſter

A noſter interpres tranſtulit domibus, ſplendidè & magnificè conſtructas domos ſignificare. Vnde Fel. uertit, palatijs. idem Campenſis, idē quoq; ex Græco alij.

Quoniam ecce reges terræ congregati ſunt, conuenerunt in vnum.
Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos.
Ibi dolores vt parturientis.

Si quidē Reges tanta afficiuntur admiratione ob dignitatē ſplendorem̄q; Ecclesiæ, ut animo conturbent̄, cōmoueantur̄q; tremefacti, a q; illis, quibus ſolent parturiētes, teneant̄ doloribus, quid putas à reliqua fieri multitudine? Nulli dubium huiuſcemodi animarū cōmotiones ab impiorū olim prodijſſe pectoribus, prodirēq; aſsiduè. quare nō, cōmoti ſunt, ſed, præcipitati ſunt, timore ſcilicet, uertit Fel. Quid facimus? inquiūt: hic homo multa ſigna facit, ſi dimittimus eum ſic, omnes credēt in eum. Quid illud, quòd Magis Hieruſalē introëuntib. turbatus eſt rex, & omnis Hieroſolyma cū eo? Vides ne hîc naſcenti Eccleſiæ quaſi q ædam crucis præludia præparari? Typus profectò horū omniū fuit olim regnante Ioſaphat, tumultus ille bellicus regū Moabitarū, Ammonitarū, Syrorū, Idumæorum̄q;, contra Iudam (ab hac enim tribu ortus eſt Chriſtus) qui tamē reges unà cū exercitibus ſuis diuini numinis ui perculſi, adeò (mira res) dementati fuere, ut ſe ipſi mutuis contrucidarent uulneribus. Vertit dominus, inquit, inſidias eorū in ſemetipſos, & ſic mutuis ſe concidêre uulneribus. Dolor porrò ille quo mulier parturiens afficitur, eam, ubicunq; inuenerit, detinet: quocirca uatis ſimilitudo concinnè admodum Eccleſiæ aptatur hoſtibus, quibus nimirum omnis adimitur fugiendi facultas, cùm æterno uiſum fuerit patri ſuæ dilectæ ulciſci iniurias. Quòd uerò interdū ad innocuorū afflictiones dormire uideatur, id planè incognito nobis fit iudicio, æquiſsimo tamen, cuiq; noſtra omnis penitus quanta eſt, aſſurgere debet uoluntas. Ita enim ſanctiſsimi quiq; uiri præteritis ſemper ſeculis actitarunt, aguntq; modò hi qui peccato mortui, iuſtitiæ tuæ uiuere ſolici-
B tam nauant operam. O Deus, haud quidem nobis obſcurum eſt, quòd

In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.

Id eſt, potentiam ſuperborum ac diuitū, tui ſanctiſsimi ſpiritus impetu conteres. Exaltabitur, clamat Eſaias, ſolus dominus in die illa ſuper omnem ſuperbū & excelſum, & ſuper omnē arrogantem. haud multò pòſt addit: Et ſuper omnes naues Tharſis, & ſuper omne quod uiſu pulchrum eſt. Tharſis Ciliciæ metropolis erat, è qua aurum maximis aſportabatur nauibus. Vnde onerariæ naues, quibus in mediterraneo maximè nauigabatur mari, tum ob nauigiorum magnitudinem, quibus utebantur Cilices, tum ob celebritatē loci ac portus, Tharſenſes uocabantur. Tanta porrò fuit olim illius ciuitatis dignitas, rerum̄q; precioſarū copia, ut matrem illam urbium appellarent. Tam igitur opulentæ ciuitatis ſchemate uoluit uates mundi ſuperbiam deſignare, quam aſſerit uehementi ſancti ſpiritus afflatu contritum iri. Haud ſanè dubium, ſuperborū hominum contra innocuos audaciam nulla ui poſſe alia confringi, quàm ſpiritus Dei. Nam cùm totus ferè orbis illius generis hominibus fauere ſolitus ſit, illis̄q; aſſentari, atq; ad ſuas explendas cupiditates opem ferre, quis turpiſsimis illorum moribus frænū ponere iam audeat? quis illorum cohibebit arrogantiam? quis latè diuagantē in opprimendis bonis licentiā reprimere unquā poterit? Solus igitur Dei ſpiritus is eſt, qui erepta de manu hoſtili innocentia, feros illos auſus improborum refringere æquéue diſſijcere eſt ualidus, ac ſolet unà Euruſq; Notusq; naues in mari Cilico pergrandes diſſijcere & obruere. Nam Hebræi, cum uento Noto, illud quod nos legimus, in ſpiritu uehementi: diuus uerò Hieronymus, in ſpiritu uredinis, tranſtulerunt. Terrificū ualde eſt atq; horrendum, nauem uidere onerariam medio in freto hinc inde à uentis impeti, agitari, ſpondas̄q; fluctibus aperire, ingemiſcere, rimis̄q; fatiſcere, ac ſuo modo nautarū alioqui metu exanimatorum implorare ſubſidiū: uerū horribilius id quidem eſſet ſpectaculum, ac magis terrificū, ſi humanis cerni poſſet oculis, cùm Deus improborum corda multo

C rum ſcelerum conſcia, ſuo uehementi ſpiritu, in medio ipſo uanitatis atq; ambitionis pelago & æſtu, exagitare cœperit. Qui, Deus immortalis, pauores? qualis, qualis conſcientiæ tremor? quanta diſſolutio? Non enim uana loquimur, ſed

Sicut audiuimus, ſic & uidimus in ciuitate domini uirtutum: in ciuitate Dei noſtri, Deus fundauit eam in æternum.

Ab æternis enim ſemper ſeculis, cùm apud illos qui ſimpliciorem abſq; lege ſcripta, nõ tamen abſq; fide, degebant uitam, tum illis omnibus quibus data fuit lex per Moſen, clamauit Deus, teſtatumq; eſſe uoluit, ſe ſuam nunquã deſeturũ Eccleſiam: id ſanè legimus, id audiuimus, id patres noſtri narrauerũt nobis. quæ etiam legimus, & audiuimus, re quoq; illum ipſa, continua temporum poſteritatumq; ſucceſsione præſtitiſſe, & olim uidimus, & nunc etiam iucundiſsimo intuemur euentu. Quid intuemur aio? Manus noſtræ contrectauerũt de uerbo uitæ. Proinde illud eſt ſponſæ tripudij plenum: Manus meæ, inquit, diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni ſunt myrrha probatiſsima. Quæcunq; igitur à lege & prophetis in ænigmate de ciuitate domini uirtutum, de ciuitate Dei noſtri prędicta fuerunt, ea iam exhibita cernimus. Adueniente quippe Chriſto ſuum ut nouiſsimum ædificaret templum, de quo ab Aggæo ſic dictum legimus: Magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ plus quàm primæ. &, In loco iſto dabo pacẽ, dicit dominus exercituũ. uidimus, uidemusq; ac manu tangimus illum, de quo idem uaticinatus eſt uates dicens: Veniet deſideratus cunctis gentibus. Et, Implebo domum iſtam gloria, dicit dominus. Dauid uerò: Deus fundauit eam in æternum. Idcirco Chriſtus tanquã præteritarum rerum omnium ac uaticiniorũ nodus & finis, ſimul ut ſuo à diſcipulo fidei confeſsionem audiuit, reſpondit, nõ iam Petro duntaxat, ſed uniuerſo planè orbi, quò Eccleſiæ ſumma non ignoraretur: Tu es Petrus & ſuper hanc petram, fidei ſcilicet, quam nuper profeſſus es, dicens, Tu es Chriſtus filius Dei uiui, ędificabo Eccleſiam meam, & portę inferi

D non præualebunt aduerſus eam. Ergo æterna erit Eccleſia, quia in confeſsione Chriſti, qui æternus eſt, fixas habet radices, iamq; cum ipſo qui caput fideliũ eſt, ad dexterã reſidet Dei patris, ſpe ſaltem ac fide. Interim uerò perſecutionũ lima, ut abſq; macula omnino inueniatur, à ſummo expolitur artifice, unoq; ueluti facto fidelium corde atq; animo, ſubclamat:

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.

En hîc audis quorſum Dei Eccleſia erecta ſit in terris, quò uidelicet miſericordiam ſuſcipiamus: hanc enim tanquã tutiſsimũ miſerorum aſylũ, diuina ab ipſo iam rerũ principio decreuit eſſe bonitas. Quòd igitur ad ſacri fontis aquas, per quas omnia, quamuis nefanda millies q; repetita, in fide Ieſu Chriſti abluuntur ſcelera, ab omnibus paſsim fiat concurſus: quòd ad cætera, quæ in ipſo Eccleſiæ peraguntur medio, & myſteria & ſacramẽta cõueniant fideles, id omne per Chriſtum, qui Dei patris & ipſe idem Deus miſericordia dicitur, actum eſt gratuitò. Nemo ideo quantũuis nefarius, modò ſyncerè accedat, excluditur. Quid ſic? Miſericordia domini plena eſt terra. Idcirco quantũ quiſq; copioſe uoluerit, ab exundanti illius plenitudine haurire poterit. Quòd ſi porrò in medio amnis alueo ſitire te clamas, iam tua eſt culpa, poſtquam tibi integrum eſt, ut talis ſit tibi Deus, qualem tute uis eſſe. Cæterùm uide hîc grati animi indicium, illorum qui oblatam Dei miſericordiam non refutant, ſed ſummiſſe, tanquam rem minimè ſibi debitam, ac uerecundè amplexantur. Suſcepimus, inquiunt, ô Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui: id eſt, in tutiori tuæ ſanctæ Eccleſiæ loco, ubi fidei ſedes eſt, miſericordiam ſumus conſecuti. Eapropter

Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ.

Nulla iam adeò remota eſt regio, cui perſuaſum nõ ſit Deum unum eſſe: uerũ non ita æquè illius celebratur cultus ac religio ab omnibus. Innumeris enim detenti erroribus plericq; mortaliũ alió ſua deſtinarunt conſilia, quàm ut ipſius quẽ unũ fatentur Deũ, relictis ſuperſtitionibus, ſectenẽ religionẽ. Verũ iſtuc quidẽ

ut-

A utcunq; tolerari posset, si istiusmodi pietatis neglectus aut ignoratio, eos tantũmodo qui extremas orbis incolũt oras, inuolueret, & nõ paruũ illorũ numerum, qui in medio templi tui, ô Deus, conspicui magis sunt, nõ solũ quidem inuoluerет, sed penitus obrueret, & qui sanè turpius quàm illi, qui quid sit fides, ne persomniũ quidem forsan perceperunt, peccare uidentẽ, cùm in fide Christi à puero enutriti, Christo tamẽ & uita & doctrina quantũ possunt aduersantẽ. Ex his itaq; quæ absurdissima fieri cernũt pij homines, exterrefacti, uerentesq; an diuino aliquando cõtempto cultu, nõ sit in Christi Ecclesia qui christianè uiuat, rogant, quantoq; possunt clamore à Deo petunt, ne suũ sanctũ nomen, ne pietas, ne religio prorsus è terris excedãt, sed potius passim, etiam usq; ad fines terræ deportentur, ab illisq; tandem qui omnino feri sunt, & à fide alieni, ritè colantur. Et quem admodũ (inquiũt) nomen tuũ sanctũ est, & sicut nulla est in terris regio & gens, quæ nõ nominet Deũ, ita nunc reuelata gratia, apertaq; misericordiæ ianua per Christũ, nulla usquam gens sit, ô Deus, quæ tuũ nõ sanctificet nomen, colatq;, ac iam demum in Christo cognitum, qui splendor tuæ est gloriæ, ueneretur. Nam

Iustitia plena est dextera tua.

Hoc est (dextera Dei, illius est potentia) quicquid agis, iustitia est, nempe summa bonitas, summa misericordia, summa charitas. Et quã quidem iustitiã quem admodum tu solus possides, ita & in omnes illam solus, quæ tua est natura, largissimè effundis. Quocirca

Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ propter iudicia tua domine.

Mons Sion, Ecclesia credentiũ est, quæ in Christo, qui mõs montiũ à prophetis appellatur, fundata, in diuinarum rerum speculatione cõtinuè uersatur. Filiæ uerò Iudæ, ipsæ sunt piorũ animæ, quæ in fidei cõfessione, uel ruat orbis, stabiles perseuerant. Nam ut olim, tum dico quando fidei nostrę puritas inter Iudæorum
B spinas, ueluti candens lilium latitabat, populus Iuda, progenies Iacob, filij Israël, & alia huius generis nomina, ex Iudæis credentes significabant: ita & modo ex illorum pomarijs fructum colligentes, illis ijsdem nominibus, ad eos ostendendos qui in fide Iesu Christi, sub Ecclesiæ tutela puram degunt uitã, uti solemus. Inuitatur hîc igitur Dei Ecclesia, cuius incolæ sanctorum animæ sunt, quæ & filiæ Iudæ, ad gaudium illud ac tripudium, quo sanctissimos quosq; ob diuinorũ iudiciorum considerationem affici par est. Quæ sanè iudicia in eo præcipuè uersantur, quòd Deus quæcunq; iudicat, rectè iudicat. Nam cùm sanctorũ animas seruare decreuit, id planè rectè factum est ac iustè: quia ab eius misericordia, quę semper iusta est & recta, salus iustorum omnis proficiscitur. Atq; ex hoc æquissimo Dei iudicio aliud subinde exoritur: quòd si quid cui unquam pollicitus est, reid ipsa præstare consuescit. quod quidem iudicij genus adeò iustum censetur, ut apud homines etiam illos qui mutua uiolant fœdera, à pollicitationibusq; facilè discedunt, & iniquos & iniustos appellemus. Rursus cùm improborum uitam detestetur, illorumq; curam non habeat, atq; propterea tum hîc eos deserendo, obcęcando ue miseros faciat, tum illic in uitæ exitu, ad æternã dijudicãdo miseriam, num ob id iustum illius non erit iudicium? cùm præsertim illos tantummodo ab æterno damnari uoluerit, quos illorũ culpa & uoluntate damnandos prænouerit. Iniustitiæ forsan si secus ageret. reprehendi posset. Iustus igitur es domine, & rectum iudicium tuum. Atqui ut alia multa sint, in quibus Ecclesia se se in spiritu oblectare queat, illud omnium maximũ uidetur, cùm huiusmodi iudiciorum Dei seriem uoluens animo, quemadmodũ æquissima illa esse iudicat, sic ex illis tanquã certissimis tum iustitiæ, tum misericordiæ sui arbitri indicijs & argumentis, quammaxima afficitur iucunditate, gaudetq;, ac se nosse dominũ, ut inquit Hieremias, gloriatur. Ex qua porrò notione amor actutũ flagrantissimus oriri solet, quo uel usq; ad medullas exustæ animæ non possunt non summa teneri lætitia & exultatione, propter ea quę in mũdo æquissimo Dei iudicio fieri persuasum habent. Proinde quæcunq; accidunt, siue prospera ea sint, siue aduersa,

C omnia illa in ſuum pertrahunt profectum, amplectanturq; tanquam à Deo miſ-
ſa. Etſi enim, ut inquit Auguſtinus, laborant iuſti inter ſpinas, exultant tamen,
quia non errat Deus in iudicando. Et hæc quidem omnia pro illis qui in ſinu Ec-
cleſiæ tuti uiuunt, ſint dicta. Vos autem qui foris eſtis, uos parricidæ, uos adul-
teri, uos meretrices, uos qui ſub talento plumbi, ſuper quod tetra ſedet iniqui-
tas, ut inquit ille, deſudatis,

Circundate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus eius.

Vos qui hactenus à diuinorum guſtu, qui ab Eccleſiæ pectore diſtillat, ob ui-
tæ turpitudinem, fideiq; imbecillitatem extorres fuiſtis, uenite ad templum ſan-
ctum Dei, quæ Sion eſt: confluite, properate, ſtudioq; ſpiritus atq; ardore anima
ti, cõplectimini eam: narrate, in turribusq; illius, tanquam in editiore ſanctæ ur-
bis loco poſiti, gratiam quam accepiſtis omnibus promulgate. Corde enim cre-
ditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Diuus Chryſoſtomus, Nar
rate in turribus eius, exponit, menſurate turres eius, ad quantam ſcilicet altitudi
nem perductæ ſint. quæ ſanè expoſitio eò, ut credo, ſpectat, quòd fidei gradus,
qui numeroſi ſunt, optimè ab ignauis perpendi debeant: nam quod in munitiſ-
ſimis urbibus & oppidis turris eſt, id in Eccleſia eſt fides. Idcirco ſuam laudans
ſponſam Chriſtus in Canticis, inter cæteras illius pulchritudinis dotes illud quo
que addit: Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnacu-
lis ſuis. Collum enim tanquã baſis caput ſuſtinet. Ita nihil tam in Eccleſia, Chri-
ſti religionem ſuſtentat, quàm fides: quæ tanquam è duriſsimo marmore colum
na à ſpiritu fabrefacta, pro reliquo laborat ædificio. Hanc Paulus Chriſtiani ædi
ficij fundamentum appellat. Et quæ cùm una ſit, per gradus tamen apprehendi-
tur. Huic porrò Græci expoſitoris ſententiæ, litera quæ eſt Hebræis, quadrare
uidetur. Numerate turres eius, uertit Fel. hoc eſt, cõſiderate quàm multa, fortiſq;
ſit urbis iſtius munitio: ſiquidem in ipſa Chriſtus habitat, qui, ut ait Paulus, uir-
D tus Dei eſt in ſalutem omni credenti. Idem reddit Paraphraſtes, atq; adeò cæteri
ex Hebræo. Idcirco

Ponite corda veſtra in virtutẽ eius, & diſtribuite domos eius, vt enarretis in progeniẽ altera.

Ponite cor ueſtrũ ad murum eius, uertunt Hebræi. Noſter enim interpres ma
gis ſenſum expreſsit, quàm uocẽ tranſtulit. Siue igitur murũ legas, ſiue uirtutẽ,
idem emergit ſenſus, qui talis eſt: ô qui cupitis fidei lumine ciuitatẽ ſanctã Sion,
quæ eſt in Chriſti Eccleſia, cõplecti, animũ ad illius murũ, id eſt, in conſideranda
illius uirtute & fortitudine, adhibete. Murus in Eccleſia aliàs fides eſt, aliàs diui-
na protectio, angelica rurſus cuſtodia, ac pia ſanctorum unitas, nonnunquã etiã
ſacra eſt lex & ſcriptura. Proinde quis in tam forti non libenter habitaret arce &
urbe, in qua militum fides, ac ciuium unio, lex item ſancta, angelorumq; tutela,
atq; ipſe tandem Deus pro muro ſtant ac uallo? Sic noſtra munita eſt Eccleſia.
Quocirca quàm fortis ſit, quamq; hoſtibus inacceſſa, ac multo ædium ſplendore
inſignis, diligenter quò literis ad poſteros mãdare poſsitis, animaduertite. quod
enim noſter interpres uertit domos, Hebræis eſt, palatia ſiue turres. Similiter quo
que uerbũ, diſtribuite, illis eſt, exaltate. Vnde ſic uertit Fel. Exaltate turres eius:
hoc eſt, quàm ſint excelſæ perpendite. Perſtat quippe uates in metaphora muni-
tæ urbis, quam tamen ut ad ſpiritualem referamus intellectũ uult ſpiritus, in pri-
misq; poſtulat. Sed ſi porrò breuiter, quod ſit præcipuũ Eccleſiæ munimẽ, tibi ex
primi appetis, quæ turris, quę mœnia, quis uallus, quæ arx tandem, Chriſtus eſt:

Quoniam hic eſt Deus Deus noſter in æternum & in ſeculum ſeculi, ipſe reget nos in ſecula.

O fidam atq; exoptandam omnibus cuſtodiam. Ipſe dux noſter, Deus eſt, &
Deus in æternũ. Quis hîc præ amore nõ inſanit? ipſe, inquã, reget nos in ſecula.
Non temporaria quidem ſunt Chriſti ſubſidia, nõ imbecillia propugnacula, nõ
infida, nõ uenalia, ut noſtro quoq; ſeculo uidimus arces Chriſtianorũ munitiſsi-
mas, ob cuſtodum auaritiã & impietatẽ, ipſis acerrimis Chriſti hoſtibus uenun
dari: ſed æterna ſunt, robuſta, fida, & quæ nullo uinearum aut tormentorum ge-
nere

A nere labefactare queant, niſi amici hi ſint ac filij, qui fidei ſagittis ab amoris phâretra detractis non ſolùm Eccleſiæ robur obtinent, uerumetiã ipſum Chriſti cor ac pectus transfigere ſoliti ſunt. Vnde ſe uictum, uulneratumq; clamat dicens: Vulneraſti cor meum, ſoror mea, ſponſa: uulneraſti cor meum. Cæterùm nõ hîc præteribo, quomodo uaria ſit etiam apud Hebræos ultima huius uerſus particula. Ex ipſis enim quidam legunt, Ipſe reget nos uſq; ad mortem: uel, uſq; ad finem uitæ, ut Paraphraſtes: alij, per iuuentutem: alij rurſum, ſuauiter. Cauſa autem huiuſce uarietatis, Almut eſt dictio: quæ ſi una eſt, ut nonnulli opinantur, iuuentutem deſignare affirmant: & erit ſenſus, Deus reget nos in poſterum, ut à pueris ſeu iuuentute ſemper rexit. Cui ſententiæ & illi qui, ſuauiter, uertunt, ad hærere uidentur, eo quòd hi quibus pueri curæ ſunt, ſuauitate potius in tam tenera moderanda ætate utantur ac modeſtia, quàm rigore & ſeueritate. Qui uerò duas eſſe dictiones aſſerũt, ut diuus aſſerere uidetur Hieronymus, in morte, ſeu, uſq; ad mortem interpretantur. Quæ quidem interpretatio nobis, tum ſancti uiri autoritate permotis, tum quia de perenni Dei cuſtodia erga ſuos in principio ſtatim uerſus diſſerere incœpit dicens: Ipſe Deus, Deus noſter in æternum, & in ſeculum ſeculi, magis arridet, quàm illorum qui Almut iuuentutem interpretantur. Verùm utcunq; legas, hanc ſcito uerã, germanamq; eſſe ſpiritus intelligentiam, Deum perpetuum, indefeſſumq; eſſe ſuæ Eccleſiæ defenſorẽ: cui laus omnis ſit, decorq;, ac gratiarum actio in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. XLIX. Vincenti filiorum Choræ.

AVdite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem.

Miranda quędam narraturus propheta, nempe myſteriũ illud quod abſconditũ fuit, ut inquit Paulus, à ſeculis & generationibus, nunc autem manifeſtatũ ſanctis eius, quibus uoluit Deus notas facere diuitias
B gloriæ ſacramenti huius in gentibus, qui eſt Chriſtus, cuius quidẽ aduentu, cruore q; ac morte, hominũ genus propter ſcelera à cœleſti patria excluſum, diuinoq; odioſum numini, Deo patri reconciliatum fuit, atq; æternorum bonorũ capax factum, & hæres. Hæc, inquam, tam mundo inſolita & noua explicatius forſan quàm alias in hoc pſalmo exaraturus, auditorum beneuolentiam in ipſo ſtatim exordio, captare nititur. Ad hæc, nonnulla de extremo nouiſsimoq; diſſerturus iudicio, quæ inſulſa mundi ſapientibus uidentur ac uana: rurſum de celerrimo rerum mundanarum fluxu quædam, atq; idcirco in illis ſpem uel tantillam collocare, indignũ prorſus eſſe homine, enarraturus, res nimirũ (ut dixi) mundo inauditas, nouas, inſolitas, atq; propterea inuiſas, cur non beneuolã ac populare pręmittere debuit admonitionẽ? Cæterùm quis hîc mihi unquã credat, ſi cum Gregorio diuitias ſpinas eſſe dixero? maximè cùm illæ pungant, iſtæ delectent. Rurſum illud quis in mundi uanitate alitus non irrideat, ſi cum dilectiſsimo Chriſti diſcipulo & alumno ſubclamauero: Nolite diligere mundũ, neq; ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo. Sublimia igitur, noua, ſtupendaq;, ac mundo planè incognita, idcirco admiranda, Chriſtus qui de ſe illud teſtatur, Aperiam in parabolis os meũ, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi, in ſui uatis pſalterio & cithara cantaturus, ſic rem orditur: Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem,

Quiq; terrigenæ, & filij hominum, ſimul in Vnum diues & pauper.

Hîc omnes ſparſim mundi incolæ ad audiendum uerbum uitæ, à uitæ autore inuitantur. Nemo enim à Chriſti doctrina abigitur, non rex, non princeps, non integer populus, nõ mercator, non miles, non ſicarius, non leno, non mererix, non quicquid ſordium huiuſmodi in orbe inuenitur uniuerſo, à ſuauiſsimo Chriſti uerbo repellitur. Præco enim uniuerſalis eſt Chriſti ſpiritus: eapropter omnes inuitat, prouocat, admonet, accendit demum, atque ad percipiendam ſuis languoribus medelam, alioqui timidos, &, ut ſolent phrenetici, ſuæ ſaluti reluctantes, animat. Audite, inquit, quæ dicturus ſum, alta ſcilicet & inopinabilia, his po

C tíſsimũ qui Dei ſpiritu non aguntur. O uos populi omnes, uos, inquam, omnes qui ſeculum hoc tetrum inhabitatis, faciles ad ea quæ in parabolis dicenda ſunt, præbete aures. Vos ſummi, uos imi, uos diuites unà cum pauperũ multitudine diligenter audite. Illud enim quod noſter interpres uertit, Quiq; terrigenę, & filij hominum, Hebræis eſt, etiã filij Adam, etiam filij uiri: hoc eſt, ut interpretatur Paraphraſtes, & plebei & principes, quos inclytos diuus appellat Hieronymus in tertio quarti pſalmi uerſu, ut ibi diffuſius diximus. Magna profectò ſalutis ſpes eſt iniecta pauperibus, atq; in mundi huius negocijs indoctis omnino, & inertibus: in cœleſtibus uerò uegetis & elimatis. Vnde illud, & pauper, preſſe legi oportet: nam ſimulatq; à tuba ipſa ſpiritus uniuerſali quodammodo accitus eſt mundus clangore, & ſingillatim diuites, additur, & pauper: ac ſi dicat, etiam pauper, etiam pannoſus, à uobis deſpectus, ô tumidi, & irriſus, uobiſcum meam ad concionem ueniat, audiatq;. Siquidem

Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.

Summa hîc diſcribitur Euangelij, quo per Chriſtum piorum corda admonentur, uim ſpiritus in eo conſiſtere, ut ad diuina contemplanda, reiectis ſuperuacaneis mundi curis ſeſe erigant: quod proprium ſapientiæ munus eſt, ac propterea perfectarum animarum cibus. Sapientiam, inquit Paulus, loquimur inter perfectos. Prudentia uerò ad ea quæ rectè agenda ſunt, riteq; inſtituenda, pertinet. Et quemadmodum à ſapientia ac prudentia, quæcunq; condita ſunt, in lucem iam olim exiere: ita omnis ſcripturarum uirtus in eo poſita eſſe uidetur, ut animũ ad cœleſtia perueſtiganda, ſubindeq; amanda, & inquirenda moueat, moresq; uitæ informet, atq; inſtituat. Quæ quidem humanę uitæ inſtitutiones non temerè, populariterq; ab omnibus uſurpandæ ſunt, ſed ab his tantũmodo qui conſultò, maximaq; animi ponderatione & conſilio, leges aut condunt, aut conditas edocent. Quare à uate additum eſt, Et meditatio cordis mei prudentiam, loquetur
D ſcilicet: ſeu intelligentias, ut uertunt nonnulli: uerùm idem eſt ſenſus. Nam ad illa quæ ſapienter prudenterq; dicuntur, percipienda, multa opus eſt intelligentia: haud cunctis enim ſublimium rerum notitia æquè expoſita eſt atq; obuia. Quocirca ſtatim à ſpiritu infertur,

Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in pſalterio propoſitionem meam.

Propoſitionem, ænigma uertunt Hebræorum interpretes. In ſacra enim lege idem penè ſunt, parabolę, uerba ſapientium, & ænigmata, ex eo quòd reconditis, & quæ præcipuè apud mundi amantiores interpretatione egeant, referta ſunt ſententijs. Vobis (inquit Chriſtus ſuis) datum eſt noſcere regnum Dei, cæteris autem, id eſt, mundo deditis, in parabolis. Nam certè diuina non niſi in uaſa tanti numinis capacia infundi debent. Adde quòd pura Euangelij uerba, puris aperta ſunt mentibus, lucidaq; apparent, ac radijs ſpiritus grauida: impuris uerò atq; in uoluptatum cœno immerſis, obſcura uidentur ænigmata, ſtultæq; ſanctiones & parabolæ. Ait igitur in uate Chriſtus, inclinabo aurẽ meã: hoc eſt, audiam à Deo (mea, inquit, doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me patris, & quæ audio loquor) parabolam, remq; carni & mundo incognitam: ænigmaq; meum in pſalterio & cithara, id eſt in carmine hoc, ac pſalmo euangelico cantabo, quodq; à cœleſti patre audiui, & didici, proferam. Intelligant enim quibus datum eſt à patri meo: datur tamẽ omnibus, modò uelint, hoc eſt, modò ineptis inflati perſuaſionibus, gratię uocanti nõ reluctentur. Quę quidem dicturus ſum ridebit (ſcio) mundus, dicam tamen prout ſe res habet. Inclinabo, diuus inquit Hieron. humiliabo me ueritati intus loquenti, quæ docet loqui in parabolis, ne omnibus pateat. Notat hîc quidam, propoſitionem, ſermonem eſſe, qui ad exhortationem atq; utilitatem proponitur audientium.

Cur timebo in die mala?

En primum ænigma. Iam quæ pollicitus eſt Dei filius ſe dicturum, effari incipit, cauſamq; in ſe mortaliũ omnium uniuerſalem aſſumẽs, quęrit unde illud ſit, quòd

A quòd improbi exterrefacti æternos ad cruciatus detrudi metuant. Iniquitas hæc eſt, ſub cuius denominatione maximus peccatorum aceruus intelligitur. Hæc enim cùm ſemper homini, quoad in corpore uiuere permittitur, infeſta ſit, tum maximè in uitæ exitu, quem calcaneum ſcripturæ nonnunquã appellare conſue uerunt, moleſtiſsima eſt. Vnde ſequitur,

Iniquitas calcanei mei circundabit mẽ.

Quemadmodum enim calcaneus extrema eſt totius corporis humani portio, ita mors ultimus eſt uitæ, tanquam peractæ ſcenæ, actus, in quo qualis futurus ſit animarum ſtatus, uelut in ſpeculo coniectura fieri poteſt. Idcirco puriſsimus ſeruator de ſuo loquens calcaneo aiebat: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Cuius ſanè rei illud fuit ex ore Dei uaticinium: Et ipſum, inquit, nempe ſemen mulieris, qui erat Chriſtus, conteret caput tuum, & tu (uafre ſerpens) inſidiaberis calcaneo eius. Iniquitas igitur, ac malè actæ uitæ teſtimonium, tanquam coluber, noſtro inſidiatur uitæ fini. Iam hîc ſermonem ſapientia refertiſsimum, ut promiſit, proferre incipit. Vide diuini concionatoris ſapientiam: cùm ſe quidem timere faſſus eſt, cæteros latenter quid ſibi timendũ ſit, admonuit, iniquitas nimirum & peccatum. In cæteris uerò rebus, omnis ſuperfluus eſt timor. Senſus igitur erit: Si me, inquit, interrogas quid mihi ſit timendum in die mala, hoc eſt, in die illo horrendo mortis, in quo dæmon tanquã tortuoſus anguis, malorumq; omnium autor ac molitor, omnes malignitatis neruos tendere nititur, reſpondeo peccatum id ſolum eſſe, quod tum potiſsimè cùm è uita demigrandum ſit, homini inſidiatur: id ſolum igitur mihi eſt timendum, id deteſtandum, id anteaquã me exterrefaciat, cõterendum. Nõnullis ex Hebræorum interpretibus uiſum eſt, non iniquitas calcanei, ſed prauitas inſidiatorũ, debere legi, hoc modo: Prauitas inſidiatorum meorum circundedit me. Poſtea ſequentem ſic incipiunt uerſum: Nitentes opibus ſuis. Paraphraſtes tamen calca-
B neum magis approbaſſe uidetur, qui ſic reddit: Cur ſolicitus ero de huius uitæ bonis, tempore quo uiuitur cum miſeria (en quomodo dies mala dicitur) in terra? num ut finis operum meorum iniquitatis me condemnet? Hac itaq; ſolicitudine curaq; terrifica, à nobis, qui pauperem, ut ait Tobias, ſemper egimus uitã, reiecta, nihil timeamus. Timeant hi potius,

Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.

Iniquitatis membra deſcribit uates: hi enim, inquit Auguſtinus, qui confidũt in uirtute ſua, nempe potentia & poteſtate, ſunt quos iniquitas calcanei circũdabit. Ecquid igitur talem ſic in ultimo uitæ tempore ab iniquitate circumuentũ, atq; idcirco timidum, & abſq; fide pauitantẽ, à morte, mulctaq; æterna liberabit? Diuitiæne illæ tanto cum animæ diſpendio & iactura partæ? dignitas ne? potentia ne? Quid his, oro, debilius? Quid diuite auaro, tumido, inſatiabili inſanius, & ob id fragilius? Atqui, ut cætera omittam, ne ipſe quidem frater, multò minus extraneus, illum à moriendi, pœnasq; ſubeundi ſempiternas neceſsitate eximere unquam poterit. Lex enim mortis firma eſt & certa, & quæ nulla quamlibet maxima uirtutum ui, aut rerum opulentia infringi queat.

Frater igitur *non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem ſuam.*

Quæcunq; offerat quis Deo, quæcunq; polliceatur, aut quoquo modo litet pro redemptione fratris, uana omnino ſunt: tempus enim eſt ut è uita excedat. Hinc certè, ſi non aliàs, compertum eſſe poteſt, quàm fragiles ſint ac flaccidæ res illæ omnes, quæ cùm felicitatem in hoc mundo præ ſe ferre uideantur, nihil tamen minus præſtant. Sed felix ille & ter & quater, qui huiuſmodi uanitatis lenocinio minimè pellectus, liberè abſq; mundanarum rerum amore ſuam in domino obit mortem. Nimiũ enim tenax eſt diuitiarũ amor, & qui ne in extremo quidem uitæ halitu diuitem hominem deſerit: non hunc certè à communi omnium lege, quamuis chariſsimus redimere poteſt frater, nõ opes, non tanto cum labore acquiſitus honos, non uxor, non filij. Quid? (heu miſerandum, eundemq; irre

C uocabilem illius exitum)ille ipſe clementiſsimus Ieſus, in quo tota mortaliũ omnium redemptio poſita eſt,uel eum à moriendi obligatione, uel à perpetua pœnarum miſeria, potentia illa ſua, quam ordinariam uocant (de abſoluta non loquor) quáq; uult omnia ab æterno ordinem illum primum naturis omnibus inſitum ſeruare,& ſecundum illius præſcriptum,legemq; æternam ſuas exequi operationes,eximere minimè poteſt, & uult. Si is itaq; qui noſter pater eſt,dominus & rex, adde & amantiſsimus noſtrî frater ac redemptor, ſic in peccatis morientem redimere noluerit, quem alium etiam ex dignioribus cœleſtium ſpirituum choris redimere eum poſſe arbitrabimur? Pro omnibus enim(modò uelint)copioſa facta eſt per Chriſti ſanguinẽ expiatio: pro illo tamen qui confidit in uirtute ſua,in propriis operationibus, in diuitiis, in pecuniarum abundantia atq; honorum, nulla. Iam illud non prætereundum, literam quæ eſt Hebræis, non legi per interrogationem. Sic Fel. Frater non redimens redimet uirum: hoc eſt,quantumcunq; enitatur frater uirum ſic confidentem redimere, non aſſequetur nihilominus quod optat. Siquidem, ut interpretatur Parapraſtes, nemo poteſt uel fratrem ſuum, ſi uelit,liberare ullis opibus à morte,nec afferre Deo quicquam, quod pro eius redemptione uelit ſuſcipere. Profectò rariſsimè ſeruantur qui diuitias inhiant. hæc ille. Hebraiſmus porro eſt prophetis familiaris, redimens redimet,ut aliàs admonuimus,quò rem maximo tentari niſu ac deſiderio intelligamus. Ait enim alio in Pſalmo: Expectãs expectaui dominũ. Dives igitur quamuis copioſis innitatur opibus,fratrem ipſum à morte liberare neutiquam poterit: idcirco nõ dabit Deo placationem ſuam, pro fratre ſcilicet ſic in rebus nihili confidente. Non dabit,inquam,

Precium redemptionis animæ ſuæ.

Eius,uertit Hebræus: ſed cùm perierit,peribit in æternum. Viuet quidem perpetuò, ſed eo uitæ genere ut deſperato ne optatus quidem interitus contingat.

D Ex Hebræo ſic etiam legi poteſt: Et erit precioſa redemptio animæ eorũ, & ceſſabit in æternum: ſeu, ut diuus uertit Hieronymus, quieſcet in ſecula. Simile huius illud eſt quod in primo Regum lib. legimus: Et uerbum domini,inquit,precioſum erat: hoc eſt, haberi non poterat. Cupiunt ſanè damnati extingui omnino potius quàm in pœnis ęterna cruciari uita: ſed fruſtra id quidem,namq; apud inferos nulla poteſt eſſe redemptio, nulla miſericordia, nulla pœnarũ remiſsio, lignumq; ubi ceciderit,ſiue ad Auſtrũ,ſiue ad Aquilonẽ,ibi perpetuò erit. Quare clamat Ioannes ſua in ecſtaſi & reuelatione: In diebus illis quærent homines mortem,& eam non inuenient. Itaq; à uate additur,

Et laborabit in æternum,& viuet adhuc in finem. Non videbit interitum.

quem ualde optabit. Cruciabitur,inquit,in æternum, æterno quodam,ſed miſerrimo,uitæ genere. Porrò quia illud quod noſter interpres uertit,Laborabit in æternum, cum Hieronymo qui tranſtulit, quieſcet in ſecula, conuenire minus uidetur: is utriuſq; aptus erit ſenſus,quòd ille qui ob malè tranſactę uitæ rationẽ æternis deſtinatus eſt pœnis, laborabit in æternum immortalibus excruciatus tormentis: atq; illo ſanè in loco, ubi perpetua in miſeria uiuens, ab illa ſua anxia accumulandarum opum ſolicitudine quieſcet perpetuò. Moribundis enim ſemel exuti membris damnati,nulla amplius aggregandi diuitias tenentur cura, ſed ab illa prorſus liberi effecti quieſcentesq;,in infinitas alias deuoluũtur anxietates, hoc quidem miſerabiliores,quò inextinguibiles penitus ſunt & immortales. Stulta igitur illorum eſt opinio atq; inepta omnino, qui magno quamlibet precio ſibi ſuorum animas perſuadent à morte poſſe redimi, ſuisq; illud cõcedi, quod nemini unquam quamuis potenti,atq; in rebus huius mundi florido ac diuiti, conceſſum fuit,& maximè,

Cùm viderit ſapientes morientes: & quod *ſimul inſipiens & ſtultus peribunt.*

Et quòd, uelint nolint, *relinquent, alienis diuitias ſuas, & ſepulchra eorum domus illorum in æternum.*

Sunt ne

A Sunt'ne iſta immortalis in hoc mundo uitæ indicia? En uidere eſt, inquit quí dam interpres, ut ſapientes æquè moriantur & pereant ac ſtulti & ſtupidi, & o-pes ſuas alienis relinquant. Inſipientẽ porrò illum appellari par eſt, qui, ut inquit Auguſtinus, nõ ſibi proſpicit in futurũ: ſtultũ uerò, qui, in quo malo ſit, nõ attendit. Verùm ex Hebræo ſic poteſt legí, Stultus & bardus peribunt: ut ſtultus ſecundum dictionem hebraicam is intelligatur, qui ultrò à ratione deſciſcat, deflectatq; à iuſtitiæ linea, quicq; nõ tantum ratione, quantũ recta ratione ſuapte ſponte deſtitutus ſit. Dictio autem altera, illum ſecundũ Hebræos exprimit, qui omnino ratione carens prorſus ſtolidus factus eſt & brutus. Horum itaq; omnium unà cum ſapientibus unus eſt interitus. Vide, inquit, eorum qui tam longè à ueri cognitione aberrant, quàm falſus ſit animus: cùm enim magnifica ſua illa ædificia, ſumptuoſiſſimaq; propylæa ac palatia ſplendido conſtructa marmore atq; emblemate, perpetuum ſibi fore domicilium ſomnient,

(Tabernacula eorum in progenie & progenie, uocauerunt nomina ſua in terris ſuis.)

arbitrenturq; ob rem tam leuem, breuiq; interiturã, ſe immortalem adepturos famam & nomen, id illis in primis pro debito illorum ſtultitiæ rependitur merito, quòd ſepulchra eorum domus illorum ſint in perpetuum: non quòd ſanè impiorum corpora perpetuò manſura ſint in ſepulchris, cùm reuiuiſcere aliquando ad futurũ debeant unà cum piis omnibus iudiciũ, ſed id ſecundum Hebræorum phraſim dictum eſt, qui nonnunquam pro longo tempore & indefinito, æternum ſeu ſempiternum ponere conſueuerunt. Dolori, inquit Auguſtinus, ſeruatur impij anima, uſquequo accepto corpore utrinq; crucietur. Quid ſibi igitur uolunt ſapientes iſti, ſi Deo placet, rerum ſuarum calculatores, cùm ſibi ſua fore tabernacula atq; ædificia in progenie & progenie, indeq; nomẽ ſibi uulgò celebre conciliandũ opinantur? non'ne illud? domus noſtræ æternæ erunt, dicentq;
B poſteri longa annorum ſerie nos ampla hæc conſtruxiſſe ædificia, ornaſſe templa, ac ſtatuas erexiſſe: hinc nos laudabunt, nobisq; quicquid commodi noſtris exlaboribus nanciſcentur, referent acceptum: & ſic noſtrum pariter cum ædificijs æternum erit nomen. O mortaliũ amentiam. Non'ne & nos quoq; uidimus quoſdã huiuſce perſuaſionis homines inter nos adeò ædificandi ardore inſaniſſe, ut, quoniam quid innouarent non habebant, uel ipſas cõmodiſſimas habitationes, aptèq; ad libellam fabrefactas funditus euerterent, ac nouas neſcio quas ineptas, & eas iterum atq; iterum fixas & refixas, nondumq; inceptas, & iam ada muſsim correctas, erigerent? & id totum (ut præ ſe ferebant) quò nomen ſuum à poſteris in poſteros quaſi per manus traduceretur? Verùm hi probè oſtendunt, quàm gratius illis ſit ſuum in terris celebre cenſeri nomen, quàm in uitæ libro, in quo duntaxat piorum nomina ſcripta ſunt in cœlis, præſcribi. Ab aura certè popularí, uulgíq; rumore, atq; mentitis nonnunquã titulis dependent, non à diuino amore & gratia. Verũ ipſi ſuas uitæ rationes uiderint, nos ad inſtitutũ. In æternum itaq; fœdi illi cineres, atq; oſſa impiorũ infami in tumulo erunt: hoc eſt, eouſq; requieſcent, quouſq; ad uitã acciti, redintegrato corpore coram iudice ſiſtantur, publico nimirum unà cum anima ad æternam inferorũ caliginem ac noctem damnandi edicto: & meritò id quidem, nam huiuſce impietatis

Homo, cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Ingratiſsimus certè animantium omnium eſt homo, qui cùm à Deo tam beni gnè innumeris decoratus ſit fortunæ bonis, ut ſunt diuitiæ, honor, dignitas, pulchritudo, autoritas in rebuſpub. & multis aliis iſtius generis bonis, ferino tamen uiuens ritu, in eius prorſus tranſit feræ mores, cuius uitam imitatur. Res certè ſtupore digna eſt immenſo, quòd homo natura nobiliſsimus, atq; in ſublimi rerum mundi huius faſtigio collocatus, & id ſanè à Deo, nil tam in primis curare uidea tur, quàm quomodo reiecto Deo & æquitate, nouisq; quotidie excogitatis explendarũ cupiditatũ monſtris atq; artibus obbruteſcat omnino, fiatq; ſimiles ui

C ta ac moribus iumentis ipſis rationis expertibus. Nõ dormiet in magnificentia, uertit Fel. Similis factus eſt iumentis quæ exterminata fuerunt: id eſt, non morie tur in glorioſo illo ſuo uitæ honore & ſtatu, ſed mœrens deſperatusq; è uita dece det, & cuius nomen non ſecus uulgò ſupererit, ac ſolent iumenta occiſa, in fruſtaq; diſſecta & exterminata. Alius item ex Hebræo, Homo in precio non morabitur: hoc eſt, ut inquit Paraphraſtes, non fiet pluris quàm beſtiæ, quibus ſe ſimilem fecit. Et licet quidẽ iſtiuſmodi generis homines feliciſsimo interdum omniũ plauſu & fauore uiuere & mori quoq; appareant, apud cordatiores tamen, atq; illos qui in rebuſpub. ſapientiores ſunt, quamuis inglorij, beſtiæ reputantur meræ, & ſi quid in terris, quod ſaltem uegetet, turpius eſt. Proinde

Hæc uia illorum ſcandalum ipſis, & poſtea in ore ſuo complacebunt.

Ambiguus ſemper ſenſus eſt, ubi ambigua ab interpretibus redditur litera. Fel. legit, Hęc uia illorũ inſipientia illis, & poſteri ſui in ore eorum current. Idem fermè cæteri ex Hebræo. Cuius lectionis ea uidetur ſumma ac ſenſus, ac ſi cætera omnia ſuperius dicta in unum colligens dicat: Hæc demum illa eſt eorum uitæ ratio, id inſtitutum, ea inſipientia ac fatuitas, ut poſteris quoq; ſuis eundem uiuendi modum, cui ipſi adhæſerunt, tradant: poſteris dico, qui in ore ipſorum current, hoc eſt, qui iuxta illorũ uerba ac præceptiones, quibus quidem præcipitur, ut ſeculi huius commoda rebus omnibus anteponant, in primisq; quærant, uitã inſtituere debeant. Et hæc quidem quantũ ad Hebræorũ literã attinet, ſint dicta, cuius quoq; ſenſum ſic breuiter aperit Paraphraſtes: Hic eſt ſucceſſus ſtultitiæ illorũ dignus: ſed & poſteri illorũ quod ab illis didicerũt ſequentur. quæ præterea illorũ miſeria atq; ſtoliditas quò attentius animo recondatur, additũ eſt Selha. Noſtræ uerò literæ is erit ſenſus: Hæc uia illorũ, non Dei, ſcandalũ eſt ipſis: hoc eſt, in illam ipſam ſuam impingunt uiam, caduntq; illiſi, & poſt hæc in ore ſuo complacebunt, illorũ ſcilicet imitatores, qui eadem quę ipſi laudabunt, agentq;
D tanquã à diuino deſumpta oraculo. Alij rurſus, in ore ſuo complacebunt, ad eoſdem ipſos quorũ uia ſibimet eſt ſcandalum, referunt, ad hunc ferè modum: Non illis uiſum eſt ſatis, quòd facti ſunt pecoribus ſimiles malè uiuendo, niſi ſua peccata ueluti Sodoma prædicent. Vide igitur, mi lector, quomodo quandiu perſtat mundus, ſtultitiæ non ſit finis. Heu mentes deliras. Vſquequo delicijs, ut inquit Hieremias, diſſoluimini filiæ uagę? uſquequo ebriæ eſtis? At cupitis ne horum tandem qui huiuſmodi turpiſsimam ſanxerunt legem, uobisq; præſcripſerunt, ô amentes, exitum non ignorare?

Sicut oues in inferno poſiti ſunt, & mors depaſcet eos.

Tanquã, inquit, ſtolidus ouiũ grex, aceruatim hi ad inferos, quos uos felices arbitramini, deſcendent, cibusq; mortis erunt. Quemadmodum enim cadauerum omniũ caro, cibus eſt uermiũ: ita animarũ damnatarũ uita, eſt mortis eſca, eo ſanè modo, quo in pratis herba depaſcitur, quæ nõ à radice, ubi illius eſt uita, cõuellitur, ſed carptim tonſa à pecoribus inciditur: ſic anima in pœnis illis infinitis poſita, ſuæ abſq; ſubſtantiæ cõſumptione ac iactura, à perpetuo tanquã uulture dilaniatur morſu, ſed nõ abſumitur. Cæterùm mors animæ, ipſa eſt à Deo ſeparatio & interitus, quem alio nomine damnationẽ appellamus. Ab hac igitur morte, impij anima (ſi tamen, ut ſic per exceſſum dicam, anima in impio uocanda ſit, & non potius nequam ſpiritus) ſiue in corpore cõmoretur, ſiue extra demigret, æterno corroditur dente ac cruciatu. Ex Hebræis quidam, non, depaſcet eos, reddunt, ſed, reget eos: & eſt ac ſi dicat, Mors eos, ut paſtor ſolet oues, reget, illisq; dominabit. Vnde illud eſt Auguſtini: Vt Chriſtus uita, ita diabolus mors, qui paſtor eſt eis, ut ouibus, quas trahit ad paſcua mortis, quæ ſunt æternorum cruciatuum tormenta. Paraphraſtæ tamẽ prior magis uiſa eſt arriſiſſe litera, cùm ait: Sicut oues abducentur ad inferos, ubi pabulum morti erunt perpetuæ. Vtcunq; litera placeat, illud diſplicere debet, hominis ſcilicet animã, diuinæ lucis conſortem, & æternæ felicitatis hæredem, cuiusq; paſtor natura Deus eſt, ac rector, ad tantam deuenire poſſe ſuę dignitatis obliuionem, ut contempto Deo, rebusq;

A busq; cœleſtibus à mente prorſus eliminatis, ſua ſe ſponte (nefas) ſpirituum immundorũ dominio atq; imperio dedat, ubi à diuinorum excisa paſtione, ipſa ſe in cibum æternę deuoueat morti. Heu animas ſic à morte conſumptas, lachrymarum fluuio amneq; ſuſpiriorum, ſi daretur, redimendas. Verùm in inferno, quod te admodũ pungere deberet, ô qui gloriaris in malitia, & potens es in iniquitate, nullus eſt miſericordiæ ſenſus. Agedum, uiſ ne aliam illorum intelligere calamitatem?

Et dominabuntur eorum iuſti in matutino.

Id eſt, illis quos modò, dum nondum à paleis ſecretum erat granum, irriſioni habuerunt, tranſacta mundi nocte, ſe ſubditos cernẽt: tum dico, quando regnante in ſuis Chriſto, illi omnia ſubdita erunt, fientq; reprobi ſcabellum pedum eius. participes enim ſemel crucis Chriſti facti in hac uita electi, erunt & gloriæ, quæ in eo potiſsimum conſiſtet, quando & ipſi dexteræ iudicis, genus omne mortalium iudicaturi, aſſederint: & id quidem in matutino, ſeu manè, ut uertit Fel. id eſt, in ipſa ſtatim prima ſecretorum cordium cognitione, quæ impræſentiarum dum ignorantiæ nox eſt, omnino nos fugiunt. Nondum, inquit Ioannes, apparuit quod erimus (ecce nox) ſcimus autem quòd cùm apparuerit ille (ecce lux in domino) ſimiles ei erimus (ecce noſtra cum Chriſto poteſtas & gloria.) Idcirco clamabat Paulus: Nolite ante tempus iudicare: hoc eſt, dum nox adhuc terris incubat, nolite præproperum uobis arrogare iudicium: illud differte quando ueniet dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum. Audiſti, inquit ſpiritus, improborũ maximã omniũ calamitatẽ, cùm ſe nimirũ Chriſto, atq; eius amicis, quos in hoc mundo tam diro perſecuti ſunt odio & contemptu, uelint nolint, ſubditos intuebuntur. Audi quoq; aliam, qua, ſpe omni rerum illarum quibus in uita nitebantur, eisq; magis quàm Deo fidebant, deſtituti, deſperatiq; in pœnis manebunt æternis.

B *Et auxilium eorum ueteraſcet in inferno à gloria eorum.*

Id eſt, res illæ omnes, honor ſcilicet, dignitas, diuitiarum copia, addo & literarum, à quibus ſanè tanquam à potentiſsimis pendebant dominis, non amplius in marmoreis ædibus, excelſisq; tectis ac palatijs, in quibus ſpem omnem ſuam collocauerant, uidebuntur: ſed in inferno, perpetuo illorũ domicilio, tam ſublimi gloria uerſa in ignominiam, ſic penitus interibunt, quòd nulla eorum deinceps extabit memoria. Robur, inquit Campenſis, impiorum peribit, ubi ad inferos à magnificis ædibus (à gloria, noſter uertit interpres) quas hîc extruxerant, translati fuerint. Non omittam quòd hîc à Græcis addi uideo: nam ſimulatq; literam eodem quo noſter interpretati ſunt modo, uſq; in inferno, addunt poſtea, à gloria ſua expulſi ſunt: hoc eſt, ab illis ipſis rebus quas ſibi æternam fore gloriã opinabantur, prorſus reijcientur. Ita illis continget,

Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferni cùm acceperit me.

At Deus redimet animam meam, uertit Hebræus: & eſt clarior ſenſus, quàm ſi legas, Veruntamen. quem ſic reddit Paraphraſtes: Interim, dum ſcilicet illi in perpetuis manebunt pœnis, Deus liberabit animam meam ob eo cruciatu, qui impios manet. Ipſe enim me recipiet ad ſe, per gratiam nimirum & miſericordiam. Quoniam, inquit Chaldæus, docebit me legem ſuam in æternum, ſeu ſuſcipiet me: aut, ad ſe, ut Aben Ezra interpretatur, aſſumet in morte ſpiritũ meũ. Omnia hæc enim à Dei filio dicuntur propter nos, qui ob feliciſsimam illius reſurrectionem, in qua mirabilis Dei patris erga eum apparuit dilectio, ſimul cum ipſo ad æternam aſſumimur requietem. Quantam mihi porrò afferunt conſolationem uerba illa, quæ nunc etiam in carne poſitus, mecumq; colluctans, ab aureo Chriſti ore audire uideor, quorumq; memoria nõ ſolùm corda hominum diuinæ ſuauitatis capacia, uerumetiam ſaxa ipſa inanima & rupes commouere deberent: Venite, inquit, benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratum eſt à patre meo, ab origine mundi. O me felicem, ſi, quid aio ſi? quoniam, in-

C quam potius, unus ex illis ero. Dementia forsan hæc est, ac præsumptio, imò uerò etiam summa hæc est sapientia, quam me hasce inter quercus atq; ilices latitantẽ nuper edocuit meæ fidei autor Christus: huic enim semel addictus, concorporatusq;, ut inquit Paulus, atq; per cœlestis patris misericordiam illicò hæres destinatus, quomodo non semper cum illo commorabor? Euelli potius Sol ipse sua à sede poterit, obscurariq;, ac cum cæteris cœlorũ astris in opacam nostri orbis regionẽ delabi, quàm ab amore, quo suos Deus sub gelidissimo persecutionũ septentrione laborantes inflãmare solet, dissocientur piorũ animę, iustitia illa uidelicet animatę, qua Deo uiuitur per fidem. Haudquaquã igitur uerebor fide & ego illa munitus, quæ est in Christo Iesu, quamq; Deus per ipsum, tanquã per aureum riuulum, in me alioqui sterilem & siccum deriuauit, unà cum ipso, cuius ego per gratiam sum membrum, dicere: Veruntamen Deus redimet animã meam de manu inferni, cùm me acceperit, cùm ad se traxerit, uti iam traxit, sibiq; per misericordiam copulauit. Cùm hæc itaq; planè uulgo incredibilia uideantur, quæ hucusq; à spiritu in inuolucro dicta sunt, additur diapsalma, uel eo maximè quòd in sequentibus dicturus erat:

Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.
Quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neq; descendet cum eo gloria eius.

Pulchra nimirũ ac Christi spiritu digna hæc est parænesis, qua suos hortatur, ne illorũ metuant fastum, qui in multitudine diuitiarũ suarum gloriantur, cùm ipsa eadem illorum felicitas breui interitura sit. Siquidem cùm mori illis contigerit, nihil prorsus rerum illarum, quas tam ardenter in hoc mundo dilexere, secum auferent, ingloriq; è uita decedent. Quorsum igitur tam breuem improborum pertimescimus felicitatem, quæ cum illorum uita, quæ breuissima est, simul
D interit? cuiq; felicitati sempiterni hi dati sunt comites, dolor, mœror, luctus, planctusq; insaturabilis, ac perennis in cruciatibus miseria. Quis tam bellam, ni prorsus excors sit, deamet felicitatem? Sed illud supra modum dictu mirabile, quòd cùm hæc nobis dicantur, nec quo minus ea uera sint dubitemus, imò etiam & credamus, & in Ecclesia unà cum cæteris fateamur, illecti tamen rerum harum inferiorum ambitione, falsaq; decepti beatitudinis imagine, unus post alium certatim ad miserrimum illum uitæ exitum perinde properamus, ac solent hi qui in hippodromo currentes, glorioſum expectant post cursum brauium. Heu mentes attonitas. Non te malè habeat, inquit spiritus, non mireris, discrucieris ue animi, cùm diues factus fuerit homo improbus, ac uulgò glorioſus, tu uerò pauper & inglorius: ne, inquam, pro magno illud reputes, cùm suam in altum malis artibus, dolo, fęuitia atq; usuris euexerit familiam, natura humilem & obscuram: nam cùm ipse interierit, interibit quoq; secum pariter quicquid in terris glorioſum illi uisum fuit: nudus enim ab hac uita excedet, quemadmodum nudus in eam, alioqui suo sibi uitio letalem, ingressus est.

Quia anima eius in vita ipsius benedicetur, confitebitur tibi cùm benefeceris ei.

Quidquid illi felicitatis obuenturũ erat, id totũ illi in uita datũ est, cæterũ nil ultrà, præter miseriam. Sed tu interim mihi turpissimũ illius morem considera, qui neminẽ laudare aut amare solitus sit, nisi quem uiderit suis seruire cõmodis & uoluptatibus, cæteros uerò quamuis integros & probos aspernatur. Benedici hîc positum est, pro rerũ copia affici: confiteri item pro laudare ac gratias agere: & est sensus ac summa, quòd anima impij, hoc est, ipse impius in hac solũmodo uita rerum ubertate affluet, ab alijsq; laudabitur partim timore impulsis, partim uerò ignorantibus, quæ nam sit uera uitæ felicitas & beatitudo: ille autem contrà eum tantũmodo laudabit, qui suum approbabit uitæ modũ, sibiq; suis in cupiditatibus morẽ geret. Verùm alius uidetur esse sensus Hebræis, quia alia est littera. Sic Fel. Animæ suæ in uita sua benedicet, & celebrabũt te: id est, in hac uita beatus sibi uisus est: & laudabunt te (mutatio est muneri) hi scilicet, qui cõfidunt in uirtute sua: cùm nõ dissimilis illis fueris, te laudabunt. Quid si diuitẽ hunc ineptum

A ptum apud ſe loquentem introducamus? Celebrabunt, inquit, te uulgò, eriſq́ aliquid apud multitudinem, cùm ſic tibi proſpexeris, molliterq́ uiuens agrum agro accumulaueris. Verùm utcunq́ intelligatur litera, miſer ille, de quo multa in parabolis loquutus eſt ſpiritus, poſt breuem illam uitæ gloriã, poſt delitias, poſt turpem rerum omnium ſaturitatem & faſtidium, tandem

Introibit vſq; in progenies patrum ſuorum, vſq; in æternum non videbit lumen.

En tandem improbi diuitis exitus: ex hac enim uita demigrans cùm nihil minus tamen cogitaret, in infernũ, ubi illius iampridem, longa ætatum ſerie, deſcenderunt patres, quorum mores imitatus eſt, proijcietur, abſq́ ſpe ulla uidendi unquam lucem. Veniet, inquam, quò patres eius, qui ſimili fuerant improbitate infecti, uenerũt, ubi horror noctis æternus, caligoq́ denſiſsimis inuoluta tenebris omnem prorſus aufert diem ac lumen, multò magis Deum, qui lucis omnis principium eſt. huiuſmodi enim improbitatis homines tunc Chriſtus quaſi digito demonſtrauit, quando Iudæos alloquẽs improbis omnibus loquutus eſt, dicẽs: Vos implete menſuram patrum ueſtrorũ. Primus porrò martyr, Quem, inquit, prophetarum non occiderunt patres ueſtri? Quare ſic ſuos admonet Deus in uate illo: Ne ſitis, inquit, ſicut patres ueſtri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes: Conuertimini de uijs ueſtris malis, & cogitationibus ueſtris peſsimis, & non audierũt, neq́ attenderunt ad me. Illuc igitur ubi nullus ordo eſt, nec lux, nec uita, ſed ſempiternus horror, perpetuaq́ mors, nox & mœror inhabitant, patres impij cum filijs ſimul impijs, uno facto uolumine deſcendent, æternumq́ manebunt. Et certè nulla illis à iudice illata iniuria, nam

Homo cùm in honorẽ eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

B Repetit quæ ſuperius dixit. Miſerabilis homuncio, clamat Peraphraſtes, cùm in honore propter diuitias eſſet, nihil intellexit: ſed pecudum uitã imitatus, ſeſe ſimilem fecit illis. Ignorato quidem, ſeu potius neglecto bonorũ omnium morũ fonte, mirũ ſi homo aliud uitæ genus eligat, quàm ferarũ. A quo ſanè uitæ genere faxit Deus ut ego, qui hæc à turbis remotus, utcunq́ inter dumeta ac ſaxa balbutio, cum cæteris diuini honoris ſtudioſis abhorrẽs, illuc me totum proijciam, ubi mea continua ſuum habent nidum ſuſpiria, ad pedes nimirum Domini mei Ieſu Chriſti, ubi meam iam omnem collocatã eſſe felicitatẽ certò ſcio. Repoſita quidem eſt hæc ſpes mea in ſinu meo: interim uerò tam benigno Domino laudũ omnium cumulus, honorq́ perpetuus in ſeculorum perſoluantur ſecula. Amen.

PSAL. L. Pſalmus Aſaph.

Deus deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram à Solis ortu vſq; ad occaſum.

Hactenus primus eſt uerſus Hebræis. Cæterùm Aſaph unus ex Leuitis illis erat, qui in die illo, quo, ut in ſexto Paralipom. capite legimus, attulerunt arcam Domini, & conſtituerunt eam in medio tabernaculi, à rege ad confitendum Domino ſelectus fuerat, quiq́ cùm cæteri partim lyra, partim organo diuinas celebrarent laudes coram arca, ipſe in cymbalis idem laudandi Dei munus nauiter exequebatur. Cui & is in primis quem nunc exponere nitimur, tanquam cantorum principi demandatus fuit pſalmus, myſterio nimirum omnium maximo inſignis: quippe qui de filij Dei aduentu, ortuq́ Euangelij, ac gentium uocatione, mirabili uerborum artificio pertractet. Quocirca narraturus uates rem mirum in modum ſublimen, atque adeò penè incredibilem, in ipſo Pſalmi exordio magnificis admodum utitur uerbis, dicens: Deus deorum Dominus locutus eſt, & uocauit terram à Solis ortu uſque ad occaſum. Hebræi, Deus fortis, Dominus loquutus eſt, uertunt. Paraphraſtes uerò cum noſtro legit: Deus, inquit, iudicum Dominus loquutus eſt. nam iudices olim Iudæorum dij appellabantur. Prophetæ item, cæteriq́ qui ſpiritu Dei agitabantur, agitanturque impræſentiarum, adoptionis

C gratia dij uocari possunt: quorũ tamen omnium Deus opt. max. Deus est ac Dominus. Vide quomodo hîc uates audituris metum inijcit, cùm illum qui omniũ quamlibet doctrina & spiritu sublimium princeps est, loquuturum asserit, non his quidem aut illis duntaxat, sed omnibus regionum omnium, qui ab ortu Solis usq; ad occasum terras incolunt. Nemo enim ab Euangelij fide excluditur. Ideo ille qui rex magnus est super omnes deos, id est, qui super quoscunq;, quantacunq; polleant dignitate ac potentia, siue in cœlo, siue in terra, constitutus est rex, quiq; olim multifariam, multisq; modis per Prophetas suam mundo aperuerat uoluntatem, nouissimè extremis hisce diebus, proprio ipse ore nobis loquutus est. Et primum quidem sui castissimi sermonis initium è Sion, tanquã è sublimi fidei turre & specula, auspicatus est. Quare

E Sion species decoris eius, Deus manifestè ueniet.

Sion, Hierusalem est in scripturis. Speciem decoris eius, non tantũ diuinam Christi præsentiã, qui speciosus præ filijs hominũ in terris factus est, appellat hîc spiritus, quantũ salutis humanæ, cœlestisq; doctrinę præconiũ, quod in Hierusalem, tum per Christũ, tum per eius discipulos exordiũ habuit. Fel. sic: Ex Sion ornamento pulchritudinis Deus splendidè apparuit. Non possum equidem hîc à nõnullis non dissentire, qui cùm suis in prooemijs de promulganda Euangelij lege ac gratia, Christiq; aduentu primo in carnem, psalmũ hunc factum asserant, in ipso tamen fermè interpretationis initio, ad secundũ statim transeunt, à uocibus intercepti (opinor) illis, quibus ad exprimendũ magis Euangelij fulgorẽ ac pulchritudinem utitur uates: ut sunt, Deus manifestè ueniet, ignis ante illum præcedet, & similia alia: quæ tamen nõ minus primo, quàm secundo Christi aduentui conuenire mihi uidentur. Tentabo igitur, spiritus Christi ductu, an psalmus iste uerè diuinus, decorisq; ac perfectæ pulchritudinis Christianæ reipub. præco, primo illi celeberrimo Christi aduentui, cuius præsentia nostra tunc salus cœpta est
D delineari, atq; ab ipso Dei filio tanquã (ut sic dicam) calotechnio absolutissimè perfici, aptari queat. Alioqui certè quid mihi secundus iucunditatis, imò quid terroris atq; adeò diffidentiæ ac desperationis nõ afferret, nisi primus extitisset, qui blanda suauiq; sui memoria, metum omnem meũ temperaret, dulceq; redderet, si quid amaritudinis ex peccati haustu meum aliquando infecit palatũ? Verùm si cui magis aliorum psalmum de utroq; interpretantium aduentu sententia arriserit, non ægrè feram, imò illam cum ipsis & amplexabor, &, si sic Ecclesiæ uidebitur, dissuauiabor: tantùm meam simpliciter aperiam opinionem, fultam nihilominus non minimæ classis ac doctrinæ uiris. Deus, inquit uates, qui patribus olim nostris, sub uerborum rituumq; inuolucro loquutus est, ac suam corpoream mundo pollicitus est præsentiam, en tandem manifestè ueniet.

Deus, inquam ille, *noster ueniet, & non silebit.*

Excussis enim umbris, apparuit ipsa manifestè ueritas: qua, siue in terris, siue in cœlis quoq; requiras, quid manifestius, quid lucidius inueniri potest? Ego, inquit, qui loquebar, ecce adsum. Hinc porrò sic de manifesto huiusmodi accessu ad nos per carnem, liquidissima testatur uoce Esaias: De Sion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem, & iudicabit gentes, & arguet populos multos. Num, te obsecro, gentes à quoquam iudicari, arguiq; multi latè degentes populi occultè, & non potius palàm & manifestè poterunt aliquando? Ad hæc, lucis huiusce radios, crassiori cùm etiamnum essent sensu ac spiritu discipuli, semel intuentes quasi per transennam, dixerunt Christo: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Quòd si tamen quis Dei filium in terris obscurè atque occultè uixisse, suumq; sparsisse uerbum contendat, is audiat, hominum tunc malitiam atque ignorantiam, addo & hebetudinem, in causa extitisse, quin Solis radios, uel in ipso splendidissimo meridie, intueri potuerint. Esto siluerit ipse, ut uis, num propterea post Christi mortem, felicissimamq; illius ad dexteram Dei patris assessionem, siluere Apostoli? num cæteri illius propé-

modum

A modum abſq; numero diſcipuli? num hi omnes gratiã per Chriſtum mundo allatam ſilentio texêre? nónne publicè, propalamq; hæc omnia? nónne in omnem terram exiuit ſonus eorum? Martyres porró ne illi primi, baſes nimirum fidei & Eccleſiæ, in arctis angulis, anguſtisq; locis, an in mediis ipſis urbium plateis & theatris, toto ſpectante orbe iugulati fuere? Manifeſtus igitur, ac, ut uertit Fel. ſplendidus apparuit Dominus, ſplendidus uixit, ſplendidus mortuus eſt, ſplendidus reſurrexit, ſplendidus nunc quoq; in piorum cordibus, per ſui ſanctiſsimi ſpiritus infuſionem cernitur: in cæteris uerò & obſcurus, & (ut ſic dicam) letalis: quemadmodũ olim etiam in ipſa crudeli ſui puriſsimi corporis, in quo neq; tunc ſpecies, neq; decor uiſus eſt, dilaceratione, membrorumq; omniũ diſſolutione, pulcherrimus paucis illis, qui in eius fide permanſerunt, ſed in primis beatæ uirginis ſecretorũ cœleſtium conſciæ, apparuit: aliis autem informis, & planè extinctus. Quî, rogo, dicendus is eſt in tenebris aduentare & occultè, cuius aduentus ignis anteambulo eſt, atq; horriſonus procellæ ſtrepitus præco?

Ignis, inquit, *ante ipſum præcedet, & in circuitu eius tempeſtas ualida.*

Ignem hîc uocat ſpiritus, uirtutem illam efficacem, quam ſuo ab æterno inſeuit uerbo & legi Deus, cuiusq; ardor in ipſo ſtatim gratiæ limine, mortaliũ cùm omnium tum Iudæorum maximè corda uiolentius, quàm antea, & mouit, & partim ad uitam, partim ad interitum exuſsit. Cõmotus eſt, inquit Matthæus, ſeu turbatus eſt Herodes, & omnis Hieroſolyma cum illo, nempe Herode, qui ut gentium ad tam inſolitum noui regis aduentum cõmouendarum typus fuit, ita ciuitas illa, totius populi Iudæorum. Ad hæc, ex huiuſce facis igne, illa tum primũ ardens, ut illum appellat Chriſtus, lucerna de improuiſo erupit Ioannes, uatum nimirum omnium maximus, imò uatum interpres, qui omnes quotquot illum ad Iordanis ripas conueniſſent (ad eum enim certatim turbæ, publicaniq;, ac, ut re-
B fert Lucas, milites diſcendi cauſa conueniebant) tanquam uox uerbi, præcoq; & nuncius, publicè ad ueram capeſſendam pietatem erudiebat. Vnde omnis Iudæa, ut inquit Matthæus, Hieroſolymaq;, atq; omnis regio circa Iordanem, tam nobilis lampadis excitata fulgore, exibãt ad eum, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua. Hæc ne in occulto? Sentis ne ignis illius uim, qui ante eum præceſsit, & inflammauit in circuitu inimicos eius? O ſi mihi uel tantillum ſaltem, in tenebroſo uitę huius itinere, tam efficacis ignis uiri illius, cuius nomen à ſacra mihi unda contigit, contingeret. Diſcrucior ſanè animo, nondum meu el minimam quidem uitæ illius, cuius nomen adeptus ſum, integritatem arripuiſſe: arripiam tamen, modò Deus, cuius ille aduentui tanquam fax ardens præuius fuit, me in ſpiritu & igne etiam atq; etiam ablui iubeat. Atq; hæc de igne dicta ſint. Cæterùm tempeſtas ualida, ſeu turbo, ut uertunt Hebræi, eo ſanè tropo, quo ignis, Dei potentiam omnia in Chriſti aduentu proterentem deuaſtatemq; ſignificat. Quare Paulus iſtiuſmodi ignis calore accenſus, turbineq; illo, cuius olim impetu ex equo deturbatus exterritusq;, è perſecutore factus eſt uas electionis, clamabat: Arma militiæ noſtræ non carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum (ecce tibi uis ignis & procellæ) conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam. Vides quàm concitus factus ſit Pauli ſermo, ob ignis tempeſtatisq; diuinæ impreſsionem? Vis ne aliam uehementiorem audire commotionem?

Aduocauit cœlum deſurſum, & terram diſcernerę populum ſuum.

Videor hîc mihi illud ſeruatoris audire: Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiȝcietur foras. Atqui & ſupera & infera, cœleſtia nimirum & terrena ad erigendam tunc Eccleſiam, nempe diuinitatis in terris domicilium, Chriſti, Chriſtianorumq; cum Chriſto, in tam nobili ædificio collaborantiũ, obſequiis præſtò adfuere. Prodigia enim tum primum immenſa, tum in cœlis, tum

C in terris ad mortalium terrorem uisa sunt. Et ut alia penè infinita prætereamus, nónne in Christi morte Sol in cœlis, tanquã sui autoris exhorrescẽs mortem, expalluit, atq; absq; luce uisus est? Quid terra? petræ, inquit, scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Vocatum itaq; cœlum, suam sursum uersum demisit ad Christi nutum seruitutem, non tam quidem inanimatarum rerum, quàm mentium illarum cœlestium, quarum ministerio usus est Christus in terris, cæteríq; post illum Ecclesiæ proceres, atq; illius fidei cooperatores. Lætitia illa rerum erat conditarũ omnium uniuersalis, unde ab omnibus certatim exhibitũ fuit obsequiũ: & id quidem totum, quò pij omnes à dæmonum tyrannide eximerentur, & sic postea à reprobis discreti semotiq;, unusquisq; quod charius in uita habuit & dilexit, irreuocabili facta diuisione sortiretur: ita illos qui cœlestia in hac uita dilexissent, cœlũ ut suos agnosceret, ad se traheret, atq; in æternis collocaret bonis: alios uerò, utpote terrã terrenaq;, uel usq; ad emissionem animæ, sectantes cõmoda, terra ipsa cognosceret suumq; ut populum à cœlesti illo alio discerneret, tandiuq; aleret, quoad per mortem absorptos ad æternam transmitteret damnationem. His igitur suis in cruciatibus derelictis, inquit spiritus:

Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.

Ecce quomodo secreti ab improbis boni, sanctiq; à nefarijs, in Dei Ecclesia congregandi sunt. Hi, dico, qui fidei legem longè præstantiorem esse, quàm lex operum, reipsa ostendunt: & qui, ut inquit Augustinus, cogitant de promissis eius supra illa quæ operantur, quæ sunt sacrificia, quæ hîc à spiritu interseruntur. Nouum, inquit, testamentũ, quod in fide fundatũ est præstat ueteri, quod cruentis cõstabat ritibus & sacrificijs: hi igitur ad Christũ congregentur, cõfugiantq;, qui superstitioso reiecto cultu, ut ferè ille erat Iudæorum, ordinant, disponuntq;,
D atq; idcirco nouum istud pacis ac fidei, ut ueros decet liberos, testamentum, tanquam illius ueteris summam ac nexum, & in quo sanè omnis inest perfectio, seruant. Verùm Hebræi non, illi, sed mihi uertunt, hoc ferè modo: Congregate mihi bonos meos, seu sanctos meos, incidentes fœdus meum super sacrificium. Et est uox Christi, ad sese congregantis omnes, quos sibi datos à patre, ne quis ex illis pereat, asserit. Vnde illud est: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. & est sensus, ut eleganter aperit Paraphrastes: Congregate ad me, inquit, sanctulos meos (uide tenerum Christi affectum in suos, quos sanctulos uocat) de quibus tam sum meritus bene, & qui mecum inierunt pactum de sacrificandi ratione. Quæ quidem ratio, ut mea fert opinio, in eo consistit, ut ritibus ueterum seruatis, tam in sacramentis uel conficiendis, uel multitudini erogandis, quàm in piarum ceremoniarũ usu & cultu, ad Ecclesiæ decorem, pietatisq; Christianæ testimoniũ à patribus decreto: illud tamen primum & præcipuum in cultu externo requiratur, persuasumq; sit omnibus, Deũ in spiritu & ueritate in primis coli debere. Ad quem sanè finem non solùm ritus isti Ecclesiæ ac sacramenta referri debent, uerumetiam quicquid à sanctis Dei uiris, ueræq; religionis capacibus hîc agitur, id totum prorsus eò tendit, ab illoq;, tanquã radij à Sole, dependet. Id quidem fœdus est Dei cum suis initum, incisumq; in eorum corda atq; animas, ut olim incidebantur in æs aut saxum, leges fœderum.

Et annunciabunt cœli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est.

Quis hîc non miretur, simulq; quanto ualet animi studio ac nisu, iustitiã illius licet secretam, uulgoq; ferè incognitam, annunciet, qui remotis procul ab Ecclesia reprobis, quos uti suum populum terram discernere in superioribus imperauit, illis tantummodo suæ misericordiæ sinum aperit, quos suos fore iam ante rerum originem prænouit (hos cœlos uocat) ac propterea suo cultui, qui spiritum totũ hominis requirit misericorditer addixit? Quod quidem mysteriũ præteritis omnino seculis incognitũ, nobisq; in Christo palàm factũ, tanta adeò miratione dignum usum est uati, ut Selha hîc interponere curauerit, uel eò maximè, quòd abolen-

A abolendam prorſus eſſe ſacrificiorum legem, cùm hæc ſcriberet, in ſpiritu præuiderit. Vnde nouum atq; perpetuum ſacrificandi ritum conſcripturus, facit hîc Deum uniuerſorũ iudicem, quò res altius conſideretur, ad uniuerſam totius orbis multitudinem ſermonem habere.

Audi, inquit, populę mi, & loquar Iſraël, & teſtificabor tibi: Deus Deus tuus ego ſum.

En hîc Eccleſiæ, quæ eſt in Chriſto, fundamentum ponitur: nam fides ex auditu. Clamat igitur in hoc pſalmo Chriſtus, omnesq; cõmuniter ad ea quæ dicturus eſt audienda, ſed cumprimis in libro uitæ per gratiam conſcriptos, qui ſunt uerus Iſraël, inuitat. Audi, inquit, hoc eſt, meis fidem adhibe uerbis, populę mi. Populum ſuum uocat Deus omne mortalium genus, quippe qui omnium pater eſt & conditor, ne non uocatum ſe quis expoſtulet: uerùm quia fides non omnium eſt, ut inquit Paulus, ſed Dei eſt donum, ſpeciali, ut dixi, prærogatiua ſuos alloquitur: illos dico, qui oblatam fidem amplexuri erant. Te, inquit, ô populę mi, ô Iſraël, ô qui crediturí eſtis in nomine meo, uos alloquor, uos ad meam inuito concionem, uos teſtes adhibeo, quòd Deus Deus ueſter ego ſum. Innumera enim quę uobis potentię meæ addo, & amoris mei erga uos exhibui teſtimonia, nonne clamant me ſolum ueſtrum eſſe Deum? Vide quid Dei filius in Ioanne de ſe dicat: Si non facio, inquit, opera patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non uultis credere, operibus credite. Oportet igitur accedentem credere, ſed illud ante omnia, quòd ipſe eſt Deus, Deus (inquam) noſter per gratiæ dilectionisq; quà ſuos dilexit ante mundi conſtitutionem, priuilegiũ. Quid hîc (malum) non diffiniunt de Deo, atq; eius, ut uocant, eſſentia nõnulli? uerùm ineptè, ſiquidem ineffabilia mortali explicare uelle uerbo, impoſsibile planè eſt, ne dicam ſtultum. Ad obediendum fidei, clamat Paulus, gratiam & Apoſtolatum accepimus. quare ubi Dominus quidpiam aſſerit, ut inquit Chryſoſtomus, non oportet audientes multum defatigari, aut curioſe nimium indagare, quæ dicta
B ſunt, ſed tantùm excipere & credere. Non, inquit, ut ipſius ſubſtantiam indagemus, ſed ut in eius nomen credamus, uocati ſumus. Sed iam concionis ſeriem uenerabundi uideamus.

Non in ſacrificijs tuis arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper.
Non accipiam de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos.

Quandiu enim Iſraël puer fuit, legiq; ceu aſpero ſeruiuit pædagogo, ad ea quę legis erant ſeruanda diuina tenebatur iuſsione, contendebatq; pro uiribus, uerùm nequicquam: nam aceruum illum immenſum cęremoniarum, rituumq; ac libationum, nemo unquam integrè exequutus eſt: quandoquidem nihil unquam ad perfectũ, ut ait Apoſtolus, adduxit lex. Et licet cuncta illa antiquę legis decreta ac ſacrificia, populi illius fidem teſtarentur, tamen id paucis cognitum erat: proinde alia ab ipſa iam mundi origine promiſſa ſancienda erat lex, fœdusq; perpetuendum æternũ, quod paſsim omnibus ubiq; gentium uiuentibus obuium foret: id Euangelium erat, id Eccleſia, id Chriſtus, cuius cultus ac religio à ſpiritu hîc optimè effigiatur. Ne uerearis, inquit, ô homo, te à me reprehendi, niſi cruentis mihi litaueris ſacrificijs: plenus ſum. Ne offeras ultrà ſacrificium fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi, holocauſtomata ueſtra non mihi iam ſunt accepta: nouus incœptandus eſt cultus, cuius ſumma, amor eſt, non cruor aut timor, ut olim. Veſtra enim (ne dubitetis) holocauſta in conſpectu meo ſunt ſemper: iam illa habeo, mea quippe ſunt, tantum abeſt ut mortalium rebus egere dicar. Non amplius accipiam, ut hactenus factum eſt, de domo tua uitulos, neq; de gregibus tuis hircos, ô homo: umbra illa omnia fuere. En ueritas, en ego qui tum rebus in illis loquebar, adſum. In me iam ſolùm ueſtros, ô mortales, conijcite oculos. Exoleuerunt iam demum umbræ, præſtò eſt lux. Illud porrò non prætereundum, holocauſta in conſpectu meo ſunt ſemper, à nonnullis per negationem legi, hoc modo: Et holocauſta tua non ſemper me coram: ita Kimhi Hebræus interpretatur, uultq; negationem utriq; inſeruire hemiſtichio, quemadmodum

C in ſuperioribus dictum fit: Non dabit Deo placationem ſuam, & precium redemptionis animæ ſuæ. & eſt ſenſus, holocauſta ueſtra haud ſemper mihi accepta erunt & grata, utpote quæ ad tempus duntaxat præfixum, ueſtræ proſpiciens imbecillitati, ſeruari uolui, cæterò mihi nauſeæ erunt:

Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues.
Cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt.
Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius.

Nullí dubium eſſe debet, ſacrificantiũ tum Iudæorum animũ magis ſpectaſſe Deum, quàm occiſa pecora. Id enim fuit in mente Dei conſilium, ut Iudæorum populus ueræ religionis expers & rudis, ab illis ſenſim ſacrificandi ritibus, ad ueram capeſſendam pietatem, quæ potiſsimũ in animo conſiſtit, tranſiret, condiſceretq; ſibi tandem emori, ac Deo uiuere: alioqui quid uis illa uictimarũ, omnium molitori Deo uel honoris uel utilitatis conferre potuiſſet? Illud, Cognoui omnia uolatilia cœli, nihil aliud ſibi uult, quàm, in mea ſunt poteſtate. Hebraiſmus eſt, quo haud raro in ſcripturis legimus Deum ſuos agnoſcere, quod idem eſt, atq; Deum illos ut ſuos habere, eosq; curare & tueri. Cæterùm cùm belluarum omnium, ferarumq; ſylueſtriũ, uolucrum item multitudo, & quicquid manſuefactorum animantium in terris uſpiam inuenitur, diuinæ morem gerat uoluntati, atq; in illius ſit poteſtate: abſurdiſsimum planè eſſet cenſere Deum, tanquam hominem rerum harum inopem, beſtiarum carnibus ueſci, aut illarum nidore delectari, proindeq; è domo illas hominum, aut armento poſcere. Puerilia ſanè quidem illa fuere ſacrificia, pueris nimirum Iudæis, hoc eſt, nondum ſolidiori pietatis edulio, quod allaturum erat Euangelium, aſſuetis, ad tempus cõceſſa. Verùm plenitudine ea temporis aduentante, qua ſuum miſit Deus unigenitum, factum de muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret (en quomodo perditi erant quotquot ſub legis onere premebantur) cœperunt illa omnia uſqueaD deo nutare, donec aperta iam tandem ab agno pietatis Euangelicæ tabula, ac libro qui Dei manu obſignatus fuerat reſignato, prorſus occubuere, aliudq; ſacrificandi genus, perbreue ſcilicet & compendioſum, in eorũ ſucceſsit locũ. Quamobrem à ſpiritu additur,

Immola Deo ſacrificium laudis, & reddẽ altiſsimo vota tua.

Hæc eſt ſumma, concluſioq; totius illius ſacrificiorũ acerui atq; oneris, ut ſerió quis Dei conſiderans bonitatem, atq; in mortales dilectionem, illum quem tam largè effuſum in erogandis huic mundo ingrato & duro muneribus cernit, admiretur, amet, quærat, illumq; ſolum ante omnia expetat, ſecumq; uelit, cui & ſe & ſua tutò queat cõmittere conſilia: interim uerò nil tam charũ in uita habet, quàm ut tam benignum dominum, quà oris, quà cordis efferat laudibus, iuxtaq; ueluti de ſe ſtructa ara, ac ſimul uictima, ſe totum ad diuini nominis honorem & mactet & incendat. Atqui talem ſacrificandi morem atq; uſum in quo fides atq; amor humanis iugulatis ſenſibus, ſplendidiores fiunt, diuina approbat maieſtas, hunc cupit, hunc uel ab æternis rerum ſeculis, à mortalium popoſcit animis, & exegit. Vult igitur à nobis Deus noſipſos, uult animum, uult cor, uult quoq; ipſum alioqui brutum atq; iners corpus, ut quicquid tandem ſumus, quicquid uiuimus, uouemusq;, id totum facta ueluti rerum omnium noſtrarum ſarcina ac globo, una ſit laus Deo, unaq; libatio & ſacrificium. Cæterùm hîc uates (opinor) celebris illius ac ſolennis meminit uoti, quo noſtrûm quilibet ſe Deo in baptiſmo dedicat: huic contrauenire ſcelus penè inexpiabile cenſetur: quocirca, uelimus nolimus, inuiolata reddenda ſunt, quæcunq; tanta cum religione promiſimus. Quid porrò de nobis cenſendum, qui non contenti nos ſemel deuouiſſe Deo, addimus & aliud nouum noua obteſtatione iuſiurandum? Non nouum quidem id eſt, ſed quædam pia prioris teſtificatio, recensq; promiſsio illorum quæ iam pollicíti ſumus: unde arctiori nos nodo, qui in clauſtris ſepultam degimus uitam, repetito iuſiurando, diſtinemur nodatiq; ſumus, quàm hi qui ſemel in baptiſmo

A ptiſmo ea Eccleſiæ promiſerunt uoueruntq́, quæ ſeruata, perfectiſsimũ reddunt hominem, capacemq́ æternæ felicitatis per Chriſtum, cuius cruore ac nece, uis ea data eſt aquis, ut nihil aliud requiri poſſe uideatur, quin ſuperfluum omnino ſit & nouum. De uotis uerò quæ ſparſim ab hominibus in periculo aliquo conſtitutis nuncupantur, quid iudicandum ſit, id dij Eccleſię uideant: de modo, non de re ipſa loquor. Tantùm illud dicam, uota illa tunc uera eſſe ac rationi conſentanea, quæ à temperato animi propoſito & conſilio, dimenſis prius humanæ naturę uiribus, prudenterq́ examinatis proficiſcentia, in Dei honorẽ, profectumq́ animarum tendunt. Cæteroquin uota illa ſubita & immediata quę fiunt, quę ue magis à uehementi perturbatione animi ac metu prodeunt, quàm conſultò, aut erga Deum fide, quemadmodum difficilia plerunq́ ſunt, &, ut ſeruentur, impoſſibilia, ita neglecta, periculoſa. Sed de omni hac uotorum ratione non loquitur hîc uates, uerùm de illa qua perpetuo fœdere anima & pollicitatione ſe conſecrat Deo, promittitq́ ſe, quæcunq́ accidant, eius ſanctum nomen celebraturã, eoq́ uicturam uitæ inſtituto, quo palàm omnibus fiat ſe nihil in terris tam cupidè deſiderare, quàm ut diuinũ laudetur nomen, ſanctificeturq́, atq́ ab omnibus ubiq́ gentium colatur. Rarò enim in ſcripturis uoti nomẽ reperies, cui Dei laus itidem coniuncta non ſit. Cæterùm quoniam cuius anima temperamenti ſit, quid ue de Deo ſentiat, nõ clarè admodum diſcerni poteſt, idcirco addita eſt aduerſitatum lima, cuius quidem dente uel ad uiuum uſq́ interdum corroſa, quò ſe uertat, plerunq́ ignorat: eam obrem à Deo, ut eſt animarũ amantiſsimus, ne tota in ſcobem exeat, admonetur.

Inuoca me, inquit, *in die tribulationis: eruam te, & honorificabis mę.*

Duos hîc mihi uidere uideor fidei gradus, ad animarũ perfectionem neceſſarios: alterum enim, quò certò credant ſeſe occultis ſpiritus ſtimulis ad amplexandam crucem animari, inuitariq́: alterũ uerò, quò ſuam non ignorantes infirmita
B tem, nuſquam ſibi ſperandum eſſe in ipſa ferenda cruce auxilium, præterquam a Deo, perſuaſum habeant. Qui Deus ita noſtri cupidus eſt, ut non ſolùm nos periculi incautos admonere ſoleat, uerumetiã ſeſe nobis exhibet in aduerſis defenſorem: qui tamẽ haud multa quidem à nobis propterea exigit, neq́ multi laboris ac curæ, ut olim illa erant Iudæorũ, ſacrificia, uerùm id tenue & ſolum, ut, reiecta prorſus cæterarum rerum ſpe & fiducia, ad ſe tantummodo confugiamus, ſibiq́ pro reportata ab hoſtibus uictoria, gratias ſaltem habeamus, ſi aut referre, aut agere moleſtum eſt. O certè leuiſsimum Euangelicæ pietatis iugum, in quo nimirum aliud nihil tam efficax & ſalutare requiri uideo, quàm fidem. Vide, te obſecro, mi lector, quàm abbreuiatũ ſit factum uerbum Domini. Inuoca me, inquit, in die tribulationis. Sed quid, ſuauiſsimè Domine, nobis inde erit ſperandum? Eruam te. O immenſum beneficium, ſed eo quoq́ immenſius, quò is qui promittit, Deus eſt. Verùm num in me aliquid eſt, quod te dignum tibi rependi queat? Eſt ſanè: me honorificabis. En igitur laudis ſacrificiũ, en uota, en promiſsiones, de quibus ſuperius mentionem fecit ſpiritus, dicens: Immola Deo ſacrificiũ laudis, & redde altiſsimo uota tua (cenſent quidam orationes has eſſe Deo factas pro ſalute noſtra) Vnde in uotis nuncupandis Dei potiſsimum honos, quæ noſtra eſt ſalus, quæri debet, non leuitas animi, aut ſubita parumq́ cogitata, ut ſic loquar, præcipitatio mentis. Hæc ſanè me edocuit ſpiritus.

Peccatori autem dixit Deus, quarę tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?

Iuſtitias meas, ſtatuta mea. uertit Fel. Alius ex Hebræo, legem meã. Paraphraſtes uerò conſtitutiones meas. Hæc enim omnia idem ſignificant, legem ſcilicet diuinam, quam poſtea teſtamentũ appellat uates: hoc eſt, fœdus illud æternum cum Deo percuſſum, quo homo ſe ui fidei per Euangelium ſeruatum iri credat. Iuſtitia quippe noſtra à Deo gratis per fidem, quæ ſumma eſt diuinæ legis, originem habet. Sunt etiam qui iuſtitias meas, cæremonias meas uertunt, nõ quòd

C ab ipſis mortalium iuſtitia, quæ à fide eſt, proficiſcatur, ſed quia hæ noſtram in Deum fidem ac pietatem, ut ualent, teſtentur, modò à pio animo ac religioſo peragantur. Verùm quia omnia quæ ſunt Dei, atque ad eius cultum ſpectant, munda omnino eſſe debent & pura, utpote animarum candorem ſecum afferentia, eam ob rem ab animis iuxtà & corporibus optimè purificatis & mundis tractari illa debent: ſecus uerò ab arroganti corde ac ſuperbo, quæ eſt letalis animæ peſtis, addo & à corpore libidinum maculis inquinato, contrectari docericq; maximũ eſt ſcelus: quare non immeritò, quí talis eſt, à Deo hîc arguitur. Quare, inquit, tu, hoc eſt, qua fronte tu immundus, tu impurus, tu inquinatus, meas audes enarrare conſtitutiones, quæ mundæ natura ſunt, puræ & caſtæ? Cur uel nominare quidem, multò magis edocere meũ, quod cum meis pepigi, fœdus præſumis? Tú ne polluto illo ore, quod maledictione & amaritudine plenum eſt, incircunciſiſq; labijs, meam non erubeſcis prædicare legem, meumq; teſtamentum, quod ſanctum eſt, ſanctosq; proinde ſuos eſſe buccinatores & uult & præcipit, diuulgare? Ridiculum planè, alios ad morum culturam atq; ornatum inſtruis,

Tu uerò odiſti diſciplinam. & proieciſti ſermones meos retrorſum.

Tu prædicas non furandum, & furaris? non ſcortandum, & ſcortaris? Diſciplinam hîc poni pro correctione intelligas, ut hinc duos potiſsimũ improbitatis in improbo gradus uidere liceat. Primus igitur cùm uideatur eſſe ad pietatem acceſſus, admonitiones ſedato ferre animo, atq; ſubinde Dei uerbum amplecti: ita ad impietatem primus is eſt, proborum correctiones auerſari, atq; propterea ad ſecundum ſtatim proruere, qui eſt uerbi Dei neglectus. Cæterùm hîc inter reliquos Dei hoſtes taxari hypocritã iudico, quẽ per emphaſim peccatorem nuncupat ſpiritus. Solet enim is qui huiuſce generis infectus eſt inquinamento & uitio, ad ſuam obtegendam prauitatem artificioſiſsimè Dei uerbo uti: cùm totus enim intrinſecus ſordidus ſit & ſuperbus, omnium tamen puriſsimus ac mitis,
D nempe qui ſuis in ſermonibus, in actionibus, in moribus, nil niſi ſanctimoniam præ ſe ferre uideatur, à leuiſsima cenſetur turba. Si quidem externũ hominem illum ſpectes, neminem unquã in exhortando, in conuerſando, in corrigendo, uel manſuetiorem, uel doctiorem uidiſti. Sed quid ſi ſecreta illius cordis intueri poſſes latibula? ſtatim, opinor, iurares non tantũ aperta malè olere ſepulchra, quantum malè olet hypocritæ animus & mens. meritò is igitur à ſpiritu arguitur. Tu, inquit, qui cæteros doces, teipſum non doces? Tu qui omnem odiſti correctionem, meaq; poſt tergum proieciſti uerba, tam temerario auſus es imperio meam proferre legem? cæterisq; bene uiuendi normam præſcribere, cùm tu ea in parte, quæ mortalium fugit oculos, malè uiuas, imò prorſus mortuus ſis?

Si uidebas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.

Succurrit hîc mihi alius turpiſsimus hypocritarũ mos & conſuetudo, qui cùm cæteris interdum tum doctrina, tum dignitate aliqua inſigni præſtent (à ſeruatore fures & latrones appellantur) infelici turbæ facilius imponere conſueuere. Nam ſi facto ipſo non furantur, aut pudore aut metu detenti cum ſcortis conſuetudinem non habent, aſſentiuntur tamen animo habentibus, applaudunt, inuidentq;, ac turpi quodam mentis afficiuntur oblectamento & cõſenſu: & ſic cùm agni foris appareant, intus tamen ſunt lupi, & ſi quod aliud rapacius inuenitur animal. Rurſum duo hîc mala in uniuerſum penitus orbem debacchantia, è quibusq; tota reliqua uitiorũ ſentina erumpere uidetur, à ſpiritu in medium produci uideo: alterum quidem immodicæ habendi cupiditatis: alterum peruerſæ libidinis. Nam dictionem illam, quam noſter interpres uertit, adulteris, cum ſcortatoribus, uel cum fornicatoribus Hebræis eſt. quanquam nõ me latet maximum omnium, quæ effræni in libidine peraguntur peccata, adulterium eſſe. Quæ dictio uiſa eſt placuiſſe, cum noſtro, Paraphraſtæ, qui ſic reddit uerſum: Si furẽ uſquam uidiſti, illi te adiunxiſti, & fieri furti particeps cupiebas, & ſocius factus es illorum qui alienas ſtuprare ſolent uxores. Deme itaq; ab homine intemperantiam

A tiam habendi, ac libidinem, neſcio in quod aliud uitiorum genus delabi queat. Et ut quidem nulla alia peccandi licentia ab hiſce duabus tanquam belluis, uirtutum omnium amœnitatem deuaſtantibus, deriuari poſsit, quæ tamen ſequuntur, neceſſariò contingere opus eſt:

Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.
Sedens aduerſum fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum.

Quid non peierant cupidus & libidinoſus? quid non fingunt? quid non mali machinantur, quò ſuum aliquando ſopiant æſtum? Omitto prudens largas auari libidinoſiq; pollicitationes, quibus decepti nonnunquam ciues, ciuiumq; uirgines, eò interdum deſperationis adiguntur, ut abiecto pudore, legumq; metu, illi egeſtate coacti publicum exerceant latrocinium: hæ uerò corruptæ atq; deluſæ, quia uni nequiuerunt, omnibus ſeſe uulgò proſtituant. Os igitur impij, hypocritæ, auari, ſimulatoris, abundat malitia, fucoq; omnem ſuum conuoluit ſermonem: fingit, ſubridet, doloſq; tandem ea connectit arte atq; impudentia, ut ne ſuis quidem uterinis parcat fratribus. Vide, mi lector, mecumq; time, conſiderans in quàm tetrũ cadat profundum ille, qui proijcit ſermones Dei retrorſum, qui diſciplinam auerſatur, qui polluto audet ore ac turpi, puram, ſanctamq; edocere legem. Vides ne quomodo & ſupera & infera, ſurſumq; deorſumq; perturbat & confundit? Atqui ut melius illius intelligatur peruerſitas, additur hîc uerbum, ſedens: quod ſanè maximam præ ſe fert arrogantiam, & eſt ac ſi dicat: Cùm prauus nimirum ſis, ac turpiſſimæ tibi uitæ conſcius, audes nihilominus (nefas) tanquam doctor aut iudex, in multorum conuentu ſedere, omnes carpere, calumniari, mordere, damnare tandem, ſi quos uides, aut ſuſpicaris ſaltem, tuæ aduerſari libidini atq; ambitioni. Quid? adeò omni exutus es humanitate, ac Dei metu, ut etiam eoſdem ipſos, eodemq; enutritos lacte fratres, opprimas cum cæteris, atque eis illudas? quod quidem ſæuitiæ genus quò penitius conſideretur,
B eadem repetitur ſententia: alioqui ſat erat dixiſſe, aduerſus fratrem tuum loquebaris. Scandalum porrò dictio, Hebræis eſt calumnia, ſeu opprobrium. Vnde ſic reddit Paraphraſtes: Et filium matris tuæ facere infamem nitebaris. Cæterùm mater hîc eſt non tantùm illa quæ mortales gignit filios, uerumetiam quæ immortales, quæ eſt Eccleſia, fidesq;, atque eadem, eiuſdemq; profeſſionis religio, cuius uirtute fratres omnes ſumus in Chriſto. Videant igitur quid agant hi, quorum ea uidetur uitæ ratio, ut fratres opprimant, illorumq; nomen uulgò traducant. Videant, inquam, quid in ſequentibus huiuſmodi nequitiæ homini comminetur Deus.

Hæc feciſti, & tacui: exiſtimaſti inique, quòd ero tui ſimilis.
Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.

Peccata tua ſcilicet, ut addunt Græci. Hebræis eadem fermè eſt litera cum noſtro, ab aliquibus tamen additur, me, ad hũc modum: Arguam te, & ſtatuam me contra oculos tuos. Diuus uerò Auguſtinus hunc interpretatur locum hoc ſenſu: Oſtendam, inquit, te tibi. Omnia quidem hæc eò, utcunq; ſit litera, ſpectare uidentur, ut maximam animi confuſionem tunc fore aſſerant miſerrimo illi, cùm eius ſcelera Deus punire decreuerit, qui interim ad eius conniuens peccata, diſſimulansq; non uidere quæ turpiſsimè ab illo perpetrantur facinora, tacet, ut ſic ſaltem cognita diuini iudicis patientia, confuſus reſipiſcat: uerùm nihil plerunque agitur: obduratus enim in malis non ſolùm omnem abiecit bene uiuendi legem ac rationem, uerumetiam cæcus omnino effectus putat Deum ſua approbare ſcelera, aut ut homines ſolent, cordium ſecreta non uidere, quòd ſtatim non puniat. hinc itaque ea exorta eſt Dei reprehenſio, acerba nimirum ac terrifica: Hæc feciſti, inquit, ô ſcelerate, & ea quidem coram me: attamen tacui, diſſimulauiq;, finxi me nõ uidere, ut uel eo modo, mea deuictus mora & patiẽtia, ad pœnitentiã accederes: uerùm tu nihilo ſecius commolitus, durior effectus es. Nam quia ad tempus tua diſſimulaui ſcelera, me tibi ſimilem eſſe, nempe ſtolidum ho

C minem & incogitantem existimasti: sed se aliter res habet: te enim, ut me decet, qui omnia quãuis abdita & secreta cognosco & iudico, arguam, castigabóq́, ac tuam ad maiorem mentis confusionem & metum, tua ordine omnia tuos ante oculos sic disponam flagitia, ut singillatim ea dinumerari queant, teq́ tibi tunc noscere faciam, qui res modò illas, quas tu turpiter tuam ad immensiorem aggregas miseriam, me omnino fugere arbitraris. Verùm ne id contingat, ô uos hypocritæ, ô uos simulatores, ô quorum facilè ora concinnant dolos, quíq́ abiecistis sermones meos retrorsum,

Intelligite qui obliuiscimini Deum,

quæ loquor. En iterum expecto, taceo, dissimulo, si fortè, ô stupiditatem hominum, quid amplius uobis facere debui, & non feci? Intelligite iam tandem, ô stulti, & tardi ad credendum,

Ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.

Raptante enim Deo, uosq́ ad æternas protrudente pœnas, quis tam ualidus est qui uos eripere, deq́ cruciatibus illis infinitis eximere possit? Rapiam, legũt Hebræi, & melius quàm noster, ut personæ mutatio, quantum fieri potest, uitet. Rapiunt porrò animas, ad seq́ pertrahunt per carnis oblectamenta interdum dæmones, uerùm Deus ex illarum numero eas, quas sibi ab æterno suas esse nouerat, eripit. Cùm rapit uerò Deus ipse, nemo est nisi ille qui raptus est, qui eripere queat. Rape igitur me, ô Christe, sed non eo modo, quo rapere simulatores istos, Epicureos, uentri deditos, & fraudulentos, ad æternã scilicet mortem, comminatus es: sed eo quo tuos, ut tui sint, tecumq́ commorentur, & rapis, & utlibenter, sponteq́ sua rapiantur, tuo accendis igne, & inflammas spiritu. De istiusmodi enim hominum genere, ita à sanctissimo tuo spiritu rapto, illud quod sequitur abs te dictum minimè ambigo.

D *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare meum.*

Et qui posuerit iter (uertit Fel.) ostendam ei salutare Dei. Alius ex Hebræo, Et qui rectà graditur, illi exhibebo salutem diuinã. quò hinc perpendas, nemini unquam defuturam Dei opem, modò ille pro uirili parte conetur, fidemq́, quæ uia est recta, mordicus teneat. Secus tamen uidetur intellexisse hunc uersum Paraphrastes. Quicũq́, inquit, mihi animi offert gratitudinem, is me uerè honorat, & rectà it ad me. Verùm in idem hæc omnia recidunt: nam illud uerũ, sincerũq́ diuinæ esse laudis sacrificium atq́ holocaustum arbitror, quoq́ Deus sua in religione uerè, casteq́ honorari cupiat, cùm homo totus, quantus est, illis quæ ab igne fidei descendunt, mancipatur obsequijs. Qui talis est, taliq́ mouetur affectu, quicquid iam uiuit, id totũ Dei est laus & sacrificiũ: ad quod sanè immolandum, me in superioribus inuitauit Dei spiritus dicens: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo uota tua. Intelligo, intelligo benignissime domine, intelligo quid tuus sibi uelit spiritus, quid'ue à me requirat, id scilicet, quòd abiecto mundo, calcatoq́ uitę fastu, & me quoq́ penitus neglecto, totus, ea qua sum mensura, super aram fidei, in qua amoris ignem perpetuò ardere uoluisti, iugulor, in teq́ moriar. Nam certè in te emori, tuumq́ ad honorem sensus hos brutos mactari, uera est uita, uera religio, uerum ad te iter. O si id mihi, anteq́ è mortali hoc demigrem corpusculo, contingat, ut iam tandem, contemptis mundi huius miserrimi iniurijs & lenocinijs, spretaq́ improborum audacia atq́ impudentia, qua exterrita interdum anima in iustitiæ itinere lassescit, ad te qui solus suspirantium animarũ refocillator es & consolator, accedam propius, in teq́ liberè transiens, peccato prorsus moriar. quod quidem illud iter est, quo arrepto, id mihi supra omnem suauitatem suauissimum pollicitus es dicens, Ostendam illi salutare meum: quod sanè tuum esse filium Christum Iesum omnium seruatorem, & scio, & amplector: cui tecum laus sit perennis, unà cum utriusq́ spiritu, & honor & gloria in secula seculorum. Amen.

PSAL.

PSAL. LI. Psalmus Dauid, cùm ueniret ad ipsum Nathan
A propheta, quando ingressus fuerat ad Bethsabee.

Iserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

Non est, opinor, tam profligatę uitæ homo, qui hoc psalmo medullitus inspecto & gustato, non ad sua protinus execranda scelera moueatur, atq; ad exemplum tanti regis, ut fuit Dauid, ad implorandam Dei clementiam non se accingat. Quot enim syllabę aut apices literarum in hoc diuino insunt psalmo, tot ignita mihi uidentur esse iacula. Haud insolens id quidem: uerba enim quæ ab amaritudine ueræ pœnitentiæ, à cordeq; seriò contrito proficiscuntur, istiusmodi armata sunt robore, ut ipsas quoq; res inanimas, nedum corda humana, cõmouere sint apta. Dauid quidem, tantus scilicet uir, tam diues, tam sapiens, tam barbaris formidabilis, tam immensis à Deo donatus bonis, en quomodo suæ prorsus oblitus dignitatis in fœdissimũ carnis lapsum misere proruit: cui & homicidium fidelissimi atq; adeò religiosissimi addidit militis. Arca (inquit uir ille) Dei, & Israël & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab (is enim totius exercitus Dauidis imperator erat) & serui domini mei super faciem terrę manent, & ego ingrediar domũ meam, & comedam, & bibam, & dormiã cum uxore mea? O animũ certè pium & generosum. Is tamen ita de Dei religione & cultu, addo & maiestatis regię optimè meritus, ab ipso (illius antea stuprata uxore) obtruncat rege, seu ipsius iussu ad Rabath mœnia hostiũ sagittis confossus occubuit. Putás ne subitò regem, horrendum post adulterium, strenuiq; militis occisionem, ad cor rediisse? non credo: nam nuncio mortis Uriæ à castris allato, misit, ut sacra refert historia, & introduxit Bethsabee in domum suam, & facta est ei uxor, peperitq; ei filium. Verùm à uate Nathan, orto iam puero, admonitus, à lætis se statim hymenæis ad luctũ dedit, suamq; Deo detegens
B turpitudinem, in illa amarissima ab ipsis consternati cordis radicibus eruta prorupit uerba: Peccaui Domino. Quæ sanè uerba cùm attentius considero, tot gemitus, suspiria q; interiacentia uidere mihi uideor, quot elementariæ in eis positæ sunt literæ. Tamen non contentus (ut erat ueræ resipiscentię typus & imago) huiusmodi suũ notis detexisse peccatũ, atq; subinde à uate audiuisse, Dominus quoq; transtulit peccatũ tuum, non morieris: arrepto psalterio, hanc lachrymosam Deo cecinit odam: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Parum dicit, sed multum præ se fert: magnam enim implorans misericordiam, magnum suum fuisse delictum innuit, magnamq; miseriam. Magnum, inquit, peccatum peccaui, idcirco tuam magnam, ô Deus, imploro misericordiam. Magnis sanè uulneribus hinc inde sanie defluentibus, magna peropus est cura & medela: quam quidem totam tua in bonitate ac misericordia sitam esse nõ ambigo. Et hæc pro dictione, magna, exponenda sint dicta, quæ in Hebræorũ codicibus non inuenitur, sed id solùm, Miserere mei Deus secundum bonitatem tuam, & secundum amplitudinem miserationum tuarum dele transgressiones meas: quod noster interpres uertit,

Et secundum multitudinem miserationum tuarum delę iniquitatem meam.

Multitudinem hîc uocat Dauid diuinarũ miserationũ largitiones, propterea quòd Deus multifariã sua uti solet misericordia erga uerè pœnitentes. Quemadmodum enim uariæ sunt diuinæ legis transgressiones, ita uarijs utitur modis Deus ad nostram subleuandam miseriam. Clamat igitur misera anima: O Deus, cuius conspectũ, quo etiam abditissima permeas, non sum ueritus, cuiusq; offensionẽ tam parui duxi, pro nihiloq; habui, ut in profundam peccatorũ uoraginẽ & barathrum me mea sponte coniecerim, quò me uertam? Peccaui, multumq; peccaui, atq; iterum peccans peccaui supra modũ. Ad quẽ uerò pro tot meis amplis, nefandisq; peccatorũ maculis abstergendis confugere debeo, nisi ad te, qui natura, contra hominum morem, misericors es, & multus ad ignoscendum? Ego enim cùm totus perditus sim, atq; à iustitiæ semitis prorsus extorris, id spei nihi-

C lominus tantillæ, meo in afflicto pectore non omnino extinctum esse tuo mune re sentio: quo certè utcunq; animatus, tuam audeo etiamnũ ego omnium miser rimus compellare misericordiam, clamoq;, ac quanto possum eiulatu ingemino: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum mul titudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitatę mea, & à peccato meo munda mę.

Suam exaggerat uates, hisce repetitis eiusdem significationis uerbis, causam & dolorem. Etiam, inquit, atq; etiam laua me, meamq; abluens iniquitatẽ, quic quid à me peccatum est, expunge. Mea enim, fateor, & semel & bis atq; iterum deleſti scelera, ego uerò omnium ingratissimus cecidi iterum. Quare tu, qui dixi sti, In quacunq; die ingemuerit peccator, omnium iniquitatũ eius non recorda bor, mearũ ne recorderis, quia ingemisco, quia mei me peccati dispudet, illachry mo, totamq; hanc nemorosam suspirijs & fletibus impleo solitudinem. Nec mi hi certè meæq; ob cõmissa facinora miseriæ quietem ullam, aut consolationem polliceri debeo, donec abs te audiam, remittuntur tibi peccata tua. Munda me igitur, ô animarum purificator, meiq; miserere:

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Ego enim qui hactenus cæcus fui meiq; peccati notitiã aut non habui, aut me habere dissimulaui, en ad cor reuersus immensam illius cognosco, considero q; turpitudinem, cuius uis & periculum, ob oculos perpetua, ueluti Alecto, scelerũ meorũ ultrix, meo ingenti uersatur horrore. Adest, adest in anima continua, quæ die noctuq; meam dilacerat conscientiã, transacti facinoris memoria, mortisq; chirographum, ac certa, peracerbaq;, ni tu eximas, damnatio. Quòd si fortè mea hæc miseria eò crudelior, quò diuturnior, uulgo est ignota, num te, ô secretorum omnium cognitor, latêre potuit? Etenim

D *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.*

Te uidente (heu scelus, si me specto, inexpiabile) te uidente, inquam, peccare non sum ueritus. In te, in te unum, tuis neglectis inspirationibus, peccaui & ma lum corã te feci. Te iudice, te ultore, te omnia ab excelso tuæ maiestatis solio in spectante, collibrante q;, sceleri scelus addere non erubui. Quid agam? quem im plorem? ad quem confugiã, nisi ad te? quẽ etsi ego impudentissimus omniũ tam nequiter offendi, atq; irritaui, pium tamen esse, atq; ad parcendum facilem, beni gneq; liberalem certò scio. Parce itaq;, ut pollicitus es, miserere, ac meam delens iniquitatem, amplius laua me ab iniustitia mea, & à peccato meo munda me,

Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.

Veniam certè, mi Domine, condonaturum te uerè sua scelera cognoscenti, & seriò confitenti, iam à prima rerum origine promisisti. En ego igitur qui peccaui, qui malum coram te feci, qui peccatũ meum cognosco, detego, detestor, atq; ex animo fateor. Illam, illam tuã ab æternis promissam seculis meo iure peto ueniã. Si quidem mea mihi prorsus condonaueris scelera, ut es pollicitus, misericor diamq; mihi perfido præstiteris, meritò æquissimus iudicaberis, in seruandisq; promissis, iusq; deq; constantissimus, qui forsan ab impijs dirus, implacabilis, atq; ad seruanda promissa meis offensus delictis, durus & difficilis iudicaris. Vt igitur tuam ad contumeliam improbi nequicquam id obganniant homines, mi serere mei, & tuam me in gratiam, meis mihi omnibus remissis peccatorum debi tis, admitte. Quantum porrò ad me attinet,

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

Si meum quidem ortum, ortum autem? si meum potius turpem, in peccatisq; unà totum cum secundinis illis sordidis matris meæ prouolutum intueor, recor dorq; conceptum, mirum nequaquam uideri potest, si à genuina carnis illecebra stimulatus, tractusq; deliqui: uerùm cùm tuam contrà contemplor bonitatẽ, mi sericordiamq; mihi immeritissimo toties præstitã, uerso animo, mihi uideor (prò scelus) in tam altum desperationis mea culpa proruisse barathrum, ut resipi scentiæ

A ſcentiæ iam ſpes extet nulla. Idcirco non iam mirum ſolummodo eſſe debet, ſi toties emundatus, iterum atq; iterum in idem reuolutus ſum lutum, ſed etiam mirum in modum admirandum, planeq; ſtupendum, atque omnem omnium quod ſuperet admirationem. Quis id credat, tenero adhuc nondumq; animato in utero materno conceptui adhæreſcere peccatum? ſimulq; cum puero & creſcere, & enutriri? Heu ineuitabilem peccati ſordem. Ecce, ô miſericordiſsime, in iniquitatibus conceptus ſum: num id diffiteor? Te, ut ſic dicam, anteaquam poſſem, aut uellem, occultiſsimo quodam reatus genere offendi: neq; id ſanè inficior. Quid? Non ne mea quoq; genitrix in ipſo conceptionis æſtu & calore, toro ſacro, cui cupiditas, quæ pœna eſt peccati, annexa eſt, abuſa, in te deliquit, peccatoq; obnoxia fuit? Num itaq; mundum de immundo conceptum ſemine, immundo ab utero exire abſq; peccati macula potuit? Verùm ô illa ſatis prima fuiſſet miſeria, neq; ego omnium ingratiſsimus alia aliis accumulaſſem delicta, in immenſumq; exaggeraſſem. Attamen ſint illa quidem immenſa, ſintq; adeò immania, ut ultra progredi nequeant, num mihi propterea deſpondendus erit animus? nunquid tuarum omnino pollicitationum mihi excidet memoria? mini mè id quidem omnium: nam

Ecce veritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Edoctus nimirum abs te, qui mihi haud rarò ſubterraneis tanquam cuniculis, rerum uulgo omnino incognitarum ſcientiã, ſapientiamq; inſtillaſti, neſcire haudquaquam poſſum, te ueritatem diligere: hoc eſt, quæcunq; olim pollicitus es, te ſtabili firmoq; ſeruaturum conſilio ac decreto. Hoc ſanè poſito, quid ultrà uereor? quid, inquam, ad te pro exoranda uenia, quam ſemper promiſiſti, promittisq; continuè, ab Amoræorum caſtris transfugere dubito? Sed quoniam tua abſq; ope id tentare uelle, ſumma eſſet temeritas & ſcelus, tu, non alius,

B *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lauabis me & ſuper niuem dealbabor.*

Olim enim duobus oblatis paſſeribus pro ſacrificio purificandi à lepra, ut in Leuitico legimus, ex illis alter (hic Chriſtus erat) in uaſe occidebatur fictili ſuper aquas uiuentes: alter uerò ſic uiuus, qui humanũ ſpiritum per Chriſti mortẽ ad uitam reſurrecturũ, ut inquit Radulphus monachus, portendebat, cum ligno cedrino, coccoq; & hyſſopo in ſanguine occiſi tingebatur, quoq; ille, qui affectus erat lepra, conſpergebatur. Hyſſopus porrò, herba nimirum humilis, odorisq; non inſuauis, ac natura petroſis innaſcens locis, fides eſt, qua noſtra, ut inquit Petrus, purificantur corda. Heſychius uerò diffinit hyſſopum boni odoris, gratiam ſpiritus, cooperatricem emundationis noſtræ eſſe: utrunq; enim uatis intentioni ſeruit, qui ut erat myſteriorum legis doctiſsimus, clamabat ſe minimè iam amplius hircorũ aut taurorum carnificina, ſed fide potius in Chriſti ſanguine & morte intincta expiari poſſe, mundariq; à peccati labe ac lepra. Si, inquit, tua gratia, ô Deus, ac fide, tanquam hyſſopi faſciculo in cruore Chriſti madefacto, ueluti conſummata, perfectaq; expiatione, reſperſeris me, measq; notas diſlueris, mundus actutum efficiar, niueq; ipſa candidior euadam, modò tu meam hanc (quid à me poſſum?) diluas maculam. Scio, ſcio (inquam) purificationem omnem animarum in fide Ieſu Chriſti ſitam eſſe: qua ſanè impetrata,

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.

Mirum quàm immenſam animo concipiat lætitiam peccator, qui poſt longum in lachrymis mœrorem, poſt ſuſpiria, poſt gemitus, ſingultusq; à cordis penetralibus euulſos, audit tandem in ſpiritu cõſolationis uerba illa: Dimiſſa ſunt tibi peccata tua, uade in pace. Hunc uerſum clarius reddunt Hebræi: Fac me, inquiunt, audire gaudium & lætitiam, exhilara oſſa quæ tu percuſsiſti. Hebræi enim, quoniam optandi carent tempore futuro, Indicatiui uti ſolent, ut in hoc pſalmo uidere eſt. Ceterùm nullo alio affectu, ac motu interiori tam proſternitur corpus, quàm cùm mœret animus, & triſtis eſt. Spiritus, inquit, triſtis exicat oſſa, nedum carnem mollem, ac minimo cuique morbo expoſitam. Quare

C illiuſmodi efficaciæ mœror eſt ac triſtitia, qua in ſua deflenda peccata ſtringitur ex animo pœnitens, ut corpus planè totum pallore & macie tabidum, prorſusq; informe reddat, acuſque ad oſſa penetret, ipſaq; concutiat & conturbet. Auditis poſtea uerbis uitæ, quibus ingemiſcenti animæ, ſeſeq; abſq; ulla ſui commiſeratione in pœnitentiæ labore maceranti, à ſpiritu dicitur, Vade in pace, iam amplius noli peccare, omnia quam primum ſerena fiunt: exhilareſcit anima, carniſq; ſuus obducitur uigor, atq; oſſa ipſa nuper à Deo, ob metum iudicij percuſſa planeq; pertrita, conſolidantur, & ut ſic dicã, letitia geſtiũt. Quod ſi quidem tam pulchrum corporis habitum ob condonatam nobis peccatorum ueniam nanciſcimur, quid de interiore mentis pulchritudine dicendũ? quid de oſsibus animę, quæ ſunt illius uires, cenſendum? nullam certè in hoc mundo conſolationẽ cum hac comparare poſſe iudico. Vnde non abſq; ratione hîc clamat uates: Auditui meo dabis, hoc eſt, facies me audire propter remiſſa mihi peccata, gaudium & lætitiam, atq; proinde ipſa per ſe inertia exultabunt oſſa, ob pœnarũ metum conſternata. Verùm tu interim, quò facilius rem hanc iterum queam aſſequi,

Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

Ne ſis, inquit, acer nimium peccatorum meorum inſpector, ſed potius auerte faciem tuam ab eis, illa nimirum mihi neutiquam imputans, perindeq; tegens, ac ſi nunquam extitiſſent: ea tu, qui potes, è debiti ſyngrapha expungens, illorũ amplius nõ recorderis. Peccaui, nõ nego, iniquitatẽq; ego infelix, prorſusq; exlex factus, meditatus ſum in cubili meo: aſtiti uiæ non bonæ, malitiam ſubinde non odiui. Tu, quæ tuæ eſt perfectiſsima naturæ cõſuetudo, ſic iſta omnia in me ablue, ut ne illorum quidem odor ſuperſit ullus. Ad hæc,

Cor mundum crea in me Deus.

Quàm uerum illud eſt, quamq; omnis conſolationis plenum, quod ab aureo,
D ſapientiſsimoq; Chriſti ore ſedentis olim in monte, uniuerſoq; ſancientis mortalium generi bene uiuendi legem, prolatũ fuit: Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. Verũ quod caſtis plurimam auget cõſolationis uim animis, id merum Dei munus eſt. Ipſe enim, ut hîc uides, cor mundum in nobis creat, indieſq; magis innouat, ac noſtris in uiſceribus ſuum ſanctum ſpiritum inhæreſcere facit. Vult ſanè diuina maieſtas nos noſtro minimè duci ſpiritu, ſed ſuo. Elegantes quippe mores, aut actiones quoq; honeſtas, addo & utiles in ciuium conuictu, atq; in Eccleſia, in medium afferre, non multum adeò difficile uidetur: ſed cor habere mundum, pureq; defæcatũ, atq; in cœleſtibus contemplandis uegetum & exercitatum, iam id Dei eſt opus, illiusq; effectio, ac, ut ſic dicã, creatio. Sed quia id muneris, quoad in imperfecto hoc uitæ ſtatu uiuitur, perfectè haudquaquam haberi poteſt, ſtudium tamen illud ſedulum adipiſcendi cordis munditiã, à Deo pro perfectione computari ſolet. Et ut breuiter, quæ ſit cordis puritas intelligamus, in ſubſequentibus aperitur.

Et ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Eſt itaq; ſpiritus ſanctus, qui & rectus, ſtabilis, principalis, munificusq;, ut interpretatur Fel. appellatur, quiq; noſtræ omnis munditiæ & candoris effector eſt & autor. Quocirca ad diuinam illam uiſionem, in qua animarum tota cõſiſtit beatitudo, poſſe aliquando hebetum hunc noſtrum peruenire intellectũ abſq; Dei ſpiritu, qui rectus eſt & ſanctus, impoſsibile omnino eſt: uerùm cùm omnibus, qui ad huiuſmodi mentis puritatem toto anhelant conatu, obuius ſit & præſtò, cœleſtis orandus eſt pater, ut ſuo nobis conceſſo ſpiritu, cor, quod ſordidum ex ſe eſt, mundum efficiat, & ſpiritũ rectum, qui nos ad iuſtitiæ ſemitas reducat, noſtris in uiſceribus, cordisq; penetralibus, unde omnis ebullit impuritas, innouare uelit. Nam nouo ſemper indiget auxilio uetuſta noſtra imbecillitas. In uiſceribus meis, uertunt Hebræi, in me. Putas hîc uatem minimũ exoptaſſe donũ? maximũ id quidem omniũ eſt. Nam cor, omni abraſa impuritate & inquinamẽto, templum ſubitò fit Dei, uirtutumq; omniũ domicilium, atq; altiſsimarũ con-

tem-

templationum uas capax. Quantum certè nobis contendendum eſt, ne tam no-
A bile (ſordeſcãt ut uis cætera) cœleſtis numinis ſacrariũ, alicui aperiamus turpitu-
dini & peccato. Proinde die noctúq́, uel uſq́ ad rauim, clamandum erit:

Ne proïjcias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Ecce quomodo abſq́ circumlocutione, quæ ſit cordis mundities, rectusq́ ſpi
ritus, exponit. Spiritũ, inquit, ſanctum ne auferas à me: qui ſpiritus ſecundum ua
rias ſuas operationes, cùm unus tamen atq́ idem ſit, uariis appellari nominibus
à prophetis maximè conſueuit. Quid ſit porrò à facie Dei proïjci, breuibus ape-
rit Paraphraſtes: Ne deſtituas me, inquit, à ſolito fauore tuo. Nam certè quidẽ à
diuinæ manus fulcimento cor laſſum non continenter ſuſtentatum, ſua in turpi-
tudine, & fæce à terrenarum nimirum rerum amore contracta, perire neceſſe
erit. Quod ſanè beatiſsima uatis anima perpendens, ſibiq́ prudentiſsimè timẽs,
ſic Deum rogat: Ne proïjcias me à facie tua: id eſt, ne me adeò obbruteſcere, ob-
cæcariq́ ſinas, ô Deus, ut de tua prorſus gratia deſperem. Quòd uerò quamplu-
rimis id meruerim nominibus, à te ſcilicet abiici & contemni, omnes planè, ob
meum iam omnibus palàm factum delictum, non ignorare poſſunt. Attamẽ de
tuo inexhauſto gratiarum fonte confiſus, etſi ſordidus, infinitisq́ peccatorũ ma-
culis notatus, tuam clementiſsimam etiamnum audeo compellare miſericordiã,
quantisq́ ualeo mei afflicti cordis uiribus, clamo, inculcoq́: Ne proïjcias me à
facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum (ſine quo, quantuſquantus ſum, totus im-
munditijs effluo) ne auferas à me, neq́ mihi illum deneges, imò da, datumq́ con
ſerua: nam in illo omnem ineſſe ſanctitatem, in me autem omnem turpitudinem
& improbitatem, clarè uideo. Redde,

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.

Salutis tuæ, uertunt Hebræi. Dictionem item illam, Principali, uel libero, uel
B liberali, uel principe quoq́, ut Paraphraſtes, reddunt. Sic ille: Reſtitue mihi gau
dium, quod de ſalute mihi per te præſtanda concepi, & ſpiritu illo principe (cui
ſcilicet cæteri ſubiecti ſunt ſpiritus) muni me. Alijs uerò, ſpontaneo, ſeu libero,
aut liberali, ut diximus, interpretari aptius uiſum eſt: & eſt ſenſus, Fac domine,
ut cõcepta de tua miſericordia fiducia, de condonatis mihi peccatis, quæ eſt per
Chriſtum ſalus, læter, gaudeamq́ tuo in ſpiritu, non in meo, meisq́ uiribus,
quas tandem in peccato deprehenſus, luce clarius nihil eas eſſe intueor. Iam de
mum perſenſi miſer, quàm turpi ſeruitutis conditione mea obſtructa fuerit ani-
ma. Verùm tu nunc ſpiritu libero, non coacto, non humano, non ſeruili, non ſu-
perſtitioſo, non timido, confirma me, & recrea. Quo ſanè impetrato, quid boni
non audebo? Et ut cætera, quæ tui ſpiritus calore, uel ab ipſo duriſsimo impro-
borum pectore tanquam ſcintillæ è flamma erumpere deberent, modò non di-
cam, ego certè

Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur.

O gratam ſanctæ animæ ſponſionem. Verus enim pœnitens, cuiq́ à ſpiritu,
longos poſt fletus, ſe factum eſſe Dei filium per gratiam redditur teſtimonium,
atq́ omnia propterea remiſſa illi eſſe peccata, tanto afficitur charitatis ardore &
incendio, ut illud ipſum ſpiritus donum, quo operante ſe mundum effectũ con-
ſpicit, in alios effundi peccatores, ut & ipſi reſipiſcant ad uitam, mirabiliter expe
tat. Docebo, inquit, prauos uias tuas, quibus ſanè ad te itur. Dicam, inculcaboq́
ad aliorum eruditionem, quanta feciſti tu Deus animæ meæ: at contrà quàm im
menſus, quàm turpis, quàm periculoſus meus fuerit lapſus: contrà uerò, quan-
tum ſuauitatis, lætitiæq́ mihi attulerit ſpiritus ille tuus princeps ac liberalis, præ
dicabo. Mirum ni meo exemplo & doctrina, impij ad te conuertantur: hi dico,
qui à te iandudum auerſi, ambulant uias non bonas. At uerò tu prius

Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.

Nonnullis latinior uiſa eſt uerſio, ſi, exaltabit, uerteris: id curent grammati-
ci, nos interim aliud. Videtur hîc mihi uates uelle dicere, neminem ad informan

C dam aliorum uitam, in his maximè rebus quæ ad animarum rectionem attinent, debere aſciſci & promoueri, præter illum cui ſpiritus ſanctus unà cum anteactæ uitæ purgatione datus ſit: hoc eſt, cuius appetentiæ, motuſq; animi, adeò per ſpiritus ſancti præſentiam ſedati ſint, ut aliorum ſcelerum meritò dici poſsit & monitor & cenſor. Alioqui ſordidus annulus ſordidum, ut aiunt, digitum. Qua fronte, oro, rudis adhuc in ſchola Domini adoleſcens, aut in carnis laſciuia & luxu altus, indoctusq;, & cui mille etiamnum inſunt effrænatę mentis perturbationes atq; ægritudines, moderandarum animarum, quæ ad perfectiſsimum uitæ ſtatum conditæ ſunt difficillimam illam, uiris tantummodo integerrimis debitam, prouinciam ſibi ſumere, uindicare, atq; imprudenter nonnunquã præripere audebit? Audent tamen nonnulli, audent indocti, audent omniũ ineptiſsimi, bardi, attoniti, ſtipites, & qui à montibus incultis, aprorũ more, deſcendentes olent haram, quiq; affectu tandem potius belluino pertrahuntur, quàm Dei ſpiritu. O miſerrimam animarum conditionem, quibus huiuſcemodi contingunt ſuperiores. Vide igitur, ô cuius mens adhuc obſcura eſt, & humi preſſa, cuiusq; animus arrogans eſt, ac frẹni impatiens, quid tantus rex ſibi antea cœlitus dari petiuerit, quàm ad alienam inſtituendam uitam ſeſe exponeret. Petierat enim ſua prius ab lui peccata, cor item candidum ſibi & mundum, unà cum ſpiritu recto & libero donari innouariq;, ut ita totus ſpiritualis effectus, illud tandem Deo de ſe polliceri auderet: Docebo, inquit, iniquos uias tuas, & impij ad te, non ad me, qui nihil ſum ſine te, conuertentur, meoq; exemplo tuum ad cultum certatim accurrent. Interim uerò quòd me ad id idoneum tuo afflatus ſpiritu ſentiam, libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ. Sanguis in ſcripturis haud raro pro turpi carnis operatione, naturæq; mortalis corruptela accipi ſolet: ſanguis rurſum peccatum eſt, ſummumq; ſcelus, atque immane aliquod flagitium, unde illud eſt: Sanguis ſanguinem tetigit. Sanguines uerò in plurali, pro concupiſcen-
D tiæ peccato aclue, ſumi cernimus. Quare Ioannes illos qui ex Deo nati ſunt, ab illis qui è carnis concupiſcentia, feruoreq; libidinis, ſecernere uolens, ſic ait: Qui non ex ſanguinibus, neque ex uoluntate carnis, neque ex uoluntate uiri, ſed ex Deo nati ſunt. Quocirca uates in ſuperioribus conqueſtus eſt dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum. Etenim qui nondum prima illa infelici carnis natiuitate extincta, in qua Adæ, iræ nimirum filij naſcimur, per gratiam non renaſcitur, totus ſanè caro eſt, nempe carnis concupiſcentijs obnoxius, in peccatis ueluti ſus in cœno uolutatur. Alia igitur quærenda eſt natiuitas: quæ fit per Chriſtum ex Deo, qui nouæ huius natiuitatis effector eſt per Ieſu Chriſti fidem, qua operante, è corruptibili carnis ortu ad immortalem renaſcimur, efficimuriq; filij Dei uiuentis: quam quidem nemini unquam contigiſſe uidimus, niſi illi qui ab innatis illis, atq;, ut ſic dicam, inſitiuis concupiſcentiarũ flammis abhorrens, è carne in ſpiritum tranſire ſatagit, & niſu omni contendit. Verùm cùm id à Deo expetendum eſſe cenſeret, compertumq; haberet Dauid ab illo, qui ubertim ſua elargitur dona, tam rarum ſibi concedi munus ac beneficium, maxima animi anxietate, quam geminatio illa, Deus Deus, ſatis apertè demonſtrat, & petit, & quanto ualet mentis ardore inſtat, uociferaturq;: Libera me de ſanguinibus, ô Deus, Deus, inquam, ſalutis meæ. Victus enim ab effrænatis concupiſcentiarũ motibus, in nefandum illud, fœdiſsimo omniũ exemplo, impegi adulteriũ: neq; id ſatis, ſanguinem ſanguini inſuper accumulaui. Nam uiro innocuo à me ſceleratiſsimo omnium interempto, quò mea ulterius progredi potuit iniquitas? Exceſsit, fateor, id ſcelus ſcelerum omnium cumulum & ſummam. Me' ne (heu facinus indignum) alienam conſtupraſſe uxorem? Me' ne uiri innocentiſsimi, atque adeò, quò meum obtegerem peccatum, ſeu potius, quò liberius meũ ſedare poſſem incendiũ, non paruæ meorum ciuiũ multitudinis effudiſſe ſanguinem? Verùm ad me per te reuerſus, ô Deus, tuam ad miſericordiam confugio: nam ſi certè me meis à ſanguinibus liberaueris, non ero ingratus, ſed paſsim omnibus exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam: hoc eſt, immenſam tuã, quæ mea immenſa dele

uerit

A uerit peccata, in ſpiritu exultans laudabo bonitatem, qua nimirũ impium gratis iuſtificas per fidem. Et ut ſanè id quidem aptius, ſanctiuſq; à me queat perfici,

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.

Vide quomodo Dauid in omnibus fermè pſalmis rem, utpote religioni noſtræ ad ſciendum neceſſariam, eandem dicat, & replicet: nempe actiones illas omnes, quæ à uirtute proficiſcuntur, à Deo eſſe. Mirum, ſi putes te abſque Dei ope diuinas poſſe ritè laudes celebrare: ipſe enim eſt qui ſpirituales illos in mente hominis format conceptus, & deſideria laudandi Deum, quæ tamen, niſi noua denuò gratia uim linguæ ſuppeditet annunciandi quæ à corde hauſit, in anima interiore ſuo illo æſtu cõtenta remanent. Idcirco Dauid deſideriorum illiuſmodi exceſſum in ſe ſentiens, atq;, ut ſic loquar, irritamentũ, illud in primis exoptaſſe uiſus eſt, ut ad exuſcitandum in alijs laudandi Deum ardorem, alio illo ſpiritus munere donaretur, quò ea quæ de Deo in intimis animæ receſſibus concepérat, ore proloqui poſſet. Nihil non quidem rerum earum, quibus diuinum extolli poteſt nomẽ, os à Domino reſeratũ, eloqui idoneũ eſt. Aperi, inquit Deus ad Eſdram, os tuum, & bibe quo te potauero. Cui ille: Apertum eſt os meum, & non eſt clauſum amplius. Ad celebrandas itaq; diuinas laudes & ſcitè & caſtè, cor prius, linguam poſtea atq; os à Deo moueri oportet. Cuius ſanè muneris per Chriſtum nobis erogandi typus fuit præcurſoris pater, qui iuſſu Dei mutã prius relaxans linguam, in illud mirabile prorupit canticum: Benedictus dominus Deus Iſraël. En laus illa, de qua nunc loquitur uates, ab ore cœlitus reſerato decurrens: Os, inquit, meum annunciabit laudem tuam, ſi tu mea prius tetigeris labia, aperueriſq;, ac calculo emundaueris ignito.

Quoniam ſi voluiſſes, ſacrificium dediſſem: vtiq; holocauſtis non delectaberis.
Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Ex Hebræorum interpretibus nonnulli hunc ſic reddunt uerſum: Quoniam
B ſi amares uictimã, redderem: ſed holocauſta nõ oblectant te. quare is erit ſenſus, ut elegantiſsimè à Paraphraſte exprimitur: Externis, inquit, ſacrificijs, etiamſi plura offerre coner, non placaberis: neq; hoſtia quæ altari imponitur, delectaberis: ſed ſacrificia (ſic alium huic aſſuit uerſum) quibus placatur Deus ea ſunt, animus pœnitentia fractus, & cor dolore concuſſum & uulneratum. Hæc à quocunq; offerentur tibi, ô Deus, deſpicere nunquam poteris. Vide quomodo infiniti illi ſacrificiorum acerui in unum corculum, & illud quidem fractum & contuſum, per Chriſtum deſiere. Dici facilè nõ poſſet, quàm iucundè diuina intueatur maieſtas cor, animæ ſcilicet receptaculum, quod ſeſe duriter in pœnitentiæ labore macerans, ſuamq; duritiam, ob longum in peccandi conſuetudine morem acquiſitam, lachrymis emolliens, contundensq; in mortariolo diuini amoris, & id ſanè ſapientiæ piſtillo, frequentiq; amaritudinis contuſione, ex ſe toto, quantulumcunq; eſt, ſuauiſsimũ conficit unguentũ, quod demum in candida fidei pyxide repoſitũ, conditumq; fragrantiſsimo orationũ puluere, diuino conſecrat numini: fieri quippe non poteſt, ut cor huiuſmodi cõmotione affectũ à Deo deſpiciatur. Quid aliud ſenſes præſagijſſe unguentũ illud, quod mulier peccatrix, fracto alabaſtro, effudit ſuper caput Ieſu? Huc certè omnia Iudæorũ ſacrificia libationesq;, ac quibus potiſsimũ religionis fidem teſtabantur, ſpectabant holocauſta, thuraq;, & perpetuæ ad aras templi fumigationes. Vnde illud in primis, uel tum quidem illis in umbroſis ritibus & cæremonijs, à populo ſuo requiſiuit Deus, cor uidelicet contritum & humiliatum. Neque unquam tam uetuſta fuit ætas, in qua, recondito quodam modo atq; afflatu, mortalium diuinum illud animis non inſtillauerit oraculum Deus: Fili, præbe mihi cor tuũ. Vide igitur quid hîc uates præſenſerit. Si uoluiſſes, inquit, ſacrificium tibi more patrum offerri, haud multum quidem mihi difficile fuiſſet, uel hircum, uel taurum, uel quæuis alia iugulaſſe animantia: uerùm tu non ſolùm uulgaria illa, cunctiſq; obuia, & minimæ æſtimationis ſacrificia non appetis, ſed etiã nec holocauſtũ ſacrificiorũ

C omnium maximum & nobiliſsimum requiris. Quid igitur à nobis, quod tibi gratum futurum ſit, offerri poteſt? Iam illud quid ſit uideo: uideo enim quòd afflicti cordis, amaríq; ſpiritus, quo noſter in nobis uetus cõteritur Adam, nouusq; per gratiam effigiatur, non deſpicis holocauſtum. Sed interim quòd meum atteritur cor, tuasq; ad aras mactatur,

Benigne fac in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem.

Eleganter id quidem à noſtro interprete eſt uerſum: nam benignè facere, eſt aliquem beneficijs demereri. Benignitas uerò, ipſa eſt munificentia & liberalitas. Optauit hîc igitur uates, Sion ſeu Hieruſalem nõ tantum mœnia erigi & parietes, quantũ illa omnia quæ ad perfectum Dei cultum, ut ipſe iam inſtituerat, neceſſaria uidebantur. Et ut quidem nihil non præſtò fuiſſet, deerat tamen templum, quod tanto ſemper ſtudio per ſe conſtrui poſſe & concupiuerat, & ſæpe à Deo impetrare contenderat. Verùm aliud tunc ædificium, murosq; alios, atq; aliam Hieruſalem ac Sion ſpectaſſe tantum uatem arbitror, Eccleſiam nimirum per Chriſtum exædificandam: in cuius meditullio excelſa fidei turris conſtruenda erat, muríq; circumponendi in gyro, quæ ſunt angelorum excubiæ, doctorumq; labores, ac munimenta, ut inquit Auguſtinus, immortalitatis. Ad hæc tor cular in primis, quod ſolus calcauit Chriſtus, in ipſa urbis platea collocandum erat, nempe miniſterium uerbi Dei, ſanctiſsimo Chriſti intingendum cruore, premendumq; à domino, ut inquit Hieremias, uirgini filiæ Iudæ. Ait igitur: Sub tracto, ô domine, tuo ab hiſce noſtris iam conſeneſcentibus cæremoniarum libaminumq; ritibus & ſacrificijs intuitu, benefac Sion illi cœleſtium uerè rerum ſpeculatrici, & id quidem pro tua bona uoluntate, gratuitoq; tuæ bonitatis munere, quò tuæ tandem Eccleſiæ, quæ uera eſt Hieruſalem, noſtra uerò hæc umbratilis, ſplendor ille inſignis murorum, utiq; uirtutum, piarumq; animarum, atq; altiſsimarum contemplationum & exceſſuum, appareat. O ſi me ætas illa in hu-
D manis adhuc agentem inueniret:

Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Tunc ſanè (hem rerum uiciſsitudines) tunc, dico, ſimulatq; uenturæ illi Sion, tua ſanctiſsima preſentia, ô Deus, quę eſt bona patris uoluntas, bene feceris, murosq; illi incorruptos æternosq; circumieceris, atq; illius ciues, recti, principalis, liberi, ſanctiq; ſpiritus priuilegio, autoritateq; prerogatiua munieris, acceptabis ſacrificium, non amplius uitulorum, boumq; aut altilium, ſed iuſtitiæ, ſed fidei, ſed puritatis, ſed amoris. Tunc, inquam, amari cordis contritiq;, humiliati ac uſquequaq; in pœnitentiæ dolore confracti, gratæ tibi erunt oblationes & holocauſta, accenſa nimirum, abſumptaq; à cœleſti diuini ardoris conflagratione, atque ſuper aras deſideriorum, diuinarumq; purgationum oblata: tunc demum, imponent ſuper altare tuum uitulos, nõ illos quidem petulantes & laſciuos, ſed labiorum noſtrorum tuas concinentium laudes: concelebrantiumq; tuam bonã erga omnes generatim uoluntatem, cui tamen interim & ſemper omnis debetur honor in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LII. Vincenti. Eruditiuum Dauid, cùm ueniret Doëg Idumæus, & indicauit Sauli, uenit Dauid ad domum Achimelech.



Vid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

Hiſtoria hæc, quomodo ſcilicet Doëg inter Saulis nõ modò paſtores, uerumetiã aſſentatores primus, Dauidem ad Achimelech ſacerdotem profugiſſe, ab eoq; panes ac gladiũ accepiſſe, regi nimirũ crudeli, crudelior nunciauit miniſter, & quomodo ſacerdotes omnes unà cum Achimelech ipſius regis iuſſu (ſcelus inauditum) obtruncauit, in primo Regum libro copioſe habetur. Ea igitur indigna in ſacerdotes domini animaduerſione commotus Dauid, hanc mirè ardentem in Doëg ipſum, aſſentatorum ſimul & delatorum typum, cõpoſuit odam. Neſcio enim an ulla alia poſsit eſſe pernicioſior

A ſior lues in aulis principum & prælatorum, & quæ magis illorũ inficiat animos, quàm cùm libenter adulatores delatoresq́; & audiũt, & admittunt. Quot ciues, quot ſacerdotes, qui innocentiæ ſanctimoniæq́; ſtudentes, toti in diuina occupati ſunt religione, à delatorum palponumq́; malitia circumuenti, aut occiduntur, aut ſolum uertere coacti, ab alto iam conceptæ probitatis propoſito penè auertuntur? Verùm non tantum Doëg, ſceleratum uidelicet adulatorem, quantum Saulis leuitatẽ, in cauſa eſſe, quòd integerrimi plerunq́; ciues malè audiãt, peiusq́; tractentur, ſemper exiſtimaui. Vnde cum uate iſto ſanctiſsimo, imò potius cum Dei filio, qui ex his quæ in terris paſſus eſt, cùm ab omnibus fermè ludæis, tum à diſcipulo illo, qui utriuſq́; partis munus in magiſtri perniciem egregiè exequutus eſt, miſeris ſubuenire didicit, in delatorẽ aſſentatorẽq́; inuehi atq́; excandeſcere mihi fas ſit. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Copioſior is eſt Hebręis uerſus, quare ſic diuus uertit Hieronymus: Quid gloriaris in malitia potens, miſericordia domini tota die. Idẽ Felix, cuius ſenſus ſic redditur à Paraphraſte: Quid gloriaris, & multa poſſe te putas per malitiã? An ignoras ſua clementia omnipotentẽ Deum adeſſe bonis omni tẽpore? Id cõnaturale fermè eſt omnibus ex malitia peccantibus, ſed his potiſsimum qui è turpi aſſentandi, falſóue deferendi more, in innocuorũ uitam ac nomen diutius debacchati, uictores tandem euaſerunt, ut de commiſſo ſcelere gloriã uulgò aucupentur. Eia, inquiunt, eiectus eſt noſtra ille opera, uictus eſt, occiſus eſt. Quis iam nobis, noſtriſq́; rebus aut dominio officere amplius poterit? Vicimus ſanè, hem quàm facilè: quicquid enim cõtra illum moliti ſumus, noſter, tanquã ſtolidus thynnus eſcam, aut fatuus polypus, abliguriuit princeps. Quid uultis mihi dare, inquit Iudas, & ego eum uobis tradam? Putas ne Iudæorum principes tam execrandum facinus exhorruiſſe? Et ſpoponderũt illi, inquit, triginta argenteos. Quid noſtrã iam deprecamur ſortẽ, ô innocentiſsime Ieſu, poſtquã tu omniũ candidiſsimus,

B falſi hominis & impudentiſsimi abſq́; fronte delatoris audacię, inuidentiæq́; ſcribarum & Phariſæorum obnoxius eſſe uoluiſti? Te enim per os illud nefandum tam malè habito, traducto, uendito, mortiq́; adiudicato, ego ne me uel letaliter uulneratum querar? Non committam ſanè deinceps, ut quis tam iniuſtas ex me audiat querelas. Nam miſericordia Domini nõ cras tantummodo aut perendie, ſed tota die: ea quippe mea ſuffulta imbecillitate, non timebo, quid faciat mihi homo, quid ue turpiſsimus machinetur palpo, aut impudens delator. Non te pudet homo uaniſsime? nam, ut multi iam præclariſsimi experti ſunt uiri,

Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua:

Neq́; id ſatis uiſum eſt,

Sicut nouacula acuta feciſti dolum.

Iniuſtitiam, prauitates, ſeu corruptelas ſeu etiam confractiones, uertit Felix. ſermonem peſtilentem Campenſis, qui ſic reddit: Sermonem peſtilentem ſuppeditat ſceleratus animus linguę tuæ, quæ ſimillima eſt nouaculæ acutæ (culter raſorius is eſt) cùm ad reſecandam barbam adhibita aberrat, & iugulum petit. Atqui uide, quàm aptè illiuſmodi uocum congeries delatori, doloſoq́; aſſentatori conueniat. Etenim concepta ſemel in fraudulento eius animo iniquitate, habitaq́; ſubinde amaritudinem illam è pectore eiiciendi occaſione, peſtiferas tandem illas iandiu præmeditatas (ita uerbum, cogitauit, in hoc loco ſignificat) ex malitiaq́; compoſitas corruptelas, ac proborum latè nomen & famam deuaſtantes confractiones, effutit lingua: quæ ſanè acutæ æquiparatur nouaculæ, cuius ea eſt naturaliter uis, ut anteaquam aduertas, aut ſentias, infigat uulnus, & id quidem, ob illius collimatam diligenter aciem, grauiſsimum. Quæ igitur cunque, ô impure ueterator, animo moliris, atque ore profers, ex ſpiritus teſtimonio iniqua ſunt, malitioſeq́; excogitata, & mortifera. Quid amplius tam nefariæ tuæ conſuetudini poſſet addi? Ecce integer, perfecteq́; inſignis tuæ peruerſitatis cumulus:

C *Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem.*

Hîc Selha interponitur, nec id quidem abſq; ratione: nam illud ſummã omnem iniquitatũ excedit, cùm quis ita improbus eſt, atq; ultrò profligatus: ut tametſi nihil inde emolumenti omnino nanciſci ſperes, mauult tamen aliis nocere, quàm benefacere: mentiri inſuper, quàm id quod uerum eſt eloqui: adeò malè infectus animus ſordidior indies fit, atq; impurior. Quod ſanè ex ſequenti magis exprimitur uerſu.

Dilexiſti omnia verba præcipitationis lingua doloſa.

Apoſtrophe eſt ad linguam. O lingua, inquit, doloſa, lingua fraudis, lingua ad ipſos inflammandos orta aquarum fontes, lingua in omne ſcelus præcipitans, ac quicquid nacta fueris probitatis atq; innocentiæ perurens, uorans, deglutiens, conſumens, ad tantam ne maledicendi, impie ue deferendi rabiem deuenire potuiſti, ut nõ ſolùm fraudulenta ex more uomites, uerumetiam illa (malùm) impudentiſsimè diligas, in ipſis q; oblecteris? Quantum cauendum eſt, ne in peccatis conſeneſcentes tenax adeò inhæreat animo habitus, cui comes eſt delectatio, ut etiam cùm nulla inde expectetur utilitas, peccare tamen potius eligamus, quàm ea quæ recta ſunt, atq; homine digna, agere. Brutorum certè id moris eſt, aut potius dæmonum, non hominis, non animæ illius, pro qua ſananda uiuificandaq; mortuus eſt autor uitæ: qui licet (ne te id neſcire cauſeris, ô qui ſuper grauiſsimum talentum plumbi ſimul cum iniquitate ociaris, gloriariſq; cùm malè feceris) qui licet, inquam, ſummè miſericors ſit ac pius, ſcelera tamen ultronea non ſinit inulta.

Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te, & emigrare te faciet de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.

Horrendis hiſce translationũ uocibus, doloſum illum Doëg, hoc eſt, perfidũ
D delatorem atq; aſſentatorem, omni ſimul cum poſteritate, iuſta Dei mulcta, breui exterminatum iri, exprimere intendit: quare aptè admodum hîc additur diapſalma. Putas ne duros animos, huiuſmodi terrificis ſpiritus minis admonitos, poſſe aliquando miteſcere & emolliri? Heu perditos aſſentatorum mores: heu infelicem delatorum exitum. Propterea, inquit, id eſt, quia dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, quia dilexiſti omnia uerba præcipitationis, lucemq; auerſatus amaſti tenebras, Deus æquiſsimus arbiter deſtruet te in finem: hoc eſt, te funditus euertet, extirpabitq; radicitus in æternum: quid? radicem ipſam tuam, nempe poſteritatem, unà tecum cum fortunis è uita hac abradet, diruet, emolietur. Tabernaculum hîc uocat corpus iſtuc tetrum, quo etiam utitur anima tanquam malleo, ut inquit Cyprianus, ad fabricanda ſibi uitiorum ſimulacra. Quòd ſi piis magis arridet animis, pro terra uiuentium (quæ ſit terra uiuentium in ſcripturis, alias diximus) beatitudinem intelligi debere animarum, non contradico, imò cum illis in iſtiuſmodi ualde oblector interdum meditationibus, quæ non tantum intellectui nouam addunt rerum cognitionem, quantum quæ amorem, ac tenerum illum mentis affectum, quam deuotionem appellant, noſtræ uoluntati. Quare dicendũ erit, utriuſq; mortis, corporeæ ſcilicet, atq; illius qua Deo moritur anima, mentionem hîc fieri: utrunq; enim mortis genus acerbiſsimum ſolet eſſe improbis, ſed illud quo ab æterna excluduntur uita, acerbius. O dementiam noſtram, ô inexcuſabilem mortalium ignorantiam. Dum enim uir probus ab improbo ex ſe iam profligato, impunè prælicenter q; affligitur, & malè habetur, id plerun q; accidit, ut probus à probitate, perſecutionum immanitate exterrefactus deſciſcat, improbus uerò improbior quotidie euadat: atq; ita ambo, totum uidelicet in has duas diuiſum partes humanum genus, uno facto ueluti omnium globo & uolumine, in æternum feratur exitium. Proinde feliciſsimũ illum eſſe arbitror, qui in tanta uiuendi difficultate & controuerſia, ſe purũ ſeruat: hoc eſt, qui ſtabilis in fide Ieſu Chriſti, quicquid ſors afferat, perſeuerat. Durum id ſane quam uidetur: uerùm in eo qui nos confortat, quid nõ audendum? Poterit ne mun-

A mundus, quamuis atrociter irrugiat, turbasq; immiſceat, ab ea uita quæ abſcõdita eſt in Deo, nobisq; ſeruata per Chriſtũ, ſynceras deturbare animas? Neutiquã quidem: nam immunitatem huiuſmodi raram, ac planè mundo inſolitam, ſuis conciliat ſpiritus, qui potentiſsimus omnium eſt, non homo natura fallax & infirmus, inconſtansq; in omnibus uiis ſuis. Selha hîc additur.

Videbunt iusti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent:

Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & prævaluit in vanitate ſua.

En quomodo uaſa iræ, &, ut appellat ea Paulus, contumeliæ, in commodum & ſalutem cedunt uaſis miſericordiæ & electionis. Perſpecto enim nefarij hominis interitu, diuinaq; in eum animaduerſione cõſiderata, timent ſancti, pauidiq;, quid de ſe futurum ſit, præſtolantur. Timent, inquam, ne & ſibi à iuſtitiæ itinere, quod per ſe admodum confragoſum eſt & ſalebroſum, aberrare contingat. Ea enim carnis natura eſt, quæ uel optimis ipſis animis timorẽ iniicere debeat. Dum ſanè nox eſt, & ad lucernę lumen ambulamus, quis ſe tutum omnino arbitratur? Videbunt igitur iuſti improborũ exitum, & timebunt, ſeu uenerabuntur, ut uertit Fel. Deum. alius uerò, ſtupebunt, & ſuper eo cum riſu dicent, en gigantẽ, qui nõ fecit Deum robur ſuum, ſed in multitudine opum ſuarum ſpem poſuit, ac ſceleri fidit. Prævaluit uerbum, Hebræis eſt, corroboratus eſt. quare ſic Fel. Corroboratus eſt in prauitate ſua. Cuius hemiſtichij ſenſum ſic reddit Paraphraſtes: Et ſceleribus potentiam affectauit. Porrò riſus, conſenſio quædam eſt è corde optimè ſibi conſcio manans, qua uir ſanctus diuina approbat iudicia, in illisq; conſiderandis incredibilem in modum delectatur, gaudetq;, ac uanos, breuiq; deſituros ſcelerati hominis conatus ridens, nõ abſq; animi ſtupore clamat: En uir ille, qui modò omnium tumidiſsimus, nempe in fortunę gremio laſciuiens, exultan
B tiusq; ſeſe efferens, ſpem omnem ſuam in rebus fortunæ collocauerat: en, inquã, quomodo mutata ſorte factus eſt omniũ miſerrimus, atq; eo quidem infelicior, quòd illis quibus paulò antè maximo cum faſtu imperare conſueuerat, deriſioni factus eſt, ac fabulæ.

Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum, & in ſæculum ſeculi.

Ille, inquit, ſperauit in multitudine diuitiarũ ſuarum, quę natura fragiles ſunt, & uitreæ: ego autẽ in miſericordia Dei, quæ æterna eſt ac firma. Emphatica hæc eſt antitheſis, qua inſtabili improborum fortunę proborũ fides opponitur. Vide cui arbori ſe ſimilem faciat Dauid, hoc eſt, uerus pœnitens, atq; propterea Deo amabilis, & decorus. Oliua uiridis, uertit Fel. Alius uerò, frondoſa: utrũq; enim perpetuã olearum elegantiã præ ſe fert, quibus aut raro, ut nunquã decidunt folia, niſi prius appareant noua. Aiunt quidem naturalium rerũ indagatores, oleã alternare fructus leui arundinis ictu, ſine ramorũ læſione decuſsis germinibus. Et, ut melius ſimilitudinis uim exprimat, addit, in domo Dei: hoc eſt, adinſtar oleæ ſemper uirentis, baccisq; onuſtæ, utpote in opimo Dei ſolo conſitæ, in Dei ſperaui miſericordia in æternum, infeliciſsimo nimirũ edoctus impiorum exitu. quos ſanè interim admonitos eſſe uelim, nihil in rebus cõditis inſtabile adeò eſſe & caducũ, quantũ eſt diuitiarum luxus, addo, & principum fauor, eorũ maximè qui faciles præbent aures aſſentatoribus, & illis quidem quibus turpiſsimus eſt mos, de innoxiis, quicquid libuerit, deferre. Hi enim non tam delatorũ quàm obtrectatorum nomen meritò ſibi arrogant: nomen, inquam, è libro uitæ expunctum proindeq; in tetris æternorũ incendiorũ tabulis conſcriptum, Quòd uerò candida illæſaq;, ac bonarum actionum ferax, in ſuo perſtet candore atq; uberta te, tanquam felix olea, probi uiri uita, in tanta zizaniorum, triſtiumq; plantarũ luxurie ac fruticum poſita, id totum à diuina proficiſcitur miſericordia: cuius ea uirtus eſt, per quã talis, tamq; immenſus noſtræ additur ſpei ſtimulus, ut in ipſis etiam penitus conclamatis rebus, in tua, ô Deus, ſperare audeamus benignitate.

C Quare tuo ego huiuſcemodi raro, & non omnibus cognito ditatus munere,

Confitebor tibi in ſeculum, quia feciſti.

Et expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum.

Te igitur laudabo, tibiq; perpetuò, qui in impios id feciſti iudiciũ, in meq; miſericordiam, gratias agam. Tu, tu, non alia extrinſecus res aut actio, feciſti, quæ ſtupendo, atq; adeò grauiſsimo & æquiſsimo facta ſunt conſilio. Tu, inquam, feciſti, ut ego tanta in perſecutionum atrocitate tua in miſericordia ſperarem: idcirco, quæcunq; obueniant, tuum ſanctũ nomen, te ſcilicet, tuamq; opem fidenter expectabo, non cadamq; à fiducia illa, quam tu in me, tanquã in uirenti olea ſurculum, inſeuiſti. Licet enim non tam celeriter, ut mea forſan præpropera efflagitabit imbecillitas, ſuccurrere decreueris, expectabo tamen immobilis, illud pro certo habens, quoniam nomen ſanctum tuum bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum: id eſt, omnibus qui in te confidunt, à teq; qui ſanctus ſanctorũ appellaris, ſanctificati ſunt, ad ſubueniendum, beneq; faciendũ præſtò eſt, atq; expoſitũ. Nonne igitur bonũ? quid bonũ dico? nónne optimũ, nos tuũ cũ patientia expectare nomen, unde tuam haurire poſsimus miſericordiã? Non ab re quidem eximius ille tuus clamat uates: Qui crediderit, non feſtinet, uerùm expectet dominum, qui, ut idem ait, nõ abſcondit faciem ſuam à Iacob, cui interim grata perſoluatur laus honosq; in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LIII. Ad hæreditatem. Eruditiuum Dauid.

D *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.*

Opinantur quidam hunc pſalmum, eruditionẽ ſeu reuelationẽ calamitatis illius inſignis extitiſſe, qua affecti ſunt Iudæi à Græcis ſub Antiocho Illuſtri, cui pſalmi principiũ, utpote homini ſuperbiſsimo & impio, conuenire arbitrantur. Alij rurſus de Iudæorum populo, Chriſti interfecto-
D re, pſalmum ſcriptum autumant. Alij item in tituli litera nõ conueniunt: nam dictionem, hæreditatem, nonnulli congregationẽ, quidam uerò, ut diuus eſt Hieronymus, chorum interpretantur: & quidam etiam, ut ſe ab huiuſmodi explicẽt difficultatibus, inſtrumenti muſici nomen fuiſſe aſſerunt. Verùm Chaldaica aliquibus uerior uiſa eſt translatio, quæ ſic habet: Ad laudandũ ſuperultionẽ impiorum, qui perturbant hæreditatem domini, intellectus, bonũ per manum Dauid. Quocirca diui Hieronymi interpretationẽ huc optimè quadrare iudico: & eſt perinde ac ſi dicat, ad laudandũ, ſiue ad chorũ, aut choream, ut ſibi uelle Græca uidetur lectio, ducendam, ob uenturũ impiorum exitiũ, quod in pſalmo hoc prædicitur, eruditio. Vtcunq; enim uarient interpretes, exploratiſsimũ illud eſt idem cum quartodecimo pſalmo eſſe argumentũ, eandemq; penè literam. Quare quæ in illo deſunt, cæteris prætermiſsis, hîc enarrabimus.

Quoniã Deus diſſipauit oſſa eorũ, qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniã Deus ſpreuit eos.

Aequiſsimum hîc inter cætera narratur iudicium in improbos, qui cùm trepident timore, ut inquit uates, ubi non eſt timendum: dum, inquam, hominum iudicium pluris faciunt quàm Dei, in utrunq;, uelint nolint, prolabuntur. Nam à diuina percuſsi manu, deſperati ab hac uita, amiſſa quoq; hominum gratia & fauore, decedunt. nec id quidem mirum: nam ſuapte ſe ſponte à ſuauiſsimo Dei conſpectu ſubtrahentes, in plauſuq; hominũ atq; adulatione ſuam ſtatuentes felicitatẽ, meritò confractis oſsium uiribus, quæ ſunt, fauor humanus, gloria, plauſus, hypocriſis: colliſaq; animi uirtute ac cõminuta, quæcunq; aut cogitant, aut agũt, confuſa eſſe oportet, & diſsipata. Nam Deus, à quo ordo omnis rerum, ſanctaq; proficiſcuntur conſilia, ſpreuit eos. O terrificum certè iudicium, æquiſsimum tamẽ, & uerè Deo dignum. Hinc ille erat Chriſti Ieſu clamor in Phariſæos, quorum uita omiſſo Deo, omiſſo quidem? negato potius, atq; impudentiſsimè, ut nunc quoq; fit, reiecto, à uulgi plauſu & gratia pendebat. Quomodo uos, inquit, poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriã quæ à Deo eſt, non queritis? Hîc mihi etiam fas ſit cum Salomone in iſtos auræ popularis capta-

A ptatores inuehi, rationemq; reddere, cur Deus ſpreuit eos. Væ diſſolutis corde (ecce confuſio: cauſam uerò huiuſce confuſionis adíjcit) qui non credunt Deo, ideo non protegentur ab eo. En quomodo, aut quamobrem Deus ſpreuit eos. Ad hæc, cùm dicat inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus, quænã ratio eſt, ut illius curam habere debeat, cui perſuaſum eſt, ſeu ſaltem ſibi ipſe, quò liberius peccet, perſuadere nititur, non eſſe Deum? Tu uide, ſummiſſeq; diuinam contemplare bonitatem, quæ neminem, niſi prius ipſa ſpreta ſit, ſpernere conſueuit. Cui proinde ſumma debetur reuerentia, dignitasq;, & honor in ſecula ſeculorũ. Amen.

PSAL. LIIII. Víncenti. Iń cantícis eruditíuum Dauíd, dum uenírent Zíphæí, & dícerent Saulí, nónne Dauíd abſcondítus eſt apud nos?

Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me.

Legímus enim in ſacrís annalibus, Dauídem, Doëg Idumæí prodítione, diu profugum à facie Saulis, Ceílam urbem, parua admodum manu mílítum, à Phílíſtæorũ obſídione líberaſſe, índeq; metu regis: & quía ab oraculo díuíno acceperat, ſe breuí à Ceílítis prodendũ, in deſerto Zíph, urbe ílla íngratíſsíma derelícta, ſeſe abdídíſſe. Qui cùm neq; apud Zíphęos ſe tutum cerneret (quís tutus unquã fuit ínter proditores?) íterũ relícta deſertí íllíus ſylua, in qua non díu cum ſuís latuerat, deſcendít ad Petram, & uerſabatur in deſerto Maon. Sed ínterím dum adhuc in ſaltu íllo Zíphæorum, anceps uítæ díuerſaretur, uíri ílli míſsís oratorĺbus ad Saul in Gabbaa, dixerũt, nónne ecce Dauíd latítat apud nos, in locís tutíſsímís ſyluæ, in colle Achílæ, quæ eſt ad dexteram deſertí? Quod cùm reſcíſſet Dauíd, in ſummũq; ſe adductũ díſcrímen Zíphæorum proditíone cerneret, deſperatís planè rebus, hanc, Deo ſuam commendans ſalutem, compoſuít odam, ardentem mírum in modum, ac Chríſtí Chríſtíano-
B rumq; perſequutiones atq; íníurías portendentem. Eò enim ínterdum periculi proborum uítam deueníſſe uídímus, ut ne quídem tutí eſſent, ut de Dauíde legímus, in abruptíſsímís petrís, quę ſolís íbícíbus peruię ſunt: adeò cœleſtís pater ſuorum ærumnís, crucéq; ílla, quam filío ſuo prius in delícíjs eſſe uoluít, oblecta tur. Verùm quía Zíphæí, nempe innocuorum proditores, ínexorabíleſq; delatores, nuſquam non, uel in medíjs ípſís laudantíum Deum conuentíbus, nedum in Zíphæorum ſylua, & deſerto Maon, apparẽt, ímpoſsíbíle fermè uídetur, tam uafros uírtute humana poſſe deprehendí ueteratores, ne dícam ſuperarí aut delerí. Quare ſuæ ímbecíllítatis conſcíus uír ſanctus, conſcíus, ínquam, quàm debílís humana ſít uírtus, ad díuínã cõſpecto perículo confugít, clamatq; cum propheta: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in uírtute tua íudíca me. Nomen Dei nonnunquam in lege ípſíus eſt honor, laus, fama, uírtus quoq;, & poteſtas. Vnde íllud eſt: In nomíne meo dæmonía eíjcient: íd eſt, in mea uírtute atq; autorítate. Et, ſí rem altíus perueſtígare líbet, nomen Dei, eſt ípſe Deus: nam ípſe eſt nomen ſuum. Et eſt, ac ſí dícat: Per temetípſum, aut per fílíum tuum (íd ſígnificat apud Hebræos etíam, nomen tuum) me ſerua, potentíaq; ílla tua, qua condíta omnía terrítas, meam ſuſcípe cauſam, íníuríasq; míhí híſce à Zíphæís íllatas uíndíca. Contra enim Dei naturam ac morem eſſe uídetur, anímam huíuſmodí fídeí ardore orantem non exaudíre. Illud ne, obſecro, nos quí in alto contínuís iactamur fluctíbus, latêre íam poteſt, quòd quícunq; ínuocauerít nomen domíní, ſaluus erít? Quare non abſq; díuíno conſílío, ab Eccleſía íllud replícatur quotídíe euangelícum, Sanctíficetur nomen tuum.

Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

Víde, quàm non ínconſultò & ímpudenter, ſed ſcítè ac uerecundè ſeſe anímaad ea quæ petenda ſunt, accõmodat. Actus enim ílle ſublímís orandí Deum, quemadmodum purgatas planéq; nudas requírít anímas, íta uerecundas & humíles: alíoquí ſuperbas, ímpudentesq;, & quæ à corde tumído & elato profící-

C ſcuntur orationes, diuinæ auerſantur aures. Illud ſemper cauendum, ne noſtra oratio fiat in peccatis. Anima hîc igitur tota, quanta eſt, in ſe collecta, hoc eſt, diligentiſsimè perpendens, quis ille ſit, cui ſuam narrare orando calamitatem cogitat, ſic ſuam ordítur precationem, à conſueto hominum more in orando minimè abhorrentem. Mi Deus, inquit, meam audi ſupplicationẽ, excelſasq; illas tuas, quas nefas eſt niſi à puris caſtisq; animis interpellari, gemebundæ huic meæ uoci præbe aures.

Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt Deum in conſpectu ſuo.

Suos uocat Dauid perſecutores, alienos, à Dei ſcilicet timore & reuerentia. Vnde cauſam, quamobrem ſic eos appellauerit, addidit: quòd non propoſuerunt Deum in conſpectu ſuo, id eſt, ſuam ut in me explerent libidinem, ex meq; pœnas, uel de his quæ nunquam cogitaui, expoſcerent, nullam de Deo habuerunt rationem. Et quia id malorum omnium fons eſt atq; origo, diuinum ſcilicet ab ſeſe abijcere timorem, Selha hîc interponitur. Quid certè ſibi uelint hi, aut quam de immortalitate animorum conceperint opinionem: quid, inquam, de fide Ieſu Chriſti, atq; eius lege ſentiant, me prorſus ignorare fateor, qui, quò ſuas licentius expleant cupiditates irasq; ſatient, eò interdum inſaniæ adiguntur, ut Deo, Deiq; timore penitus abiecto ſopitóue, aut potius poſthabito conſcientiæ teſtimonio, proiectoq; pudore, toti in opprimendos iuſtitiæ probitatisq; ſtudioſos, charos uidelicet Deo uiros, incumbunt: qui ſanè innocui, cum ut plurimum imbelles ſint atq; inermes, facilè à quouis nefario ac doloſo peſſundantur, tyrannisq;, quos hîc fortes noſter appellat interpres, alij uerò ſæuos aut terrificos, cedunt. Eheu quantum ſceleris, quantum iniuriarum, quantum ſæuitiæ ab his emanat uerbis, Non propoſuerunt Deum in cõſpectu ſuo. Homines, inquit
D Paraphraſtes, ſæui magno ſtudio conati ſunt perdere me, nõ habita ulla ratione tui, ô Deus. Verùm quid multis meam execror ſortem?

Ecce enim Deus adiuuat me, & dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Obſerua plenam fidei antitheſim. Illi, inquit, mei crudeles hoſtes, athei nimirum homines, atq; omni ab humanitate alieni, quibusq; nulla ineſt de Deo ratio & cognitio, ſummo contendunt niſu, meam à me tollere animam, nempe nomen, famam, uitam: Deus autem contrà, illam, ut eſt natura miſericors, tutatur, atq; illi fert ſuppetias, eamq; ſuas in ulnas, tanquã ſolers nutrix pauidũ infantẽ, ſuſcipit & conſolatur. Vbi ſanè ſicut in munitiſsimo quieſcens uallo aut arce, nihilq; minus timens, quàm ſuperborũ hominũ minationes & uulnera, ſuum hoc modo fidenter alloquitur defenſorem:

Auerte mala inimicis meis,

Hoc eſt, auerte à me mala, eaq; in meos retorque inimicos. Malũ enim quod in me parant, ad eos, quò ſciant tandem ſe in cœlum expuiſſe miſeri, redeat. Diuus Hieronymus uertit, Repende malum inſidiatoribus meis. Felix item, Conuertatur malum tribulantibus me.

Et in veritate tua diſperdẽ illos.

Mirũ quàm crebrò anima ſuis in precationibus, Deo illius audenter animoſeq; obijciat pollicitationes. Iam enim uel à prima conditarum rerum effectione pollicitus eſt Deus, ſe ſuis non defuturum, innocentiamq; defenſurum, ſubinde proborum perſecutores abſq; miſericordia proſtraturum. Inimicus ero, inquit, inimicis tuis. Ea igitur ſpe fulta anima, quòd Deus in ſeruandis promiſsionibus conſtantiſsimus ſit, non iam ſuas diſsimulat cogitationes, ſed aperto ueluti corde, audet ſuum ſic compellare amatum: In ueritate tua diſperde illos. Quemadmodum, inquit, bona pollicitus es fide, illos proſterne, diſijceq; penitus, ut ſua tandem edocti ruina perdiſcant, quàm periculoſum ſit cum in te ſperantibus decertare. Ego autem (modò aſpires)

Volun-

A *Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.*
Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

En gratæ animæ teſtificatio, ac pro reportata ſalute uotum. Vltroneo, inquit, laudis ſacrificio, non coacto aut timido, tuum ſanctum nomen, bonum nimirum omnibus, hoc eſt, munificum, in gratijſq; copioſum & liberale, fatebor, ac cunctis palàm prædicabo. Alludit (credo) uates ad ſacrificium illud antiquũ, quod ſponte quiſpiam ſua, aut ex uoto ſuſceptum, pro gratiarum actione Deo offerebat: cuius ritus ac mos, in ſeptimo Leuitici capite prolixè à Moſe deſcribitur. Vbi inter cætera illud eſt: Si uoto, uel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam, eadem edetur die: ſed & ſi quid in craſtinum remanſerit, ueſci licitum ſit. Quid uerò illa omnia præſagierint, quid ue myſteriorum portenderint, elegantiſsimè, ac maxima diuinorum ænigmatũ cognitione, à Radulpho Flauiacenſi, meæ profeſsionis monacho, fuſius pertractatur, quàm ut à me, cuius aliud eſt inſtitutum, quid addi poſsit. Sat ſit locũ demonſtraſſe. quanquã certè nõ me præterit, dictionem, uoluntariè, Hebræis eſſe, cum munificentia, uel cum liberalitate: quæ tamen omnia ut notat Fel. ſpontaneę mentis prę ſe ferunt oblationem. Cæterùm &, Super inimicos meos deſpexit oculus meus, nihil aliud ſibi uult quàm, optatam de inimicis meis ultionem uiderunt oculi mei. Vnde Paraphraſtes: Et eius beneficio (Dei ſcilicet) uidit oculus meus qualia quiſq; uellet in capitalibus inimicis ſuis. id enim omnibus fermè natura comparatum eſſe cernimus, ut unuſquiſq; ſui hoſtis interitum exoptet. Verùm alia eſt, cur id optet, ratio in homine diuinæ religioni conſecrato, Deoq; per uoluntatis unionem copulato: alia in illo, cuius cor continuis cùm exagitetur odij ſtimulis, ac ſeſe ulciſcendi æſtibus nõ ſolùm apertos in ſe hoſtes, uerumetiam illos quos ſibi olim nocuiſſe ſuſpicatur, aut puerili-
B ter ſomniat, odit. Phraſis hæc eſt Hebræa, quemadmodum & illa in Michæa: Oculi mei uidebunt in eam. Interim autem afflictus animus, ab iniurioſisq; hominibus malè habitus, cum eodem ipſo uate ſuos in hoſtes animoſe inſurgat, dicatq;: Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi: conſurgã. Cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt. Iram domini portabo, quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum. Educet me in lucem, uidebo iuſtitiam eius. Cuius nomini gloria ſit perennis, & laus in ſecula ſeculorũ. Amen.

PSALMVS LV. Vincenti. In canticis eruditiuum Dauid.

EXaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me.

A doctioribus enim accepimus, hunc pſalmũ à uate compoſitum, cùm adhuc in Ceila urbe, à ſe ingenti periculo ab obſidione, fuſis fugatiſq; Philiſtæis, liberata diuerſaretur. Vbi ſemel atq; iterum à diuino admonitus oraculo, quòd ni ſtatim ad tutiorem ſe reciperet locum, fore quòd in hoſtium manus deueniret, in ipſo fugæ tumultu, lamentabilem hanc Deo obtulit precationem: quam poſtea placatis rebus, regnoq; reſtitutus, muſicis uoluit decantari inſtrumentis: ſic enim in Canticis interpretatur Felix Pratenſis. Vmbra nimirũ illa omnia futurarũ in Chriſtum atq; eius Eccleſiam perſecutionũ extitere. Perſuaſerat quidem ſibi uir ingenuus propter ſolutæ obſidionis beneficiũ, ſe tutum in ciuitate illa cum ſuis manere poſſe: uerùm ingratiſsimi ciues, uiri profectò totius humanitatis expertes ac religionis, remunerantes quaſi meritum, pro beneficio exitium referre conati ſunt. Vide, mi lector, quàm immenſa transferendi ad noſtra ſenſim tempora quæ hîc leguntur, aperiatur ianua. Nuſquã enim tuta eſt innocentia, quæ tum quidem periculoſius ſubire diſcrimen uidetur, cùm ſua ob merita peruerſorũ ſibi hominũ animos conciliaſſe arbitratur. Proinde ſuũ anima aduertens periculum, quòd neq; Ceila urbe, neq; apud Ziphæos, neq; in deſerto

C Maon, in monte opaco, à proditoribus atq; impetu Saulis, habitantis in Gabbaa, tuta sit, ad Deum, qui caput est Christi, cuius hîc uita, nempe obnoxia perditorum hominũ iniurijs, à spiritu delineatur, pauida admodum confugit, dicens: Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationẽ meam: intende mihi, & exaudi me. Verba sunt, inquit Augustinus, tribulati cupientis liberari: de huiusmodi enim uocum repetione familiarissima uati, non raro in superioribus est dictum. Argumenta sunt sanè cordis extrema affecti amaritudine, exoptantisq; à timoris magnitudine asseri: quater enim eandem fermè repetiuit sententiã. Ne despexeris, ex Hebræo reddunt, ne abscondaris, seu, ne abscondas te ab oratione mea: seu etiam, ut interpretatur Paraphrastes, ne auerseris preces meas. Durum id quidem, cùm princeps aut iudex à quopiam misero rogatus, abscondit se, negatq; uelle audire: proinde de illo, eiusq; causa actum esse omnino, ex circunstantibus quis non iudicet? Non est quidem doloris acerbitas cum illa comparanda, uel eo maximè, si illius causa æqua sit, & digna expeditione, & nihilominus qui pro æquitate iudicet, conniuet iudex, precesq; non solùm miserorum, uerumetiam ipsius innocentiæ legumq; & religionis (scelus execrandum) auersatur.

Contristatus sum in exercitationẽ mea, & conturbatus sum à uocẽ inimici, & à tribulationẽ peccatoris.

Heu heu, cui uel tantilla saltem de oppressis iniecta est cura? dissimulant ne omnes? siccine uestris à tribunalibus inaudita reijcitur probitas? Vno hîc ferè uerbo tota Iesu Christi expressa est uita, qui nullo districtus ocio aut labore, ab incœpto pro suis negocio destitit, nunc à dæmone, nunc à peruersa Pharisæorũ scribarumq; astutia circumuentus, à proprio, eoq; dilecto afflictus populo, traductus, expulsus, ab ipso demũ proditus discipulo: sua tamen in exercitatione aclucta, ne parũ quidem elanguit, nunquámue à solido recuperandarũ animarũ deflexit proposito & amore. Cùm enim legimus, Cõtristatus sum in exercitatione
D mea, à seruatore nostro dici, nonne illud confestim in mentem uenit: Tristis est anima mea usq; ad mortem? Nunquã, fateor, uidi hominis summo in dolore, addo & metu, eo præsertim quo se breui in hostium manus peruenturum præsentiscit, clarius describi morem: quem tamen expressius ex Hebræo reddi cernimus, quàm à nostro redditus est interprete. Sic enim Felix: Vlulabo mouens me huc & illuc, in meditatione doloris mei. Dictionem quippe illam, quã nos legimus, contristatus, Hebræis uox est summæ consternationis animi, doloris q; immensi testis. Præ dolore, inquit Campensis, moueo me nunc huc nunc illuc, & interorandum conturbor. Factus est, inquit scriba ille, in agonia prolixius orans. Iam non illud silendum, primos psalmi huius uersus alio ordine ab Hebræis legi, uerùm quia menti uatis nihil fermè aduersatur, sic nostro suam uerborum permittimus seriem & legem, ut nihil innouemus: qui quidem uates quamobrem contristata fuerit Christi anima & conturbata, aperit dicens: A uoce inimici, & à tribulatione peccatoris. Clarius & fusius ex Hebræo: A facie, seu à conspectu uiolentiæ peccatoris. Contumelias enim, diramq; uocis acerbitatem in hostibus, ac minas, quibus ferè pauidi animari solent, uocẽ appellat uates: ipsam uerò oppressionem & uiolentiam, tribulationem: utroq; enim afflictionis genere à Iudæis sæpenumero affectus fuit Christus, & nos cum illo, sed non eodem animo & consilio. Nam nos si quid acerbius à perfidiosis irrogatur fratribus, indignabundo id ferimus pectore, Christus uerò patientissimè & tacitè, maximaq;, qua semper uel erga ipsos acerrimos usus est calumniatores, dilectione.

Quoniam declinauerunt in me iniquitates, & in ira molesti erant mihi.

Iniquitatem super me cadere facient, uertit Felix, & cum ira odio habebunt me. Vide improborum falsorumq; delatorum impudentiam & malitiam: non contenti enim odio illo suo inextinguibili, atq; ira qua molesti sunt bonis, addunt etiam, itaq; callidè concinnant dolos, ut quod optant, tandem obtineant, quò modestissimi scilicet uiri, & innocentes, scelera illa quæ ipsi uulgò sparserunt,

A ſerunt, commiſiſſe uideantur. quid nequius unquam auditum fuit? Quid putas aliud tunc machinatos eſſe Iudæos, cùm Chriſtum tanta animi rabie atq; ira, cruci affigi coram iudice ſuccłamauerunt, niſi ut declinarent in illum iniquitatem? hoc eſt, ut latro, ut ſeductor, ut dæmonium habens crederetur. Sic nimirũ in terris ſemper habiti ſunt amici Chriſti, habenturq; continuè. Vnde haudquaquam mirum eſſe debet, ſi noſtram intuitus fragilitatem tam pius dominus, noſtramq; prorſus indutus ſortem, hîc queritur dicens:

Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me.
Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.

Hi ſunt nimirum affectus & motus animi, qui in conſtantem etiam uirum, ob falſas illi obiectas calumnias, cadere cõſueuerunt. Sed uæ uobis, qui, ut cõminat dominus, iuſtitiã iuſti aufertis ab eo. Hîc uelim à caſtis mentibus, nondũ tamen ad ſolidum perguſtandũ cibum eruditis, attentè quæ dicuntur expendi, ne à uario ſpiritus motu, unde excellentiſsimũ illius in perficiendis electorũ cordibus morem utcunq; intelligere poſſent, animi confuſionem incautè hauriant. Solet enim diuinus ille ignis ſuos eouſq; interdum animare, robuſtosq; in aduerſis facere, ut in medio quoq; ipſo perſecutionũ æſtu ac flamma audeãt de ſe illud dicere: Non timebo millia populi circundantis me. Contrà uerò, à calore illo ſæpenumero, ſuum ad maiorem profectũ deſtituti, etiam à leuiſsimo iniuriarũ ſtrepitu pauent, clamantq; : Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis corripuit me. Timor, languor, mœror, metus, terror, horrorq; uenerunt ſuper me, & circundedit me undiq; pauoris caligo. Aſpiciemus, inquit Eſaias, in terrã, & ecce tenebræ tribulationis, & nox obtenebrata eſt in caligine eius.

Et dixi, quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.

Aliàs diximus, idẽ penitus eſſe, quis mihi dabit, quod, utinã aliquis mihi det.
B Pennas hîc optat uates, & has auis pernici adeò agilitate, ut eam nequeat ſoluto maximè uolatu aſſequi accipiter: ſolet enim, quæ eſt illius natura ſimplex & incauta, in aëre interdũ pennarũ leuitate oblectata, uariè ſeſe iactare, plaudere, ſulcare, & ſic implicatis ſtrepitu pennis capi. Speculator, inquiunt, occultus fraude latro ſic gaudentẽ in ipſa rapit gloria. Huiuſce igitur alitis alas miro efflagitauit deſiderio uates, nempe ob id ut ex præſenti hoſtium periculo elapſus, longè tutoq; auolare poſſet. Vnde ſic reddit Paraphraſtes: Quare (perſpecto ſcilicet periculo) dixi apud me, utinam dentur mihi alæ, ſicut datæ ſunt columbæ, ut auolare mihi liceat, & alium in locum cõmigrare tutiorẽ. Certè, inquit, procul hinc aufugerem, & in locis penitus deſertis habitarẽ potius, quàm inter hos impios. Hæc Paraphraſtes, & clarius quidem quàm noſtra æditio, quæ ſic habet:

Eccę elongaui fugiens, & manſi in ſolitudinę.

Alius item ex Hebræo: En longiſsimè profugerem, atq; ad eremum diuerterem. Noſter enim interpres tempus pro tempore poſuit. Hîc mihi in mentem uenit quorundam feruor atq; uis animi, qui interdum uarias hominũ pertæſi moleſtias atq; iniurias, ſeſe à fratrum turbis, tanquam à Ceilæ urbis hominibus ſubtrahentes, in aliquam, ut ſoli ſint, cõmigrant ſolitudinem. Hi enim duas has ſibi eſſe neceſſarias non ignorent alas, alteram quidem fidei, alteram uerò amoris: quarum ſanè remige fulti, quocunq; auolare contigerit, tuti erunt & quieti. Hi quippe ſunt, qui non conuerſionis feruore nouitio, ut meus inquit Pater, ſed monaſterij probatione diuturna, didicerunt contra diabolum, multorum ſolatio, iam docti pugnare, & bene inſtructi, fraterna ex acie ad ſingularem pugnam eremi deſcendere. Sed illud mirum, quàm importunè hi procaciterq; à nonnullis monſtrentur digito, exibilentur, & tanquam transfugæ infames atq; apoſtatæ uulgò traducantur: illos autem quos è cœnobijs ad liberius uitæ genus acciri norunt, ſummis efferunt laudibus, amant, exoſculantur, donis pauperibus debitis infarciunt, tantũq;, ô ineptias, diſj non habent. Non ſanè intelligo, in quibus uis maximè iſtiuſmodi cõſiſtat apoſtaſię & defectionis, utrũ ne in illis qui ſpreto omnino

C mundo, ad ſolitudinem, locum mirum in modum erectis in Deum animis ſalubrem & neceſſarium confugiũt (qui cœnobia deſeruntut per emporia curſitent, aut quibus magis, ut ait ille, placet mulieroſitas, liguritio, temulentia, cupedia, quàm mentis quies, hi meritò apoſtatæ appellantur) an in his potius qui deſertis cœnobiorũ moleſtijs, ſeſe in negocioſiſsimo uitæ genere ſummergunt. Selha hîc poſitum, nos ad Dei iudicia ſimul & hominum ignorantiã contemplandam excitat. Verùm interim quòd in ſalo hoc uaſto & dubioſo nauigatur, in quo & cymbæ & corbitæ una iactantur tempeſtate,

Expectabo eum qui ſaluum me fecit à puſillanimitatę ſpiritus & tempeſtate.

Tu hîc mihi conſidera ſanctiſsimi uatis manſuetudinẽ & modeſtiam, qui ſuas appellat uires, uirtutesq; animi, puſillas ac tenues: hoſtiũ autem inſidias atq; impetus tempeſtatem: quę dictio Hebræis eſt, repentinus, ſummeq; uiolentus uentorum flatus. Vnde queritur Hieremias, improborũ iniurias, uentũ eſſe urentẽ in uijs, quæ ſunt in deſerto. Verũ dictio, puſillanimitate, nõ eſt in Hebræo, ſed id ſolummodo: Accelerabo fugam mihi, à ſpiritu uehementi, à tempeſtate. Certè ſi res perſpectè examinetur, nihil aliud ſunt dæmonũ tentamenta, maximè ſi uehementia ſunt, aut malorũ hominũ perſecutiones, quàm uentus quidã procelloſus, turbóue cõcitus & confuſus. Quid nõ perturbat doloſus dæmon? quid non delator? quid nõ perfidioſus palpo, aut apertus calumniator? Fæx quidem & amurca, limpidiſsimũ cõfundere ſolet oleũ, ſi uas uel parũ agitaueris. Et quia imbelles plerunq; columbæ hæ ſunt innocentiſsimæ, quibus duæ, ut dixi, neceſſariæ ſunt alæ, nõ Icarię illę quidem molli cera cõpactę, ſed ſpiritus glutinamento annexę, tam uarijs interdum improborum technis & inſidijs, niſi forti ſint animo in Deo nempe ad fortunæ ictus intrepido, ſuccumbũt. Ideo à uate eſt dictũ, Expectabo eum qui ſaluũ me fecit: quò palàm aſſerere nõ uereamur, patientiã ualde eſſe ne-

D ceſſariam, ac ſilentiũ, in re præſertim tam ob inæqualem certandi conditionẽ confuſa. Ergo tu Domine, poſtquã prorſus, ſi nos duntaxat conſideramus, inermes ſumus, debilioresq; quàm ut tam immenſæ oblocutorũ turbæ ſuppetamus,

Præcipita, & diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitatę.

Audiant hæc delatores, audiant maledici, audiant hi quorũ dentibus expoſita eſt proborũ uita, quid hîc à ſpiritu dicatur. Audiant, inquã, & ſi ſapiunt, aduertant animo, quàm immedicabile illud ſit uulnus, quod à diuina inferẽ manu. Præcipita, inquit, & diuide linguas eorum: hoc eſt, fac ut nihil non inconſultò, confuſeq; loquantur. Nullam habeat, oro, concinnitatẽ illorum ſermo, atq; exitũ conſpiratio. Legerat enim uates, quàm dira fuerit olim Dei ultio in temerarios illos, qui eò aliquando amentiæ deuenere, ut alter ad proximũ ſuum diceret: Venite, faciamus nobis ciuitatẽ & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum. Dominus autẽ: Venite, deſcendamus, & confundamus ibi linguã eorum. neq; id ſatis quidem: Inde, inquit, diſperſit eos dñs ſuper faciẽ cunctarũ regionũ. Quocirca idem fermè hîc ſuis imprecat hoſtibus, nõ à diuinis nihilominus diſcedẽs iudicijs, quę æquiſsima eſſe nouerat & certa. Vidi, inquit, iniquitatẽ, uidi diſceptationes, uidi diſsidia, uidi ſeditiones, uidi odia, & hæc omnia (prò dolor) in ciuitate illa, intra mœnia illa, in quib. pax ſumma eſſe debuerat & cõcordia. Quid ad hæc ultrà? Si eẽ ab illis, de quorũ ſalute, meo etiã ingenti periculo, benemeritus ſum, tam malè repenſum eſt, quid ab ipſis expectari debuit inimicis? Verũ poſtquã ſic uolũt,

Die ac nocte circundabit eam, ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius, & iniuſtitia. Et non defecit de plateis eius vſura & dolus.

Quàm unicuiq; diligenter ex urbium dynaſtis ea quæ à propheta, de Ceila ciuitate, cum ſtomacho dicuntur, audienda ſunt, an forſan illiuſmodi uitiorũ ſordibus infecti ſint eorum ciues. Iniquitas, inquit, die ac nocte: id eſt, continuè abſque intermiſsione ciuitas hæc miſerrima circumuallata eſt iniquitate, pro muro. Turpia ſunt ſanè in primis illius mœnia & ruinoſa, uerùm ipſum forſan ciuitatis corpus minus eſt deforme? Minimè id quidem omnium: nam in ipſo urbis

A urbis medio (medio autem?) in ipſis frequentiſsimis plateis, locis nimirum celeberrimis ac magis conſpicuis, ea inſunt mala: prauitas, iniuſtitia, uſura, dolus. heu perditam ciuitatem. Quid multa? nullum ſceleris genus non regnat in ciuitate iſta. Iam illud non prætereundum, alio reddi ſenſu literam, quæ à nonnullis ex Hebræorum interpretibus legitur. ſic illi: Die ac nocte circuiui eam, ſuper muros eius, & prauitas & moleſtia in medio eius. ut ſit ſenſus: Diu in muris eius oberraui, ut uiderem quid in ciuitate hac ageretur: Deus bone, quid malorum non uidi? Prauitatem, malitiam, iniquitatem, oppreſsiones, dolos, fraudes, uſuras in ipſo urbis centro, æternum ſibi conſtruxiſſe domicilium conſpexi. Hæ ſunt, mi lector, ciuitatum peſtes quas in Ceila, de ſe tam malè merita, deprehendiſſe fatetur Dauid. Faxit Deus, ne complures in Europa Ceilę inueniantur. Cæterùm labor, ut noſter uertit interpres, Hebræis prauitas eſt, quæ eſt inſignis tum corporis tum animi deformitas ac peruerſitas: qui enim huiuſmodi mentis affectus eſt labe, quid nõ cum labore, æſtuq; animi, molitur & agit? Verùm illud, inquit uates, quod me acerbius uexat & premit, dicendum mihi eſt:

Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtiq;:
Et ſi is qui oderat me, ſuper me magna loquutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo:
Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus:
Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.

Ambigua admodum hæc eſt litera collata cum Hebræis. Diuus Hieronymus uidetur hæc omnia ad falſum quempiam amicum, typum nimirum Iudæ Chriſti proditoris referre, de quo hîc queritur uates. ſic enim ille: Non inimicus exprobrauit mihi, ut ſuſtineam: neq; is qui oderat me, ſuper me magnificatus eſt, ut abſcondar ab eo, ſed tu homo unanimis. Verùm in idem ferè cum noſtra concurrit editione, cuius is erit ſenſus: Si is qui mihi palàm aduerſabatur, & de quo,
B quin meus eſſet hoſtis, nemo non nouerat, quidpiam mali in me eſſet machinatus, tanquã præuiſum hoſtem & apertum facilè uitaſſem. Si is, dico, quem omnes me odio perſequi norunt, malum mihi intentaſſet, conuicia'q; in me arrogantia & ſuperba congeſsiſſet, ſuſtinuiſſem certè, eiq; ceſsiſſem, & prudens conſulto'q; tam uaſtam irarũ procellam, mea deferuere fuga & patientia expectaſſem: at tu homo meus unanimis, collega, dux, qui cum arctiſsima mihi erat conſuetudo, conſiliorum'q; cõmunicatio, & qui mecum unà, ut ſolent familiariſsimi ſodales, ſumma animorũ concordia, ad templum ſanctum Dei, in quo nihil fucatum, nihil non ſyncerum eſſe fas eſt, conueniebamus, me, me, inquam, tam nuper tibi charum & beneuolum, inſidijs aggredi auſus es? Tu, non hoſtis, non ille qui me odio inceſſebat, maledixiſti mihi, & ſuper me magna loquutus es. Illud notandum dictionem, Vnanimis, ab Hebræorum interpretibus ſic ferè reddi: Tu homo ſicut æqualis meus. uel, ut Felix: Tu uir ſecundum ordinẽ meum: hoc eſt, habitus honore perinde atq; ego. Illud quoq;, cum conſenſu, cateruatim transferunt, ſeu, cũ cœtu: id eſt, multis nos comitantibus: ſeu etiã, cum terrore, ut diuus uertit Hieron. quæ dictio nihil aliud ſibi uult, quàm tam arctam duorum principum amicitiã maxima cum dignitate coniunctã, omnibus admirationi fuiſſe ac terrori. Vtcũq; ſit litera, quiſquis ille fuerit, de quo tam dolenter queritur uates, & ſanè meritò, infeliciſsimi Iudæ typus eſt, atq; ſubinde proditorum omnium, ſed illorum maximè, qui cùm amici, & hi chariſsimi eſſe uideantur, perfidiſsimi tamen ſunt hoſtes, atq; eò nocentiores, quò occulti magis ſunt, minus'q; perſpecti & noti. Quanta hîc mihi conſiderandi quorundam prauitatem & fraudulentiam offertur occaſio, ex illo perfido, ſimulato, infando, facinoroſo Iudæ oſculo? Contrà uerò, quis tam ſceleroſus eſt proditor, fucatúsue amicus, qui non pudore ſuffundatur, cùm recolit animo, quid modeſtiſsimus reſponderit Ieſus? Iuda, inquit, (ô rarum atq; unicum manſuetudinis exemplum) oſculo filium hominis tradis? Saxa tum quidem fleuiſſe arbitror, Iudas tamen ære ferro'q; durior, ne parum quidem remiſſus, inſaniens abijt, nec ſanè deſtitit quoad è mundo

C lumen ac Solem abstulit & extinxit. Quocirca iustissimus uatis fuit dolor, iustaq; excandescentia & querela in simulatorem illum nequam & proditorem, quo tamen sic sua in perfidia derelicto, ad cæteros intermissos suos redit hostes, illisq; horrendam imprecatur ultionem, dicens:

Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.

Cùm Dauid, ob immeritas in se paratas insidias, à Ceilæ ciuibus maiorem in modum affligeretur, reiq; indignitatẽ uersaret animo, uolensq; tum illis tum futuris eiusdem perfidiæ posteris diuinam prædicere ultionẽ, illum memorabilem simul & horrendum terræ hiatum, quo Dathan & Abiron unà cum tabernaculis rebusq; suis, liberis quoq; & uxoribus absorpti sunt, in medium, quasi aliud agens, adducit. Et descenderunt, inquit Moses, uiui in infernũ operti humo. Hæc nimirum ultio ea est, ac mulcta, ab antiquis illis seculis decreta seditiosis, & murmurantibus in Mosem & Aaron, id est, in Dei religionis & cultus studiosos. Sepeliant, inquit, uiui, funditusq; intereant. Nam in scripturis fermè aliud nihil est, descendere in infernũ, quàm subito perire interitu. Idcirco Ezechiel uolens inopinatam quorundam incircuncisorum exprimere extinctionem, asserit illos descensuros ad infernum cum armis suis. Affectus est ualde ardens in prophetis. Non id quidem, ait uates, temerè imprecor, aut ira permotus, sed sic edoctus à spiritu, qui odio habet omnes peccatores terræ.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio illorum.

Huius uersus sensus sic redditur à Paraphraste, & breuiter & doctè: Regnant enim nequitiæ in tabernaculis eorum, imò in ipsis penetralibus cordium illorũ. Sceleratam enim quorundam uitam, deploratosq; mores huiusmodi aggrauat dictione, nequitia, quæ cùm frugalitati opponatur, ad omne maleficium conuenit: quanquã malum, seu mala, simpliciter à nonnullis ex Hebræo reddi uideo.

D Modis sanè omnibus detestandæ sunt ædes, in quibus nequitiarum greges, tanquam in hara sues grunnire audiuntur. Quid, te obsecro, in domum tuam, ubi pudica cum nuru sedet uxor, ubi filij, ubi innuptę filię innocentissimã agunt uitam, obscœnus introducitur scurra, & cum colluforum grege infamis parasitus? ficcine alitur filius? Itá ne uerò in uno eodemq; residet tripode sua cum pellice mœsta coniunx? Indicium nimirum id est, nequitiarum tumultum in medijs ipsis tui cordis penetralibus & medullis requiescere, si tamen requies illa dici debet, ab innumeris uitiorum morsibus, tanquam ab importunissimis sanguisugis, die & nocte emungi, sensimq; exanimari. Hi ut lubet,

Ego autem ad Deum clamaui, & Dominus saluauit mę.

Solet enim anima diutius cum mundi ærumnis & miserijs, nempe cum uarijs tum à natura ipsa, tum à dæmone, tum etiam ab illius ministris, cõmotis & appetentijs & odijs uersata, & penè attrita, maxima affici perturbatione & metu, atq; usq; eò interdum concuti, ut Dei omnino oblita uideatur. Verùm sese postea ab assueto admonita spiritu colligens, admiransq; simul & reprehendens suam eò confugiendi, ubi pax omnis inest animi ac quies, uel moram, uel ignauiam, illis reiectis permotionibus, tota in Deum fertur, seq; miris consolans spiritus radijs, intra sese hæc ferè: Ego toties in ijsdem ipsis prouoluta angustijs & tentationibus, ad Deum clamaui, & ipse exaudiuit me. Quid in me igitur ipsa, tam uili scilicet re & tenui, tandiu immoror? Scio certè quid agam, postquam ita est mortaliũ conditio, ut nusquam non, quæ illam exerceant, fiunt obuiæ occasiones.

Vesperę & manę & meridię narrabo & annunciabo, & exaudiet vocem meam.

Continuè, inquit, contenteq; illi meam exponam indigentiã. Vide sanctæ animæ, ut illa erat uatis, solicitudinem. Et certè, si noster unde proueniat in rebus spiritus & algor & torpor, addo & superstitiosa religionis imago, interrogor, dicam ingenuè, à frigido id contingere in diuinum amorem affectu & studio, ab inconstantiaq; animi, ac bonarum rerum fastidio. Mirum in modum erramus, si tantilla nostrî portione contentum esse Deum arbitramur. Atqui anima illa quę

tota

A tota in ignem diuini amoris, ob aſsiduos raptus & ecſtaſim, conuerſa eſt, ignis quodammodo efficitur: quocirca cùm ignis ſit, ignem ipſum ſentire haudquaquam poteſt: ſecus uerò ſi in terrenarum rerum glacie, brumáq; cupiditatũ, atq; ambitionis gelu & frigore diutius immorata oblectatáq;, partem neſcio quam ſui ad ignem admouet. Statim enim, quaſi à repentino cõmota, reiectáq; aduerſæ naturæ tranſitu atq; attactu, intolerando afficitur dolore, atq; eo incenditur æſtu, quo prorſus conſumitur, ac tandem in illo ſuo permanens algore miſerrimè congelaſcit. Ad nanciſcendum igitur calorem illum ſpiritus intenſum, quo cupiditates omnes noxiæ & turpes adeduntur, aſsidua peropus eſt exercitatione, quę quidem omne temporis momentum atq; inſtantiam ſuo ſibi iure uendicat: alioqui certè noſter omnis labor, atq; ad perfectionem niſus, debilis omnino efficitur, & plerunque inutilis & uanus. Veſpere itaque & mane & meridie, hoc eſt, omni hora, mea Deo exponam deſideria, narraboq; illi quanta à dæmonum, quanta à peruerſorum hominum dolis & inſidijs patiar, quanta à meipſo, quanta à mundo, quanta à carne, à ſenſibus, à uarijſq; rerum incurſantium formis & imaginibus ſuſtineam. Ipſe uerò, quæ eſt illius bonitas, meas ſubitò audiet querimonias,

Et redimet in pacę animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.

Is finis totius noſtræ pugnæ eſt cum mundo, quies ſcilicet in Deo. Pulchrum admodum illud eſt, quod huic loco à gloſſa aſſuitur. Nos inter malos poſiti oremus cum iſto, plangamus, ſecumq; dicamus: Redimet me in pace, cõtra illos qui non amant pacem, nempe hi de quibus ſic uates: Ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum: quosq; doctiſsimè diuus adumbrat Hieronymus, atq; cum ipſo Auguſtinus: Appropinquant, inquiunt, nomine, nõ nu
B mine: corpore, non mente: numero, non merito: in multisq; mecum ſunt, in baptiſmo, in Euangelio, in feſtis & huiuſmodi, ſed non in paucis, nimirum in fide, ſpe & charitate. Iuſtiſsima hæc eſt, mi lector, ſanctæ huius animæ querela. Vnde uereor interdum, ne quibus una eſt fides, unus cibus, una religio, unaq; uitæ conſuetudo & profeſsio, unum minimè ſit cor & uoluntas. Vereor, inquam, ne in una eademq; ſanctiſsimè à patribus inſtituta repub. in qua ciues unanimem præ ſe ferre debent uitæ rationem, non deſint, qui tam ſanctè ſancitam unionem, ac uiuendi legem, ſuis duntaxat inſeruientes cõmodis, ne dicam uoluptatibus, diſcindant, ac prorſus diruant. Illud porrò ſilentio non prætereundum, ab his qui appropinquant mihi, Hebræis eſſe ſimpliciter, à bello quod mihi eſt. Vnde Paraphraſtes: Reſtituet in pace animam meam, & liberabit eam à præliantibus contra me, quamuis plurimi ſint: ut hinc quoq; intelligamus illud, inter multos erant mecum, ad hoſtium numerũ referri. quare ſic à nonnullis reddi uideo, Quoniam cum multitudine aduerſum me aderant. Non ab re quoq; erit quorundã hîc proferre ſententiam: aiunt enim uatem, cùm immenſum circum ſe conſpiceret delatorum falſorumq; ciuium & numerum & impetum, in diuinam ſe penitus proiciſſe defenſionẽ, proindeq; idem ipſum, quod poſtea uidit Eliſæus in Dothain, conſpexiſſe uiſum. Nam cùm ciuitas illa, ut in quarto Regum libro uidere eſt, à Syriæ rege, ut Eliſæum caperet, obſideretur, conſurgens diluculo miniſter uiri Dei egreſſus eſt, uiditq; exercitũ, & nunciauit ei dicens: Heu, heu, heu, domine mi quid faciemus? at ille reſpondit, Noli timere, plures enim nobiſcũ ſunt, quàm cum illis. Et ecce mons plenus equorum & curruum igneorũ in circuitu Eliſæi. ô fidem, fidem. Hæc fuſius forſan, quàm opus fuerat, à me ſunt dicta, uerùm id, opinor, non abſq; fructu: latè enim patet campus fidei hîc ſimul & Dei bonitatis erga ſuos cõſiderandi copiam. Quid certè ſibi uelit regis Syriæ circum Dothain exercitus, quid Eliſæi uiſio aut fides, quid pueri timor, quid mons, quid currus ignei atq; equi, quid tandem Dauid à Ceilæ uiris, eiuſdem cum ipſo tribus & ſanguinis, proditus, rerum portenderent, hi bene norunt, quibus pura ac facilis,

propter iam longum in diuinis rimandis myſterijs uſum, ineſt mens atque animus. Sordidis enim ingenijs & doloſis, tantum abeſt ut hæc mundiſsima intuenda proponantur, ut etiam propoſita auerſentur. Solus enim hæc nouit Dauid, ſolus Eliſæus, hi, dico, norunt tantummodo, qui in Deo quicquid pœnarum in probis perfidioſisq; Ceilæ ciuibus obuenturum eſt, præuidentes, non fracta aut nutanti aſſerunt fide, quòd

Exaudiet Dominus, & humiliabit illos, qui eſt ante ſecula.

Dominus, inquit, qui perfidorum minis aut dolis nõ mouetur, ut ſolet homo, ſed tranquillus ſedet, immobilisq;, cætera cõmoueri ſinens, æterno perſtat conſilio acmente: illos illos, inquã, tam ſuis, quorum precationes audire conſueuit, infeſtos, arroganteſq; homunciones, humiliabit, deponetq; de ſede, atq; immortali eos tandẽ afficiet ſupplicio. Quæ quidem res, ut ob oculos uerſetur aſsiduè illorum, qui diuinas irriſioni habent plagas, & propter ea quoq; quæ ſequuntur, adiectum eſt Selha. Verùm cõminetur ut libet Deus, pungat, admoneat, percutiat demum, ac uſq; ad emiſsionem illos animæ uerberet,

Non enim eſt illis commutatio, & non timuerunt Deum.

Vltrà non progreditur Hebræis uerſus. Clamat Eſaias de Deo loquens: Adhuc manus eius extenta, & populus non eſt reuerſus ad percutiendum ſe. Duritia ſanè hæc eſt lachrymabilis & miſeranda, cùm è Dei uerberibus uitam nanciſci debeat, mortem quiſpiã nanciſcatur: & unde candorem cõtrahere debuerat, rubiginem contraxit. Quare non immeritò diris illud inſectatur ferrũ uates quidam, quod è lima rubiginem contrahat. Idcirco qui huiuſmodi affecti ſunt duritia, atq; in perpetrandis ſceleribus pertinacia, digniſsimi hi quidem (ut hunc uerſum interpretatur Campenſis) qui pereant. Cauſa uerò redditur: Quia, inquit, ſceleratum uitæ genus nunquam mutabunt. Senſus, ait Auguſtinus, impiorum incommutabilis eſt. Ergó ne tam dura, tamue inflexibilis efficitur interdum anima, ut nunquam reſipiſcat à uia ſua mala? nunquã ſeſe recipiat? nunquam à perfidia, à prauitate, à ſuperbia, ab impietate, ad bonas Dei ſemitas redeat? Semperne in uoluptatum cœno, limoq; auaritiæ, liuoris, odij, ac qua potiſsimum diuina offenditur maieſtas, ambitione ac faſtu, tam nobilis uiuere decreuit natura? Opinor enim uatem in hoc loco tantam animæ oſcitantiã & malitiã conſiderantem, non ſine gemitu & lachrymis in hæc uerba prorupiſſe: Non enim eſt illis commutatio, & non timuerunt Deum. En radix totius prauitatis animæ, Deum non timere. En ſumma rei, cur anima ſub flagellis induratur, cuius hîc alia à ſpiritu manifeſtatur improbitas.

Extendit manum ſuam in retribuendo, contaminauerunt teſtamentum eius: diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius.

Longè ſecus ſe habet litera quę eſt Hebræis, quę ſic eſt: Miſit manum ſuam in pacificos ſuos, maculauit fœdus ſuum. neq; ultrà procedit litera, ſed alium ſtatim incipiunt uerſum, Mollíti ſunt. Vnde uidetur tota illa uerborũ coaceruatio, quã noſter accumulat interpres, à neſcio quo addita. Perſtat enim uates in enarranda induratæ animæ improbitate, duoq; illius deſcribit membra, perfidiam ſcilicet & blanditiem. Perfidiam cùm ait, Miſit manum ſuam in pacificos ſuos: id eſt, in familiares ſuos, in amicos, in eiuſdem profeſsionis uiros impudentiſsimè manum iniecit, fidemq; datam turpiſsimè fœdauit. Vnde huius membri ſenſum ſic exprimit Paraphraſtes: Iniecit manũ uiolentam in eum, cum quo pacem ſimulauerat, amicitię uinculo turpiter rupto. Poſtea de alio ſic: Blandius fecit quiſq; eorum os ſuum lacte, cùm tamen prælium inſtituerent in animo: gratioſiores uiſi ſunt ſermones eorũ quouis unguento, cùm reipſa eſſent gladij. Felix uerò: Molle fuit, inquit, ſupra butyrum os eius, & intimum cordis eius: leniora fuerunt uerba eius ſupra oleum, & ipſi ſunt gladij. Noſter autem:

Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.

Hæc ſanè omnia ponere libuit, ob duo quidem, tum quòd rudis non ignoret lector,

A lector, multum adeò diuerſam eſſe Hebræorũ nonnunquam literam ab hac noſtra iam uulgo accepta, tum ut expreſsius ſimulatorum effigies omnibus palàm fiat, ſubindeq́ illorum mores & ſodalitates æquè uitentur, ac ſolent à nummoſis uitari mercatoribus latrones & piratæ. Is enim perfidioſorum mos eſt, ut ſuos ita ad audientiũ animos attemperent ſermones, blandeq́ effingant, ut nihil minus de illis ſuſpicari queas, quàm quòd perfidiam machinentur. Iurares quidem non uerba, ſed mel ipſum ex ſimulato illorum ore cadere, adeò omnia concinnè, mollè, ſuauiterq́ diſponere callent prudentes, ſi Deo placet, aucupes. Ab aſpero ſanè hoſte, clamoſo & truculento, facilis mihi erit fuga atq́ auerſio: à tecto uero & familiari, cuiusq́ uerba cùm mellita, leniq́ perlita oleo & unguento uideantur, à uenenato tamen proficiſcantur animo & pugnaci, meam decipi ſynceritatẽ, non tantum miror, quantum miſerandam illius ſortem doleo. Et hæc ſecundum ueriorem literam ſuperioris uerſus ſint dicta. Verùm ne noſtra quam quotidie, tanquam debitam diuino cultui, impendimus penſionem, ſuo fraudetur ſenſu, ita erit dicendum, quòd Dei ultio extendit manum ſuam, more ſcilicet percutientis, ſuper perfidos illos, quos ſuprà in infernum deſcenſuros in uita, uaticinatus eſt Dauid, ut illis ſecundum quod meriti ſunt, reddat. Siquidem parum illis uiſum eſt, non immutari quandoq́ in melius, aut Deum ſpreta religione non uereri, niſi & Dei legem, ſanctumq́ fidei & charitatis, rupto pietatis fœdere, contaminaſſent teſtamentum. Heu perditas nimio luxu animas. Vide quid aſſerat: Diuiſi ſunt ab ira uultus eius & appropinquauit cor illius. Vultus eius, Dei ſcilicet. A ſereniſsimo enim Dei uultu, ex cuius contemplatione condita exhilarantur omnia, diuidi & ſeiungi, quæ maior animæ contingere poteſt calamitas? ab irato uerò acerbiſsimis expelli uerbis & minis (ut illa ſanè erunt, horroris pleniſsima: Ite maledicti in ignem æternum) tumetipſe qui legis, iudica, & time: nam appropinquauit cor illius. Tunc nimirum cor Dei, nempe uoluntas, ut in-
B quit Auguſtinus, quæ occulta nunc eſt, reuelabitur, innoteſcetq́ omnibus. Siquidem qui à dextris, quiq́ à ſiniſtris, à ſupremo collocandi ſint iudice, occultũ omnino nunc eſt: tunc uerò manifeſtum, ac, uti ſolent res proximè admotæ, notum. Tu interim, ſi ſapis,

Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iuſto.

Hìc ſe ipſe, atq́ adeò omnes qui eodem cum ipſo ducuntur ſpiritu, alloquitur uates. Iacta ſuper dominum curam tuam: hoc eſt, omni alia abiecta cura, uel ea maximè, qua, quoniam nefarij diu nimium innocentiam diuexare uidentur, etiam ſanctiſsimi ſolent angi homines, tuum negocium curandum, tuam indigentiam, tuam omnem animi ſolicitudinem Deo cõmitte. Quid tu æquè de his doles, quæ abſurda, ut tibi uidentur, fiunt in mundo, ac ſi diuinæ uelis legem præſcribere prouidentiæ? Quicquid enim in te improbi moliuntur, tua eſt ad perfectionem exercitatio. Gaude igitur, exultaq́ in domino, ſimul ut minimè, qui te quotidie eruditiorem faciunt, non deſunt doctores. Ipſe quidem eſt, non tu, tuaq́ nimia illa animi cura & anxietas, quæ te nutriet, aletq́ ad illud proculdubio uitæ genus, quod abſque curis, amariſq́ ob improborum calumnias ſolicitudinibus, in cœlis tranſigitur: interim uerò ne dubita, non dabit in æternum fluctuationem iuſto. Non ſinet profectò proborum uitam diutius in alto iactari, etſi ad tempus id uelle uideatur. In hoc quippe mari magno & ſpumoſo, atq́ propter uentorum ſæuitiam tumido ac fracto, in quo placidis perpetuò frui eteſijs ſcelerati apparent homines, cùm tuæ ſit nauis rector Deus, idemq́ & aura & portus, quid tibi periculi eſt? Tanùtm tu ô qui in procelloſo mundi huius iactaris pelago, fidiſsima à Cynoſura tuos, ſi ſapis, oculos neutiquam auertens, illud ingeminare ne pigrere: Domine ſalua nos, perimus, ſuccurre, ſubueni. Etſi enim horrendum, in quo uerſamur, extimeſcimus naufragium, ea tamen uiuimus in te fide, quòd non dabis in æternum fluctuationem iuſto quodq́

C eos qui tranquillas laci Geneſareth perturbant undas,

Deduces in puteum interitus.

Id eſt enim quod ſuperius dixit, quòd deſcendent in infernũ uiuentes. Illi, inquit, qui bonos affligunt, amiſſo ueri itineris lumine, in æternã, poſt breuẽ hunc fortunæ plauſum, detrudent noctem: & (quod illis horrorem incutere deberet)

Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.

Cùm enim fæx iſta mundi, ſanguinarij ſcilicet homines & fraudulenti, longam ſibi polliceantur annorum ſeriem, non perueniẽt nihilominus, æquiſſimo Dei conſilio, ad dimidium uitę. A diuino ſiquidem intercepti iudicio, in media ipſa ſecundarum rerum felicitate ac lautitia, ab humanis, cùm nihil minus cogitabunt, extrahentur. Nunquam ſanè uir nimium in hiſce mundi curis occupatus, aut crudeli fraudulentoq; animo affectus, ſuam incepiſſe uitam apparet: ita enim uiuit, ac ſi ſemper eſſet uicturus. Imparatus quidem cùm ſemper ſit, nullum mortis genus contingere poteſt, quod peracerbum illi non uideatur, nouum & immaturum. Longè uerò ſecus ſe habet proborum uita: hi enim quocunq; tempore aut loco emigrandum fuerit, læti è corpore, tanquam è tetro exiliunt carcere, perindeq; uiuunt, ac ſi omni hora moriendum illis eſſet. Siue igitur in prima, ſiue in ſecunda, ſiue in extrema quoq; uenerit uigilia Dominus, tanquam ſuum omne uixerint æuum, tametſi iuuenes, parato demigrant animo, nihil interim de uita aut morte ſolliciti, ſiue cras, ſiue poſt integrum ſeculum illorum futurus ſit finis. Id ſolida fide in Deum, qui uera eſt uita, etiam in hac errorum ualle degentes perſuaſiſſimũ habent, quòd ſi iuſtus à morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Improbis uerò nullum conſtitui poteſt uitæ medium, cùm nunquam uiuere cœperint. Eſt & alius pius ſenſus, ut inter homines inueniantur, qui cùm ſpiritu incipiant, in carnem deſinant: horum ſanè ſtatui poteſt uitæ medium, ſed in-

D felix illud quidem & calamitoſum. Alij rurſum malo ſuæ ætatis curſum incipientes exordio, actutum uiſa luce reſiliunt, incœptosq; turpiter dies, ut uerbo utar uulgari, dimidiant, deq; infelici principio ad amœnum, eundemq; beatum demigrant uitæ exitum. Alij item cùm malè cœperint, malum etiam in prauitate perdurantes ſortiuntur finem. Hos dicit uates, ſuos nunquam dies dimidiatos habere. In Aegypto enim nati, aliti atq; uſq; ad decrepitos enutriti annos, in Aegypto quoq; miſerrimam oppetunt mortem, nec aliquando ſolitudinem, quò promiſſionis terrã adipiſcantur, adeunt. Etenim in huiuſmodi uitæ ſtatu, periculoſo nimirũ & metuendo, cùm unuſquiſq; ex reprobis cõnumerari poſsit, illi in primis id ſibi uindicant nomen, qui à uate particulariter ſanguinarij, crudeles, atq; abſq; miſericordia, doloſi, perfidi, mendaces, ſimulatores, fraudulenti, & qui probitatẽ uenalem habent ac fidem, nuncupantur. Vtcunq; hi ſuam inſtituant uitam,

Ego autem ſperabo in tę Domine.

Cui laus ſit in ſecula. Amen.

PSAL. LVI. Vincenti. Super columbam mutã, inter longinquos Dauid inſigne, dum caperent ipſum Philiſtæi in Geth.



Iſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit mę.

Nota eſt hiſtoria in primo Regum libro, quando Dauid captus à ſeruis regis Geth, ſimulauit ſe furere: & nos nonnulla in titulo pſalmi trigeſimiquarti diximus. Tunc enim illum iam à periculo liber compoſuit, hunc uerò inſtante periculo. Columbam autem ſe mutam fuiſſe inter longinquos, nempe à Deo alienos, ut erant Philiſtæi, fatetur: nam in tanto uitæ diſcrimine non modò ſe mutum finxit, ſed planè ſtolidum & furentem. Quæ quidem amentia, ac mentitus furor, occultiſſimo illi rerum myſterio inſigne quoddam fuit regiũ, & decus. Hac in re, ut penè in cæteris, typum præ ſe tulit Chriſti, qui alio in pſalmo de ſe dicit: Ego tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Quid? nónne furens aliquando à ſuis eſt habitus ipſe Ieſus? En igitur uerus Dauid, amabilis nimirum & decorus, à populo obſcuro & obuoluto (ſic Philiſtæos

A liſtæos interpretantur) captus, maleq; habitus, quaſi ales innocua ſilet, inſtarq; inſani in parietem illum, qui inter Deum & hominem, tanquam inimicitiarum teſtis poſitus erat, impingens furensq;, atq; excors ab impietatis atrio reputatus, eiectus illuſusq;, ac multifariam conuitijs affectus, tandem uniuerſorũ rex euaſit: ut planè aſſerere poſsimus, amentiam iſtiuſmodi & deriſionem, neceſſariam omnino eſſe ad inſigne illud regium aſſequendũ, quo hi donantur, qui cum Chriſto improperijs magis delectantur, quàm uulgi fauore & plauſu. In hoc itaq; pſalmo Chriſtus eſt, ſeu eius Eccleſia, quæ puriſsimo columbæ nomine in Canticis dignata amatorijs, ſuam æterno patri exponit indigentiam. Et ſic à miſeriæ uoce ſuam auſpicatur precationem: Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me. Petulantem enim ſui hoſtis libidinem & ſæuitiã, cuius iniurias inter cætera preſsius conſiderabat uates, in uerbo illo, conculcauit, oſtendit: quem quidem cùm neq; manſuetudine, neq; patientia, neq; ipſa quoq; placare poſſet innocentia, ad diuinam confugit miſericordiam. Quis, oro, hoſtis tam dirus, ex illis præcipuè, qui Dei populum continuo bellorũ motu impetere conſueuerat, uiſa Dauidis lenitate & manſuetudine, non iratum depoſuiſſet animũ? Saul tamen, hoc eſt, eiuſdem gentis homo, eiuſdemq; religionis & cultus, durior ſemper uiſus eſt, ac minus placabilis: ut nonnullos etiam in Dei Eccleſia uidere dolemus, quibus cum ſi quid tecũ controuerſiarũ interceſſerit, næ tu potius Getham aliquẽ aut Pœnum, aut alium quemuis intractabilem eligas hoſtem, qui cum tua dirimenda ſit lis, quàm talem Chriſtianum. Putás ne manſuetiſsimũ dominum ab hac etiam acerbiſsima omnium iniuria uixiſſe immunem? Multa, inquit, bona opera operatus ſum in uobis, propter quod uultis me occidere? Ad hunc igitur, qui perfectiſsimæ fuit in terris exemplum lenitatis & patientiæ, noſtris in periculis confugiendum eſt, clamandumq;: Miſerere mei Deus, ne mea me obruat miſeria. En iſte, unius ſcilicet horæ homo, le-
B uiſsimus omnium & arrogantiſsimus, me conculcat, affligit, perſequitur, totaq; die me impugnans, eò me penè adduxit, ut uix reſpirare mihi liceat. Et ſic, nimirum ad eius exemplum, cæteri

Conculcauerunt mę inimici mei tota dię, quoniam multi bellantes aduerſum mę.

Id eſt ferè moris in uili uulgo & plebe, ut ſi quem fortè uiderint, etiam immeritò, à ſuo affligi principe, & malè haberi, hi ſubitò, ne non ſimiles ſuo domino uideantur, turbas in miſerum illum nouas cõmoueant, uiq; iniecta legibus & probitati, quicquid in buccam uenerit, effutiant. Cenſés ne uiliſsimũ ludæorum uulgus adeò immaniter in Chriſtum inſanire auſum fuiſſe, ſi miti in illum & leni extitiſſent animo uiri ſynagogæ primarij? Quid non audet temerarium uulgus, modò ſciat ſe ſuis gratificari poſſe patribus? Tunc ſanè heluo, paraſitus, adulator, delatorq; & alij iſtiuſmodi inquinamenti homines triumphant. Conculcauerunt me, clamat innocentia, inimici mei, prorſusq;, contempto Deo, attriuerunt. Illud notandum, principiũ uerſus ſequentis, Ab altitudine ſcilicet, tum Hebræis, tum Græcis, finem eſſe præcedentis, ad hunc modum, ut uertit Fel. Quoniam multi bellantes aduerſum me excelſe. quam quidem dictionem alij interpretantur, ô excelſe, uel, ô altiſsime, ut Paraphraſtes: alij, ſuperbe: alij quoq;, ab excelſo: quò oſtendat uates, inimicos ſuos longè ſuperiores extitiſſe, ſe aũt ſubiacuiſſe. & ſic alium ordiuntur uerſum: Per diem timebo, ego in te ſperabo. quem ſic reddit Paraphraſtes: Quocunq; tempore timor inuaſerit me, ego ad te confugiam. Ego, inquam, cæteris omiſsis auxilijs, quæ natura imbecillia ſunt & infida, ad te unum, uerumq; miſerorum perfugium accedam. Noſter autem interpres ita uerſum integrum tranſtulit:

Ab altitudine diei timebo, ego verò in te ſperabo.

Et eſt, ac ſi aſſerat, ut inquit Auguſtinus: Alti ſunt & tumidi, qui me conculcant, uerùm id in die, non diu. Siquidem temporarij illorum impetus ſunt, & uaniores quidem, quàm ſint ampullarum luſus: attamen quia inextinguibilem pr̃

C ſe ferunt flammam atq; incendium, idcirco ab imbecillioribus timentur animis, & meticuloſis. Qui licet ſtabilem noſtram erga Deum fidem ac pacem, quamuis obnixè contendant, euertere nequaquam ualidi ſint, concutiunt nihilominus, & interturbant. Vtcunq; tamen inſaniant, in te ſperabo. Qua proinde ſpe, tanquam æneo munitus clypeo,

In Deo laudabo ſermones meos, in Deo ſperaui: non timebo, quid faciat mihi caro.

In Deo laudabo uerbum eius, uertit Fel. ſed in idem recidit. Siquidem probi uiri ſermo, Dei ſermo eſt. Nec aliud quidem ille longo aſſuetus uſui, quemadmodum cogitare, ita eloqui & uult & poteſt, quin totum diuinũ ſit, ac Dei propriũ. Nihil enim gratius puræ animę contingere poteſt, quàm cùm illi diuinũ promulgandi uerbũ, celebrandiq; Dei nomen, ac tum uita, tum doctrina, ſanctiſq; lucubrationibus, caſtiſſimũ illius dilatandi cultũ, offert occaſio. Sua itaq; omnis cùm ſit intentio & ſtudiũ, ut Dei uerbum, è quo perfectio animarũ, amor ſcilicet, amatiq; cognitio, ac fides, aureis quibuſdam deriuantur cuniculis, latè omnibus innoteſcat, idq; ſe tandem aſſecuturã ſperet, cur carnem, mortaliũ uidelicet minas aut terrores multi facere debeat, non uideo. Timeant ſanè carnem, qui carni, tanquã dominæ, obtemperãt. Timeant homines, qui plus homines quàm Deũ & amãt, & metuunt: ego, inquit uates, ſimulac Dei ſermones, quæ ſunt eius mihi factæ pollicitationes, quibus maximè meis in ærumnis innitor, laudibus efferre, atq; in ipſis, quoquo modo inſaniat mundus, ſperare decreui, nõ uerebor quid in me minarum, ſeditionumq; moliantur homines carni obnoxij & mundo. Hi enim

Tota die uerba mea execrabantur, aduerſum me omnes cogitationes eorum in malum.

Perpende, te oro, humaniſsime lector, quàm graphicè doloſorum hîc hominum, innocuiſq; inſidiantium mores effingat uates, imò Chriſtus ipſe, qui cum Deo ſuam expoſtulans ſortem, pro me miſerrimo ſibi aſcitam, ita hoſtium ſuo-
D rum (qui probitatis cupidos odio & contumelijs inſectantur, hi Dei hoſtes illicò efficiuntur) perfidiam detegit atq; aſtutiã. Quicquid, inquit, inſtituo, quicquid cogito, quicquid aut loquor, aut operor, id totum uafri homines & aſtuti calumniantur, partemq; in deteriorẽ accipiunt, atq; ad inuidiã pertrahunt. Quid hîc dicam? omnes eorum cogitationes & conſilia, in meum tanquam uenenata ſpicula intorquent exitium. Quotidie quidem uerba mea, etſi uitæ uerba eſſent, à Deoq; profecta, execrabantur, diriſq; impetebant ac calumnijs. Ad hæc,

Inhabitabunt, & abſcondent: ipſi calcaneum meum obſeruabunt, ſicut ſuſtinuerunt animam meam.

Clarius Felix: Congregabuntur, abſcondentur: ipſi ueſtigia mea obſeruabũt, cùm expectauerunt animam meam. Hucuſq; Hebræis uerſus eſt. Ecce perfidioſorum mos & inſtitutum: formatis enim ſuis illis turpiſsimis in mente ideis, formisq; peruerſitatum, conueniunt tandem, in unumq; conſpirant, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Quæcunq; enim agit uir ſanctus, aut loquitur, quocunq; ſuum habet iter, ſeu ſedeat, ſeu legat, ſeu etiam dormiat, aut alijs naturæ indigentijs, ut ſanctos decet, pareat, ea omnia callidi illi aucupes obſeruãt, ad ſuamq; inflectunt nequitiã: & id ſanè totum, quò innocentiſsimorũ hominum & famam & dignitatem, & nomen & uitam demum traducant, & extinguant. Hucuſq;, ut dixi, Hebræis eſt uerſus. Vnde ſic redditur à Paraphraſte: Conſpirabant & inſidiabantur ipſi, & ueſtigia mea obſeruabant, ſtudioſe hoc agentes, ut capiant animam meam. Ex qua quidem Paraphraſtæ lectione duo aduerti poſſunt: tum uerſum copioſiorẽ eſſe Hebræis, tum non calcaneũ, ſed ueſtigia ab illis legi. Quanquam calcanei dictio nonnihil uerò ſenſui inſeruire uidetur, quò apertius malitioſorum hominum doli, occultæq; patefiant inſidiæ. Nihil profectò apertè, nihil ingenuè agunt proditores, ſed omnia uerſutè, obſcurè, uafrè, ſubdolè, ut de calcaneo alias diximus. Verùm tu, ô Deus,

Pro nihilo ſaluos facies illos? in ira populos confringes.

Quòd

A Quòd hunc uersum per interrogationem legi debere opiner, facit interpretatio Paraphrastæ, qui sic reddit: Erit ne hæc iniquitas impunita illis? Sensus igitur: hæc ne illorum peruersitas tam parui à te æstimabitur, ut pro nihilo illam duc as? idcirco nullam de illis exigas pœnam? minimè id omnium, mi Deus: nam eiusmodi uiuo fide, quòd illos non sines inultos, sed potius illorum acerrimè, uti solent irati, scelera uindicabis, eosq; quamuis ingentes penè populos numero æquent, deprimes, prosternesq;, atq; temerarios illorũ ausus perfringes. Verùm cæteri Hebræorũ interpretes absq; interrogatione sic uersum reddunt: Propter iniquitatem liberatio illis, in ira populos deijce Deus: hoc est (utriusq; literæ sensum ponere non sum ueritus, quò unicuiq; suum integrum sit iudicium, eum quẽ uoluerit sequi) sua illi prauitate se tutos fore arbitrati sunt. Nam me expulso, è medioq; sublato, suis se rebus tutè consuluisse, dominiumq; perpetuò stabilisse uisi sunt, gaudentq; se propterea præmium non uile assecuturos (sic de præmio interpretatur Fel. ne me mea somnia enarrare suspiceris) uerum tu Deus æterne, culparum eiusmodi flagitiosarũ uindex, deijce illos, extermina, &, utut numerosi sint, præcipita & confringe. Ego autem, ô

Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, sicut & in promissione tua.

Hactenus legunt uersum Hebræi & Græci. Cùm uideo, mi lector, confusa adeò in distinguendis uersibus interpuncta & interciſiones, cogor interdum suspicari non ab ipso id factum esse interprete, sed à pio nescio quo templorum ministro, quò psalmorum cantus aptius desineret. Is enim, quisquis ille fuit, usus est psallentium choris literam quamuis ineptam accõmodare maluisse, quàm uerum sensum & spiritum. Illud etiam non omittendum, dictionem Deus, quã nos legimus in principio uersus, Hebræis esse præcedentis finẽ, ut suprà retulimus.

B Et quod noster uertit interpres, Vitam meam annunciaui tibi: Hebræi habent, Fugam meam, seu discursus meos numerasti tu. Rursus illud, in conspectu tuo, sicut in promissione tua: illi legunt, In utre tuo, utiq; in commentario tuo: seu, ut reddit Campensis, in libro rationum tuarum scribe eas, nempe lachrymas. Quare nihil aliud hîc uelle uatem auguror, quàm suam continuã & uagam deflere fugam, exilium, atq;, ut uertit Felix, uagationem: nam, ut in Regum gestis legitur, nusquam illi tutus erat locus. A patria quippe eiectus, à Philistæis penè occisus, à Ceilitis, Ziphæisq; proditus, à filio, à domesticis, ab ipsisq; arctissima illi coniunctis necessitudine traductus, quo iam terrarum angulo sese occluderet tantus uir? Quare non ualde admirandum, si alio in psalmo sic suam exponit miseriam. Fuerunt mihi, inquit, lachrymæ meæ, panes die ac nocte. heu cibum certè innocentissimo uiro minimè debitum. Hîc uerò quid? Posuisti, inquit, seu, quod magis placet, Pone lachrymas meas in conspectu tuo, illas cõsidera, illas tuo sanctissimo clementię absterge sudario, sicut in promissione tua, sicut, inquam, tuis in promissionibus est scriptum, atq;, si lubet, illas in utre tuo, nempe repositorio, quo res solent chariores collocari, colloca: & hæc nimirũ omnia, lachrymas, gemitus, uagosq; discursus, ac iam fastidita suspiria, cũ his quæ à perditissimis istis proditoribus perfero, tuis in commentarijs, ne unquam in obliuionẽ deueniant, repone. Vide quàm certũ de suis hîc gestis protulerit uaticinium Dauid. Etenim cùm hæc quotidie beatissimi huius uatis acta ab Ecclesia recensentur, recentioriq; semper studio populis enarrantur, nonne tibi æterna illa esse, perindeq; indies magis noua, ac si in Dei rationario scripta essent, uidentur? Sic sunt sanè sanctorum omnium gesta, cùm interim perit memoria impiorũ cum sonitu. Ergo, inquit, habita afflictionum mearum ratione à te, ô Deus,

Conuertentur inimici mei retrorsum.

Terga dabunt, confusiq;, re prorsus infecta, malum in omen facessent. Multis quippe præteritarum rerum mearum exemplis, atq; experientia perdidici, quòd

In quacunq; die inuocauero te,

C Tuumq; implorauero auxiliũ, quæ meis à tuo edoctus ſpiritu imprecatus ſum hoſtibus, euenient, mihiq; parces. Ecce,

Ecce, inquam, cognoui quòd Deus meus es.

Tu tu, non alius, es qui res meas optima curas fide, quiq; tum, cùm maximè opus eſt, cumq; maior perurget miſeria & calamitas (contra nimirum hominũ morem, qui amicitiã tum quidem colere ſoliti ſunt, cùm fortunata uidetur, cùm uerò miſera, deſtituunt) & ſubuenis, & miſerum à miſeria ualidiſsimè ſubleuas. Quare ne ingratus uidear,

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermonem: in Deo ſperaui, non timebo, quid faciat mihi homo.

Verbum ſeu ſermonem, aliàs diximus, rem in ſcripturis, ut etiam hîc notat Felix, ſignificare: opus item factum, negocium. quare is erit ſenſus, ut diuinè exprimit Paraphraſtes, qui ſic reddit: Fretus benignitate Dei, boni conſulam quicquid accidat mihi. Fretus, inquã, benignitate Domini, æquo animo feram quicquid eueniet mihi. Non te moretur, quòd modò Deum, modò Dominũ, ſuum appellat fautorẽ uates: nam ipſe eſt Dominus, & Deus noſter, nos autem populus eius. quanquam dictio illa, quam noſter ferè ſemper uertit interpres, Dominus, neſcio quid altius ſonet Hebræis, quàm ſit ſimpliciter dominus. Cæterùm quæ hîc à nonnullis de uerbo illo æterno, in patris mente, quod in Deo ipſo, & ipſum Deum laudari oporteat, dicuntur, & quo modo expreſſa ſit in hoc uerſu, in Deo ſcilicet, in domino, in uerbo, effigies trinitatis, non eſt cur modò ſimplici huic noſtræ attexamus explanationi: aliud ſanè agimus. Hi tamen quibus otium eſt & ſpiritus, alta hæc & ſublimia, ſenſu prius literæ non ignorato, formare utcunque animo poterunt. Quò non interdum ſublimitatis is eleuatur animus, qui nulla alia re curaq; detentus, præterquã Dei, à quo perfectũ iam hauD ſit nitorem, uim illam diuinam adeptus eſt, qua facilè ad cœleſtia intelligenda, plerunq; etiam cùm non aduertit, rapitur? Is certè cum uate noſtro audacter, ob iam conciliatam cum Deo amicitiam, illud de ſe eloqui poterit: In Deo laudabo uerbum. Quicquid, inquit, mihi (molle ne illud ſit, an aſperũ, nihil moror) contigerit, de illo ſanè, tanquã de re à diuina porrecta manu, gloriabor, Deumq; ipſum laudabo, celebraboq; illius nomen in perpetuum, tantum abeſt ut, quemadmodum in fide incõſtantes ſolent, de iniurijs mihi à calumniatoribus illatis querar. Summæ quippe fidei indiciũ eſt, cùm eandem omnino repetit eiſdem penè uerbis ſententiam: Sperabo, inquit, in Deo, quem ſolum amo, quem colo, quem in delicijs habeo: & ſic non timebo quid faciat mihi homo quãuis ſceleſtus, quid in meam machinetur uitam ac nomen proditor, quid palpo, quid delator, quid callidus ille ueterator, quid tota hæc demum Philiſtæorum manus. Nanq;

In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.

Solenne ac præcipuũ ex his quæ fiunt Deo uota, illud eſt, feruens ſcilicet laudandi eius nominis ſtudiũ, de quo nõnulla ſuprà in alijs pſalmis, à nobis ſunt dicta. Et ne diutius in perueſtiganda hîc uotorum huiuſmodi ratione te torqueas, prudentiſsimè à uate eſt additũ, Reddam laudationes tibi: ut ſubſequens hemiſtichiũ, prioris ſit interpretatio. Atqui uota ea quæ corporeis uidentur oculis, ut pote quæ ab exteriori Eccleſiæ procedunt ritu ac cæremonia, tum ſponſo grata ſunt, ſi illius in primis quæratur honor & cultus, qui in mentium unitate ac fide maximè poſitus eſt. Nam ueram illam eſſe numinis laudẽ, uerumq; cultum, uotũ atq; religionem ducimus, quæ cùm in mundis, beneq; excoctis ſita ſit animis, ad externos quoq;, uti è uaporario ſolet calor, ſeſe effundit mores ac ritus, qui interioris flammæ teſtes ſunt & lucis. Quare ut prudenter, ita ueriſsimè à uate eſt dictum: in me ſunt Deus uota tua, nempe laudes, quæ reddam tibi. Eſt etiam illud pulcherrimũ à quodam dictum, Non extrà quæro, inquit, quid offeram: de aracordis, de macello, de cellario conſcientiæ exit totum, quod in charitate accendendum eſt, Reddam igitur, inquit uates, quæcunq; tibi pollicitus ſum.

Quo-

A *Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, vt placeam coram Deo in lumine viuentium.*

In lumine uitæ, uertit Felix. Rursum illud, Vt placeam coram Deo, diui Hieronymi translatio habet: Vt ambulem, seu ut uersér coram Deo. Idem Felix, idē cæteri ex Hebræo. Cuius sensum sic exprimit Paraphrastes: Vt possim ambulare coram te, mi Deus, illustratus lumine quo solent qui uiuunt perpetuò. Gratissimi hæc est animi testificatio, qua se uates, perfectissimi pœnitentis typus, altissimo deuouet Deo. Hi sunt porrò effectus, hi nostrarum lachrymarum exitus & gemituum, qui è corde ualde consternato prodire soliti sunt, nempe integra à morte animæ ereptio, tum eiusdem ereptionis spes solida, certitudo ac fides. Quod quidem infelicissimum mortis genus, cùm ab effrænatis hominis affectibus atque appetentijs, qui sunt pedes animæ, oriri soleat, idcirco suam ab huiusmodi pedum lapsibus liberationem ingenuè fatetur uates. Ex qua sanè, hoc est, è nostris nobis condonatis à Deo reatibus, reconciliataq; conscientia, ac recto nostris in uisceribus innouato spiritu, atq; erogata cœlitus gratiarum abundantia & suauitate, subita quædam exoritur in anima lux, quę Christus est: quo præuio & duce, facilè salebrosas uitę huius semitas, iterq; caliginosum & obscurum, illæsi transcurrimus. Iam illud postremò notandum, oculos meos à lachrymis, in codicibus Hebræis non inueniri: uerùm non impedit sensum, imò adiuuat: ut sicut uerbis illis superius positis, Ipsi calcaneum meum obseruabunt, hæc opponuntur, Pedes meos eripuisti, scilicet à lapsu: ita illis, Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo, ista, Oculos meos à lachrymis, uidelicet liberasti, pacata iam conscientia, ac libera à iudicij terrore & pœnarum, ob condonatam peccatis meis ueniam, infusumq; in me spiritum: quo attestante, lumenq; mihi in tenebroso uitæ huius labyrintho præmonstrante, certior fio me Dei esse filium, qui lux
B est, ac mirabiliter lucens lampas ac fax, in lumine uiuentiū. Cui honos sit & laus in secula. Amen.

PSAL. LVII. Vincenti. Ne dissipes Dauid insigne, dum fugeret ipse à conspectu Saulis in speluncam.

Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.

Cùm semel Saul, & uiri eius, ut in primo Regū libro legitur, in mo dum coronæ cinxissent Dauid, in deserto Maon, ut caperēt eum (iam Dauid desperabat se posse euadere) uenit nuncius qui nunciauit Saul Philistęos in regnū irrupisse: quo nūcio exterritus rex, omisso Dauid, exercitū in Philistæos direxit. Dauid tamen cōsiderans se minimè tutū fore in Maon, ascendit ibi, ut refert historia, & habitauit in locis tutissimis Engaddi. Porrò repressis fugatisq; Philistæis, Saul iterum habito totius exercitus delectu, nouam incepit persecutionem. Et perrexit, inquit, ad inuestigandum Dauid etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruiæ sunt. Verùm in ipso itinere, Saule in mensam quandam speluncam, quò uentrem purgaret ingresso (scribunt cosmographi, in regione illa ingentes adeò specus inueniri, ut sint qui quatuor millia hominum capiant) in cuius interiori recessu Dauid cum suis (sexcenti hi erant) latitabat, contigit ut ipse Dauid, refracto prius impetu militum, qui Saul occidere decreuerant, proprius accederet, & sic clàm oram præcidens chlamidis regis ad suos reuerteretur. Postea uerò è specu egressus Saul, pergebat cœpto itinere, sed uiso Dauide, perceptoq; periculo in quo fuerat, non modò à uiri iusti destitit persequutione, uerumetiam percusso cum illo fœdere domum rediit. Verùm Dauid in ipso belli tumultu & fuga, hanc in Deum fiduciæ plenā composuit odam, dixitq;: Miserere mei Deus, quoniam in te confidit anima mea. Quòd certè Dauid tam infesto pepercerit inimico, cùm eum occidere potuisset, tum primū Euangelij imaginem expressius quàm antea forsan adumbrare uisus est. Quis enim (inquit Saul) cùm inuenerit inimicū suū, dimittet eum in uia bona? Perfectissimi sanè illud fuit animi indiciū. Quotus enim quisq; est, uel ex his qui Ecclesiæ

C ſpeciali ſeruiunt cultu & religione, qui uirum illum, nempe in tenebris antiquæ legis adhuc uerſantẽ, in huiuſmodi uitæ actu ſe æquaſſe dicat? Si dicit, unde obſecro, inextinguibiles in rebuſpub. in templis, in ipſiſsimis Eccleſię adytis, diſcordiæ, rixæ, diſsidia, homicidia tandem illa quæ tum ferro, tum odio crudeliſsimè perpetrantur? Sed mihi hîc tempero, & ad pſalmi interpretationem, prius explanato, ut res ambiguæ explanari queunt, titulo, me uerto. Cenſent nonnulli uerbum, Ne diſsipes, ſeu, Ne perdas aut corrumpas, ideo hîc poni, quòd Dauid, uiſa occaſione, promptoq; animo ſuorum interficiendi Saulem, ſeſe continuit, dixitq; : Propitius ſit mihi dominus, ne faciam hanc rem. Et eſt fermè idem, cùm nõ multò pòſt fidiſsimũ comitẽ Abiſai, qui Saulem ipſum dormientem obtruncare ſtatuerat, obiurgauit, inquiens: Ne perdas eum, ſeu, ut noſtra habet æditio, Ne interficias eum. Inſigne porrò uocat Saul, ob dignitatem regiam, quem etiã Dauid ipſe ex more Chriſtũ domini appellare conſueuerat. Alij uerò putant inſtium fuiſſe carminis, ad cuius numerum & menſurã, tum is tum cæteri eiuſmodi compoſiti erant pſalmi. Alij rurſus, Ne diſsipes, ad Deum referunt, & mixtã dictionẽ, quam cæteri inſigne interpretantur, mitem ſeu ſimplicem uertunt, titulũ Hieronymi citantes, qui ſic habet: Pro uictoria, ut non diſperdas Dauid humilẽ & ſimplicẽ, quando fugit à facie Saul in ſpeluncã. Horũ omniũ de titulo ambiguo & obſcuro, opiniones idcirco ponere libuit, quo unuſquiſq; quod ſuo magis cõducere guſtui duxerit, id arripiat. Tantũ id cupit ſpiritus, ut mens natura ignea, his imis modicè delibatis, ad ſublimiora perueſtiganda toto feratur niſu. Omiſſo igiť pauliſper uate, modò fuga, modò latibulo tuto aliquo ſalutí ſuæ conſulente, dicamus Seruatorẽ hîc noſtrũ, noſtrã cõmendare Deo patri miſeriam: quæ ut acerbior appareat (quî nõ eam acerbiſsimã dicã?) bis uerbũ idem, nempe miſerere, replicat. Miſerere mei, inquit, miſerere mei, ſubindeq; cauſam, cur diuina flecti debeat ſeueritas, reddit, cùm ait: Quoniã confidit in te anima mea. Ea e-
D nim prædita ui eſt fiducia, ut nõ ſolùm ad noſtris opitulandum malis, Deũ moueat, ſed etiã cogat omnino, & ad nobis obſequendum obliget. Mirũ quàm lautè gaudeat anima in anguſtijs & oppreſsionibus, ſpe fulta ſolida in Deum. Proinde nihil tam arctè ferè à nobis diuina requirit maieſtas, quàm ut aperta fiducia minimeq; nutante & debili perſuaſione, ad ſe noſtris in ærumnis confugiamus: hoc eſt, noſtrũ omnino totum uult cor, quo habito, totũ & noſtrũ habet amorem, noſtrã fidem, noſtra deſideria, noſtros affectus. Hæc eſt lex fidei, ad quã obſeruandam, quotquot ſacra intingimur unda, uel ingratis tenemur.

Et in ϒmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.

De alarum tutela iam aliàs diximus, ſolicitam præ ſe ferre ac tutam protectionem. Vidiſtí ne unquam pullos gallinaceos è corbe gallinaria, ubi continua filiorum cura ægrotat mater, exijſſe, atq; in aprica laſciuiſſe area? Quid ſi à rotatu illo in aëre tardo, uafro tamen ac doloſo miluí, aut rapido accipitris uolatu deterrentur? ad corbem ſubitò, natura id commonſtrante, ad matrem, ad ſolitas recurrunt alas. Quid tum mater? expanſis actutum alis, ingemiſcensq; interim cum filijs, atq; eis & uoce & pluma adblandiens, tandiu timidis incubat, quoad eius, à domeſticis domus, clamore effugetur prædo. Ita nimirum ſuos erga electos ſe habet diuina bonitas, qui, cùm deſit qui pungat ſtimulus, aut metum ingerat miluus, in uitæ luxum facilè prolabuntur: ueruntamen admoniti & puncti, eò prudentiſsimè remigrant, unde imprudentiſsimè, forſanq; ſtolidè emigrarunt. Putas ne tum Deus comprimat, an potius expandat ſuæ protectionis alas? Id ſanè agit in præſentia Deus, agetq; in poſterum, donec tranſeat iniquitas, tranſeat accipiter, tranſeat miluus, rapaxq; orationum clamore expellatur uultur. Quod quidẽ in cruce egit amantiſsimus noſtri Chriſtus: nam longos poſt mortalium queſtus, poſt gemitus, poſt lachrymas, poſt clamorem illum miſerandũ, quo omnes paſsim uociferabantur, Miſerere noſtri domine, miſerere noſtri, ille reiectis à manibus inſtitis, excuſsisq; funibus, quibus à proprio conſtrictus fuerat populo, nodoſum crucis aſcendit ſtipitem: è qua ſanè diuina illa amoris pleniſ-

A pleniſsima non modò aperuit brachia, uerumetiam illa ipſa clauis, trabalibus ilis quidem & firmis, configi uoluit, ut firmam, immutabilemq; ſuam erga nos fore oſtenderet & charitatem & miſericordiam. Ergo

Clamabo ad Deum altiſsimum, Deum qui benefecit mihi.

Ad Deum perficientem ſuper me, habet Hebræus: id eſt, clamabo ad Deum altiſsimum, Deum, inquam, expedientem, atq; ad optatũ finem, quicquid orauero, perducentem. Vnde Paraphraſtes: Implorabo auxilium Dei altiſsimi, Dei illius, qui perficiet quæ cœpit in me. Quòd ſi etiam exponenda eſt noſtræ editionis litera, dicendum erit, uerba hæc ſummæ eſſe fidei, qua anima præteriti haud immemor beneficij, ſperat ſuis idem in afflictionibus aſſecuturam. Benefecit, inquit, olim à me rogatus, benefaciet quoq;, ſpero, in poſterum. Ego autem ſciebã (inquit Chriſtus ad patrem) quòd ſemper me audis. Vnde

Miſit de cœlo, & liberauit me, dedit in opprobrium conculcantes me.

Res profectò ſimillima uidetur eſſe miraculo, ſi cui in calamitate aliqua miſerè attrito, ſubita è cœlo effulgeat lux, de improuiſoq; diuinũ appareat ſubſidiũ. Quid tam mirandum in rerum natura, hominẽ ſcilicet uidere penitus deſtitutũ calcatumq; ab omnibus, deriſum, expulſum, non multò adeò pòſt è tetris ærumnarum tenebris, tanquam è nube Solem, exilire? Hæc ſanè ſpiritus, ut diligentiori expenderentur animo, uoluit Selha interponi. Quid ſit porrò, dedit in opprobrium conculcantes me, ſic exprimit Paraphraſtes: Et infamem faciat eum, qui conculcare conatur me. Verbum enim, dedit, quò lucidior haberetur ſenſus, additum eſt à Græcis: nam illa Hebræis duntaxat eſt litera, Opprobrium abſorbenti me, dabit ſcilicet Deus. Deinde quid ſit illud, quod Deus è cœlo, hoc eſt, ab æterna illa moderandarum rerum omnium prouidentia ac bonitate, in ſuorum ſubſidium demittere conſueſcit, ſubſequens declarat uerſus.

Miſit Deus miſericordiam ſuam, & ueritatem ſuam, & eripuit animam meam de medio ca-
B *tulorum leonum: dormiui conturbatus.*

En duo illa fulcra, quibus anima tanquã iacens uitis innixa ſuſtentatur, Dei ſcilicet miſericordiã, & ueritatem ſeu fidem, qua quidẽ Deus ex pacto quodammodo pollicitationũ ſuos ſeruat electos, illa uerò gratuitò. Cenſendum ne eſt, Deum: qui miſericordia, coæternaq; ſibi bonitate motus, ſalutem, ſi quis eam cupiat, conferre pollicitus eſt, imò ex pacto ſeſe obligauit, negare poſſe, quod ultronea benignitate ſe daturũ promiſit? His itaq; tanquam nunciis è cœlo miſsis, animas ſuę religionis percupidas & ſtudioſas inuiſere ſolitus eſt Deus, ne in aduerſitatũ acerbitate fatiſcentes, deſperent omnino, hiſq; eas ſolatur dictis: Ego ſum, nolite timere. Vide propterea diuini effectum præſidij: uide, inquam, in quibus plerunq; malis uerſetur innocentia, noſtraq; è regione oſtendatur fides. Eripuit, inquit, animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus: id eſt, inter illos qui leones magis quàm homines appellari debẽt, uerſari cogor. Verùm unde hæc exorta eſt, dicat aliquis, conturbatio? Audiat is, ſi lubet.

Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Quid non conturbat peruerſorum hominum lingua? Quis cœtus, quis populus, quis ciuium conuentus tam ſanctus, tá mue tranquillus, quem non confundant, perturbentq; penitus doloſorum hominum oblocutiones, perfidioſæq; odiorum ſationes? Vnde expreſsius illud ſuperioris uerſus reddunt Hebræi ferè omnes: Dormiui conturbatus. Sic Felix: Iacebo in medio inflammantium, in medio filiorum hominis, quorum dentes lancea & ſagittæ, & lingua eorum, framea acuta. Dormire cogor, inquit Paraphraſtes, inter furioſos. Vide quanta uerborum exaggeratione fœdiſsimã maledicorum conſuetudinem depingit uates. Eos ſimiles dicit eſſe, ob truculentiam iramq; inexorabilem, leonibus: & ne id parum uideretur, illos iterum furioſis, & his quidem incendentibus inflammantibusq;, quicquid probitatis nacti fuerint, comparat, enarratq; unde illorum huiuſmodi erumpat furor, unde ignis ille letalis detractionum

C accuſationumq; ortum habeat: A dentibus, inquit, eorum acutiſsimis, linguiſq; ignitis. Quæ duæ ſanè res, cùm ſermonis potiſsimum ſint inſtrumenta, ad turpiſsimum deferendi aſſentandiq; uſum accõmodat peruerſiſsimum iſtuc genus hominum. Quocirca non immeritò ſanctiſsimus ille ſenex & apoſtolus, de linguæ natura ediſſerens aiebat: Ecce lingua modicũ quidem membrũ, quantus ignis, quàm, magnam ſyluam incendit. Lingua ignis, eſt uniuerſitas iniquitatis. O infelices animas. Verùm ne diutius in tuos præualeat amicos hæc mundi peſtis,

Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

Tu qui improbis periuriſq;, ac illis quidem qui de ſe illud iactare cõſueuere, Labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter dominus eſt? tu, inquã, qui iſtiuſmodi hominum generi iacere, planeq; ad iniurias innocentiæ obdormiſcere uideris, exaltare in uirtute tua, expergiſcere, illiſq; tandem te in cœlis eſſe, ubi omnia prudentiſsimè circunſpiciens, & moues, & temperas, oſtende, & debitas de illorum ſceleribus pœnas, ut es æquiſsimus omnium arbiter, poſcens, uitamq; innocuorum ab illorum eripiens ſæuitia & diritate, tua appareat etiam in terris magnitudo, quæ in eo maximè poſita eſſe uidetur, ut defenſa probitate, nefandorum hominum feritatem frenes, ac mulcta afficias. Sic ſanè tua poſtulat æquitas, ſic iuſtitia, ſic, quibus potiſsimũ ab omnibus ubiq; omnium hominum regionibus immenſus omnipotentiſsimusq; iudicaris, gloria atq; excelſa moderandarum rerũ prouidentia, & maieſtas. Vide, obſecro, illorũ immanitatem atq; inſipientiã. Nam

Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam.
Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.

Tametſi enim multa ſint argumenta, quibus diuina copioſe queat oſtendi mortalibus cùm uirtus, tum ſigillatim erga electos beneuolentia, illud tamen non inter infima cenſeri debet, cùm in idem planè ipſum improbi incidunt pe-
D riculum atq; interitum, quem alijs impudentiſsimè non ſolùm parauere, uerumetiam doloſe fraudulenterq;, uti ſolertes ſolent auibus aucupes, aut feris uenatores, cõcinnauerunt. Idcirco uolens propheta, quanti res ea momenti ſit, dignaq; quæ intimis recondatur animæ ſecretis demonſtrare, Selha hîc inſeri curauit. Verùm cùm copioſe admodum in ſuperioribus pſalmis, de huiuſmodi troporũ genere ſit dictum, ad reliqua deſcendamus. Tantùm illud non prætereundum, incuruauerunt animam meam, à Felice uerti, depreſsit, nempe laqueus ſeu rete: ſed ſi etiã ad inſidiatores id referas, ita ex Hebræo uerti poterat, ut nonnullos uertere uideo, Rete parauerunt pedibus meis, ad capiendam animam meam. Si animam igitur legas, ad dæmones id totum referendum erit (quid enim inſidiarũ, quid tendicularum, quò incautas irretiant animas, non moliuntur dæmones?) ſi uitam rurſum exponas, ut ſæpenumero fit, ad homines ſceleſtos & fraudulentos. Vtrunq; enim moleſtiſsimum tranquillis ſolet eſſe hominibus, atq; his quidem qui cùm nihil in terris tanto cum effectu expetant, quàm pacem, & uniuerſalem in Dei Eccleſia concordiam, animorumq; ſynceritatem & candorem, pluris æſtimare ſolent doloſorum hominum iniurias, quàm dæmonum naturaliter ad minimum fidei telum expaueſcentium: illi uerò ne ab ipſa quidem terrifica diuinæ ultionis flamma & mulcta deterrentur. Sed uide, quid probitatis cultrix, planeq; à ſpiritu erudita de ſe dicat anima:

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & pſalmum dicam Domino.

Vt lubet, inquit, in me ſagaces inſurgant dæmones, ſtruantq; inſidias turpiſſimi illorum aſſeclæ, obloquutores, uaniq; blaterones, inuidi, exleges, impij, encor meum, tua ad admittenda uulnera, mi Deus, præparatũ, promptumq; tuum ad celebrandum in pſalmis nomen. De te igitur cantabo, metraq;, non aſſentatoria illa quidem, ſpe lucri uenalia, in principis alicuius gratiam elucubrabo, ſed tuum ad honorem laudemq; cantabo, & pſalmum dicam. Illi certè laqueum parauerunt pedibus meis, ego cor ad ferendum quicquid ſors attulerit, præparabo. Illi in foueam, quam foderunt ante faciem meam, inciderunt, ego autem cantabo

A tabo & psallam, tantum abest ut meam amplius querar sortem. Agè itaq;,

Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo.

Ad diuinas enim hîc laudes decantandas, mira spiritus doctrina sese excitat uates, uocatq; suam se gloriam aut decus, ut ex Hebræo uertunt nonnulli. Se, inquam, nablum, chelymq; & citharam nuncupat, ea sanè ratione, qua anima in diuinis occupata mysteriis, in Deoq; per cordis quietem emoriens, nõ solùm quæ agit, ea omnia in sui laudibus amati concinendis impendit, sed etiam nõ iam amplius anima, utpote quæ cum Deo unum quoddã ui effecta sit amoris, ipsa eadẽ fit laus: hoc est, quicquid cogitat, loquiturq; aut agit, id omne laus una est Dei, perfectaq;, ac in cineres uirtute fidei conflagrantis, absumentisq; holocaustum, collabens litatio. Expergiscere, inquit, ô anima mea, expergiscere, proferq; te nablum & citharam, quæ mea est gloria, quia Dei. Nam quod ad me attinet, ne ipsam quidem opperiar auroram, sed suauissimo concentu ipsam anteuertam lucem. Non me sanè, meo in lectulo stertentem prima excitabit lux, sed ego illam potius. Vult uates suum apud omnes testatum esse laudandi Dei studium & uigilantiam: alioqui certè tam arctam cum cœlesti numine unionem humanæ mentis, qua in Deũ ex se exiens anima, penitusq; sui oblita, & fertur, & rapitur, ignauis totasq; noctes stertentibus, nunquam contingere uidimus. Summo quippe opus est nisu, atq; infracto animi proposito & studio, in adipiscenda ea animæ purgatione, qua duce ad illum ascenditur perfectionis gradum, ad quẽ cùm omnes, tum illi maximè, qui & habitu & cultu, & ipsa quoq; cõuiuendi in cœnobijs ratione, ueteris præ se ferunt Adæ interitum, conari debent. Quòd si secus hi agere uidentur (quicunq; hi sint) tot monstra eos esse dicas, atq; ad illudendũ Christi religioni, ex antro aliquo caliginoso emersa portenta, ac lamias. Ridebũt hîc, scio, nonnulli quibus persuasum est, si quid in Christi doctrina, quod animi sublimitatem requirat & perfectionem, legere cõtigerit, id ad consilia referri oporte-

B re, proinde nullam sibi esse debere de consilijs cõsiderationem, sed de præceptis tantummodo. Ridebunt hîc, inquã, duntaxat hi, qui nec consilijs nec præceptis obtemperantes, uitam, nescio quam, dubiam, effractã, inertem turpemq; transigunt: secus uerò illi, qui quanto possunt conatu in præceptorum studio sese exercitantes, cõsilia sibi æquè prorsus atq; ipsa Dei præcepta, necessaria esse arbitrantur: quocirca non hîc quidem ridebunt, sed suspirantes suam detestabuntur moram, quòd illum nondum attigerint scopum, quo adepto, Christus, nempe animarum quies, pax, uita acquiritur. Sanè uerò nostra delectatur inertia Deus: neque ob aliud erectæ sunt templorum aræ & muri, nisi ut sint qui uitæ cõmoda solummodo sectantes molliter, absq; labore aut proficiendi studio, nõ in domino, sed in uentris cura ocientur? Flet Christus, mœret, alget, uigilat, orat, abstinet, moritur tandem pro me, homine nimirum sordido & impuro, & ego mea in causa, genere nescio quo uitæ contentus, nihil ultra quærendum mihi esse persuadebo? Me miserum: quomodo equidem unà cum uate, imò cum Dei spiritu, qui ardens ignis est, dicere nisi fictè potero, Paratum cor meum Deus, paratũ cor meũ? Putás ne, mi lector, ab anima illa, quæ in diuino prorsus non sit immersa lumine atq; amore, uerè dici posse, Paratũ cor meum Deus, paratum cor meum? Censés ne, quid ista præ se ferat repetita cordis præparatio? quid cantus? quid psalmi? quid cithara? quid illa tandem animę gloria, de qua hîc uates obscurè tamen loquitur, à tardis mentibus comprehendi posse? Alta sunt hæc quidem, illisq; tantummodo cognita, qui purissimam degentes cum Deo uitam, nõ minus æquissima illius diligunt cõsilia, ad eaq; obseruanda toto aspirant animo, quàm salutares illius præceptiones. Verùm alij ut lubet, quę secum in terris attulit Dei filius, definiant: ego autem meum seruans institutum,

Confitebor tibi in populis Domine, & psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est vsq; ad cœlos misericordia tua, & vsq; ad nubes veritas tua.

Apertè hîc narrat uates, quamobrẽ in se psalterium & citharã exuscitari con-

C cupiuerat, nempe ut ſparſim omnibus, ubicunq; degant, nationibus, ſiue gentes hæ ſint, ſiue è Iudæorũ populo, ſanctiſsimũ Dei nomen ac cultũ prædicare, ſuauiſsimoq; ſpiritus meditari poſſet concentu. Quem ſanè ſenſum ſic reddit Campenſis: Cantabo laudes tuas etiã apud hominũ uariarũ nationũ multitudinẽ maximã. Tam eſt enim grandis miſericordia tua, ut ad cœlos uſq; pertingat, & maior ſit quàm diſtantia hinc ad nubes tua in ſeruandis promiſsis conſtantia. Cœlos & nubes pro eodem poſuit, præuiditq; Dei religionẽ, quæ in animorũ unione & tranquillitate poſita eſt, in toto undiq; terrarũ orbe diſſeminandam. Cæterùm de Dei miſericordia, qua animas gratuitò, deq; ueritate, qua ex pacto quodammodo ſeruat quod eſt pollicitus, nonnulla à me in ſuperioribus ſunt dicta pſalmis. Quare ut tandem pſalmũ finiam, ad Deum cõuerſus, eiusq; fide, quam meum in algidum per Chriſtum transfudit cor, animatus, illud cum uate iucundiſsimũ, planeq; diuinum de omnipotentiſsima Dei gloria, quæ eſt eius uirtus, miſericordiaq;, ac in mortales omnes beneuolentia, repetam elogium, dicamq;:

Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

Qui laudabilis es & glorioſus in ſecula. Amen.

PSAL. LVIII. Vincenti. Ne diſsipes Dauid inſigne.

SI uerè utiq; iuſtitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum.

Tituli inſcriptio cum ſuperioris pſalmi titulo conuenit, idcirco eadem utriq; ſeruiet expoſitio, idemq; erit ſenſus, atq; eadem ferè cauſa, eo excepto, quòd ſuperiorẽ à Saule in Engaddi regione fugatus compoſuit: hunc uerò, quando Ziphæorũ proditione penè in Saulis poteſtatẽ traditus, inde aufugit, paulòq; pòſt fidiſsimo duce Abiſai, qui Saulem dormientẽ occidere inſtituerat, reprehenſo, ipſe haſtam cyphumq; dormientis regis clàm abſtulit. Et eſt iuſtiſsima quædã in Saulis conſultores ac iudices, typum ſanè peruer
D ſorum iudicum, querimonia & inuectiua. Ad noſtra enim tempora, ad quæ umbræ illę rerum dirigebantur, hęc omnia aptanda ſunt, ne Chriſtianæ uis fidei ſuo fraudetur ſpiritu ac ſenſu. Aptemus hîc igitur Chriſtũ, cuius reprehenſiones incredibilem in modũ amabiles ſunt & ſalutares, prauos reprehendentẽ iudices, ad hunc modũ: Si uerè utiq; iuſtitiam loquimini, rectè iudicate filij hominũ. Nõ eſt in rebus humanis utilitas cum ea comparanda, cùm in regnis, rebusq; tum publicis tum priuatis, iudices illa prædití ſunt animi integritate atq; moderatione, ut nihil diffiniant, quod non undequaq; iuſtiſsimũ ſit, ac optimè collibratũ. Contrà uerò quæ peſtis nocentior, quod monſtrum tam execrandum, tamue inſolitum & expaueſcendum poteſt eſſe ciuibus, ſi is cui dijudicandarũ rerũ data eſt facultas, iniquus eſt, & bis in una eademq; cauſa uenalis? Poſſunt quidẽ huius generis iudices (bonum iudicem in terris tanquã Deum ueneror) toga illa ſua moliter imbricata, ſtriataq; ac graui, tum moderato tardoq; ſermone & erudito, addo & formicino paſſu, iuſtitiã profiteri: ueruntamen cùm res ipſa ſeriò tractanda eſt, litesq; dirimendæ, ut plurimũ ſubuertitur ius, fas, lex, ſanctisq; à foro eliminatis decretis atq; inſtitutis, eò ſuas dirigũt ſententias & diffinitiones, unde maius ſperatur emolumentũ, aut in quo priuatis ſuis ſuorumq; affectibus plerunq; turpiſsimis ſatisfieri poſſe opinantur. In iſtiuſmodi nomenclaturæ homines inuehitur ſpiritus, clamatq;: O filij hominum, futiles nimirũ & uani, ſi iuſtitiam quã loquimini, utiq; uerè, hoc eſt, ex animo, ſynceroq; iudicio loquimini, rectè, omiſſa prauitate ac nequitia, iudicate. Alioqui certè non ab ipſa iuſtitiã præ ſe ferente lingua, aut ornato ſuggeſtu, quod æquum eſt, metiri ſolent homines, ſed ab ipſo omnino iudiciorũ exitu & finitione. Huc optimè quadrare uidetur Felicis litera. An certè, inquit, mutam iuſtitiam loquemini? id eſt, num iuſtitiã loquemini, iuſtitia tamen ipſa obmuteſcente? Muta nimirũ tunc fit iuſtitia, cùm etiã ipſo iudice diſertiſsimè de iuſtitia diſſerente, iacet indefenſa, imò inaudita & oppreſſa. Cæterùm tum Græci, tum Hebræi, recta legunt, non rectè.

Etenim in corde operamini iniquitates in terra, iniuſtitias manus veſtræ concinnant.

En to-

A En totius prauitatis iudiciorum ſumma atq; origo. Contaminato quippe cor de, cupiditateq;, ira aut liuore infecto animo, quod iudicium proferre poſſunt iudices quod iniquum omnino non ſit & iniurium? Mirum ſi à corrupta radice, ſanos decerpi poſſe fructus opinaris. Omnem, inquit, cogitationem (heus iudices) in eo conſumitis, ut quæ praua ſunt & iniqua, non ſolùm ſtatuatis, uerumetiam in alijs (malùm) defendatis. Quid autem? uos tantillam nacti in terris poteſtatem (in cœlis enim æquiſſimus omnium ſedet arbiter) adeò inſoleſcitis, ut tanquam omnia ueſtra æquiſſima forent, iniquitatem pro æquitate manus uendítent ueſtræ? Hebræis ea eſt litera: Prauitatem manus ueſtræ æquilibrabunt. Neſcio quidem, an pars hæc in iudice ſtoliditas appellari queat, an inſolens potius arrogantia & temeritas, cùm ea interdum definiat, quæ nihil minus referunt, quàm leges & iuſtitiam, & nihilominus tam cæci ſunt hi dij terræ, quòd ſe uel acutiſſimis imponere poſſe ingenijs arbitrantur. Quid non peruertunt contaminati iudices? Quid impietatis, quid perfidiæ non audent iſtiuſmodi togatæ belluæ? non mirum id quidem: nam iandudum

Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa.

Heu miſeram, prorſusq; deploratam iſtorũ ſortem. Quid mirandum, inquit, ſi hi ſuis in iudicijs à iuſtitia aberrant? Nanq; in ipſo ſtatim uitæ exordio, in ipſo uuluæ conceptu, in ipſo ſordido ex utero ortu & natiuitate, errare alienareq; ſeſe à Deo, à probitate, à caſtis moribus, à uitæ integritate cœperunt. Idcirco locuti ſunt falſa, falſasq; promulgarunt ſententias. Impij, inquit Campenſis, à tempo re quo primùm editi ſunt in lucem, errare cœperunt, ab utero matris loquentes fucata. Quapropter

Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas,
B *Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.*

Secundum ſimilitudinẽ furoris ſerpentis, uertit Felix, & clarius quàm noſter. Cæterùm, ſapienter, Hebræis eſt, ſcitè, doctè. Serpentibus porrò ea eſt natura & conſuetudo, ut ira aut rabie in aliquẽ perciti, nunquã niſi cum ueneno ipſum deponant furorem. Et ut cęteris id quod ſequitur, inſitũ ſit naturaliter ſerpentibus, præcipuè tamen is eſt aſpidibus mos atq; aſtus, ut ſi coniecturis quibuſdam, ſibi à natura inditis, præuident ſe à magicis incantandas præſtigijs, ſuapte ſponte, ne ſuum audiant inſidiatorẽ, obſurdeſcant. Siquidẽ illud eſt incantatoribus conſilium, ut aſpis ui carminũ diſtricta, deponat uirus, & ita manſuefacta capiatur. Aiunt Marſos huiuſcemodi optimè callere artem, carminibus ſcilicet ſerpentes quamlibet uenenoſas ac letales cicurandi. Prudentiſſimè hîc quidem uates ſceleratorũ quorundam naturã, de iudicibus impijs loquens depingit. Nam ſerpentina quædam illis ineſt malitia & calliditas, ut irati in quempiam (iraſci enim in ſui ſimiles neutiquã ſoliti ſunt, ſed in diſſimiles) nunquã deferueãt, niſi proiecto penitus in illum, cui malè uolunt, ueneno. Quòd ſi quem porrò ex ſanctioribus tanquã eruditũ in ſedanda illorũ inſania & furore incantatorem ad ſe aduentare preſenſerint, ad ſalutares illicò admonitiones occludũt aures, illosq; perinde auerſantur, ac ſolet aſpis incantatores. Verũenimuero diuina aliquando noſtris offenſa delictis prouidentia, iſtiuſmodi uenenatas permittit ad innocuorũ exercitationẽ regnare uiperas. Vnde ſemel iratus in Iudæos Deus, illud horrendũ in Hieremia protulit, dicens: Ecce ego mittam uobis ſerpentes regulos, quibus nõ eſt incantatio, & mordebunt uos. Sed uide quàm nõ libenter, imò quaſi coactus id uelit pientiſſimus dominus. Dolor, inquit, meus ſuper dolorẽ, in me cor meũ mœrens. Horum igitur omnium bene doctè ſenſum ſic reddit paraphraſtes: Venenum eorum ſimile eſt ueneno ſerpentis, & callidiſſimæ aſpidis, ultro obſurdeſcentis, & obturantis aurem ſuam, ut non cogatur audire uocem illorũ qui murmure ſuaui fallere eam conantur, etiam ſi incantandi artibus ſint inſtructiſſimi. Veruntamen utcunq; diri hi ſint & implacabiles,

Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum, molas leonum confringet Dominus.

C Hebræi legunt, Contere, & cõfringe, utrunq; aptè. Cæterùm frequens in ſcripturis dentium ac maxillarum metaphora eſt, qua mordaces deſignantur calumniæ, uerbaq; innoxiorum uitam lacerantia: uis quoq; improborũ, peruicacia, inſultus, rabies, & id genus alia, quibus inſtructi artibus in puram proborum conuerſationem ac nomen, fortunasq; interdum ferocire ſolent impij obtrectatores atq; inuidi: quorum ſanè crudelitatẽ ut clarius exprimat, dentes illos habere leoninos, nempe acutos ac mordaciſsimos, aſſerit. Mola porrò maxilla hîc eſt, ſeu mandibula. Quare alio in loco præuidens uates pernicioſorum hominum oblocutiones, & blaſphemias à domino retundendas, ait: Quoniã tu percuſsiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa. quod diuus uertit Hieron. ex Hebræo: Quoniã tu percuſsiſti omnium inimicorum meorum maxillam, dentes peccatorum contriuiſti. Eſt & aliud genus dentium, quo Eccleſia mordere ſolet, atq; arguere peccantes, imò ſuauiſsima ſpiritus mola adeò comminuere, ut ad ſeſe penitus illos attrahens, in ſuam prorſus cõmutet naturam, atq;, ut ſic dicam, ſubſtantiã. Quocirca in Canticis illud à ſponſo audire meruit: Dentes tui ſicut greges tonſarũ, quæ aſcendunt de lauacro. Et uerè Eccleſiæ dentes, tanquam oues detonſæ dici debent, hoc eſt, abſq; ira ac furia, ſuos ſibi ſubditos reprehendentes. Quod quidem ſuperiores illos, quorum furorem ſecundum ſimilitudinẽ ſerpentis, ſurdęq; aſpidis eſſe aſſeruit uates, quibusq; dens putidus eſt, ut ait Salomon, ac pes laſſus, admonitos uult ſpiritus. Horum itaq; audaciã, furiatamq; in innocuos Chriſti amicos mentem ac feros morſus, ita minutim confringet dominus, quòd

Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens, intendit arcum ſuum donec infirmentur.

Cur hîc interpres, intendit, nõ intendunt, uertit, uix coniecturis auguror: niſi fortè intendit, ad Deum referat. Sed alia hîc eſt mens uatis, illa nimirum, ut audaces improborum conatus, irritos uanosq; omnino fore prædicat. Cuius quidem
D ſignificatum ſic exprimit Paraphraſtes: Sagittæ quas iaculantur, inter uolandũ confringantur: id eſt, quicquid parant improbi, in medio ipſo collabatur niſu, ad inſtar ſanè arcus ſumma ui tenſi, cuius ſagittæ in ipſo iaciendi conatu refringuntur, in fruſtaq; non abſq; intorquentis periculo deſiliunt. Huic ſententiæ etiam aſtipulatur diui Hieronymi litera, qui ſic reddit: Intendant arcum ſuum donec conterantur, nempe ſagittæ. Felix uerò, Dirigent ſagittas ſuas: ſint, ac ſi confringerentur: hoc eſt, ut ipſe ſua exponit uerba, nullum damnum faciant. Cæterũ notant quidam, principium uerſus non tantum de fontium aquis, aut amniũ celeriter dilabentium intelligi oportere, quantũ de aqua è uaſe aliquo euerſo proiecta & diſperſa: qua ſimilitudine, ſtudia curasq; iniquorum penitus diſſipatum iri non ambigamus. Verùm litera quæ Hebræis eſt, alium præ ſe ferre ſenſum, ut diximus, uidetur: unde ſic Paraphraſtes, Diffluant ſicut aquæ natura labiles. Quoquo modo accipiendam eſſe literam ducas, illud compertiſsimũ eſt, quam primum nefandorum hominum conatus deſituros: quod aliis poſtmodum clarius exponit rerum imaginibus, dicens:

Sicut cera quæ fluit, auferentur: ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem.
Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viuentes ſic in ira abſorbet eos.

Quàm citò enim cera igni admota colliqueſcat, non eſt qui ignoret. Non ſecus, inquit, celeriter improborum ſucceſſus niſusq; turpiſsimi præteribunt, atq; ſolet ab igne cera actutum liquefieri. Alio in pſalmo hac eadem uſus ſimilitudine, ſic ait: Sicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie terræ. Proinde poſita ceræ metaphora, ignem addidit. Supercecidit, inquit, ignis ſuper cerã, nimirum illam molliſsimã: hoc eſt, diuina illis ſuperueniet ultio, qua ſuapte ſponte exoculati, neq; hunc ſolem uiſibilem amplius, neq; illum qui in ueritatis indagatione ac guſtu ſplendeſcit, intuebuntur: & id quidem protinus, anteaquã eorum peccata, quæ hîc ſpinas uocat, in rhamnum, id eſt, in effectum exeant, atq; obeſſe queant. Rhamnus enim robuſtior ſpina eſt atq; annoſior, idcirco acutior & nocentior. Verùm longè aliter has legunt ſimilitudines Hebræi. Sic illi: Diffluant

A fluant ueluti cochlea, & ſicut abortiuũ fœminæ, priuſquam ſolem uideat: priuſquam ſpinæ eorum adoleſcant in rhamnũ, repentè uiuos, ſicut acerrimo furore, tollet eos turbo. Diuus etiam Hieronymus non ceram, ſed uermem tranſtulit. Quaſi uermis, inquit, tabefactus pertranſeant. Similiter abortiuum unà cum cæteris reddidit, non ignem. Cæterum de ſpina & rhamno ſic: Antequam, inquit, creſcant ſpinæ ueſtræ in rhamnum. Paraphraſtes uerò dilucidius ſuo more omnia: Similes fiant limaci, quæ inter rependum, uel, ut alius uertit interpres, intra teſtam ſuam colliqueſcit: & abortiuo ſeu talpæ, quæ non uidet ſolem. Priuſquã creſcant ſpinæ ueſtræ, ô impij, in rhamnum, in flore ætatis iratus Dominus ſubuertet eum qui dux eſt ueſter unà uobiſcum. Nam quod nos legimus, Sicut uiuentes, Hebræi habent, Sicut uiuentem aut uiuum. Non deſunt etiam qui hunc uerſum ultimum ſic transferant: Antequã ollæ ueſtræ à ſubiectis ſpinis calorem concipiant, tanquam quis adhuc crudum eripiat, ſic æſtuanti indignatione ſubitò corripiet illos. ut hinc perdiſcere liceat, æquè citò pernicioſorum hominũ fortunas euolaturas, ſubindeq; aut parum aut nihil probis obfuturas, ac ſolet ſpinarum aridarum flamma, nempe ſubita & repentina, ſub olla carnium adeò celeriter prꝫterire, ut caro ipſa cruda extrahatur, nil ſcilicet caloris uel ollꝫ uel carni attulit. Ita profectò ignis ille irarum in maleuolis, quandò ſuorum maximè Deus innocentiam tutari decreuerit, euaporabit, in nihilumq; reſoluetur, & magis id adeò tum, cùm ſe in ipſo fortunꝫ gremio luculentam uitam uiuere opinabuntur. Vide igitur, ô qui in malis longo iam ex uſu obduruiſti, & contremiſce, conſiderans quibus rerũ imaginibus tuæ deſcriptæ ſint fortunæ. Quid, obſecro te, aqua torrentis fugacius? quid arcu nimiũ tenſo fragilius? quid à ſolis luce ac radijs alienius, quàm ſit abſq; oculorum uſu talpa, aut informis abortio? Quàm porrò uelox ſit ac concitus ſpinarũ aridarum calor ac flamma, nemo planè eſt qui id igno

B ret. Iam (crede mihi) priuſquam optatum ſortiatur exitũ, tua interciſa eſt iniquitas. Puta enim illam iam prætereũſſe, cùm adeò imbecillis ſit ac uelox, ut repentinæ dumorum æquiparetur flammæ. Quòd ſi tamen tam durus es, ut neq; diuino iudicio, neq; tam aptis, tibiq; ualde conſentaneis rerum mouearis imaginibus, illud ſaltem te moueat, quòd

Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.
Et dicet homo, ſi vtiq; eſt fructus iuſto, vtiq; eſt Deus iudicans eos in terra.

Pedes ſuos, uertunt Hebræi, non manus ſuas: ſed ferè idem eſt. Nam nihil aliud hîc ſibi uult uates, quàm indicare quomodo ſerio gaudere ſoleant diuini honoris cupidi ac ſtudioſi, ob illam tam horrendam in oppreſſores innocentiæ irrogatã cœlitus ultionem. Cuius atrocitatẽ attentè meditantes, quanquã periculoſum omnino ſit cum purarum mentium defenſore Deo uelle rixari, conſiderantes ſuis in actionibus & curis, quæ ſunt illorum manus, fiunt cautiores. Multato peſtilente, clamat Salomon, ſapientior erit paruulus. Lauant igitur manus (hꝫ actionum præ ſe ferunt munditiem) ſeu pedes, quod ad peruerſorũ uias attinet, in peccatorum ſanguine uiri iuſti: id eſt, conſiderata illorum damnatione, indeq; accepta occaſione, ab actionibus illorum prauis ac ſtudijs, prudentiores facti abſtinent, fatenturq; diuinam eſſe prouidentiam, quæ ſuo non fraudans fructu ac præmio iuſtitiam, æquiſsimo res hominũ ponderat æquilibrio, iuſtis ſcilicet ſpiritus gaudium, nempe iuſtitiæ præmium gratuitò elargiens, & uitam: impijs uerò & ſceleratis, de quorũ moribus multa in ſuperioribus diſſeruit uates, & mœrorem & luctum, tetramq; errorũ caliginem ac noctem, iuſtiſsimo perſoluens merito ac iudicio. Dicent (inquit) uulgò, uiſa hac in Deo dijudicandi æquabilitate, ergo eſt fructus iuſto, ergo eſt Deus omnium, quꝫ fiunt in terra, iudex. Eſt profectò: ſic ſentio, ſic fateor, ſic ipſiſsimis intueor oculis. Cuius propterea magnitudini laus ſit æterna, in ſecula ſeculorum, Amen.

C PSAL. LIX. Vincenti. Ne disperdas Dauid insigne, dum mitteret Saul & custodiret domum, ut occiderent eum.

Ripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me.

Duo, ut mihi uidetur, sunt potissimum ad explanandos psalmos necessaria: spiritus scilicet Dei, atq; eorum quæ in psalmis ferè sunt, experientia. Dei enim spiritu ad diuina perscrutanda mysteria incendimur & illuminamur: experientia uerò, atq; in acerbioribus rebus usu & exercitatione, ad scribendũ acuimur. Alioqui sanctissimo illo spiritus destituti lumine, aut nulla experientia edocti, quomodo in tam ardenti atq; difficili poëmate nõ hallucinabimur, ineptéq; in scribendo errabimus? Ego enim, ut de me dicã, longo tum annorum, tum rerum usu atq; exercitio probè eruditus, in hac me parte doctissimum esse fateor, tametsi neq; disertum neq; eloquentẽ. In altera uerò parte obnixè admodum elaboro, contendóq; pro uiribus, ut assequar. Gratuita quidẽ sunt dona Dei, idcirco summa sunt cum ueneratione existimanda & petenda. Certè, mi humanissime lector, quotiescunq; psalmum aliquem mihi elucubrandum legere incipio, attenteq; considero, uideor mihi (quod in lectione Pauli de se asseruit Hieronymus) non uerba audire, sed tonitrua. Videntur nonnunquã uerba quædam simplicia, & quasi innocentis hominis & rusticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit insidias: sed quocunq; aspexeris, fulmina sunt. Hæret in causa, capit omne quod tetigit, tergum uertit ut superet, fugam simulat ut occîdat. Putas ne tantum uatem adeò suis in scriptis & uberem & elegantem, tam uaria rerum argumenta absq; spiritus doctrina atq; usu ornare potuisse? Ex his nimirum quæ passus est, hausitq; à Deo, didicit, exarauitq;, quæ modò nos nostros in usus transferimus, intelligimusq;, nostram ad eruditionem, quæcunq; ille scripsit, scripta esse, ut in hoc nũc psalmo fateri possumus. Nam cùm tertiò iam
D iram Saulis, malo à spiritu uexati, connixiq; illum lancea confodere, declinasset, domiq; tacitus delituisset, misit rex satellites noctu, qui captũ obtruncarent. Verùm prudentissima eius uxor Michol, eo clàm per fenestram demisso, statuam, quæ Dauidem simularet, super lectum composuit, & sic deluso rege, charissimũ seruauit uirum. Qui tamen horrendo illo in strepitu armorum ac periculo, diuinæ haudquaquam immemor bonitatis, ad illam, ut suus erat mos, tanquam ad tutissimum suarum ærumnarum perfugium, hanc mirè accensam direxit precationẽ, dicens: Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me. Nulli dubiũ esse debet, inimicissimo illos animo, qui à rege missi fuerant, Dauidis domum circumsedisse, in ipsiusq; uitã, quò satis regi facerent, conspirasse. Atqui, ne cuius conditionis hi essent qui nefario seruirent regi, nescirétur, confestim addidit:

Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salua me.

Qui sunt illi, qui operantur iniquitatẽ, quiq; Christũ atq; eius Ecclesiã, innocentium scilicet uitam, in Dauide tunc odio persequebantur? Dictio quæ est Hebræis aptè ualde aperit, illos notans qui non simpliciter iniqui sunt, sed qui consultò, atq; ex animo, toti dediti sunt iniquitati, internecionibusq; intenti. Perniciosissimũ id genus est hominũ, sed quod tamen à magistratibus, patrumq; prudentia, anteaquàm ulcus in saniem desinat, præcîdi queat. Sed quid si idem ipsi primarij homines interdum iniqui sunt? Nullum, opinor, extat remediũ, præter illud, quod hîc suę adhiberi indigentię rogat uates: Eripe me, inquit, de inimicis meis Deus meus. Vide quò ab iniuriosis oppressa hominibus se uertit anima. Vide an aliud quicquam tam firmum inueniatur confugiũ, quàm illud est Dei, qui uerus atqueadeo solus est fessarũ mentiũ refocillator. Omissis itaq; humanis præsidijs, quæ aut debilia sunt, aut infida, nostra omnis collocanda est in Deo fiducia, noster amor, nostra solicitudo. Ipse ipse, inquam, est, qui inuocatus, nos nostris eripit ab inimicis, nempe operantibus iniquitatem, ac sanguinẽ sanguini, ut ait ille, accumulantibus. Verũ quid Christus in Dauide de se, pro me, qui mea

A mea in dignoſcenda miſeria atq; inopia prorſus hebeſco, hîc dicat, cõſideremus.

Quoniam ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes: neq; iniquitas mea, neq; peccatum meum, Domine.

Hucuſq; uerſum hunc legunt Hebræi, quem ſic reddit Felix: Quoniam ecce inſidias parauerunt animæ meæ, congregati ſunt ſuper me fortes, non tranſgreſſione mea, & non peccato meo, domine. Id eſt, nihil me in illos peccaſſe conſcius ſum, quamobrem tam acerbo me perſequi debeant odio. Quòd ſi ſuſpicio de me aliqua turpiſsimũ illorum occupauit animũ, uana omnino ea eſt, ac probo uiro indigna. Si porrò quæ in me machinantur, quò ſuam tantummodo ſedent rabiem, antiquumq; ſatient odium & maleuolentiam, excogitarunt, ſit dominus inter nos arbiter, atq; idem uindex & ultor. Quid ſit, ceperunt animã meam, clarius exprimunt Hebræi, ut dixi. Vnde Paraphraſtes: Ea enim, inquit, eſt illorum hominũ improbitas, ut mihi inſonti inſidias ſtruxerint, & cõſpirauerint in me feroces (tantum non dixit leones) quos ego nunquam ulla affeci iniuria, nec peccati quicquam in eos admiſi. Nam certè, quantum ad ea ſpectat, quorũ me nequiter inſimulant aduerſarij, de hisq; urgent & coarctant,

Sine iniquitate cucurri & direxi.

Hîc mihi uideor audire Paulum de ſe dicentem, Curſum conſummaui, fidem ſeruaui: cùm nihil aliud ſit uita hæc mortalis, quàm celer quidã curſus ac fugax. Is ſanè felix, qui cum propheta de ſe id dicere non ueretur, Sine iniquitate cucurri: ſiue illud Pauli, Curſum perfeci. Et ne quidem curſus in ſalebroſo uitæ huius, propter infinitas rerum difficultates, catadromo ignauus uideretur, addidit, Fidem ſeruaui: ille autem, Direxi. Sed quid direxit uates, aut quò? promptũ nimirum animũ ad obſequendum numini: ad illud, inquam, ad quod ſua ipſe ſtudia poſtea ac labores Paulus: Cæterùm, inquit, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ (en
B præmium curſus) quam reddet mihi Dominus in illa die. Verùm cuiuſmodi integritatis is eſt Dominus, qui te corona palmaq; iuſtitię, ô Paule, eſt donaturus? Eſt'ne forſan, ut ſunt pleriq; ex noſtris, quibus nullus eſt in elargiendis uirtutum præmijs delectus, niſi in his qui ſibi chariores ſunt, magisq; propinqui, turpes ne hi ſint, uitijsq; inquinati, an pulcherrimis ornati animi dotibus, nihil pertinere arbitrantur? neutiquam id quidem omniũ, ſed iuſtus eſt iudex. Et hæc ſatis, pieq;, quantum ad literam noſtri interpretis attinet, ſint dicta. Verùm Hebræis longè diuerſa eſt. Sine iniquitate, inquiunt, cucurrerunt, & inſtruxerunt ſe. Abſq; iniquitate (ſcilicet mea) uertit Felix, current, & dirigentur, nempe in me: ut id omne ad hoſtes illos referatur, de quibus ſuprà ſic queſtus eſt: Ecce ceperunt animã meam, irruerunt in me fortes (fortes ſanè propter uim multam pecuniarum copiarumq;, & dignitatum) ſed neq; iniquitas mea, neq; peccatum meum hac in re fuit. Abſq;, inquam, iniquitate mea, tanquam effrænatæ belluæ, impetuoſiſsimè cucurrerunt, uimq; omnem in me ſæuitiæ direxerunt. Quare ſic Paraphraſtes: Quamuis nulla re læſi ſint à me, nihilominus currunt ut noceant mihi, & ſummo ſtudio conantur perdere me. Quocirca

Exurge in occurſum meum, & vide.

Quaſi uates Deum dormire, non uidereq;, quæ hîc aguntur abſurda, ſuſpicatur. Sic ſanè his nonnunquã, qui acerbius à nefarijs impudentiſsimisq; iniurijarum machinatoribus exagitantur, contingere & cernimus, & ſi aliquando in pugna ſpiritus uerſati ſumus, experimento didicimus. Certè, mi lector, animis Deo per fidem coniunctis nihil iucundius accidere poteſt, quàm cum mala conflictare fortuna. Compertiſsimũ illis quidem eſt, diuinum nunquam electis deeſſe poſſe ſubſidiũ, idcirco ſumma afficiuntur delectatione: unde alij teneri adhuc in fide, uiribus deſtituuntur, cedunt'q; proinde actutùm aduerſis. Verùm & his & illis, in periculoſiſsima cum mundo pugna, neceſſarium ualde eſt ad Deum confugium. Ideo tum hi, tum illi, ſuis in anguſtijs, ac, ut ſic dicam, uulneribus & percuſſionibus, cum uate clamare ingeminareq; coguntur, Exurge, dormisne

C Domine? expergiscere, occurreq́ꝫ, anteaquã comprehendant nos hostes, suisq́ꝫ irretiant dolis. Quid tandiu monstra hæc rerum toleras? cæcutisne ad ea quæ hi nequissimè tua in mancipia moliuntur? uides quæ hîc aguntur, uel ne? Si nempe tua in re hallucinaris, quid agant cæteri, quorum pars maior nobiliorq́ꝫ, nihil tam expetit & quærit, quàm tua ut funditus corruat religio, abrogentur bene uiuendi instituta, ac fides è mundo prorsus excedat? Heu nobilissimum iam olim pietatis unde elapsum est decus? Vide igitur tu è cœlis, postquam non est qui uideat in terris.

Et tu dominę Deus virtutum, Deus Israël, intendę ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.

Hoc planè modo literam ordinant Hebræi, quem quidem ordinem ego non inuitus sequor, non idcirco sanè quò confusionem nostræ interspergam literæ, sed ut germano consulam sensui, quem ex apta literæ cõcinnitate facilè elici posse nemo doctus ambigit. De Deo uirtutum, hoc est, exercituũ, quo tropo Dei significatur potentia: deq́ꝫ Deo Israël, quo bonitas, aliàs non semel diximus: & est perinde quasi dicat, Tu domine Deus omnipotens, superq́ꝫ omnem potentiam excelsus & sublimis, Deus, inquam, Israël, hoc est, uerè in te credentium, tuumq́ꝫ nomen confitentiũ pater, uide quæ hîc fiunt, atq́ꝫ omnes qui sua se sponte à suauissimo tui cultus semouent iugo, corrige, dureq́ꝫ castiga. Visitatio enim Dei in scripturis, præterquàm quòd diuinum præ se fert fauorem & beneuolentiam, iudicium quoq́ꝫ ac mulctam in improbos signat, ut in hoc loco cernimus. Vnde in Esaia sic loquitur Deus: Visitabo per orbem mala. Visitat igitur Dominus quos pœnis afficit, uisitat & illos quos sua dignatur gratia. Quocirca duplici eum uisitare modo asserunt spirituales, uel cũ percutit, uel cùm ad nos uenit oriens ex alto. Gentes porrò hîc uocat spiritus, quotquot alieni sunt à Deo, siue Iudæi hi sint, siue alienigenæ: nempe omnes qui operantur iniquitatem, quibus nullam
D præstari misericordiã exoptat uates dicens: Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem: hos ueluti digito demonstrans, qui nulla alia adducti ratione, nisi quòd peruersæ naturæ homines sunt, & ad inquietandam proborum uitam nati qui uidentur, continuis lacessunt iniurijs innocentiã. Non te misereat, inquit, illorum qui in malitia obdurati, suapte sponte perditi sunt. Hi quidem ex sese, de se iudicium proferunt, decernuntq́ꝫ se indignos esse misericordia, cùm dura adeò sit illorum in peccatis consuetudo, ut malint sua in sorde sic emori, quàm ad fontem illum gratiarum omnium profluuio redundantem, ex quo omnibus quantum, quandoq́ꝫ aut quomodo uoluerint, haurire integrum est, recurrere. Quamobrem cùm arduũ id ualde uideatur, planeq́ꝫ admirandum & terrificũ, hominem scilicet ad tantum diuinę bonitatis ultro deuenire neglectum & obliuionem, ut nullo mereatur redimi misericordiæ genere, additum est à spiritu Selah. Interim uerò quòd nullum illi impartitur uitæ lumen,

Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.

Verbum quod noster uertit interpres, conuertentur, Hebræis est, itus & reditus, seu ire & reuerti: hoc est, sedulò anxieq́ꝫ discurrere, quò solicitam aduertas, peranxiamq́ꝫ delatorũ proditorumq́ꝫ miseriam. Nihil sanè infelices huc & illuc temerè, noctuq́ꝫ præsertim (quod sub dictione, ad uesperam, intelligitur) discurrentes omittunt, quò suam tandem expleant rabiem & libidinem. Modò hi literis, & his quidem mentitis ac falsis, modò ore proprio, modò per internuncios, succenturiatosq́ꝫ lenones & corycæos, eousq́ꝫ à rectitudine summouent rerum moderatores, donec tandem illos (ut leuissimo nonnulli sunt animo) ab æquitate deturbent, & quod uolunt obtineant: idcirco triumphant. En quomodo sæpe numero peruersa à tribunalibus exeunt iudicia. O inuisam omnibus, qui Deum timent, hominum istiusmodi luem. Vide cui animanti similes illos faciat uates, cani scilicet famelico, quò fastidiosam illorum aduertas impudentiam. Cane enim famelico quid impudentius, quid procacius? Hebræorum interpretes suppressa

A preſſa clauſula, famem patientur, id duntaxat habent, tumultuabuntur: uel, ut reddit Paraphraſtes, Oblatrabunt tanquam canes. Vtcunq; uertas, hi canes ſunt impudentiſsimi, qui fœdo importunoq; latratu quemlibet moratum tranquillumq; proborum conuentũ, quem hîc ciuitatem appellat ſpiritus, obſident, perrumpunt etiam & ſubuertunt, uel eò maximè, ſi ex primatibus haudquaquã deſint, qui huiuſmodi feras in uinea domini alant, illisq; ad bonarũ frugũ depopulationem utantur. Non quidem ſuperuacua fuit illa Pauli admonitio: Videte, inquit, canes, uidete concisionẽ. Proinde quid tam ſolidum inueniri poteſt, aut im penetrabile, quod non confringant, concidantq; acutiſsimi oblocutorũ dentes?

Eccę loquentur in orę ſuo, & gladius in labijs eorum, quoniam quis audiuit?

Egregium ſanè conſilium, atq; altè abſconditum. Quis, aiunt, quæ nos inter nos occultiſsimis in latibulis contra illum inſuſurrauimus, audiuit? Res mira, inquit Paraphraſtes, ore & labijs ſuis gladios loquuntur, nec tamen quenquã eſſe putant, qui audiat. De his (credo) loquitur Eſaias, cùm ait: Quis uidet nos, aut quis nouit nos? Quare maximum præ ſe ferre Dei contemptũ hi uidentur, quem non audire, quæ clàm inter ſe loquuntur, opinantur: uel ſi audire putant, non tanti nihilominus tam uigilem faciunt oculum, quo minus ea quæ in proborum uitam & dignitatem contexunt, uel palàm effutiant, uel audaciſsimè exequantur. Notandam hîc eſſe opinor apoſiopeſin. Ecce, inquit, loquentur in ore ſuo: deeſt enim quid loquentur, nempe cædem, fraudulentiã, infamiam, ruinam, exitium. Quicquid demum inter ſe conuenire uideris, gladium id dicas, atq; acutiſsimis clauis refertum culeum, è quo quoquouerſum uerteris, moleſtiſsimis emergunt cuſpidibus, punguntq; nec quidem tacti.

Tu autem Domine irridebis eos, & ad nihilum deduces omnes gentes.

Gentes hîc uocat eos omnes, de quibus ſuprà: Intende ad uiſitandas omnes
B gentes. Porrò, irridebis eos, anthropopathia eſt: de quo tropi genere nõ raro diximus, ſed potiſsimũ in pſalmo ſecundo. Impoſsibile omnino eſt, in Deum, ut in hominẽ, iſtius generis cadere poſſe animi ægritudines: uerũ ea loquendi ratione uultuates, perditiſsimos innocentiæ perſecutores impoſsibilia, riſuq; digna conaturos intelligi, & quæ nõ ſolùm à Deo, uerumetiã à firmis in Dei fide pectoribus ſubſannari debeant. Agant illi ut lubet, quantumq; diuina permittit patientia, ut canes adlatrent, circumſedeantq; bonorũ uitam & nomen: qui habitat in cœlis, uir ſcilicet Deo per amorẽ unitus, cuiusq; conuerſatio in cœlis eſt, irridebit eos. Cæterùm, ad nihilũ deduces, Hebræis eſt, ſubſannabis. Vnde ſic Paraphraſtes: Et ſubſannabis conſilia gentiũ omnium. Quanquã nec illud quod nos legimus, à uerò aberrat ſenſu, ut ſuperiori quoq; in pſalmo idem fermè de improbis aſſeruit iudicibus: Ad nihilum, inquit, deuenient tanquã aqua decurrẽs. Verùm

Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es.

Non ultrà procedit uerſus Hebræis, qui tamen non, meã, ſed eius uertunt. Verùm prius quẽ ſenſum afferat, fortitudinẽ meam, dilucidemus, Hebræos poſtea. Scio, inquit, quòd abs te irriſi cõſumentur, in nihilumq; relabentur. Eam ob rem mihi nulla de illorũ ultione cura, ſed meam omnem fortitudinẽ, uindictæq; occaſionem ad te cuſtodiam: hoc eſt, tibi ut pro me agas, qui me toties ab hoſtiũ meorum manibus eripuiſti, cõmittam, tu pro me pugnam ſumito. Nunc ad Hebræorum literã exponendam deſcendamus, quæ tametſi una ſit, diuerſum tamen reddit ſenſum. Sic illi: Fortitudinem eius tibi ſeruabo, quoniã Deus protectio mea. Ex illis enim quidam, eius, ad animam referunt, de qua ſuprà dixerat, Quia ecce ceperunt animam meam: & eſt idem ferè cum noſtro. Nonnullis uerò uiſum eſt de Saul, hoc eſt, de innocentiæ oppreſſoribus, quorum permagna in mundo eſt fortitudo ac uis, debere intelligi, hoc penè modo: Mei perſecutoris uim atq; audaciam, cùm in mundo tam potens ſit ac ualida, ut à me homuncione infringi nequeat, ad te cuſtodiam: id eſt, tibi ut illam frangas, reſeruo, commendoq;. Aliquibus etiam alia magis placuiſſe uiſa eſt interpretatio, cui & Chaldæa aſti-

C pulatur paraphrasis. O Deus, inquiunt, qui meo nunc hosti robur es & fortitudo, dum eum regnare sinis, ac me oppresso tutaris, ad te custodiam: id est, illud ipsum robur mihi obuenturum esse scio, cùm me, eo excluso, ad regnum asciueris, atq; in illius locum surrogari iusseris. Interim uerò ad te respiciã, auxiliumq; meis in ærumnis à te expectabo. Quem autem sensum secutus sit Paraphrastes, tu ipsemet qui legis, iudica. Sic enim ille: Viribus illius aduersarij mei ego te opponam, qui protector meus es Deus.

Deus meus, misericordia eius præueniet me, Deus ostendit mihi super omnes inimicos meos.

Quàm libenter sui sancta amati anima inculcat nomen. Vis' ne in quo studio uniuscuiusq; uersetur animus, deprehendere? Ex crebra nimirum rei alicuius locutione hæc discitur scientia. Mirũ quàm indignabundè de re alia, quàm de suo amato loquatur homo, qui Deum amat, atq;, ut rem summè iucundam & charã, tum quærit, tum deperit, tum etiã dormiens in ore retinet. Contrà si quempiam uideris de mundi cõmodis, nempe de ciborum lautitia, de nummis, de contractibus, de honoribus, de opprimendo aliquo sermonẽ libenter facere, quid putas? Hunc qui diuino præditi sunt spiritu, uel heluonem, uel auarum, nummosq; magis, quàm Deum colentem, institoremq; aut licitatorem, & sæuum omnino, nõ uerebuntur suspicari ambitiosum, licet ingenti fulgeat autoritate & dominio. Quid? unde, oro, turpissimus parumq; Christianus ille manauit mos, atq; uniuersalis fermè consuetudo, ut si quando cum amicis confabulandi datur occasio, ad bella statim enarranda, ad cõtentiones, ad carpendam aliorum uitam, ad nugas, ad fabulas, ad ociosas garrulitates, ne dicam murmurationes, ad obscœnitatesq; uerba deflectimus, nisi quòd spiritus suauitate uacui, expertesq; dulcedinis Dei uerbi, sensibus magis inseruimus, quàm animo, & his quidem rebus, quibus diuina oblectatur maiestas? Vide quomodo sanctissimus uates, utpote qui amorẽ
D suum omnem in Deo esse decreuerat, Deum uel centies interdum absq; ratione, ut ignauis uidetur animis, inculcat. Deus, inquit, susceptor meus es. Deus meus, misericordia eius præueniet me. Deus ostendit mihi super omnes inimicos meos. Anteaquàm, inquit, ab aduersarijs concludar, inuoluarq;, Deus me consueta, ne occumbã, anteuertet misericordia, pro suaq; munier (sic reddit Paraphrastes) benignitate, priusquam illi insultum facere possint in me, & ostendet mihi in hostibus meis, qualia uidere uellet unusquisq; in suis, utiq; interitum & ruinam. De hoc quidem loquutionis genere, quomodo scilicet in nostris uideamus inimicis, in psalmo quinquagesimoquarto est dictũ. Phrasis est Hebræa, qua quis ab improbis male habitus, sese diuinam uisurum in illos indicat ultionem: nõ quia id tanquam iratus appetat, sed quòd sic omnia in Deo ueluti in purgatissimo fore intuetur speculo. Cæterùm cùm mihi, quæ sequuntur, in mentem ueniunt, attonitus planè efficior, ac mirè pauidus. Quis has in uiro sancto non admiretur, exhorrescatq; diras?

Ne occîdas, inquit, illos, ne quando obliuiscantur populi mei.
Dispergẽ illos in virtutẽ tua, & deponẽ eos protector meus Dominẽ.

Populus meus, non populi mei, legunt Hebræi: quem suum uocat uir probus, quia Dei, eo ferè modo quo suprà, suam appellauit misericordiam, seu bonitatem secundum Hebræos, dicens: Deus bonitatis meæ præueniet me. Illud item, In uirtute tua, in exercitu tuo, nempe Iudæorum, uertunt ad hunc modum: Ne occîdas eos subitò, sed lento quasi supplicio affecti, tuo in exercitu uagi afflictiq; oberrent, quò uel sic tandem populus meus eruditus, tam insperati mi nimè obliuiscatur beneficij. Proinde à Paraphraste ita redditur, Ne occideris subitò eos domine, ne penitus in obliuionem ueniat hæc ultio tua populo meo, sed uagari coge illos de loco ad locum. Hîc mihi infelicissimi Cain imago depingi uidetur, aut perditissimi Iudæ, qui prodito Christo, desperataq; uenia, atq; amisso satraparum fauore, & proiectis argenteis, cùm diu huc illucq; incertus esset diuagatus, tandem laqueo se suspendit. Atqui non mitiori extimulantur inquie-

A inquietudinis œstro hi, qui traducta proborum uita atq; innocentia, miserabili triumphant spectaculo. Verùm quàm satius esset, Christi in hoc genere luctæ subijsse uices, quàm Iudæ. Depone illos itaq; Domine de sede, uexa, urge, stimula, atq; eousq; tandem afflige, quoad suo maximo cum opprobrio, cæterorumq; exemplo & instructione, fateantur nimiũ periculosum esse cum Dei amicis uelle depugnare. Vide interim quo isti affecti sint morbo.

Delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum, & comprehendantur in superbia sua, & de execratione & mendacio annunciabuntur.

Hactenus Hebræis est uersus, sed dissimili & litera & sensu, à nostro. Felix sic: Peccatũ oris eorum, uerbum labij eorum: & comprehendantur in superbia eorum, & de maledictione, & de mendacio, seu de execratione & macie narrabũt. Clarius ex eodem fonte alius: Propter peccatum oris eorum, propter sermonem labiorum, atq; superbiam eorum capiantur, propter periuria & mendacia singuli ducantur. Aben Ezra uult hîc intelligi uerbum illud superius dictũ, Depone, seu disijce: & erit sensus, Disijce illos propter peccatum oris sui, propter uerbum, nempe uenenatum, labiorum suorum: sua in superbia illaqueentur. Cur uerò id fieri appetat, addidit illicò, ut nonnulli uertunt, Propter periuria atq; mendacia fiant fabula uulgi. Dictio, quam noster uertit interpres, mendacium, Hebræis est etiam macies, ut hæc sit mulctæ acerbitas diuinæ, pallor scilicet ille liuidus & letalis, quem in facie uultuq; simul cum uecordia inesse cernimus obtrectatorũ maximè atq; inuidorũ. Quæ quidem infamiæ nota cùm cunctis ferè, diuino sic exigente iudicio, manifesta sit, in uulgi fabulam ac prouerbium facilè abit. Hunc quoq; sensum intellexisse uisus est Euthymius, qui sic ait: Propter blasphemiam & mendaciũ, omnibus sermo erunt & fabula. Quod sanè uno duntaxat uerbo, annunciabuntur, exprimere uoluit noster interpres, sed obscurè nimium.

In consummatione, in ira consummationis, & non erunt.

B Et hæc omnia, inquit, infelicissima illis contingent sorte, cùm consummatio, finis scilicet illorum prauitatis aduenerit: consummatio, dico, in ira: hoc est, cùm irati Dei iudicium super illos uenerit. Et tunc, qui aliquid modò esse uidentur, in nihilum relabentur. Talis igitur erit cõsummatio atq; exitus improborũ, in quos tam iusta uates, uates autẽ? imò ipse Dei spiritus in hoc psalmo inuectus est excandescentia. Et hæc quantũ ad literam nostrã spectant, sint dicta. Cæterùm Hebræi consummationis dictionẽ per uerbũ legunt hoc modo: Consume, consume in indignatione, & non sint. Quid sit porrò consume, elegantissimè aperit Paraphrastes: Finem impone, inquit, execrationibus illorũ: sic finem impone, ut nullæ sint amplius reliquię, & scient tandem Deum esse, qui imperium habeat in Iacob: cuius posteri non angustis, quemadmodum solent, limitibus continentur, sed omnes angulos terræ compleuerunt. Quod noster sic reddit interpres:

Et scient quia Deus dominabitur Iacob & finium terræ.

Amplissima iam facta est per semen illud feracissimũ è Iacob, quod Christus est, purgatissimarũ mentium, quarũ typus fuit Iacob, & ditio & imperiũ. Enimuerò ab arctissimis Iudæorũ pomœrijs nostra per Deum ampla emersit fides, qua sanè animati, quicquid sub cœlo conditũ est, nostro subiugamus imperio. Quid iam non audet anima Christo annexa? quid non subigit? quid non frænat? Tam certè immensa, tamq; admiranda huiusce animæ facta est dignitas ac potentia, ut meritò hîc Selah interiectũ esse à spiritu non ambigamus. Eant modò, postquam sic uolunt, malum in exitium perfidiosi isti delatores, canes nimirũ impudentissimi, quorum ora linguaq;, ac quicquid demum sunt, acutissimus mucro est: fiant, fiant uulgo ludibrium parabolaq;, ac publica in triuijs fabula.

Conuertantur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.
Ipsi dispergentur ad manducandum, si verò non fuerint saturati, & murmurabunt.

Replicat quod iam dixit: etsi nõ me clàm est, quosdam ex Hebræorũ doctioribus priorẽ uersum de circumcursantibus more canũ, actisq; odio ac studio occi

C dendi Dauidem, intellexisse: hunc uerò fame, ac tecti inopia. Quocirca quod no
ster uertit interpres, Et murmurabunt: illi, Non dormient. Quanquam Para-
phrastes absq; negatione sensum sic format: Et quia famelici non inuenient quo
saturentur, cubabunt: hoc est, inanes dormient. Felix autem utranq; lectionem
approbasse uisus est. Vagabuntur, inquit, tanquã profugi, quò sibi uictum com-
parent: sed absq; saturitate indignantes murmurantesq;, utcunq; quiescent. Tu,
mi lector, considerata tanquam in transcursu uatis calamitate, contrà diris suos
in aduersarios examinatis imprecationibus, certoq; de illis animaduerso uatici-
nio, ad nostra hæc tempora omnia transferre ne uerearis, imò cuncta hæc nostrã
ad eruditionem scripta esse arbitreris. Et ut apertior, quæ hîc obscurè dicuntur,
perueſtigandi pateat campus, immemor illius haudquaquã sis, quod in prophe-
ta Amos te legisse minimè dubito. Ecce, inquit, dies ueniunt, dicit Dominus,
& emittam famem in terram, non famem panis, neq; sitim aquæ, sed audiendi
uerbum Dei, & mouebuntur à mari usq; ad mare, & ab aquilone usq; ad orien-
tem circumibunt quærentes uerbum Domini, & non inuenient. En quomodo
sensu alio circumcursant uagantes, ut canes famelici. En quomodo non est qui
frangat illis panem. Cæterùm quòd psalmum ad felicissimã Christi resurrectio-
nem adaptent nõnulli, tam id laudo, quàm aliud quidem maximè, &, ut quod ue
rum est ingenuè fatear, in hisce occultissimis rimãdis mysteriis multùm adeò &
immoror & delector: sed nostrum id non erat institutum, idcirco ab alijs, qui ex
se nequeunt, hauriant.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo manè misericordiam tuam:
Quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ.

Sui sanctissimi moris non oblitus uates, ingentes sese acturum Deo, pro con
donata à malis liberatione, & gratias & laudes, maxima animi alacritate actripu
dio pollicet. Persuauis hîc mihi offertur antithesis: Ecce, inquit, ipsi, nempe adu
D latores, perfidiosi, maledici, delatores, loquent in ore suo, & gladius in labijs eo-
rum: ego autem cantabo fortitudinẽ tuam, non meam, quæ nulla est. Illi ut canes
adlatrabunt, insanientq;, ac quærentes quos mordeant, circuibunt ciuitatẽ, & id
sanè ad uesperã: ego uerò exaltabo mane misericordiã tuam, nõ hominum, quæ
tenuis est & imbecillis. Non quidem ueseram, ut illi, opperiar, sed summo ad te
confugiã mane, quam citissimè nimirũ, atq; in ipsa prima illucescentis gratiæ So
lisq; iustitię aurora: quoniam meis in tribulationibus & ærumnis factus es susce
ptor meus, meum refugium, mea pax, mea tota consolatio. Nec quidem ex me id
me acturum spondeo, sed quia misericordia tua præueniet me. Quapropter

Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea.

Cantabo igitur Domino, illiq; me totum dedam, atq; omnes meas cõsecrabo
uigilias, studia, actiones, qui bona tribuit mihi, qui me amplexatus est, qui susce-
pit, qui traxit, nõ homini qui mala intulit, qui abiecit, qui contempsit, qui auersa
tus est. Exin psallam nomini Domini altissimi, cuius ampla est misericordia, bo-
naq; uoluntas ad omnes. Cui laus sit æterna, atq; honos in secula seculorũ. Amẽ.

PSAL. LX. Víncenti. Super liliũ testimonij insigne Dauid ad docendũ, dum
præliaretur cum Aram Naharaim, & cum Aram Zoba, & reuersus est
Ioab, & percussit Edom in ualle Salis duodecim millia.

Deus repulisti nos & destruxisti nos, iratus es, & misertus es nobis.

Ne historiã illam totã aut bellum, pro quo psalmus iste fuit compo
situs, recenseamus, in secundo hæc tota Regũ libro fuse satis posita est.
Quòd uerò tam multis ornata sit uerbis inscriptio, id in causa esse arbi-
tror, quòd in bello illo memorabili, ac conflictu cum Syris habito atq; Edomæis
in ualle Salis, in quo decem & octo millia hostiũ desiderata fuere, diuina uisa est
apertius largiusq; suis fauisse bonitas, quàm alijs in prælijs. Cæterùm quid insi-
gne Dauid significet, iam diximus. Tantùm illud notandum, lilium testimonij,
candi-

A candidum gratumq; uatis animũ in asseuerando quæ fecit tum Deus in gratiam suorũ, denotari. Porrò Aram Naharaim ipsa est Syria Mesopotamiæ, longo à Iudæorum terra semota interuallo. Aram uerò Zoba, eam dicunt esse, quam nunc Palæstinam appellamus. Ad hæc ex Edom, qui est Esau, Edomæi originem habent. His igitur intellectis, ad uatis mentem interpretandã accedamus, qui suam, nostramq; in primis in hoc psalmo detestatur in cognoscendis Dei beneficijs tarditatem, unde ferè omnis peccatorum erupit riuus, ex quo diuina irritata patientia, adeò plerunq; suos sinit acerbè diuexari, ut prorsus nullam de illis curam habere uideatur. Nos sanè incogitantes, si nequedũ uel tenuè quidem suspicamur, cur tot quotidie increbrescant mala, coaceruenturq; dolosorum hominum insidiæ, augeantur homicidia, furta, rapinæ, usuræ, adulteria, & id genus alia infinita, quæ magis nobis extimescenda meritò essent, nisi tam lusciose res serias intuemur, quàm si terrificam Ottomanorũ classem iamiam, tutissimis incensis Italiæ portibus, ut minatur, fortissimã atqueadeo pulcherrimã Genuæ molem plenis subire uelis conspiceremus. Quò oro, quò nostra tandem sese direxit uecordia? quò impietas? quò diuini timoris neglectus? Reflectenda sanequam est demum nostra in peccatis consuetudo, retorquendumq; propositũ, & uoluntas mensq; mundi illicijs assueta, summo refringenda est nisu, atq; ad ea quæ hîc à spiritu dicuntur, à superuacaneis & curis & doctrinis retrahenda. Quotus enim quisq; est, qui grato animo ac prompto malit, quid loquatur in se dominus Deus, audire, quàm quod odium, ambitio, libido, fastus, atq; amor proprius suggerit, & infelicissimè obtrudit? Heu nostrã oscitantiam. Censemúsne uatem abiq; ratione tam flebile præsenti fecisse psalmo exordium? Quid miserius, quàm sic hominẽ à Deo destitui, repelliq;, ut dissipetur omnino, & destruatur? Clamat igitur, Deus repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es, & misertus es nobis. Immensæ res est calami
B tatis, à diuino abijci cõspectu. Quò tum se uertat anima? Si ad diuitias confugit, quæ res tam fragilis? si ad rerum imperium ac dominium, nil magis fortunæ ludibrio expositũ uidetur. Quicquid igitur in teterrimo hoc mundi statu inuenitur, siue is fauor hominũ sit, siue in rebus cæteris, quæ felicitatem polliceri uidentur, sit collocatum, non tanti æstimari debet, ut aliqua in eo pars esse censeatur, cuius fidei tam nobilis res, ut est hominis anima, tutò se queat cõmittere. Quod sanè (callidè quidem) aduertens Dauid, simulac suam, quemadmodũ uidimus, Deo occœpit exponere querimoniã, actutùm addidit, Reuertere ad nos. Nam quod noster uertit interpres, Misertus es nobis, Reuertere ad nos, legũt Hebræi. Vnde sic Paraphrastes: Ira deposita redi ad nos. & melior quidem, ut mea fert opinio, hæc est lectio. Quare sua in exponenda calamitate perseuerans adijcit,

Commouisti terram, & conturbasti eam.

Atq; iterum inceptam interserens suæ querelæ precationem, subdidit:

Sana contritiones eius, quia commota est.

In ira enim domini, clamat Esaias, conturbata est terra. Nulli dubium esse debet, sub typo illo antiquo populi Iudæorum, à uicinis continuè gentibus exagitati, Dei Ecclesiam adumbratã fuisse, cuius effigies ac forma, qualis futura esset in terris, à uate & doctè & graphicè admodum hîc exprimitur. Pro cõmotione quidem terræ conturbationeq;, seu, quod ardentius exprimunt Hebræi, confractione ac uulnere, uult uates populum Dei, qui sumus nos, adeò sæuè affligendũ intelligi, conterendumq;, ut non secus dirumpi uideatur, atq; solet terra grauiori permota concussu, altè hiare ac findi. Terra porrò, animus hominis est ac mens, quæ interdum propter perturbationũ acerbitatem, culturam spiritus auersans, tribulos & spinas, pro opimis frugibus, ad quas procreandas orta est, adducit. Cõmouisti, inquit, terrenum istuc cor nostrum, eiusq; robur attenuasti, æquéue propter grauissimũ persequutionum æstum rimas contrahere fecisti, ut solet ager ardentibus solis radijs, aut terræmotu, cõcuti & aperiri. Tu igitur qui nostro id merito malum in nos sæuire iussisti, tua solita admonitus à misericordia, terrenam hanc nostram imbecillitatem iam planè consciissam & ruptam, consolida

c & ſana: uacillat enim miſerandum in modum, & fatiſcit.

Oſtendiſti populo tuo dura, potaſti nos ϒ vino compunctionis.

En crucis Chriſti ſuauitas. Mollia quippe ſuis propinat mundus familiaribus, accumulatq; delicias delicijs, luxum luxui: Chriſtus uerò ſuis, pro his omnibus crucem, & eam quidem duriſsimam. Oſtendiſti, inquit, nobis dura, ô Deus. Verùm qua in re oſtenſa hæc eſt nobis durities? in tuo nimirũ filio, quem altiſsimo crucis ſtipiti, quò cunctis palàm foret, quod uitæ genus à tuis eligi deberet, confixiſti. Tunc ſanè mundo patuit uniuerſo, crucem Chriſtiano uiro neceſſariam eſſe. Et quidem, ut quàm procul ab omnibus mundi uoluptatibus abeſſe deberemus, quæ magnam partem in compotationum luxuria, atq; epularum poſitæ ſunt lenocinio, demonſtraret, aceto myrrha ac felle cõmixto potari uoluit, & id quidem (heu durum ſpectaculum) cùm quietiſsimã in cruce ageret animam. O ſi crucis myſteriũ non ignorarent mortales. Quid ſi non deſunt qui minimè ignorent, atq; ob inſignem, quam nacti ſunt in Eccleſia autoritatem, crucis delicias alios elegantiſsimè edoceant, & tamen crucem ipſi auerſantur, ſicq; uiuunt tanquam nunquam morituri, molles, delicati, moroſi, nihilq; tam pauidè metuentes, quàm ne quid tantillæ quidem à quoquã afferatur moleſtiæ? Cum inertibus iſtiuſmodi aluis, mi lector, nulla poteſt eſſe cum Chriſtiani uita coitio. Vide quid de Dei populo fateatur uates. Potaſti nos, inquit, uino compunctionis, uino amaritudinis, uino mœroris, anxietatis, toxici, & quod bibentes haudquaquam exhilarare ſoleat, ſed quod mœrore conſumat, & contabeſcere faciat. Iam diximus uini portionem, ſeu poculum aut calicem, ſuam unicuique eſſe bonorum malorum'ue contingentem à Deo partem. Voluiſti, ait, portionem omnem noſtram in hac uita crucem eſſe, quæ tamen cùm moleſtiſsima noſtræ uideatur eſſe ignorantiæ, mirabiles tamen conſolationum ſuauitates afferre conſueſcit. Siquidem

D *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ϒ vt fugiant à facie arcus.*

Aptè ualde à noſtro interprete uerſum eſt, ſignificationẽ: nanq; inter caſtrenſes ordines præcipui hi ſunt, ut aut erecto per uexillum ſigno (ſignum uolũt eſſe ſignificationem, qua totius rei qualitas indicatur) ſuum miles teneat locum, atq; ita ſignum ſequi aſſuefactus, quem ordinem, quem'ue ducem attendere debeat, perdiſcat: aut alio audito ſigno ſiue per tubam, ſiue per notam aliam, quid iubeat imperator, intelligat. Ita anima, ea præſertim quæ uim hoſtiũ haud ignauiter ſuſtinet, uiriliterq; ſuũ ſeruat locum atq; ordinẽ, à ſigno ſibi dato ne parũ quidẽ diuertit. Id Dei uerbum eſt, quo accepto per fidem, quid ſuus imperet dux, cuius ea in primis eſt uoluntas ac iuſſio, ut animoſe in hoſtes irrumpens, à conflictu nõ niſi uictrix abſcedat, optimè callet. De hoc itaq; ſigno ſuo populo dato ſibi applaudens Dauid, ita ſummo omniũ ductori Deo gratias agit, dicens: Tu domine, atque idem dux noſter ac rex, dediſti hac in periculoſiſsima cum ueruſtiſsimis hoſtibus pugna, non illis quidẽ qui tuo deſerto ſigno ad hoſtes transfugiunt, à teq; turpiſsimè deſciſcunt, ſed metuentibus te ſolummodo, tuumq; irreuerberato obtutu obſeruantibus uexillũ, ſignificationes, quibus auidè ſuſceptis intellectisq; letales hoſtiũ arcus ac tela cautè ſanè declinare aſſueſcant. Hebræi tamẽ pro, Vt fugiant à facie arcus: habent, Vt exaltent à facie ueritatis: quò occultũ hîc aduertamus myſteriũ, nempe uictoriã noſtram omnẽ, diuinarũ pollicitationũ ueritati ac conſtantiæ referendã acceptã, ne militiã hanc in fidei caſtris optimè à nobis geſtam, rei alteri, quæ non ſit Deus, adſcribamus. Idcirco quò maximã hîc opus eſſe animi attentionẽ intelligeremus, interpoſitũ eſt Selah. Parum'ne id eſt, pollicitationum nos cumulo penè obrutos, à Deo, licet infinitis à nobis laceſſito iurijs, non falli? Quem unquam inter homines iſtiuſmodi affectum animi benignitate & conſtantia uidere contigit? Atquí humanis nunquam tam offendi poteſt erratis diuina bonitas, quin ſe aliquando promiſsi pigeat, quo minusq; quod pollicita eſt, & conſtantiſsimè ſeruet, & ne æternum quandoque intercidatur

conſilium,

A consilium, misericorditer admoneat. O certè amorem nõ tam facilè, ut fit, à mortalibus contemnendum. Dedit enim signum, non Iudas, aut quispiam alius proditor, sed amor diuinus: dedit promissiones, dedit, qua se iureiurando astrinxit, fidem. Quid ueremur? Id, inquam, signũ, hanc significationem, hanc notam dedisti nobis, ô Deus, ut exaltentur, ut triumphent, ut liberentur dilecti tui, qui ut tui essent, tuaq; in uerba iurarent, & sacramentũ dicerent, tu ab æterno statuisti. Quare cùm nostra omnis à te dependeat uictoria & salus,

Saluum fac dextera tua, & exaudi me.

Hinc sanè, id est, à Dei manu & uoluntate, mortaliũ omniũ emanat salus, atq; ab hostibus uictoriæ trophæum. Vt eripiantur è periculis amici tui, ait Campensis, tu dextera tua uictoriã affer, & responde uotis nostris. Illud enim quod nos legimus, Et exaudi me, Hebræis est, Et responde, seu annue mihi: quę utiq; lectio ardentiorẽ præ se fert animi motũ, quàm si simpliciter legas, & exaudi me. Verũ

Deus loquutus est in sancto suo, lætabor, & partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor.

Non est robur aciis cum ea comparanda, qua quis in diuinis sperans, quæcunq; contingant, promissionibus, afficitur. Dauid enim simul ut se suumq; populum à Dei repulsum fauore questus est, hîc animũ colligit, fateturq; sese, quæcunq; à diuino sibi antea promissa fuerant oraculo, breui possessurum: inter quę quidem illa erant, quorum sigillatim mentionem hîc facit. Tu interim, mi lector, ad secretas excutiendas uocum harum causas mentem promoue. Sichimã enim, quæ & Sichem, in monte Ephraim posita est, ubi & ossa Ioseph conquieuere, Humeri interpretatur Philo. Non uno quidem omnes humero iugum Christi ferunt Christiani. Conualles uerò tabernaculorum, ipsa est Sochoth seu Succoth, hoc est, tabernacula quæ ibi ædificauit Iacob, diuiso ab illo in itinere fratre.

B Has terras igitur suo se dominio subiecturum canit uir Dei, & id quidem maximo animi gaudio, quia sic promiserat Deus. Partiri porrò uerbum, ac metiri, pro obtinere, iureq; debito possidere, poni hîc ducas. Nam funibus olim metiri, partiriq; bona, maximè hæreditaria, consueuerant homines. Cæterùm, In sancto suo, Hebræis est, in sanctitate sua, seu, in sacrario suo, quò hinc intelligas, pollicitationes illas à diuino exijsse propitiatorio. Quanquam nihil obstat, quin in sancto suo legi queat, cuius sensum sic reddit Paraphrastes: Deus, inquit, promisit per spiritum sanctum suum hæc se facturum, quare ego seriò exultabo: diuisurus enim sum pro meo arbitratu Sichem, & uallem Succoth tanquã meam dimetiar. Deus igitur promittens mihi dare, quæ dicam, loquutus est in sancto suo (hic est Christus, atq; eius spiritus) idcirco lætus, quæ pollicitus est obtinebo, meoq; subdam iuri. Siquidem iam

Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei, Iuda rex meus.

Hucusq; Hebræis is est uersus. Galaad, qui interpretatur aceruus testimonij, in Galilæa ultra Iordanem positus est. Itidem & Manasses, quæ est obliuio. Porrò Ephraim, quem frugiferũ uocant, idcirco fortitudinem sui capitis appellat uates, hoc est, robur sui principatus & regni, quia potentior alijs tribus fuerat ac numerosior, adeò quòd pro tota multitudine decem tribuum nonnunquã sumi soleat, ob id etiã, opinor, quòd post mortem Salomonis, decem tribus contra Dei præceptum sibi in regem asciuerunt Hieroboam, qui è tribu Ephraim descenderat. Ad hæc Iuda, quem Philo laudationem seu confessionem interpretatur, totius regni Dauid atq; Ecclesiæ dux est, ac rex siue princeps, aut, ut nõnulli ex Hebræo uertunt, moderator: utraq; enim lectio mirandũ in modum conuenit Christo. Hæc mea, inquit Dauid, iam sunt, iam in meam cessere potestatem, posteaquàm qui promisit, Deus est. Quinetiam meo subijcietur imperio

Moab, olla spei meæ: in Idumæa extendam calceamentum meum.

Sordidum atq; humile externarũ nationum, uti erant Moabitæ & Aedomæi,

C ſibi ſubiugandarum prædicit obſequium: unde Moab uocat ollam, ſeu lebetem ſuæ lotionis, ut legunt Hebræi. Quid, oro, in ædium ſupellectili uilius inuenitur pelluuio ad abſtergendas pedum ſordes fabrefacto? Ita, inquit, meũ erunt ad obſequiũ Moabitę, ut uilis eſt olla aut lebes: atq; in Idumæos, tanquã in penitus mihi ſubiectos, extendam ſeu proiĳciã indignabundus calceamentũ meum. Quid? non modò quidem meæ gentis homines, qui aut à uicinis ſubiugati fuerant hoſtibus, aut qui ſuapte ſponte meo à regno defecerant, recuperaui, uerum etiam

Mihi alienigenæ ſubditi ſunt.

En maxima purificatæ mentis uis & poteſtas. Vide cuius conditionis hi ſint hoſtes, qui à ſanctorũ ſubiugantur exercitu. Moab enim, de quo illud canitur elogiũ, Moab ſuperbus eſt ualde, ex patre interpretantur. quis uerò ſit pater iſte, quíq; illius filĳ, ſapientiſsimus aperit magiſter: Vos, inquit, ex patre diabolo eſtis. Porrò Idumæa, ſanguinea ſeu cruenta interpretantur. Quid uerò præ ſe ferat ſanguis in ſcripturis, tum aliàs, tum potiſsimè in pſalmo quinquageſimo primo eſt dictum. Cæterùm, Alienigenæ ſubditi ſunt, Hebræis ſecus eſt: Super me inquiunt, Philiſtæa iubila. Mos erat populo Iſraëlitico, circumiacentes, Allophylos, Philiſtæos ſiue Palæſtinos appellare: idcirco ex interpretibus alĳ Philiſtęos, alĳ alienigenas tranſtulerunt. Quid autem ſibi uelit, Philiſtæa iubila, ſic opinantur nonnulli, ut ſit per ironiam ad hunc ferè modum dictum. Deuictis enim circunquaq; hoſtibus, tu Philiſtæa iubila ſuper me, uel contra me. quaſi diceret, minimè id quidem erit, ſed uicta & tu cum cæteris mihi obtemperabis. I nunc, ac in me, quemadmodum ſolebas, arma exacue, deridéq; ſi quid meo ab exercitu malè pugnatũ fuit. Alĳ item uolunt acclamationem illam ſignificari, qua ſuo cõſueſcunt ſerui domino adblandiri, & quicquid agant laudare, ſiue bene id actum ſit, ſiue malè: quod quidem ſeruitutis genus turpiſsimũ omnium eſt. Verùm aliud ſenſiſſe Campenſis uidetur, qui ſic reddit: Philiſtęa, ſi ſapis, ambi amicitiã meam.

D Sed noſtra haudquaquam contemnenda eſt litera, quæ ſenſum planè eundem cum Hebræis, etſi aliter pronunciatum, expreſsit. Verùm iam ad effectum fidei contemplandum nos uocat ſpiritus.

Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vſq; in Idumæam?

Tametſi id uates de Rabbath metropoli Ammonitarũ, quã longa difficiliq; expugnatã obſidione tandem obtinuit, ſentire uideatur, in quo quidem bello & ipſi quoq; Idumęi deuicti fuere, alió nihilominus eum ſpectaſſe arbitror, eò ſanè ubi uera munitionũ ciuitas ſita eſt, in monte nimirũ Sion, in monte ſpeculationum pleniſsimo, in monte illo qui mons montiũ à ſacris appellatur uatibus. Ea eſt (ni prorſus Dei ſpiritu deſtituti ſumus) urbs fidei, urbs amoris, urbs miſericordiæ, urbs in qua Chriſtus torcular calcauit ſolus, urbs purificatarũ duntaxat animarum domicilĳũ ac ſedes: & ut tandem, quod nondum dixi, dicã, ea eſt Eccleſia circũquaq; munita caſtris illis, quibus à ſanctiſsimo Iacob uiſis, exclamauit, Caſtra Dei ſunt hæc. Putás ne deeſſe poſſe munitiones in caſtris Domini? Irrugiãt dæmones, irrumpant, ut lubet, ſectæ & hæreſes, improbíq; illius inſultent ciues, perſtat inuicta. Nam in Chriſto cùm fixas altè habeat radices, qui uniuerſorũ dominus eſt, quid has mundi tenues pertimeſcet iniurias? O quis me, inquit, ad ciuitatem illam bonis omnibus refertã deducet illæſum? O quis me adeò inſigni robuſtoq; fulciet animo, ut uel in intimos hoſtium irruam cuneos, Idumæorũ nimirum ſanguinariorũ uexantiumq; in innocuis puræq; uitæ hominibus Deum?

Nónne tu Deus qui repuliſti nos? & non egredieris Deus in virtutibus noſtris?

Imò quæ tua eſt immenſa erga tui cultores facilitas & clementia, nobiſcũ una cum noſtris copĳs egredieris ad prælium. Tu enim qui iampridem noſtris offenſus ſceleribus, nos prorſus repuleras, ac tanquã hoſtes, ut eramus, abieceras, ille es qui tuæ recordatus miſericordiæ, me in urbem illam munitiſsimã introduces, nobiſcumq; noſtros ad debellandos inſidiatores armatus exibis. Cæterũ ſi abſq; interrogatione hunc uerſum legi poſſe opineris, ſunt quibus tuam fulcias opinionem.

A nionem. Nam ex Hebræo ſic quidam uertũt: Certè tu Deus, qui depuleras nos, & non egrediebaris cum exercitibus noſtris, modò egredieris. Paraphraſtes uerò per interrogationẽ legens, Nónne, duplicat hoc modo: Nónne tu Deus qui auxilio tuo longo nos tempore deſtitueras? nónne tu Deus nunc egredieris in prælium nobiſcum, & dux eris exercituum noſtrorum? Quare

Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis.

Opinor hîc quidem, ut erat perſpicaciſsimo uir ingenio ac ſpiritu, uatem non abſq; animi dolore & præuidiſſe, & quæ hoc in uerſu dicere uoluit, mandaſſe literis. Præſenſit enim uir pius, quàm uanum, quàm futile, quamq; elumbe futurũ eſſet in Dei Eccleſia quorundam patrocinium, moresq; difficiles & doloſi, qui cùm religionis tranquillitati autoritate inſignes cõſulere & poſsint & debeant, nihil tamen minus agunt. Siquidem cùm diriorem aliquam perturbantium pacem imminere ſenſerint procellam, aut metu perculſi, aut ſua ſolita delectati tum ignauia, tum doloſitate, ſeſe clàm ſubtrahũt. Vnde deluſa innocentia, præterquàm quòd abſq; defenſore à nefariis malè habetur hominibus, in illud cogitur, rei euentibus edocta fractaq;, interdum erumpere querimoniæ pleniſsimũ, Vana eſt ſalus hominis. Imbecille, ne dicam perfidioſum, humanũ eſt perfugiũ. Flaccida omnino eſt mortalium uirtus ac robur. Da igitur tu ô qui potes, nobis noſtris in tribulationibus auxilium, ſimulac ne unus quidem eſt inter homines, qui non ſua diligentius curet cõmoda, quàm amicorum, atq; eorum quidem qui ideo à peruerſis uexantur hominibus, quia boni ſunt, quia uirtutibus præditi, quia morati, quia pro te, tuoq; honore ac religione millies in die uno emori malunt, quàm nefarijs illorum aſſentari moribus, turpiſsimamq;, atq; adeò ambitioſiſsimã eorum probare uitam. Quare nos huiuſcemodi auerſati hominũ ſpectra,

In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.

B Quanta hîc affici debent lætitia crucis æmulatores, quorũ ea eſt in malis inſtitutio & conſilium, ut nihil ex ſeſe, quod laude dignũ admodũ ſit, agi poſſe exiſtiment, ſed omnia ex Deo. Hac enim imbuti perſuaſione, quicquid cõtingat, inferaturq; iniuriarum à dæmone, à mundo, à priuatis item domeſticorum inſidijs & fraudibus, in Deo fixi manent, ab eoq; feliciſsimè dependent, nihil interim in terris arbitrantes, quod idem uanitati nõ ſit ſummè obnoxium, idcirco & debile & caducum. Iacto itaq; hoc in ſchola fidei fundamento, perfectiſsimã in Deo ſolo eſſe quemadmodũ ſapientiam & bonitatem, ita uirtutem, fortitudinẽ, pronamq; ſubueniendi ſuis uoluntatem, cenſendum erit: quibus ſanè tam excelſum indutũ armis numen, adeò funditus noſtros conculcat aduerſarios, ut in nihilũ omnino (quemadmodum quotidianis ac frequentibus intuemur exemplis) reſoluantur. Cui propterea honor ſit & poteſtas in ſecula ſeculorum, Amen.

PSAL. LXI. Víncenti. Super canticum Dauid, ſeu ſuper inſtrumentum muſicum.

EXaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ.

Quando, aut quo tempore, quóue in periculo conſtitutus Dauid hunc compoſuerit pſalmũ, fatentur interpretes ſe ignorare. Quare ne plus quàm par eſt, in dubijs torqueamur, illud compertũ, uatem ſumma in anguſtia animi poſitum, hanc Deo, miſerorũ perfugio, obtuliſſe precationem. Et quòd deprecationem prius, orationem poſtea interſerat, nihil aliud eſt, quàm ex repetitis eiuſdem ſenſus uerbis maiorem uelle exprimere indigentiam & calamitatem. Superflua ea eſt cura, qua hîc hi afficiuntur, qui in uocum huiuſcemodi partitionibus uanè admodum immorantur. Ait igitur uir ille ſanctiſsimus, qui omnibus fermè ſuis in actionibus ac preſſuris, Chriſti atq; eius ſponſæ typum præ ſe tulit, Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ. Sunt ne hæc hominis parua affecti perturbatione, an maxima illa quidem? audi, inquit, ſuccurre, ſubueni, fac ne meæ ſuo fruſtrentur deſiderio lachrymæ. Nam

C *A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti mę.*

Interpunctũ hîc ſecus Hebræi collocant, quàm noſter interpres, aptè id quidem. Ab ima hac, inquit, terrarum regione, quæ longo à cœlo diſsidet interſtitio, ad te, qui excelſo in ſolio ſedes, clamaui, clamoq́, ac quanto poſſum animi ardore ſuſpiro. Nam non me latet, quàm liberaliter me aliàs in anxietate animi conſtitutum erexeris, in locumq́ tutiſsimum, tanquam in rupem undiq́ præciſam, ad quam tamen meis pertingere uiribus nequaquã poteram, perduxeris. Quod enim noſter interpres uertit, In petra exaltaſti me, id Hebræis perinde eſt ac, rupem in æditiorem, quàm ut eam poſsim conſcendere, me ſubduxiſti. Vnde Felix: In rupem altiorem ne diriges me. Quanquam certè mihi quidem hîc neſcio quid luminis effulget, cùm in mentem uenit, Chriſtum petram eſſe, robur ſcilicet noſtrum, fidamq́ ſtationem ac refugium. Ad hunc ſanè lapidem è monte exciſum ſine manibus, cùm ab importuna carnis illecebra diſtringitur anima, uexaturq́ à mundo, aut ab improborum hominum arctatur iniurijs, fiducialiter recurrit: ubi ſanè collocata, placidiſsimè ſic ſuum alloquitur ſponſum: In petra exaltaſti me, &

Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici.
Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſecula, protegar in velamento alarum tuarum.

Non contenta anima ſuum uocaſſe amatũ, petram, nempe arcem tutam, atq́ hoſtibus inacceſſam, eundem ipſum fortitudinis turrem, ſubindeq́ tentorium, atq́ alarum receptũ, quaſi illi ſubblandiens appellat. De quarum ſanè uocum ſignificatione pluries in ſuperioribus à nobis eſt dictũ. Porrò hîc Selah additur, quò quanti faciendus ſit Dei fauor animaduertamus, poſtquam tam uarijs, eiſdemq́ ſuauiſsimis, ab anima appellatur uocibus. Quid turre in ædificijs excelſius? quid tam tutũ, quàm in ipſo ducis diuerſari tentorio? Quid amabilius, ſua-
D uiusq́ audiri poteſt, quàm ſic noſtram à Deo defendi foueriq́ ſalutem, ac ſolent pulli implumes ſub matris ſedulæ alis protegi, atq́ à grandioribus muniri auibus? Si quidem in ualle hac ima atq́ cœnoſa miſeriarũ, ſexcentisq́ inundata ſordium paludibus, ac infinitis obiecta periculis, immorari nos piget, pudetq́, en turris fortitudinis, atq́ innocentię, cuius aditus & aſcenſus tam patens eſt & commodus, ut uel ipſis claudis & uaricoſis obuius ſit & facilis, ſi ab externis moleſtijs, quibus multifariam uita hæc afficitur mortalis, impetimur, ſi in nos coniurato ueluti agmine diri inſurgunt oblocutores, ſi inuidi, ſi nefandiſsima delatorum illuuies & uulgus inſidiatur. En arx munitiſsima, leuioribus tantummodo peruia animis: en tentorium refrigerij, en alæ, en umbra illa ſaluberrima, è qua ſupercœleſtis afflat ſpiritus, odorq́ gratiſsimæ ſpirat ſuaueolentiæ, quo languidæ recreantur animæ, ac uim ſumunt, reſpirantq́ in Deo. Porrò, deduxiſti me, aut uacat omnino, aut ſuperiori necti debet uerſui. Sequentẽ enim ſic incipiunt Hebræi, Quoniam fuiſti ſpes mihi,

Quoniam tu Deus meus exaudiſti orationem meam, dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum.

Solidiſsimę hæc ſunt uerba fidei. Iam, inquit, mi Deus, præſentio te, quicquid à me oratum eſt, non negaturum. Simili quidem armata uirtute, & accenſa igne oratio, cor hominis imperturbatum efficit, atq́ in ſapientiſsimo Dei ordinationis conſilio quieſcere facit. Quæ autem ſint ea quæ ſuis in precationibus, familiariq́ cum Deo congreſſu efflagitet anima, breuibus exprimit propheta: nempe, uitæ æternæ, hoc eſt, ipſius Dei hæreditas & poſſeſsio, quæ cùm omnibus expoſita ſit, his tantummodo qui Dei nomen timent, ſummiſſeq́ uenerantur, atque propterea in eius cenſentur ſortem, contingere decreuit cœleſtis pater. Qualis uerò ſtatus ille feliciſsimus diuinæ hæreditatis futurus ſit, temporarius ſcilicet, uel ne, adijcit ſpiritus inquiens:

Dies ſuper dies regis adijcies, annos eius uſq; in diem generationis & generationis.

Iam de ætate regis Iſraëlis, mortalis nimirum hominis, ac nõ ſecus in terris duraturi,

A raturi, quàm durat flos in pratis inciſus, minimè id dici arbitror, quòd uidelicet ſi lius anni in diem generationis & generationis prorogandi fuerint. Periphraſis quippe eſt, qua æternitas ſignificatur. Aliud itaq; ſeculum, quod ſempiternum ſit, aliusq; rex, cuius diebus dies alij atq; iterum alij adijciantur, quærendus eſt, cuiusq; hæreditas æterno duratura ſit æuo: hunc Chriſtum Dei filium eſſe quis ambigit? De quo quidem regno ſic duos ultimos pſalmi uerſus interpretatur Chaldæus: Sedebit in ſecula in cõſpectu domini bonitas, atq; ueritas à domino mundi cuſtodiet ipſum. Idcirco laudabo nomen tuum in ſecula, cùm reddã uota mea in die redemptionis Iſraël, & in die qua ungetur rex Meſsias, ut ſit rex. Itaq; habita hæreditatis mentione, ne illam ex eis eſſe rebus, quas paſsim inhiant homines, ſuſpicaremur, ſtatim ſubdidit, æternã eam eſſe, cuiusq; dominus æternus ſit & immortalis: hiſce enim circũlocutionib. de Chriſti loquentes diuturnitate, uti conſueſcimus. Quicquid tamen de illa dixeris, ut inquit Auguſt. minus dicis: ſed aliquid neceſſe eſt dici, ut ſit unde cogites, quod dici non poteſt. Verùm ſordidos puriſsima nequaquam admittit conceptus diuinitas: in his enim peruestigandis è uulgo hominum exire neceſſe eſt. Vide igitur, & caſtiſsimo contempla re intuitu, quid de noſtro concludat rege ſpiritus.

Permanet in æternum in conſpectu Dei, miſericordiam & ueritatem eius quis requiret?

Stat, inquit, rex iſte noſter æterna, immobiliq; corã Deo, Deus ipſe, generatione, ubi præſtò eſt, ut ait Auguſt. ad miſerendum omnibus. Verũ tantæ illius beneficentiæ copiam, ut eſt miſericordia, ac qua conſtantiſsimè quæ pollicitus eſt ſeruat, ueritas, intelligere, quemadmodum hîc aſſerit uates, quis idoneus? quis in terra hac caliginoſa diuerſans, in qua innumerabiles inſunt errores, diſquirere illa unquã poterit? Nemo ſanè homo eſt: ſed qui puriori ſunt animo & miti, facilius ad ea tentanda, quæ nec ipſis beatiſsimis quidem diuinę prouidentiæ miniſtris plenè innotuerunt, euolant, quàm qui turpi & ſuperbo. Atqui ut cum meo
B ſanctiſsimo gentili quod uerum eſt concludam, nõ poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datũ de cœlo. Iam illud non omittendum, quòd hîc Hebræorum interpretes tranſtulerunt, Miſericordiam & ueritatem præpara, cuſtodient illum. Et eſt uatis, feliciſsimum Eccleſiæ ſtatum prænidentis, ad Deum precatio, ſimplexq; ad illos qui illius uices in terris executuri erant, admonitio. Prępara, inquit, ô Deus regnum, qui ab æterno tibi coæternum præparaſti regem. Præpara regnandi modum & rationem, quam in miſericordia potiſsimũ ac fide conſiſtere, in te ô beatiſsimum lumen animæ præuideo. Hæc ſanè cuſtodient illum, nemperegẽ, qui inter malæ fidei homines habitaturus eſt: alioqui certè partibus illiuſmodi regno omni neceſſarijs, à iudicijs ac tribunalibus eliminatis, ſecedet rex, à mundoq; effugiet. Etenim feliciſsimi iſtiuſmodi regis miſericordia in primis ac ueritas regnũ parient, à quib. quidẽ, tanquã à duabus inſeparabilibus ſororibus, omnia illa quæ reipub. Chriſtianæ moderatoribus neceſſaria omnino erunt, proficiſcentur bona, pax uidelicet, iuſtitia, charitas, ęquitas, ac ſancta in rebus gerendis prouidentia: hæc enim à gubernandi ratione haudquaquã diſſocianda ſunt. Aliter uerò ſi contingat, Chriſtianum ne illud unquam cenſebis iudicium, à quo id longè ſemotum eſt, quod præcipuum ſuo ineſſe regno decreuit Chriſtus? Verùm quæcunq; agant, acturiq; ſint homines, mea haud multum intereſt: ego enim abs te edoctus, mi Deus,

Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum ſeculi, Vt reddam Vota mea de die in diem.

Sic, ea ſcilicet fide, quam te coram profeſſus ſum, animatus, tibi metra omnia mea, tuum ſanctiſsimũ nomen, regnumq;, cuius in miſericordia & ueritate uim omnem gubernandi eſſe uoluiſti, celebrantia, & dicabo, & cum laudum gratiarumq; actionum cumulo conſecrabo, atq; eo ſanè modo uota omnia mea deſideriaq; te tuamq; religionẽ extollendi dilatandi ue, atq; uel uſq; ad extremos orbis incolas tranſportandi, quotidie, quoad uixero, tibi uniuerſorum regi gratanter nuncupabo, perſoluamq;. Cui laus ſit perennis, quemadmodum perenne eſt regnum, in ſecula ſeculorum. Amen.

C PSAL. LXII. Vincenti. Super Ieduthum pſalmus Dauid.

Nonne deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum.

Mirũ quàm uariè ſeſe torqueant interpretes in re prorſus abdita, ut ſunt ferè omnes pſalmorũ inſcriptiones: quorum nõnulli, quò aptius (utinã non ineptè) ſuas concinnent diuiſiones, cauſas neſcio quas ſibi effingunt, ac, ut cum rubore dicã, quamobrẽ uates illos, qui omnino abſq; titulo ſunt, uel quo tempore compoſuerit pſalmos, tanquã res ludicras tractarent, ſomniant. Quàm ſatius proculdubio, magiſq; utile foret legentibus, ſuã ingenuè hac in re tanta fateri ignorantiã, quàm opinationibus plerunq; inſulſis ac friuolis ingenia obruere liberalia. Quod ſanè à quibuſdã expoſitoribus modeſtiſsimè fieri uideo, qui cùm certã inſcriptionũ rationẽ neq; à proprio ingenio, neq; ab interpretibus Latinis, neq; ab ipſis quoq; Iudæis reperirent, illis omiſsis, ad explanationem pſalmorum ſeſe ſimpliciſsimè contulerunt. Huiuſce omnino generis is eſt pſalmus, quem nunc ad extollendam animæ fiduciam in Deum exponere cupimus: faxit Deus ut ea, qua cõuenit, animi puritate & caſtimonia, tam ſuauem animæ affectum & ſentiam, & ſtylo perſequar. Cæterùm Ieduthum nomen fuiſſe inſtrumenti muſici cenſet Felix, idem Rabbi Salomon, ad cuius harmoniam hunc pſalmũ decantari ſolitũ opinantur, Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meũ. Dauid quidem, utpote, quod pluries dixi, typus cùm Chriſti, tum illorum qui ad Chriſti corpus attinent, ſuis in aduerſis ſe ſemper abiectũ puſillumq; & iudicauit & faſſus eſt. Verùm cùm ſe Deo curæ eſſe, tanto ſcilicet domino ac regi cogitaret, ſe tutum omnino reputans, in uerba amoris ac ſummæ in Deum fiduciæ prorumpere cõſueuerat. Nam cùm uarijs ſæuiſsimisq; ob perſecutionũ immanitatem premeretur aduerſis, atq; animi permotionibus,
D adeoq; plerunq; in diuerſos tum iræ tum ulciſcendi ſeſe, tum deſperationis quoque diſtraheretur affectus, ut penè ab ingruentibus obrueretur malis, ad conſuetum idemq; tranquilliſsimũ Dei perfugium recurrere ſolitus erat. Ab una enim parte tanquã in bilance ſuam appendens miſeriã, ab alia Dei opem & miſericordiam, ſic ſeipſum alloquitur intra ſe: Nonne meã Deo, quæcunq; accidant, ſubiectam eſſe animam decreui? Vnde igitur tantæ animi cõmotiones? unde tempeſtas? Certò enim ſcio meam ſalutẽ non ab armis corporeis, non à meipſo, non ab hominibus cæteris natura uanis & fallacibus pendẽre, ſed à Deo. Hebrei uerſum abſq; interrogatione legunt. Sic Felix: Certè ad Deum reſpicit anima mea, ab ipſo ſalus mea. Alij uerò, quod & ipſe approbat Fel. uertunt, Ad Deum ſilet anima mea: id eſt, cum ſilentio & patientia Deum, eiusq; opem præſtolatur. Vnde ſic reddit Paraphraſtes: Meritò Deum patienter expectat anima mea, ab ipſo enim proueniet ſalus mihi. Cauſam porrò ſuæ exprimens fiduciæ ita intulit:

Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus, ſuſceptor meus, non mouebor amplius.

Iam me, inquit, ſua in fide tam firmũ eſſe iuſsit, ut impoſsibile planè uideatur, me multũ poſſe amplius labaſcere & nutare. Perſtabo igitur in eo qui meũ eſt robur, mea rupes, mea arx, meum propugnaculum, in eiusq; cultu & religione, uel inuitis hoſtibus perſeuerabo. Verùm

Quouſque irruitis in hominem? interficitis vniuerſi vos tanquam parieti inclinatos, & maceriæ depulſæ?

Apoſtrophe eſt, atq; in hoſtes ſumma armata fide inſultatio. Sed ſuã cauſam attenuat uates, ſeq; ruinoſo parieti, impulſæq; maceriæ ſeu ſepi, ut legũt Hebræi, comparat: & eſt ſenſus: Quò ueſtra, ô perfidiſsimi omnium, progreſſa eſt impietas, ut tanquam effrenatæ belluæ in hominem irruatis innocentem? Quò uos (malùm) diuinorum protraxit obliuio iudiciorum, ut uos, uos, inquam, uniuerſum meum in exitiũ cõiurati, in inferenda mihi morte properetis? An uos latet, quòd in parietẽ rimoſum, iamiamq; cadentem, aut maceriẽ ſepemq; diſſolubilẽ crudeliſsimè deſæuitis? Atqui notanda eſt hîc maxima in uate, in hiſce mutilis uer-

A uerborum cõcisionibus, & admiratio & dolor. Interficitis uniuersi uos? quasi dicat, Et amici & inimici unà meam in ruinam conspiratis? Verùm in quẽ uestra fertur rabies? in parietem nunc nunc casurum? in maceriem planè labilem? in sepem ipsis etiam grandioribus animantibus facilem ac peruiam? Egregium sanè facinus, dignumq; quod ad posterorũ memoriã mandetur literis. Cæterùm non prætermittendũ, huius uersus literam & sensum Hebræis secus esse. Sic illi: Vsquequo cogitabitis prauitates super uirum? occidemini omnes uos sicut paries inclinatus, maceria expulsa. Ex hac sanè litera Hebræorum uidere licet uerbum, interficitis, similiter & reliquas uersus dictiones ad hostes referri, non ad uirum iustum, quò planè perspicuum omnibus fiat, mala illa quæ à pernicioſis inferuntur hominibus, diuino sæpenumerò in eorũ exitium reflecti iudicio. Etenim uerius id est, quàm quis inficiari debeat, malignorum hominum consuetudinem & mores, tanquam parietem esse caducum, & rimarum plenum, qui proximè prætereuntes, ni cauti sint, atq; aliò diuertant, subito casu opprimit & ruina. De huiusmodi ego quidem hominũ genere à uate illo dici arbitror, quòd parietem perfodient, ut educãt eum. Verùm si cui magis nostra arridet litera, Chaldaicam secum facere gaudeat, quæ sic habet: Quousq; tumultu (ecce irrationabilia peruersorum hominũ consilia) irruitis in uirum sanctum, & fecistis seruire uos omnes interfectioni? In cæteris uerò cum Hebræis consentit.

Veruntamen precium meum cogitauerũt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.

Precium suum, uocat propheta suum honorem & existimationem, è qua ut illum deturbarent improbi, conspiraverant. Felix sic: Propter exaltationem eius inierunt consilium, ut expellant: hoc est, ut efficiant ne exaltetur. In hoc enim toti incumbũt uiri athei, ne boni ad dignitates asciscantur, enitunturq; tum ui, tum
B mendacijs dolosisq; inuentis, fraudibus, periurijs, ut quod moliuntur miseri, etiam cum iniuria Dei maxima, atq; eius religionis damno adipiscantur. Interim uerò purissimus probi uiri animus hæc uidens ridet, tantumq; abest ut sua à modestia discedens, ob rem tam friuolam irascatur, ut etiam cum magistro suo ambitiosorum huiusmodi hominum & iniquorum salutem sitibundè expetat & quærat. Hinc est proinde quod hîc attexit uates: Cucurri, inquit, in siti. quanquã Hebræis alia est litera & sensus. Diuus enim Hieronymus, Placebunt sibi in mendacio, uertit. alij item ex Hebræo, uel uolunt uel affectant mendacium. Quocirca unde noster hauserit interpres dictionẽ, sitis, me latet omnino. Vult uates perfidiosorum faciem huiusmodi uerborum circumlocutione describi. Cogor sanè hîc, quod sæpe facio, integerrimi iuuenis, fratris mei cineres, hoc in sanctissimo Casini templo, in quo nunc & ego ad sepulchrum mei patris Benedicti, & dies & noctes, meos mœrẽs tristisq; reputo annos, exosculari dissuauiariq; : qui cùm ut candens lilium è spinis illis, quæ hîc à uate diligentissimè deteguntur, emergere uideretur, miris indignisq; tanto iuuene affectus est iniurijs: quarum quidem atrocitate & fœuitia diu afflictus exagitatusq;, tandem huc, diuina (credo) id operante prouidentia, diuertens, in purissimo Benedicti sinu, purus ipse ac placidus, placidissimam efflauit animam, pro illis interim diuinam implorans ueniam, quorum lima scalproq; expolitissimus factus, rectà ad æternum profectus est patrem, ad quem ego, eo quo ipse modo profectus est, me profecturum spero. Cæterùm quomodo hi mendacium affectarint, subsequenti aperitur hemistichio: Ore, inquit, suo benedicebant, & corde suo maledicebant. Adblandiebantur, inquit, mihi uultu, corde autẽ pessima machinabantur. O perditissimos mores. Tam quippe scelerata ea uisa est uati consuetudo, ut hæc enarrans, ab ingentiq; suspiriorum cumulo interruptus, Selah tanquam sui doloris testem interposuerit.

Veruntamen, quoquo modo peruerse malitioseq; sese habeant huius generis hominum uita ac mores,

C *Deo ſubiecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea.*

Iterū hîc, ſubiecta eſto, Hebræis eſt, ſile, ut in principio pſalmi diximus. Item, patientia mea, ipſi legunt, ſpes mea: quod quidem uerſu, ut in poëtis fit quoque ethnicis, intercalari magis explicat dicens:

Quia ipſe Deus meus, & ſaluator meus, adiutor meus, non emigrabo.

Seu, non elabar: non in iam concepta animo fiducia titubabo: ut ferè idem ſit Hebræis, quod in ſuperiori dictum eſt uerſu, non mouebor amplius, eo excepto quòd in primo addunt uerſu, multum: nō elabar, ſcilicet multum: hîc autem ſimpliciter, nō elabar, ſeu non titubabo, aut nutabo. Verùm neq; dictio, emigrabo, à mente ſpiritus abhorret: nam æquè eſt ac ſi dicat, utcunq; inſultent in me improbi, non à iuſtitiæ propoſito, ueritatiſq; confeſsione, ut ſolent meticuloſi, emigrabo: imò res hòc meas atq; actiones diligentius tum perſcrutabor, tum eas eſſe aliquid exiſtimabo, quò illis à nefandiſsimis cernam detrahi oblocutoribus, quantoq; illi in me dirius incruduerint, tanto ego quidem lætius querimonias meas omnes ad Deum referam. Siquidem

In Deo ſalutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.

Vide ſummam perfectionis animæ, quæ ſuam ſalutem Deum, ſuam gloriam, ſuum robur, ſuam ſpem eſſe prædicat. Mirum ſi hæc omnia in te eſſe ſentiens, aliquid tibi ad nanciſcendam animæ beatitudinem deeſſe arbitreris. Diffinitio planè hæc eſt fidei, cuius uirtute ac medio gratis à Deo iuſtificatis, eò loci facilè peruenire nobis integrum eſt, ut cum Deo etiam in antro hoc tetro corporis conſtituti, perpetuò conuerſemur. Quid hac manſione felicius? Quò noſtra omnis tendit uoluntas? quò tandem ſtudium, quò niſus, niſi ut cōtinenter cum Deo ſimus? Spes itaq; noſtra in Deo tantummodo ſita ſit, & ſat eſt. Eam ob rem

Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra, Deus adiutor noſter

D *in æternum.*

Perſuauis ſanè uatis admonitio: non contentus enim ſuam prædicaſſe fiduciam, alios ſubinde ad idem faciendum hortatur. Sperate, inquit, quæcunq; accidant aduerſa, in Deo, ô populi. Effundite coram illo corda ueſtra: hoc eſt, ſi quid uos premit aut angit, laxatis dolori habenis, illi, quicquid illud eſt, aperite, effundite, reſerate: nanque ipſe Deus eſt noſter, idemq; adiutor in æternum, protectio, ſalus, uita. Iam illud porrò dicendum, in Hebræo, omnis congregatio, non inueniri, ſed ſic tantummodo, ut uertit Felix, Sperate in eo omni tempore. poſtea ſubiungunt, Populi effundite coram illo cor ueſtrum. Cæterùm per lachrymas cor effunditur, ut diuus inquit Auguſtinus. Vnde non abſq; ratione clamat Salomon: Punge cor, & producet ſcientiam, nempe ſui cognitionem, qua nil peccanti ſalubrius contingere poteſt. Idcirco diapſalma huic connectitur uerſui.

Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.

Dictio quam noſter tranſtulit interpres, ueruntamen, Hebræi habent, certè. Idem quoq; Euthymij interpres. Atqui ut ſenſus dilucidior huiuſce habeatur literæ, eam quę Hebręis eſt, diſcutiamus. Sic Felix: Certè uanitas filij Adam, mendacium filij uiri in ſtateris, ut aſcendant ipſi magis uanitate ſimul. Adeò, inquit, inanes ſunt filij Adæ, id eſt, homines è terra prognati, è cœlo autem nequaquam per gratiam, ut ſi in ſtatera ipſi ſimul omnes cum uanitate ac nihilo ponderentur, aſcendent illicò tanquā res, quàm ipſa ſit uanitas, leuior. Inuenientur, inquit, inanitate ipſa leuiores. Quare elegantiſsimè hanc ſic ponit ſimilitudinē Paraphraſtes: Videte ne ſpem ueſtram in ullo ponatis homine: ſunt enim ipſiſsima uanitate uaniores tam plebei, quàm principes (filij Adam, filij uiri qui ſint, hîc uides) quod palam fieret, ſi appenderentur in bilance cum ipſa uanitate: plus enim ponderis ineſſe deprehenderetur uanitati ipſi, quàm omnibus illis in altum tanquam re leuiſsima ſublatis. Belliſsimam profectò humani ſeminis conditionem.

Sed

A Sed nos ſtultos & excordes, qui in re tam leui noſtram conſtituimus fiduciam, idq; interdum diligentius, quàm Deum uel amamus, uel metuimus, cui ſi una in ſtatera cum uanitate collibretur, ipſa præponderet uanitas. Cæterũ, quod aliàs admonuimus, dictionẽ quæ in codicibus eſt Hebræis, ſimul, unà, noſter uertit, in idipſum. Idcirco ſic noſtram poſſumus explanare literam, quò nihil aliud præ tendere uideatur[mendaces filij hominum in ſtateris, ut decipiant ipſi de uanita te in idipſum: uel, ut nonnulli ex græco transferunt, ut fraudem faciant in ſtate- ris ipſi ex uanitate ſimul]quàm id omnino, quòd cùm uaniſsimi, nulliusq; pon- deris ſint homines, ſe tamen, ac ſi alicuius eſſent æſtimationis & precij, audent tanquã ſtatera aliqua aut bilance péndere: & id ſimul omnes, qui nondũ ad ueri tatis agnitionẽ introducti, in ſeipſis dijudicandis illorũ ſeruãt morẽ, qui quem- libet ſuis in diſtrahendis ſtatera rebus defraudant facilè. Cùm corruptã habeãt, inquit quidam, ſedem iudicij, inſtabilia eligunt pro ſtabilibus, mala pro bonis. Per ſtateras, inquit, iudicia ipſa intelligit. Itaq; cùm uanitati condita omnia, ne- dum homines, obnoxia ſint, imò cum ipſiſsima ſint uanitas,

Nolite ſperare in iniquitate, et rapinas nolite cõcupiſcere: diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.

Vide quomodo hîc ſtrictim res illas ferè, quibus potiſsimè nixũ genus homi- num turgidum ſit & elatum, uanitatẽ eſſe demonſtrat. Iniquitas ſanè, ſeu calum- nia, ut uertit Fel. uanitas eſt: uanior adhuc eſt rerũ copia male partarum, nempe uſuris, falſis delationibus, iniurijs, interuerſiſq; contractibus, cauilloſis furaci- busq; ad teſtamenta irruptionibus congeſtarum, quæ omnia ſub rapinæ appella tione intelligi uult ſpiritus. Quàm pauidè interdum timeo, ne nos, nos inquam qui à mũdi uanitate ad ſolida accíti ſumus bona, in illorum numerũ cenſeamur, qui ad hunc ſe iactitant modum in Eſaia: Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. In iniquitate, Hebræis ſonat, in re malè perfidio-
B ſeq; parta: rapinas uerò, uiolenter atq; cum iniuria. Verùm ſi diuitiarum cum la- bore æquoq; ſtudio acquiſitarum, aut à progenitoribus relictarum tibi adſit co- pia, id tanquam diuinum quoddam cœlitus emiſſum fer Deo acceptum, tantum abeſt, ut omiſſo interim donatore, in ipſo conquieſcas dono. Quid hac poſſet eſ- ſere uanius? Si affluunt, inquit, diuitiæ abſq; cuiuſquã iniuria partę, ſi floreſcunt, ſi adſunt copioſæ, nolite animo illis adeò affigi, ut munificentiæ largitoris obli- uiſcamini. Eſto, diues ualde es, diuitijs nihilominus perinde utare, ac ſi nihil ad te ſpectarent: eas utiq; prout ſunt, exiſtimato, fragiles ſcilicet, caducas, ac uanita te ipſa uaniores. Non in iſtiuſmodi igitur rerũ puſillitate ueſtrũ immoretur cor, ô mortales, ſed in Deo potius, re tanta nimirum, atq; omnium maxima, ſpem ue ſtram ponite. Quid?

Semel locutus eſt Deus: duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi domine miſericordia, quia tu reddes vnicuiq; iuxta opera ſua.

Iam hîc uates pſalmũ concludens, duo prius admonitos eſſe uoluit homines, quibus ſanè totius fidei ſumma conſiſtit. Alterum enim, quo robur in Deo ſum- mum ineſſe ac fortitudinem, qua ſeruare nos poſsit, arbitremur: alterũ uerò, mi- ſericordiam & bonitatẽ, qua uelit: additq; Deum æquiſsima cuilibet repenſurũ, prout in uita actitarunt, compenſatione, non ea quidem humana, atq; ab huma- no proficiſcenti iudicio, falſa ſcilicet & corrupta, ſed iuſto librata põdere, ut me ritus quiſq; fuerit. & id ſanè à ſpiritu commodè ualde additum puta, quò noſtrã à mundi uanitate atq; amore deterreat mentẽ. Semel, inquit, locutus eſt Deus: hoc eſt, irreuocabilis diuina eſt lex, atq; immutabilis. Stat fixum quicquid ſanci- uit Deus: è quo quidem duo hæc cordis, in quo ſedes eſt fidei, hauſi auribus, po- tentiam uidelicet in Deo eſſe maximam, & bonitatem. Idem fermè de Deo olim teſtatus eſt Iob inquiens: Semel loquitur Deus, & ſecundò idipſum nõ repetit. Hæc quantum ad noſtri interpretis literam attinet, ſint dicta: uerũ longè alius ui detur eſſe nonnullis ex Hebræo ſenſus, ideo & litera alia. Semel, inquiunt, locu- tus eſt Deus, bis id audiui: hoc eſt, & ſemel & iterum, ſæpenumero ſcilicet, in le-

C ge & prophetis, cæterisq; diuini oraculi interpretibus locutus est, & id, inquit, audiui, & sic esse, ut locutus est, persuasissimũ habui, quòd robur in Deo est. Paraphrastes tamen ferè cum nostro conuenit. Ita ille: Vnum quiddam locutus est Deus, sed sæpenumero illud audiui, solum Deum esse qui possit omnia. Chaldæus etiam, bis, cum uerbo, audiui, cõiungens, hunc affert sensum: Legem unã locutus est Deus, & bis illam audiuimus de ore Mosis scribæ magni. Quicquid igitur huc attuli, uatis spiritui seruire existimo: eapropter quæcunq; ex his, quæ suo quisq; magis satisfacere animo uiderit, ea absq; errore sumere poterit. Tantum illud fatendum ab omnibus, Dei consilia immortalia esse & æterna, & quicquid ulterius in ipso est, siue sapientiam, siue bonitatem, siue clementiã, siue quibus cuncta ordinatissimè moderatur, & fortitudinem & prouidentiam, contemplari libeat, æternum est & inuiolabile, quemadmodum ipse æternus est, & supra omnem uitam uiuens, impartiensq; cæteris, unde uitam sapientissimè instituant. Cui propterea laus sit & perennitas in secula seculorum, Amen.

PSAL. LXIII. Psalmus Dauid dum esset in deserto Iudæ.

Deus Deus meus, ad te de luce uigilo.

Volunt interpretes, Dauidem in extrema animi angustia positum, in desertoq; Ziph latitantem, quę regio ad Iudæ sortẽ spectabat, hunc psalmũ composuisse. Regionis enim, in qua tantus delituit uir ob Saulis metum, qualitas aptè admodum hîc depingitur, cùm terram illam desertam, inuiã & inaquosam, ipse appellat uates, quò hinc uidere liceat, eò nõnunquã desperationis deuenire posse animã, propter sæuitiã persecutionũ, ut cuncta illi arida uideantur, inculta, horrenda, meticulosa, prorsusq; auia & inhospita. Vastis-
D sima quidem solitudo cùm hæc sit uita, nihil in ea facilè reperies, quod animam, quæ cœlestibus assueta rebus horret omnia quæ gustum non præ se ferunt diuinum, satiet, ac lætam reddat. Et id potissimum prouenire experimur, cùm ingenitis mundo perturbationibus, satis nimirũ ex sese acerbis & diris, adduntur & improborũ hominũ iniuriæ & calumniæ. Id, inquam, acerbissimum omniũ semper mihi uisum est, si sic afflictum hominẽ, cœlesti quoq; priuari gustu cõtingat. quàm dura planè tunc apparent omnia, quàm aspera, quã siticulosa, quàm inamœna. Veruntamen præteritarũ haudquaquã immemor consolationũ, se ipse consolari ad hunc ferè modum solet: O Deus, Deus, inquam, meus, sine quo nulla mihi potest esse pax aut uita, ad te in ipso statim mane, anteaquã dies emergat nouus, suspiro, clamo, à malaq; quaquauersum exagitatus fortuna, suspicio, uigilo, atq; instar cerui ob æstum anhelantis,

Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, in terra deserta, inuia & inaquosa.

Hucusq; protenditur Hebræis uersus, unde lucidiorẽ prodire sensum perspicuum est. Multifariam dicit se Deum appetere & desiderare, ob multas uariasq;, quas secũ fert mundus, molestias & curas. Ait igitur: In te, mi Deus, qui quamuis ardentẽ sedare soles sitim, mea sitit anima, ac suauissimo exanimat ardore. Id anima, id corpus, id caro ipsa, alioqui suę salutis ignara, atq; in iustitię itinere mirũ in modũ tarda & somniculosa, multipliciter, quia multis maculata est notis, expetit & efflagitat, in hac præsertim (heu dolor) terra uitę inuia, turbulenta, æternaq; uiuæ aquæ indigentia laboranti. Sunt sanè multa in mundo quæ sitim, nempe appetentias animæ uarias extinguere polliceri uidentur, sed augent potius, cùm nostra ex his sedari cupimus desideria, quæ sitim magis ac siccitatem secum afferunt, quàm humorẽ & succum. Istiusmodi enim sunt diuitiæ & uoluptates quæ cùm animæ in Deo ebriæ horrori soleant esse & nauseæ, ita rerum illarum appetentioribus aridissimo, insatiabili tamen atq; æstuoso solent esse oblectamento & siti. Et quemadmodum certè terra hæc infelix, deserta fit improbis & contaminatis: hoc est, deserta à Deo, inuiaq;, in qua diuinũ ad auram post meridiẽ non spatietur numen: atq; inaquosa, absq; scilicet diuini gustus suauitate, fonteq; gratiarum uiuido & perenni: ita pijs animis deserta quoq; est, à mundo nimirũ, inuiaq;

A uiaq; illis omnino fit & infructuoſa, propter rerum earum, quas mundus ipſe ap petit, inopiam. Hęc eſt perfectiſsima crucis imago, in quam irreuerberata intuẽs acie amoris anima, ſuum ſecum trahit ſocium, nempe carnẽ hanc mollem & fragilem. Quocirca ut inflammatiorem ſuum oſtenderet erga Deum affectum uir ſanctus, ſuam aſſerit animã cum carne ſimul ad uitæ fontem ſitiuiſſe ac ſuſpiraſſe. Proinde additum eſt,

Sic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.

Hoc, inquit, modo a ratione, in ſancto tranquilloq; uitæ ſtatu, quem minimè aſſequuntur improbi, tibi apparebo, te cernam, te, quem in tentationum perſecutionumq; caligine ne per tranſennam quidem uidere poteram, largè lateq; contemplabor: atq; hac ſanè uia ac ſpeculo, tuam qua cuncta concutis intuebor potentiã & gloriã, è qua nos à mundo, mundiq; amatoribus deſpecti, planeq; deriſi, tuæ tamen cõſolationis ubertate repleti, in tutoq; collocati, tanquã ſcintillæ ab ardenti demanamus igne. Non mediocris quidem eſt Dei laus & gloria, cùm ſuos à prauis malè habitos, atq; ita ſæuè diuexatos ut in cineres penè collabi uideantur, quaſi porrecta manu, è malorum profundo extrahit, mundoq; tanquã perfectiſsimæ lucis ſydera oſtendit. O felicem acerbitatem, felices calamitates, quæ noſtros adeò exactè collimant animos, ut è terra hac eos tetra lucidiſsimos, ueluti è duriſsimo inertiq; ſaxo, ignes emicantes fas ſit dicere. Cæterùm dictio, multipliciter, etſi in codicibus Hebræorum nõ inuenitur, ſed ſimpliciter, Concupiuit te anima mea, ſuum tamen & ipſa habet ſenſum & decorem, qua nempe dilectionis caſtæq; ſitis immenſitas demonſtratur. Theodotion uerò, quamſæpiſſimè, tranſtulit. Dictio rurſus, in ſancto, Hebræis eſt, in ſacrario: ſeu, ut reddit Paraphraſtes, in loco ſanctitatis, quæ Eccleſia eſt, aut cor hominis ui fidei reformatum in Chriſto, qui huiuſmodi oblectatur domicilio, ut cor eſt à uiſibiliũ rerum
B amore euulſum, diuinæq; conſecratum religioni.

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas.

Hîc uates uirtutem diuinæ erga ſe miſericordię cõſiderans, quomodo ſcilicet immenſa adeò ſemper fuerit, lateq; exundans, ac uel in ipſis deſperatiſsimis rerum euentibus, cùm nihil minus expectarẽt homines, præſtò extiterit, ſibiq; iam perdito præter ſpem omnium effulſerit, illam nõ iam uitæ uni aut alteri, ſed multis, ſi id uni contingere poſſet homini, anteponit. Nec ſanè id eſt inſolitum animis ferendo Chriſti improperio aſſuetis: ſiquidem cùm Dei miſericordiæ finis ſit uita æterna, qui non mille corporeæ huius miſeriæ uitas pro illa aſſequenda libentiſsimè impenderent? Vtcunq;, inquit, ſe res habeant humanæ, quocunq; in loco exulem, à quibuſuis affligar, in tua contemplanda bonitate & clementia, qua tuos gratis protegere ſolitus es, totus ero. Nam certè tua erga homines benignitas, infinitis præponderat uitæ huius commodis: eapropter quoniam quæ rependam, quæ tam excelſo digna ſint munere, in me eſſe non uideo, illud tamen utcunq; referam,

Labia mea laudabunt te.

Te lingua, te animo, quantuluſcunq; ille ſit, laudabo, tibiq; gratias agere ne horulæ quidem momentum deſiſtam.

Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas.

Vt meus, inquit, eſt mos, quandiuq; uixero, ubi ubi egero, te celebrare inſtituí, ac ut cæteris id quoq; notum fiat, puras ad te, atq; in tui nominis honorẽ palàm extollam manus, indicium ſanè flagrantis mei in te amoris ac fidei. Sic, dictio, antiquum eum fuiſſe morem uati oſtendit: quod bene intellexiſſe Paraphraſtem auguror, cùm ait: Hîc mihi erit mos agendi gratias tibi, ut cum ueneratione nominis tui, ad omnia quæ facturus ſum, manus admoueam. En uotum illud ſolenne, quo ſe homines è puriſsima fontis lotione egreſſi, inſolubili conſtringi nodo non ignorant, ut Deum uidelicet, quicquid ſors euehat humana, continuis efferant laudibus, ſacriſq; celebrent panegyricis. Atqui in iſtiuſmodi oc-

C cupata mens curis, quomodo facilè ad ea cogitanda aut amanda quæ mundum referant dilabetur?

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.

Vide quid bonorũ crebra secũ afferat diuinæ laudis cogitatio. Ex ardenti, inquit, te laudandi affectu ac nisu non secus fiet pinguis anima, ac solet corpus adipe pinguiue abdomine pingescere tum, cùm labijs exultationis laudabit os meũ: id est, cũ labijs, exultatione, sancto'q; tripudio plenissimis, tuas decantabit laudes os meũ. Adipem & pinguedinẽ pro summa supernarũ deliciarũ suauitate hîc poni existimes: tropus is est in scripturis creber, ut alias adnotauimus. Ineffabilis planè ea est suauitas, qua anima ex humo, uti à tenero cespite uiola, elata afficitur, cùm in diuinis occupata laudibus tota, quanta est, in amati amore emoritur. Quod quidem nõ absq; ratione à me hîc dictum esse uelim, ob tardam quorundã in celebrandis diuinis, ut uocant, officijs oscitantiam. Id semper cùm in omnibus tractandarum rerum causis rationibus'q; cogitandum, quis is sit qui cum loqui aut res tuas tractare intendis, tum præcipuè in hoc, de quo loquimur, laudandi Deum & modo & ritu, ne dum labijs tantummodo Dei nos auribus satisfecisse opinemur, cor, tanquã leuioris armaturæ equitem, hincinde excurrere sinamus. Verùm utcunq; id esset tolerandum, si os saltem & lingua, quibus Deo potissimũ in templis occinuntur laudes, pura essent atq; integra: hoc est, quæ à scurrilibus obscœnis'q; abhorrerent colloquijs, à calumnijs, ab infamia, à delationibus, dissidiorum'q; sationibus, ac mortiferis demũ temperarent oblocutionibus. Etenim actiones omnes, quæ ad Dei spectant cultũ, purę esse debent, candidæ, ardentes, uiuentes'q; in Deo, non hisce in rebus, quibus fœdari solet animus ac mens: quæ cùm syncera flagrans'q; in sancta esset uatis anima, uide quid de se spondere audiat.

D *Sic memor fui tui super stratum meũ, & in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus.*

Amor enim diuinus nulla temporũ intercapedine, quo minus semper ardeat, intercidit: siue is qui afficitur, uigilet, siue dormiat, siue aliud aliquid actitet, suo semper cum amato conquiescit, dormit'q; beatus. Verũ cœlestes modò flammas admittere, quas in aliud statim flammarũ genus cõmutes, id leuissimi animi indiciũ est, ne dicam ingratissimi, plane'q; sui dissimilis & superbi. Cum igne quidem diuini amoris, alterius amoris ignis, ut ille est qui in mundanarũ rerum felicitate, tanquã efferatus rex debacchatur, coire haudquaquã potest. Quocirca ne tam delicata è manibus excidat suauitudo, illud in primis curandũ, quomodo continuè pausetur in animæ medullis fax illa, qua accensa, ardet tota, fit'q; unum prorsus cum amato, in tranquillissimo conscientiæ diuersorio. Vnde nõ iam amplius in se, sed in illo potius quẽ supra se diligit, uiuens, illud meritò cum sapientissima uatis anima concinere & uult, & potest: Sic, hoc est, tua ô Deus flagrantissima accensus amoris flamma, memor fui, ero'q; tantisper dum uixero, tui super lectum strati mei, eo nimirũ tempore, quo in somnis à uaria phantasmatũ incursione atrocius impetuntur homines, atq; inerti perlangueſcere solent mollitie & torpore plerique: identidem'q; in ipso primę lucis exordio sic in somnis assuetus de te cogitabo, in te expergiscar, te'q; animo uoluã reuoluam'q; libero & syncero, propterea quòd semper, uel à meis ipsis primis infantiæ annis, fuisti adiutor meus. Incrudescat, opto, rerum tristium caligo & nox, memor ero nihilominus tui: contrà uerò lęta mihi arrideat fortuna, suo'q; me illo copię cornu uel usq; ad satietatẽ impleat, non ob id tamen insolentior factus, tuæ immemor ero fidei, imò eò tenacius mihi illam inhæresscere faciam, quò periculosiori subiectus est ruinę, qui à prospera nutritur fortuna, quàm qui ab aduersa iactatur. Cæterùm licet dictio, Sic, aptè admodũ, ut uides, quadrare huc possit, tamen neq; à Græcis, neq; ab Hebræis legitur, sed, si, uel, certè, ut reddit Felix: Certè, inquit, memor fui tui. Verbum porrò, fui, à cæteris Hebræorum interpretibus, ero, transfertur, ut sit tempus pro tempore. Et est illud notandum, Quia fuisti adiutor meus, principium

A cipium ſequentis uerſus Hebræis eſſe. Vnde ſic Paraphraſtes: Fuiſti enim auxilio ſepiſsimè mihi, quare ueluti umbra alarum tuarum contectus, ſecurus poſthac exultabo. Quod noſter ſic reddit interpres,

Et in velamento alarum tuarum exultabo.

De hoc tropi genere, nempe alarũ, tum aliàs, tum in pſalmo quinquageſimo ſeptimo copioſe diximus. Ex ſedula quippe illa de Deo meditatione, quę die noctuq; puræ inſidet animæ, illud in primis oriri compertiſsimum habemus, quòd anima in diuino requieſcens amore, credit ſe, quæcũq; cõtingant, fidiſsimis Dei alis contegi & foueri. Quocirca eo maximè tempore, quo maiori afficitur ærumna, ad amoris alas confugiens, ita ſuum alloquitur tutorem:

Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.

O efficacẽ certè fiducię uirtutem. Immenſę quidem ſuauitatis plenũ illud eſſe Eſaiæ quis non uidet? Anima, inquit, mea deſiderabit te in nocte, ſed in ſpiritu meo & præcordijs meis de mane uigilabo ad te. Vide coniunctiſsimã cum Deo animæ copulam. In ſpiritu, ait, meo. non id porrò ſatis uiſum, addit, in præcordijs meis mane, illuceſcente ſcilicet gratia, applaudente{q; cœlo, uigilabo ad te. quod planè idem eſt, quod hîc de ſe aſſerit uates, dicens: Adhæſit anima mea poſt te. I pręinquit, mi ſolertiſsime dux, ego ponè te actutùm ſequar, tibi adhærebo, à te me nulla unquã quamuis acerba diuellet calamitas. In me enim iniquiſsimo tanquã Marte, improborũ concurrũt agmina, ego uerò tuis inſiſtens ueſtigijs, poſt te currã: ſiquidem aliàs ſimilibus in controuerſijs cũ mundo, me ſuſcepit dextera tua, nempe tua uirtus, tua bonitas, tua miſericordia: ſuſcipiet & (ſpero) in poſterũ.

Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ.
Tradentur in manus gladij, partes vulpium eorum.

Ecce numinis in oppreſſores innocẽtiæ & uirtus & ultio. Etenim ſuis fruſtra-
B tiuotis improbi, turpiſsima affici ſolent confuſione. Ipſi, inquit, incaſſum meum expetiuere interitum, imò in obſtruſa illi citius loca terræ, penitusq; latentia retrudentur, quàm me à cœlo, unde mea eſt cum Deo uita, deturbabunt. Ad infernas quidem corruent tormentorum regiones, puniendi unà cum tetris illis ſpiritibus, hi qui meam ſitiunt infamiam & mortem: interea uerò neq; in hac uita quidem diuinam effugient ultionem: nam in gladij manus, id eſt, in uim atq; aciem hoſtilis gladij traditi, occiſiq; & inſepulti, in prædam belluis ferisq; truculentiſsimis, quæ humanis ueſcuntur carnibus, infeliciſsimo dabuntur ſpectaculo. Simili nonnunquam locutionis genere utitur uates ac tropo, quò nos minimè lateat, quàm ſæua certaq; malorũ hominũ perfidiã ſupernè maneat ira & uindicta. Illud nõ ſilendum, in uanum, Hebræis quibuſdam eſſe deuaſtationẽ: unde ſic Felix, Et ipſi ad deuaſtationẽ quærent animã meam. quam dictionẽ ipſemet exponens, pro, cum ſtrepitu, accipit: qua ſanè quorundam perfidioſorũ belliſsimè effigiatur imago, qui cùm innocuũ quempiã traducere decreuerunt, nihil nõ machinarum, dolorũ, patentiũ quoq; iniuriarũ admouent, quò maiori id ſtrepitu, uulgiq; tumultu, quod odioſo cõceperunt animo, obtineant. Verũ quia fœdæ eiuſcemodi conſpirationes ad unũ, qui illarũ dux ſit & caput, referri ſolent, in illum uates futurorũ nimirum temporum præſcius, tanquã de Saule loqueretur, inuectus ſic intulit: Diſtrahant, ſeu, ut uult Campenſis, proſcindant (nempe ipſi cõſpiratores) illum ſuper gladium. Ad hunc quippe modum hanc legunt literam Hebræi, quã noſter uertit interpres: Tradentur in manus gladij. Verũ huiuſcemodi, letali ueluti immiſſo in turpiſsimũ illum ſectarum altorem iaculo, ſeuera contentus imprecatione uates, ad omnes ſimul coniuratores ſermonẽ uertit, dicens, Partes uulpium eorum: quod expreſsius ab Hebræis redditur, Portio, inquiunt, erunt uulpiũ, ferarũ ſcilicet crudelium, &, quod illorum conuenit fraudulentiæ, mirè doloſarũ. Is enim naturaliter mos eſt uulpi ingenitus, ut crudelis ſit & doloſa. Quocirca ſapientiſsimus magiſter Chriſtus, ſæuitiam ſimul & fraudulentiam Herodis oſtendere uolens, illum appellat uulpem. Ite, inquit, & dicite uulpi il-

c li. Eant igitur dolosi omnes, atq; una cum suo duce factioso crudeles, quemadmodum comminatus est spiritus,

Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.

Pulcherrima certè mysteriorũ omniũ, quæ in oda hac planè diuina occulunt, connexio, nempe in Christo, qui hîc à uate per antonomasiã rex appellatur, & qui cùm in terris esset, nobiscum q; nostri similis cõmoraretur, nunquã eousq; à persecutoribus diuexari potuit, quin in patris prouidentia & bonitate copiosissimè iucundaretur. Enimuerò hunc esse crucis finẽ decreuit Deus, pacem nimirum animi, ac gaudium in spiritu sancto. Rex igitur ille uniuersorum Christus Iesus, atq; hi omnes qui ad ipsius regnum, quod in moderandis animi appetentijs, brutisq; subigendis sensibus maximè positum est, per gratiam asciscuntur, utcunque infremant impij regnentq; in mundo, lætabuntur in Deo, ac per Deum in crucis ignominia lætissimũ in modum exultabunt. Ad hæc, ne diutius in peruestigandis eorum moribus, qui ad Christi regnum attinent, immoremur, pulchrè à spiritu attexitur, Omnes qui iurant in eo, hoc est, qui in Christi uerba & legem ex animo iurant. Quem quidem sensum una duntaxat dictione expresit Felix, adiuratus, inquit, id est, qui se iuramento Dei uerba seruaturum obligauit, ut in baptismo de more fit. Cui tamen pollicitationi aliud additur à nõnullis in cœnobijs iusiurandũ, cùm profitentur ingenti cum obtestatione perfectiora: quod quidem promissionis genus pium ualde est, si in Deo fieri contingat. Alioqui iurare lingua, mentem uerò iniuratã gerere, seu iuratum animũ & linguam eiurare, periculosissimũ periurij genus est, parum uerò à plerisq; mortaliũ animaduersum. Totus enim, mi lector, expauesco, cùm in mentẽ mihi uenit illud à Sancte Barbarico Veneto, patritio sanè integerrimo, atq; eruditissimo Iurisconsul-
D to, mihi olim dictum: Vereor, inquit, ne statim is periurus efficiatur, qui monachum profitetur. Sed uir ille alioqui prudentissimus, humanarũ uirium imbecillitatem demensus est, nõ Dei gratiam atq; opem. Iuramentũ igitur quod in Deo fit, sanctum esse debet, firmũ, ratum, uerum, inuiolabile, quoq; Deo ipsi solirata tribuitur ueritas. Per nomen, inquit Moses, illius iurabis: id est, ipsius duntaxat nomini ueritatẽ tribuito: quod qui agit, nihil Deo dignius augustiusq; esse confitetur. Idcirco pulcherrima claudit antithesi psalmum propheta dicens, Laudabuntur omnes qui iurant in eo, hoc est, uerè. Subinde alterũ subnectit membrũ, Quia obstructum est os, seu, obstruetur os, ut uertit Felix, loquentium iniqua, falsa scilicet, maledica & iniusta, ut planè sunt hæretici, hypocritæ, adulatores, inuentoresq; malorum, & duplices, orbis uidelicet uniuersi contaminatio. Aperta enim debent esse omnia in Christiano uiro, nuda, ingenua, syncera, & quæ simplicissimam Dei naturam referant. Cui laus sit perennis honosq; in secula seculorum, Amen.

PSAL. LXIIII. Vincenti. Psalmus Dauid.

EXaudi Deus orationem meam cùm deprecor, à timore inimici mei eripe animam meam.

Omissis somnijs, quibus conantur nonnulli, cur quilibet cõpositus sit psalmus, exponere, hîc dicendũ, Dauidem suis in ærumnis ac persecutionibus, longissimis illis quidem & acerbissimis, uario psalmorũ fuisse delectatum poëmate, subindeq; suum hisce sedasse mœrorẽ & luctũ remedijs. Illud certè mirum, tantum uatem tam molestè perfidiosorũ hominũ linguas atq; oblocutiones tolerasse, in illosq; tam acerbè in singulis ferè psalmis inuectum fuisse. Verùm duas ob rationes id factũ puto, tum quia seruatoris uniuersi typus cùm esset, calumniasq; ac falsas re ipsa quotidie experiretur delationes ac rumores, ea tamen omnia, etiam diriora, in Christum omnium innocentissimũ suo à populo congerenda præuidit, & ut rem nefandã, Deoq; indignam execratus est, tum quòd

A quòd optimè nouerat quãti quamq́ immenſi periculi ſimul & diſpendij bonis, nondum tamen in fide ſolidis ac firmis, allaturum id eſſet uirus. Proinde futuros maledicos & delatores, à maledicendi falſaq́ deferendi conſuetudine quaſi deterrens, tam crebrò in pernicioſos eorum mores inuehitur, ut hoc in pſalmo uidere licet, in quo turpiſsimam inuidorũ obtrectatorũq́, & delatorum faciem ac naturam, elegantiſsimo depingit poëmate. Sed prius, ut ſumma prędituſ erat fide, ſuam Deo cõmendat cauſam, clamatq́: Exaudi Deus orationẽ meam cùm deprecor, à timore inimici eripe animã meam. Cuius ſanè ſubiecti illius fuerit precatio, aptè admodũ exprimit Paraphraſtes. Audi, inquit, Deus uocẽ commemorationis calamitatũ mearum, ut contra minas, quibus hoſtis me terret, tuearis uitam meã. Inimici, ſingulari numero, pro inimicorũ poſitum, qui frequens eſt in pſalmis hebraiſmus, arbitror: quanq́ nil uetat, quò inſignem aliquẽ oblocutorũ ducem, ad quẽ execrandi iſtiuſmodi lues recurrere tutò ſoleat, notari à uate exiſtimem. Nulli dubium, abiectiſsimum iſtud genus hominum atq́ colluuionem, non tam temerè in proborum uitam ac nomen ſeuituram, niſi ex primatibus, qui fœdiſsimos illorum mores & libenter ferrent, & aſtutiſsimè alerent, inuenirentur: ſolent enim hi prudentes, ſi Deo placet, homines, iſtis abuti malleis ad contundendam innocuorum uitam & famam. Quare non abſq́ immenſo animi dolore id à uate prolatum iudico: A timore, inquit, inimici, nempe perfidioſorum meam in uitam conſpirantiũ altoris, eripe animam meam. Si hi, quorum peſtes huiuſcemodi à mundo auferre intereſt, peſtes ipſas fouent & amplexantur, ad quem (malùm) meas referre debeo querimonias? à quibus ius exigere? cui metum, cui meam exponam miſeriam? Tu igitur, qui haud ſemel quidem

Protexiſti me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem,

Protege etiam nunc me, ac, quæ tua eſt bonitas, meam abs te datam tutare in-
B nocentiam. Protexiſti, tum Græci tum Hebræi Protege habent, ſeu abſconde: & eſt clarior ſenſus. Vnde ſic totum hunc uerſum reddit Paraphraſtes: Abſconde meà multitudine prauorum ſecretò conſultantium aduerſum me, & à conſpiratione ſceleratorum. Cæterùm quid ſit, à multitudine operantium iniquitatem, breuibus interpretatur Felix: A congregatione, inquit, tumultuoſa. Nihil ſanè agunt ſeditioſi, quod tumultuoſum idem non ſit, planéq́ iniurioſum, ac bellorum plenum: quorum quidem artibus adeò nonnunquã pax conturbatur orbis et confunditur, ut uerſo rerum ordine, nefandiſsimos quoſq́ regnare uideas, probos autem calcari & abſumi: qui certè cùm modeſtiſsimi ſint, & Dei religionis, quæ concordia nititur, ſtudioſiſsimi, uel ſexcentis laceſsiti iniurijs & contumelijs, ſilent, atq́ ne in domo Dei, pacis nimirum domicilio, ſciſmata excitentur ac diſsidia, taciti tolerant. Illi uerò inſolentiores facti,

Exacuerunt vt gladium linguas ſuas, intenderunt arcum (rem amaram) vt ſagittent in occultis immaculatum.

Quia exacuerunt, noſter uertit interpres: Hebræi autem, qui utrũq́ tamẽ præcedentibus conuenit. Atqui maledicentium linguas acuto comparat gladio, citò ſcilicet penetranti: amarulenta uerò illorum uerba, ſagittis doloſe è tenſo arcu contortis, quibuſq́ hoſtes, ut inquit Campenſis, capitales peti ſolent. De iſtiuſmodi linguarũ tropis & ſimilitudinibus, in alijs iam diximus pſalmis. Tantùm illud addam, uix me unquã ſchematũ huiuſmodi ſenſum aſſequi potuiſſe, niſi longo uſu atq́ experientia, quid ſibi uellet uates, re ipſa perdidiciſſem. Qui non tentatur, quid ſcit? nihil omnino. Vide igitur quid boni & iucunditatis ſecum afferat amabilis crux Chriſti. Iam illud non prætereundum, rem amaram, per parenthеſim ab aliquibus legi, ut quædã ſit doloris ſimul & admirationis interiectio, ut nonnunq́, malùm, nefas, ſcelus, prò dolor, & id genus alia ponere conſueuimus. Cæterùm, Vt ſagittent in occultis immaculatum, idem planè eſt, quod in alio conqueſtus eſt pſalmo, dicens, Vt ſagittent in obſcuro rectos corde: id eſt, ut illos ex inſidijs adoriantur, qui rectà in Deum incedunt, illíq́ per amorem, abie-

C ctis interim mundi curis & occupationibus, inhæreſcunt. Ad hæc

Subitò ſagittabunt eum, & non timebunt, firmauerunt ſibi ſermonem nequam.

De improuiſo, inquit, uenenata contorquebunt iacula, diras nimirum calumnias, & accuſationes tumultuoſas in eum, nempe innocuũ, et non timebũt. Heu rem penè incredibilem. Verùm ne eſt, iniquum adeò & nefarium inueniri hominem, qui natura ſimplices & imbelles, ut ſunt plerique in terris Dei amici, non uereatur lædere, eosq; à tranquillo uitæ ſtatu deturbare? Id prorſus contra naturam uidetur eſſe, & nihilominus qui id peragant intrepidè atq; impunè, inueniũtur: atque hi quidem nõ in antris inter feras, aut nemoribus, ſed in ipſis quoq; nobilioribus, magiſq; cultis orbis locis & tectis. Deo enim ſemel per impotentiam animi contumaces effecti, nulla re alia oblectari uidentur, quàm ut à mundo Chriſtum auferant. Callidè illi quidem firmauerũt ſibi ſermonem nequã. Sermonem nequam appellat uates rem illam triſtem & amaram, de qua ſuprà locutus eſt, dicens, Intenderunt arcum (rem amaram.) Cæterũ, ut iam diximus, ſermo, ſeu uerbum, Hebræis eſt, res, factum, negocium. Vnde alio in pſalmo, Verbum, inquit, iniquum conſtituerunt aduerſum me. Calumnias hîc igitur, doloſasq; conſpirationes iamprídem meditatas, demumq; turpiſsimo ſancitas fœdere & confirmatas intelligit. Solent enim perfidioſi homines in alicuius interitum conſpirantes, cautè admodũ ſuas ſigillatim perfidiæ eouſq; exequi partes, quoad tempus idoneum diuq; expectatum ſparſas in unum colligendi firmandiq; inſidias aduenta rit. Tunc ſanè nõ hominũ quidem ratione utentium cõmotam iram conſpiceres, ſed porcorum grunnientiũ potius, tumultuantiumq; ſtrepitum in Chriſtum, hoc eſt, in puras animas, atq; in his rebus quæ ad mundum attinent, incautas & ſimplices. At aliam illorum contemplare amentiam & ſtupiditatem:

Narrauerunt vt abſconderent laqueos, dixerunt, quis videbit eos?

O corda certè à numine derelicta. Cui, quæſo, narrauerũt? Sauli, inquit inter
D pres Hebræus, id eſt, cõiurationis duci, cui ob magnã in uulgo autoritatem & potentiã, obeſſe aliis integrũ eſt. Narrauerũt illi itaq;, q; cautè, quámue latenter, ne reſciſcat mundus (de Dei uerò notitia nulla illis cura) compoſuerint laqueos, fallacias ſcilicet ac dolos. Quis, inquiũt, uidebit eos? quis adeò callidus eſt, qui tam aptè abſconſas detegere ualeat inſidias? Poſt multa, inquit Paraphraſtes, ultro citroq; habita uerba, abſcondere decreuerunt laqueos ea arte, ut neminẽ fraudem illam deprehenſurum ſibi perſuaſerint. Verùm

Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio, accedet homo ad cor altum.

Vide anxium in improbis excogitandi iniqua animum, ſimul & uanum irrequietæ machinationis exitum. Varios, inquit, nocendi modos, ut ſolent dæmones, ſtudio omni & diligentia perueſtigarunt: uerùm à meditata anxieq; perueſtigata malitia deficientes, nihil obtinuiſſe uiſi ſunt, quamlibet alto ac profundo id machinati fuerint corde. Siquidem principium ſequentis uerſus, Aſcendet homo ad cor altum, huic finis eſt Hebræis, qui ſic habent: Inquirunt praua conſilia, toti ſunt in inueniendo, & intimo cuiuſque, & corde profundo: hoc eſt, conſilia iamdudum præmeditata, & quæ unuſquiſq; corde gerebat profundo & ſecreto, ſumma ui perficere nixus eſt: ſed letali ex inſperato à Deo percuſsi ſunt uulnere: atque hoc ſanè modo

Exaltabitur Deus.

Incomprehenſibili quidem ratione interdum & cõſilio id in diuina contingit mente, ut ſceleratis quorundam conatibus parêre uideatur Deus, hoc eſt, illorũ timere audaciam, cùm extemplò illam non reprimit & refringit: uerùm à nimia aliquando illorum prouocatus arrogantia, atq; uſu in malis diuturno, euigilare tandem ſolitus eſt, & qui nuper tanquam abiectus & ſubditus, ad peruerſas improborũ actiones conniuere uidebat, inſperatò in medium proſilit, magnumq; ac mirè tremendum ſeſe exhibet uindicem, cùm aut punit malè acta, aut ne agantur ſapientiſsimè coërcet. Quod uerò nonnulli hunc uerſum interpretantur de

profunda

A profunda diuinorum consiliorũ in homine indagatione, quæ quanto in his perueſtigandis profundius ſeſe immerſerit, tanto altius Deus ab humano ſe ſeparat ſenſu, & exaltatur, caſta admodum interpretatio eſt, ſed quæ nihil hîc ad rem. Nam de excogitatis in hoc loco, diuq; anxio & profundo meditatis animo dolis, atq; in bonorum perniciem inſidijs à Deo nihilominus perfringendis loquitur uates. Idcirco infertur,

Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.

En oblocutorum proditorumue quomodo ferè ſint ſine ictu tela. Egregios ſanè ſicarios, quorum uulnera puerilibus comparantur uulneribus. Quis tam fortes non uereatur hoſtes? Heu proiectam graueolenti è ſentina nauſeam. Sic ego quidem perfidioſorum hominum turbas, conuentusq; malignantium appellare ſolitus ſum, fœcem ſcilicet mundi acnauſeam. Sagittæ, inquit, illorum, id eſt, uulnera ex inſidijs in ſolidum immiſſa animum, haud diſſimilia erunt plagis quæ à pueris infligi ſolent, nempe debiles & abſque cruore. Quid? ipſæ eorum linguæ tam maledicæ, tam doloſæ, tam arrogantes, quas modò ut gladium exacuerunt acutum, en quomodo infirmatę, elinguesq;, ut ſic dicam, factę, in mutuas, æquiſſima Dei prouidentia, conuerſæ ſunt dilacerationes & morſus, in ſe ipſæ refractæ relapſæq; prorſus euanuere. Et id ſecundum noſtram dictum ſit æditionem, quæ tamen alia eſt Hebræis, quam diuus Hieronymus ſic tranſtulit: Sagittabit eos dominus iaculo repentino, inferentur plagæ eorũ, & corruent in ſemetipſos linguis ſuis. Idem fermè Felix. Alius uerò ex eodem fonte ſic: Sciet illos Deus ſagitta ſubitò, ſubitò erunt plagæ eorum, & facient impingere ſeipſos linguis ſuis: ut hîc ſanè ſolitam diuinæ ultionis rationẽ & morem nos, qui maledicis linguis ob probitatem uitæ obnoxij ſumus, animaduertamus. Illi enim, quãto ualent niſu, letales in nos intorquere conantur ſagittas, calumnias uidelicet diras & mortiferas: Deus uerò ſapientiſsimus rerum moderator, in illorum ignominiam ex
B improuiſo, cùm nihil minus timeant, eadem ipſa maledicentiæ ſpicula retorquere conſueſcit, atq; adeò, ut meriti ſunt, & ſæuè & acerbè, ut cernentibus horrori futuri ſint & terrori. Quocirca à ſpiritu additur,

Conturbati ſunt omnes qui uidebant eos, & timuit omnis homo.
Et annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt.

Contremiſcent, inquit, ſtupebuntq; quicunq; eos tam male habitos, tamq; rabioſe mutuis inter ſeſe ferocientes uulneribus aſpexerint, dicentq;, hæc ſanè diuina fuit ultio, hæc Dei operatio & iuſtitia. Quis hæc hominum aut tentaſſet ali quando, aut tentata unquam perficere potuiſſet? fuit id quidem diuinæ potentiæ indicium & argumentũ. Hunc porrò ſenſum ſic exprimit Paraphraſtes: Admirabuntur quicunq; uidebunt, & commemorabunt hoc opus Dei aliis, qui & alia eius opera, hoc exemplo docti, maiore prudentia expendent. Eam ob rem

Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

Viſa itaq; diuina in improbos ſeueritate, iuſtiſsimus quiſq;, qui antea acerbiſſimè à uirulentis illorũ linguis adeò ſuffocabat, ut uix, quemadmodũ ſolent grauiſsimo aliquo onere oppreſsi, reſpirare poterat, exhilaratur, ſpiratq; liberè, atq; in Domino hilarem in modum lętatur & exultat. Tu uatis copiam, uerborumq; ubertatem admirari ne deſinas: nam & iuſtus, & qui ſperat in Deo, & qui puro uiuit corde, idem planè eſt, idemq; ſignificat, hominem ſcilicet tam exactè à Dei manu formatũ, ut quæcunque obganniant delatores & maledici, robuſto ferat animo, uiuatq; in Deo: cui, quæcunq; in ſe bona eſſe intuetur, gratiſsimè ea refert accepta, in ſeculorum ſecula. Amen.

PSAL. LXV. Vincenti. Pſalmus Dauid. Canticum.

TE decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem.

Vt lubet, nõnulli hũc pſalmũ prædictionẽ quandã captiuitatis Babylonicę extitiſſe aſſerant, ſiue, ut alijs uiſum eſt, precationẽ ad Deum pro

C pluuia, ſiccis frugibus, ſatisq; exuſtis imploranda: nos Sion, ſanctæq; Hieruſalem, quæ eſt eccleſia, uaticinium fuiſſe certi ſumus. Nam Sion mons unà cum nobiliſsima illa ciuitate, fidei imaginem adumbrabat: alioquí cur illud de prophetarum interfectrice dici queat, quòd ſcilicet pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur, non uideo. Haud mores quidem turpiſsimi Iudęorum tam ſanctum eccleſiæ ſtatũ præ ſe ferre poterant, ſed cultus & religio: quemadmodum etiam nunc, ſi quid à fide alienum peragunt homines, ad futuræ uitæ candorem perennitatemq; ſpectare minimè arbitrandum eſt, ſed illud tantummodo quod rectum eſt, ac fidei conſentaneũ: cuius uis ea tota eſſe uidetur, ut abiecto mundo, ſpretisq; carnis oblectamentis, ac ipſis quoq; delicatis uitæ commodis, toti in diuinum feramur amorem. Tunc quidem haud ſecus ad Sion, futuramq; Hieruſalem noſtras pertinere animas, & ſperamus, & religioſiſsimis aſſequi poſſe cõiecturis auguramur. Quocirca huiuſmodi ſolida affecti perſuaſione & gaudio, hanc pleniſsimã diuinæ laudis odam unà cum uate canere haudquaquam dubitamus: Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur uotum in Hieruſalem. Tametſi enim dictio, Hieruſalem, addita ſit à Græcis, ſenſui tamen minimè illam obeſſe iudico, quí talis eſt: Cùm laudes illæ omnes, & uota quæ præter fidem, tua ab eccleſia, ſanctisq; ritibus abhorrent, turpiſsima ſint, & quæ nihil ad te pertineant omnino: ita in Sion, in noua Hieruſalem, in ſanctorũ communione & conuentu quæ fiunt, caſtiſsima ſunt, integra, uera, & quæ te mirificè oblectant. Hîc rurſum uides coniuncta cum diuinis laudibus, ut aliàs admonuimus, uota. Cæterùm aptiſsimus locus, Sion nimirũ, mons ſublimis & myſticus, in cuius faſtigio gratiſsimæ numini laudes perſoluuntur, cor hominis eſt, nempe humanus ſpiritus, & mens Deo per fidem eouſq; unita, ut nihil iam amplius cogitare ualeat, quod aut Deus nõ ſit, aut ad Deum pertineat. Id dixiſſe ue
D lim ob facilem, ne dicam turpem quorundam opinionem, qui ſe ſatis Deo feciſſe opinantur, ſi illius celebratis de more in templo laudibus, cor diuinarum rerum capax fœdiſsimis in occupationibus ac curis diuagari permittunt. Animus quippe ſordidus, elatus, in ſatiando'ue tum libidinum tum odiorum æſtu intentus & diſsipatus, quomodo puriſsimas Dei laudes, immenſo abſq; terrore & metu celebrare audebit? Vide igitur ô tu qui ſanctorum ordinum candidatus, mundiſsimis te perpetuò deouiſti ritibus, ne pro laudib. blaſphemias Deo impingas. Vide, inquam, an ſyncerè illud quod à ſpiritu infertur, atq; ex animo rogare queas:

Exaudi, inquit, orationem meam, ad te omnis caro ueniet.

Illud planè non omittendum (quod noſtra ère, quam modò diximus, ualde eſſe coniectamus) Hebræis eſſe, Tibi ſilet, quod noſter uertit interpres, Te decet. Vnde diuus Hieronym. ſic tranſtulit, Tibi ſilet laus Deus in Sion: id eſt, tuis in concinendis laudibus, tranquillo opus eſt corde, atque à rerum externarum incurſione ſilenti & quieto. Porrò quia Hebræi principium huius uerſus, Exaudis, ſeu exaudies habent, nobiliſsimæ mihi illius, qua templum conſecrauit Salomon, orationis in mentem uenit, in qua illud inter cætera auditu iucundiſsimum legitur: Si quis, inquit, cognouerit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in domo hac, tu exaudies in cœlo. En cuiuſmodi generis illum eſſe oporteat, qui à Deo exaudiri ſuis in precationibus efflagitat. Et ut quidem ea omnia quę in deprecatione illa ſcribuntur, populum tantummodo tunc præſentem ſpectaſſe uiderentur, ſecretiori nihilominus myſterio Chriſtum, Chriſtianoſq; ritus, atq; ardentem eccleſiæ portendebant fidem. Quocirca additum eſt à uate, Ad te omnis caro ueniet: id eſt, ad te, tuamq; religionem, in qua tuæ ueræ audiuntur laudationes, uenient, certatimq; current omnes regionum omnium homines, quamlibet duri ac carni dediti. Quid tam unquam dilucidè Chriſti regnum, qui ſolus æternum propoſitus eſt uniuerſo terrarum orbi propitiatoriũ, adumbrauit? Quod ſanè myſteriũ regem licet ingratiſsimũ non omnino latuit, qui in dedicatione ſua illa ſolenni, neſcio quid altius præſentiſcẽs, ſic de gentiũ conuerſione

A conuerſione uaticinatus eſt: Alienigena, inquit, qui nõ eſt de populo tuo Iſraël, cùm uenerit de terra longinqua, propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum) cùm uenerit ergo, & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus inuocauerit te alienigena. O immenſam certè Dei in peccatores facilitatem. Facies, inquit, omnia, pro quibus inuocauerit te alienigena: hoc eſt, abs te ob ſcelera alienati, ſuaq; ſponte euulſi ad te confugient, modò te, ut par eſt, inuocent, ſyncerè ſcilicet, caſtè, pureq;, ac fide prædíti. Propterea igitur quòd tu omnium exaudis precationes, ad te omnis generis homines quantumuis uagi confluent. Quid itaq; in peccatí ſordibus tandiu ô mortales immoramini, ſimul ut omnibus quamlibet nefarijs ac profligatis dicto citius promiſſa eſt ſalus? Verùm forſan quo minus id ſtatim fiat, obſtare uidetur quòd 3. Reg. 8. 43.

Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos.

Sed ſuperuacaneus omnino is eſt timor: nam tu Deus uel ab ipſo primo generis humani exordio, cuilibet ſua ſeriò execranti crimina, patrocinium latè benigneq; attuliſti, afferes etiam nunc inuocatus,

Et iniquitatibus noſtris tu propitiaberis.

Ecce diuinũ illud propitiatoriũ, de quo alio in pſalmo ſic canit uates: Quia apud te propitiatio eſt. Hunc dominum Ieſum eſſe & credimus, & niſi omnino plumbei ſumus, experimur. Sed ut quę hîc dicere geſtio, clarius innoteſcãt, illud dicendum uidetur, literã quæ Hebræis eſt, clariorem ſenſum reddere. Sic Felix: Verba delictorũ prævaluerunt ſuper nos. Alius item, Verba prauitatum, tranſtulit. Quid uerò dictio, uerba, ſignificet, alius rurſum ex Hebræo ſic reddit: Ratio ſcelerum noſtrorũ ſuperaret nos, niſi tu Domine ueniã dares. Idcirco Paraphraſtes, Grauiſsimæ, ait, iniquitates noſtræ ſuperauerunt uires cuiuſq; noſtrũ, quare pro peccatis noſtris ut ipſe tu ſatisfacias neceſſe eſt. In alio quoq; pſalmo huiuſ-
B modi loquutionis genere uſus eſt uates, cùm ait: Longè à ſalute mea uerba delictorum meorum. Quę quidem uerba qualem ſenſum habeant, illic copioſe eſt dictum. Illud enim uero non ignorandum, noſtra adeò iampridem in immenſum creuiſſe peccata, creſcereq; quotidie, ut niſi Deus noſtram ad ſubleuandam miſeriam ſummè miſericors, tum olim & hoſtia & ſacerdos gratuitò effectus pro impijs occubuiſſet, tum impræſentiarum noua continuè ſubueniret clementia, de ſemine prorſus humano actum eſſe quis dubitaret? Quòd enim perditiſsimi animantium omniũ extitiſſemus, id fuiſſet in cauſa, quòd uerba delictorum noſtrorum prævaluerũt ſuper nos. Quòd autem ab infinitis emundati ſumus maculis, emundamurq; indies, ab illo indubiè prouenit, quòd iniquitatibus noſtris ſummus propitiatus eſt Pontifex, nempe Chriſtus filius Dei uiuentis, qui non ſecundum legem mandati carnalis, ut inquit Paulus, factus eſt, ſed ſecundũ uirtutem uitæ inſolubilis, & qui non habet neceſsitatem quotidie, quemadmodum ſacerdotes prius, pro ſuis delictis ſacrificium offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel ſe offerendo. Vide igitur uirtutem mortis Chriſti, è qua noſtræ omnis ratio beatitudinis ortum habuit, quam tantum ſanè abeſt ut noſtro nanciſci poſſe ſtudio & labore tantummodo ſomniemus, ut etiam ea perſuaſione illam amittamus. Id merum Dei donum eſt, quare

Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in atrijs tuis.

Ecce qua ſeruantur ratione, quicunq; ſalutem adipiſcuntur, nempe diuina ex electione, hoc eſt, ab impietate atq; erroribus, gratuita Dei aſſumptione, qui nulla noſtra prouocatus uirtute, ſua nobis impartitur munera, quemadmodum improborum irritatus duritie, atq; in peccatis perſeuerantia, ſuos illis ſubtrahit gratiarum radios. His itaq; extra domini uineam ultrò pigritantes, primi illi, utpote ante mundi conſtitutionem ſecreti ad hoc, ut ſancti eſſent & immaculati, ut inquit Paulus, in conſpectu eius, in charitate, inhabitabunt in atrijs Eccleſiæ, in eiusq; conquieſcent ſinu felices, ſpem interim uiuam futuræ beatitudinis in Deo fouentes, lætitiaq; geſtientes inenarrabili, ob ſuam per Chriſtum uocationem,

C qua ad fidem, ſummam nimirum æternæ adipiſcendæ uitæ, aſciti ſunt. Et nos itidem, qui in Chriſto ſorte uocati ſumus, ut inquit idem, unà cum ipſis

Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum mirabile in æquitatę.

Puto hîc bona domus Dei, quæ eſt eius Eccleſia, non illa quidem eſſe quæ à uulgo cenſentur, lautæ ſcilicet beneficiorũ menſæ, agrorum uaſtitas, aut iumentorum numorumq; copia, ſed ea potius quæ Paulus Galatis ſcribens memorat, quæ & fructus ſpiritus nuncupantur, charitas ſcilicet, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas: quæ ſanè omnia copioſiſsimè à diuo Benedicto in recenſendis bonorum operum inſtrumentis pertractantur. In huiuſcemodi certè bonis opiparè pellucíbiliterq; oblectari ſolent animę, quibus illa alia nauſeę ſunt bona & neglectui, quæ uulgus hominũ admirari conſueſcit & appetere. Infeliciſsima quippe omnium eſſet Eccleſiæ manſio, ſi in his ſolùm quæ cum mundo cõmunia ſunt, fundata eſſet bonis, caducis ſcilicet, & quæ à cœleſti uitæ ingreſſu arcent animas. Sanè quidem ſanctum eſt templum tuum, ô Deus, firmum, æternum, immutabile, idcirco mirabile in æquitate, in iuſtitia, ac qua maximè in tuis oblectaris, dilectione. Hæc ſunt igitur uera bona Eccleſiæ, cætera uerò horum ſunt adminicula & aſſeclæ: hoc eſt, eatenus bona ſunt, quatenus Chriſti pauperum inopiæ, compluriumq; uirtuti ſubſidium comparant. Alioquin iniuſto quæ poſsidentur dominio (res enim Chriſtianorum, pauperum ſunt in primis) quis bonus bona dicat? Verùm ut lubet, illi ſuo in ſaginario cõmarceſcant, tu pientiſsime

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.

Penè in peruestigandis Eccleſię bonis immerſo mihi exciderat, aliam eſſe Hebræis literam, alioq; legi ordine in ſuperioribus: ſiquidem uerſus .nus illis totus integer eſt uſq; ad, Mirabile in æquitate, ad hunc modum: Beatus quem elege-
D ris, & tibi ſociaueris, ut habitet in atrijs tuis, ut ſaturetur bonis domus tuæ, ſancti templi tui. Poſtea uerò alterum ita ordiuntur: Mirabile in æquitate, ſeu ut uertit Felix, Terribiliter cum iuſtitia reſpondebis nobis Deus ſalutis noſtræ, ſpes omnium extremorũ terræ, & maris longinqui. Quare Paraphraſtes diſertiſsimè, ut ſuus eſt mos, hos duos ſic connectit uerſus: Felix omnibus modis ille quem tu elegeris, & tibi propinquum feceris: Habitabit enim ille in atrijs tuis, & nos unà perfruemur elegantia domus Dei, & ſanctimonia regij palatij eius. Dictu mirabile, cùm ſimus peccatores, tanquam iuſtus exaudies nos Deus, autor ſalutis noſtrę, qui ſpes omniũ finium es terrę, & maris extremas incolentiũ. Vtriuſq; literę, nempe noſtræ & Hebraicæ, ſatis copioſe à Paraphraſte ſenſum percipere licuit. Magnus itaq; Deus eſt noſter, ſimulatq; in eum quicquid intra orbis limites hominum continetur, aut ultra quoq; ad extrema uſq; Oceani fluenta longè lateq; protenditur, ſperare neceſſe eſt. Tu igitur ille es, mi Deus, in quo ſolo ſpem noſtram collocari oportet, mouens omnia, permeans, fouens, diſponens, & ut ad particularia nonnulla tuæ maximæ ſigna potentiæ deſcendam,

Præparans montes in Virtute tua, accinctus potentia.

Stabiliẽs montes, uertit Symmachus: idem & Felix, atqueadeo plerique ex Hebræo. Tantã quippe molem montiũ è planitie uſq; ad nubes aſcendere, nec quauis uentorũ ui aut turbine dimoueri, ſummæ potentiæ Dei indiciũ eſt, qua uelut zona præcinctus, omnem undiq; rerum omniũ penes ſe retinet poteſtatẽ, ab ipſoq; quicquid in terris regnorũ eſt, dependet, gerendarumq; rerũ uim ſumit ac legem. quocirca nõnulli, inſtruis montes tranſtulerunt. Nam cùm Eccleſia ſuos myſticos habeat montes, nempe uiros in fide ſolidos, idcirco & dignos qui cæteris, uti colles agris, aut campis montes, præponi debeant, hos admonet ſpiritus, ſuam illã in adminiſtrandis Eccleſiæ rebus & ſacramentis autoritatẽ à benigniſſimo Deo, qui accinctus eſt potentia, hoc eſt, qui undequaq; potentiſsimus eſt, expectandã eſſe. Vnde ſic reddit Paraphraſtes: Deus eſt qui ſua propria potẽtia ſtabiles facit montes, qui omni ex parte cinctus eſt robore, & modis omnibus omni-

A omnipotens. Quid propterea de illis cenſendum ſit, qui neq; docti, neq; à Deo inſtructi, neq; cœlitus uocati & miſsi, ſed turpi ambitu uenundati, audent ſeſe in adminiſtratione rerum ſacrarum ingerere (cùm res ſacras dico, animas potiſsimum intelligo) ac ut ſic loquar, proſtituere, aliàs diximus. Id uerò in præſentia tantummodo de his uaticinari liceat, quod de ſuo quondam uaticinatus eſt proditore Chriſtus: Melius, inquit, eſſet, ſi natus non fuiſſet homo ille. Nam certè cùm quis Deo autore non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aliunde, nónne fur eſt? nónne latro? nónne lupus? nónne gregis dominici proditor? Hinc, opinor, tumultus illi fluctuum maris ac populorũ, qui non abſq; ratione à uate hîc memorantur, cùm ſic Deum alloquitur, ortum habent.

Qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius, turbabuntur gentes.

Hactenus unus Hebræis uerſus eſt, qui ſic redditur, alio tamen ſenſu, ſed ueriori, ut mea opinio fert. Sic Felix: Compeſcens fremitũ marium, murmur undarum, & multitudinem populorũ. Alius item ex Hebræo dilucidius, ut ad ea quæ dicta ſunt, quę ſequuntur conuenire clarè uideas. Sedas, inquit, faſtum marium, faſtum procellarũ eius, & fremitum populorũ. Vidés ne, te amabò, turgidum illorum animum, qui à Chriſto fures, id eſt, non legitimè intrantes, appellantur, tanquam maris æſtum intumeſcere? Perpendisne ex his quæ metaphoricè à uate hîc dicuntur & obſcurè, illorum ſonitum, atq; in moderandis animabus ſtrepitum & tumultum? è quo maximus hominum fremitus, utpote ab indomitis circumactorum belluis, tanquam ruptæ aquæ, quæ è confragoſo cliuo, ſaxoq; prærupto delabi ſolent, auditur. Verũ illud ſic malè ſuis à rectoribus habitis ſolatio eſſe debet & conſolationi, quòd dominus is ſolus eſt, qui mari imperat ac uento: id tantùm à nobis expetit, ut ſe dormientem excitemus. O potentiã ineffabilem. Exurgens, inquit Marcus, cõminatus eſt uento, & dixit mari, Tace, obtumeſce:
B & ceſſauit uentus, & facta eſt tranquillitas magna. En uides quomodo maris æſtum ſedat omnipotens. Vides, inquam, quamobrem à nobis & lachrymis & ſuſpiriis experrectus, uaſtum undarum fremitum, atq; ne diutius in amœnas Eccleſiæ ripas debacchentur, dicto citius illarum frænat impetum. Ob ea itaq; à te, ô Deus, tam mirificè ſapienterq; in tuorum gratiam acta, te uenerabuntur,

Et timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis, exitus matutini, & veſpere delectabis.

Hîc ampla Eccleſiæ deſcribitur iuriſdictio, quã ſic Deus in Eſaia alloquitur, dicens: Ab oriente adducam ſemen tuum, & ab occidente cõgregabo te. Quare id quoq; ſuauiſsimus præuidens magiſter, ita olim concionabatur: Venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraam, Iſaac, & Iacob, nempe cum fidei cultoribus, in regno cœlorũ: filij autem regni (mira res) eiicientur foras. Senſus igitur, quicunq; extremas terrarũ oras incolunt, tua ob ſigna & portenta, mirifica illa quidem & ſtupenda, mouebuntur, tuamq; ad religionẽ pauidi ac uenerabundi accedent. Eam ob rem, exitus matutini, hoc eſt, orientales plagas, & ueſpere, occiduas ſcilicet, delectabis: id eſt, ut Hebraica habet litera, cantare facies, præ gaudio nimirum inuentæ lucis fidei. Quòd porrò ſint qui ſigna in hoc loco interpretentur cœleſtia, neſcio ſanè an huc aptè quadrare poſsit. Nam (niſi prorſus hebes ſum aut falſus) de ſignis ac miraculis Dei uerbo, per Chriſtum atq; illius diſcipulos æditis, loquitur uates, quorum magnitudine, atq; inſolito mundo uſu permoti complures, diuino actutùm ſeſe dedêre cultui, ut fuſe admodum in ſcripturis uidere licet. Vnde aſpera cõmollienda eſſe corda, ac glebas ueluti aridas & duras, ui ſignorum occanda irriganda'q; Dei uerbi imbre præuidens uates, ſuiſq; ſolitis uſus metaphoris, ſubiunxit:

Viſitaſti terram & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam: flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio eius.

Vnus is eſt Hebræis uerſus, alio tamen uerborum ordine. Sic illi: Viſitas tellurem cùm ſiticuloſa eſt, ditas eam ampliter: riuus Dei plenus aquis fluit, facit feliciter prouenire triticũ eius, quandoquidem ſic inſtruis illam. Si ad feracem hæc

C terram, campumq́ irriguis opimum aquis referre lubet, quid his ſuauius? quid diuinã tam ubertim atteſtans prouidentiã ac uirtutem, audiri poteſt? Cæterùm, Ita eſt præparatio eius, ſeu, ut uertit Hebræus interpres, ſic illam inſtruis, ingenitam uim terræ à Deo indicat, qua continuis grauida fœtibus, inditum ſibi à natura ordinem & fouet, & mirabili rerum ſerie enutrit, ſeruatq́ perpetuò. Porrò, Cibum illorum, animantium omnium intellige. quare ſic reddit Campenſis: Curabis ut copioſe proueniat è terra pabulum illis, quæ degunt in ea. Multum adeò ſemper agris profuit ſedula agricolatio, curaq́, ac peruigil in deligendis temporibus agricolæ prouidentia, quod ſcilicet cuilibet uel reſtibili uel nouali, uel ueruacto conueniat ſemen, quóue tempore repaſtinationes fieri debeant, inſitionesq́, aut inoculationes, uel quo inſtrumento etiam frondari poſsint arbores, ſurculari, decacuminariq́, & ut cõmodius ſolis radijs pateant rami, qua cõcinnitudine fieri queat interlucatio. Quid cùm ad pubeſcentes herbas ex udo fontis alueo euocantur aquarum ductus & deriuationes? Hæc, inquam, omnia ut maximè hominum iuuantur opera atq́ induſtria, ita horum omniũ autor eſt Deus & effector. Ideo non ab re clamat uates, Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, ſcatebris nimirum gratiarum ac donorum: quæ ut ſanè ampla in hac poſsint camporum cultura animaduerti, ita ampliſsima planeq́ immenſa in pulcherrima Eccleſiæ fœcunditate apparent: quam quidem ſiti æſtuq́ interire neceſſe eſt, niſi aſſiduas in illam deriues uiuæ aquæ ſcaturigines: nam tota illius fœcunditas à te pendet, uiuitq́ in te, ac per te alitur, creſcitq́, ac in te demum cõſummatur. Ideo, ne nimio periclitetur aëris ardore,

Riuos eius inebria, multiplica genimina eius, in ſtillicidijs eius lætabitur germinans.

Perſtat enim uates in rei agrariæ ſimilitudine. Oro, unde tanta diuitiarũ dimanauit copia? unde Eccleſiæ ubertas? à Dei ſanè alueo ac flumine, quod repletum eſt aquis. Phyſon forſan, id eſt, quod circuit omnem terram Euilath, ubi optimũ
D naſcitur aurum. Vt uis illud appelles, is Chriſtus eſt, è cuius latere, quemadmodum ex Adę Eua, formata eſt Eccleſia. Idcirco ſi ſitit animus, ſi areſcit mens, ſi ex inedia emoritur amor, perlangueſcit ſpiritus, & collabitur intellectus, uiuidum è Chriſti uulnere humorem hauriant: nam flumen Dei repletũ eſt aquis. E Chriſti certè latere noſtra omnis deriuata eſt ſalus, deriuatiq́ ſunt gratiarum riui: in cuius ſtillicidijs Eccleſia lætatur germinans, erumpitq́ in gemmas illas, quę eam tandem producent uuarum copiam, quæ nulli aptæ ſint torculari, niſi illi quod ſolus calcare potuit Chriſtus. Cæterùm Hebræorum litera metaphoræ iam cœptæ magis inſeruire uidetur: nam Felix ſic uertit: Sulcos eius inebria, ſeu humecta, æqua cumulos eius: hoc eſt, ut reddit Paraphraſtes, glebas eius occa, imbribus lubricam eam redde, germini eius benedices. Tu tamen, mi lector, perſpecta uerborum huiuſmodi proprietate, ad ſpiritualem hæc omnia fœcunditatem transferre aſſueſce. Quantum ad me attinet, ſcio arentem mei parui agelli campum, legis uomere, peccatiq́ cognitione, arandũ eſſe, atq́ contumaces illius glebas carnis mortificatione & interitu perfringendas: quòd ſi poſtea ſpargendum eſt ſemen, illud è copioſiſsimo Dei ſeminario extrahendum eſt, ſpargendumq́ benigniſsima illius manu, ac deinde ſpiritus imbre irrigandũ, ſubigendum, confouendumq́, & ne germen mea ſylueſcat culpa, intereatq́ immunditiæ lappis obrutũ & ſpinis, fidei raſtro ac ſarculo cõmolliendum atq́ expurgandũ. Hæc tamen unus atq́ idem operatur ſpiritus Chriſti ſua in Eccleſia, cuius hîc fertilitas ab eodem ipſo ſpiritu mirabili depingitur artificio, cognito nimirũ duntaxat illis, qui carnem ſuam crucifixerũt, ut inquit Paulus, cum uitijs & cõcupiſcentijs. Ad mollem quippe animam, effœminatã, atq́ in mundi craſſamento ambitioſe laſciuientem, diuinarũ rerum guſtum & cognitionẽ ingredi non credo. Proinde ſic ſuo in uolutabro relictis ſuibus, ad te, ô qui ſolus noſtrã hanc animæ ariditatẽ ac ſitim, pluuia tui ſanctiſsimi ſpiritus temperas, irriguoq́ ſuperiori & inferiori madefacis, atq́ uberrimè fœcundas & recreas, reuerto. Nam tu quidem ſolus, adaucta prius tua in Eccleſia fruge, adaucto ſpiritu, adaucto gratiarum cumulo, tandem

Benedi-

A *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.*

Clarius Hebræi: Coronas, inquiunt, annũ bonitate tua. effuſam enim undequaq; Dei gratiã in Eccleſia uult hîc uates intelligi, & eſt ſenſus: Annum totum integrum rerum omniũ prouentu, & eo quidem copioſo, cingis atq; ornas. Vnde Paraphraſtes, Tanquam corona exornaſti annum pro benignitate tua. Cupis'ne, ô amice, quid ſibi uelit is annus ferax, cuiuſq; formæ ſit & abundantiæ, nõ neſcire? Audi Chriſtum in Eſaia ſic declamantem: Ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer cõtritis corde, ut prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, ut prædicarem annum placabilem. O felicíſsimum certè annum: ut conſolarer, inquit, omnes lugentes, & darem eis coronam pro cinere. Vides'ne fertiliſsimi anni huius copiam & felicitatem? Quid ſi à nonnullis (ſileam'ne, an eloquar?) quid ſi, inquam, à nonnullis, interuerſo rerum ordine, imò ui iniecta ſpiritui, non tantum uerbo & doctrina, quantum re ipſa quoq; prædicatur annum hunc uitæ eſſe implacabilem & dirum, hoc eſt, id temporis prorſus eſſe uindictæ, in quo contriti magis conterendi ſint, captiui interimendi, & hi qui in luctu ſunt, mœrore alio conſumendi? Cinerem, inquiunt, illis pro corona inſpergamus. Heu filia Sion, quò tua progreſſa eſt fatuitas? Vlulate paſtores, & flete ſuper ariditatem gregis ueſtri. Certè non uideo, quomodo quæ de illo dicuntur, cuius, ob poteſtatem, atq; in adminiſtrandis ciuium rebus autoritatem, uices te gerere iactitas, uita uerò diſcrepas, de te dici ualeant, Et campi tui (hi tui ſunt ſubditi) replebuntur ubertate: ſeu, ut legit Hebræus, Et ueſtigia tua ſtillabunt pinguedinem. Verùm quia id de te dicere nequimus, de benigniſsimo Dei ſpiritu dicere non uerebimur, qui ubicunq; ſuauiſsima ſui fauoris impreſſerit ueſtigia, ibi fœcunditas ſtatim, ac feliciſſima gratiarum erumpet ubertas: ibi roſæ, ibi uiolę ſuũ emittent odorẽ: ibi arua, ibi campi, ibi colles, uariį ſcilicet eccleſię or
B dines diuina redundabũt munificẽtia. Sed quid in ſingulis immoror? ipſa quoq;

Pinguescent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur. Induti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento, clamabunt, etenim hymnum dicent.

Quanta noſtræ eſt felicitas Eccleſiæ, quanta fœcunditas, quanta ubertas? cuius quidem mirabili ſimilitudinũ elegantia, in hoc pſalmo delineatã eſſe dignitatem cernimus, modò cernere detur. Iam conſpicimus illam, tanquam ſubactã uomere terram, à Deo amatã, irriguisq; aquarum uiuentium fontibus repletam, idcirco mirè auctam & fructiferam. Redolent quidem iam campi uario conueſtiti florum decore, rident colles, egerminãt mâla punica, ſaltusq; innumeris onerati baccis incurueſcũt, uernant omnia, ac tandem è uineis florentibus gratiſsima afflatur ſuaueolentia. Quid multa? ipſæ quoq; incultæ ſolitudines, inhoſpitaq; deſerta & arenoſa, iam culta fiunt, iam pinguescunt, iam fructus emittunt ſuauiſsimos. Neq; porrò ab exundanti hac paſsimq; erumpenti gratiarum ubertate ipſa excluſa ſunt pecora & oues, quę in herbidis lateq; porrectis uariį graminis ac florum pratis colludentes, denſiori ueſtiuntur uellere, ualleſq; ui ingenti frumentaria redundantes, unà cum omnibus diuinæ largitatis haudquaquã expertibus terræ partibus, Deo ſummo & maximo rerum effectori, quicquid felicitatis in ſe habent, referunt acceptum, applaudunt, gratulanť, illiq; in hymnis & canticis immortales agunt gratias. Iam illud poſtremò dicendum uidetur, ultimum pſalmi uerſum clariorem præ ſe ferre ſenſum Hebræis, quibus nulla eſt omnino de ariete mentio: ſed ita hi habent, Veſtient planities pecora, & ualles operientur frumento, iubilabunt, atque canent. Quanquam, arietes, dictio nequaquã ſuo uacat myſterio. Nam in ſcripturis arietes pro principib. magiſtratibusq; & doctoribus ſumi ſolent, qui populorum duces ſunt, quemadmodum illi ouium: induuntur igitur, nempe exultatione ac lætitia ſpiritus (modò ueri arietes ſint) hoc eſt, mirandum in modum exhilarantur, & ſi ſuos uiderint ſubditos in opimis Dei paſcuis ali & ſaginari, triumphant. O iucundiſsimam amœnitatem, ſed pauciſsimis notã, etiam his, qui cùm arietes eſſe deberent in grege domini, ueruеces ſunt pi-

C gri, ac rei nullius commodo utiles, præterquàm macello ac lanienæ. At tandem, quo breuiter ſtrictimq; quæ diffuſe ſunt dicta & uariè, colligamus, hæc omnia in uno tranſiguntur corde. Nam nihil aliud Dei eccleſiam eſſe intelligo, quàm cor unum atq; animam unam cum Deo: quæ ſanè unio id unum efficit, ut cum Deo unum prorſus, quotquot credimus, per Chriſtum ſimus, qui huiuſce unionis nodus eſt & caput, nos membra. Cui laus ſit in Sion, ac gloria in Hieruſalem, in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LXVI. Víncenti. Canticum pſalmi.

Vbilate Deo omnis terra.

IMos is eſt ſolennis illorũ quibus nihil in terris, addo & in cœlis, placere poteſt, quod Dei honorẽ ac laudem nõ referat: quòd ſi quid in mundo hoc tetro & caliginoſo fieri cernunt, quod æquitatem non ſapiat, quodq; Dei nomen ac religionem uel parum quidem deprimere uideatur, anguntur ſubitò, mœrent, cum Deiq; eccleſia, nempe proborum hominum cœtu & cõuentu, tam indignas nõ ceſſant expoſtulare iniurias: ſic contrà in optima bonarũ actionum meſſe, in populorũ fide, atq; in his quæ ad diuinũ ſpectant cultum, diligentia & feruore mirum in modum delectãtur. Sed quid ſi præter iſtiuſmodi uniuerſalem uiuendi ubiq; rationem, è qua mirabili afficitur quis gaudio, particulari ſe ſentit cœlitus ornari beneficio? quanto, Deus immortalis, perfunditur iubilo? quanto geſtit tripudio? quanta afficitur animi conſolatione? Ex quo quidem fit, ut ſua haudquaquam contentus ſit felicitate, niſi & eiuſdem illud profeſſionis cæteri reſciſcant uiri, quò omnes, nedum ipſe, in orbe degentes uniuerſo, ad id Deo referre acceptũ, laudibus & his quidem immenſis prouocentur. Vide quid agat charitas, quid fides, quid diuini honoris ſtudium in anima. Atqui ſi quis unquã in terris extitit, qui huiuſcemodi ardenti affectus eſſet inſtituto, is Dauid fuit, qui tum
D aliàs aliis in pſalmis perpetuo propoſito & conſilio, tum potiſsimũ in hoc quem modò exponere meditamur, quàm flagrans diuinũ exaltandi honorem in ſe habuerit, præ ſe tulit. Quorſum uerò, aut qua de cauſa præſentem compoſuerit pſalmum, ſe ignorare fatentur interpretes, illud interim confitentes, inſignem aliquã atq; inſperatã populi uictoriam, tam iucundum præſtitiſſe uati occaſionem componendi canticum. Magna profectò ea fuit uis gaudij, qua terram circumfuſam omnem ad laudandum Deum inuitari cernimus.

Pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.

Alia hæc eſt imago eccleſiæ præter illam, quæ in ſuperiori expreſſa eſt pſalmo. Præuidit enim excellentiſsimus uates, quòd tam nobilis architectus, ut eſt Chriſtus, quò ampliſsimam ſuæ religionis ædificaret ædem, ex arctis aliquando Iudææ terminis egreſſurus eſſet. Vix enim pauci inueniebantur ante Chriſtum, qui ad ſacra templi atq; arcę myſteria accerſerentur, & hi ex Iudæis duntaxat: modò uerò apparente diuinitatis radio, diſciſſoq; templi uelo, omnes ullo abſque delectu, quicunq; in uniuerſo paſsim degunt orbe, ad cœleſtia capeſſenda bona, non ſolùm ad celebrandos externos ritus, ut illi erant Iudæorum, admittũtur. Nemo quidem ab amantiſsimis humani ſeminis Chriſti brachijs atq; amplexibus excluditur: ſit aliquis quantumuis periurus, ſit ſcortator, ſit heluo, ſit ſexcentis interſperſus uitiorum notis & maculis, totidemq; obſtrictus ſit ſcelerum nodis & catenis, non ſolùm à Chriſto, modò uelit, ſuſcipitur, uerumetiam mouetur, inuitatur, trahitur, donisq; allicitur, ac tantum non cogitur. Quis hîc igitur non gaudeat? quis immenſo non geſtiat iubilo? Iubilate itaq; omnis terra, hoc eſt, quicunq; terram hanc, alioqui mœroribus obnoxiam, colitis, gaudete pſalmũ, dicite nomini eius: illi enim ueſtras dedicate odas, ueſtra cantica, ueſtras Muſas. Quid, ô ſtolidi, ingenia illa diuina, nempe ad perueſtiganda ſimulq; laudibus efferenda quæ Dei ſunt, nata, in encomijs, neſcio quibus, laudum meretriculæ, aut ingrati principis cõſumitis? Date, date gloriã laudi eius: nam Dei laus ſola digna eſt gloria, & quæ ueſtris celebrari debeat ingenijs ô mortales. Hebræi legunt, Ponite gloriam

A riam laudis eius: cuius is sensus esse potest, Existimate eius laudem, uestram esse gloriam. Verùm si me interrogas, nihil aliud hîc sibi uelle opinor uatem in tam ardenti uerborum congerie ac poëmate, quàm quòd diuina quantis potest laudibus & tripudio, celebrari debeat maiestas & uirtus. Idcirco additur,

Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine.
In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Causam enim indicat uates, quamobrẽ extollendum sit laudibus Dei nomẽ, propter opera nimirum illius stupenda. Ait igitur, dicite Deo. Loquela istiusmodi ac stupor, quo anima ex assidua diuinorum operum cõsideratione solet affici, intus in spiritu est, quem purgatissimum esse oportet, alioqui nec admirãda, nec terribilia ea quæ facta sunt à Deo, fiuntq; indies, illi uidentur: necesse est enim ut excellentia ea prædita sit, ut testimonium spiritus Dei, non spiritus huius mundi habeat in se. Tunc sanè quiduis suis audet hauritq; & gustat in contemplationibus absq; errore, affabreq; eruditur, atq; in ea quæ secretissimis assequitur conjecturis, penitus trãsformatur: tunc canit Deo, tũc illi dicit, mi Domine, quàm terribilia omnia illa sunt, quàm stuporis plena, quæ tum primùm in antiqua rerum molitione operatus es, in earumq; conseruatione atque incremento continenter operaris, ea semper nouo alens nutrimẽto, complectens, fouens, percurrens, prudentissimeq;, ne in nihilum redeant, temperans & instituens. Verùm illud mirationem omnẽ superat, quòd tu homo factus (quis hîc rei magnitudine nõ obruitur?) bona omnia illa quæ neq; oculus unquam uidit, neq; auris audiuit, neq; in cor hominis ascenderunt, tecum ueniens è cœlis attulisti, tuamq; in Ecclesiam adeò copiosè effudisti, ut ex terrena planè iam facta sit cœlestis & deiformis. quare huius mundi sapientes etiam tanta hęc iam demum uersantes animo atq; intellectu, rerumq; excellentia deterriti, te potentissimũ sapientissimũq; esse fatebun-
B tur, quem antea mentientes, penitus imbecillem arbitrati fuerant. Solent, inquit Augustinus, mentiri inimici, ut potentiam cuiusquam imminuãt. Quocirca Seruator in Iudæos semel iusteq; excandescens, ut erant meriti, sic de illis loquutus est: Vos ex patre diabolo estis, qui mendax est, & mendacij pater. Cęterum hunc hemistichium nonnulli de hostium subiectione interpretantur eo fermè sensu, prout in psalmo decimo octauo abundè expositũ est à nobis illud enarrantibus, Filij alieni mentiti sunt mihi. Vtunq; ergo tibi, ô potentissime, tua in religione uel hypocritæ, uel in mundi rebus sese oblectantes, turpissimè & uita & doctrina mentiantur, nihilo tamen minus

Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.

Adorabit te, & psallet tibi, ex Hebræis plerique reddunt: & est eorũ, quæ in superioribus uaticinatus est, assertio. dixerat enim, Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: nunc uerò, Omnis terra adorabit te, & psallet tibi. tunc enim, Date gloriã laudi eius: modò autem, Psalmum dicet nomini tuo: ut idem omnino & id & illud præ se ferre uideatur. Eam quoq; ob rem, utpote ex inflammato proficiscentẽ spiritu, atq; in laudandi Dei studio prorsus occupatam, à uate hîc interponitur Selah. Itaque ô uos quibus Dei curæ est honor & religio, uos mites, uos mundi contemptores,

Venite & videte opera Dei terribilis in consilijs super filios hominum.

Ab hac quidem tam alta diuinarũ operationum inquisitione abigi debent & sues & canes, hoc est, in uoluptatum cœno perseuerãtes, elati, immundi, tumidi, ambitiosi, liuidi, qui tanquam canes purissimæ cuiq; actioni oblatrãt. Verũ uos, ô quorũ conuersatio in cœlis est, uenite, accedite, & quàm immensa, quam ue terroris plena sint Dei opera, considerate, simul & admiramini. Nam in consilijs terribilis ualde est, & tam sanè potens, ut quẽ nequeat quamlibet excelsus in terris homo uel tantillum quidem æquare. Super uirtutem omnem humanam euectus est altissimus, attamen in tam tenui re & abiecta, ut homo est, admirãdis suis illis semper usus est consilijs, & (sic uertit Symmachus) machinationib. nempe decre

C tis illis ęternis, quibus mira prouidentię ratione, in mortaliũ usus est instauratione & salute. Super filios Adam, uertunt nonnulli ex hebræo, quò quid de tam gratuita Dei bonitate sperare deberet quiuis hominum, non Iudæus tantùm, intueret: uolunt enim genus hominum uniuersum hîc comprehendi. Proinde uolens uates diuina beneficia Iudæorum populo, tanquam futurarum rerum umbra ac typo, exhibita recensere, duo illa pręcipua, maris uidelicet Rubri, & Iordanis diuina intersecti uirtute ac potentia, in medium adducit dicens:

Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in ipso.

Historia hæc aquarum suo ab alueo separatarũ notissima est: notum est & mysterium, detectũq; ab Apostolo, qui Corinthijs scribens asserit patres omnes mare transiuisse, in Mosęq; baptizatos in nube & mari, hoc est, in aqua & spiritu. Vides ne terribiles admirandasq; Dei operationes? Sentis ne ex Arabico illo sinu diuiso mirifica ecclesię pręludia, atq; aquarum uelo obnubilata exordia? Vis ne præterea terrorem illum, qui in diuinis inest operationibus, cognoscere? Dixerunt, inquit, Aegyptij, Fugiamus Israëlem: Dominus enim pugnat pro eis cõtra nos. O si animis usqueadeo purgatis essemus, quò stupendam dexterę Dei uirtutem in nobis agnoscere ualeremus. Obsecro, maiorine stupore dignũ atq; admiratione tum fuit, quando apertis aquarum undis, sicco traiecit mare itinere Iudęus, an modò cùm Christianus uirtute cœlesti, à periculosissimis mundi fluctibus extrahitur? Illud porrò indicio esse potest, utrum horum excellentius actum sit, cùm illi traiecto paruo illo sinu atq; amne, uix pauci non absq; sudore terram introiere promissionis, nos uerò omnes ad eius ecclesiam ac religionẽ, uastissimo superato mundi pelago, & id facillimè, per Christum ascíti sumus. Quare ibi lætabimur, non sanè quidem in opimis terræ illius frugibus, aut immensæ magnitudinis uuarum racemis: sed in ipso, id est, in quo ipse in terris lætatus est, nempe in ærumnis, in afflictionibus, in pressuris, in cruce tandem, atq; in altissimis inter
D hæc animi contemplationib. Talis quidem Christiani uita esset debet, in qua nimirũ cum Christo nostra omnis esse debet oblectatio, gaudium, & finis tandem. Cætera uerò, quæ lætitiam nescio quam nobis polliceri uidentur, caduca omnino sunt, parumq; Christiano uiro digna. In ipso igitur solo lætandum est,

Qui dominatur in ῾virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt: qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

Ipse, inquit, in se existens, quippe qui uita est omniũ, uel quæ in cœlis, uel quæ in terris spirant, à se, propriaq; uirtute, non ab alio, ut mortales solent reges, dominium habet rerum uniuersale & sempiternũ: quapropter quæcũq; agunt mortales, intuet, diligentissimeq; considerat. & certè qui eum peccando exasperant, atq; irritant, non diu præstabunt cæteris. In semetipsis, illud signat, quòd irritantes Deum, seu, ut uertunt ex hebræo, desertores Dei, qui à semetipsis, à proprio scilicet tumore & ambitione, quasi dij sint, exaltari & quærunt & nituntur, suo (quamuis diuersum sibi persuadeant) frustrabuntur conatu. Impossibile id plane uulgo uidetur, elatos istos è terra genitos posse aliquando à tam anxiè quæsitis honorum sedibus deijci: ideo non absq; ratione à spiritu additum est diapsalma. Impossibile id, inquam, semper uulgo uisum est, licet secus fieri quotidie uideat. Quòd si tamen, quæ est occultissima diuinæ prouidentiæ ratio, peruersos quosdam ac temerarios diutius bonis imperare cernimus, deiecti nihilominus iam hi sunt à Deo, hoc est, destituti & derelicti: quorum iudicium iam olim, ut inquit Petrus, non cessat, & perditio non dormitat. Ad hæc, quis bonus putres huiuscemodi non horreat fungos, aut illorum nõ detestetur dominium? Et Deo igitur, & præclaris horrori sunt ingenijs, ac tanquam Dei hostes despectui. Quis hoc modo regnare uolet? uolunt tamen nõnulli, licet inepti, stulti, &, ut uerbis utar comicis, caudices, stipites, asini, plumbei, qui suis tantummodo contenti gradibus, quicquid sentiant probi, aut querantur, in semetipsis tamẽ de se, suaq; inepta gubernandi ratione, turpissimè delectantur: modò enim regnent, nihil non

A non tolerant. Cæterum quod noſter uertit interpres, in æternum, ab aliquibus uerſum eſt, ſeculo, quod exponunt, toti orbi. Cùm itaque eo ſe habeant modo ea quæ dixi,

Benedicite gentes Deum noſtrum, & auditam facite vocem laudis eius.

Non uacat enim ſuo lepôre & ſuauitate dictio, Noſtrum: & eſt acſi dicat: Deum illum, non noſtra iam ob ſcelera à nobis auerſum, ut olim, non implacabilem, non terrifico circunfuſum numine aut maieſtate, ſed placidum, ſed placatum, ſed noſtras miſeratum afflictiones, ſed noſtrum tandem totum effectum. O igitur populi, ô gentes, laudibus huic noſtro canite Deo, cultumq; illi uerum, nempe in ſpiritu & ueritate, latè adeò perſoluite, ut quicunq; uaſto hoc in ſeculo degunt, illius per uos audiant laudationes. Mirum ſi in his quæ hîc dicuntur, immenſum illud Dei patris beneuolentiæ ſignum erga homines, quo ſuum in terras miſit unigenitum, cognouiſſe Vatem dubites. Vix enim anteaquàm Chriſtus ſeſe noſtræ attemperãs imbecillitati, ad ſubleuandam huc hominum deſcendiſſet miſeriam, noſter eſſe iudicabatur Deus, ſed Iudæorum tantùm: uerùm exorto poſtea iuſtitiæ ſole illo, cuius fulgentiſsimi radij uel uſque ad inferorum noctem & caliginem (dictu mirabile) penetrarunt, noſter omnino factus eſt. Hic, hic inquam ille eſt,

Qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos.

Animam noſtram, & pedes noſtros, habent Hebræi: unde Paraphraſtes: Qui cõſeruauit nos in uita, nec permiſit uacillare pedes noſtros. hiſce enim circumlocutionibus innuere uult Vates, amiſſam aut ſaltem periclitantem nobis per Dei clementiam reſtitutam eſſe animæ uitam, quæ Deus eſt. Nam nihil aliud in nos moliri dæmones, atq; illorum mancipia uidentur, quàm ut nobis Deum auferãt: quo ſanè ablato, nõ ſecus moritur anima, ac ſolet corpus deſtitutum à ſpiritu. Et

B quia mors illa, qua Deo interit anima per peccatũ, ferè ab internis motibus atq; appetentijs principium auſpicari conſueuit, ideo à Vate eſt additum: Non dedit in commotionẽ pedes meos, nempe deſideria atq; affectus, quibus anima quaſi pedibus fulta, quolibet diuagatur. Nõ mediocre id quidem donum eſt Dei, puros uidelicet in anima ſeruari affectus, alioqui propter naturæ corruptionem ſpiritui rebelles, & ad contrectanda mollia ac laſciua, interdumq; crudelia, eo maximè tempore, quo acerrimè ab improborum iniurijs laceſsitur, mirabiliter proclines. Voluiſti, inquit, nos ab aduerſa exagitari fortuna, non propterea quidem ut nos funditus deleres, ſed

Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.

Is finis calamitatum præclaris eſt animis, eoq; tandem à Deo in inferendis ſuis amicis plagis conſilia diriguntur, ut cuius temperamenti ſint experiatur, lateq; omnibus innoteſcant: quemadmodum ea eſt intentio aurificis in depurando auro aut argento, ut id purius reddatur, non ut in igne pereat. Nam cùm igne nihil ferè uoracius inueniatur, illo tamen naturaliter eum more prædituṁ eſſe nouimus, ut quæuis alia conſumens, argentum atque aurum non ſolùm non abſumat, uerumetiam ſplendidius efficiat & defæcatius. Vnde optimus ille aurifex ſubtimidos in fide roborans clamabat: Modicum nunc ſic oportet contriſtari in uarijs tentationibus, ut probatio ueſtræ fidei multò precioſior auro, quod per ignem probatur, inueniatur. Verùm ut exploratius nobis hac in re diuinum fiat conſilium, additum eſt à Vate,

Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.

Quid præ ſe ferat hîc, laqueus, quid tribulatio in dorſo, ſeu in lumbis, ut legũt Hebræi, ultima uerſus particula demonſtrat. Impoſuiſti, inquit, homines ſuper capita noſtra. quod expreſſius ab interpretibus Hebræorum eſt redditum. Vnde Felix ſic: Inſidere feciſti capiti noſtro hominem. Alius item clarius: Imponis uelut iumento homines capitibus noſtris. Alius rurſum: Feciſti equita-

C re homines ſuper caput noſtrum: id eſt, ita homines nobis præponi uoluiſti, ac ſi iumentis inſiderent. Hæc certè uidetur calamitatũ omniũ maxima, cùm perinde homo homine crudeliter in imperijs abutitur, quaſi bellua ſit. Tumida nimium ea eſt impotẽtia animi & fera, uixq; in eccleſia tolerabilis, magisq; id adeò, quòd iam per Chriſtum mutata eſt rerum conſuetudo. Nam filius hominis, uniuerſorum ſcilicet dominus & rex, nõ uenit ut ſibi obſequium in terris exhiberetur, ſed ut alijs ipſe potius præſtaret. Ea enim uis eſt amoris, hoc eſt, Chriſtianæ legis id robur eſt & ſumma, ut unus omnium in Chriſto & uniformis ſit nodus. Quòd ſi porrò neceſſarij ſunt magiſtratus & ſuperiores, qui effluentem quodammodo in officio continere queant multitudinem, id ea ornatum eſſe debet moderatione imperium, ut Chriſtianum appareat, lene nimirum, atque amoris plenum. Animantia ne rationis expertia putamus illos eſſe homines, qui nobis illa crediti ſunt ratione, ut Chriſtiano ritu gubernentur, nõ ut tyrannicè crudeliterq; opprimantur? Hi ſanè laquei ſunt, eæ tribulationes, maximæ illæ quidem, quas hîc gemitibus (opinor) interceptus Vates exprimere magis uoluit, quàm expreſsit. Nonnulli ex hebræo, non laqueum, ſed anguſtum, tranſtulerunt: alij item, in neruum: quæ dictiones multùm quadrare illi uidentur dominio, quod tyranni nomen potius, quàm Chriſtiani ſibi arrogat, ut ferè ſunt iam (miſerùm) omnes etiam in religioſiſsimis cœtibus principatus. Cæterùm quòd lumbos uertunt quidam, dorſi loco, ea uidetur ratio, quòd qui lumborum defectione laborant, curui admodum, cum dolore incedunt. Qua ſanè metaphora crudelem oppreſsionum ſarcinam, à diro ſuperboq; magiſtratu ſubiectorũ dorſo atque humeris, tanquam laſsis aſellis, ſub onereq; deficientibus, impoſitam, intelligere neutiquam dubitemus. Chaldæus catenas legit: quod quidem etiam ad ea quæ dicta ſunt, belliſsimè conuenit. Nanque catenis deuinciri ſolent fugaces ſerui, aut indomitæ feræ, non homines ingenui, & qui mortem ſeruituti illiuſmodi, quæ Chriſtia-
D nam pietatem non referat, anteponere conſueuere, quiq; ingenuam ſeruire ſeruitutem, ut ſanctiſsima illa tyranno obiecit uirguncula, à Chriſti iugo didicerunt. Quid plura? ait,

Tranſiuimus per ignem & aquam.

Nulli iam incognitum eſt, in ſcripturis ignem ſæpenumero pro perſecutionibus tentamentisq;, ac uarijs uitæ periculis ſumi: ſimiliter & aquam ſeu aquas. quare is erit ſenſus: Ad eum enim miſeriarum cumulum peruentum erat, ut per ignem & aquam tranſiuiſſe, hoc eſt, periculum omne ſubijſſe nobis uideremur. adeò ſub acerbiſsima calamitatũ forcipe uolui & reuolui, incendium quammaximum eſt, atq; obſcurum aquarum profluuium. Verùm tu Deus, quæ tua eſt natura, contra morem hominum placabilis, ab edaciſsimo illo, illo inquam perſecutionum igne, rapidiſsimaq; tentationum & periculorum ingentium tum animæ tum corporis illuuione,

Eduxiſti nos in refrigerium.

Id eſt, in te, tuiq; ſpiritus conſolationem, qui animarum uel in medijs ipſis tentationũ undis, quibus illarum uires miſerandum in modum remitti ſolent & incendi, periclitantium metuq; exanimatarum refocillator es. Hebræi habent, Eduxiſti nos in abundantiam, ſeu in terram ſpatioſam & latam: ut illi reſpondeat dictioni, quam ſuprà, anguſtum, tranſtulerunt. Aben autem Ezra, in aërem interpretatur, à quo homo ab igne exiens refrigeratur: ab aquis autem reſpirat. Vtcũque literam interpretentur, refrigerij uox aptè hîc poni uiſa eſt, utpote quæ miram in Deo ſuauitatem, atq; amoris erga ſuos dulcedinẽ repræſentet. Cæterùm quid aliud uita eſt bonorum in terris, quàm continuus afflictionũ æſtus, ardor, ignis, lateq; debacchantium malarum conflagratio? ac perennis rapidusq; miſeriarum torrens ac flumen? Quid porrò de Deo animarum amantiſsimo cogitare par eſt, niſi quòd pius ſit, benignus, ſuauiſsimusq; deſolatorum cõſolator, ac mœrentium periclitantiũq; & pax & uita? Qua quidem perſuaſione affectus uir ſanctus,

A ctus, ne ingratus omnino uideretur, uide quid de ſe pollicitus eſt:

Introibo in domum tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea, & loquutum eſt os meum in tribulatione mea.

Ecce ſanctæ animæ de perceptis à Deo beneficijs gratiſsimus affectus. Alludens quidem ad ueterem ſacrificiorum ritum, ſuam ſpondet fidem, atq; ad præſtandum quæcunq; pollicitus antea fuerat propenſionem ac ſtudium, propheta. Quemadmodum enim ſacrificiorum omnium, quibus tum litabatur Deo, nobiliſsimum erat holocauſtum: ita in præſentia nihil fide præſtantius offerri poteſt ab anima, cuius illud umbra fuerat ac typus, cuiusq; partes expreſsius in ſubſequentibus enarrans adijcit:

Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum, offeram tibi boues cum hircis.

Hæc ſunt præcipua, hæc uota, hæc iuſta, hæc pinguia illa, quæ domum Dei ingredientes ſecũ afferunt, amor ſcilicet, fides, mortificatio, atq; ſuauiſsimum illud planeq; neceſſariũ cum gratiſsimo nominis odore ac ſuffitu, orationũ pigmentum. Vide quid myſteriorũ tum illa ſacrificandi lex & conſuetudo adumbrauerit: uide, inquam, in quàm tranquillũ rerum ſtatum tam laborioſus deſierit mos. Neq; porrò ſummo uacat myſterio, quòd ſe uates in ſuperioribus redditurũ deuouet, quæcunq; olim in tribulatione conſtitutus diſtinctè uouerat. Quæ diſtinxerunt, inquit, labia mea. Diſtinguit, ait Auguſt. qui ſe nihil eſſe dicit, Deum omnia: & ſe eo egere, nõ illo ſe. Quem quidem puriſsimum ſacrificandi ritum ac religionem, neſcio an Cain ille ſceleratus agricola intellexerit, qui ſanè rectè, ut legimus, ſuum obtulit ſacrificiũ: ſed non rectè diſtinxit, quoniã ſe ſubtracto, terrenis ſolũmodo litauit rebus: idcirco ad illius munera, ut inquit Moſes, nõ reſpexit Deus. O ſi, mi lector, iam tandem humanus excitetur torpor (torpor autem?) error potius hîc erat dicendum. Quòd ſi quidem uox iſta erroris in Dei eccleſia (ad
B huc in area granum paleis commiſtum cernimus) audiri amplius nõ debet, nempe quæ in Chriſto, quæ ſumma eſt ueritas, fundata eſt, unde, te obſecro, per Deumq; obteſtor & adiuro, tanta uitiorum illuuies? à quo fonte tam ampla terrenarum rerum dimanauit cupiditas, ambitio, luxus, auaritia, ſuperſtitio? Aut erroris eſt, aut ſumma in hominibus infidelitas. Sed hîc mihi tempero, & ad pſalmum redeo. Holocauſta medullata, Hebræi holocauſta tantum modo legũt: ſeu, ut Felix, holocauſta pinguiũ: pinguibus enim & ſelectis è grege armentis ſacrificare conſueuerant. Cuius ſanè moris autor fuit Abel, qui paſtor erat ouiũ, quiq;, ut ſacri habent annales, Deo obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum. Pinguia quidem omnia atq; opima (nõ hîc Epicurum Epicureosq;, qui Liberũ magis quàm libros colunt, intelligo) in Chriſtiano uiro eſſe debent: idcirco lautitiã iſtiuſmodi in animę medullis, nõ in tarda craſſaq; mole corporis ſitam eſſe uult ſpiritus: ſiquidem in cordis penetralibus hęc omnia conſpiciuntur, non in lucida, beneq; curata ac raſa cute: ibi enim uerũ eſt Dei templum, ibi ara, ibi uictima, ibi thus, ibi ignis, ibi ſummus ille pontifex, qui ſemel, ut inquit Paulus, in conſummationẽ ſeculorum, ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Verùm cùm hæc omnia mortalium pleroſq;, utpote in terrenarum rerum negocijs explicandis ardentiores, quàm in ueris intelligendis bonis occupatos, omnino lateant, breui facta ſacrificiorum mentione, à propheta interponi tur Selah: tantùm illud interim efflagitante, quòd nos, qui in lucidiſsimo Dei itinere noſtra hallucinamur culpa, ad ea tandem contemplanda, quæ continuum ueluti ros in ſuos inſtillare diuina non ceſſat bonitas, oculos aperiamus.

Venite, inquit, & audite, quanta fecit Deus animæ meæ.

Hîc mihi audire uideor omniũ ſeruatorẽ, ſic ſuum alloquentẽ populum: Qui habet aures audiendi, audiat: id eſt, qui capaces ſunt fidei, hi audiant, hi intelligant, hi toto hauriant ſpiritu, quæ penitiori in animæ conclaui diuina tractantur colloquia. Conclaue quidem iſtiuſmodi intimus eſt animæ affectus, nempe cor, atq; animus. Ianua, fides: ianitores uerò, amor & pax. Cæteri familiares, atq; à ſe-

c cretis amici, ſunt puritas, caſtimonia, manſuetudo, humilitas, feruor, & quę pro-
pius accedũt, ſyncerítas & clementia. Ponè illius uultũ effigiauimus, qui ſermo-
nem illiuſmodi, quem ſe Vates habiturum pollicetur, auditurus eſt. Quanta, in-
quit, Deus fecit animæ meæ, quàm immenſas in me cœlitus effudit largitiones.
Atqui ne uos diutius ſuſpenſos teneam, illud omnium maximum commemo-
rabo, in quo mea in illum fides, illiuſq; in ſubleuandis miſeris ſolicitudo, æter-
narumq; promiſsionum firmitas & conſtantia, eximia nimirum illius dona per-
ſpicua ſunt, illis præſertim, qui propter ſedulum cum Deo congreſſum, uegetio-
res habent ſenſus. Itaque

Ad ipſum ore meo clamaui, & exaltaui ſub lingua mea.

Sub lingua, hîc poſitum eſſe pro, in lingua, aſſerunt interpretes, illud alterius
pſalmi, haud huius diſsimile citãtes: Sub lingua eius labor & dolor. En fidei uis
animæ, quæ ex pollicitationibus diuinitus ſibi factis animata, nihil dubitat, quo
minus quæcunq; rogare inſtituerit, exoret. Ideo, inquit, lingua illum mea laudi-
bus, quantum potui, extuli. Copioſiore quidem iſtiuſmodi periphraſi uult omni
bus teſtatum eſſe, ſuas à Deo auditas eſſe querelas, propterea ſanctiſsimũ illius
nomen à ſe laudatum. Continuò, ait Paraphraſtes, animus meus, lingua, eius be-
neficio reſpondens, laudibus extulit illum. Eſt'ne id minimum inter diuina bene
ficia connumerandum, noſtras à Deo exaudiri lachrymas? lachrymas dico, quia
impoſsibile planè uidetur, ueras orationes quæ Deo fiunt, abſq; lachrymis for-
mari poſſe. aut illas quidem à peccatorum memoria atq; amaritudine prodire ne
ceſſe eſt, aut à diuino amore, cuius ea eſt uis, ut animam ad ſe è terris eleuet, ſibiq;
uniat, ac ſecum illam ſic in lachrymas colliquentem, contra rerum inferiorum na
turam ardere faciat. Quis unquam id uidit, quempiam ſcilicet in aquę uiuę fonte
aut amne poſitum inflammari? Talis enim diuinus eſt amor, qui cùm ignis ſit,
quicquid tetigerit, igneum id actutũ fieri oportet. O ſi mihi in his quæ Dei ſunt
D algidiſsimo, iſtuc contingeret incendium. O ſi iſtius generis in me ignem, ignem
alium, nempe cupiditatum, extingui experirer. Scio enim in uno eodemq; cor-
dis domicilio, utranq; minimè coire poſſe flammam. Quàm longo ſanè interual-
lo me à ſanctiſsimo ſemotum eſſe Vatis ſpiritu doleo, quem hîc optimè de ſe ſibi
conſcium illud fateri audio:

Iniquitatem, inquit, ſi aſpexi in corde meo, non exaudiat dominus.

Periculoſæ hîc ſe deuouere conditioni uidetur Vates. Nam quòd homo à per
petranda re ipſa iniquitate ſe temperet, ſimulq; & exhorreſcat, magnum quidem
uideri ſolet: at uerò à corde conceptus omnes turpes omnino abegiſſe, nónne
miraculo perſimile? Quis gloriari poteſt ſe mundum habere cor? ille nimirum,
qui illud Pauli aureis ſcribendũ literis, totumq; illius ita obumbrans animam, ut
nullus flagitioſis cogitationibus extaret locus, audacter oſtentat, Gratia Dei me
cum. Quòd autem interdum puriſsimas quoq; proborũ mentes aliquis nequam
titillet affectus, non multũ adeò turpe exiſtimari debet, poſteaquàm id omnibus
natura inſitum uidetur, ob primi peccati mulctam, ut omnes aliqua, ut ſic dicam,
extraordinaria tangantur peccati lege, tentigines q; neſcio quas, uel amoris, uel
odij, irarumq; libidinis aut dominandi, etiam inuiti patiantur. Hi ſanè ſentiunt,
quæcunq; illis aut à dæmone, aut à naturæ debilitate ſuggeruntur: uerùm ea nõ
aſpiciunt, non attendunt, nõ illis aſſentiuntur, nõ ut molles naturaliter agere con
ſueſcunt, applaudunt: letale id eſſet omnino. Quocirca cùm quis eò uecordiæ
proceſsit, ut fœdos illos animi motus libenter amplectat, ex ipſisq; oblectamen
ta uenetur, huius prorſus oratio fit in peccatis, tantùm abeſt, ut Deum æquo il-
lum intueri aſpectu arbitremur. Scimus enim, aiebat cæcus ille euãgelicus, quòd
Deus peccatores non audit. Dauid autem quid? Non exaudiet me, inquit, domi
nus, ſi iniquitatem aſpexi in corde meo. Periculoſiſsima planè res eſt, inquinato
quempiam animo cum Deo congredi audere, ab illoq; id petere, quod his tan-
tummodo dare ſolitus eſt, qui à turpi prorſus terrenarũ rerum contagione immu
nes ſunt & liberi. O quàm nitidam, pureq; defæcatã illam decet eſſe animã, quæ
uerè,

A uerè, atq; ea qua oportet fiducia & amore, diuinum illud precationis fulmen, Pater noſter qui es in cœlis, in cor patris eiaculari cogitat: à quo quidem ille, ille inquam qui cuncta ſolo nutu cõdita moueri facit, traiectus clamat, Vulneraſti cor meum ſoror mea, uulneraſti cor meum. Cæterũ uolunt interpretes ex hebræo legi poſſe, Et exaudiet: id enim diffinitionis tempus eſt, quo certò ſcimus inquinatos animos nequaq; exaudiri poſſe: illud uerò imprecationis, ut expoſuimus: in utroq; enim nobiliſsimã ſibi uindicat ſedem fides. Qua quidem robuſtiſsima tanquam armatura circundatus Dauid (non illa quidem Saulis, qua indutus incedere haud quaquam poterat, ſed illa de qua Paulus, Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo) ſubiunxit:

Propterea exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.

Propterea, inquit, quòd iniquitatẽ, ut ipſe dederat, nõ aſpexi in corde meo, nõ alui, nõ dilexi, exaudiuit Deus, hoc eſt, attendit, auresq; illas ſuas benigniſsimas, ad miſerorumq; clamorem apertas, ad meam inclinauit precationem. Idcirco

Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.

Noſtras quidem non repelli orationes à Deo, ab illius prouenit miſericordia: quæ cùm omnibus ſemper obuia ſit, precationibus tamen & aſsiduis & feruidis, illius nobis conciliãdus eſt fauor: quo ſanè impetrato, nihil tum ſibi deeſſe exiſtimet anima, licet cunctis careat uitæ commodis. Nam quæ bona in Deo ſita ſunt, (ſunt enim omnia) felici ſsimo prædita ſunt ſtatu & æterno: quę uerò in mundo, caduca, miſera & temporaria. Benedictus igit ſit dñs, ſit laudabilis, ſit glorioſus in ſecula, qui meam nõ reiecit precationẽ, nec ſua me deſtituit benignitate. Amẽ.

PSAL. LXVII. Vincenti. In organis pſalmus cantici.

B *Deus miſereatur noſtrî, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtrî.*

Cùm multa & uaria occurrant animæ argumenta, quibus uel ab ipſa prima rerum molitione, diuinã queat admirari & bonitatem & potentiam, illud arctius uidetur, quòd cuncta quæ olim operatus eſt, operaturq; quotidie in noſtrî gratiam, ea propria motus natura egerit, agatq; continuò: hoc eſt, quia pius, quia bonus, quia miſericors, quia in effundenda ſua in omnes bonitate, liberaliſsimus. Ab hoc ſanè fonte, quicquid bonorũ illorum, quæ tum ad uitæ præſentis cõmoda, tum ad futuræ, quę in Deo eſt, ſpectant, nacti ſumus, perpetuis tanq; riuulis copioſiſsimè redundat. Quis certè tam immenſa aliquãdo conſiderans in ſe exhibita à Deo beneficia, contraq; ſuã animo uerſans miſeriã, atq; ingratiſsimũ in tam beneficũ dominũ morem & conſuetudinẽ, non rei magnitudine indignitateq; confuſus, miſerandum in modum obſtupeſcat & obruatur? Verùm huiuſce imparis conditionis reconciliatrix diuina facta eſt miſericordia, cuius ui intellecta, meticuloſoq; inſinuata animo, nullus homo eſt adeò, ut inquit ille, ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine fortunis, ore, lingua, manu, uita omni inquinatus, qui diſſipatum non interdum colligat animũ, fateaturq; ſalutem omnem mortalium in Dei ſitam eſſe duntaxat clementia, quę uis ea ſit, quę è cœlo fidem, qua gratis ſeruamur, deuehat, atq; in diffidentiæ filios, ut eos uocat Paulus, gratuitò effundat. Vnde non ab re præſentem incepturus odam Vates, ignitam ſanè, atq; diuinarum rerum mirè conſciam, à miſericordia ſic illam orditur: Deus miſereatur noſtrî, & benedicat nobis: illuminet uultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtrî. En quomodo iſtud diuini uultus lumen aliud ab illo ſit, quod humanæ inſitum eſſe rationi aſſerunt nonnulli, feruntq; ægerrimè, ſi quis id nouũ eſſe dicat, à Chriſto nimirum tenui illi rationi additũ, & id per fidem, qua anima ad ea cognoſcenda amandaq;, & idcirco quærenda illuſtratur, & accenditur, ad quæ ne mediocriter quidem appetenda aſſurgere poteſt humana ratio. Proſtrata quidem omnino illa fuit in primo homine, peneq; extincta: quocirca ſuis illam in conſilijs ac deliberationibus cæcutire, prorſusq;, uti ſolent abſque olei fomento lychni, perlan-

C gueſcere neceſſarium eſt: addita uerò fidei luce, quę à Chriſto, tanquam ignis ab ignea ſilice, excutitur, ſplendidior fit, ac ad amplectendum illud, ad quod uix ſtrictim quaſi per tranſennã antea hallucinabatur, aptiſsima. Et ut multæ ſint nobiliſsimæ diuinæ bonitatis partes, illa mihi ſemper nobilior uiſa eſt, & quam inter cæteras magis anxiè efflagitaui, ne me uidelicet meis in manibus ſineret, hoc eſt, ne me ad rationis meæ proſtratæ lumen, melius dicerem tenebras, ſolum incedere permitteret. Id ægrè audiunt, ſcio, non pauci, qui naturæ humanæ rationiq; minium tribuentes, uix fidem tolerant, Chriſtumq; confractæ religionis inſtauratorem occultiſsima denegant impietate. Ego autem id lumen illud eſſe cum Eccleſia fateor, quod illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, quodq; à uate Dei uultus lumen appellari uideo: non illud rationis, ad bona omnia cæcutientis. Nam per Chriſtum, qui id lumen eſt de quo loquimur, ſuam uoluit in nos ueram ſapientiſsimus artifex deriuare notionẽ ac lucem: alioquin ablato iſtiuſmodi è terris radio, in denſioribus forſan, quàm antea, ambularemus tenebris: ideo nõ niſi maxima cum ratione hîc ponitur Selah. Vide igitur Vatis ſapientiam, qui alterius conditionis lumen, quàm illud ſit quod in homine ingenitum eſſe nouerat, rogaturus, proprijs abiectis omnino uiribus, ad diuinam recurrit miſericordiam, clamatq;, Deus miſereatur noſtri, & benignus ſit nobis, & ſic oſtendat uultum ſuum nobis,

Vt cognoſcamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Illud non omittendum, repetitionem particulæ, Et miſereatur noſtrî, non eſſe in hebræo: uerùm non officit addita ſenſui, imò etiam ſolitas, ardentes nimirum in Vate præ ſe fert ſcintillas: refert enim neſcio quid, ea repetita, exæſtuantis animæ, probeq; agnoſcentis, quantum boni afferre ſoleat Dei miſericordia: cuius effectus etſi præſtantiores ſint, quàm quos humana queat mens cogitando aſſequi, illum tamen non inter mediocres collocari par eſt, ueram ſcilicet, qua D itur ad Deum, notionem, ne homo natura labilis, atque ad ea plerunq; ſectanda, quæ illi noxia ſunt, procliuis, in rerum delectu cæcutiat, erretq; deceptus. Impartiatur, clamat Vates, nobis Deus ſuam miſericordiam, ne in terra hac deuia, erroribusq; refertiſsima, in eligendo uitæ inſtituto, dicamus bonum malum, malum bonum, ſed potius inter gentes iſtas impias et incultas diuerſantes, ueram ſalutis nanciſcamur notitiam, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem nobis ſalutem eſſe uoluiſti, pacemq; & uitam. In hunc ſanè ſenſum omnes conueniunt interpretes, non tam Latini, quàm Hebræi quoq;. Vnde Paraphraſtes: Vt cognoſcamus uiã, qua itur ad te Deus: beneficium uidelicet illud redemptionis, quod impendiſti uniuerſis gentibus. Non hîc dubium eſſe debet, feliciſsimum illius ſeminis aduentum, per quod benedicendæ eſſent omnes tribus terræ, ut olim facta fuerat cœlitus Abrahæ promiſsio, à Vate præcognitum: qua ſubinde cognitione accenſus, mireq; illuſtratus, in illa fidei prorupit uerba: Vt cognoſcamus in terra, terra, dico, iſta infinitis obnoxia erratis ac lapſibus, uiam illam tuam, quam ab æternis humano generi pollicitus es ſeculis, quamq; omnium ſparſim gentium ſalutem fore ſempiterno ſanxiſti conſilio, in Chriſto Ieſu tuo unigenito: quem ſicut tuum eſſe natum, tibiq; coæternum, atque unius tecum deitatis, potentiæ, ſapientiæq; & uirtutis confitemur, ita noſtram omnium eum ſalutem, redemptionem, iuſtitiam, uitam denique & beatitudinem fore expectamus. Itaque firma hac perſuaſione ac fide animati,

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

Perpulchra hîc à Vate fit uerborum ſententiarumq; connexio. etenim poſita tanquã ſtructuræ ſpiritualis fundamento miſericordia, erectoq; benedictionis, illuminationis & cognitionis ædificio, uniuerſus introducitur orbis, qui ſanctam hanc domum, nempe eccleſiam per Chriſtum fabrefactam, inhabitet. Maximam porrò lætitiam denotant repetita illa adhortationis uerba: Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Salus enim uniuerſalis cùm ſit,

A ſit, cur non etiam confeſsio? At uide, quibus ornanda ſit bonis anima, anteaquã in puriſsimas illas confeſsionis laudes, quas hîc memorat ſpiritus, ſeſe ingerere audeat. Dei in primis illi opus eſt clementia, beneficentia poſtea, quam nouam appellari gratiam fas ſit, qua ipſa adiuta, ad excellentiſsimũ illud omnium capeſſendum fidei lumen admittitur: quo ſanè interlucente, uiamq; ad ſuum cognoſcendum benefactorem pręmonſtrante, in reperti amorem accenditur, rapiturq; in amatum, atq; hinc tanquam à pellucido diuinitatis ſpeculo, ad cæterarum rerum notionem peruenit, fitq; actutùm adeò unum quoddam cum Deo, ut nihil iam, uel in iſtis externarum rerum occupationibus, aut agere, aut cogitare, etiam ſi uelit, queat, quod diuinum non referat honorem. Putas ne animã ſic cum Deo coniunctam (ut omnes certè debent) in terris diu manere poſſe? Cenſes ne uel minimũ quidem illam inire poſſe cum mundo, cum carne, cum faſtu & ambitione fœdus? Heu animas fruſtra à Deo redemptas, quæ ea ſe habẽt in corpore hoc moribundo ratione, qua ſe habent ipſa rationis expertia animantia. Illud etiam quod mihi hoc in loco ſuccurrit non ſilebo, partes has ſcilicet ſpiritualis ædificij, quas nuper poſui, non minus forſan ad confeſsionem illam, quam ſacerdoti probo & erudito fieri ſancta decreuerit eccleſia, pertinere, quàm ad ipſam, quę in diuinarum laudum gratiarumq; actionum exercitatione uerſatur. Nam anteaquã quis ſe ſua aduituro peccata ſiſtat ſacerdoti, nihil propémodũ agit, niſi prius uentilata diligenter conſcientia, & lachrymis & ſingultibus ab amaro corde profectis, remiſsionem à Dei miſericordia delictorũ ſuorum impetrauerit: cuius ſanè præcipuum illius uidetur eſſe donum, beneficentia, quam hîc à Vate benedictionem nuncupari cernimus, & quam diuinę miſericordiæ effectum appellare poſſumus. Hincq; aliud confeſtim emergit donum, diuinum illud quidem et neceſſarium, quod nimirum ex eo, quòd ignorantiæ caliginem ab anima abſtergere ſolitus eſt, lumen uultus Dei nuncupare non inconueniens erit: is Chriſtus eſt, lux
B ſanè animæ ac uitæ: quo quidem operante, perfecta quędam oritur in nobis tum Dei, quem peccando offendimus, tum noſtri, qui peccauimus, cognitio, ex qua uera prodire ſolet confeſsio, atque integra conſcientiæ pax & tranquillitas: quæ tunc digna fit, cui ſacerdos, nempe eccleſia, ſponſi nomine, Dei miſericordiæ, remiſſarumq; culparum gratiam annunciet. Cuius id eſſe gratię uidetur ſignum & indicium, benedictio illa quæ à ſacerdote, inuocatis ſingillatim ſanctiſsimæ trinitatis unius Dei perſonis, & quam diuinæ effectum eſſe clementiæ diximus, impenditur pœnitenti. Cõfeſsiones uerò iſtas tumultuoſas, impræmeditatas ue, & quæ magis ex more fiunt, quàm quòd peccata diſpliceant, uix tutas aſſerere audeo: res enim eſt quæ non mediocri indiget excuſsione & mœrore, etiam ſi quotidie fieri contingat. Quotus enim quiſq; eſt, qui quàm immenſæ grauitatis pondus ſit, Deum offendiſſe, uel cogitare quantum ſat eſt, uel dolere quantũ debet, ualeat? Non, crede mihi, crebræ ſolummodo te mundant confeſsiones, ſed uerę, ſed puræ, ſed nudæ, ſed à conſternato animo ſuapte ſponte quæ enaſcant, & quę non minus à futuris, quàm à tranſactis abhorreãt ſceleribus. Sic candor fidei, ſic mores, ſic caſti ritus & cęremoniæ in Dei Eccleſia ſeruari poterunt: quæ quidem ut animas perfectè expurgatas ſua in academia requirit, ita qui illas mundare noluerint, perfectos cùm doctrina tum ſanctimonia cupit eſſe ſacerdotes, & eos quidem liberos, non uenales, non quęſtuoſos, non ſocordes, non illos qui, ut inquit Eſaias, præ ebrietate abſorpti ſunt à uino. Oro, unde frequentes illæ, quas generales uocãt, confeſsiones cum uarijs collatæ ſacerdotib. ortum habent, niſi quòd aut ſacerdotes parum probatæ uitæ ſunt & doctrinæ, aut ipſæ actæ confeſsiones mutilæ fuerunt & fictę, aut etiam hi quos pœnitentes appellamus, adeò imbecilles in fide Ieſu Chriſti uiuunt, ut nullam ſuis unquam peccatis ſperare audeãt ueniam, niſi eadem pluribus, et uſq; ad nauſeam crebrò recenſeant ſacerdotibus? Id ſanè eſt noſtro nos ſtudio ac labori peccatorum remiſsionem, non diuinæ acceptam referre uelle bonitati & miſericordię. Verùm, ut ad pſalmum redeamus, ut cunq; ſuis in iudicijs, ac uitæ itinere plerique hallucinentur mortales, attamen

C *Lætentur & exultent gentes.*

Maxima certè eſt animæ conſolatio, cùm meminit ſe ſua in ſalute Deum, hoc eſt, rem tam ſublimem, tam æquam, tam miſericordem, tam reorum amantiſsimam, habere arbitram. Vide quibus ornatus eſſe debeat iudex uirtutibus: altum quippe illum eſſe oportet & ſublimem, ſcientia uidelicet, ingenio ac probitate, ne celſitudinem iſtam ſuperbiæ magnitudine, & faſtu æſtimandam ducas. Iuſtũ item hunc eſſe uolumus, ne priuatos ſui animi affectus & libidinem æquitati præponderare uelit. Pium quoq; & propenſum in miſeros animũ in iudice requirimus, non crudelem, non inexorabilem, non durum. Sed unum adhuc, quod perfectum, cunctisq; numeris abſolutum efficere queat iudicem, ſibi deeſſe arbitrabitur qui talis eſt, niſi adeò culpas rei perſequat odio, ut illius miſeratus ſortem, hominem ipſum & diligat, & obſequijs iuuet. Hæ penitus Chriſtiani iudicis partes ſunt: cæteroqui in iudicandis Chriſtianorũ cauſis, proferendisq; culparum interdum etiam incognitarum aut fictarum mulctis, eo ferri impetu, quo ſolent capitales hoſtes ferri, id certè à mundo forſan tolerari poteſt, aut, ut eſt ſuperbarum mentium altor, laudari: de Deo autem iſtuc opinari, ſummum eſſet piaculum. His itaq; omiſsis, uos gentes, uos publicani, uos peccatores terræ, uos qui prauorum obnoxij eſtis iudicijs & diffinitionibus in hoc mundo, lætamini, quoniam qui æternum de uobis habiturus eſt iudicium, Deus eſt, qui cunctos orbis populos, nulla habita ratione uel patriæ uel conſanguinitatis, uel etiam priuati commodi aut amoris aut odij, ut ſolent homines, æquiſsimè iudicaturus eſt. Quę ſanè res quò maiore perpendatur animi attentione, Selah interpoſito, ad Deum repentè, cùm uix aduertas, ſeſe uertit Propheta, dicens:

Quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

Id eſt, ut interpretatur Paraphraſtes, omnium qui in terra degunt, tu te ducem præbebis. Quis talem nõ libenter amaret paſtorem & patrem? O normam certè
D ab æterni patris corde in terram hanc ærumnoſam delapſam, datamq; mortalibus, qua alterius alter ſufferre perdiſcant miſeriam, cõdocefianturq; mutuas æquo expendere iudicio operationes. Hinc, opinor, Dei ſpiritu permoti mei ordinis patres, decreuerũt, ſanxeruntq; olim lege, ut illis potiſsimum diebus, quibus generalia congregationis haberentur comitia, & diffinitiones, quod Capitulum uocant, hic pſalmus à choris ſummiſſe decantaretur, quò ſcilicet Dei lumen hac inuitatum precatione præſtò adeſſet iudicaturis: quo ſanè præſente, cuncta aiebant æquiſsimè cenſeri, pacemq; omnibus conciliari, præſtari clementiam, uirtutes, dignitatem, magnitudinem, exiſtimationem congregationi augeri: abſente uerò, atq; à nobis auerſo, omnia turbulenter fieri diffiniriq;, lites exuſcitari, ſæuitiam inferri, mala ocia, opprobria, irriſiones, contemptũ religioni acciri. Sanctè id quidem noſtris à progenitoribus ordinatum, faxit Deus, ut eo quo decretum eſt inſtituto ac ſpiritu ſeruetur, reuocetur q;, ſi quid ob quorundam ambitioſorũ tumorem elanguit. Atq; in hunc rerum ſtatum, non tam monachorum ordine, quàm orbe ipſo uniuerſo reſtituto,

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum.

Vide quomodo à Dei ſpiritu & benedictione, eccleſiæ tellus ſapientiæ uomere ſubacta occataq;, ac in liras diuini timoris ſtiua directa, irrigataq; ſuauiſsima miſericordiæ ſcaturigine & refrigerio, ſuum emittet fructum, aliàs trigeſimum, aliàs ſexageſimum, aliàs centeſimum. Verùm quid terram hîc myſticam deſcribo? illa, illa tellus, inquam, illa gignendis uepribus deſtinata, depoſita, ut ſic dicam, in dominos (modò hi boni ſint ac pij) indignatione atq; ira, copioſiſsimum reddet fructum. Quæ quidem felicitas ut diuturna ſit,

Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Solitum hîc uatis ſpiritum, ardentem ſcilicet, atq; in rimandis cœleſtibus acutum, demonſtrat diuinarum uocum geminatio: quanquam ſublimis illa quæ à nonnullis affertur in hunc locum contemplatio, mirum mihi in modum arridet.

Volunt

A Volũt enim uatem in tam ſanctæ odæ termino mirabilem Trinitatis animo hau
ſiſſe unionem ac myſterium, idcirco dixiſſe, Benedicat nos, hoc eſt, gratiarũ ſua-
rum in nobis adaugeat cumulum, Deus pater, Deus item filius, qui propter hu-
manam aſſumptam naturam noſter factus eſt, & benedicat nos Deus ſpiritus:
indeq́, ne quid erroris in perſonarum diſtinctione oriretur, illicò ſubiunxit, Et
metuant eum omnes fines terræ. Vnde ſic diuus refert Hieronymus, Ter trini-
tas, eum unitas. Præterea quòd inter diuina interſeri uideatur beneficia, Dei ti-
mor, id conſultò à ſpiritu actum iudico: nam is eſt qui tanquam frenum noſtram
continens in officio petulantiam, cautè quæ nobis credita ſunt, à Deo ſeruari fa-
cit. Cui, patri ſcilicet, & filio, & utriuſq́ ſpiritui, uni Deo laus ſit & benedictio in
ſeculorum ſecula. Amen.

PSAL. LXVIII. Vincenti. Dauid pſalmus cantici.

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant à facie eius qui oderunt eum.

Moſi enim à Deo, per cuius uerbum, ut in Numerorũ libro legimus,
figebãt tentoria, & per uerbum illius proficiſcebãtur, admonito ut arcã
cum multitudine trãsferret, id erat moris, quòd ubi eleuabatur arca, ipſe religio
ſiſsimè diceret, Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt
te à facie tua. cùm autem deponeretur, aiebat, Reuertere domine ad multitudi-
nem exercitus Iſraël. Vmbra hæc omnia, & myſteriis grauida, ut cætera erant Iu
dæorum, extitere. Quę quidem myſteria nõ minus Moſi quàm Dauidi cognita,
ſub actionum illarũ uerborumq́ ac rituum obtecta uelo, nobis qui ab arcę propi
tiatorio, qui Chriſtus erat, diuina propius haurituri eramus, tradebant. Tunc ſa
nè mirabilis Moſi ueri illius propitiatorij, è quo Dominus opem populo per ſo-
litudinem peragranti ſe exhibiturũ promiſerat, lux ea innotuit ac uirtus, de qua
ſic Paulus: Qui diffinitus eſt filius Dei in uirtute ſecundum ſpiritum ſanctifica-
B tionis. Ritus igitur ille deponendi rurſusq́ extollendi per Moſem arcam, mortis
Chriſti atq́ è tumulo reuiuiſcentiæ, è qua noſtra omnis ortum habet iuſtificatio,
atq́ à malis redemptio, typus fuit. quocirca ſanctiſsimus uir ille, ac ſolertiſsimus
Dei exercitus imperator, ipſum alloquãs Dominum, ſolitus erat dicere: Niſi tu
ipſe præcedas nos, nõ educas nos de loco iſto. A quo quidem familiari Moſis ha-
bito cum Deo colloquio, illud primis emanaſſe fidei exordiũ non ignoramus, q́
nobis perſuaderi à ſpiritu patiamur, noſtrum id iter uitæ caliginoſum ac tetrũ, in
perpetua tenebrarũ manſurũ nocte, niſi Chriſtus uerum propitiatoriũ, in quo
omnis habitat plenitudo diuinitatis corporaliter, non umbraticè, ut olim, ſuper
arcam ſui ſanctiſsimi Euangelij, quod nouum appellare teſtamentũ libuit, ſuos
de loco iſto periculoſiſsimo, atq́ irarum pleno, tanquam fidiſsimus ductor præ-
cedens extrahat, moueatq́ ad amœniores capeſſendas iuſtitiæ ſemitas. Quod
quidem iter iuſtitiæ, niſi Chriſtus à mortuis ſurrexiſſet, deuiũ prorſus ac uanum
extitiſſet. Vnde Moſes penitius hæc omnia quàm cæteri è uulgo noſcens myſte
ria, in ritu illo ſuſtollendi arcam clamabat: Exurge Domine, diſſipentur inimici
tui. Cui ſubinde non minori affectus cognitione Dauid, ad ritumq́ illum allu-
dens, ſic ſuam exorſus eſt precationẽ: Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius,
& fugiant qui oderũt eum à facie eius. Mortuo quidem Chriſto & ſepulto, tunc
uniuerſus uiſus eſt orbis cum ſuo conditore occidiſſe. Etenim uis illa uitæ, qua
per fidem iuſta effecta eſt anima, hoc eſt, mane illud ſabbatorum quod illuxit in
prima ſabbati, adhuc cum uitę autore in ſepulchro quieſcebat: ſe uerò ſuaq́ ſpon
te è tumulo excitante, ſecum quoq́ emerſit iuſtitia illa, per quam gratis iuſtifica-
ta eſt anima. Quod quidem optimus ille aduertẽs ſpiritualis ędificij architectus,
aiebat, Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis noſtris, reſurrexiſſe uerò propter iu
ſtificationem noſtram. Vnde non abſq́ ſummo myſterio ſuam appellat reſurre-
ctionem Chriſtus, regnum Dei, in Euangelio. Mira & illa quidem ſuæ eccleſiæ
à perſecutionum acerbitate liberandæ, poſt crucis tolerantiam fuit imago: idcir-
co huiuſce obſtruſiſsimæ rei myſterium detegens Paulus, ita de Chriſto ediſſe-

C rens, Corinthios admonet: Etsi, inquit, crucifixus est ex infirmitate, sed uiuit ex uirtute Dei: nam & nos infirmi sumus in illo (en nostra cum Christo crux & mors) sed uiuimus cũ eo ex uirtute Dei (en à malis cum duce nostro resurrectio.) Sed & illud, quod huic secreto attexuit mysterio, iucundissimũ: An non cognoscitis, inquit, uosmetipsos, quia Christus Iesus in uobis est? Hęc itaq; omnia sacer prænoscens uates, quasi è somno Deum excitans clamat, Exurgat Deus: iam nimium penè ad mortalium clamorem conniuere uidetur. Dormit ne peruigil ille oculus, atq; insomnis pastor? lacet ne exanguis etiamnum sub saxo uitæ autor? Semper ne molestissimis improborũ morsibus obiecti erimus? Quousq; ærumnosum id uitæ genus protendetur? Exurgat igitur ille, qui cùm uigilantissimus nostrî custos sit, dissimulat tamen nonnunquam, quò nos magis necessariæ crucis amaritudini assuefaciat, & sic dissipentur facessantq;, tanquam dispalati milites & confusi, inimici eius. Fugiant, fugiãt à diuino illius conspectu, uti solent tenebræ exorta luce, qui odio persequuntur illum, qui charissimam illius sponsam iniurijs afficiũt, qui in probos castosq; in Deo quiescentes animos turbas cient. Nam Dei regnum pax est & tranquillitas, non superbia, atq; unde ferè mala omnia originem habent, ambitio.

Sicut deficit fumus, deficient: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.

Dura nimirum hęc est Vatis imprecatio, quam idcirco certius in mundo contingere cernimus, quòd à Dei illam spiritu prolatam certi sumus. Sed illud horrendum, quòd hi quos hæc dira, æqua tamen ac sancta manet ultio, ita in malis obduruisse uidentur, ut quid tam periculosa sibi uelit comminatio, aut in qua maximè hominis parte posita sit, ignorent penitus. At uide, quàm debilibus, improborum arrogantia & fastus, comparentur rebus, fumo nimirum & ceræ ab igne colliquescenti. Vidisti ne unquam in rebus humanis rem ullam tanta cum celeritate resolui atq; consumi, quanta excitatus ab igne fumus, aut cera flammis
D admota? Ita sanè abeunt, imò uerò etiam euaporant perfidiosorum hominum technę & insidię, Deo in suorum auxilium aduentante, pro illisq;, ut olim cum pecato & morte, pro suis decertauit, & uicit, decertante. Fluxæ sunt res mirum in modum improborum & caducæ: contrà uerò, quæcunq; agunt pij homines, aut uersant animo, stabilia & æterna, nempe quæ in Deum, unde proficiscuntur, desinunt, qui æternus est, & super omne illud, quod ab intellectu humano angelicoue comprehendi potest, excelsus & sempiternus. Fluant igitur, atq; instar cerę colliquescant Dei hostes, &

Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.

Pulcherrima antithesi, Exultent in conspectu Dei, opponit, Pereant peccatores à facie Dei: hi enim cùm suapte sponte nefarij sint, & duriores quàm qui à spiritus suauitate mitigari queant, à Dei semper uultu & gratia longè proiecti sunt, idcirco nulla solida affici possunt cordis lætitia, etsi pessimis in rebus, quemadmodum prædixit spiritus, exultare uideãtur: Iusti uerò, hoc est, scelera omnia tanquam uenenum exhorrescentes, in fideiq; iustitia, in qua summa inest mentis iucunditas, epulantes exultant, gaudent, triumphant, in eoq; delectantur, quòd digni demum habiti sint, qui pro nomine Iesu contumelias subeant. Quid felicius, oro? Hebræi hunc uersum legunt per futurum, quæ omnia cùm præsentem tum futuram prospiciunt uitam. Quare, ô uos, quorum conuersatio propter mundi, mundanarumq; rerum despicientiam, in cœlis est,

Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Hîc planè quis is sit, cui laudes Musasq; nostras & psalmos consecrare debeamus, deliniat spiritus. Dominus, inquit, nomen illi. quod sic reddunt Hebræi: Iha, seu cum Iha est nomen eius. quam dictionem uult Felix dimidium esse Tetragrãmaton, significareq; redemptorem. Vnde Paraphrastes sic reddit: Extollite illum qui pro uehiculo utitur nubibus, cui proprium nomen, seruator Deus.

Ex

A Ex qua proinde Paraphraſtæ litera illud quoq; notandum uidetur, quid ſignificati afferat, qui aſcendit ſuper occaſum, qui pro uehiculo, inquit, utitur nubibus: & eſt penè idem, quod in alio dictum eſt pſalmo, Aſcendit ſuper Cherubin, & uolauit. Alij autem ſuo in idiomate relicta dictione haraboth, quam noſter uertit interpres occaſum, aiunt illam ſupremum cœlum ſignificare: quæ ſanè interpretatio mirè admodum aſcenſioni CHRISTI in cœlum conuenit. Alij item haraboth, ſolitudinem ſeu eremum interpretantur, & erit ſenſus: O uos iuſti, ô uos, quibus dirigendarum animarum ad Deum incumbit labor, ô qui expedito uiam cupitis ad beatitudinem calcare greſſu, iter facite ei, nitidum ſcilicet, ſpatioſum, diligenterq; à peccatorum dumis expurgatum: hoc eſt, id agite, in id incumbite, ut ſe homines peccatores agnoſcentes, ſeruatorem efflagitent, optentq; Dei uerbum, nempe animæ pabulum ac uitam. Parate, inquam, uiam Domino, rectas facite ſemitas ei, qui tanquam ſol, ſoliſq; iubar, paternæ utiq; gloriæ ſplendor atq; imago, ab æterno cœlorum oriente ad obſcurum caliginoſumq; deſcendens mundi occaſum, in quo uaſta eſt bonarum frugum ſolitudo, eremusq; aſpera, deuia, atq; ſpiritus ſuauitati inacceſſa, ad nos, nos, dico, in tenebris atq; umbra mortis cæcutientes, deuehitur, & qui, ne de certa illius uereamini protectione, neue ab improbis contemptui habeatur, in Iha ſuum habet nomen: id eſt, ſeruator omnium eſt, atq; illi idem eſt cum patre ipſo nomen. Quòd porrò à nonnullis ex noſtris totus is uerſus de Chriſti reſurrectione, qui aſcendens ſuper occaſum, hoc eſt, qui calcata morte feliciſsimè ad immortalitatem reuixit, ſimpliciter exponatur, quomodo libenter audio, atq; in his quæ de huiuſcemodi dicuntur myſterio, maximo afficior oblectamento: ita operæprecium uiſum eſt, quem ſenſum Hebræorum referat litera admonuiſſe. Vtcunq; enim tibi arrideat litera, id te non ignorare cupio, immenſum hîc illius, qui deuicta morte, exciſaq; illius origine, ac profligato hoſtium fidei exercitu, uiuus è ſepulchro, tanquam cerui
B hinnulus mediis elapſus laqueorum tendiculis, exiliuit liber ac lætus, nomen ſimul & numen à Vate deſcribi. Itaq; cùm tam potens ſit, tamq; inſigni præditus maieſtate Dominus,

Exultate in conſpectu eius (turbabuntur à facie eius) patris orphanorum, & iudicis viduarũ: Deus in loco ſancto ſuo.

Sic integer uerſus eſt Hebræis: tametſi, Exultate in conſpectu eius, ad præcedentem pertinere uerſum nõ me clàm ſit. quare ita hunc legunt uerſum Hebræi: Pater orphanorum, & iudex uiduarum, Deus in habitaculo ſanctitatis ſuę. cuius is erit ſenſus: Quãuis enim in cœlo ſuæ maieſtatis habitaculo reſideat Deus, proculq; à nobis eſſe uideatur, pater tamen pupillorum eſt, & iudex uiduarum. Hebręis enim totum illud, Turbabuntur à facie eius, ſuperfluit: uerùm poſtquam receptum eſt, per parentheſim legendũ eſſe cenſeo. Vos orphani igitur, & uiduæ, id eſt, omnibus mundi huius commodis denudati, reiecti, irriſi, & qui iuſtitiæ fame laboratis, propterea malè ab improbis auditis, habeminiq; ludibrio ac probro, exultate in conſpectu eius, qui amãtiſsimus ueſtrî pater eſt & iudex: non in conſpectu mundi, qui perfidioſiſsimè ueſtræ inſidiatur innocentiæ & pudicitię. Non ſanè res parui ęſtimanda eſt, deſolatam turbam, ſanctamq; afflictorum congregationem curæ eſſe Deo, pientiſsimo uidelicet parenti ac uindici. Tanto qui dem patrono ac domino, quid nobis, qui perfidioſorũ paſsim conuenticulis expoſiti uiuimus, pertimeſcendum? Vin' ſcire cuius is ſit ſapientię & uirtutis, quem tu tibi in patrem, ô qui ærumnoſam in anguſtijs agis uitam, elegeris?

Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo, qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.

Maximæ illud eſſe poteſtatis uidetur in Deo, ita ſapienter humanas ſibi conciliare mentes, ut una omniũ planè mens ſit, quę inhabitet in domo eius, quæ eſt eccleſia, quæ una eſt, quoniam una eſt fides. Idcirco id inter infinitæ Dei potentiæ ſigna ponitur, quòd unius moris homines, hoc eſt, unius conſuetudinis, atq;

C æquabilitatis uitæ (quam unitatem ſpiritus uocat Paulus, inquiens: Solicíti ſeruare unitatem ſpiritus in uinculo pacis) in unum coire faciat. Cœleſtem profectò hunc eſſe ſtatum eccleſiæ quis non ſentiat, ſi in ea, qua uocata eſt, ſpe una ſci licet uocationis ſuæ, ut inquit idem, permaneat? Ad hæc, non minoris id quoq; potentiæ illius indicium eſt, quòd in cœlorum ſublimitate, loco nimirum ſancto ſuo, reſidet: hoc eſt, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis eſt. Sed illud forſan maius ac fortius non ab re additum eſt, In fortitudine: cùm illos qui longo detenti uſu atque habitu prorſus in peccatis obduruerant, ſoluit, ſolutosq; alio nexus genere, quàm ſit uitiorum, felicíſsimo illo quidem & perbeato, connodat, ſuæq; attexit eccleſiæ. Verùm illud omnium uidetur maximum, ſi rebelles, obſtinatos, incredulos, penitusq; profligatos, illos nimirum qui cùm in profundum malorum deuenerint, contemnunt, nempe Deum, propriamq; exiſtimationem & ſalutem, quíq; in ſepulchris, loco utique tetro ac fœtido à Vate dicuntur habitare, ad ſe uocat, allicitq; muneribus. Cuius ſanè rei, uide an dæmones illi, qui apud Gadarenos in antris & ſepulchris ſua habebant domicilia, typus fuerint. Nonne, aiebat Auguſtinus, maius eſt iuſtificare impium, quàm creare cœlum & terram? Ideo quoq; Vates aſperam illorum oſtendere cupiens conſuetudinem, aſpero uſus eſt uerbo. Exaſperant, inquit, hoc eſt, laceſſunt, concitant, irritant, nempe Deum. Cæterùm in ſepulchris, Hebræi uertunt, in ſiccitate. Vnde diuus Hieronymus: Increduli habitauerunt in ſiccitatibus: hoc eſt, fonte uitæ derelicto, ad fidei frugem atq; amœnitatem non perueníent, ſed in arenoſa uitiorum ſiccitate ſuapte ſponte perdurantes, abſque bonarum actionum fructu uitam uiuent miſerrimam: ut hinc perſpicuum appareat, Dei domum, nempe Eccleſiam, in qua Deus inhabitat, ſanctam eſſe, homines uerò nõ ſic cuncti. Sunt enim inter bonos reſperſi quidam, adeò moroſis infecti moribus, ut ideo uiuere, à Deoq; tolerari ſua in Eccleſia uideantur, quo pij ex acuta il-
D lorum lima ſplendidiores efficiantur. Illud non omittendum, unius moris, Hebræis eſſe ſolitarios, ſeu ut reddit Symmachus, monachos, id eſt, à mundi penitus amore ſecretos, ut ſunt ferè illi (modò ſint) qui & habitu & uictu, animum à mundi prorſus uanitate liberum præ ſe ferunt. Alij item ex Hebræo, unicos uertunt: quam quidem dictionem ad liberorũ orbitatem referunt. Vnde Paraphraſtes fuſe & eleganter rei huius ſenſum ita exprimit: Deus facit, ut qui paulò antè fuerant ſoli, ſine liberis, nunc habeant domum familia pleniſsimam, & ex unicis perſonis, ut inquit Felix, facit magnam familiam. Quomodolibet literam interpreteris, hîc uides (opinor) totum hunc uerſum diuina undequaq; ſcatêre erga homines bonitate. Nam certè ubicunque locorum habitant boni, ibi amœniſsima eſt paradiſus, quæ à fluuio illo, quod in quatuor diuiditur capita, ut ſcribit Moſes, perpetua irrigatur ſcaturigine: ubi uerò mali, ibi infernus, ibi ſiccitas, ibi contritio, atque infeliciſsima bonorũ omnium, quæ uera bona ſunt, ariditas atq; inopia. De his enim illud meritò dici poteſt, quòd habitant in ſepulchris: de illis autem, quos unicos, ſeu ſolitarios appellat ſpiritus, id quod ſequitur:

Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui, cùm pertranſieris in deſerto, terra mota eſt: etenim cœli diſtillauerunt à facie Dei, Sinai à facie Dei Iſraël.

Idem fermè quondam cecinit Debora. Domine, inquit, quum exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cœlíque ac nubes diſtillauerunt aquis, montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Dei Iſraël. Olim enim Deus ſuam uolens mundo, præſertim que Iudæis oſtendere maieſtatem, ac numinis præſentiam, terrificis id ſignificare indicijs conſueuerat, ut in Sinai monte, teſte nimirum diuinæ legis Dei digito conſcriptæ, uidere licet. Ecce, inquit, (aduentante ſcilicet Deo) cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſsima operire montem. & haud multò poſt: Totus autem mons Sinai fumabat, eò quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne. Verùm hæc omnia feliciſsimam CHRISTI mortem, atque è tumulo reuiuiſcentiam portende-

A portendebant, unde ſimulac Deus magna emiſſa uoce inter cruciatus, placidiſsimam efflaſſet animam, terra eueſtigiò mota eſt, ut inquit Matthæus, petræq; ſciſſæ ſunt: pòſt uerò, in ipſo è ſepulchri clauſtro exitu, terræmotus factus eſt magnus. Præuidens itaq; Vates quæ horrenda futura erant diuinitatis CHRISTI in reſurrectione ſigna, illa ſub typo illorum, quę in Sinai monte contigiſſe nouerat, obſcurè ualde adumbrauit. Iam Deum cũ ſuo populo egredi, eſt illi in ærumnis & anguſtijs præſtò eſſe, atq; ſuppetias ferre. Vnde alio in pſalmo queritur iuſti anima, dicens: Et non egredieris Deus in uirtutibus noſtris. Et eſt, ni fallor, ad longam illam in ſolitudine ludęorũ peruagationem alluſio, in qua diuinum cum illis numen in columna noctu ignis, perdiu autem nubis proficiſci conſueuerat. Ideo à Vate eſt dictũ, Cùm pertrãſieris in deſerto. quare ſic Paraphraſtes: Deus cùm tu præires populo tuo, & gradereris per ſolitudinem. atq; hîc Selah interiectum eſt, propterea quòd res ſtupore pleniſsima detegatur, Deum ſcilicet ſeſe facilem ac manifeſtum populo illi ingratiſsimo exhibuiſſe. Cæterùm cœli diſtillationem, alij pluuiam, alij manna interpretantur. Nec ſuo quoq; uacat myſterio & ſenſu, q̃ Sinai & Iſraëlis coniunctim meminit Vates. Etenim in monte Sina Iſraëlitas in peculiarem ſibi populum & filium elegit. Vides eccleſiæ in Chriſto electionem? Iam non illud prætereundum, ter Deus poni in hebræo: unde ſic Paraphraſtes: Cœli ſudauerunt propter præſentiam maieſtatis tuę, ô Deus: quin & hic Sinai contremuit, ô Deus, Deus inquam Iſraëlis. A facie igitur Dei, à præſentia numinis, à diuino illo Chriſti reſurgentis aſpectu, non tantùm terra hæc elementalis terræmotu concuſſa fuit, ſed uniuerſus planè contremuit orbis, contremiſcitq; continuè. Scinduntur autem non iam rupes amplius aut petræ, uerùm hominum corda ad pœnitentiam aſcita. Sudarũt ſanè olim cœli, copioſiſsimiſq; ad diuinæ maieſtatis præſentiam perſtillarunt aquis: modò uerò nullus lachrymarum à conſternatis emanantium animis ſtatuitur finis. En quàm felix rerum
B mutatio facta eſt per Chriſti egreſſum è ſepulchro, in conſpectu populi ſui. En quomodo in ſalubre magis timoris genus uerſus eſt timor ille Iudæorum horrendus, quo penè exanimati dixerunt Moſi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. & ait Moſes: Nolite timere: ut enim probaret uos uenit Deus, & ut terror illius in uobis eſſet. Aſpicis quomodo cuncta illis terrifica contigere? Vis ne modò amabilem iſtiuſmodi timoris audire commutationem? Præ timore, inquit Matthæus, exterriti ſunt cuſtodes (ecce Iudæorum timor) & facti ſunt uelut mortui. Quid porrò? Reſpondens angelus dixit mulieribus, dixit inquã animabus in inquirendo Chriſto anxijs & ſtudioſis: Nolite timere uos, nempe timore illo, quo facti ſunt uelut mortui cæteri, ſed eo quidem, quo uobis concilietur pax & uita: ſcio enim quòd Ieſum quæritis (ô felicisſimam inquiſitionem) non eſt hîc. Quid timetis? uitam ne inter mortuos quæritis? ſurrexit enim, ſicut dixit uobis. Adhúc ne res uobis dubia eſt? uenite, ô Deo charæ, & uidete locũ ubi poſitus erat dominus. Quàm ſuaui hæc omnia effluunt curſu, illa uerò difficili & duro. Verùm unde tanta gratiarum dimanauit copia, ô Sinai Deus, Deus inquam Iſraëlis? ſcio, ſcio unde. Nam

Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.

Quid ſit iſtiuſmodi uoluntariũ ros, & pluuia, cùm aliàs à diuino hauſerũt oraculo ſancti Dei interpretes, tum ex illo Iohelis uaticinio: Et effundam, inquit, ſpiritum meũ ſuper omnẽ carnem. En igitur imber ille uberrimus & ſalutaris, cuius aquis irriguis mortalium corda madefacta, ſpontaneum Deoq; dignũ emittunt fructum. Hæc eſt lex ſpiritus uitæ, gratia & Euangelium, quo purè ſancteq; populis diuulgato, ſancti ſpiritus imbre fœcundatur eccleſia, fitq; eius obſequium ac religio ultronea, aperta, libera, non coacta, uiq; è duris hominum cordibus extorta. Sunt & qui uoluntariam pluuiam ad Deum referant, qui ſuapte ſponte, ultroq; noſtris minimè prouocatus meritis, ſalutiferam gratiarum pluuiam è largiſsimo ſuæ bonitatis fonte in nos effundere ſolitus ſit. At in priorem tamen ſen

C ſum litera quæ eſt Hebræis declinare uidetur. unde nõnulli ſic transferũt: Pluuiã liberarũ uoluntatũ rigas Deus, hæreditatẽ tuam, & cùm defecta eſt perficis eam. Paraphraſtes uerò ſimpliciter pluuiã copioſam reddidit: utraq; enim interpretatio uberrimę diuinarũ gratiarũ effuſioni cõuenit. Solet quidem id genus imbriũ, quo homines longo ſiccitatis æſtu afflicti exhilarantur, ſenſim, placideq;, ac ſua omnino ſponte diſtillare, nõ ui atq; impetu, ut in tempeſtatibus fit, è cœlo deijci: & eſt perinde ac ſi dicat, eam tuæ hæreditati profudiſti pluuiã, uoluntariã nimirum, atq; adeò opportunã, quòd ſi illis optio daretur, eam ipſam, nõ aliam eligerent mortales. Cæterũ Dei hæreditas, ut non ſemel admonuimus, ex gentibus à mundo uanisq; ſuperſtitionibus & cultu erutis, eccleſia eſt, quam hîc nutantem, ſubtimidamq;, dubiam, atq; ob præteritæ uitæ ſcelera pauefactã, & ut notat Fel. afflictam aſſerens uates, à Deo perficiendam, atq; in iuſtitię ſemitis ſtabiliendam prædicit. Mirum quàm periculoſe, ante ſpiritus ſancti donũ, quod hîc pluuiã appellat Vates, ægrotabant homines: ſiquidem à legis minis ac terroribus concuſſi exanimatiq;, tanquam phrenetici, per ſalebroſos deſperationis errabant anfractus, orbisq; uniuerſus uno ueluti facto uolumine in interitũ properabat. Verũ Deus ſui figmenti ſortem miſeratus, ſpiritũ ſanctum ſuum placidiſsimo demiſit illapſu, atq; ita quicquid erratũ fuerat, correxit, perfecitq;, ac metum illum exitialem, in amoris dulcedinem & ſuauitatem conuertit: & id quidem, cùm uoluntariè nos genuit uerbo ueritatis, ut eſſemus initium aliquod creaturæ eius. Quocirca, ô Deus, ô numen, ô inexhauſtum gratiarum mare,

Animalia tua habitabunt in ea, paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dictionem quam noſtra habet translatio, animalia, cùm Hebręis ſit etiam cœtus ſeu turba, miror cur animalia potius, quàm cœtum trãſtulerit interpres. quòd ſi tamen illi animalium uox magis arriſit, q̃ hominũ, fera transferendum erat, nõ animalia, ut notat Felix. Verùm cùm de fidelibus, deq; illis qui in feliciſsimis ec-
D cleſię paſcuis alendi erant, ſit ſermo ac uaticiniũ, dictio animalia, non prorſus forſitò poſita hîc eſſe uidetur, atq; inconſultò: nam creber in ſcripturis eſt uſus, ut pij uarijs nuncupentur animalium uocibus & nominibus: modò hi oues, modò equi, modò etiam boues, & id genus alia appellantur. Quid? ſi quem uiderit uulgus duriter ſeſe in edomanda carnis petulantia exercitantẽ, ridentemq; iniurias, atq; ambitioſorũ hominum pariter & inuidorum perſequutiones animoſe contemptimq; ferentem pro Chriſto, nónne aſellum illum eſſe ſtolidum, aut mulum in onera contumacẽ & durum, proclamabit? In eiuſcemodi tamen animantibus tota uis fidei poſita eſt. Duri igitur in onera, oppreſsi, deriſi, à mundoq; contempti & expulſi, animalia ea dici poſſunt, quæ ſpiritus in Dei hæreditate cõmorari aſſeuerat, & quæ ſub una, & illa quidem tenui ac neglecta paupertatis uoce delineat, dicens: Paraſti, hęreditatem ſcilicet, gratiã, euangeliũ, guſtumq; cœleſtiũ, in dulcedine tua, ô Deus, non in terrore ac minis, ut quondã lex parata fuit Iudęis. Sed cui potiſsimum tanta parata eſt felicitas, ô altiſsime? Pauperi, hoc eſt, in his quę ad mundũ attinent, nudo, iuſtitięq; fame laborãti. Ergo eſurientes imples bonis, & diuites dimittis inanes. Vis' ne, mi lector, fuſius etiã, quę ſint ea quæ uero pauperi pręparauit Dei benignitas in dulcedine & ſuauitate, non neſcire? Audi:

Dominus dabit Verbum euangelizantibus Virtute multa.

Ecce præparatio illa ſuauis, refertiſsimaq; dulcedine, quam à Deo pauperi ſpiritu præparatã legimus, Dei ſcilicet uerbũ, ac præconiũ fidei. Quàm certè uerum illud eſt, quòd pulchri pedes ſunt euangelizantium pacem, euangelizantiũ bonum. Verùm ſuauitas hæc inæſtimabilis, qua miro afficiunt ſpiritus oblectamento animæ, inefficax planè eſt, niſi à numine uirtus ea ſuppeditetur, qua mens imbuta, non tantùm ſibi ipſa, quantum cæteris, illum animi conciliet ardorem, ut non iam uerbum illud, quod ſparſim in populos diſſeminatur, appareat, ſed merus ignis, & fax, & flamma. Quæ pectora tam ferrea inueniuntur atq; immitia, quæ

A quæ à Dei uerbo illo, quod à mente minimè arroganti, aut ore uano, etsi diſerto, ſed à ſpiritu, à fide, à charitate proficiſcens, purè in populos diffunditur, traiecta non emolleſcant? Optimi profectò, ac planè rari, iſtiuſmodi erigendi ædificij noſtra hac ætate in terris apparuere architecti, uerè ad reuocandam priſtinã atque adeo apoſtolicam prædicandi Dei uerbi rationem ac formam, è cœlo elapſi, uiri quidem in ſpargenda Euangelij ſuauitate adeò mites & ardentes, ut nemo inueniatur tam altè in deſperationis barathrũ proiectus, quin his uel ſemel auditis, animum ſubitò colligat, nouaḿq; induat uitæ faciem: ita uiuax eſt Dei ſermo, atq; efficax. Ite igitur quo cœpiſtis ſpiritu uiri à Deo miſsi: nam dominus dabit uerbũ euangelizantib. uirtute multa, tantùm abſit fucus. Cuperem certæ meæ profeſſionis homines à tam cœleſti ſatione non eſſe immunes, ne nihil tandem ad templi fabricam attuliſſe iudicentur. At pariant ſaltem calamo, ſimulac ore nequeũt, ſi quid, quod Chriſti maieſtate dignum ſit, parturiũt. Mutire in excubijs tam neceſſarijs non licet. Sed ad pſalmum. Pſaltes enim ad antiquum Iudæorũ morem alludens, qui uictoribus è prælio reuertentibus cum choris atq; inſtrumentis muſicis occurrere ſoliti erant: quod ſanè munus epinicia pro uictorijs decantandi, aiũt mulierib. in primis demandatũ fuiſſe. Vnde illud eſt, quòd Sauli, cæſo Golia per manus Dauidis, è bello redeunti, egreſſæ ſunt obuiam mulieres cõcinentes, Saul percuſsit mille, & Dauid decem millia: ad illam, inquã, ueterẽ alludens conſuetudinẽ, illud protulit: Dominus dabit uerbũ euangelizantib. ſeu, ut hi uolunt qui ad mulieres id referũt, annunciatricib. Quare ſic ex hebræo reddũt: Dominus dedit, & annunciatrices de copijs maximis canerent. & quid canerent, ſubiũxit:

Rex uirtutum dilecti, dilecti, & ſpeciei domus diuidere ſpolia.

En laus illa, quam de ſponſo canunt filij ſponſæ, nempe quòd deuicta morte, rex meritò appellari debeat uirtutũ, hoc eſt, exercituum dilecti populi ſui, mul-
B tum inquã dilecti, quemadmodum ipſe dilectus eſt patri. Et gratificauit nos, ait Paulus, in dilecto filio ſuo. Dilecti igitur ſimul & delecti ab æterno patre, ſuo annexi ſumus dilecto unigenito, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius. Idcirco cũ tam care, ut cruor eſt Chriſti, coëmpti ſimus, quid cauſæ eſt, quin dilecti, dilecti appellari debeamus? Quid? non ſolùm enim robuſtiſsimi qui ſunt in acie domini, atq; in conflictu ſtrenui et uictores, caſtra hoſtium diripere ualidi erunt, uerumetiam ipſi deſides domi, atq; abſq; labore & puluere belli, ſpecioſi et elegãtes, unà cum cæteris domus, & nonnunquã copioſius quàm illi, diuident ſpolia. Hi ſunt, ni fallor, qui ad Ieſu pedes quieſcẽtes, ad cœleſtes ſumma cum pace animi rapiuntur contemplationes, cùm alij interim in domini uinea ſudantes, totiq; in infirmioribus inſtruendis eccleſiæ membris intenti, nihil nõ agunt quò Dei uerbum per uniuerſum latè orbem diſſeminetur. Atq; his quidem duabus fidei partibus, ſummam perfectionis eccleſiæ cõſiſtere nõ dubitamus. Verùm ſecus hunc uerſum legunt, uertuntq; Hebræorum interpretes, & in primis diuus Hieronymus, qui ſic tranſtulit: Reges uirtutum fœderabuntur, fœderabuntur. quod ad Apoſtolos, apoſtolicosq; uiros, ut ſunt epiſcopi, cæteriq; Eccleſiæ antiſtites & doctores, pertinere aſſerunt, quorum honori id oneris annexũ eſſe uidetur, ut in ſubiugandis fidei hoſtibus unanimes, atq; uno Dei uerbi telo armati, in eccleſiæ caſtris diuerſentur. Alijs item ex hebræo quoq; ſic uertere libuit: Reges uirtutum fugient, fugient. quod de eccleſiæ hoſtibus diuini uerbi fulmine exanimandis, adeoq; præcipitanter in fugam agendis, ut uel ipſis etiam mulierculis domi ocioſis, illos expoliandi fuerit facultas, intelligi poteſt. Vnde ſic Felix: Et habitatrix domus diuidet ſpolia. Sed altiori myſterio, ſpecies domus & pulchritudo, eſt fidelium unitas, qui lætantur in meſſe, exultantq; ſicut uictores capta præda, quando diuidũt ſpolia. Verùm de his ſatis, cùm prolixè quoq; ſubſequẽs tractandus ſit uerſus, ob lectionis uarietatem.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ colũbæ deargentatæ, et poſteriora dorſi eius in pallore auri.

C Prætereo prudens quæ hîc de cleris à noſtris dicuntur, ſublimia illa quidem & diuina, ſed quæ nihil ad hunc uerſum explanandum faciũt, cùm dictio illa in codicibus emendatioribus non inueniatur. Siquidem ea eſt in hoc loco Vatis intentio, ut atræ comparet nigredini mortalium miſeriam: candori uerò, à miſeria liberationem. Cuius rei (opinor) fuit præludium, quando reſurrectionis Chriſti, noſtræ omnis miſeriæ ob longum in peccatis uſum contractę liberatoris, è tumulo nuncij ſplendidiſsimis mireq; albicantibus ueſtiti indumẽtis apparuere. Quocirca ſanctiſsimæ quædam mulieres cum timore ſimul & gaudio celeriter à monumento exeuntes, rem ſtuporis plenam cæteris enarrarunt diſcipulis, cùm nihilominus antea, cùm adhuc peccati negociũ in puriſsima Chriſti carne ageretur in cruce, tetra omnia fuiſſent, luctuoſa, ac mœſta. Ex hebræo itaq; ſic reddit Felix: Si dormiatis inter chytropodes, hoc eſt, ad focum deſides. quod expreſsius ab alijs redditur: Cùm iaceretis inter ollas, alæ columbæ obductæ argento. Clarius adhuc nonnulli: Si etiam tanquam inter ollas deſidentes atri ſitis, iam eritis candidi uelut tecti pennis columbæ. Fuſius porrò Campenſis: Si hucuſq; inter fuligine obductas ollas iacuiſtis, et tam atri quàm carbo facti eſtis, eritis poſthac tam candidi quàm alæ alicuius columbę, etiam ſi argento exornata fuerit, & penę illius eleganter admixtum habeant auri pallorem. Vide, ad quantum eccleſia candorem, è uitiorum fumo atq; errorum fuligine eruta, promota ſit, quę niueis columbæ pennis, plumiſq; argenteis fuluo intertextis auro comparetur. Quid elegantius in omni rerum artificio cerni poteſt, quàm cùm nitidiſsimum, purgato ſplendidoq; diſtinctum auro, argenti uas facti, aut indumentum conſpicitur? Ita nimirum ornata eſt Dei eccleſia, nempe fide, ac Dei uerbo, igne ſpiritus exco cto, atq;, uti ſolet purgatiſsimum argentum uaſe alchimico affabrè depuratum, miro defæcato artificio. Atqui iſtiuſmodi duabus ſuffulta alis eccleſia, adeò in altum euehitur, ut nullo remorata obice aut impedimento retardetur, quo minus
D in ſinum patris feſſa, unà cum eius filio deuolet, conquieſcatq;, ulla abſq; perturbatione, in Dei amore. Atra enim nigerrimum in modum obducta eſt anima caligine ac fumo, cùm in peccatis obuoluta, ad concupiſcentiarũ præfurnium, aut chytropas, ocioſa ſedet: uerùm à diuino experrecta numine, uulneratáq; ad uitam, tetris illicò exuitur corui illius pennis, qui egrediebat̃, & non reuertebatur, ut inquit Moſes, ad arcam: Columbæq; argenteis induitur plumis, quæ uirentibus oleæ ramum folijs ſecum afferens, ad arcam reuerſa eſt. Vide quid Paulus de utriuſq; alitis aſſerat pennis: Sicut, inquit, eſt ueritas in Ieſu, deponere uos ſecundum priſtinam conuerſationem ueterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Ecce corui nigredo: ecce animæ fuligo ante Chriſtum. Vultis ne modò, ait, columbæ è regione candorem attendere? Renouamini autem ſpiritu mentis ueſtrę, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate ueritatis. Verùm unde hæc (prò immenſa dei bonitas) unde hæc, inquam, tam repentina eccleſiæ albedo? unde candor? unde ſubitũ iſtuc effulſit lumen? nempe ex eo, quòd

Dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam niue dealbabuntur in Selmon.

Non ultrà Hebræis procedit uerſus. Mirantur nonnulli interdum, cur tam uarijs, tamúe frequentibus utatur ſimilitudinibus Vates. Hi nouerint, præcipuum id in poëtis requiri, quòd aptè, uariè, concinnéq; ſua perornent metra comparationibus & metaphoris. Ad hæc, quid maiorem afferre ſolet rebus pertractandis notionem ac lucem, quàm cùm ſimilitudinibus utimur? quibus quidem, tanquã ornamentis ac gemmis, totus is intertextus eſt pſalmus. Etenim poſita columbæ candicantis ſimilitudine, aliud item candoris genus copioſiſsimus adducit Vates, montis ſcilicet Selmon, qui proxime Iordanis ripas ſitus, niue fermè perpetua ſummo albicat uertice. Felix tamen nulla de monte hoc mentionem faciens, ſic tranſtulit: Dum extendet omnipotens reges in ea, uelut niue dealbabis obſcuritatem. Idem ferè Campenſis: Cùm diſtribueris, inquit, ô omnipotens, per

uarias

A uarias prouincias, qui regant eam (columbam ſcilicet) tu candidiorem reddes eam niue, quæ hucuſq; uerſata eſt in obſcuritate. Ergo à paſtorum perfectione, quos hîc reges appellat ſpiritus, candor iſtiuſmodi, qui niuem quamuis candidiſsimam ſuperat, in ſubditis perficitur: quandoquidem obſcuro & caliginoſo antiſtite, nempe in mundi cœno ac uolutabro ſeſe oblectante, aut indocto, aut, ſi docto, Dei timore uacuo, non candor quidem argenteus aut aureus obducitur eccleſiæ ſplendor, ſed caligo, nigerq; fumus, & atra nox. A ſuis igitur ſuperioribus ſtat, aut nutat religio: nitoreq; aut nigritie ab eorum qualitate induitur Chriſti ſponſa. Verũ occultiori ſenſu montem hunc Selmon, quem caliginoſum, ſeu, ut uult Philo, umbram offendiculi interpretantur, Chriſtum eſſe ſuſpicor. Nam quicquid candoris nacta eſt eccleſia, à cruentis Chriſti uulneribus, ac cruce ortum habuit, quæ quidem gentibus ſtultitia, Iudæis autem ſcandalum ſemper extitit. Crucem etenim Chriſti ueluti in conſpicuo poſitam cernimus: ad illius uerò gloriam, utpote profunda in caligine diuerſantem, cæcutimus omnino: ita prorſus humana eſt conditio. In hoc igitur monte obſcuro atque umbroſo, hi qui ſua execrantur ſcelera, refrigerantur, illamq; nanciſcuntur animi pulchritudinem & candorem, quem in Dei religione eſſe conuenit, & qui paſsim omnibus ob præſulum integritatem conciliatur. Mons ſanè iſte felix, eſt mons aureus, mons ſanctus,

Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus. Vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? mons in quo beneplacitum eſt Deo, inhabitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Miror ſi quæ hîc de feraciſsimo dicuntur monte, de alio dici monte opinaris, quàm de illo, quem præparatum in uertice montium, & ad quem confluere debebant omnes gentes, prædixit Eſaias: is eſt Dei filius: id ſaxum illud eſt, quod è monte abſque manibus exciſum fuiſſe legimus. Vide itaque noſtri montis fer-
B tilitatem: ſiquidem cùm gratiarum omnium copia refertiſsimus ſit, uariiſq; conſitus uirtutũ plantis, nónne mons Dei meritò dici debet? nónne pinguis? nónne coagulatus, ſeu ſuperciliorum mons, ut uertit Felix, hoc eſt, in uaria aſſurgens iuga? nónne, inquam, ferax eſt, opimiſq; uberrimus paſcuis? atque his omnibus, qui cum Vate illo Moraſtite ſeſe ad montis domus Dei Iacob aſcenſum accingunt, obuius? Quid? nónne ille, de cuius nemoroſo uertice audaciſsimus Abimelech cum exercitu præcîdit ramos, quorum fumo atque igne, mille hominum cum præſidio turris Sichem extincti ſunt? Verùm haud omnium quidem eſt, quod de Corintho dixere antiqui, adire Selmon: quoniam mons Dei eſt, quem qui ex inquinato uulgo tetigerit, ſiue iumentum id fuerit, ſiue homo, non uiuet. Cùm itaque bonis omnibus redundans ſit mons iſte, quî fit, ô diuini expertes luminis, ut cæteros huic ſimiles eſſe montes ſuſpicamini? nam una eſt Eccleſia, unus Chriſtus, unus mons, ad quem utique omnes, quibus ſua curæ eſt ſalus, confugere neceſſe eſt. Is ſolus eſt enim, in quo beneplacitum eſt Deo, habitare in eo, non ad tempus quidem, ſed in æternum. Siquidem Pater & Filius idem eſt Deus, idem amor, eadem uoluntas, numen, maieſtas. Cæterùm, Vt quid ſuſpicamini, ſecus habent Hebræi. Sic Felix: Cur exilietis montes excelſi? illum montem dilexit Deus, ut inhabitaret ipſe. qui quidem Felix, ſeipſum exponens, ita ait: Vt quid inſidioſe intuemini montes altiſſimi aduerſus montem quem dilexit Deus, ut inhabitaret ipſe? Vnde Paraphraſtes: Quare inuidetis reliqui quantumuis cliuoſi montes, monti huic quem elegit Deus? Montes porrò excelſos ſeu cliuoſos appellat Vates, rebelles angelos, atque horum ſimillimos, mundi huius ſapientes, ſuperboſq;, atque, ut eos depingit Paulus, repletos omni iniquitate & malitia, contumelioſos, elatos, inuentores malorum, abſque fœdere, proditores, ac Deo tandem odibiles. Putas ne ſua tunc tempora duntaxat deliniaſſe Apoſtolum, an noſtra quoq; ſimiliter? Vtraque, opinor. Quid ſi nunc uiueret? aut (credo) ſcelerum magnitudine deterritus, ſileret omnino, aut ad rauim uſq; clamaret, ſeſe non omnia quæ dicenda fue-

C rant, dixisse, connumerasseq; flagitia. Totus planè corruptus est orbis. Verùm ne à monte sancto Dei declinantes, per loca deuia & inaquosa, id est, parum hominibus grata, diuagemur incauti, unde digressi sumus, reuertamur. Mirũ quàm fastidiosè uera audiant homines.

Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: Dominus in eis in Sinai in sancto.

Ecce triumphantis Christi, quem montem Dei diximus, de peccato, atq; adeò de morte & inferno dignitas. Nam, ut inquit ille, in multitudine populi dignitas regis: cuius sanè multitudinis numerum, cùm tam immensus sit, ut in ipso, quicquid credentium uspiam fuit unquam, eritq; in posterum, intelligatur, quis aliquando recensere poterit? Omnium enim quotquot cum Christo resurreximus, conregnabimusq;, sedentes in cœlestibus, ut inquit Paulus, in Christo Iesu, pompa hîc uictoriæ describitur, non solùm angelorum, ut nonnullos interpretari uideo. Porrò curruum mentionem hîc facit Vates, morem spectãs triumphantiũ, qui curribus uecti aureis, insigni sese uisendos populis præbebãt spectaculo. Ad hæc, indiffinitum uolens intelligi numerum, diffinitis usus est uerbis: quod expressius ab Hebræorum interpretibus redditum est. Sic Felix: Currus Dei centena millia, duo millia angelorum. Alius uerò: Currus Dei bis decem mille millia. Rursum alius accumulatius: Currus tui ô Deus myriadum, ac infinitorum milliũ sunt. Paraphrastes autem sic totum integrum reddit uersum: Equitatus Dei centenorum est millium: habet & angelorum millia, quibus comitatus nũc huic monti adest Dominus, sicut olim Sinai, cum sanctimonia. ut planè illud, quod noster uertit interpres, in Sinai in sancto, ad tremendam illam, religionisq; plenissimam, ac numinis Dei præsentiam referatur, cùm tota circunquaq; tubarum clangore, atq; horrisono terræ motu, ac tonitribus perstreperet regio, descenderetq; Dominus, ut inquit Moses, super montem Sinai, in ipso montis uertice, sanciretq; suo cum populo fœdera. Is igitur idem ille est, qui in Sinai olim uertice, tam
D maiestate plenus apparuit, qui & nunc innumerabilibus myriadum lætantium millibus comitatus, tanquam triumphator è cruce, è bello, è tumulo candidissimis euectus equis, orbeq; uniuerso subiugato, occisa morte, deletoq; peccato, nõ Capitolium illud impium, Iouí dicatum, præeũte senatu ascendit, sed cœlum, sed digniorem spirituũ cœlestium sedem supergressus, ad dexteram Dei patris unà cum suis simillimis, nempe cruci, contempto mundo mundíq; tyranníde, assuetis, collocatus est. Quocirca (ut te nunc alloquar, ô altissime)

Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus, etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.

Apertè hunc uersum de Christi resurrectione, seu post crucem exaltatione, donisq; spiritus, adducit ad Ephesios scribẽs Apostolus. Sed quod nos legimus etiam cum Hebræis, accepisti dona, Paulo est, dedisti dona, sensu nimirum potius adducto, quàm uerbis ipsis. Siquidem quò ex hominibus dona, hoc est, sanctas animas acciperet Deus, dona prius oportuit ut daret. quod quidem Paulus prudentissimè superioribus attexuit uerbis, asserens, quosdam apostolos à Deo datos, quosdam prophetas, alios Euangelistas, alios pastores & doctores, qui sanè omnes eorundem minimè donorum immemores, electos, per Euangeliumq; acquisitos, uice munerum Deo offerrent: ille uerò tanquam suæ beneficentiæ fructum, proborum animas quasi donaria sumeret. Ad hæc Christus, ut asserit Augustí. secundum quòd unus cũ patre est Deus, dedit dona hominibus: secundum autem quòd caput est Ecclesiæ, accepit, sed in hominib. sed in membris, sed in his qui spiritus donis indigebant. Neq; perinde diuinę incongruũ est bonitati dicere Christum etiamnum largitiones ac dona à patre accipere, quandò sui accipiũt quorum ipse caput est, ipsi uerò uiua illius membra: nam quicquid uel bonorũ à patre, aut ab homine, uel malorũ quoq; ab improbis suis irrogatur amicis, id sibi irrogatũ putat. Verũ quoniã dona istiusmodi spiritus adhuc in occultissimis diuinæ prouidentiæ recondita erant thesauris, anteaq; Christus eò, unde nunquã discesse-

A discesserat, remigraret (nondum enim erat spiritus datus, quia nõdum Christus erat glorificatus) necesse planè fuit, ut hinc ex hoc mundo, ut ipse aiebat, transiret ad patrem. Idcirco suos consolans discipulos, incredibilem in modum ob suũ à mundo abitum afflictos, solitus erat dicere: Nisi ego abiero, paracletus non uenìet ad uos: si autẽ abiero, mittam eum ad uos. Profligato itaq; mundi principe, ô lumen meum ac uita, imisq; istis relictis tenebris, ascendisti in altum, accepisti dona in hominibus, qui sumus nos, quos tu tibi, ut tua in cœlis dona essent, in terris per tuum sanctum uerbum atq; Euangelium, è quo amor ac fides egerminarunt, præparasti. Nónne aureo tuo ore illo, quo condita omnia in lucem edita sunt, dixisti: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia (ea dona) traham ad me? Verũ tu prius, in ipsa q; triumphi pompa ac gloria, captiuam duxisti captiuitatem, tua nimirum dona, nempe electos, per turpissimam Adæ præuaricationem, sub dæmonum cõcupiscentiarumq; imperio pressos: hinc, tanquam uictoriæ testes, tecum duxisti solutos, ac planè liberos: illinc uerò ponè aliam catenis onustam captiuitatem, hoc est, quicquid miserrimum hoc Adæ genus captiuum fecerat, scilicet diabolum, peccatum, mortem, infernum, currum sequi triumphalem præcepisti. O lætum spectaculum. Vide quàm manifestè donorum huiuscemodi munificentiam, belli item, uictoriæq; & triumphi imaginem describit Paulus: Donauit, inquit, nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographũ decreti, quod erat contrariũ nobis. Quod donarium unquam uisum est tam nobile & copiosum? Vis' ne dirum cum tenebrarum principe audire congressum? Et ipsum, inquit, tulit de medio, affigens illum cruci. Difficile illud sanè fuit certamen, & cruentum, sed felix omnino subsequuta est uictoria, & triumphus. Et expolians, ait, principatus & potestates, traduxit confidenter palàm triumphãs illos in semetipso. En igitur quomodo secum captiuam duxit captiuitatem Dei filius, ducitq; continuè. Quare non frustra à Paulo fuit dictũ: Deus semper trium
B phum suum agit per nos in Christo Iesu. quid illud? Et captiuam, inquit, ducimus omnem cogitationẽ ad obediendum Christo. Ita nimirum nostra hac etiam tempestate triumphat Deus in Christo per Ecclesiæ ministros atque antistites, si boni sunt, haud secus, ne fortè triumphum illum esse Deo dignum opineris, cùm quis sibi subditos adeò acerbè atterit, atq; iniurijs affligit, ut planè nullum suum esse dominium arbitretur, nisi imbelles opprimat, atque de illorum contumelijs triumphet. Vilissimus is est animus, ne illum interim impium appellem, atque à Deo alienum. Cæterùm, Etenim nõ credentes inhabitare dominum Deum, Hebræis est, Insuper etiam rebelles, seu defectores, ut inhabitet Iha Deus. Iha porrò dictionem, partem esse tetragrammaton, quam seruatorem interpretantur, in superioribus diximus. Vnde sic sensum reddit Paraphrastes: Quin & rebelles plurimos, & Dei penitus ignaros, in gratiam recepisti, ut uerè dici nunc possit, habitare inter homines te seruatorem Deum. Quare

Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Sunt uoces hæ lætitiæ, Christum ad cœlos usq; laudibus efferentium, qui peruetis tanquam epinicijs in ecclesia propter assiduas proborum uictorias exultantes, audiuntur. Idcirco additur, die quotidie: hoc est, de die in diem, ut ex græco transferri potest: seu ex hebræo simpliciter, quotidie, aut per singulos dies. Laudandus itaq; dominus Deus, qui cursum hunc uitæ nostræ, atq; iter, curru illo suo triumphali adeò, si quid scabritiei inerat, explanauit, ac tutum fecit, ut nihil in eo, quod prosperum idem nõ sit ac fortunatũ, remanserit. Ipse, ipse inquam saluationum omnium nostrarũ autor est, & effector. Sunt qui uocem, quam noster transtulit interpres, salutarium, Hebræis Iesuoth esse asserant, qua totius Trinitatis opem mortalibus collatam signari opinãtur: unde ex nostris sic quidam, Cùm uideris Iesuoth, id est, salutares, in psalmis, assurge ad laudandum patrem & filium & spiritũ sanctum, nostræ salutis autores, unum & idem, omnipotens, salutare. Cæterùm in hebræo nulla de itineris prosperitate fit mentio: sed ea illis est litera, quæ solitos in Vate affectus, nempe concitos atque ardentes, osten-

C dit. Aggrauabit, uertit Fel. nos Deus ſalute noſtra: hoc eſt, ut ſe ipſe interpretatur, pro onere imponet nobis ſalutem. quod ex eodem alius fonte clarius reddidit: Gratiæ, inquit, domino Deo quotidie, qui nos ſalutaribus beneficijs obruit. unde Paraphraſtes: Tam eſt in nos beneficus, ut onerare nos uideri meritò poſſit. Diuinis, inquit, obruimur donis, oneramur, ad ſummunq; explemur. O certè rem multa animaduerſione dignam: quare nõ immeritò huc interiectum eſt Selah. Præterea nõ contentus Dauid, & ſemel, & iterum in uno eodemq; uerſu nomen Dei amabile poſuiſſe, etiam atq; etiam idem in ſequenti, more ſuo, nõ abſq; tamen diuinitatis, ſanctæq; Trinitatis myſterio, inculcat:

Deus, inquit, noſter, Deus ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.

Deus ſaluos faciendi. ex græco ſimpliciter uerti poterat, Deus ſalutis: uel, in ſalutem, ex Hebræo: uel etiam, ſalutum, hoc eſt, ut interpretatur Paraphraſtes, omnimodæ ſalutis autor. Alij etiam auxiliorum uertũt, quò ueriſsimũ illud Dei in Oſea appareat: Perditio tua, inquit, ex te Iſraël, ex me tantummodo auxilium tuum. Illud quoq;, domini, domini, ſuo non uacat myſterio. Volunt enim primã dictionem, quæ puram Dei naturam ac ſubſtantiam præferat, nempe tetragrammaton, Hebræis eſſe: alteram uerò Adonai, quam diuus Hieronymus ex more Deum trãsferre ſolitus eſt: illam autem, Dominum. Quocirca is erit ſenſus, quòd Deus ille, qui per ſe eſt, uiuitq; in ſeipſo, atq; in ſe manens, & uitæ & mortis, tanquam omniũ dominus, imperium poſsidet, quemadmodum mortalibus ſeruandis eſt autor, ita ut mors exeat, longeq; à ſuis propellatur, illius bonitatis proprium eſt. Ad Deum itaque ſalus, ad Deum uita, ad Deum tandem attinet mortem procul effugare, expellereq; à ſuis, qui interdum in morte deſeri uidentur: nanq; eo aliquando artificio ad crucis gloriam ſenſim promoueri uult Deus ſuos. quam quam hîc mihi neſcio quid ſubodorare uideor myſterij, felicisſimæ uidelicet reſurrectionis Chriſti, qui è mortis uinculis egreſſus, ad immortalem accitus fuit
D uitam, quò & nos cũ ipſo, abiectis prius mortalitatis exuuijs, dirutoq; molis huiuſce corporeæ obice atq; impedimento, introducemur beati. Hîc igitur noſtræ ad incorruptionem reuiuiſcentiæ fit mentio, cuius autor, atq;, ut inquit Paulus, primogenitus, fuit Chriſtus: primogenitus, inquit, ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.

Veruntamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Capita hîc uocat ſpiritus, peruerſarum ſectarum principes ac duces, quos unà cum perſeuerantibus in delictis ſuis confractum iri uaticinatur. Hebræi tamen caput uertunt ſingulari numero. Nam certè ſublato è medio ſeditioſorum duce, ſeditio, ut in prælijs fit, actutum reſidet. Quid de illis opinandum, in quorum ore illud eſt frequens & tritũ: Si uis regnare, diuide, hoc eſt, ſeditiones excita? haudquaquam Chriſtianorũ mos is eſt. Vide quid dicat: Etſi, inquit, Deus ſaluos faciendi, nõ interimendi Deus ſit, ueruntamen iuſtus eſt. Eam ob rem caput illud ſuperbum, ducemq; ſceleratum inimicorum ſuorum, nempe factioſæ, ac tum in Deum, tum in homines iniurioſæ multitudinis altorem percutiet, perpetuoq; denudabit opprobrio, quemadmodum denudantur foliis arbores, aut riui alueus, ut inquit Eſaias, à fonte ſuo. Verticem capilli, more Hebræo pro capite poſuit: hoc eſt, illius nudabit caput, prorſusq;, quò uulgo notũ fiat, glabrum reddet. Paraphraſtes autem ſic interpretatur uerſum: Proculdubio, inquit, Deus uulnerabit caput inimicorum ſuorum, findet caput eius, qui perdurat in peccatis ſuis obſtinatus. A capite igitur, à principe, ab ipſo uulgi uertice ortum ferè habet quicquid delinquit multitudo. Sed

Dixit Dominus, ex Baſan conuertam, conuertam in profundum maris.

Vide aptiſsimam ſimilitudinem in diuino deſcribendo, in ſceleratum ſeditioſorum caput & ducem, iudicio, quem Og regi Baſan, Pharaonicq; Aegypti, impijſsimis nimirũ regibus ac ſæuis, comparat Vates. Dixit itaq; Dominus, ſic decreuit.

A creuit.(Mos eſt prophetis, ſi quid ſerio dicturi ſunt, & quod ſummam indubitatamq; expoſcit fidem,huiuſmodi locutionis genere præfari: Hęc dicit dominus.) Sic igitur ab æterno loquutus eſt Deus : ſapientiſsimo, atq; eo quidem omnino modo,& robore, meos tutabor ſubditos, conuertamq; de graui impiorum iugo in libertatem, quo ex Baſan olim occiſo rege, deletoq; illius exercitu, populum eripui meum,illiq; inimicorum bona ac fortunas diripiendas tradidi: uel eo quo antea fluctibus obruto Pharaone,mare ſiccis peruadarunt pedibus. Is enim ſenſus,ne nouus coactusq; uideatur,è litera quæ eſt Hebræis,formari poteſt. Siquidem,de profundis,ſeu profundo maris,hi uertunt: non,in profundum,ut noſtra habet editio. Proinde ex illis quidam ſic tranſtulit: Reſtituam à Baſan, reſtituam à profundo mari: hoc eſt, populum meum afflictum, atq; à tyrannis oppreſſum, è malorum immenſitate atq; profundo, in liberiorem uitæ ſtatum reſtituam, deletis interim profligatisq; meæ religionis hoſtib. quos tam ſeuerè,ut meriti ſunt, percutiam & uulnerabo,

Vt intingatur pes tuus in ſanguine,lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.

Dira ſanè, ſed æqua nihilominus,ac digna ſceleratis impiorum auſibus ultio. Adeò,inquit,inexorabiliter illos feriam,ut pes tuus conſpergi illorum poſsit ſanguine, linguaq; canum tuorum lambere illum, &, ſi libuerit, bibere ualeat. Ab ipſo,ad improborum altorem referunt: unde ſic ſuis in annotationibus ſcribit Felix: Vt pes tuus, & lingua canum tuorum intingatur in ſanguine, qui effluet ab inimicis,& ab ipſo principe eorum. Nonnulli uerò ad Deum illud referri exiſtimant, & dicunt: Ex inimicis ab ipſo, Deo ſcilicet interemptis. Vide an horum omnium typus Achab ille impius,uenditusq;,ut faceret malum in conſpectu domini,fuerit: cuius ſanguinem,ut eſt in tertio Regum, cùm in prælio occubuiſſet, linxerunt canes in Samaria. Verumenimuero tuæ partis homines, pij nimirum, ac religionis ſuſq; deq; ſtudioſi,

B *Viderunt ingreſſus tuos Deus,ingreſſus Dei mei,regis mei,qui eſt in ſancto.*

Melius uertiſſet interpres, ſi greſſus, aut inceſſus, aut etiam, ut interpretatur Campenſis,ſucceſſus uertiſſet.ſic ille: Viderunt pij hos ſucceſſus (nempe ultionem ſumptam ex hoſtibus, opemq; illatam oppreſsis, atq; omnia demum, quæ hactenus in triumphali pompa pro diuino aſſeruit honore ſpiritus) & agnouerunt eos eſſe abs te. Succeſſus,inquã, illos eſſe agnouerũt abs te, qui Deus meus es,& rex meus inſigni ſanctimonia præditus. En quanto hîc mentis ardore affectus fuit Vates,quanta ui fidei,quanta amoris: quod ſanè ex repetitis uocibus illis à corde mirũ in modum cœleſti exuſto incendio manantibus copioſiſsimè demonſtratur,Deus,Dei mei,regis mei,&,qui eſt in ſancto. Quid ſibi hęc uolunt? Viderunt,inquit, felices animæ illius inceſſus, atq; inter illos, qui piè caſteq; uiuunt,ueſtigia & ſucceſſus: quia Deus meus eſt,mea uirtus, mea ſapientia, meus amor,illeq;, cuius domicilium ſanctimonia eſt ac puritas, tantum abeſt ut in ſordido diuerſetur animo ſanctus ſanctorum. Idcirco

Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum.

Pompa hîc gaudij ſpiritualis eccleſiæ narratur,cuius internæ lætitiæ ſigna illa ſunt ſolennia, quæ in cantorum numero concinnè admodum perornato,diſtincteq; uarijs cantibus atq; inſtrumentis muſicis,palàm apparent: addo & templorum inſignes uariegatosq; apparatus,ac ſonoros illos,atq; ad numerum diſpoſitos,altisq; è turribus auditos ex ære ſtrepitus & tinnitus, quibus nõ parum exhilarari ſolet multitudo. Geſtire tum gaudio uidentur omnia. Verùm nihil propémodum hæc ad diuinũ cultum,ſi,quamobrẽ ea à patribus inſtituta fuerint,ignoret uulgus. quanq; certè in eccleſiæ exordijs tum, cùm pietatis ſummã in animo potiſsimũ ſitam eſſe definirent homines,arderentq; omnia ullo abſq; externo adminiculo,iſtiuſmodi templorũ ornat⁹ in uſu nõ fuiſſe ſuſpicor. Patres tamẽ quẽadmodum ſanctiſsimi illi quidem fuere uiri, ſic ſanctiſsimè noſtræ conſulentes ignauiæ, hoſce longo quaſi poſtliminio reuocarunt ritus, antiquiſsimos ſanè il-

C los, quippe qui ante Christi accessum ad homines extiterint, quorumq; morem Vates hîc breuiter ob oculos ponere studuit: usqueadeo tamen, quòd si quid intus mysterij delitesceret, à candidis discuterẽt ingenijs, ac puris animis. Qui quidem mos is ferè fuit. Nam ornato templo, aut arcæ loco, cùm gratias Deo ob insigne aliquod beneficiũ agere instituissent, cantores in primis anteire iussi (post primarios tamen multitudinis uiros) suauissimo rem inceptabant concentu. hi postea qui musicis modularentur instrumentis. Sed his omnibus interiecti puellarum chori, tympana, honestissimis corporis motionibus, grauiq; ad numerum passu, atq; inuicem gyro ac nexu, pulsabant. uulgus deinde. Vides ecclesiæ decorem? uides quò illæ spectarunt umbræ? uides diuinum in celebrandis Dei laudibus, & ordinem, & ritum? In re enim spiritus primi esse debent præsules & pastores, cæteri deinceps: alioqui quo exordio, aut quo unquam ordine aut modo, diuinas illas celebrabit uulgus laudationes, quas tum ore, tum mysticis purarum mentium instrumentis, ac castimoniæ tympanis atq; organis celebrari oportet, nemine, ut sic dicam, anteambulone, qui & uita & doctrina, tanquam sanctitatis signifer, anteeat? Obsecro, quid roboris imbecillium animis afferre potest præsul, aut nulla prædítus sanctitate & doctrina, aut doctrina solummodo absq; spiritu? Docti sunt & dæmones, sed nulli tamen sunt usui pietati. Quid porrò cantores hîc positi (in longum iam nimium procedere psalmum uideo) unà cum psallentiũ uirginũ choris præ se ferant, tu, cui integer est animus, nempe à mundi uanitate liber, tecũ discute. Mihi sat fuit rei summã, ut olim Mercuriales statuæ uias indicabant, præmonstrasse. Præcesserũt igitur principes, ut uertit Felix, postea psallentes, in medio uerò puellæ tympanizantes. Idcirco uos ea imbuti, qua antiqui erant, fide, atq; animi candore, ô patres, ô præsules, ô qui audacter ad animarũ rectionẽ, difficilem illam omnino, accedítis, unà cum grege à uobis in sanctitate & iustitia instructo, nõ odijs, iniurijs, aut pessimo uitæ exẽplo dissipato,

D *In ecclesijs benedicite Deo domino de fontibus Israël.*

Quæ sint istiusmodi ecclesiæ, expressius ex hebræo referũt. In cœtibus, aiunt, laudate Deum. alioquin una est Ecclesia, una columba, una unico Dei filio sponsa. Agitedum, inquit, diuinum, ubi quamplurimi ad id conueniunt, nomen cultumq; extollite: purum enim Euangelium, non fabulas, non errores, non uestra somnia edocete, clauisq; amoris, ac iustitiæ malleo uim fidei rudibus subditorum auribus infigite: & id in Ecclesijs, hoc est, in locis ubi habitat Christus, atque eius spiritus. Cæteri autem hominum conuentus, conuenticula magis impia dici debent, quàm plebs Dei, populusq; acquisitionis, et gens sancta. Odiui, inquit Dominus, ecclesiam malignantiũ. Qui porrò sint, qui ad ueram spectent Ecclesiam, in sequentibus aperit Vates, dicens: De fontibus Israël, nempe illorum qui è Dei populo originem traxerunt: nam pro origine fontem dixit, utpote qui sit omnium, cæterarumq; aquarum origo & principium. Vnde Felix uertit, de scaturigine. quanquã fons ipse æternus, unde effluxit Ecclesiæ decor, ac uirtus fidei, Dei gratia est, ex qua illud suauissimũ, tanquam riuus, emanauit uaticiniũ: Hauritis aquas in gaudio de fontibus seruatoris. Quę tamẽ gratia cùm ab uno exeat principio, qui Deus est, ob uarios nihilominus effectus, multiplicesq; deriuationes & scatebras, plurali usus est uoce. quare is erit sensus: In Ecclesijs, id est, in conciliis iustorum, & congregationibus, magna Dei opera, exquisitaq;, in omnes uoluntates eius, laudate: laudate, inquam, dominum, ô uos, qui è Dei populo, tanquã è uite propagines, aut è plantario surculi, originem ducitis: ibi enim uiuæ aquæ sunt, ibi pax, ibi Deus,

Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthalim.

Duo hîc mihi magno uidetur agere artificio Propheta. Primum quidem ad historiam tribuũ istiusmodi, quasi aliter agens, prudentissimè alludens, Christi, sanctæq; eius Ecclesiæ mysterium detegit. Postea uerò, cuius uirtutis hi esse debeãt, qui

A qui alijs præeſſe efflagitãt, obſcuriori quadam uocum ratione indicat. Beniamin quidem tribus, minima omniũ tribuum fuit, eo maximè tempore, quando ob ſtupratam Leuitæ cuiuſdam uxorem à Gabaonitis, penè tota à cæteris tribubus deleta fuit. Proinde Beniamin paruulum, nõ adoleſcentulum, hîc legunt Hebræi. & quod noſter uertit interpres, in mentis exceſſu, hi habent, dominatur illis. Vnde ſic Felix: Ibi Beniamin paruulus dominatur illis. atq; id dictum uolunt propterea, quòd regno multis poſtea annis floruit. Quamobrem autem tribuum ſolummodo Beniamin, Iuda, Zabulon & Nephthalim, mentionem faciat Vates, id non abſq; myſterio factum putant. Siquidem è tribu Beniamin Paulum, qui de Deo quaſi in mentis exceſſu atq; ecſtaſi locuturus erat, originem ducturũ præuiderat: è Iuda uerò non ſolùm Chriſtum omnium ſeruatorẽ, ſed & eius conſanguineos, ut fuit Iacobus iunior, Simeon, Iudas, & Ioannes. Zabulon autem ac Nephthalim erant in Galilæa, è qua non paruam diſcipulorũ manum Chriſtum uocaſſe legimus. quare in Actis, ut refert Lucas, ardentẽ ac uariam loquendi peritiam in illis admirantes Iudæi, dixerunt: Nónne omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt? Illud quoq; ab angelis prolatum: Viri Galilæi, quid admiramini, aſpicientes in cœlum? Quòd porrò Petrus, Andreas & Philippus Galilęi fuerint, ex Bethſaida, ſuo in Euangelio teſtatur Ioannes. Vide igitur, quàm callidè ſcitéq; principes illos Eccleſiæ, de quibus alio in pſalmo ſic aſſerit, Conſtitues eos principes ſuper omnem terram, in medium adduxit Vates: nempe illorũ adumbrans effigiem, qui nunc ſacris prelati locis, eo ſupra modum lętantur titulo. Beniamin filium dextræ, interpretatur Philo, Iuda confeſsionẽ, Zabulon habitaculum fortitudinis, Nephthalim dilatationem: hæ ſunt nimirum partes, quas ad animarũ antiſtitem ſpectare credimus: his ſanè demptis, non uideo cur Dei ouilis appellari quis paſtor debeat. Vt ſit igitur in primis illius dexteræ filius pręſul neceſſe eſt, de qua ſic Salomon: Partes dexteræ nouit dominus, uel eius quoq;, qua ſe ample
B xandam à ſponſo prædicit ſponſa: Dextera, inquit, illius amplexabitur me. qui enim iſtiuſmodi obſtrictus eſt nodo & complexu, totus in Deum per amorem translatus eſt, hinćq; illa emanat intrepida, quæ fit ad ſalutem, confeſsio: quæ ut eo, quo modo fieri debet, efficiatur, bene forti animo, non meticuloſo aut dubio eſt opus: ut fermè abſq; Zabulon ſua in confeſsione mutire Iuda uideatur. Tribus his itaq; perfectiſsimis perornatus gradibus antiſtes, arctiſsimisq; mundi exutus impedimentis, nempe auaritiæ, libidinis, odiorum, ſuperuacanearũq; curarum, ambitionis, atq; malarum rerum omnium altricis ignorantiæ, in campo dilatatur fidei, quæ eſt in Chriſto Ieſu, in quo theſauri omnes inſunt ſapientiæ, ac ſanctitatis: hiſce enim meritò cõmittitur à Deo doctrina ſpiritus, atq; animarum curatio. Vnde additum eſt,

Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc deus quod operatus es in nobis.

Hîc mihi intuere, quàm egregio cœlitus dignentur cognomine ueri Eccleſiæ patres: hos Dei uirtutem eſſe, per quos æternus pater ſua impartitur dona hominibus, aſſerit ſpiritus. Manda, inquit, ſynceris illis paſtoribus, qui dexteræ tuæ, per quam uirtutes operari conſueſcis, ſunt filij, ut tuum alant gregem, ut paſcant, ut dirigant, ut ad aquas refectionis minent. Etenim tua ſuffulti manu, inſtinctiq; ſpiritus ſuauitate, quomodo ſua illa abutentur autoritate, ut nonnullos, etiam ex his qui mundo mortui uideri uolunt, abuti cernimus? Quàm ualde execrandus eſt paſtor, qui in moderando Chriſti grege, pro uirga, duro utitur fuſte, aut gladio: pro amore, odio: pro beneficijs, ſua tantummodo quærens commoda, maleficijs. Verùm tu domine, quod hucuſq; in tuorũ operatus es gratiam & ſalutem, noſtris haudquaquã offenſus delictis, confirma, ſtabiliq; fac ratum eſſe decreto tuo, ut præponantur ouili, qui ueri ſint paſtores & patres, non mercenarij, non lupi, non tyranni: hoc ſanè exorato, tranquilla omnia, quæ nunc commota uidentur & confuſa, ſuccedent: tunc pax, quæ nulla nunc eſt: tunc charitas, quæ penitus refrixit: tunc pietas, quæ ferè ignoratur: tunc ſuus decoloratæ reſtituet ſpon ſæ uigor, ac natiuus color, & gratia. Tunc, inquam,

C *A templo tuo in Hieruſalem, tibi offerent reges munera.*

Totam hîc penè ueram deſcribi eccleſiæ effigiem & pulchritudinem uideo, quæ in eo maximè poſita eſt, ut uerum Dei ſit templum ac domicilium: à quo illud in primis requiri oportet, ut totum, quantum eſt, uiſionem referat pacis (hæc eſt Hieruſalem) ac radijs à iuſtitiæ ſole, qui Chriſtus eſt, emicantibus reſplendeat. A pacato itaq; eccleſiæ ſtatu & ſplendido, pacati illi reges, quos ſuprà Dei uirtutem appellari diximus, ſuis cum muneribus, quæ ſunt piorum animæ, uirtutum odoramentis inſignes, prodire ſolent. O felicem animarum ſtatum, ſi illis hi contingant patres, qui & uita & doctrina eam præ ſe ferant ſanctitatem, ut dij merito in terris haberi poſſint, non homines, infinitis animi ægritudinibus ultro obnoxij. Interim uerò tu ô Deus,

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in ⁊accis populorum, ⁊t excludant eos, qui probati ſunt argento.

Volunt interpretes Latini, malos principes & antiſtites hîc feras arundinis appellari, nempe crudeles & diros, qui in umbra calami, ut inquit Iob, in locis humentibus dormientes, ad omnem uentum doctrinæ mouentur, uertunturq; eam in partem, ad quam maiori impelluntur animi permotione. quos & cœtum taurorum in uaccas populorum, hoc eſt, in ſubditos debacchantiũ, ut eos tandem à probitatis inſtituto & propoſito, licet Dei uerbo, tanquam igne argentum, probatos excoctosq;, deturbent, uocare libuit: quos omnes à ſeueriſsimo Dei ore increpandos uaticinatur Vates. Verùm litera hebræa alium ſignare ſenſum uidetur. Sic ferè illi: Dum increpas turbam lanceatam, cœtum ualidorum inter uitulos populorum, efficis ut deiecti uectigalesq; facti, argenti tributa penſitent. Ex quo in primis illud uidere eſt, neq; feras arundinis, neq; uaccas in Hebræo legi: alio item ſenſu argenti dictionem poni, quàm noſtri reddunt expoſitores. quare ſic Paraphraſtes: Vaſta multitudinem lancea armatam, & turbam eorũ, qui robu
D ſtiores habentur inter potentium filios, qui & uitulorum more laſciuiunt, donec facti ſupplices, tributa tibi péndere cupiant. Quid tanta?

Diſſipa gẽtes quæ bella ⁊olũt, ⁊enie̅t legati ex Aegypto, Aethiopia præueniet manus eius Deo.

Iam longis ueluti periodis expleto curſu, laudes diuinas in pſalmi calce, tanquam excurſo ſtadio, mirisq; interiectis de gentium ad fidem cõcurſu uaticinijs, ſtrictim accumulat Vates. Legati, principes uertunt Hebræi, ſeu præſtantiores, ſeu, ut uult Campenſis, optimates. Verùm nulla ex his uocibus ambiguitas. Clamat dominus in Eſaia: In die illa erit altare domini in medio terræ Aegypti, & titulus domini iuxta terminũ eius: & erit in ſignum, & in teſtimoniũ domino exercituum in terra Aegypti. Clamabunt enim ad dominum à facie tribulantis, & mittet eis ſeruatorem. Vides Aegypti acceſſum ad fidem, de quo tanta cum lætitia prędicit Vates? Huic porrò regioni contermina eſt Aethiopia, quondam propter religionis cultum, addo & circunciſionis obſeruantiam, noſtris ab autoribus celebrata: cuiusq; regnum Candax mulier tum uiribus tum diuitijs potentiſſima, ea maximè tenuit tempeſtate, qua primis floreſcentibus eccleſiæ exordijs, eunuchum Hieroſolymas cum muneribus delegauit: quod ſanè fidei ſignum in regina illa iam antea à nonnullis ex diuinorum oraculorum interpretibus prædictum fuit, ſed illud in primis Sophoniæ: Vltra flumina Aethiopiæ, inde ſupplices mei filij diſperſorum meorum deferent munus mihi. Cæterùm celebris admodum in Alexandria Aegypti uiguit olim Chriſtianorum ſchola, ut refert Philo. Quòd uerò poſtea tam uaſtæ atq; eximiæ regiones à fide deſciuerint, occultior res eſt, quàm ut ab humano cõprehendi poſsit ingenio. Quid ſi nos eadem rebellionis pœna, ob noſtram in Deum ingratitudinẽ, aliquando, aſcitis in eccleſiam aut Parthis, aut Sarmatis, mulctari contingat? Cùm enim uideo totum penè orbem à uera defeciſſe religione, cur noſtræ non timeam ignauiæ, ne dicam perfidiæ, & impietati? Porrò ne multum in excutiendo ab illis uocibus ſenſu, Aethiopia præueniet, manus eius Deo, laboremus, expreſsius reddunt Hebræi,

Aethiopia

A Aethiopia curret manibus ſuis, hoc eſt, manibus onuſtis donis ad Deum: uel, ut reddit Paraphraſtes, Aethiopia feſtinabit porrigere manus ſuas Deo. Cauſam ſubinde addidit: Et fœdus inire cupient cũ Deo. Idcirco igitur cùm nulla ſit tam à noſtro ſecreta orbe regio, quæ diuino non ſit illuſtrata lumine,

Omnia regna cantate Deo, pſallite domino.

(Hîc Selah interponitur, quò de Gentium hîc fide uaticiniũ fieri aduertamus)

Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli, ad Orientem.

Inſidenti cœlis cœlorum, uertunt Hebræi, ab initio, ſeu, ab æterno: ſeu etiam, ne nouum nos fingere Deum inſimulemur, à tempore quo conditi ſunt. Atqui hinc Dei cùm potentiam, tum deitatem, numenq; uerendum & æternum, uidere licet, qui cœlis, tanquam equo aut currui inſidens, illos æterna moderatur prouidentia. Verũ alios hîc mihi contemplari cœlos fas ſit, quibus ſuauiſsimus inſidet ſeſſor Chriſtus: hæ ſunt enim caſtæ, puræ, ritéq; in fide Chriſti eruditæ cogitationes, nempe illorum, qui non iam ſibi uiuentes, ſed ei in quem per amorem tranſfuſi ſunt, ad mundi plauſum minimè pertinent, ſed ſuam conuerſationẽ in cœlis eſſe multis indicãt argumentis: imò ipſi animati cœli ſunt, in quorum mentibus diuinus amor ſuum uoluit eſſe diuerſoriũ. Ita profectò ſanctiſsimi fuere Apoſtoli: ante illos Prophetæ: ſunt & noſtra quoq; (opinor) ætate, ſed rari, ſed incogniti, ſed ſuo contenti habitatore occulti, uoluentes interim animo, dieq; noctuq; quietiſsimo perguſtantes raptu atq; ecſtaſi ſui amati triumphum, in quo onuſtus trophæis aſcendit ſuper cœlum cœli, ad Orientem, Deus ad Deum, à quo rerũ origines, ac naturæ ſuam ſortitæ ſunt uim, ac formam. En cœlorum animatorũ delitiæ, en diuitiæ, en uoluptates, en uita animæ, in quibus uertuntur polis cœli iſti Deo gratiſsimi. O noſtram certè deteſtabilem uitæ rationẽ. In quibus, obſecro, curis, tam breuem conſumimus dierum curſum? Non ab re eſt quidem, quod hîc

B Vates tam anxio inculcat affectu: Cantate Deo, pſallite domino, pſallite Deo. Nónne id tibi uidetur uelle dicere: Deus te totum requirit, atq; omni tempore, ô homo? Verùm res hæc dura admodũ, ac planè impoſsibilis ſemper uiſa eſt animis nondum ab amore mundi ſemotis. Quocirca ne unde excelſa iſtiuſmodi animæ perfectio oriatur, ab Oriente ſcilicet illo, de quo ſic præcurſoris pater: Viſita uit nos Oriens ex alto: nos lateat omnino, additum eſt,

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo.

Videre hîc licet à quo emergat fonte uis animi, ac deſiderium celebrandi Dei nomen: quę ſanè res cùm duabus conſtet partibus, altera quidem in interiori animę affectu atq; amore poſita eſt, altera uerò in promulgando, uoce oris externa, nec minus uita ac moribus, Dei uerbo. Vtraq; tamen inefficax ſit oportet, niſi alterius generis uox, uocum omnium concelebrantiũ Dei honorẽ, moueat, accendatq; gratiam, & ſonum. Ea quippe eſt, de qua alio in pſalmo ſic diſſerit Vates: Vox domini in uirtute, uox dicentis, ut uaticinatur Eſaias, clama. Muta igitur noſtra omnia ſunt deſideria, quamuis uocaliſsima appareant: muta ſuſpiria, mutæ uoces, quæ ab æterna Dei uoce, à qua uirtus omnibus ſuppeditatur rebus, non inflammantur, ab eaq; uim ſumunt & efficaciam. In uirtute quidem poſitum eſt regnum Dei, non in ſermone atq; eloquentia: unde nõ abſq; altiſsimo rerum myſterio prædicaturis Chriſti diſcipulis apparuerũt, ut inquit Lucas, diſpartitæ linguæ tanq; ignis. Cuius porrò generis ille extiterit ignis, mox explicat. Et repleti ſunt, inquit, omnes ſpiritu ſancto. Fruſtra itaq; ad populos nunciẽ delegant euangelici, niſi illorum uerba eo incendantur igne, qui audientiũ corda moueat, concutiat, accendat, perterrefaciat, comburat tandem. Vis ne tuos inflammare auditores, ô doctor, ô antiſtes, ô diuini uerbi prædicator, ô qui bellè tuos tibi uideris proferre animi conceptus? Inflammeris tu prius, atq; ita & tu, & qui te audiunt, uno accenſi ſpiritu, date gloriam Deo, non ueſtræ eloquentiæ, aut præparationi. Quòd ſi etiamnũ à nõnullis, quo uitæ genere & ratione id aſſequi poſsint, ignorari contingat, illud, ne nimius ſim, tantũmodo dicam: nullam tam arduam rem

c eſſe & difficilem, quin uitæ puritate, atq; in Deum fide, aſsiduis adiuta precibus, exoretur. Cæterùm quam hîc gloriam intelligi uelit ſpiritus, Hebræus explicat: Tribuite, inquit, fortitudinem Deo, id eſt, uirtutem rerum atq; efficaciam, illi aſsignate, non uobis, non ueſtro ingenio, non ſanctitati. Siquidem

Super Iſraël magnificentia eius, & ueritas eius uſq; ad nubes.

Quàm demum excelſus ſit Deus, quàm magnificus, quámue ſuis in pollicitationibus conſtans, id mirabili in his relucet gratia, quæ in populi ſui ſalutem, qui uerus eſt Iſraël, operatus eſt, operaturq; aſsiduè. Splendor itaq; Dei, maieſtas, gloria, uirtus, potentia, non tantùm uſq; ad nubes iſtas uiſibiles, cœlosq; ipſos ordinatiſsima pulcherrimaq; factos ratione & decore, pertingere uiſa eſt, uerum etiam ad aliud quoq; nubium genus pertinere credimus, de quibus illa eſt Dei iuſsio in Eſaia: Mandabo nubibus meis, ut pluant ſuper eam imbrem. quam rem in ſequentibus aperit ſpiritus, cùm inquit:

Mirabilis Deus in ſanctis ſuis.

Ecce de quibus loquebatur nubibus aſſeueratio, de ſanctis ſcilicet animis, pureq; in Chriſto degentibus, & qui cùm ſe aliquid eſſe nõ ignorent, attamẽ id totũ Deo, eiusq; uirtuti ferre acceptũ minimè dubitant. Eam ob rem à Vate infertur:

Deus Iſraël, ipſe, non homo, non uis humana, non angelus demum, quantumuis ſupremus, atq; diuinæ proximus uiſioni,

Dabit uirtutem & fortitudinem plebi ſuæ.

Quæ eſt Eccleſia in Chriſto, nempe fidelium unio, & cõmunicatio, qui ob innumera accepta à Deo beneficia, non ceſſant clamare quotidie, dicentes:

Benedictus Deus. Amen.

PSAL. LXIX. Danti æternitatem. Super lilia Dauid.

D  *Aluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ uſq; ad animam meam.*

Lilia, in titulo, ne in ſuperfluis deſudemus, uult Fel. inſtrumentũ fuiſſe muſicum, quo pſalmus iſte mirè diuinus decantari cõſueuerat. tamen de liliis & nos quoq; aliàs diximus. Ad pſalmum igitur declarandũ noſtra omnis uis ingenij, ac ſi quid eſt ſpiritus, ſeſe accõmodet. Sublimia ualde in hoc inſunt ſenſa, utpote de Chriſto Dei unigenito copioſiſsimè diſſerente. Quocirca illud in primis à candido impetrare lectore mirum in modum efflagito, ne meo hoc in labore dictionem quærat, ut ferè nũc fit, ſupra modum elegantem: ſed id magis, an ſenſus illi, quos è pſalmis exprimere cogito, ac naturali quodammodo ſtylo mandare literis elaboro, hi ſint, per quos diuinum queat laudari nomen. Nihil ſanè aliud in hoc meo feriatus ago ocio, quàm ut Deum tum animo, tum calamo ſanctiſsimum illius nomen extollere geſtiente, placem, beneuolumq; mihi reddam: hoc enim impetrato, rumpatur utuis mundus, atq; in me irrugiat, beatus ſum. Quòd hic pſalmus de corporea Chriſti præſentia, ærumnis, cruceq;, & poſt crucem gloria, ex uerſibus & ab ipſo, & à ſuæ legis interpretibus citatis, uaticinium fuerit, manifeſtior res eſt, quàm ut multis probetur. Ipſum igitur in afflictionum aquis pro me periclitantem, meumq; ferentem onus, ac penè detrectantem, non abſq; lachrymis audire mihi uideor. Heu, unde hæc tam anxia pro te, ô homo, tui ſeruatoris & cura, & ſolicitudo? Meę enim miſerię hæ partes ſunt, non tuæ, ô uita omniũ, ô ſalus, ô quies æterna. Proinde ſicut tam uaſtum ęrumnarum pondus, quod tu ultro pro me ſubijſti, meum eſt, ita meus mœror, meus luctus, meus clamor, metusq; meus eſſe debet, qui peccaui, nõ tuus, ô omnium innocentiſsime. Clamas tamen, ac tanq; unus ex nobis in altiſsimum calamitatũ è ſublimi iuſtitiæ ripa deuolutis ſtagnum ac gurgitem, ingeminas: Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ uſq; ad animam meam.

Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia: ueni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.

Hîc calamitatũ humani generis cumulum atq; acerbitatem conſiderare non pigeat. Siquidem in illis exprimendis, non contentus Dei filius dixiſſe, ſe aquis (aquæ

A (aquę enim in ſcripturis nonnunquã aduerſitates ſunt) obrutũ: adijcit, profundũ limum & tenacem, & illum quidem in profunda maris altitudine, ac procelloſa. Irreuocabilis is planè lapſus uidetur, cùm quis in eam corruit, uadum quærens, amnis profunditatẽ, quæ tam limoſa ſit, ut nullus illi firmandi pedes, ſtabilis ex tet locus. quod enim noſter uertit interpres, Non eſt ſubſtantia, ſic uerti poteſt, Non eſt ſuper quod ſtetur. Vnde ex hebræo ita ferè: Hæreo in profundo luto, ubi ſolum nullum eſt. Paraphraſtes uerò: Demerſus ſum in lutum, quod fundo penitus caret. Quantũuis enim ſedati ſint amnes & tranquilli, niſi ſolidus ſit fundus ac ſtabilis, uadari tutò nequeunt. Cæterùm idem præ ſe ferunt uerba illa: Intrauerunt aquæ uſq; ad animam meam, quod, ad os uſq; peruenerunt: quibus ad interanea, ubi ſedes eſt uitæ, illabentibus, ſuffocari hominem oportet. Vide igitur in quantam perditionis altitudinem coniectus erat homo, anteaquàm Deus homo fieret, qui ſuam, quid ſuam aio? qui meam potius detegens miſeriam, atq; animi anxietudinem, clamat iterum:

Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, defecerunt oculi mei dum ſpero in Deũ meum.

Sanè quàm magni id eſt periculi indicium, cùm quis eouſque uociferando, opemq; implorando defatigetur, ut prorſus irrauciat & deficiat: quòd ſibi hîc contigiſſe aſſerit Chriſtus. Idcirco alio in pſalmo ſic ſuum exponit mœrorẽ: Lingua mea adhæſit faucibus meis. Ita ſanè animam, quæ ſuum non ignorat periculum, agere neceſſe eſt: tota enim cùm uita hæc ſit torrens quidam rapidiſsimus, limoſus, paſsimq; periculorum plenus, ac mirè profundus, quis ſe tutum arbitratur? quis non exanguis tam certum aggredi audet interitum? Quis cùm uadandum ſit flumen uoraginoſum, turbidum, incertum, limumq; ſimul cum ſaxis atq; èripa euulſis arboribus conuoluens, non horrebit? Mirum ſi tum iocis ac uoluptatibus indulgendum eſſe cenſeas. Quid illud? ô noſtram omnino execrandam
B ſtupiditatem: cernimus enim Dei filium pro nobis in uaſtiſsimo perturbationũ periculorumq; fluitare pelago, atq; opem uel uſq; ad raucedinem efflagitare, & nos è littore uitam noſtram ſic in alto iactari, peneq; obrui, ſiccis intuemur oculis. Vide quid pro te, ô homo, perinde atq; pro ſe, dicat tui amantiſsimus Chriſtus: Defatigatus ſum, inquit, clamando (ſic reddit Campenſis) exaruit guttur meum. Deſtituerũt me oculi mei, dum expecto aduentum illius Dei, cuius auxilium expertus ſum toties. Sub hæc

Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei qui oderunt me gratis: confortati ſunt qui perſequuti ſunt me inimici mei iniuſtè: quæ non rapui, tunc exoluebam.

Hucuſq; Hebræis integer eſt uerſus. En limoſum uitæ huius miſeræ profluuiũ: en inſtabiles undarum fluxiones, in quibus integerrimi interdum uiri periculoſiſsimè fluctuant, metuq; exanimant: nempe confuſa perfidioſorũ hominũ multitudo, ac fluxa fides. Quàm uerò copioſi hi ſint, è propoſita à Vate ſimilitudine cõiectari poteſt. Multiplicati ſunt, inquit, ſuper capillos capitis mei: hoc eſt, multi uſqueadeo ſunt improbi, ut crines mei omnes capitis ſuperent. Solemus enim cùm ingentem & planè indiffinitũ ſignificare uolumus numerum, crinium aut arenarũ uti ſimilitudine. Verùm tam delicata eſt hodie noſtræ ætatis conditio, fictæq; probitatis perſuaſio, ut propè modũ inſaniant ira nonnulli, ſi quis ingentem eſſe ſimulatorũ numerum queratur: malunt quippe ſuam tegi ſilentio turpitudinem, quàm deprehenſi, uel unica tantùm uocula reprehendi. Vtcunq; indignentur, me minimè falli poſſe arbitror, ſi omiſſo hominum metu, qui antiquus meus eſt mos, cũ Dei filio expoſtulem, ita in immenſum creuiſſe illorũ, qui Chriſtum gratis affligunt, copiã, ut omnẽ prorſus excedant numerũ. Confortati ſunt, Hebræi habent, corroborati ſunt, ſeu inualuerũt. Vnde Paraphraſtes: Totis, inquit, uirib. conanſ ſubuertere me. Cuiuſmodi uerò illorũ fuerit uis & conatus, in ſequentib. aperit Vates, inquiẽs: Quæ nõ rapui, tũc exoluebã: hoc eſt, de illis da re pœnas cogor, quæ nunq; admiſi. æquè enim nõnulla reſtituere remunerareq; me impellunt, ac ſi, quę illorũ ſunt, rapuiſſem. Id ſanè tum uatem aliũ præuidiſſe

C cenſeo, cùm Deum iniquitates omnes noſtras in Chriſto poſuiſſe aſſeruit. Quid unquam peccauit Chriſtus? quid deliquit, ut tam dirè omnium ſubire criminum mulctam coactus fuerit? Atqui uerſus huius particulam tanquã de ſe ſcriptam, ut totus planè eſt pſalmus, benigniſsimus citat in Ioanne Dominus: Vt impleatur, inquit, ſcriptura: Odio habuerunt me gratis, id eſt, abſq; cauſa. Ita profectò fuere proceres illi ſynagogæ religioſiſsimi in Chriſtum, cui pro beneficijs, & his quidem admirandis & multis, calumnias, cruciatus, & mortem tandem rependerunt: præludia nimirum, & prædictiones futuræ illius Eccleſiæ, quæ puritatis nutrix eſt atq; innocentiæ, in quam de more ſæuire ſoliti ſunt improbitatis alumni, nempe oblocutores, doloſi, duplices, impuriq; quadruplatores, & infames hæretici, quos omnes ſuos uocat hoſtes Chriſtus in hoc pſalmo. Veruntamen,

Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.

Mos eſt enim illi, qui falsò accuſatus quæcũq; obijciunt delatores diluere nititur, ut ſuæ multifariam adductis innocentiæ indicijs & teſtibus, tandem ab humano inauditus iudice ſeſe ad Deum conuertat, clametq;: O Deus, ſimulatq; noſtrates corrupti ſunt iudices, ad te, quem nihil, quamlibet obſtruſum & ſecretũ, latêre poteſt, cuiq; mea omnis ſtoliditas animi, atq; peccata, quæ hi mea eſſe uolunt, idq; iurant & obteſtantur, notiſsima ſunt, confugere decreui. Similem ferè morem ſeruaſſe hîc Chriſtum uideo: etenim inauditus, eiectus, irriſus, conſputus, in manusq; carnificum tanquam perditiſsimus latro à timido illo traditus iudice (cùm ultro errat iudex, occîdit Chriſtum: de quo illud miſerandum narratur ſpectaculum, in quo Barrabam homicida & ſeditioſo è carcere ſoluto, innocentiſsimũ agnum Iudæorum tradidit uoluntati ac libidini, crudeli nimirum & ſanguinariæ, ut crucifigeretur) quò ſe uerteret? cui ſtultitiam? cui delicta illa horrenda, quorum tanquam repetundarũ reus accuſabatur, quæ tamen ſua eſſe uoluit, cùm noſtra eſſent, expurganda cõmitteret, niſi patri? qui totam filij gloriam
D in terris è cruce pendêre maluit, atq; iniurijs, quàm è uulgi plauſu, falsoq; principum fauore ac gratia. O doctrinam certè noſtris erratis neceſſariã. Cæterùm ſecretiſsimum hîc mihi detegi myſterium fateor: iam tum enim quidem primùm à Vate præuiſum fuit, Chriſti crucem ſcandalum fore Iudæis, gentibus uerò ſtultitiam, ſed utriſq; ſalutem & uitam. Nam certè quidem, quod ſtultum eſt Deo, fortius eſt hominibus. Idcirco hîc Chriſtus abſolutiſsimã ſuam in Deo ſapientiam, inſipientiam appellat: mortalium uerò crimina & peccata, ſua: quippe qui omnium reus factus ac præs, omnium languores in ligno, unde morbus omnis animarum ortum habuit, perferre uoluerit: ut eundem planè fuiſſe & medicum & ægrotum non ambigeremus. Sed uide aliud clementiæ genus:

Non erubeſcant, inquit, in me, qui expectant te domine, domine virtutum: non confundantur ſuper me qui quærunt te, Deus Iſrael.

Non tanto quidem afficitur mœrore uir ſanctus, ob perſecutiones quas ab improbis patitur, neq; tanta tenetur cura propter inſidias calumniasq; ſibi paratas, quanto flagrat ſtudio, ne in fide ſimpliciores à ſecundis improborũ ſucceſsibus deterreant. Solent enim infirmiuſculi, probi tamen uiri, ſi quem uiderint ex ſanctioribus acerbè nimium uexari, atq; ſubinde à quibuſuis ſuppeditari, nec inueniri cui curæ ſit innoxiorũ defenſio, nutare in fide, atq; eò interdũ adduci, ut cum ſanctis conſuetudinẽ habuiſſe propemodum erubeſcant. Vide quàm conſternato animo ac diſsipato, ob Chriſti necẽ, duo illi diſcipuli ab Hieroſolymis Emaus cogitabant: Sperabamus, inquiunt, quia ipſe eſſet redempturus Iſraël. En quomodo à ſpe firma ſalutis, propter perſecutiones ac crucem magiſtri, excellentiſsimi deſciuerint uiri. Quid infirmiores tum egiſſe arbitramur? Ne id igitur contingat, orat Vates, orat Chriſtus, orat Eccleſia, orat nondum ſecretũ à paleis granum, clamatq;: Ne, quæſo, mi Domine, Domine, inquam, qui cunctis & terrenis & cœleſtibus imperas agminibus, meum propter infortunium pudefiant hi, qui te firma præſtolantur fide: nõ confuſione, aut animi deſperatione, ob meas, quas

ab

A ab improbis tolero, perſecutiones, afficiantur: idcircoq; à proborum conſuetudine abſtineant, quotquot tuam ambiunt amicitiam, ô Deus Iſraël, illius ſcilicet hominum multitudinis & dux & cuſtos, qui ſpreto mundo, à te, ne in iſtiuſmodi rerum ambagibus ac mæandris miſerè oberrent, diriguntur.

Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, cooperuit confuſio faciem meam.

Ecce cur patiẽ Chriſtus, tum cauſa, tum ratio: nempe iuſtitia, ac Deus. En ſumma felicitatis animę, en arrha ſalutis, en priſci fœderis cum Deo ſanctio, pro Deo utiq;, proq; eius tutanda religione, ſceleratorum iniurijs expoſitam eſſe innocentiam. Adeò, inquit, impiorum calumnijs & irriſionibus obnoxius fui propter te, hoc eſt, tua cauſa & iuſſione, ut uix ui faciem attollere potuerim. Quid? ad tantã enim peruentum eſt miſeriam, quòd etiam

Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.

A fratribus, inquit, meis, & his quidem uterinis, eodemq; lacte mecum enutritis, alienus ſpuriusq; reputatus ſum, non minusq; ab illis malè habitus, quàm malè habeor ab ipſis meis hoſtibus & aduerſarijs. Heu falſam fratrum fidem, heu feros mores. Me, inquam, innumeris afficiunt iniurijs meæ matris filij,

Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.

Apertior adhuc infertur cauſa, quamobrem perſecuti ſint Chriſtum Iudęi: ob zelum nimirũ Dei honoris, qui in ea maximè deprehenditur domo, quam, quoniam diuinæ conſecrata eſt ſemel religioni, negociationibus amplius, aut turpi quæſtui ſeruire minimè fas eſt. Proinde iuſtiſſima fuit Seruatoris excãdeſcentia, quando perſpecta templi ob nundinas corruptela, factoq; de funiculis flagello, omnes eiecit, oues quoq; & boues ui excluſit, ſubuertitq; nummulariorũ æs ac menſas, dicens: Auferte iſta hinc, ô perfidi mentitiq; ſacerdotes & Scribæ, iampridem ueſtram ob ambitionẽ & auaritiam cœlo infenſi, et nolite facere domum
B patris mei, domum negociationis. Abite, inquam, è domo Dei, qui Deum mille interuerſis doloſisq; & fraudulentis inhonoratis contractibus & uerſuris, auariſsimi decoctores: in domo quippe Dei diuina tractari debent, non prophana, non turpia, non ita auara & inæqualia, ut qui præſunt, in delitijs uiuant, qui uerò ſubſunt, inedia contabeſcant, & pereant. Zelus in hoc loco ſancta eſt æmulatio, flagransq; ſpiritus permotio, qua quis ob diuinum neglectum honorem ualde excandeſcit: quam commotionem in Chriſto tum fuiſſe ſenſerunt apoſtoli, cùm uiſa inſtitorũ pecorũq; è templo eiectione, recordati ſunt, ut inquit Ioannes, quia ſcriptũ erat: Zelus domus tuæ comedit me, hoc eſt, me abſorbuit, ſeu, ut quidam ex Hebræo uertũt, torquebat me. quocirca cauſam tam iuſtæ cõmotionis ſubiungit illicò, dicens: Opprobria exprobrantiũ tibi ceciderũt ſuper me. cuius ſenſum ſic exprimit Paraphraſtes: Quia ſummo ſtudio conatus ſum tueri maieſtatẽ tuã, idcirco probra, quibus probroſe affecerunt te, tam me habent malè, quàm ſi ipſe ego probris illis affectus eſſem. Vides ardentem Chriſti erga diuinum honorem animũ? uides flagrantẽ illius affectum, ô tu, cui nihil in terris tam charum eſt, q; proprium cõmodum & celebritas? uides qua de cauſa fleuit innocens? conqueſtus eſt clementiſsimus? nempe propter mortaliũ impietatẽ, procliuitatemq; in Dei iniurias, ob quas diluendas nihil non contumeliarũ à ſuis perpeſſus eſt impatibilis & immortalis. Quantũ hîc nobis flendum eſſet, qui tam longè ab iſtiuſmodi humanitatis officio extorres ſumus. Debemus certè, ut inquit Paulus, imbecillitates infirmorũ ſuſtinere, & non nobis placere, quemadmodũ Chriſtus ſibi nõ placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt, Improbria improbrantiũ tibi, ceciderũt ſuper me. Exemplũ ſanè id eſt mirabile in oculis tum noſtris, tum illorũ, qui libenter præſunt cæteris. Etenim ſubditorũ peccata, aut paterno corrigenda ſunt affectu, aut tegenda omnino: atq; id omne ſummo cum præſulũ mœrore & luctu: nõ crudeli exaſperãda traducẽdaq; imperio, ac cũ impudẽtia, gaudio & tripudio, ut à nõnullis fieri nõnunq; cernimus, quib. maxima ingenij eſſe ſolet acrimonia tum in ſpar

C gendis diſſeminandiſq; in uulgus ſubditorum erratis, tum in confingendis nouis, quæ propria dæmonum ars eſt, atq; acuitas. Haud ita quidem agebat Chriſtus, quod ſi non credis, quid in ſequentibus aſſerat, animaduerte.

Et operui in ieiunio animam meam, & factũ eſt in opprobriũ mihi. Et poſui veſtimentũ meũ cilicium, & factus ſum illis in parabolam. Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum.

Volens amantiſsimus noſtrî Ieſus, ſuum erga peccantes oſtendere mœrorem, his utitur uocibus, quæ ingentem inter homines præ ſe ferre animi dolorem conſueſcũt, nempe, luctus, ieiunij, ſacci, opprobrij. Quid homine ſic affecto triſtius? quid lugubrius? Illud notandum, in principio literę uocem Fletus, Hebręis eſſe. quare ſic Fel. Et fleui dum eſſet in ieiunio anima mea. Campenſis ferè idem: Si quando, inquit, fletu & ieiunio affligebam me, ipſi probro uerterunt id mihi. Cæterùm per cilicium, ſaccum, culeum, cinerem etiam, & ieiunium, in ſcripturis luctuoſum hominis ſtatum intelligi uolunt doctiores: ſymbola quippe ſunt hæ uoces pœnitentiæ. unde illud quoq; alio tropo in Iob legitur: Saccum, inquit, accinxi ſuper cutem meam, & infixi in puluere cornu meum. Quocirca alio in pſalmo ſuum exprimens dolorem Chriſtus propter hominũ ſcelera, ita ait: Contriſtatus ſum in exercitatione mea. O felicem luctum & mœrorem, cùm paſtor pro errante atq; infirma luget ouicula, non triumphat ſuper contritionẽ gregis. Luxerunt, inquit quidam, ſacerdotes, miniſtri domini, dicentes: Parce domine, parce populo tuo. Iam illud conſiderandum, quomodo inter mœroris indicia, quo afficiuntur hi qui in luctu ſunt, deriſiones, atq; opprobria, quę in pios à petulanti iaciuntur uulgo, præcipua eſſe uidentur: ſed illa omnium maxima, ſi à primatibus & paſtoribus, unde dolor atq; commiſeratio expectari debet, proueniunt. Ideo non immeritò hîc queritur Chriſtus, ſuum luctum pro peccatoribus aſſumptũ, ſuum cilicium, ſua ieiunia, ſuum mœrorem, uerti ſibi uulgò in deriſionem ac fabulam:

D atq; illis, qui in portis urbium aut templorũ, ubi optimates conſident, reſq; diffiniunt, ubiq; frequentia hominum conuenticula fieri conſueſcunt, ut plurimum diuerſantur, addo & cõuiuantibus atq; ebrijs, cantilenas uerſusq; mordaces componendi occaſionem præſtitiſſe. Sed ne potum hîc omnem uini moderatè ſumptum reprehendi exiſtimes, clarius à Paraphraſte res ſic tota exprimitur: Peſsimè loquebantur de me, ſedentes in porta, primores ciuitatis: carmina componebant de me, qui potabant uinum in tabernis. quo heluones comedonesq; turpiſsimæ uitæ homines intelligere ſpiritum non dubitemus. Verùm tu uide, quò noſtrę dirigendę ſint curę & ſtudia, cùm ab iſtiuſmodi probitatis lue & pernicie, maledictis impetimur, uel eò maximè, ſi cũ illa hi, qui in portis & exedris ſedent, conſpirare uidentur: uide, inquam, quid de ſe perfectiſsimæ iuſtitiæ aſſerat artifex:

Ego verò, inquit, orationem meam ad te domine, tempus beneplaciti Deus: in multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, in veritate ſalutis tuæ.

Sic perpetuant hunc uerſum Hebræi. Eclipſis plena hæc eſt reticentiæ, qua maximo in dolore uti conſueſcimus: ex frequentibus enim ſuſpirijs, udisq; ſingultibus, uocis organum interceptũ abrumpitur, conciſeq; ea quæ dicenda ſunt, profert. quare is eſſe ſenſus uidetur: Dum me irriderent impij, & tam pium meũ ludibrio haberent fletum, ego interim orationẽ meam ad te Domine, ſcilicet direxi: quod ſanè tempus à tua manat uoluntate. Quod nos legimus, tempus, Felix habet, tempore. unde ſicille: Tempore beneplaciti, Deus, orationem ſcilicet meam direxi. Paraphraſtes autem alium, haud multum tamen huic diſsimilem, adducit ſenſum. Ego, inquit, cõtra hęc omnia, nihil aliud q̃ precatione mea apud te hoc egi, ut citò adueniat tempus, quò tibi libeat ſuccurrere mihi. Id eſſe uidetur Chriſtiani omnino animi officium, improborum iurgijs & maledictis, orationes, non iurgia aut maledicta opponere: alioquin hinc atq; hinc quaquauerſum mutuis inſanientibus inter ſeſe odijs atq; iniurijs hominibus, tranquilliſsimus eccleſiæ ſtatus confunditur, atq; in immanes quoſdam ſenſim tranſitur mo-

res

A res & ritus, quos belluinos magis, quàm Chriſtianos appellari conſentaneũ erit. Verùm ſimulatq; paſsim fermè emergunt pericula,

In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me, in veritate ſalutis tuæ.

Iucundiſsimũ id eſt quod hîc dicitur. Secundũ immenſam miſericordiã tuam, inquit, quæ tam latè patens eſt atq; ampla, ut omnes amplectatur, exaudi me, ferq; opem ac ſalutem, quam ueram certamq; eſſe non ambigo: id enim, in ueritate, ſignificare uolunt, præter illud quod ad æternas Dei pollicitationes ſpectaſſe Vatem cenſeo. Vnde Auguſtinus: Miſericordia, inquit, dimittendo peccata, ueritas reddendo promiſſa: hæ duæ quidem ſunt alæ, quibus arcæ olim propitiatorium mira obumbrabatur religione: quibusq; ornati eſſe debent in primis hi, qui in Eccleſia communicato cum Deo nomine, patres nuncupantur. In ueritate igitur tua, qua certiſsimam mihi impartiri pollicitus es ſalutem, me adiua, muni, tutare.

Eripe me de luto, vt non infigar.

Non immergar, uertit Felix: per lutum enim, cuius ſuperius mentionem fecit, dicens, Infixus ſum in limo profundi, uitæ incommoda, & anguſtias, ſignificari diximus, quibus omnibus ſingillatim omiſsis, ad totius rei caput, quod eſt perditorum hominum odium, tranſit, dicens:

Libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum.

Odit ſanè proborũ uitam mundus, odit dæmon, odit homo ille, de quo queritur Salomon, quòd prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat. quocirca ſuorum ignorantiã & ignauiam pungens Chriſtus, ſic ſuos alloquitur diſcipulos: Nolite mirari ſi odit uos mundus: ſcitote, quoniam priorem me odio habuit. Ergo qui Chriſti ſectatores appellari efflagitãt, cur mundi odia pertimeſcunt? Cur aquarum profunda, quæ ſunt inextricabiles humanæ uitæ ad
B uerſitates & moleſtiæ, pauidi, Deo duce, qui ante nos intrauit, uadumq; complanauit, ingredi reformidant? Quòd ſi tamen cùm hîc, tum aliàs Dei filium pericula timuiſſe, atq; proinde opem, ne periret, à patre imploraſſe, legere contigerit, id putes uelim, non ſibi omnipotentiſsimũ timuiſſe, ſed nobis, ſed ſuo figmento, quod uitro fragilius eſſe nouerat (penè dixi, uoluerat) quò omnib. ſub peccato concluſis, ipſe omnium miſertus, omnibus clementiæ ſinum aperiret. Vide, homo, quomodo tuo in hoc pauore cõſtitutus, uarias flagrantesq; inculcat tranſlationes Dominus Ieſus.

Non me, inquit, demergat tempeſtas aquæ, neq; abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.

Viam enim illam neceſſariam, qua itur ad Deum, anguſtiarum nimirum & ad uerſitatum, quò noſtræ conſulat teneritudini, limum appellat, lutum, profundas aquas, tempeſtatẽ, marisq; altitudinem, ac puteum, cuius os terrifico pateat hiatu. Cæterùm, urgeat, Hebræis eſt, obfirmet, ſeu, ut uertit Felix, claudat, aut conſtringat. quod uerbum fuſius pertractat Campenſis, dicens: Neq; concludat me puteus operculo ſuo. Quòd quis enim in profundum cadat puteum, periculoſum admodum uidetur: ſed illud ſpe abſq; ulla exeundi periculoſiſsimũ, ſi graui obfirmetur operculo putei os. Infigar, ex Hebræo uerti poterat, immergar, ſeu obruar, ut dixi. Ne inuoluat me, reddit Paraphraſtes, fluctus aquarum: neq; abſorbeat me profundum. Ideo

Exaudi me domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.

Cum homini inter anguſtias ſeſe torquenti in mentem uenit, quàm benignus ſit ille, atque miſericors, qui miſeris ſuppetias ferre conſueſcit, nulla eſt mundi iniuria, quam toleranter, ſedatoq; non amplectatur animo. Verùm interim tam feliciſsimum bonum & munus, ut Dei eſt clementia, ardentiſsimo non ceſſat implorare deſiderio, affectuq; quodammodo urgere, ut in repetitis concita-

C tisq; eiuſdem ſententiæ uerbis in hoc pſalmo uidere licet. Quid his uocibus concitatius, Exaudi me domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me?

Et ne auertas faciem tam à puero tuo, quoniã tribulor ✓velociter exaudi me: intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me.

Quem non mouerent tam lachrymabiles doloris notæ? quid non exorarent? Nonnulli ex Hebræorum interpretibus dictionem, miſerationum, quam noſter interpres, quò modum in Deo multiplicem ſignificaret miſerendi, plurali uertit numero, humanitatem, qui habitus eſt animi ad miſericordiam pronus, uertunt. Reſpice in me, melius ſecundum Hebræos transferri poterat, reſponde mihi: hoc eſt, meis uotis annue. Idcirco haud multò pòſt adiecit, Intende animæ meæ. Cæterùm, ne auertas faciem tuã, idem prætendit quod, ne faciem tuã à ſeruo tuo indignabundè, ut ſolent offenſi & irati, auertas. Moueat te, inquit, tua ingenita illa ab æterno bonitas: moueat clementia, moueat fides, qua tuos non diutius in miſeriis perſeueraturos promiſiſti. Moueat & illud, quòd ſeruus tuus ego ſum, & is quidem, qui tibi à puero, uel in mediis ipſis mundi blanditiis, addo & iniuriis, obſequens fui. Moueant te tandem inimicorum meorum blaſphemiæ, iunctæq; cum impietate contumeliæ ac probra. Ad quem, oro, mortalium mihi erit confugiũ? Væ mihi, ſi in ærumna aliqua conſtitutus, in hominem natura fallacem & ingratum aſpexero: non eſt enim inter illos quibus mea doleant aduerſa: derident potius me omnes, ſubſannant, urgentq;, ac miſeriam miſeriæ coaceruant. Maledictus itaq; ſit homo ille, qui confidit in homine: ſiquidem, quod ad me attinet, circunſpexi, & nõ erat auxiliator: imò ſubſidij loco, dederũt in eſcam meam fel, crucem nimirum & mortem. Verùm quid tibi meas omnium cognitori ſingillatim enarro calamitates?

Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reuerentiã meam. In conſpectu tuo
D *ſunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum, & miſeriam: & ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inueni.*

Certè, mi lector, ſi in te naturalis ſaltem eſſet animi ſenſus & communis, hiſce miſerandis auditis filij Dei querelis, perſpectoq; dolore, quem pro te non repugnanter tuus ſubijt conditor, doleres ſaltem te non, quantum par eſt, dolere poſſe. Cæterùm confuſè parum reddita hæc eſt litera: quocirca, ut clarior fiat ſenſus, Hebræorum conſulamus interpretes. Vacillans plerũq; litera, & inconſultò uerſa, ſeu potius à ſcribis tranſcripta, raro ſenſum cohærentem, ſibiq; conſtantem exprimit. Sic itaq; Fel. Tu cognouiſti opprobrium meum, & confuſionem meam, & ignominiam meam: coram te ſunt omnes tribulantes me: opprobrium contriuit cor meum, & afflictus ſum, & expectaui cõmiſereſcentem, & non fuit: & conſolantes, & non inueni. Idem fermè cæteri ex Hebræo. Vnde Paraphraſtes: Tu noſti utiq;, quibus probris, quo pudore, quaq; ignominia afficiant me hi tanto numero perſequutores mei. Aſsidua contumelia fregit animũ mihi, & ægrum fecit totum me. Expectabam qui miſericordia motus conſolaretur, ſed nullus aduenit: aut qui ægrum animum nonnihil recrearet, ſed nullum inueni. Porrò quid ſibi uelit dictio, reuerentia, in noſtro interprete, non intelligo, atq; magis adeò id, quod neq; Hebræi neq; Græci reuerentiam legunt, ſed ignominiam, ut etiam in Hieronymi translatione uideri poteſt. Verbum uerò, expectauit, an ita ut exponunt noſtri, huc quadret, uiderint alij: nos enim literæ illi, quæ germanum uidetur referre ſenſum, non inuiti adhæremus. Sed unicuiq; ſuus ineſt guſtus, tantum meũ ſimpliciter affero. Videor mihi certè uidere amantiſsimũ noſtri Ieſum in immenſos coniectum cruciatus, non nouos alios, ut ipſi aſſerunt, expectaſſe, ſed conſolatorẽ potius, & condolentem: quanquã res ſecus atq; debuit accidiſſe uiſa eſt. Ideo in incepta perſeuerans querimonia, ſic ſuum teſtatur dolorem:

Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.

En quò proceſsit Iudæorum crudelitas atq; efferata mens, ut Chriſto, nempe uitæ

A uitæ omnis autori, in cruce ſitienti & moribundo, pro extremo, quod concedi ſo
let etiam piratis in equuleo morituris, ſolatio, fel aceto temperatum porrexerint:
indicium quidem amariſsimi illorum animi in Dei filium: indicia inquam & cer-
tiſsimæ rerum illarum, quæ ſequuturæ erant, prædictiones. Oro, quid unquam
ſuauius, amœniusq; uiſum eſt in terris, quàm Chriſti iugum, atq; eius religio &
cultus? contrà uerò, quid amarius, quidue auſterius, quàm ea, quæ à nonnullis
tam felici ac leui addita ſunt, addunturq; continuè oneri? Verùm feruidis in Deũ
animis etiam illa, quæ acerbiſsima uidentur & dura, amœniſsima ſunt & grata.
Eſt & aliud amaritudinis poculum Chriſto animam in pœnis agenti, hoc eſt, in-
noxio cuilibet à mundi malis oppreſſo, propinatũ, cùm illis quidem ipſis, quibus
propter aſperam grauemq; perſequutionũ aut peccatorũ interdum molem, qua
miſerè arctantur, conſolationis uerbum & ſuauitatem admoueri par fuerat, uer-
bum iniquũ, uerbum aſperum, uerbum deſolationis & ruinæ impingimus. Heu
crudos animos, dignoſq; qui ſcopulis magis ac duris imperent cautibus, quàm
hominibus. Vide mi lector, quomodo iſtiuſmodi pœnæ genus in ultima ſuorũ
cruciatuũ enarratione, tanquam omnium atrociſsimum, ſeruauerit Chriſtus. At
iam quid his, aut horum ſimillimis imprecetur ſpiritus, conſideremus.

Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones, & in ſcandalum.

Menſæ uocabulum maximo eſt uſui in ſcripturis, qua non tantùm cibus & po
tus ſignatur corporeus, quantum aquæ ſapientiæ refectio, Deiq; uerbum, ac in
qua cœleſte diuini guſtus manna ſemper præſtò eſt, lex. Vnde in alio pſalmo ita
de ſe loquitur Vates: Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribu-
lant me. Verùm hæc menſa, is cibus, hoc ſympoſium cùm ſit perfectorum, mun-
di uoluptatibus addictis fit ſæpenumero in laqueum & ruinam, dum lucem quę
paſsim à ſcripturis, tanquam à ſole radij, emicat, tenebras appellant et caliginem.
Quare obcæcati miſeri cùm nihil certi ſuis in conſilijs atque actionibus ſtatuere
B ualeant, huc atq; illuc diſtracti diſsipatiq;, uelut amentes impelluntur: hinc q; illa
potiſsimum, quæ in ſapientioribus plerunq; huius mundi hominibus inſunt ma
la, nempe ambitio, faſtus, ſuperbia, ac iuncta cum Dei neglectu arrogantia, ortũ
habent: quocirca mirum minimè id eſſe debet, ſi ſuis in iudicijs ac diffinitionib.
tanquam cæci oberrant, in ipſoq; hallucinantur meridie: nam menſa iſta facta eſt
illis in laqueum & precipitium. Menſa itaq; duplici illis ratione exitio eſſe ſolet:
aut illa quidem, quæ Dei uerbo ornata eſt: aut illa, quæ epulis & compotationi-
bus onerata, quò prorſus unde gaudium & lætitiam haurire opinantur, mœro-
rem hauriant, luctum, confuſionem: quæ quidem illis ea apta eſt retributio, cu-
ius hîc meminit Chriſtus: Par pari, inquit, redde illis, ô pater: ut qui mihi ſitienti
fel aſpero cõmiſcuere aceto, ita ſuæ illæ delitiæ, atq; oneratæ luxu atq; ambitione
menſæ, ſint eis in perniciem, atq; pro allata mihi amaritudine, in compenſatio-
nem. Huic quidem ſenſui litera quam habet Felix, qui non retributionẽ, ſed paci
fica uertit, inſeruire uidetur. ſic ille: Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, &
pacifica in ſcandalum. hoc eſt, ut ipſe interpretatur, ea quæ ſolent expectare tan-
quam pacifica, reuertantur in offendiculum. Inſuper

Obſcurentur oculi eorum ne uideant, & dorſum eorum ſemper incurua.

Dirarum plena hæc eſt Vatis imprecatio, & prædictio. Siquidem in ſcriptu-
ris, dorſum incuruari, ſeu nutare lumbos, ut hîc legunt Hebræi, eſt falſis depri-
mi doctrinis & opinionibus, in uanitateq; ſenſus ambulare, ut quondam gentes
ambulaſſe queritur Paulus: Hi enim, inquit, tenebris obſcuratum habentes intel
lectum, alienant ſe à uita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem
cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in opera-
tionem immunditiæ omnis in auaritiam. En quomodo miſerrimè iſti omnium
obcæcati incuruatiq;, ſuapte culpa à Deo in omnem tradi uitæ turpitudinem ſi-
nuntur. Putas ne uatem Eſaiam de iſtiuſmodi hominum illuuie, qui Chriſtum
potauerunt, potantq; etiã noſtra ætate poculo amariſsimo & acido, prædixiſſe?

C Excęca, inquit, cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè uideat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat. Dura certè retributio, ſed illis debita, de quibus ſic loquitur Ioannes: Cùm tanta ſigna feciſſet coram eis Ieſus, nō credebant in eum. Quid non cœleſtiū etiamnū conſpicimus ſignorum? quanta beneuolentiæ diuinæ indicia? quanta charitatis? quanta patientiæ? attamen ſua, hæc omnia amoris argumenta, nonnulli ſuperant malitia, atq; in ſceleribus obſtinatione. Quare domine ut meriti ſunt,

Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.

Sit palatium eorum deſolatum, uertit Felix. Omne hîc genus pœnarum illis contingere precatur, cùm Dei indignationem, iræq; furorem in eos effundi rogat, inſtatq;, quò omnimodam intelligamus illorum extinctionē, ne quis ex eorum poſteritate relinquatur, qui illorum ædes inhabitet. Adeò, inquit, eos, eorumq; progeniē funditus dele, ut illorum prorſus ſolitariæ reddantur domus, & palatia, palatia (inquā) tanta cum pauperū ruina & calamitate ſtructa. Huic adſtipulatur uaticinio Seruator, qui ex calamitatibus illis, quæ ſanctæ obuenturæ erant ciuitati, deterreri cupiens Iudæos, terrificum illud protulit dicens: Ecce relinquetur domus ueſtra deſerta. Vis ne quis ſit furoris domini effectus non neſcire? audi quid in Vate illo commineturr: Ecce, inquit, furor meus & indignatio mea conflatur ſuper locum iſtum, ſuper uiros, & ſuper iumenta, & ſuper lignum regionis, & ſuper fruges terræ, & ſuccendetur, & non extinguetur. Alio item in pſalmo ſic orat Vates: Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: hoc eſt, adeò omnem tuam effuſè in eos euome indignationem, ut nihil, quemadmodum in uaſe funditus euerſo fit, reliquum remaneat.

Quoniam quem tu percuſsiſti perſequuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerū meorū addiderunt.

D Subdubius huiuſce uerſus eſt ſenſus, propter lectionis uarietatem. Felix, Et ſuper dolorem uulneratorū tuorum narrabunt, tranſtulit. Idem fermè cæteri ex Hebræo: cuius is ſenſus uidetur eſſe, quòd nefandiſsimi illi ad tantam animi deuenere immanitatē, ut cum deriſione & gaudio, de illis qui propter Deum uulnerati fuere & afflicti, mutuò cōmentantes enarrauerint. Siquidē piorū pœnis quamlibet acerbis, nunquam ſatiantur improbi: nihilq; iucundius in uita ducūt, quàm probitatis ſtudioſos moleſtijs excruciari cernere. Vnde ſic Paraphraſtes: Quem tu percuſſeras ipſi perſequebantur, & grauitatem uulnerum, quibus tu uulneraueras me, aliis cum uoluptate narrabant. Alij uerò Kimhi Hebræum ſequuti, illum habere ſenſum opinantur, quem uerſus ille alterius pſalmi habere uidetur: Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum: hoc eſt, derelictum à Deo inſectamini. Obſequium id ingens erit Deo & religioſum, ſi uulnera uulnerato, moleſtiasq; moleſtijs illi addiderimus. Quàm iucundum profectò id eſt, noſtrū uidere hoſtem à Deo percuſſum, fugatum, afflictum. Ita cum riſu ſuam inter ſeſe exponunt animi ſæuitiam in illum, quem deſtitutum à Deo arbitrantur. Sed errant improuidi: ſiquidem integerrimos quoſq; uiros à Deo tum percuti exiſtimamus, cùm tandiu cum mala cōflictare fortuna ſinuntur, quatenus ad melioris uitæ uſum collimentur, perficianturq; in illo, ad quem utiq; nullo alio itineris genere, præterquàm crucis, peruenire poſſe arbitrantur, atq; ita eſſe triumphant. Verùm inexpiabile fermè ab illis committitur ſcelus & flagitium, qui ſic quaſſatum è manu Dei calamum, quod uetat fieri ſpiritus, conterūt. Quid tali monſtro inhumanius? At tu domine completis iam tandem Amorrhæorū iniquitatibus, ſimul ut ſe à uulgo ignorari opinantur,

Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam. Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.

Hic quidem eſt finis illorū, qui Chriſtum in electis amaro potant felle. quæ ſanè crudelitas etiamnū à Chriſto immortali iam facto, dirior, magisq; amara ducitur,

A citur, quàm illa tum fuit aceti potio, quam ſibi in cruce penè exanimato, à minus quàm hi ſunt impijs porrigi ſenſit Iudæis. Ne igitur impuriſſimi iſti diutius, mi Deus, in te debacchentur nebulones, bonorumq; ſuorum omnium cùm naturæ, tum rationis & ingenij ridiculè aſoti, ſine eos labi de ſcelere in ſcelus, de iniquita te in iniquitatem: atq; ita à tua excluſi iuſtitia, quam fidem eſſe non ambigimus, de uitæ libro, in quo ſaluandorum duntaxat numerus aureis indelebilibusq; inſcriptus eſt literis, expungantur. Librum hîc uitæ, ſeu uiuentium, breuiter, ne fuſius quàm par eſt diuagetur oratio, æternum Dei eſt propoſitum, quo uocatio ſimul & iuſtificatio connixæ eam in nobis excitant cognitionem, è qua noſtræ animatæ mentes, illud perſuaſum habent, quòd quos ſemel præſciuit Deus, hos & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij Dei. Quæ ſanè indelebilis eſt ſaluandorum conſcriptio in Dei libro, ex quo impoſsibile eſt expũgi obliterariq; illius nomen, qui ſemel digito Dei ſcriptus eſt. Quocirca Chriſtus diſcipulorum animis certam ſalutis perſuaſionẽ infigi cupiens, aiebat: Gaudete, quia nomina ueſtra ſcripta ſunt in cœlis: hoc eſt, gaudete, quoniam certiſsima ueſtra eſt ſalus. Quòd uerò reprobi de feliciſsimo illo codice deleri dicãtur, eum habet ſenſum, quem cautè admodum ſubiunxit uates: Et cum iuſtis, inquit, non ſcribantur. ut omnino idem ſit, impios è libro uitæ tolli, quod, cum iuſtis non ſcribi. Dele, inquit, eos de libro uitæ, facq; cum iuſtis haudquaquam ſcriptos eſſe cognoſci, idcirco tanquã ſua ſponte perditos & deploratos ab omnibus uitari. Sic quidam: Hi, ait, facilè ex uerbis & factis ſe nõ eſſe adſcriptos in librum prædeſtinatorum ad uitam, declarant, quandoquidem uocationis ſuæ & iuſtificationis ſigna non apparent. Puto quidem de his dici, qui nullo ſtimulo aut futuri iudicij, aut conſcientia propria deterriti, ſemper mali ſunt. Ego autẽ (ut quis ſim ingenuè fatear, non enim crucis ignominiam erubeſco)

B *Ego, inquam, ſum pauper & dolens, ſalus tua Deus ſuſcepit me.*

En quò traxit uniuerſorum dominum pro te, ô homo, charitas & beneuolentia. Nihil unquam tam cõmiſeratione dignum uiſum eſt, quàm pauper & ęrumnoſus ab omnibus calcari. Sic fuit Chriſtus in terris, ſic uixit, ſic tales adamauit Rex regum delicias. Vt igitur deſolatum ſeruum ad ſeſe traheret, feliciſsimaq; æternorum bonorum ditaret copia, ſe eiuſdem fuiſſe ſortis cum illo prædicat dicens: Ego pauper factus ſum, ut tu, ego dolens, ego imbecillis, ego ille, cuius anima triſtis facta eſt uſq; ad mortem. Sed te omnium ingratiſsimũ merito perfidiæ damnare poſſem: nam ſi quempiam ſaltem circunſpiciens condolentem uidere cupio expectoq;, nemo homo eſt: ſi conſolatorem, tantundem. O ingratum hominem: ſiccine meum mihi rebelle factum eſt figmentum? nulla'ne in terris relicta eſt charitas? O principes, ô ſynagogæ proceres & optimates, ſemper'ne ueſtro à cõſpectu lacera inauditaq; exibit innocentia? ſemper'ne irriſioni uobis erit pauper, miſer, dolens? Non eſt qui audiat, nõ eſt qui uel oculum uertat, etſi laborauerim clamans, raucæq; factæ ſint fauces meæ. Me certè inſipientem, qui cautes aut rupes ad cõmiſerationem flecti poſſe arbitratus ſum. In te igitur, ô uere, puriſsime, amoriſq; inexhauſti & charitatis altor peruigil & indefeſſe, meũ omne ſit perfugium & ſolatium, poſtquam ſurdi facti ſunt homines, & illi quidem (malùm) è quorum uiſceribus, ob religionis umbram, ſub qua lautè pollucibiliterq; otiantur, ſummam expectari par fuerat clementiam & humanitatem. Verumenimuero quid fruſtra præſtolor? En iam ſalus tua ô Deus, non tua ô homo, ſuſcepit me, amplexataq; eſt ærumnoſum. Quare

Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.

Solennis eſt Vati conſuetudo & mos, ut enarratis longis quaſi periodis Dei tum in ſe, tum in omnes generatim uita integros beneficijs, pſalmũ diuinis cõcludat laudibus, ut in hoc uidere poſſumus. Ob reportatã, inquit, ſalutem, ſpiritualibus hinc inde reſonantibus gratiarum actionũ cantícis, illum magnum, immenſum, ſuperq; laudem omnem ſuperiorem & excelſum, prædicabo. Gratius id qui

C dem erit Deo, quàm si bouem obtulero, aut uitulo cornua producente & ungulas, litauero. Sic noster interpres:

Et placebit Deo super vitulum nouellum cornua producentem & vngulas.

Non uitulum nouellum legunt Hebræi, sed, bouem & uitulum. Asserit enim (quò piam Euangelij cõsiderare queas imaginem) ardens Dei laudandi studiũ, sacrificijs illis antiquis longè præstare, proindeq; diuino gratius esse conspectui. Atqui sententiæ istiusmodi Vatis diuus succinens Augustinus, sic ait: Sacrificiũ laudis gratius erit, quàm sacrificiũ uituli. Alius rursum ex nostris: Laus puri cordis plus placet, quàm mactatio pecudũ. Quocirca Christus huiuscemodi cruentum sacrificandi ritum abolendum esse sciens, sic apud Samaritas mulierem futuræ ex gentibus Ecclesiæ effigiem adumbrantem alloquitur: Venit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabũt patrem in spiritu & ueritate: nam & pater tales quærit, qui se adorent. En quomodo tantus sacrificãdi labor & sudor, in tantillum animi candorem & puritatem desijt. Vitulum cornua producentẽ & ungulas, seu, cornutum & ungulatũ, ut uertunt nonnulli, uitulum appellat selectũ robustumq;, atq; subinde (modò per latos allegoriarũ campos spatiari haudquaquã animus est) idoneum ad sacrificium. Cùm itaq; nudus æterno patri gratus sit animus, hoc est, à mundi amore atq; crassitie penitus abhorrens, atq; eorum quę ad carnem spectant, planè indigus,

Videant pauperes & lætentur: quærite Deum, & viuet anima vestra.

O uos (inquit Christus) qui mecum in curriculo hoc uitæ miserando permansistis in tentatione, quiq; mundo infensi estis, & odiosi: uos qui ditissimã illam, quæ in spiritu est, elegistis pauperiem, qui neglecti, qui irrisi, qui desolati, uitam meæ haud absimilem agitis: uos dico, quibus oculi dati sunt ut uideant, uidete quid mihi gloriæ per tentationum laborem paratum sit à patre meo: uidete per me, quò uobis eundum sit. Non me quidem unquam pater in ærumnis deseruit:
D ita neq; uos, quos mecum per gratiam unum esse uoluit, deseret. Videte, perpendite, contemplamini, quærite uia fidei Deũ, quæ uita est animæ: quo sanè inuento, ea uiuetis uita, quæ abscondita est in illo, proinde illis tantũmodo cognita & parata, qui tametsi in mundo sunt, de mundo tamen non sunt. Ne uereamini,

Quoniam exaudiuit pauperes dominus, & vinctos suos non despexit.

Id nimirũ benignitatis indicium in Deo nouum non est: siquidem uel ab ipso primo mundanæ pulchritudinis initio semper exaudiuit pauperes: & uinctos suos, hoc est, sub impiorum potestate & tyrannide, illius ob nomen detentos & pressos, non despexit, sed benignissimè exemit. Propterea

Laudent illum cœli & terra, mare, & omnia reptilia in eis.

Soluto quidem à catenis cùm peccati, tum mortis, homine per Christum, quibus miserandum in modum uinctus tenebatur, non solùm ipse, atq; illius custodes angeli, tam amplum mortalium generi congratulari debent beneficiũ ac donum, uerumetiã condita omnia, quę corruptioni obnoxia, ut inquit Paulus, ingemiscunt adhuc expectantia redemptionẽ filiorũ Dei, quæ est Ecclesia per Christi sanguinẽ acquisita: cuius imaginẽ à Vate hîc in spiritu præuisam fuisse persuasum habeo. Vidit enim uir sanctus affore aliquãdo, quòd diuini uerbi semen per uniuersas latè orbis regiones spargendum esset, quibus imbre spiritus fœcundatis, atq; in uariam pulcherrimãq; frugum copiam erumpentibus, is nasceretur orbis decor & elegantia (hęc est fides) qua nixa Ecclesia, ex uario confusoq; & dissipato mortalium concursu, quæ tamen una esset Dei sponsa, formaretur. Idcirco quòd diuini muneris excellentia profundiori considararetur sensu, & cœlestia, & terrena, & quæ maximis ornata sunt insulis, maritima, ad supernas cognoscendas laudãdasq; operationes inuitat. Laudent, inquit, illum cœli, laudet terra, laudent maria omnia, & quæcunq; in eis natant, ac uiuunt.

Quoniam Deus saluam faciet Sion, & ædificabuntur ciuitates Iudæ, & inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam.

Ecce

A Ecce palàm Eccleſiam, magni nimirũ Dei ſpeculatricem, ſaluatum iri prædicit, templaq́ erigenda. templa autem & ciuitates, imò uerò ipſas potius integras regiones, uiuis mœnibus & parietibus exædificandas. Clamat Eſaias: Aedificabunt filij peregrinorũ muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi. Muri itaque Eccleſiæ, ſanctorum ſunt animæ: ne tu aliquando baptiſmi ſpe ſolùm tumidus, aut ordinum & tonſuræ prærogatiua elatus, te ad Eccleſiæ ſtructuram abſq́ ſanctitate pertinere ſomnies. Putamus ne Apoſtolum temerè atq́ imprudenter illud Epheſijs indicaſſe: Eſtote, inquit, imitatores Dei ſicut filij chariſsimi. Atqui illud ſanè tunc Paulum ſpectaſſe arbitror, quod à ſapientiſsimo Eccleſiæ ſuæ architecto dictum audierat: Eſtote, ait, perfecti, ſicut pater ueſter cœleſtis perfectus eſt. Iam quid hîc non diuidunt de perfectionũ gradibus diuiſores rerum acutiſsimi? Diuiſiones certè, atq́ in diffiniendis rebus ſacris partitiones non reprehendimus: ſed eouſq́ tamẽ, ne inconſutilis Chriſti tunica turpiſsimis pateat ſciſſuris. Illud tantùm dicam, perfectionem iuſſam eſſe Chriſtianis à Chriſto, quando dixit, Eſtote perfecti. Diuidant modò ut lubet perfectionem, atq́ in fruſta ſecent qui uolunt: is finis eſt noſter. Qualis uerò haberi poſsit in hoc mundo, aut quæ ſint ea, quæ ad aſſequendam iſtiuſmodi perfectionẽ, propter quam Dei imitatores efficimur ſicut filij chariſsimi, ſi interrogor, dico fidei eſſe atq́ dilectionis unitatem, quibus quidem tanquam columnis ac fundamento, ſuſtentata Eccleſia, mirabilem cœleſtium rerum guſtum, quæ eſt Dei hæreditas, ac poſt puluerulentum uitæ huius curſum & laborem, retributio, etiam in terris (res mira) præguſtat hauritq́ in Deo. Quare à conſueta mentis fiducia minimè diſcedens Vates, intulit: Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam.

Et ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam: & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

Omnes enim, quotquot diuinæ conſecrati ſumus religioni & cultui, qui mun
B diſsimus eſſe debet, ſpeciali prærogatiua Dei ſerui nuncupamur: alioquin omnia ſeruiunt illi. Verùm ardentiori qui uixerunt fide, ut ſanctiſsimi fuere Apoſtoli, atq́ etiam modò, ſi qui ſunt qui idem cum ipſis ſeruant tum uitæ, tum fidei inſtitutum, præter ſeruitutis appellationẽ, amicorum quoq́ nomine feliciſsimè dignantur. Horum itaq́, illi qui credunt Euangelio, quiq́ abiectis uarijs peregriniſq́, ut eas uocat Paulus, & doctrinis, & perſuaſionibus, uni adhæreſcunt Deo, ſemen & filij meritò dicuntur, nempe ex illorum labore & prædicatione in ſpiritu prognati. Ac ne diutius in diſcernendis Dei ſeruis quiſpiam occuparetur, additum eſt illicò: Qui diligunt nomen eius, hoc eſt, qui Dei nomen atq́ honorem unicè & caſtè ſupra omnem alium amorem, & amant, & colunt. Amor igitur uia ea eſt rara, qua ad Deum itur, qui finis animarũ eſt, ac ſumma felicitas: ad quem qui ſemel ingreſsi fuerint, perenni cum eo cõmorabuntur quiete & beatitudine. Cui honor ſit perennis, ac laus in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LXX. Pſalmus Dauid ad reminiſcendum.

Deus in adiutorium meum intende.

Inſcriptio huius pſalmi atq́ argumentum, cùm idem omnino ſit cum inſcriptione & argumento quadrageſimi pſalmi, à quintodecimo uerſu exordium ſumendo, ſuperuacaneum uidetur eandem cùm tituli tum argumenti ſententiam atq́ pſalmi expoſitionẽ repetere. Tantùm illud dicam, non poſſe animum in Dei religione enutritũ non dolere & ingemiſcere, cùm quàm fœdè olim prolapſus ſit, labaturq́ continuè à uia iuſtitiæ, atqueadeo à Deo, in turpiſsimas impuritatis lacunas, reminiſcitur. Quid cùm recolit immenſa Dei beneficia in ſe collata? contraq́ ſuas in Deum offenſiones, atq́ ingratiſsimam pro meritis compenſationem? heu quanta illi lachrymarũ offertur occaſio, quanta ſuſpiriorum, quanta gemituum? Flet igitur ſuam ingratitudinem, flet amiſſam gratiam. Flet etiam idcirco, quoniam quantũ par eſt, flere ſe haudquaquã poſſe conſpicit. Ad hæc, putásne illum, qui in maximis, & his quidem continuis, ut ea eſt uitæ huius

C conditio, ſe prouolutum periculis intuetur, poſſe abſq; animi trepidatione miſerrimum hunc uitæ ſtatum tranſigere? Si tranſigit, aut inſanus omnino eſt, aut à Dei luce deſtitutus. Aiunt enim ex antiquioribus quidam, pſalmum hunc tanquam quadrageſimi epilogum à Vate frequentatum, utpote qui ſuarum crebrò culparum reminiſcens, futura non minus extimeſceret pericula, quàm præterita nõ ſatis cautè præuiderat. Hinc, credo, uſitatus ille demanauit mos & ritus apud clericos, ut quoties laudum una, quæ quotidie ſeptenario replicantur numero, incœptanda erit, toties pſalmi huius initiũ uſurpent. Sapienter id quidem: nam diuino impetrato ſubſidio, cuncta quæ uel agere, uel orare inſtituerit Chriſtianus, optimè ſuccedere neceſſarium erit. Verùm illud interim non ambigendum, diuinam nulli unquam iſtiuſmodi contigiſſe gratiam atq; opem, niſi cui pura eſſet mens, ſedatus q; animus, ac à turbis ſemotus. Iam illud quoq; notandum, quartum uerſum, qui tertius Hebræis eſt, ſic à Felice legi: Reuertantur ſuper ueſtigia confuſionis eorum, qui dicũt, Euge, Euge: id eſt, qui me odio perſequunt, obſeruantq;, quò meum uulgò traducant nomen, famamq; cõmaculent & uitam: uerùm impuriſſimi utilitigatores in idem ipſum proruant infamiæ, & confuſionis damnum, quod mihi inferre moliuntur: atq; hoc ſanè modo, in execrandis confuſionis eorum ueſtigijs, tanquam ſues in uolutabro uoluantur, reuoluanturq; inquinatiſſimi. Porrò Euge dictio, exultantium uox eſt, & maximo geſtientium plauſu. Alij ex Hebræo uertunt, uah, quæ uox eſt inſultantis. Nonnullis etiam Euax ſignificantius uerti poſſe arbitrati ſunt, quę dictio tamen eiuſdem fermè eſt ſignificati, cuius eſt Euge. Quicquid ex his uerteris, procacem ſeditioſorũ impudentiam & inſultationem in proſtratam oſtendit innocentiã: à quibus tanquam letalib. Ceraſtæ cornibus, aut Dipſadis morſu, nos, qui libenter improbis odioſi ſumus, eximat Chriſtus: cui cum patre ſit laus perennis. Amen.

PSALMVS LXXI.

D *IN te domine ſperaui, non confundar in æternum.*

Neq; à diuo Hieronymo, neq; à cæteris, quòd ſciam, Hebræorum interpretibus aliquis huic pſalmo inſcribitur titulus: quem autem in latinis codicibus à Græcis abſq; dubio ſumptum legimus, inter ſomnia ponendum eſſe quis non iudicet? Somnijs igitur omiſsis, quæ in pſalmis requiri oporteat, uenerabundi inueſtigemus. Pſalmi huius argumentũ cum multis cõmune eſſe perſpicuum eſt: ſed cum illo maximè, cuius initium eiſdem planè conſtat cùm uerbis, tum maxima ex parte ſententijs, ac ſenſis. Tametſi enim in nonnullis uocum duntaxat uarietate diſcrepare uidentur, eandem tamen referunt intelligentiam. Illud compertiſsimũ, Vatem tanquã Chriſti typum, uenturas contra Eccleſiam ſuis præſentibus eũnis pręſagijſſe, deploraſſeq; iniurias & perſequutiones: ſubindeq; diuinam ſibi precationibus conciliaſſe beneuolentiam, opemq; ſpe fultum oraſſe, ac tandem, ut flagrantiſsimo erat ſpiritu, exoraſſe, atq; proinde laudum uota Deo ipſi liberatori nuncupaſſe. Sed ſuo in primis more à ſpe ſuam auſpicaẽ orationẽ, utpote totius perfectionis animę neruo & robore. Alioqui certè parte hac ab anima illa maximè remota, cui id eſt propoſitũ, ne turpe aliquod cũ mundo fœdus ineat, idcirco maximis eam affici incõmodis atq; iniurijs oportere, totum illud ſuum conſiliũ uanum eſſet, prorſusq; imbecille, & nihili. Ait igit:

In te domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me, & eripe me.

Ne ſinas, inquit, ſpem quam in te collocaui, ſuo fruſtrari fine. Non, oro, tanq; res uilis, tibiq; odioſa, tuo à conſpectu confuſus abigar: quin potius propter tuã, qua perfectiſsimè bonus es & miſericors, me à malis exime, iuſtitiam.

Inclina ad me aurem tuam, & ſalua me.

De hoc loquendi tropo, quo proceræ qui ſunt ſtaturæ, ſe, ut commodius illos audiant qui ſummiſsè, uoceq; loquuntur tenui, incuruant, in pſalmo ſuprà memorato abundè eſt dictum. Inſignis quippe illa eſt laus in Principe, cùm ipſos quoque publicos onerarios, qui ſe alloqui cupiunt, non auerſatur baiulos. Publica

A blica quædam res eſt Princeps, qui expoſitus cùm ſit omnibus, tanquam in teris Deus eſt. Deo autem quid cõmunius? quid magis cunctis obuium? An uerò delicati iſti noſtrates Principes & Prælati, qui nihil tam refugiunt, quàm ſubdito rum congreſſum & cõmodum, nihilq; tam impenſè amant, quàm carnis commoda & delicias, ſuum ut decet peragant munus & officium, ſciunt hi, qui ne plerunque faſtidioſos illorum mores, mollemq; animum & effœminatũ offendant, cum illis congredi non audent: idcirco maximis interdum à magiſtratibus afficiuntur damnis & iniurijs. Non uult (inquit à cubiculo puer) curis onerari dominus, quieſcit, cum uxore iocatur, ludit. Turpe id prorſus, atq; in ſui domini contumeliam dictum. Hunc itaq; molliſsimũ obiter carpens morem Propheta, à Deo, nempe uirtutum omnium exemplari, facilitatem illam quæ in ſapienti principe eſſe debet, exorare nititur. Inclina, inquit, ô tu qui altiſsimus es, ad me, paruiſsimæ qui ſum ſtaturæ, aurem tuam, & ſerua me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt ſaluum me facias: quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.

Vt ſaluum me facias, Hebræis eſt, mandaſti ut ſeruares me: nam petra mea & arx mea es tu. Vnde Paraphraſtes ſic liberius rem tranſtulit: Sis mihi inſtar rupis munitiſsimæ. Cauſam uerò? ut iugiter tutò obambulare poſsim: decreuiſti enim ſeruare me, cùm petra mea ſis, & munitio mea. En quàm facilem & populare ſe præbet Deus inuocatus. Putásne forſan altiſsimum, unum è noſtratibus eſſe paſtoribus & magiſtratibus, qui uim totam ſuæ magnitudinis in eo poſitam uideri uolunt, ut grandes ſolummodo appareant, & incircumſcripti? Quis ex illis, qui graciliori ſunt animo & timido, tam uaſtã molem alloqui unquã tentaret? Iam illud permultis dignum uidetur lachrymis, cùm illi, à quibus tutelam ſperare debent homines, & defenſionem, ſuis referunt ciuibus exitium. Nónne cùm audis
B à uate dici, Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, ut ſaluum me facias, id cuilibet ex primatibus ab unoquoq; noſtrũm dici poſſe tibi uidetur? Eſto mihi, inquit, in Deum protectorẽ: non in lupum, non in laniũ, non in hominem natura iniurium, contumelioſum, deſtructorem. Et in locum munitum, non in locum ruinæ, in locum inſtabilem, deciduum, periculoſum. Vt ſaluum me facias, non ut perdas, non ut mactes, non ut ueteratoriè crimineris, traducasq;, atq; humi figas. Quid? ſurdis' ne à ſpiritu canitur? Canit quidem: idcirco ad te, ô qui licet in excelſis habitas, debilia tamen & caduca nõ aſpernaris, confugio. Quare

Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui. Quoniã tu es patientia mea domine, domine ſpes mea à iuuentute mea.

Iniqui, Hebræi legunt uiolenti. Dictionem uerò, legem, necq; græci necq; hebræi codices habent, ſed ſimpliciter ab utriſq; redditur, de manu peruerſi, ſeu, agentis iniqua. Quoquo modo uerti literam contingat, extremã quorundam improbitatẽ intelligi uult Vates: & eſt numerus pro numero, ut eſt uſitatus loquendi modus, apud Prophetas maximè: niſi inſignem malis ſceleſtum quempiã intelligere, ſibi cæteris infenſiorem, latenter pungi à Vate: quod ſanè ueriſimile uideẽ. Achitophelem hunc fuiſſe arbitror, ſeu Idumęũ illum proditorẽ Doëch: alterius enim proditione & dolo nihil nõ egit rex, quò Dauid tandem poſt exilium, diutinamq; in cõfragoſis montiũ locis atq; antris fugã, interficeret: alterius uerò conſilio filius ipſe, regnandi cupiditate. Vide quò interdũ sæuitię prolabatur peruerſarum mentiũ rabies atq; ira, ut nõ tantũ principes, aut ex primatibus leuiori qui ſunt animo furere, atq; in ciues ipſos innocuos inſanire faciãt, ſed & ipſos quoq; liberos, tanto cũ uitę incõmodo & labore educatos, in parẽtes inſtigare audeãt. An uerò Doëch perfidia, aut Achitophelis aſtutia, uel Iudæ etiam Iſcariotis auaritia reprehendenda fuerint magis, q; principũ illorum & ſacerdotum leuitas, ac iuncta cum inuidia crudelitas, nõ audeo definire, ne uetera illa cõminiſcens, præſentia taxare uoluiſſe me arguãt hi, qui utriuſq; partis munus diligentiſsimè actitare ſoliti ſunt, mimi nimirũ in hac miſeranda uitę tragœdia, & frequentiſsimi, &

C acuti, & qui ſignificantiſsimis notantur hîc uocibus, uiolentiæ ſcilicet & iniquitatis. & eſt ſenſus, ut elegantiſsimè illum exprimit Paraphraſtes: Mi Deus, inquit, eripe meà tyrannide impij, è manu iniqua agentis, & uiolenti, quia tu fuiſti ſemper ſpes mea domine Deus, & fiducia mea ab ipſa infantia uſq; in ætatem hanc.

In te confirmatus ſum ex ventro, de ventre matris meæ tu es protector meus.

Hæc ferè omnia in pſalmo uigeſimoſecundo explicuimus: id tantum replicare non grauabor, quòd mirum in modum mortalium ſubleuatur miſeria, ſi ſe quilibet Deo, etiam in ipſis materni uteri latibulis, curæ fuiſſe ſibi perſuaſerit. Sed illud non omittendum, principium ſequentis uerſus huic Hebræis finem eſſe. quare ſic Fel. De inteſtinis matris meæ tu extrahes me, in te laus mea ſemper. Alius idem ex eodem riuo: Tu de uiſceribus matris meæ ſecreuiſti me, hinc omnem laudem de te conſummo. Maximopere quidem animo minimè ingrato delectatur Deus. Quocirca quid tum Deo, tum hominibus poteſt eſſe iucundius, quàm anima in referendis beneficijs, aut ſaltē in habenda gratia liberalis & prompta? Atqui hinc generoſum quoddam oriri ſolet deſiderium, ac compenſandi amici meritum, uoluntas, ſed in primis Dei, qui cùm donorum uaſtum quoddam ſit pelagus, cæteri latentes uix tubuli ſunt & cuniculi. Quare cùm in donorū exhibitione nulla ſit inter Deum & homines proportio: illud tamen, ut ſuum propriū, gratus ſibi arrogat animus, ut quicquid eſt, id totum eſſe Dei laudem, atq; illius nominis celebritatem cupiat, perficiatq;, ſi poteſt: quando quidem laus, qua diuina delectatur maieſtas, non tantum ore fit, quantum perpetuo purgatę uitæ tenore atq; inſtituto, licet is mutus omnino ſit qui laudat. Verùm noſter interpres ſic integrum reddit uerſum:

In te cantatio mea ſemper, tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis.

Tu fiducia mea fortis, uertit Fel. qui & ſe ipſe exponens infert: Super te ſuſtentatus ſum, ueluti nimirum paries cratitius ruinoſus, aut uitis decidua, quæ robu-
D ſtis fulcitur pedamentis ac fulcris. Tanquam prodigium, inuſitatumq; portentū, ſemper in terris uiſa eſt perfectorum uita, quemadmodū fuit Chriſti: ideo à mundanarum rerum amantioribus oſtentui habita & irriſioni. Vnde non abre clamat Paulus, ſe factum eſſe cum ſuis ſpectaculum mundo, & angelis & hominibus. Nos, inquit, ſtulti propter Chriſtum. En quomodo piorum ſapientia, tanquam ſtultitia à mundo exiſtimetur. Mirantur ſanè improbi, & qui tam fœdè pertinaciterq; in peccatis induruere, ut planè illis impoſsibile uideatur, mortalem in terris hominē & fragilem, ſe poſſe diutius à carnis inquinamento temperare. Excellentiſsimū id eſt uitæ genus. Conſentaneū quippe eſt, ut nitidum miretur læuorem in unione porcus, hoc eſt, auarus, libidinoſus, intemperans, ſuperbus, ambitioſus, propino, aſotus, candidam probi uiri uitam, nempe liberalem, apertam, pudicam, continentem, humilem, humanæ gloriæ contemptricem, ac bene ſobriam, non tanquā rem honore dignam, ſed uti ſui diſsimilem tum admirantur, proq; inſolito habent prodigio, tum criminantur, peſsimisq; inceſſunt contumelijs & maledictis: ut puriſsimæ uitæ Chriſti contigiſſe legimus, qui alio in pſalmo ſic de ſe loquitur: Omnes uidentes me deriſerunt me: hîc uerò, tanquam rem prorſus prodigioſam, fugerunt me quamplurimi. Verùm tu Deus firmiſsimo me ſpei communiuiſti ſolatio, quare

Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam.

Aptiſsimè Repleatur huc uerbum attexitur, quò redundans laudandi Dei ſtudium intelligamus. Vnde ſic Paraphraſtes: Pleno ore laudabo te, & omni tempore maieſtatem tuam cantabo. Magnitudinem tuam, puto additum à Grę cis uberioris intelligentiæ cauſa: alioqui ſimpliciter uertendum erat, ut uertit Felix: Replebitur os meum laude tua, tota die laude tua. Volunt, inquit, aduerſarij, diriq; crucis hoſtes, ut tuas ad laudes obmuteſcam, ceſſemq; à ſacro ſancti tui uerbi confeſsione, ac uitæ integritate, quæ præcipua tui honoris laus eſt & celebritas. Tu contrà, os meum, ob id nimirum mihi datum, ut tuum laudibus efferam nomen & cultum, ui adimple fidei, atque eo ardoris ambure incendio,

A incendio, ut plenissima atq; imperterrita te confiteaꝰ uoce, subindeq; inclamet,

Ne proijcias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Parum id quidem esset, in utero quempiam materno absq; naturæ uitio concep tum, in lucem feliciter edi, atq;, ut de se in superioribus testatus est Vates, lubrica transcursa adolescentia, uirilem sub Dei custodia attigisse ætatem, si eo maximè tempore, quo pacatius tranquilliusq; uiuendum est, quod & proprium sibi senilis ætas uindicat, in ærumnis bellorumq; tumultibus uiuere illi contingat, atq; fœdioribus plerunq; coinquinetur uitijs & peccatis, quàm cum feruida esset ætate. A Deo itaq; petendum erit, ne suam illam felicissimā erga omnes protectionē, quæ nemini nisi uolenti, ulla unquā deest ætate, grandæuis iam factis subtrahat: nam nihil potest esse turpius sene intēperato, atq; illo quidē qui in his uersatur, quæ in iuuene reprehendenda omnino sunt, & execranda. Ita sanè nihil unquam salubrius delectabiliusq; in rebus tum publicis tum priuatis expertus est orbis, sene uiuido, perspicaci, atq; rebus in agendis temperato, prudenti, & religioso. Verùm illud dubium, an Christus, qui iuuenili fermè decessit ętate, se à patre senectutis tempore seruari ritè petierit. Hîc mihi firmam Ecclesiæ fidem intuere: quando quidē Christum pro senescente ecclesia, in qua periclitatura fermè erat charitas, hoc est, uis omnis uitæ & salutis, orasse patrem credimus. An uerò in illud modò peruentum sit uitæ genus, è quo iratę excesserint uirtutes, consenuerit fides, ac penè exoleuerit Dei religio, qui purgatiori sunt iudicio, & uident, & se in id ætatis incidisse lamentantur, in qua tutissimo debacchanꝰ imperio luxus & ambitio. Orat hîc igitur Christus pro sponsa in hunc ferè modum: Ne meam, oro, contemnas senectutem, ô Deus: scio equidem aucta omnia consumi atq; denasci: sed in his tantummodo quæ ad corpus spectant: cętera uerò quę fidei robore connituntur, repubescere indies magis necesse est, & renouari. Quocirca cùm
B ob diras diutinasq; improborū iniurias, meos affligi destituiq; uiribus cōtigerit, ne tunc me, quæso, hoc est, illos, quos ut mei essent, sanctissimo tuo attraxisti spiritu, proijcias, longeq; à te propellas.

Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animā meam consilium fecerunt in vnū, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.

Dixerunt mihi, idem est quod, de me conspirantes loquuti sunt. Qui rogo? hi nempe, qui meę insidiantes uitæ, quicquidúe ago obseruantes, facta inter sese cō iuratione consultauerunt, dicentes: Abiecit eum Deus, quò se uertet miser? En apta perdendi illum occasio. Ipse enim cùm imbecillis sit ex sese, ab amicis uerò derelictus, infensus omnibus, grauis, atqueadeo tandem ab uniuersis destitutus, quid, quo minus tam debile confringi queat uas, obstare poterit? Eum, eum, inquā, ô qui impudentiores estis, persequimini, instate, atq; usq; eò urgete, ut comprehendatis: nam qui illum nostra è manu eximat, inuenitur nullus. Heu perfidorum insaniam. Censendum' ne est, amantissimos liberorū parentes mœstos teneri infantis non audire uagitus? non lachrymas? non clamores? Quàm propensiori certè affectu in nos diuina mouetur clemētia, quàm solet in filios nutrix anxia, aut mater. Verùm utcunq; sua in impietate perdurent impij,

Tu Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum respice.

Frequentia quidē iniuriarū, simul & periculorū instantia, huiuscemodi rogandi Deum in anima párere studiū cōsueuit. Deus, inquit, ne elongeris à me. Vidisti' ne unquam hominē malo aliquo exitiali affectū? nō contentus is quidem semel atq; iterū cum medico, ut fit, colloqui, atq; ab eo uisitari, rogat ne se unquam deserat, ne discedat, imò ut præsens corà m adsit continuè. Vides anxium in ęgrotante membris studiū? quid si animo? quid si sordida atq; æstuanti, tanq; febre, torquet conscientia? Ni prorsus quidē in malis induruerit, decreueritq; tanq; phreneticus non admittere curationē, apud diuinā instabit clementiam, rogabitq; & lachrymis & suspirijs, dicens: Deus ne elongeris à me: Deus in auxilium meum respice, festina, atq; miserè ægrotantem inuise. E contrario autem,

C *Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ: operiantur confusione & pudore, qui quærunt mala mihi.*

Ecce morbus ille, cuius ui maximè atq; incendio, infirma adhuc in fide anima conficitur: nempe detractoris rabies, & uirulentia. Quid non perturbat inquietissimum istuc oblocutorum genus? Hebræi tamen non detrahentes, sed aduersantes animæ meæ, reddunt. Verbum item, deficiant, consumentur transferunt. Idem Symmachus. Quare is erit sensus, ut reddit Paraphrastes: Pudefiant & absumantur qui aduersantur mihi. Qui uerò hi sint, qui facilè probis aduersantur, sequenti explicant hemistichio: Qui quærunt mala mihi. Cæterùm dictio quam noster ferè uertit interpres, reuerentiã, tum Græcis tum Hebræis est pudor, ignominia, confusio, seu ut habet Campensis, infamia. Illi, inquit, me prorsus à uia uitæ, quę ingenua est, libera, atq; honoris plenissima, auertere cõnituntur: tu Deus illos eadem, quam mihi inurere satagunt, infamiæ nota, quæ est, totum te meum bonum amisisse, affice, confundeq; cum ignominia tam turpes illorum ausus, atque in nostram meditata perniciem, quod omnium malorum maximum est, alide consilia: hi enim, qui turpissimus dæmonum atq; perfidiosorũ hominum mos est & consuetudo, quærunt mala mihi: tu contrà, bonum ac uitam, quæ in te est, quaq; beati efficimur, & quære, & elargire. Illi itaq; ut uolunt habeant,

Ego autem semper sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam.

Vide quam suam libenter in Deum spem iactet uir iustus. Iam nõ semel diximus, id potissimum telum esse, quo exterrefacti dæmones in fugam uerti consuescunt. Adeò gratissima Deo semper fuit animæ uirtus ac deliberatio, qua illo tan tũmodo nixa, à nulla alia dependet re quãuis sublimi & diuina. Ego, inquit, meis in periculis & ærumnis non hodie solùm, aut eadem ipsa hora, qua nulla urgeor tentatione, spero: sed semper, sed omni tempore, sed tunc potissimum cùm planè destitutus uideor & neglectus. atq; ita tuis, ut sic dicam, obrutus beneficijs,
D adijciam & ego super omnem laudem tuam: hoc est, ardentiori quàm antehac unquam studio tuis in celebrandis laudibus incumbam. Ita enim hunc uersum interpretantur Hebræi: Augeam, inquiunt, omnem laudem tuam: seu, adijciam ad cunctas laudes tuas. Insuper

Os meum annunciabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum: quoniam non cognoui literaturã.

Hucusq; uersus est Hebræis, licet alijs uerbis, sensuq; alio. Nam dictio, quam noster uertit interpres, literaturam, Hebræis est, numerum. Certè, inquit Felix, non cognoui numerum, nempe laudum. Cæterùm notant quidam dictionem, quoniam, superesse, seu pro certè positam, ut reddi à Felice diximus. Sensus igitur is esto: Mi Deus, os meũ tuam indefesso quotidie studio laudabit, qua summè bonus es, & in omnes beneficus, iustitiam, salutemq; mihi immeritissimo allatam prædicabo: nam tot tuę in me extant benignitatis indicia, ut numerũ ignorem. Alij quoq;, modum uertunt pro numero. Illud planè huius est cõsimile in alio psalmo: Annunciaui, inquit, & loquutus sum, multiplicati sunt super numerum. Quid uerò sibi uelit Græcis in hoc loco πραγματείας, quid ue somnient nonnulli ex huius uocis interpretibus, diligens iudicet lector. Maxima mihi animæ illius in mentem uenit perfectio, quæ diuinis se sentiens, & his frequentissimis ditatam muneribus, obstupescit, seq; idoneam, quæ tam numeroso dono animum mente assequi possit, non arbitratur: contra nimirum quorundam morem, qui cùm humili & abiecto sint animo, non minus summisse strictèq; de cœlestibus cogitare soliti sunt, quàm de terrenis, & illis quidem quæ mundum magis referunt quàm Deum, atq; eius religionem. Et quidem innumerabilia omnino sunt Dei in homines beneficia: idcirco ab his duntaxat cognita, si non numero comprehensa, qui tam excelsa sunt mente, ut omnem mathematicam excedant supputationem: quod proprium diuinæ est naturæ. Quid itaq; hîc aget anima? uide quid consilij capere instituat:

Introibo in potentias domini, domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Scio,

A Scio, ait, tot inter uitæ huius tentamenta, quid me agere deceat. quicquid unquã mihi aggredi erit animus, id Dei fretus uirtute aggrediar: & ſolam, ſolam in quã tuã, ô domine, nõ hominis naturaliter imbecillis atq; impuri, iuſtitiam inuocabo, illiq;, uel totus in me conſpiret mundus, adhærebo. Verbum enim Memorabor, eandem hîc præ ſe ferre ſignificationẽ uidetur, quam alio loco expreſsius magis, & quòd ſic ſe habeat litera, poſuit interpres: Hi, inquit, in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus. Nam illic nonnulli legunt, Et in nomine Dei noſtri memores erimus: hoc eſt, ut interpretatur Felix, clamabimus, ut faciunt bellatores. Quòd ſi tamen memoriæ uerbum hîc commodè poſitum arbitraris, non id quidem inelegãs, ſed mirè aptum. Siquidem à Paraphraſte ſic reddi uideo: In memoriam reuocabo omnibus, & celebrem faciam integritatem tuam, tuam inquam ſolius. Nam tu

Deus docuiſti me à iuuentute mea, & vſq; nunc pronunciabo mirabilia tua.

Cauſam hîc reddit, quamobrem diuinæ haudquaquam immemor iuſtitiæ ac bonitatis eſſe debeat: nempe ob id, quòd qui ab ineunte ſibi ætate nunquam defuerit, ita illum in poſterum nõ defuturum, perſuaſum habet. Vide igitur ſanctæ animæ affectum. Tu Deus, inquit, me à puero, tum dico, quando tam ſuauiſsimũ ignorabam præceptorẽ, uſq; nimirum ad hanc, in qua nunc uiuo, ætatem, miranda illas tuas erga electos operationes, quas caro prorſus ac ſanguis ignorãt, accuratiſsimè edocuiſti: hinc & ego illas diligentiſsimè pronunciabo, palamq; omnibus faciam, ut illa diuulganda ſunt, quæ immenſa ſunt prædita magnitudine. Quocirca, ut etiam ab ipſis meis ſemper egiſti incunabulis, ita

Et vſq; in ſenectam & ſenium Deus, ne derelinquas me, donec annunciem brachium tuum, generationi omni quæ ventura eſt potentiam tuam.

Senectã & ſenium, perinde eſt ac ſi dicas, ſenectutẽ & canitiẽ, ſeu decrepitã ætatem. Tametſi enim de quocũq; hæc dici poſſe natu grandiori exiſtimẽ, altiori
B tamen ſenſu atq; intellectu, res quoq; eo ferè modo, quo ſuperius Dei filium pro Eccleſia oraſſe diximus, indagari poſſet. Ne proijcias me, inquit, in tempore ſenectutis. & erit ſenſus: Tu pater, quem me tuæ caput Eccleſiæ eſſe uoluiſti, mihi in omnibus præſens, ac uel uſq; ad mundi interitũ & conſummationẽ, adſis fautor, quòd cunctis etiã uenturis, nedum meæ ætatis hominib. tuum brachiũ, uirtutem ſcilicet & poteſtatẽ inuulgare queam. Videt enim neſcio quid à nõnullis ex Hebræorũ interpretib. hîc addi. Sic exhis quidã: Quòd annunciẽ poſteritati brachiũ tuum, & omni qui naſciturus eſt potentiam tuam. Idem fermè Campenſis. Felix quoq; ſic: Donec annunciem brachiũ tuum generationi, cuicũq; uenturo potentiam tuam. Vnde ambigendum minimè eſt, potentiã tuam ex Hebræo uerſus huius finem eſſe, non ſequentis initium, ut nos legimus. Verùm cùm non multum ſenſui officere uideatur, ſua integra remaneat litera interpreti, quam ſic reddit:

Potentiam tuam & iuſtitiam tuam Deus vſque in altiſſima quæ feciſti magnalia, Deus quis ſimilis tibi?

Clarius Hebræi: Iuſtitia tua Deus uſq; in excelſum, quoniã feciſti magna. Eſt ſanè mira ab inflammato animæ affectu profecta exclamatio, ſimul & admiratio, illi ferè ſimilis, de qua alio in pſalmo ita ſtupidus exclamat Vates: Magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, & uſq; ad nubes ueritas tua. In ſublimioribus enim occupata mens rebus, nihil de Deo, quod idem excellentiſsimum non ſit, cogitare poteſt. Etenim ſiue in his quæ ad admirabilem illius naturã ſpectant, ſiue in his quæ ad puriſsimam eius carnem, uitæq;, cùm apud homines diuerſaretur, integritatem, ſiue etiam ad prouidentiam illam infinitam, qua cùm omnia, tum præcipuè homines, ſapientiſsima gubernat ratione, uerſetur, omnia illi diuina atque admiratione digna apparent. Quod quidem animo in turpitudinum cœno tanquam cum meretricibus uolutato, contingere haudquaquã poteſt. Eſt & alius ſenſus, quem quoniã literę quam nos legimus aptè accõmodari poſſe uiſus eſt, uel eo maximè, quòd à nõnullis ex Hebræo ſic exponi uideo, in mediũ addu

C ci non abreerit: qui ſanè ſenſus, ut facilius elici poſsit, dictionem Donec, ſuprà poſitam ſibi aſciſcere uidetur. Petierat enim ſuperiori uerſu Propheta hoc modo: Deus ne derelinquas me, donec annunciem brachiũ tuum generationi, atq; omni qui naſciturus eſt. Infertq; ſubinde: Donec, inquam, potentiam tuam ſimul & iuſtitiam in ſublime, ſubaudi, feram, qui feciſti magna. Ecquis igitur ſicut tu? Propterea ſic ex Hebræo uerti poterat, ut uertunt quidam: Deinde (hoc eſt, ſimul ut poſteris tuam annũciauero uirtutem) potentiam tuam & iuſtitiã tuam Deus, qua res magnas perfeciſti, in altum extollam: quis ſimilis tibi? Expreſsius item Paraphraſtes, cùm dixiſſet, Adſis mihi ſicut hucuſq;, quoad indicauero brachiũ tuum meæ ætatis hominibus, & uniuerſæ poſteritati potentiam tuam: ſtatim intulit: Et iuſtitiã tuam Deus laudibus in altum extulero, qui deſignaſti maxima: Deus quis conferendus tecum? Et certè nihil unquam fuit, neq; eſſe poteſt tam immenſe magnum, quod cum Dei magnitudine collatum, non minimum omni no appareat, & nihili. Idcirco ipſe de ſe apud Eſaiam ſic loquitur: Quis ſimilis mei? Antea uerò Moſes in cantico poſt Aegyptiorũ interitum: Quis ſimilis, inquit, tui, magnificus in ſanctitate? Ideo

Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas et malas, & conuerſus viuificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me.

En aliud admirationis genus. Mens quippe humana nõ poteſt non interdum incredibilem in modum obſtupeſcere, miraríq;, unde tam uaſtus ebulliat anguſtiarum in hoc mundo Oceanus. Verùm cùm quæ mortalium naturæ conditio agnata ſit, recolit, ex hoc tenuiſsimo ad aliud ſenſim conſiderandũ, & id quidem omnium maximũ, tranſit ſtuporis genus, quod totum in meditanda diuinę bene ficentiæ magnitudine uerſatur. Quantas, inquit, tribulationes, quàm multas, & difficiles, quàm planè diras oſtendiſti mihi: hoc eſt, experiri me feciſti. Verùm tu mihi ſedata ira placatus, conuerſuſq;, me prorſus exanimatum recreaſti, reſtituiD ſtiq; me mihi, atq; à malis, tanquam de profundo terræ hiatu, etiam atq; etiam extraxiſti. Abyſſus, ut aliàs notauimus, nõ raro Hebræis eſt malorum cumulus, ac tetra miſeriarum uaſtitas. Vnde clamat Ionas: Abyſſus uallauit me. alio uerò in pſalmo Vates, Abyſſus abyſſum inuocat: hoc eſt, calamitas calamitatẽ tanquam annulus annulũ nectit, atq; inuitat. O immenſum contemplandi tuam excelſam bonitatem mare, mi Deus. Quicquid enim in terris ſpirat, in meum conſpiraſſe interitum uidetur. Tu uerò, qui naturalis tuus eſt mos,

Multiplicaſti magnificentiam tuam, & conuerſus conſolatus es me.

Expreſsius uertiſſet interpres, magnitudinem: ſeu cum Paraphraſte, potentiam meam, non tuam, quò doni cœleſtis amplitudinem in ſe homo cognoſcat. Illi, inquit, meum extenuare nomen, uitamq; calumnijs, ac ferro abſumere adnituntur: tu contrà, uim illam, quæ me in te firmiſsimè contineat, ſuppeditare non ceſſas: indiciũ ſanè tuę ad me conuerſionis, quam cùm contemplor permaximo afficior gaudio & cõſolatione. Vide ſummæ in beata anima uirtutem fidei: Conuerſus, inquit, qui antea meam ob turpitudinẽ auerſus fueras, conſolatus es me. Succurrit hîc mihi mulieris Cananeæ exemplum, quæ diutius propter filiæ morbum afflicta, peneq; ob Chriſti, ut uidebatur, indignationem exanimata, à benigniſsimo tandem Ieſu ad fœmineum conuerſo eiulatum & lachrymas, pleniſsima illa conſolationis uerba audire meruit: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut uis.

Nam et ego confitebor tibi in vaſis pſalmi ueritatẽ tuã Deus, pſallã tibi in cithara ſanctus Iſraël.

Ex Hebræo prima uox redditur, quapropter: ſeu ut Campenſis, quare. & eſt ſenſus: Quoniam tuam in me auxiſti magnitudinẽ & uirtutem: quoniam conuerſus conſolatus es me, unde mea omnis profecta eſt ſalus, ſalutiſq; perſuaſio: idcirco te tuumq; nomen laudabo, canamq; tuam in pollicitationibus conſtantiã, mi Deus: & pſallam tuum in honorem, cithara, ô qui ſanctum facis Iſraëlem. Aliàs diximus uaſa nõnunquã in ſcripturis pro rerum omniũ inſtrumentis poni: quare uaſa

A uaſa pſalmi, inſtrumenta hîc ſunt muſica, ut ferè erant nablum, lyra, cithara, organum, atq; huius generis alia, quorum modulatione & harmonia diuinæ ſolitæ erant laudes decantari. Cæterùm, ſancte Iſraël, à cunctis Hebræorum interpretibus transferri uideo. Te, inquit, muſicis laudabo inſtrumentis, ô Iſraëlis, populi nimirum dilecti, atq; ad uitam aſciti, ſanctificator. Atqui Deus quemadmodum uita eſt uiuax, ac uiuificans, ita ſanctus, atq; idem ſanctificãs, ſordesq; omnes ſuis ab amicis abſtergens, dici debet. Itaq;

Exultabunt labia mea cùm cantauero tibi, & anima mea quam redemiſti.

Vide gratæ animæ inſtitutum, quo ſe & corpore & animo (id eſt totum hominem in Dei amore comburi) diuinum laudare nomen pollicetur. Vnde ſic Paraphraſtes: Exultabunt labia mea (inſtrumenta hęc ſunt inter alia prolationis humanæ) ubi pſallere cœpero tibi: & anima mea multò magis, quam liberaſti à malis omnibus. Exultando, inquit Felix, cantabunt. Porrò ſiue de quotidiana liberatione, qua miſeris uenit Deus ſuppetias, hoc uerbum, redemiſti, intelligamus, ſiue de animarum redemptione, per quam nos CHRISTVS in cruce ęterno re conciliauit patri, cogitemus, utrunq; purgatiſsimis ſuaue eſt animis. Anima igitur mea, ô CHRISTE, tuo cruore ac nece à peccati atque adeo mortis ſeruitute erepta, tibi, haud quaquã ſibi aut mundo cantabit, exultandoq; tuum ſanctiſsimum laudibus extollet nomen.

Sed et lingua mea meditabitur iuſtitiã tuã, cùm confuſi et reueriti fuerint qui quærũt mala mihi.

Videtur hîc Vates conditionẽ uelle Deo ponere. Lingua, inquit, mea tuam laudabit iuſtitiam tum, cùm confuſi & profligati fuerint quærentes mala mihi. qui quidem loquendi modus uix ab anima in diuinarum rerum ſtudio occupata prodire poteſt. Siquidem quæcunq; illi accidant, ad laudes ſemper Dei prompta eſt atq; hilaris. Idcirco litera, quæ eſt Hebræis, tutiorem præferre ſenſum mi-
B hi uiſa eſt. Sic Felix: Etiam lingua mea tota die loquetur iuſtitiam tuam: quoniã uerecundati ſunt, quoniã confuſi ſunt inquirentes malum mihi. Qua ſanè lectione ſolennia hîc quædam eſſe, pro reportata uictoria, animæ (ut ſic dicam) epinicia definire poſſumus. Quamobrem elegantiſsimè ſic rem aperit Paraphraſtes: Quin & lingua mea exercebit ſe ſeduló in cantanda iuſtitia tua: erubuerũt enim & infames facti ſunt, quotquot ſtuduerunt incõmodare mihi. Qui porrò hi ſint, qui, quomodo innocentiſsimis noceant uiris, malumq; inferãt, & quærũt & machinantur, nõ ſemel hiſce noſtris interſparſit cõmentarijs Chriſti (ut opinor) ſpiritus, quem meo hoc in labore, quemadmodum in ſuo Dauid, ſcopum eſſe uolo & ducem. Cui propterea laus ſit, atq; honos, in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LXXII. Salomoni.

Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis.

Somniant, mireq; cæcutiunt hi, qui hunc pſalmum de Salomone illo interpretantur, cui uoluptatibus, tanquam bellaciſsimis hoſtibus obnoxio, pacifici titulum minimè conuenire arbitror. Ad hæc, ut cætera quæ de Salomone Bethſabeæ filio intelligi abſurdiſsimũ eſſet, omittamus, quomodo à mari uſq; ad mare, & à flumine uſq; ad terminos orbis terrarum illius fuit imperium? Quando omnes gentes ſeruierunt ei? Qua porrò uirtute Aethiopes, ſeu habitantes ſolitudines, ut nonnulli tranſtulerunt, quos Cabaliſtæ aërios ſpiritus eſſe diffinierunt, eum adorauerũt? Vero igitur Salomoni, in cuius ortu illud è cœlis fuit auditum, In terra pax, hominibusq; bona uoluntas, totum hunc pſalmum adſcribi debere fateamur: non illi, cuius imperium breui admodum concluſum fuit termino, cuiusq; filius impiſſimus extitit Roboam: ipſeq; nefandiſsimis alienigenarum amoribus ac libidinibus adeò conſpurcatus uixit, ut illius etiamnum dubia cenſeatur ſalus. Noſter autem non tantùm ſaluandorũ hominum eſt autor, uerum etiam ipſamet ſalus, & uita. Quod ſanè Dauid in ſpiritu præuidens, hanc uerè diuinam de ipſius Chriſti regno, cuius ſumma eſt iudicium & iuſtitia, à pa-

C tre habito, compoſuit odam: ad Deuḿq; conuerſus, ſic ſuam ordítur precatiõẽ: Deus iudícium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Duas hîc expreſſe in Chriſto naturas prẹnouit Vates: qui quidem Chriſtus ea, qua ẹqualis ſemper eſt patri, ratione, rex eſt cum patre uniuerſorũ æternus: ea uerò qua in terris uíſus eſt cum hominib. homo, quicquid imperíj habuit, à patre habuit. Vnde, ut erat gratiſsimi animi filius, non ſemel profeſſus eſt ſe patre minorem: propterea omne ſibi iudícium à patre datum, datamq; eſſe rerum omnium, tum earum quæ in cœlis eſſent, tum quæ in terris, poteſtatem. Quid illud: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me patris? Ideo Vates illum regem, regisq; filium appellans, & Deum, & Dei filium eſſe aſſerit. Cẹterùm iudícium atq; iuſtitiam, nihil aliud hîc eſſe diffiniunt, quàm rectas moderandarũ rerum rationes, ac ut reddit Paraphraſtes, formulas, qui ſic habet: Deus iudícandi ſecundũ te formulas regi da, et ẹquitatis ſtudium filio regis. Orat itaq; Vates, atq; cum eo mortalium multitudo, ut in Chriſto, in quo omnis ineſt æquitatis norma ac uirtus, hi penes quos hominũ eſt imperium, iudicent, regant́q; populos, ac iuſto moderationis æquilíbrio res mundi expendant. Etenim Chriſto ad inſtaurandas orbis ruinas aduentante, cœpere actutùm nutare errores, magnaq; parte eouſq; tolli, quoad eius humano prorſus cõſumpto genere, omnia integrè ſubiecta illi forent, Deusq; eſſet in omnibus, & nos qui ad uitam uocati ſumus, in illum felíciſsima tranſiremus abitione. Reconditiſsimo itaque myſterio utriuſq; aduentus in hoc pſalmo fit mentio: quaſiq; dormiens ab Eccleſia excitatur dominus, ad hunc modum:

Iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio.

Iudicabit, uertit Hebræus. Idem & cum Chaldæa translatione, græca editio. Vt iudicet, legit Euthymíj interpres, populum tuũ. Idem fermè ex Hebrẹo Cam penſis: ut uerba ſint Eccleſiæ orantis, quò terram hanc corruptiſsimam iam tan-
D dem miſeratus, mittat quem miſſurus eſt, qui retracto ab erroribus mundo, duo illa è cœlis ſecum deuehat luminaria, nempe iuſtítiam & æquitatem: quorum radíjs illuſtratus orbis, in eam refundatur formam atq; imaginem, quam in Chriſti uita & doctrina, tanquam in æterna cum patre idea, conſpectura eſſet, indeq; omnem bene beateq; uiuendi normam extractura. Cæterùm cùm prẹclariſsimis ornatus eſſe debeat rex animi dotibus, illam in primis requirit ſpíritus, ut pauperes, afflictoſq;, & ærumnoſos, ab opprimentium uiolentia atq; aſtu eximat, reddat́q; quod ſibi unuſquiſq; ob uitæ rationem meruerit. Virtuti enim ſuus debetur honos & prẹmium: iniquitati uerò opprobrium, atq; cum uituperatione mulcta. Et id ſanè eſt populos in iuſtitia & iudicio gubernari. Alioqui turpiſsimos quoſq; à contaminatis iuſtitiæ miníſtris eo donari prẹmio, quod integerrimis debetur uiris, illoſq; prætereri atq; opprimi, quos honorari decuerat, ſumma eſt regionum religionuḿq; pernicies & confuſio. Quocírca maximis ingeminandũ eſt uocibus, ut noſtrî iam tandem miſertus pater, ſui unigeniti demittat in terris ſpíritum, quò iuſtè æquabiliteŕq; iudícari poſsint homines, probíq; ab improbis ſecerni, ac cæcis à magiſtratibus dignoſci. Atq; hoc ſanè modo

Suſcipiant montes pacem, & colles iuſtitiam.

Abſurdum nimium eſſet putare, montes hoſce petricoſos ſuſcípere poſſe pacem, aut colles iuſtitiam. Montes ígitur hîc ſunt, quos poſtea in pſalmi ſerie reges appellat Vates: colles uerò, quos populos. Atqui moderandarum rerum is debet eſſe finis & terminus, ut pacem animi ſuſceptam, in qua uis ineſt iuſtitiẹ & rectitudínis, tranſfundant reges, atqueadeo cæteri & príncipes & magiſtratus, in populos ſibi ſubditos. Nec ſanè pulchrius ueſtíri ſolent colles uel flore, uel fructu, quàm ueſtiuntur decore omni uírtutum, ſed in primis fidei in Deum, populi, cuncta iuſtitiæ ſtudioſis occupantibus, optimoq; expendentibus iudício & æquitate. Orat itaq; uir ſanctus, ut non ſibi duntaxat pacem, quæ à Ieſu CHRISTI corde emanat, ſuſcipiant Eccleſiæ proceres, uerùm ob id quoque, quò populus lætari, ſedereq; ualeat, ut inquit Eſaias, in pulchritudíne pacis. Etenim ea

A ea prædíti ſapientia rectores hominum, quæ à Deo eſt, non à mundo, inſaniunt propémodum, niſi conciliatum ſibi cœlitus bonum, ſentiant ſubditi, guſtentq́ quàm diuinũ illud omnino ſit, à temperatis iuſtisq́ gubernari ſuperioribus. Quo circa non abſq́ ratione additum eſt, Et colles iuſtitiam: qua ſanè à patribus tanquam à fertiliſsimis deſcendente montibus affecti delibutiq́ ſubditi, ſuas omnes adeò iuſtè concinnant actiones, ut meritò iuſtitię cultores appellari debeant. Nihil enim populis tam exitiale eſſe poteſt, cùm rerum ſumma penes illos eſt, qui in iudicandis diffiniendisq́ ſubditorũ cauſis, humano raptantur ſenſu & conſilio. Expulſo quidem noſtris à tribunalibus Chriſto, à quo omnis proficiſcitur rectè diffiniendi forma ac iudicium, quò ſe uertant patres? quò ſuas dirigent diffinitiones? quò iudicia? Poterit'ne hoc modo ſedere uir, ut inquit ille, ſubtus uineam ſuam, & ſubtus ficum ſuam pacificus? Næ quidem obſidionem poſuerunt ſuper nos. Verùm utcunq́ noſtrates hallucinentur iudices, ô qui ſub corruptiſsimo iniquorum deſudatis iudicio, gaudete: ſiquidem rex ille æquiſsimus, regisq́ filius Chriſtus, diuinus amor, pax orbis,

Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.

Filios inopis, legit Felix: id eſt, illos qui ſunt Chriſti, quos utiq́, utpote rerum omnium huius mundi egentiſsimus, crucis uerbo, atq́ efficacia genuit patri: hos quidem iudicio ſuo æquiſsimo protegit dominus, ac confuſo proſtratoq́ calumniatore, nempe mundo, diabolo, peccato, morte, peruerſoq́ homine & inuido, benigniſsimè tutatur. Cæterùm, filios pauperum, idem eſſe ſecundum phraſim Hebraicam, quòd pauperes, aliàs diximus. Et ſunt planè idem pauperes populi, qui & filij pauperum, utiq́ credentes: quò uerum illud eſſe non ambigamus, nullam uidelicet eſſe damnationem his, qui in Chriſto ſunt. Cuius ſanè patrociniũ, iudiciumq́ ſua in Eccleſia exactiſsimũ, ne temporariũ citoq́ deſiturum putaremus, à ſpiritu eſt additum:

B *Et permanebit cum ſole, & ante lunam in generatione & generationem.*

Id eſt, quandiu ſol iſte uiſibilis, à quo luna, quemadmodum à Chriſto Eccleſia, lumen ſumit, lucebit, æterna erit Dei in ſuos protectio. Ecce, inquit, uobiſcum ero uſq́ ad conſummationem ſeculi. In generatione & generationem, periphraſis eſt, qua æternitas ſignificatur. Sed litera, quæ eſt Hebræis, lucidiorem parit ſenſum quàm noſtra, quæ ambiguum & obſcurum. Sic Felix: Timebunt te cum ſole, & in conſpectu lunæ: hoc eſt, quandiu reuoluentur tempora, quæ nimirum è ſolis curſu, motuq́ lunæ originẽ habent, CHRISTVM reuerebuntur in terris populi. Vnde ſic Paraphraſtes: Reuereantur te, ô rex, quoad ſol lumen ſuum præbuerit mortalibus, & luna ſeculis cunctis. Quid ſit porrò in noſtro interprete, Ante lunam, Chaldæus aperit: Ante lumen, inquit, lunæ orabunt coram te generationes generationum. Hîc igitur uides CHRISTVM, qui heri & hodie, ut inquit Paulus, ipſe & in ſecula, æternũ ſuæ fore religionis defenſorem. Id dictum eſſe uolo, ne afflicta ab improbis innocentia, eò interdum adigatur impietatis, ut Deum eo ſe habere modo, in probitatis defenſione arbitretur, quo homines fermè ex more inconſtantes, temporarij, & parum pij. Suo quippe tempore, atq́ cùm maximè opus eſt, ad ſuos deſcendit dominus, conſolaturq́ afflictos, dicens: Ego ſum, nolite timere. Quid igitur pauidi in Chriſti fide nutamus?

Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.

Haud dubium quin hîc ad ſtupendum illud Gedeonis miraculum alludat Vates, in quo madefacto ſolummodo rore lanæ uellere, area circumquaq́ poſita, ſicca inuenta eſt: rurſus area rore imbuta, uellus abſq́ imbre ſiccum apparuit. Magnum id quidem fuit myſterium: ſiquidem in lanæ tum uellus ſilenti tanquam ros deſcendiſſe illapſu uiſus eſt Deus, cùm niſi ad oues, quæ perierant, domus Iſraël ſe ueniſſe faſſus eſt CHRISTVS, reliquo interim in ſiccitate ſpiritus remanente omnino orbe. Verùm poſtea in gloriam aſcitus, tam largo gratiarum imbre, ingrato omiſſo uellere, relictaq́ in ſiccitate Iudæa, perfudit gentes, ut meri-

C to dici posset, se sicut stillicidia stillantia super terram, ad omnium generaliter descendisse salutem autor uitę. Sunt qui typum huius roris in uellere, ad tacitum placidissimumq; deiparæ uirginis conceptum referant: tamen ex litera quæ est Hebræis, alium signari sensum iudico: eum sanè, quòd Deus eo soleat modo ad subleuandas suæ sponsæ ærumnas & oppressiones descendere, quo solet pluuia in detonsum, demessumq; pratum descendere. Quid tum gratius? quid tam agricolis desiderabile, quàm cùm desecta prati herba recens superueniat pluuia, qua terra humefacta, ad noua concipienda germina temperetur? Felix enim, atque cæteri ex Hebræo sic ferè legunt: Descendet sicut pluuia super herbam resecatam: siue super tonsum, hoc est, ut ipsemet interpretatur, super gramen incisum: quod si non habuerit pluuiam postquam resecatum fuerit, aresçet. Quare sic alius ex eodem fonte: Descendet æquitas & iustitia ad terrã, sicut pluuia in desectum fundum, & sicut rorulentus imber. Hîc uides quomodo nulla fit apud Hebræos de uellere mentio. Veruntamen unicuiq; suæ sint de uellere & rore Gedeonis meditationes, piæ nimirum, & quæ ad placidissimũ mirabiliter exprimendum faciũt spiritus lapsum in uirginis uterum. Verùm neq; ego (opinor) reprehendi debeo, qui quæ sit germana psalmi lectio, uerecundè admoneo. Vtcunq; sensum imagineris, illud compertissimum, fructum mirum in modum feracem, propter Christi descensum, mortalibus allatum. Quod sanctissima præuidens Vatis anima, in spiritu exultans, clamauit:

Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna.

Quasi uerò antea copiosa non fuerit pax, hęc dicit Vates. Nam Christus obrutum in peccatis mundum inuisens, oriensq; ex alto, nõ solùm pacem & iustitiam secum attulit, uerumetiã omne bonum, cuius homines forent capaces, abundantissimè largitus est. Quòd uerò postea abolita sint, sublataq; è mundo tam felicia Dei dona, ut est pax & æquitas, id hominum malitia factum est. Florebit, inquit,
D quæ penè exaruerat, in illius ætate iustitia, summaq;, usquedum luna sit, in terris erit pax. Cur non summa? cur non integra? cùm diruto inimicitiarum, quæ inter Deum & hominem interceserant, pariete, uniuersus planè Deo per Christũ reconciliatus est orbis. Vt illa enim pax, quam ob regnandi cupiditatem atq; ambitionem sæpenumero, etiam in ipsis sanctioribus Ecclesiæ locis, nutare cernimus, excindi omnino queat: ea tamen quæ in sanctorum animas per Christi spiritum, tanquam insitus oleæ surculus, inserta est, æternis nititur fibris & radicibus, ideo æterna. Quocirca additum est à Vate, Donec auferatur luna: id est, pax ista animorum, ac, qua gratis iustificamur per fidem, iustitia, quousq; luna suum seruabit cursum, fixo altè stipite in Deo, perdurabit. Etenim nulla tam sęua potest esse perturbatio & confusio, quæ pacatam tranquillamq; hominis conscientiã, à rectitudinis linea, aut pacis studio facilè amouere possit: nam quæ Dei sunt, ab eoq; proficiscuntur, firma sint oportet atq; æterna.

Et dominabitur à mare vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum.

Vastitatem imperij CHRISTI, simul & felicitatẽ exprimit Vates, ad regnum nimirum Salomonis utcunq; alludens, de quo sic legimus: Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna secũ à flumine terræ Philistijm usq; ad terminum Aegypti. Ipse enim obtinebat omnem regionẽ quę erat trans flumen, quasi à Thipsach usq; ad Gazam. Atqui in eo quòd Salomonis regnum usq; ad promissæ terræ fines protendebatur, regnum fidei ultra Oceanũ dilatandum præsagibat. Nam quod nos legimus, Et à flumine usq; ad terminos orbis terrarũ: quidam ex Hebræo sic uertũt: Ab Oceano orientali usq; ad extremos occidentis fines. Ex his etiã sunt, qui à mari usq; ad mare, mare Rubrũ intelligũt, & mare Palæstinæ. Flumẽ uerò Euphratem, qui ab Oriente exiens in mare Rubrum erumpit: idcirco Iudæis adeò notus & celebris, ut fermè illum flumen absolutè nominent. Et est ac si dicat, ab Oriente usque ad Occidentem. Quoquo modo sensum formes, regnum hîc CHRISTI, quod & fidei, à spiritu designatur. Quod sanè

A nè in ſequentibus clarius adhuc exprimitur.

Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent.

Amplam atqueadeo extremã orbis regionem ſub meridionali plaga conſtitutam, idcirco torridam, ac nimio calore obfuſcam & feram, ad ſignificandum uniuerſale Chriſti regnum nõ abſq; myſterio huc adducit Vates: huius enim Heſperi ſunt populi ad Occidentem, Indi ad Orientem: ad quos quidem in Chriſti fide manſuefaciendos, miſſum olim fuiſſe à Domino Thomam apoſtolum nonnulli affirmant. Mundum itaq; uniuerſum adoraturũ eſſe aliquando Chriſtum prædicit Vates: qui cùm ferè totus à Dei deſciuiſſet religione, additur à ſpiritu, Et inimici eius terram lingent: hoc eſt, uenerabundi proniq; in terrã illum adorabunt. Tangit enim morem antiquum adeundi reges, quem hodie quoq; ab orientalibus ſeruari ſunt qui dicant. Neq; illud ſilebo, nonnullas noſtra quoq; ætate mulieres ab ultimis Oceani ripis in Italiam euectas, coniugioq; principũ dignatas, ad tantum animi tumorem deueniſſe, ut neminem, neq; ſacerdotes ipſos & epiſcopos ad colloquiũ admitterent, niſi genuflexos, atq; humi pronos. Quanquã non tam ſexus imbecillis uanitas in hoc eſt reprehendenda, quàm ſtoliditas illorum, qui cultum illum ſoli Deo debitum, animanti tam imperfecto leuiſsimè proſtituunt. Sed ad pſalmum redeo. Omnimodam enim ſubiectionem intelligi uult Vates inimicorũ Chriſti: ſub quorum nomine Amalechitas potiſsimum, Madianitasq;, & Iſmaëlitas, homines nimirum feros, atq;, ut ſæpiſsimè experti ſunt Iudæi, indomitos, hîc tangi arbitror. Amalechitam enim lingentem interpretatur Philo. Qui ſanè populi Arabiæ deſerta incolentes, perpetuis quodammodo uexarunt Iudæos incurſionibus, typo quidem ueriſsimo eorum quæ ab improbis perpeſſura erat probitas. Quid non audent in innocuos teterrimi iſti Aethiopes, atq; lingentes Amalechitæ? Cæterùm uide quomodo ſanctiſsimi Vatis ſpiritui haud multò poſt ſuccinuit Eſaias: Venient, inquit, ad te curui filij eorum qui te
B humiliauerunt, & adorabunt ueſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi. Quid illud? Locum pedum meorum glorificabo. Hinc opinantur quidam, illam prodijſſe exoſculandi pedes ſummi Pontificis conſuetudinem: quæ eò ſpectaſſe uidetur, ut ſcirent omnes, illi, cuius uices in terris gerit ſummus Pontifex, omnem deberi cultum & pietatem, ſic illi. Nos ad propoſitum reuertentes dicamus cum propheta, quòd

Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent.

Luſus is eſt poëticus, mireq; diuinus.

Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruient ei.

Felix Arabia, quæ in littore ſinus Arabici ſita eſt, regionesq; Aegypti, & quæ ad mare Rubrum uſq; protenduntur, hiſce nominibus ſignificãtur. Saba, ſeu Sabęa regio, à Saba ex filijs Cham ſic dicta, in qua thus, ac uis omnis aromatum innaſcitur, Arabia felix eſt: harum itaq; regionum reges, regi Chriſto munera ſuis è locis apportaturos præſagiens Vates, regionum omnium reges Chriſtianę religioni obtemperaturos uaticinatur. Eam ob rem in fine uerſus, quaſi collecta dictorum omnium ſumma, intulit: Omnes gentes ſeruient ei. quod quidem apertiſsimum fuit præludium, quandò uix nato Chriſto, Perſæ illi feliciſsimi ab Eois euecti partibus, auri thuriſq; munere, ac myrrhæ, diuinum in puero teſtati ſunt numen. Tum ſanè primùm oblatæ ſunt Deo primitiæ gentium. Cæterùm inſularum nominatim mentionem facit Vates, ob illarum uaſtitatem & numerum: ut Cyprus eſt, Creta, Rhodos, & illæ omnes, quæ Syriæ atq; Iudææ conterminæ ſunt: quæ cùm ad obſequiũ regum Hieroſolymarũ præſtò eſſent, cæterarũ omnium tum fluminũ, tum marium fidem in Chriſtum adumbrabant. Heu fideliſsima quò erroris nuper prolapſa es Britannia? Angelicóne Anglia patieris priuari cognomento? Quantum tua attulit reipublicæ Chriſtianæ exitij, non dico defectio, id durum nimium eſſet, ſed imbecillitas, ſed ab inſtitutis patrum parum auerſa mens? Dona adducent, quid ſibi uelit, aperit Paraphraſtes, qui ſic totum

C redditur uersum: Reges Tharsis (ea est Cilicia) & qui insulas inhabitant, munera offerant illi: reges Arabum & Sabæorum tributa pendant.

Quia liberabit pauperem à potente.

Nempe à tyranno, à diuite, à superbo & ambitioso eruet humilem, abiectum, suisq; in oculis uilem, &

Pauperem cui non erat adiutor.

Cui que nullum in terris, nec charissimorũ quidem, extabat perfugium. O legem certè pro dilatandis regnis necessariam. Amplissimum, ait, Ecclesiæ erit imperium, ad cuius sanè pedes, uel ipsi potentissimi adorabundi procumbent reges, propterea quòd qui illius erigunt cultum, effigiantq; religionem, non tyranni sunt, non crudeles, nõ cupiditatib. curisq; superuacuis, & affectibus obnoxij, nõ diri, non, quæ natura dæmonũ est, inexorabiles, sed mites, sed iusti, & qui nõ opprimunt, sed liberant pauperem à potente. Vide summã Christianæ pietatis, mi Lector, mecumq; religionis nostræ deplora uulnera. Videns, inquit Matthæus, dominus Iesus turbas, misertus est eis, quia erant uexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem. Mirum si hîc audire cogitabas, quòd uidens Iesus turbas uexatas, oppresserit illas. Heu malè fidam pastorũ quorundam custodiã. Quibus iam nostræ concreditæ sunt animæ? lanijs ne? Sed mihi hîc tempero, & ad benignissimam domini Iesu in subleuandis à miseria miseris reuertor opitulationem. Nam utcunq; in infelicem turbam insaniant improbi, Deus tamen

Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Ex Vsuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.

Aptius ex hebræo: Miserebitur pauperis, seu attenuati & inopis. uel ut reddit Paraphrastes: Pius erit in pauperem & egenum. Chaldæus quoq; Miserebitur super pauperem & squalidum, quò speciem illorum, qui in hoc mundo per Chri
D stum affliguntur, complecti animo hi possint, qui cùm nullo misericordiæ commoueantur affectu, uix hominem à bellua discernunt. Qui uerò sint Christi pauperes, quoq; indigentiæ genere laborent, aliàs diximus. Et, ut neq; hîc de usuris superfluè philosophemur, ex usuris, non legit Fel, sed simpliciter sic transfert, Ex fraude. seu ut Chaldæus, Ex calumnia & iniurijs redimet animam eorum. quanquam certè nil obstat, quin hîc quoq; de usuris, ut plerunq; aliàs, mentionem facere uoluisse Vatem arbitremur, eò maximè quòd, ab usuris, uerti à Campense uideo. Quòd si ciuium singillatim calamitates recensere animus esset, quid usuris, quas homicidijs fœuitia præstare asserunt Canones, calamitosius? quid infelicius? A qua, oro, alia peste quamuis letali & dira, tam absumunt homines, quàm à nefandissimis usurarum uersurarumq; contractibus absumi solent res & publicæ, & priuatæ? Iam illud obscurius à nostro interprete est uersum: Et honorabile nomen eorũ coram illo. Felix sic: Et preciosus erit sanguis eorum in oculis suis. Idem Chaldæus. quorum quidem uerborum sensus elegantissimè exprimitur à Paraphraste, hoc modo: Nec temerè fundi sinet sanguinẽ illorum, nempe ut rem sibi charam & preciosam. Nihil sanè non preciosum atq; honorabile in Dei oculis esse potest, quod syncera agitur fide ab his, qui infensi sunt mundo. Qualis uerò sit honor ille, quo piorum ornantur à Deo nomina, alio in psalmo aperit spiritus: Et nomina, inquit, eorum uiuent in æternum. De impijs autem: Nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi. Quid illud? Nomen impiorum delebitur. Quòd autem suos sinat interdum Deus traduci in uulgus, infamariue, atq; instar quoddam limi ab improbissimis conculcari obloquutorib. non multùm mouere nos debet: talem enim scimus esse crucis effigiem. Impossibile planè est iusti uiri nomen, quantumuis à maleuolis male habitum, absq; honore esse & gloria apud Deum. Siquidem ut nulla alia expectetur laus, perfidorum nunquã succumbet infamiæ, sed lucidior indies, tanquã splendor in meridie, euadet tandem

Et Viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei.

Quòd enim, & uiuet, ad pauperem, non ad regem referre debeam, litera quã ponit

A ponit Felix, me hortatur. ſic ille: Et uiuet, & dabit illi de auro Arabiæ, & orabit pro eo iugiter. quod ſanè de iuſti uiri uita, ac de cœleſtibus elargiendis illi donis & diuitijs, quę ſub auri Arabici nomine intelliguntur, ſumi oportet. & quem qui dem ſenſum Paraphraſten intellexiſſe uideo: Viuet, inquit, cũ rege illo pauper, & participem faciet eum auri Arabici, & orabit pro eo aſsiduè: nullo non tempo re beneficus erit in eum. Senſus igitur: Non ſanè uir iuſtus ſic in terra, ut dixi, ma lè habitus, illo quo apud homines extinguet modo, ſed uiuet: neq; uiuet ſolùm, ſed regis beneficio, qui immenſis eum precioſiſq; rerum theſauris, ut aurum eſt Arabicũ, perornabit, diues erit: proq; illo orabit tantus rex, benefacietq; illi con tinuè. Vide, te oro mi Lector, oppreſſorum pro Dei religione exitum, uide felici tatem, uide diuitias, nempe à benigniſsimo rege Chriſto erogatas. quid his bea tius? Cęterùm, mirum niſi hîc amore colliqueſcas, audiens Chriſtum patrem pro te orantem, modò ex illis unus ſis, de quibus ſic ille: Pater ſancte, ſerua eos in no mine tuo quos dediſti mihi. Quod utiq; ſanctiſsima Vatis anima prænoſcens, ſic ipſum alio in pſalmo alloquitur CHRISTVM: Exaudiat te Dominus in die tri bulationis. Atqui oratio CHRISTI ad patrem æterna eſt, quemadmodum æ terna eſt protectio, æterna ſalus, æterna uita. Quocirca additum eſt à ſpiritu: To ta die benedicet ei. Verùm ſi cui magis hi placent interpretes, qui uerba hęc om nia ad regem referunt, ut referre uidetur noſter interpres, abundè habet quo ſuũ ſedet deſiderium. Illud tantùm aduertat, an eo ſenſu uerba inter ſe bene coëant.

Erit firmamentũ in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ.

Hi ſunt effectus beneficentiæ illius, de qua ea eſt aſſeueratio: Tota die benedi cet ei. Stabile, inquit, non uacillans huiuſcemodi ſalutis erit fundamentũ, atque adeò ſolidum & inconcuſſum, ac ſi in ſolido iactum eſſet montis apice. Porrò cœ B leſtia cùm ſint in Chriſto dona, quid in terris illorum originem perueſtigamus? Terrenis enim nõ ſatiatur anima, neq; in his oblectatur, quę in imis fundata ſunt rebus. Cæterùm mons Chriſtus eſt: montes uerò, illi, de quibus in ſuperioribus uaticinatus eſt Dauid, dicens: Suſcipiant montes pacem. Verùm omiſſa interpre tatione uocis Firmamentũ, hebraicam diſcutiamus literã, quę ſic habet: Erit mul tiplicatio, ſeu pugillus frumenti in terra, in uertice montiũ concutietur uelut Li banus fructus eius. Diuus quoq; Hieronymus: Erit, inquit, memorabile triticũ. Nulli dubium, pro frumento firmamentũ, à quo neſcio huc translatum. Vnde ex Hebręorũ interpretibus quidam ſic totum reddit uerſum: Tanta fiet in terra per montiũ uertices tritici uis, ut inſtar Libani fragorem reddat: in urbe germinent ſicut fœnum terræ. Lucidius adhuc Paraphraſtes: Ex paucis, inquit, granis in ter ram proiectis, etiamſi in cacumine montium ſatio fiat, maxima proueniet meſ ſis, & excreſcet frumentũ illud in eam altitudinem, ut ſi uento agitetur, ſtrepitum excitent ariſtæ plenæ, qualem altiſsimæ Cedri in monte Libano ſolent. Flore bunt inſuper ciues, & multiplicabunt in ciuitate, quemadmodum herba ſolet in agris. hæc Campenſis. Rurſus litera quorundam ex Hebræo, quod & notat Fe lix, me cogit, de Euchariſtiæ cibo id dictum ſuſpicari, & magis id adeò, quòd uer ba quæ noſter uertit interpres, in uertice montium, Chaldaica translatio expreſ ſius refert, in capitibus ſacerdotũ. Sed ſat ſit admonuiſſe: nunc ad reliqua enarran da diuinæ beneficentię ac maieſtatis argumẽta, ne nimij ſimus, uertamus animũ.

Sit nomen domini benedictum in ſecula.

Hîc rurſus ſe alio habet ordine litera, tum græca, tum Hebraica. Sic ex He bræo: Erit nomẽ eius in æternũ. Idem fermè Euthymij græci interpres. Quę qui dem litera à præcedentib. concinnè admodum pendêre uidetur. Erit, inquit, fru mentũ in terra in ſummis montium. nunc autem: Erit nomen eius in æternũ. ſeu ut reddit Paraphraſtes: Erit nomen eius celebre perpetuò. Eccleſiæ hîc enarrat ſumma: nã eò quidem tum priſca ludæorũ ſpectabat religio, arca, templũ, ritusq; illi informes & cęremoniæ: tum noſter quoq; in Eccleſia cultus & pietas, illò ſuũ

C dirigit consilium, ut Dei nomen sicut in cœlis sanctissimum est, & supra omnem bonitatem immense bonum, ita in terris & uita & moribus sanctificetur, perpetuisq; efferatur laudibus. Sanctimonia quidem, mansuetudine, pace, charitateq;, ac pura in Deum fide, sanctificatur Dei nomen: iniquitate uerò, superbia, dissidijs, odijs, desperatione, ac mundanarum rerum amore, atq; ambitione, deturpatur. Quoniam igitur, ut iam diximus, æternus est dominus, æternamq; dat gloriam, ita in æternum glorificetur, laudeturq; in secula. Siquidem

Ante solem permanet nomen eius.

Perstat, inquit, Christi Iesu nomen ante omne æuum: nam cùm æternus sit patris filius, æternis cum ipso regnat seculis, idem habens nomen ab initio ut Deus, quod modò in terris homo factus præ se tulit. Et uocabis (inquit angelus ad Mariam) nomen eius Iesum. quasi dicat, nomen illud æternum in cœlis, quo sanè omnes ab æterno seruari uoluit, unde Iesu nomen ante omne æuum, æternaq; genitura adeptus est, idem fore in terris per te palàm fiat, & credatur. Non ab re quidem hæc à me omnia: nam quod noster uertit interpres, permanet nomen eius, Hebræis hynon uerbum est, quod, ut prælicenter interpretatur Felix, filiabitur uerti posset: hin enim, à quo uerbum istud originem habet, filium signat. Sensus igitur, ut optimè à Paraphraste redditur, is erit: Priusquam esset sol, ab æterno filius nomen erat illi.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ.

Illud ferè hîc mihi audire uideor, quod diuino ab oraculo pius olim audiuit Abraham: Benedicentur, inquit, in semine tuo (is Christus erat) omnes gentes terræ. Benedicentur, uertit Chaldæus, in merito ipsius omnes populi. En quàm breui, ut sic dicam, apophthegmate, unde omnis salutis ratio proficiscit, dependetq;, expressit Chaldæus, nempe à Christi meritis. Quocirca clamat Vates,

D *Omnes gentes magnificabunt eum.*

Hoc est, magnum illum beatumq; præ omnibus, & felicem, à quo omnis mortalibus emanauit felicitas & beatitudo, prædicabunt, palamq; dicent sese innumeris ab eo affectos esse beneficijs. Cùm itaq; is tantus sit, tamq; omnibus beneficus & liberalis,

Benedictus dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus: et benedictum nomen maiestatis eius in æternum, & replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.

Ecce quàm copiosis notis flagrantissimũ suum erga Deum ostendit affectũ diuinus Vates. Laude, inquit, dignissimus est Dominus: Dominus, inquã, ille qui tot modis olim suum fidissimũ protexit seruũ Israëlem, & qui nulla alia adiutus ope, per se solus, suisq; tantummodo nixus uiribus, magna mirandaq;, ac cunctis inaudita seculis operatus est, operaturq; indies. Itidemq; laude omni dignũ est nomen illud excelsum, magnificumq; ipsius filij, qui æterna illius est gloria, splendor, figuraq; substantiæ ipsius, per quẽ fecit & secula: quare tellus orbisq; uniuersus illius replebit numine & maiestate. Amen, Amen: hoc est, ita fiat: ita, inquã, fiat, ut uaticinatus sum. Atq; ita, eoq; spiritus ardore atq; ecstasi, qua cœptæ sunt,

Finierunt orationes Dauidis filij Isai.

Vult diuus Hieron. particulam hanc esse psalmi finem, idcirco illi attexendã: quæ tamen cùm ambigua sit, ab omnibus fermè ambiguè exponit, ac tam uariè & frigidè, ut planè nihil eos dicere ausim affirmare. Verùm quòd interim magis ab aliquo dilucidè quid de hac re sentiendum sit, proferat, sensus quẽ affert Cam pensis firmior adhuc uidet, sibiq; constans magis. sic ille: Hęc ut euenirent, summa fuit uotorũ ipsius Dauid filij Iesse. Nam cũ Dauid in cæteris omnino psalmis ardentia in Deum præ se ferat studia & desideria, in hoc mirum q; insolitè deflagret transmigretq; affectu atq; amore in Deũ, eiusq; filium, quem in tetrũ hunc terrę incolatũ descensurũ pręuidens, obnixè rogat ut ueniat, ut acceleret, ut iusti tiam secum ueniens deuehat. Et sic secũdi finis est libri psalmorũ apud Hebræos. Quorũ quidem psalmorũ autori Deo laus sit atq; honos in secula seculorũ. Amẽ.

PSAL.

PSAL. Aſaph. LXXIII.

A



Vàm bonus Iſraël Deus his qui ſunt recto corde.

Ecſtaſi plenus eſt pſalmus, atq; idem planè eſt cum multis argumentum. Miratur mundus, mirantur & ipſi interdum ſanctiſsimi uiri, qui, ut inquit Chriſtus, in mundo ſunt, & de mundo nō ſunt, nutantq; quandoq; animo & dubitant, an illud Deo dignum cenſeri debeat, bonos ſcilicet continuis in hac uita affligi miſeriis, malis uerò omnia ex ſententia prouenire. quis hoc credat? Cui iam eſt perſuaſum, conſentaneū id in Deo eſſe poſſe ac laudabile, illum nimirū in quo error ineſt nullus, ſuos uelle amicos perpetuis in hoc mundo proteri calamitatibus, cum malaq; conflictare fortuna? hoſtes uerò tam immenſis ditari uitæ cōmodis, ut penè nihil aliud cogitare uideatur, quàm ne minimo quidem detrimento afficiantur. O rem certè incomprehenſibilem, prorſusq; latentē, ſi ſenſum ſpectas humanū, nempe tardum, hebetem, fallacem. Secus autem hi, ſenſu qui ſunt uegetiori, iudicant, qui à uulgi opinione ſemoti cùm ſint, rem altius contemplant: nam etſi, quæ eſt cōmunis mortalium imbecillitas, in rimandis diuinæ prouidentiæ iudicijs ecutire, tantillumq; à uero aberrare uideantur, at non ita tamen concutiuntur, à fide ue tam longè diuagantur, quin ſtatim animum colligant, experrectiq; in Deo cernant, fateanturq;, quicquid contingat ſapientiſsimo id fieri iudicio, licet occulto, ac planè uulgo incognito. Quòd ſi porrò cum Vate illo ueteri interdum obſtupeſcere, profunditateq; diuinorū conſiliorum deuicti clamare coguntur, Quare impij uiuunt? ſubleuati ſunt, confortati ſunt diuitijs, domus illorum ſecurę ſunt & pacatæ, & non eſt uirga Dei ſuper illos: nihilominus tamen, ut dixi, non ita deſtituuntur animo, quo minus quæ de Dei ordinatione ſentienda ſunt, & ſentiant, & cum Vate ardentiſsimos ſui animi conceptus ſic exponant: Quàm bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde. Pul

B chrè admodum rectos corde Iſraëli attexit Vates: ſiquidem prioris ſubſequens hemiſtichion uidetur interpretatio: Iſraëlem enim directum à Deo interpretatur: Philo uerò, uidentem Deum. Vtraq; tamen interpretatio huc bellè quadrat. Etenim, ut ſapientiſsimus aſſerit magiſter, Beati mundo corde (cor mundum, rectū appellare liceat) quoniam ipſi Deum uidebunt. Quantumlibet igitur felices ſint praui in hoc mundo, boniq; miſeri & infelices, quam benignè, quàm amanter ſe habet Deus erga illos, qui fide integra, rectoq;, ut fuit Iſraël, animo, utcūq; res cadant exteræ, ab eo dependent. Tametſi enim interdum nutare aliquantiſper uidentur, attamē ſtant fixi in Deo, tantum abeſt ut occumbant omnino. Principiū huius uerſus Hebręis aliud eſt à noſtro: idcirco alio modo ſenſum explicant. Certè, uertit Felix: alij autem, ueruntamen. Et eſt affectui humano diuinę obmurmurranti prouidentiæ reſponſio, querentiq;, ac quodammodo Deum ſtupiditatis ac cuſanti, quòd improbos rerum omnium ſucceſſu & cōmodo affluere ſinat, probos uerò miſeria & ærūna. Cui ſpiritus: O inſulſe, quoquo modo res ſe habeant humanæ, atq; utuis Deus impios fouere uideatur, pios autem affligere: ueruntamen hi ut filij chariſsimi curæ ei ſunt, atq; honori: illi autem faſtidio atq; odio. Intelligo, ô beate ſpiritus. Verùm hæc uidens, mœrore quaſi contabui,

Et mei penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei.

Vide animum Dei conſilia parum cautè perueſtigare conantem: fatetur enim ſe improborum felicitate ita permotum, ut nihil abfuerit, quin à iuſtitiæ probitatiſq; ſtudio, quod per lapſum pedum, & effuſionem greſſuū ſignat, dilaberetur. Mihi id accidit abſurdi, inquit Paraphraſtes, ut cùm mei penè oblitus eſſem, tantùm non labi cœperint pedes mei: & quemadmodum accidere ſolet his qui per lubrica ambulant, effuſo greſſu collapſus fuerim. In cauſa uerò fuit,

Quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.

Maxima ea omnium uidetur tentatio, nihil fermè illis qui ſanctè uiuunt ſuccedere, intueri: improbis uerò omnia, & quidem contra ipſiſsimos Dei amicos,

c Eò enim interdum impatientiæ perrupisse quorundam animos uidimus, ut cura penè Dei contempta, peruersorũ uitam, in qua summa apparet pax & quies, sectari propémodum maluerint, quàm sanctè uiuentes uitam uiuere ærumnosam. Zelauimus, inquiunt: hoc est, iniquorum fortunis inuidimus, considerantes nihil non illis pacificum contingere. Et

Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.

Nec græci, nec hebræi codices, quod sciam, habent Respectus: sed aut renuitio, ut Euthymij uertit interpres: aut uoluntas, ut alius etiam ex græco: aut ligamina, ut plerique ex hebræo. quorum omnium is unus erit sensus, ut elegantissimè redditur à Paraphraste: Tota, inquit, uita, nõ solùm fortunata illis omnia fuere, sed etiam in morte illis accidere solet, ut ætate defecti sine longo cruciatu extinguantur. Sicut igitur feliciter uixerunt, ita feliciter moriuntur. Quis talem (ut græcæ dictioni faueam) renuat mortem cùm moriendum est, in qua moriens ulla absque uiolentia & horrore, è uita demigrat? Porrò difficultates illas terrificas, & longos cruciatus in moriente, ligamina, firmamentumque in plaga eorum, appellat Hebræus: Abeunt, inquit, è uita scelerati isti felices: si tamen felicitas ea uera est, onusta peccatis conscientia quempiam emori. Sed de corporea membrorum per mortem abitione è mundo, placida sanè & tranquilla, hîc loquitur spiritus. Cæterùm si dictio Respectus, interpretanda est, illum præ se ferre uidetur sensum, quòd iniqui in mortem nequaquã respiciunt, sed tanquam semper uicturi præsentem tantummodo prosperitatem attendunt, more nimirum belluarum, in quibus nulla inest mens & ratio, quarum ui futura præsentiscere ualeant. Illud etiam non omittendum, ultimam uersus particulam sic ab Hebræis uerti, Vigens robur eorum: uel ut transfert Fel. fortis, robustus, scilicet est impius, cùm moritur: & est mutatio personæ. Vtcunque uertant, illud compertum, quòd

D *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.*

In afflictione seu molestia hominis, uertunt Hebræi, quare sic Paraphrastes: A molestijs, quibus ex ipsa cõditione homo fragilis obnoxius est, liberi esse uidentur. Solet enim Deus prauissimos quosdam eò interdum felicitatis in hoc mundo euehere, diuitijsque, honoribus, rebusque illis, quæ non tantum bona, quantum bonorum simulachra atque imagines appellari debent, ditare, ut in terris ferè pro dijs habeantur: tum propterea quidem, ut perspicaciũ sublimiumque animorum, quæ sit fides in Deum, appareat: tum quanti æstimanda sint bona illa, quæ tam copiose uel ipsis profligatissimis Dei hostibus permittuntur, diuina edoceat sapientia: tum demum quò excelsius, magisque formidabile suum uideri possit iudicium, cùm tam sublimes florentesque succidere decreuerit plantas. Nónne illud miraculo simile uidetur, cùm cæteri omnes molestia aliqua insigni interdum, quam laborem & flagellum appellat Vates, ut sunt illa omnino, fames, inopia, frugum armentorumque iactura, mors pecorum, pestilentia, iræ, mulctæque principum, exactiones, & hæ quidem grauissimæ, bella, incursiones, depopulationesque, liberorum orbitas, atque id genus alia penè innumerabilia, affliguntur, illi rebus suis omnibus intactis lautè admodum mundo hoc utuntur? O diuinæ certè prouidentiæ consilium planè secretum, atque ab intellectu humano semotum omnino. Verùm uide quàm indignè tam larga Dei manu abutantur ingratissimi omnium. Quoniam quidem in labore hominum non sunt, & cum hominibus nõ flagellantur,

Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.

Is tandem finis illorũ est, qui in immoderata rerum opulentia, addo & honorum, lasciuientes, ut superbia tumidi eò perditionis dilabantur, ut toti, quanti sunt, iniquitate impietateque, nempe omni prorsus genere uitiorum tanquã ueste operiantur. A superba enim mente atque ambitiosa, cùm peccata omnia originem habeant, at duo tamen illa potissimũ, contemptus nimirũ Dei & proximi, ut sanies à putrido ebullit ulcere, ebulliunt. Quò ultrà progredi posset uel ipse perditissimus dæmon? Sunt tamen quidam etiam ex his forsan, qui in templis habitant,

A tant, quí ſi non dæmones in faſtu uitæ ſuperant, æquant ſaltem, atq; ultro pares illis fiunt. At uide, quàm nefandum turpitudinis ſcelus, horrendum, ineffabile, prorſusq; deteſtandum, diuino id permittente iudicio, ſuperbæ, tanquam merces debita, rependatur animæ. nam quod noſter uertit interpres, operti ſunt iniquitate, Hebræis eſt nonnullis, inuoluet nates iniquitas eorum. Hi ſunt enim, ut clamat Paulus, qui alienati à uita Dei, quiq; deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis. Cætera uerò tute cogita, mi lector, imò à mente abijce, ne puriſſimis hiſce ſpiritus affectibus, tu nondum carne prorſus exutus carnalia immiſcens, à rerum cœleſtium guſtu arcearis: ad cæteras potius detegendas, quæ in ſuperbo inſunt homine, uitæ maculas, perge. Penè quidem ex his quæ hîc à uate dicuntur, adducor, ut ſuperbum, eundem & impudicum, ne dicam exoletum, eſſe affirmem. Audi aliud inſigne facinus ſuperborũ:

Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis.

Hîc mihi illud Iob in mentem uenit, qui cùm de felici improborum fortuna loqueretur, id inter cætera attulit: Iſte moritur robuſtus & ſanus, diues & felix, uiſcera eius plena ſunt adipe, & medullis oſſa illius irrigantur. Aliàs diximus, adipem in ſcripturis, pro opimis, bonisq; omnibus fortunæ abundè refertis accipi: pro lætitia quoq; & gaudio: quemadmodum iecur pro amore, & renes pro intimis animæ cogitationibus atq; oblectamentis ſumi ſolent. Senſus igitur & uerè & doctè à Paraphraſte exprimitur hoc modo: Vix apparent præ pinguedine oculi eorum: ſupraquàm ſperauerant omnia illis proſpera eueniunt. Quod nos legimus, Tranſierunt in affectum cordis: Hebræi habent, Tranſierunt cogitationes cordis: id eſt, modum illorum fortunæ exceſſerunt, ſupraq; quàm unquam ſperare potuiſſent & optare, aſſecuti ſunt. Vnde ſic Felix: Tranſgreſſi ſunt prudentiã cordis: hoc eſt, ut ipſe ſe exponit, habuerũt plus quàm cogitauerũt. Idcirco quoq; tranſierunt in affectum cordis, nempe iniquitatem quodammodo uoluptuoſam
B facientes, quicquid corde affectarunt, ulla abſq; controuerſia perfecere. Quid tali felicitate infelicius? Neq; id quidem ſatis, aliud habe impietatis genus:

Cogitauerunt & loquuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo loquuti ſunt.

Nequitia uitium eſt, quod cætera omnia complectitur, frugalitatiq; opponitur. Cæterùm, ſi dictionem Excelſo, ad Deum referas, aptius in excelſum uertendum erat, ut Euthymij interpretẽ uertere uideo: ut ſit ſenſus, peruerſos illos oblocutores nec Deo quidem excelſo pepercíſſe, ſed in ipſum quoq; maledicta congeſsiſſe. Verùm, de excelſo, transfert Felix, ac cæteri ex Hebræo ferè omnes, quòd hinc audaciſsimũ illorum morem conſideremus, qui omnes contemnentes, quaſi omnibus ſuperiores ſint, quicquid in buccam uenerit impudentiſsimè tum in Deum, tum in homines effutiunt. Quocirca à Vate commodùm additur:

Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra.

Id eſt: In omnes uenenatam exacuentes linguam, & ſuperos & inferos uno eodemq; contumeliarũ genere conuoluunt. Atqui hîc mihi impudentiſsimorũ gerronũ conſuetudinẽ depingi arbitror, ſed illorum maximè, qui dignitate aliqua prædíti ſunt. Mirum quàm facilè alienos mordeant mores. Dignitate quidem illa ſua, tanquã clypeo muniti, quicquid lubet, licere ſibi putãt. De Deo itaq; perinde loqui conſueſcunt, ac ſi illius eſſent in moderando uniuerſo ſocij. De hominibus uerò quid non blaterant? quem non criminantur? Iam illud quod penè exciderat, non omittendum: initium ſcilicet præcedentis uerſus aliter ex hebræo legi. Sic Felix: Diſſoluentur, ſeu colliqueſcent, & loquentur in malo: hoc eſt, ab omni recta bene uiuendi ratione diſſoluti diſsipatiq;, quicquid malorũ animo conceperint, ore proferunt, iactantq; ſeſe aſſecutos quæcunq; in proborũ uitam ſunt machinati. Idcirco turgidi facti, in Deum, in ſubditos, in ſuperiores, in æquales, nullo habito delectu, ab excelſo arrogantiæ faſtu loqui ſoliti ſunt.

Ideo conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis.

Periculum id ingens eſt pauoriſq; plenum, in membris potiſsimum Eccleſiæ

C nondum ſolidè in fide Ieſu Chriſti firmatis. Vide argumentum: Si pĩjs malè omnia ſuccedunt, impĩjs uerò bene, quis iam pietatis ſtudioſus erit? edamus itaq; bibamusq; cum illis, ut melius nobis ſit. Sentis ne periculum? Idcirco, inquit ſpiritus, conuertetur populus meus, deficietq; huc atq; illuc diſtractus ab eo quod cœpit, nempe iuſtitiæ itinere atq; inſtituto. Et ſic (prò mulctam inauditam) à me auerſis, dies pleni, pleni inquam mundi huius bonis ac oblectamentis, inuenientur in eis, perinde atq; in illis ipſis improbis: quos ſanè à me ultro deficientes, in laſciuientesq; mundi gremio, tanquam ſues in cœno, uolutatos, meo æquiſsimo dereliqui iudicio. Verùm, populus eius, non meus, uertunt Hebræi. Sic Felix: Propterea conuertetur populus eius concuſſus, & aquæ pleni exprimentur illis. Quid ſit populus eius concuſſus, aptè exprimit Paraphraſtes: Propter, inquit, huiuſmodi fluctuabit populus Dei, nunc hoc nunc illud animo uerſans: & hæc ueluti aquę amariſsimę pleno calice obtrudentur illis ut bibant. Quocirca ſugentur ei ab improbis (ita ait Kimhi Hebræus) aquæ calicis pleni toxico. Cuius ui inſaniens, in illa quæ ſequuntur facilè prorumpit uerba:

Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia excelſo?

Quid mihi, inquit, obtrudunt uerba illa, quòd ſcilicet Deus æquam de omnibus curam habet? quòd uidet omnia? quòd diſcernit? quòd ut iuſtè, ſic celeriter in excelſo iudicat? Si ita res habet, & nihilominus peruerſiſsimos quoſq; ampliſsimis mundi bonis, honoribus, tranquillaq; ſinit uti fortuna, quomodo eum quę hîc fiunt, ſcire, dĩjudicaréue dicam?

Ecce ipſi peccatores & abundantes in ſeculo obtinuerunt diuitias.

Vides confuſum in anima conflictum, quæ, ut par eſt, non omnia diuino commìttit conſilio? En, inquit, perfidi iſti è terra nati quomodo turgidi ſunt, improbi, fallaces, prorſusq; athei ac profligatæ uitæ homines, attamen rerum omnium, tanquam effuſo copiæ cornu, lautitia abundant: quò enim improbiores ſunt,
D hòc illis tranquillius res omnes fortunare Deus uidetur. Sunt ne iſta æqui iudicis, ut Deus eſt, indicia atq; argumenta? Penè quidem perſuaderi mihi paterer Deum innocentia hominum offendi, ſimulac uideo proborum uitam tam malè haberi in terris.

Et dixi: Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas.

Sic ſanè intra me: Ergo ſi ita diuinum expectatur iudicium, mea omnino fides, qua me iuſtitiam adepturum ſperabam, nequicquam fuit. Ergo mihi operam luſiſſe uideor, qui tam anxiè, ut puro eſſem corde, elaborauí. Fruſtra & illud fuit, me iniquorum uita & conſuetudine abſtinuiſſe, fugiſſeq; ad antra, ſolitariaq; loca, ne contaminarer, atq; eadem cum ipſis inuoluerer uitæ impuritate. Cæterùm de puritate manuũ, ſeu ablutione, aliàs diximus exteriorẽ uitam hominis ſignificari: neq; aliud inter innocentes manus lauare prętendi, quàm purã uitæ conuerſationem præ ſe ferre quempiã. Quid mihi igitur, inquit, honoris attulit caſtam cum caſtis uixiſſe uitam? En tandem pro merito afflictus ſum,

Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.

Perſeuerat adhuc ſuo in ancipiti exprimendo de Dei prouidentia iudicio anima, fideq; dubia. Bene, inquit, ſeruio, & flagellor: non ſeruit malus, & honoratur. quid itaq; cenſendum, cùm quotidie ſerui ego frugi officio fungens, quotidie uerberor, dieſq; ſinguli ſuo mihi exordio nonnihil afflictionis afferunt? Si interdum quidem ſceleſtiſsimi iſti incõmodo uitę aliquo tanguntur, aut illud breue eſt, aut ſerum omnino: ego autem ab ipſo matutino diei tempore, uſq; ad ueſperam, continuis obnoxius ſum incommodis. Atqui prauus quidam apud nonnullos, huiusq; non abſimilis, in dĩjudicandis aliorum factis apparet mos, ut ſi quos è ſuorum numero, ſibi uel amicitia, uel affinitate, uel patriæ interdum cõmunione coniunctos peccare, & id quidem crebrò & turpiter contingat, illorum ſtatim obtegant delicta, eaq; diſsimulent, & ſi non malitia, affectu ſaltem humano & turpi, pro benefactis haberi uelint. Quorundam uerò lapſus, in quos uel ipſi moderatiſsimi

A deratiſsimi quandoque dilabuntur uiri, adeò celeriter ſeuereq́; & querant & puniant, ut neminem iam peccare diſcernas, niſi qui bonus ſit. Vnde iſta, obſecro, orta eſt iudiciorum inæqualitas? alij enim in ſortem quandam infelicem illorum, qui ſic iniuſtè ſuis à ſuperioribus dijudicantur, referũt: ego autem prauum eorundem potius ſuperiorum animum, atq; à Dei doctrina alienum, in cauſa eſſe iudico. Quòd ſi Deus improbos non eueſtigiò punit, aut ad eorum ſcelera conniuere uidetur, proborum uerò uitam & citò & aſsiduè flagellis ab erroribus auertere, id æquiſsimo fit iudicio & neceſſario. Illi autem turpiſsimo et irrationabili trahuntur affectu. Aliud eſt enim flagitioſorũ hominum peccata ad tempus, ut uel ſic ſaltem reſipiſcant, diſsimulare, aliud malitioſe tegere, & quia amici ſunt, nutrire. Heu mores corruptiſsimos. Si ſic ſe res habet, quò noſtrum iam dirigendum erit probitatis ſtudium? Penè hîc dixi, iuſtam illam fuiſſe hypocritarũ querelam in Vate illo: Vanus eſt, inquiunt, qui ſeruit Deo. Et quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes. Eæ ſunt, mi lector, imprudentis animæ querimoniæ, quæ in diſquirendis altiſsimi conſilijs, nimium curioſa eſt & procax. Verùm quoniam ex illarum numero eſt, quæ ad mortem peccare haudquaquã poſſunt, quia Dei ſemen in ſe habent, nõ ita dura efficitur ac contumax, quin ſtatim deprehenſo ſuæ ignorantiæ periculo, ſeſe colligat, diuinoq́; illuſtrata lumine fateatur, quod in ſequentibus fateri Vatem conſpicit:

Si dicebam, narrabo ſic, ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.

Vide uim lucis diuinæ. Longè, inquit, à me ſit ea, de qua hactenus triſtis ac mœrens tam multa queſtus ſum, ſententia. Nam certè, ſi induxero iterum animum, ut ſic de Deo ſentiam & loquar, ut hactenus loquutus ſum, tuos abſq; dubio electos, nempe nationem filiorum tuorum reprobam, à teq́; alienam dicam. Quod ſanè impietatis genus inexpiabile uidetur. Quid tam tuæ bonitati, mi Deus, ac,
B qua cuncta iuſtiſsimo ponderas æquilibrio, poteſt eſſe iniurium prouidentiæ, q̃ probitatis ſtudia fruſtra eſſe aſſerere, piorumq́; animas à te negligi? Hæc itaq; ac multa id genus alia ſtultè nimium atq; imprudenter uerſans animo,

Exiſtimabam vt cognoſcerem hoc, labor eſt ante me.

Hebræorũ interpretes poſt dictionem Hoc, interpunctum collocant hoc modo: Cogitaui ut cognoſcerem hoc: id eſt, quomodo relictis in miſeria iuſtis, prauos exaltas, ditasq́; continuè, ac de illis ſolummodo curam habere uideris. Verùm ipſa rei difficultate deterritus, tantiſper à uanitate illa mea animi, ſuperuacuoq́; conſumor labore,

Donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſsimis eorum.

Sanctuarium hîc uocat ſpiritus cœleſtium rerum cognitionem: etenim è ſacrario illo antiquo templi, certa Dei oracula audiri fama erat. Modò uerò è benigniſsimo Chriſti pectore, qui totius diuinitatis ſanctuariũ eſt, iſtiuſmodi cognitionis lumen hauritur ab his nimirum, qui abſtracti à mundi amore ac metu, cor ipſum Chriſti ingrediuntur, in quo omnis ineſt ſapientia, pax, amor, quies, uita, & rerum non ſolùm præteritarum ac præſentium cognitio, uerumetiã futurarum prænotio. Inter quas illud quoq; eſt, quòd in Deo tanquã in emaculatiſsimo ſpeculo, quæ miſeria eos maneat, qui in hoc mundo felices uulgò iudicantur, clariſsimè intuentur. Idcirco addit Vates, Vt intelligam in nouiſsimis eorum. quem tamen ſenſum fuſius q̃ cæteri ex Hebræo tractat Campenſis: Tunc enim, inquit, intelligã rem ipſam, cùm uidero quem finem habituri ſint impij, qui hîc uidebantur felices: & pij, quos hîc opprimebant illi. Sed de impiorum exitu tantummodo hîc loqui ſpiritum arbitror, ex his quæ ſequuntur:

Veruntamen propter dolos poſuiſti eis, deieciſti eos dum alleuarentur.

Felix ſic: Quippe in lubricis pones illos, deijcies eos in ruinas. Alius item ex Hebræo, Attamen in lubricis poſuiſti illis: nempe eorum felicitatem. Rurſum alius: In lubrico locauiſti eos. Hæc unà idcirco congeſsi, quò quid ſibi uelit in no

c ſtro interprete, propter dolos, perſpicuum ſit: & eſt (opinor) ſimilitudo ab his deſumpta, qui in lubrica gradientes uia facilè cadunt. Ita hi ſunt, inquit, qui ſua illa immodica diuitiarum luxuria niſi, nihil ſuis in ſtudijs aut actionibus, quod firmũ ſit, ſtatuere norunt. Quocirca ſubiungit Vates, Deijcies illos in ruinas, uel eo maximè tempore, dum alleuantur: hoc eſt, cùm magis in altum elati uidentur. Succurrit & alius ſenſus, qui noſtræ faueat literæ, & eſt idem atq; ſi dicat: Quoniam ſubdoli ex more hi ſunt, fiduntq; rebus ſanequàm dolosis, ut ferè ſunt res huius mundi, proinde tu æquiſsima compenſatione impoſuiſti eis: hoc eſt, illos à propria uoluiſti deludi fortuna, & falli. En

Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam.

Felix profectò hæc eſt conſilij in anima mutatio. Antea enim ſui penè oblita, in illud prorſus obloquutionis in Deum proruperat, ut eum quaſi ſtupiditatis, ac ferè iniuſtitiæ reprehenderet: diſcutere nimirum efflagitans, quo iudicio, quá ue lege aut prouidentia id fieret, ut boni continuis iactarentur infortunijs, malis uerò ne tantillũ quidem incõmodi obueniret. Modò autem ad ſe reuerſa, ſuamq; cognoſcens ad diuinam excutiendam caliginem tarditatem, haud amplius de diuina addubitat in iudicando æquitate: ſed miratur, ſtupetq;, quomodo hi, qui nõ ita pridem ut dij in terris habebantur, ſubitò inuoluti infortuniorũ nimbo, in extremam coniecti ſint ruinam. Quomodo, inquit, facti ſunt in deſolationẽ? quàm ſubita oppreſsi ſunt calamitate? quis id unquam ſperaſſet? periere omnino. Hem quò illa lęta abijt fortunę facies: repentino quippe horrore exterriti, in nihilum acti ſunt. Quod enim nos legimus, Perierunt propter iniquitatem ſuam, Hebręi habent, Conſumpti ſunt à repentinis horroribus: quæ quidem uox ſubitã inopinatamq; præ ſe fert animi conſternationẽ. Nihil quidem timidius homine in gremio fortunæ enutrito, percuſſo tamen, atq; in calamitatem aliquam acerbiorem obtruſo: ut ferè ſunt hi, qui propter diuitiarum copiam, aut fauorem principum,

D ſupra modum tumidi fiunt. Verùm,

Velut ſomnium ſurgentium Domine in ciuitate tua, imaginem ipſorum ad nihilum rediges.

Vide quàm apta comparat ſimilitudine Vates prauorũ felicitatem illius ſomnio, qui iam euigilauerit. quid ſomnio huiuſcemodi inanius? Dormiens enim ſomnijs quidem, aut ſopore oblectari poteſt: uerùm poſtea experrectus cùm fuerit, quò uana illa abijt oblectatio? Ita nimirum uanida omnino eſt humana hæc felicitas, qua qui abutitur, delectatione ſe aliqua affici ſibi uidetur. Interim uerò è fortunæ ſinu, tanquam à molliſsimo eiectus lectulo, ſentit miſer ſuam illam bonorum honorumq; beatitatem & ſplendorem, quem hîc imaginem uocat ſpiritus, nihil aliud extitiſſe quàm fugacem ſomnum, acrei ſimulachrum, non rem ipſam. Dormierunt, ait alio in pſalmo, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus ſuis. Deſierunt igitur in umbram ac ſomnum (ut & nos quoq; ſæpius uidimus, uidebimusq;, quò ſua ſit Deo ſuſq; deq; gloria) arrogantium diuitiæ & deliciæ. Deſiere honores, deſijt & ſplendor ille immodicus, atq; autoritas in populis, tanquam imago inanis, & fugaci ſimillima ſomno: in eorumq; locum irriſio, contemptusq; morte ipſa acerbior, atq; exibilatio, miro omnium conſenſu & plauſu ſubintroiere. Verùm id penè tolerandum, niſi poſt uitæ huius ſomnũ, eiecti exploſiq; à ciuitate ſancta Dei, in qua ſumma ueraq; ineſt felicitas, nõ umbratilis, atq;, ut illa eſt mundi, inanis, cõmonſtrarent ſe nihil aliud uiuentes in Deire ligionem introduxiſſe, præterquã imagines ac rerum umbras. Cæterùm, imagines eorum negliges, uertunt Hebræi: hoc eſt, eorum gloriam, quæ ueriùs imago gloriæ dici poteſt, quàm uera gloria, tanquam rem nihili abijcies. Atqui incredibilem in modum, mi Deus, dum tam profundam iudiciorum tuorum caliginem contemplor, obſtupeſco, dementorq; omnino, ipſa rei profunditate oppreſſus.

Quia inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt.
Et ego ad nihilum redactus ſum & neſciui, vt iumentum factus ſum apud te.

Hucuſq;

A Hucuſq; duos legunt uerſus Hebræi. Flamma hæc cordis ab æſtu illo animi ir requieto prodire ſolita eſt, cùm quis ſecreta illa Dei rimari nititur, quæ humanũ prorſus fugiunt intellectum. Hebræi tamen non legunt, inflammatũ, ſed aceto-ſum. Vnde ſic Paraphraſtes: Interim uelut acore quodã macerabit ſe cor meum. Mirum quàm uariis, atq; eiſdem ipſis quidem aptiſsimis, ſuo in exprimendo do-lore atq; affectu, ſimilitudinib. utatur Vates. En alia iterum ſecundum Hebręos: Et renibus meis, inquit, compungar: hoc eſt, ut ipſe exponit Felix, ac ſi ſagitta a-cuta infixa eſſet in renibus (uulnus eò loci infixum letale eſſe ſolet) cõmouebor & ſtimulabor. Etenim cùm renes pro affectibus uiolentis in ſcripturis poni cerni mus, pro anxijs hîc animæ permotionibus, ſuperfluisq; imaginationibus, poſſe accipi opinamur. Quas quidem ſuperuacaneas occulta omnino diſquirendi cu-ras, ſuæ attribuit ſtultitiæ uir ſanctus. Nam quod noſter legit interpres, ad nihi-lum redactus ſum, Hebræis eſt, & ego ſtultus: ſeu ut Felix, ego autem inſipiens, & non cognoui. quare Paraphraſtes cùm ſic de renũ uulnere reddidiſſet, Et tor-quebo me cogitationib. meis: intulit, propterea quòd rerum ueluti omnium igna rus, hæc non ſatis intelligere potuerim. Quid ultrà? Vt iumentũ factus ſum apud te. Mirum admodum eſſet, ſi iumenta rationis expertia, ea quæ Dei ſunt peruesti gare conarentur. Vide itaq; cui rei æquiparetur homo in inueſtigandis Dei iudi cijs nimium anxius, amenti nimirum ac iumento. En quàm acuto noſtra confodi tur telo arrogantia. Parendum certè eſt ſimpliciter numini, diuinisq; aſſurgendũ ſumma cum ueneratione iudicijs: neq; illa quidem peruestiganda ſunt, quæ ſuæ ſolummodo eſſe ſcientiæ decreuit altiſsimus. Atq; eo ſanè modo mens hominis erudita, in Deumq; tranſiens per uoluntatis unionem, quam format amor, in ſe deficit, atq; ad nihilum, ut ait Vates, redigitur. nanq; ea prædita eſt Deus natu-ra, ut quencunq; ſuo ſanctiſsimo inflammauerit amore, ita exurat, ut in ſeſe feli-ciſsima tranſmutet conuerſione. Tunc ſanè noxij omnes adeduntur affectus, re-B nesq;, hoc eſt, carnales appetentiæ ſopiunt in anima illa, quę penitus ex ſe exiẽs, in quietiſsimo Dei ſinu obdormiſcit. Deficit igitur in ſeſe, propterea fit tanquam iumentũ, fit demens, fit inſipiens, fit nihil tandem, dum quadã deiformi tranquil litatis ecſtaſi & raptu ſe ſentit cũ ſuo ſemper amato requieſcere. Idcirco ſubiũgit:

Et ego ſemper tecum, tenuiſti manum dexteram meam.

Quare, perpetuæ, inquit, tibi curæ fui. Siquidem tu, tua benigniſsima me ma-nu ſuſtentaſti, tremulamq; dexteram meam, quò me à malorum profundo extra heres, apprehendiſti, meamq; increpaſti timiditatem, dicens: Modicæ fidei, ut quid dubitaſti? Tu igitur ſolus, non homo, non angelus, nõ quiuis alius ex ſupre mis tuæ feliciſsimæ uiſionis conſortibus, tenuiſti manum dexteram meam,

Et in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.

Tuo enim, inquit, conſilio, ac, quo perpetuo beatus es, propoſito & uolunta-te, quacunq; mihi eundum eſſet, fidiſsimus ueluti comes affuiſti, & me tandem tuis in bonis, quæ tua eſt gloria, & tota animę felicitas, collocabis. Suſcepiſti, He bræi legunt per futurũ, ſuſcipies, ſeu aſſumes. Vnde ſic Felix: In conſilium tuum deduces me, & poſtea in gloria aſſumes me. O certè nunquam ab animo delen-dæ Dei promiſsiones. O amor. Quid?

Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?

Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Vide hîc perfectiſsimam diuini amoris ecſtaſin, de qua ſuprà nonnulla dixi-mus: cuiusq; ea in primis uirtus eſt, ut amantem in ſe tranſmutet, exuatq; nõ ſo-lùm appetentijs illis craſsioribus, quibus interdum cùm magis ad cœleſtes adni-titur congreſſus anima, turbatur & concutitur, uerumetiã placidiſsima quadam à rebus omnibus conditis defectione ac morte, ad ſe rapiat, ſtricteq; adeò uniat, ut planè deiformis euadat. Ea quidem eſt quę hîc dicit: Quid enim mihi eſt in cœ lo, quod tanti faciam, quanti te? quod mihi præter te placere queat? quod te mihi irato non deteſter? nõ auerſer? quid? nulla me ſatiat creatura, ſiue in cœlis ea ſit,

C ſiue in terris. Omnia quippe inferiora me eſſe iudico, cùm me in te per amorem euectum ſentio, guſtoq; te ſuper omnem ſuauitatē ſuauiſsimū, atq; eum quidem in quo meus omnis conquieſcit intellectus, amor, uoluntas, cor, animus, caro tandem, ac bruti hi ſenſus. Quid igitur in terra meā quæro tranquillitatē? quid in ea eſt, quod tecum collatū non ſordeſcat? nō pereat funditus? nō mihi diſpliceat? Putásne me aliud in cœlis, atque in hoc mundi domicilio, poſſe amplius deſiderare quod nō ſit Deus? Ex hoc planè deſiderij æſtu atq; ardore deficit animus, deficit caro, conlangueſcūtq; ſimul meæ omnes in me uires. Nam tu, nō ego, non aliud quidpiā, deficientis cordis mei robur es, uirtus, atq; is ſolus, quem portionē omnem meam, quem uitā, quem ſalutē eſſe & ſemper uolui, & nūc recentiori ſtudio ac propoſito tum uolo, tū interpoſito quoq; iuramēto decerno, ſtatuo, delibero.

Quia ecce qui elongant ſe à te, peribunt: perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.

Cùm enim bonū animæ ſit Deus, quid, oro, putat ſe poſſe unq; aſſequi bonorum relicto Deo? Optima ſanè fuit improuidæ animæ doctrina, ſimilitudo illa obmurmurantibus propoſita de filio prodigo, ſuarumq; rerum decoctore, phariſæis. Quàm malè habuit infelix, ſimulac accepta à patre hæreditatis portione, peregrè profectus eſt à Deo in regionem longinquā. Quid, obſecro, imprudentiſsimus actitauit iuuenis à patre profugus? Diſsipauit, inquit, omnem ſubſtantiam ſuam uiuendo luxurioſe. Vide quid agat anima alienata à Deo, nempe ſuo in ſtercore, hoc eſt, ſuis in impuriſsimis putreſcit affectibus. Ignara enim miſera, quàm periculoſum ſit à Deo uel digitum quidem diſcedere, ſuis in actionibus & conſiliis adeò obbruteſcit & ſtupida fit, ut morbum ſuum nō ſentiens atq; egeſtatem, nihil tam quærit in hoc mundo, quàm quomodo fœdiſsimis ſuis amatoribus, qui ſunt in primis libido, ſuperbia, faſtus, crudelitas, atq; horum omniū altrix ambitio, proſtituatur, forniceturq; à Deo, cuius caſtiſsimos dedignata amplexus atq;
D oſcula, tanq; infamis meretrix à regio abigitur cubili & cōtubernio. Idcirco in re probam tradita uoluntatem, in omne uitæ ſcelus ac flagitium deuoluitur. quod ſanè eſt, quod hîc à ſpiritu noſtram ad cautionē dicitur: Ecce, inquit, qui à te procul recedunt, interibunt. nam tu, quę tua eſt in iudicando ęquitas, eos omnes perdere conſueſti, qui te ſponſo animæ derelicto, cuilibet impudentiſsimo copulantur lenoni. Heu perditam animam. Adamaui, inquit, alienos, & poſt eos ambulabo. Verùm illa, ut lubet, ſuos ſequatur adulteros,

Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam: Vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Perfectiſsima ea eſt animæ quies, cùm ſponſo Chriſto, quęcunq; contingant, adhæreſcit, in illiusq; ſinu, qui totus amor eſt, emoritur. Bonum, inquit, ſolum id eſſe arbitror, arbitror autem? imò perſuaſiſsimū habeo optimum illud eſſe, me ſuperuacaneis reiectis curis, falſisq; cōtemptis rerū imaginibus, uniri Deo, in eoq; ſpem omnem meam, qui meus eſt dominus & Deus, collocare: atq; hoc ſanè modo, mi Deus, tuas mirificas in me laudans operationes, cunctis illas, qui tuo ſanctiſsimo ducuntur ſpiritu, annunciabo. Cęterū de portis, in quibus conuentus habebantur, non ſemel in ſuperioribus dictum eſt pſalmis: quanquā in Hebręo dictiones, in portis filiæ Sion, non inueniunt: ſed tantummodo, ut enarrem omnia opera tua. In hiſce quidem enarrandis occupari debent homines, uel in primis illi, qui religioſi appellantur: nō in recenſendis regnorum bellorumq; tumultibus & diſsidijs, diſsidioſi ipſi, ſi qui ſunt tales, & plus quàm deſides atq; ocioſi. Mirum quàm longè, indignabundeq;, ab iſtiuſmodi colloquendi ratione ſeſe ſubtrahat ſponſus. Cui laus ſit ſemper, ac gratiarum actio in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LXXIIII. Eruditiuum Aſaph.

VT quid Deus repuliſti in finem? iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ.

Siue enim de immani illa Hieroſolymorū ruina & deuaſtatione, quę duce Tito futura erat, hunc pſalmum uaticinium fuiſſe intelligas: ſiue de illa

A illa quæ ſub Pompeio Antiochóue, ſub quo templum miris pollutũ fuit contaminationibus, imagineris: ſiue etiam de ſæuiſſima tyrannorũ perſecutione, qua afflicta fuit Eccleſia, à Chriſti nece uſq; ad tempora Conſtantini Imperatoris, aſſeras, nõ ſanè multũ à pſalmi argumento aberraueris: modò calamitatẽ aliam acerbiorẽ præſagiſſe Vatem certò ſcias, quæ adeò interdum crudeliter deſæuiſſe uiſa eſt, ut ſponſæ fidem nonnunq; iniuriarũ cumulo penè obrui inſpexerimus, ſponſum uerò ipſum ad tam indignũ ſuæ dilectæ uulnus connixiſſe, ac, uti ſolent obliuioſi, aliò diuertiſſe. Eò quippe aliquando noſtra deueniſſe tempora, quid tempora? & mores & uitam cernimus, ut planè hi eſſe iudicaremur, in quos uaticiniorũ omniũ congeries terminaretur. Idcirco qui propiori adhæreſcerent Deo ſpiritu, nõ fuerunt ueriti interdũ cum illo, quẽ unicè amarent, de his quę in mundo citra normã omnem ęquitatis fierent, deq; iniurijs in probiſſimos quoſq; illatis, expoſtulare ad hunc modum: Vt quid Deus repuliſti in finẽ? iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuę. Neſcio enim an quicq; calamitoſius eſſe poſsit, quàm cernere paſtorem in ſuũ gregem iratũ & crudelem. Cæterũ paſtor Deus eſt, nos autem oues paſcuæ eius. Verũ perſecutionũ acerbitatẽ id agere ſæpenumero experimur, ut illum quem miſericordiã ipſam decentius appellari fas eſt q; miſericordem, immitẽ immanẽq; penè, ac noſtrî immemorẽ clamitemus. Tametſi enim orbis ferè uniuerſus in Chriſti ſponſam ferociat, ut ferocire tum armis, tum doctrina quoq; & cernimus, & præ dolore contabeſcimus: num propterea tamẽ ita deſpondendus eſt animus, ut Deũ ipſum, patrẽ nimirũ omniũ & paſtorẽ, unà cum mundo in ſuos conſpiraſſe cenſeamus? Suntne hæc ſolidæ cõſtantiſq; in Deum fidei uerba, an nutantis potius & turbat? ut quid Deus repuliſti nos? ut quid oblitus es noſtrî? abieciſti ne perpetuò tua à cura miſeros? afflictos? ærũnoſos? ſunt ne iſtiuſmodi propriæ paſtoris partes, ut ſuos exterminet greges? Tu paſtor, tu pater, nihilominus iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ? Quid tibi uis, mi
B Deus? quid cogitas cùm ouiculas has debiles, tuas tamẽ, tuiq; ſanctiſsimi uerbi, ac ſpiritus pabulo in pratis Eccleſiæ altas, tandiu, ulla abſq; cura à mundi tyrannide, ab hæreticis, ab hypocritis, ab iſtis demum falſis paſtoribus illudi, diſcerpiq;, ac uti ſolent in laniena carnes unciatim concîdi & uenundari, ſinis diſtrahi? Vide uerborũ efficaciã. Hebræi enim quò ardentiorẽ hanc animæ querelã expri merent, ita hunc reddiderũt hemiſtichiũ: Fumat naris tua in gregẽ paſcui tui. Siquidẽ eũ eſſe morẽ in ualde iratis cernimus, ut ferè ignẽ è narib. ſpirare uideant.

Memor eſto congregationis tuæ quã poſſediſti ab initio, redemiſti virgam hæreditatis tuæ mons Sion in quo habitaſti in eo.

Is unus Hebræis eſt uerſus. Immenſa hæc eſt Eccleſiæ conſolatio, cùm ſe recolit à Deo uel ab ipſo rerum initio dilectã extitiſſe. Recordare, inquit, huiuſce cœtus hominũ, quorũ numerũ tu ſolus æterna computas ratione, è mundoq; ut tui ſint, eligis et ſecernis: quos tamen etiam anteq; mundum ipſum conderes ſempiterna tua uirtute, ac conſtantiſsima poſſediſti prouidentia, direxiſti, iuſtificaſti, ac tandem ſanguinis precio tui unigeniti adeò integrè tibi uendicaſti, ut plenum liberumq; in eos imperiũ, hæreditario ueluti iure haberes: & id quidem in monte ſancto tuo Sion, quæ tua eſt Eccleſia, in qua uera certaq; & tranquilla ſanctorũ eſt manſio. Poſſediſti ab initio, ſunt qui ex Hebręo uertũt, emiſti pridem, ſeu iam olim, quæ ſanè lectio ulla abſq; dubitatione Chriſti mortem, qua uniuerſus à peccato liberatus eſt orbis, oſtendit. Virgam item nõ ſine ratione huc eſſe adiectam cenſeo. Siquidem ut funiculis olim, ita uirgis agros metabantur menſores. Quanquam Aquila ſceptrum ſortitionis tranſtulit, & eſt ac ſi diceret: Portionem illam hominum, quam tu tibi per gratiam ueluti hæreditatem, immenſo crucis baculo dimenſus es, ac contra humanum morem (quis bona ſibi hæreditaria lege debita comparat?) & comparaſti, & tuam omnino eſſe uoluiſti, ne tua à memoria abijcias, ne ſpernas, ne auerſeris. Contrà potius,

Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem, quanta malignatus eſt inimicus in ſancto.

C Ferè quod Hebræi legunt, in æternum: noſtra editio habet, in finem. Eleua, inquit, in ſublime manum, quò fortius uulneres, proſternasq; in æternum ſuperbiſſimos iſtos homunciones. Prò quàm inſolenter, quàm malignè, quàm perfidioſe ſe habuit, etiam in ipſo ſacroſancto Eccleſiæ ſanctuario, atq; in ipſis ſecretioribus ſanctorum ædium adytis, tuus iſte hoſtis arrogantiſsimus. In ſancto, Hebræis eſt, in ſanctuario. Illud item quod noſter uertit interpres, leua manus tuas, plericq; ex Hebræo reddunt, attolle paſſus tuos, ſeu, leua incontãter greſſus tuos, ut uaſtes omnem inimicum. quorum uerborum ſenſum ſic reddit Paraphraſtes: Erige te in pedes, ut obuiam hoſtibus profectus, malis illos afficias nunquam finiendis: nihil enim non auſi ſunt in templum ſanctitati tuæ conſecratum. Nulli dubium, quòd hîc Vates ad templi conflagrationem duce Antiocho factam alludens, aliud deſtructionis genus, aliud incendiũ, aliam uim hoſtium uero Dei templo inferendam præuiderit: nempe illam, qua boni paſsim mores exterminandi eſſent. Ceſſarunt ne modò, an potius inualuere odiorum flammæ in templo ſancto Dei? in ſanctuario ipſo? in locis diis conſecratis? Quid de libidinũ incendiis proferam? quid ſtupra? quid furta cõmemorem? At illud non ſilebo, etſi cætera, Dei honoris percupidos maiore affici animi mœrore & luctu, ex incendio quod in Dei ædes (ædes Dei, ædes Chriſtianorũ appello) coniecit faſtus, atq; cum auaritia & libidine ambitio, quàm ſi perenni cernerent deflagrari flamma orbem uniuerſum, intacta fide, Deiq; cultu incolumi, ac religione. Heu benigniſſime Chriſte, quò noſtra (tuam dicere erubeſco) impudentiæ proceſsit congregatio, quam tamen poſſediſti ab initio? quò religio? quò mundus planè totus? Vbi iam ſpiritus? ubi ardor fidei? ubi nexus ille, cuius uirtute quicquid conditum eſt, quod ratione utitur, in te durat, uiuitq;, ac ſuum ſeruat ſtatum, charitas? Leua, leua, inquam, iam tandem in altum letalius percuſſurus manum. manum autem? enſem potius atq; haſtam, in ſuperbiã eorum, qui tuam conſtuprarunt ſponſam.

D Quanta, mi Deus, maligniſsima iſta improborũ colluuies in te machinant mala.

Et gloriati ſunt qui oderunt te in medio ſolennitatis tuæ.
Poſuerunt ſigna ſua ſigna, & non cognouerunt ſicut in exitu ſuper ſummum.

Singillatim hoſtium audaciam enarrat Vates: quam quidem, non omiſſo templi ueteris, atqueadeo ſynagogarum typo, ad Eccleſię tempora referri conuenit. Vndiq; enim morum diſſolutionem è ſuperba nonnullorũ uita dimanantẽ, iam feſsi uidimus, & maximo cum dolore etiamnum uidemus, experimurq; impiorum cineres, atq; oſſa hæreticorum è ſepulchris denuò excitari, reuiuiſcere, atq; in Dei templo uictoriæ ſigna ac trophęa erigere. Quid, oro, immanius, deploratiusq; audiri poteſt, q; improbos & flagitioſos eò uecordiæ prorupiſſe, ut peſſundato Chriſto, hoc eſt, calcata fide, pace q; & innocentia è ciuium conuentib. non tantum eiecta quantum oppreſſa, in Dei Eccleſia, in templis, in rebuſpublicis adeò inſaniant, atq; proborum fortunas, famam, uitamq; inhient, ut nulla alia è re ſe gloriam nanciſci uelle uideant, quàm ut Deum contempſiſſe appareãt? Quare non immeritò hîc queritur ſpiritus: Et gloriati ſunt, inquit, qui oderunt te. Sed forſan id meritò in ganeis, aut myropoliis, aut cruentis quoq; in amphitheatris, uel inter colluſores fieri toleramus: leuius iſtuc eſſet, etſi turpe: ſed in medio ſolennitatis Dei contingere lamentamur: hoc eſt, ut interpretatur Campenſis: Ipſis feſtis ſolennibus clamauerant tanquã uictores, non aliter quàm pij ſolent præ gaudio cantare in honorem Dei, ſubindeq; (prò audacia) erexerunt uexilla ſua in trophæum. Solent quidem uictores, urbe aliqua expugnata, aut arce, primis reſixis ſignis, alia uictoris in ſublimiori urbis loco figere, ex altoq; clamare, ac uictoris nomen ingeminantes inſolentiſsimum in modum ouare. Ita etiam, ſi quid in unaquaq; agatur urbe aut republica, aut cui ſubiecti ſint populi, intelligere cupimus, ex editioribus murorum locis, aut turribus, qua impreſſa ſint nota uexilla ſuſpicimus. Quare ſi ex illis cernis cruorem è cruce Chriſti effluere, hoc eſt, ſapientiam, pacem, dilectionemq; ciuium mutuam, & pietatem, totum uexilli campũ occupare,

A occupare, quid putas? Deus urbi illi præſidet. Si uerò contrà, haud cruore quidem Chriſti, ſed ciuium innocuorum conſperſa ſigna uideris: ſi ſuperbiam, ſi dolos, ſi uſuras, ſi odia, ſi faſtum, ſi inuidiam, ſi ambitionem, ſi libidines & ſimultates, totũ iunctis quaſi manibus complecti uexillum inſpexeris, illic abſq; dubio regnare dæmones affirmato. Iam illud conſiderandum, quid ſibi uelit in noſtro interprete, Et non cognouerunt ſicut in exitu ſuper ſummũ. Eum quidem ſignare ſenſum uidetur, quòd qui prophanato templo impietatis ſigna affigere decreuiſſent, non intelligentes quàm impium id eſſet res ſacras polluere, in portarum illa exitu editiori in loco, quò cõſpicua eſſent omnibus, affixerint. Indicium nimirum leuiſſimæ illius gloriæ, de qua illud eſt: Et gloriati ſunt qui oderunt te. Verùm alium quoq; prætendi ſenſum ex hebræo, obſcurum tamen & ambiguũ, uideo. Sic Felix: Cognoſcetur uelut adducens ſuperius. Alius item ex eodem fonte: Nobilis erit ſicut adducens ad ſublime, et eſt perinde ac ſi uertiſſent: Qui olim iſthuc Dei templum ædificare inſtituiſſet cœpiſſetq; (is CHRISTVS eſt) utpote qui maximo id labore ac ſumptu egiſſet, cognoſcebatur ab omnibus, ac tanq; ille qui ſanctum cuperet ædificium abſolui, & uſq; ad ſupremũ euehi faſtigium, laudabatur: nunc nulla illi habita reuerentia & reſpectu, tam ingenti elaborata ſudore moles (uide uim crucis) diruitur, æquéue ſuccinditur, ac ſolent ſyluæ ſecuribus ac malleis dirui ac ſuccindi. Quare additum eſt à Vate,

Quaſi in ſylua lignorũ ſecurib. exciderũt ianuas eius in idipſum, in ſecuri & aſcia deiecerũt eam.

In idipſum, quod aliàs ſignificauimus, unà uel ſimul, interpretantur. Cæterũ huius uerſus ſenſus ita ferè a Chaldæo redditur: Sicut, inquit, eminet qui ſecurim eleuat ad decidendos ramos arborum, ita iſti bipennibus & malleis omnia cõminuunt. Hinc ſanè celerem iratumq; animũ in demolienda Dei religione, nonnullorum licet animaduertere. Verùm ſenſus qui à Paraphraſte noſtro redditur, planior uiſus eſt, ac minus obſcurus. ſic ille: Palàm uidentibus cunctis (en quomodo
B interpretat, non cognouerunt) aſcenderunt uaſtaturi templum tuum, non aliter quàm ſyluam lignorũ ingreſsi arbores truncare ſolent. Iam nunc id agunt, ut ianuas, & omnem penitus ornatũ illius ſecuri & malleis perdant. Nam dictio quã noſter habet interpres, aſcia, Hebræis eſt, malleo, ſeu malleis: qua uoce duros eccleſiæ miniſtros, ac ſæuos in rebuſpublicis dynaſtas & magiſtratus, quorum ſæuitia contundi ſolent atq; atteri proborum fortunæ, ſignificari arbitror: quemadmodum bipenni, ſuperbam eorundem conſuetudinem ac dominium, quo templi ianua, quę fides eſt, reſcindi conſueuit, atq; à poſtibus euelli. Hi ſunt enim qui

Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui.

Omni genere libidinũ, cupiditatumq; flamma atq; auaritiæ, non ſolùm parietes ipſos, ac ritus eccleſiæ, & fœdarunt & incenderunt (ut olim immanis ille Antiochus, qui in templo aram antiquo Iudæorum cùm extruxit, tum in ea ad rei ſacræ contumeliam porcos immolari iuſsit) uerumetiã ſacrarium ipſum Dei, ipſa fidei myſteria, clauſtraq; diuinitatis & caſtimoniæ, quæ ſunt puræ animæ, turpiſſimum in modum conſpurcarunt, ac horrendo fermeq; inextinguibili exuſſerũt incendio. Quò non prorupit illorum proteruitas? Cui aliquando ætati, cui ſexui pepercit impuriſsima atq; inſaturabilis illorũ libido? Pollutum eſt iam cœlum, polluta tellus, pollutus aër, polluta condita omnia in terris. Quare,

Dixerunt in corde ſuo cognatio eorum ſimul, quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra.

Ea tandem improborũ peruerſa eſt uoluntas, ut non ſit Deus: uel ſaltem, ut illius nomen ac religio è terris exulet. Certiſsimũ ſanè id eſt deſperatæ mentis indicium, cùm Deũ atq; eius legem non eſſe, quò liberius peccare poſsit, exoptat. Vide nefandam quorundam conſpirationẽ. Dixerunt, inquit, in corde ſuo: hoc eſt, ex animo unà omnes & conſultò decreuerũt hoc modo: Quieſcere faciamus à terra, deleamusq; ab illorũ aris ac templis quicquid illud eſt, quo illorũ colitur Deus. Omnes dies feſtos, Hebræi habent, omnia templa ſiue ſynagogas. Quib. quidem uerbis adducor, ut de Chriſtianorũ templis uaticiniũ eſſe exiſtimẽ: alio-

C quin unum duntaxat Iudæis templũ fuit. Quã uerò ætatẽ conſpexerit tunc ſpiritus, ipſe nouit. Præteritorũ quidem tyrannorũ multitudo, forſan & præſentiũ, id admonere uideť, quòd unaquæq; ætas, quid pro Dei honore cõtaminato queri poſſet, ſemper habuerit. Et quidem cùm ego haſce atq; harũ ſimiles uerſo animo querimonias, aliud ſtatim incendij genus, aliam direptionem, alios tyrannos q̃ fuerit Antiochus, aut quàm ſit ignis iſte uiſibilis, ſeu aræ dirutæ lateritiæ, uel templi marmorei, precioſiſsimoq; uariegati muſæo, profanatio, uidere mihi uideor. Id profectò nefandiſsimũ cùm ſit factu, illud ſcelus omne exuperat, utpote quòd animas à Deo auferat, id muros ſolummodo, ac cęremonias. Verum illud nos ſolari debet, quòd ſi incendunt ſanctuarium Dei in terra, non incendunt in cœlis, ubi Eccleſia fixas habet radices in Deo. Interea tamẽ maximo cũ mœrore animi,

Signa noſtra non vidimus: iam non eſt propheta, & nos non cognoſcet amplius.

Illud unũ ſemper Iudæis tum in Aegypto cõmorantibus ſub tyrannis, tum in eremo, tum in cæteris ſuis aduerſis, præcipuũ diuinæ fuit beneuolentiæ ſignũ & indiciũ, quòd nunquã illis placatioris uitæ ſtatũ quæ portenderent ſigna & portenta, aut prophętę, qui à malis liberationẽ pollicerent, defuere. unde illa eſt Dei promiſsio in Exodi libro: Signa, inquit, faciã, quę nunquã uiſa ſunt ſuper terrã, nec in ullis gentib. Hac enim diuinæ beneuolentiæ nota contenti, quæcũq; aduerſa contigiſſent, æquo tolerabant animo. Verũ poſtea ſua ſic exigente perfidia atq; impietate, ab iſtiuſmodi cœlitus beneficijs deſtituti, deſertos quoq; à Deo, ac reiectos ſe opinabant. Quocirca innumeris nonnunq;, atq; his quidem amariſsimis ſuã conqueſti ſunt ſortẽ, & lachrymis, & lamẽtis, ut hîc uidere licet. An uerò in Chriſtianorũ cœtibus ſigna illa antiqua appareant, de quib. ſic olim ſuos alloquens diſcipulos diſſeruit Chriſtus, dicens: In hoc cognoſcent omnes, quòd mei eritis diſcipuli, ſi dilectionẽ habueritis ad inuicẽ: uix aſſequor coniecturis. Ergo amor nota illa eſt ac ſymbolũ, quo quis an Chriſti diſcipulus ſit, cognoſci poteſt.

D Ergo minimè uerendũ eſt, eum ipſum hominẽ qui in charitate nõ ſit, in Deo nõ eſſe, affirmare. Sit igitur quiſpiã quantũuis doctrina, aut politis perornatus moribus, & cęremonijs, ſi charitatis gratia atq; ornamento uacuus inuenitur, eundem ipſum Dei ſpiritu uacuũ aſſeuerabo, idcirco exlegẽ, atheũ planè ac perditũ. Affligimur enim, uarijsq; & atrocioribus interdũ, q̃ olim Iudęi, exagitamur aduerſis. Sub hęc morbis penè infinitis, tẽpeſtatib. penuria, odijs, mutuisq; diſcordijs & bellis obruimur, & adhuc ſigna liberationis apparẽt nulla, quia nulla eſt in nobis reſipiſcẽtia, nulla à delictis cautio, nulla circũſpectio, nulla prorſus pax, ac tũ in Deũ tũ in homines dilectio. Eã ob rem angeli pacis amarè flentes noſtrã execrant malitiã. Cęterũ, Et nos nõ cognoſcet amplius, idẽ Hebręis eſt, ac ſi dicas cũ Paraphraſte: Nec quenq; dediſti nobis, q ſcire poſsit quãdo horũ liceat ſperare finẽ, niſi maiuis, cognoſcet, ad Deũ referre, & erit ſenſus: Olim Deus, ut pius ſolet paſtor ſuas oues, nos agnoſcebat, ditabatq; ſui ſanctiſsimi ſpiritus donis, modò uerò nos nõ cognoſcet amplius, quippe q acerrimi facti ſumus illius religionis hoſtes. Verũ

Vſquequo Deus improperabit inimicus? irritat aduerſarius nomen tuum in finem?

Heu ſupreme atq; altiſsime Deus, quouſq; adeò inſolens is erit homuncio, ut te audeat cõtumelijs laceſſere: te adlatrare: ac tuã in maieſtatẽ blaſphemus eſſe: Perpetuóne id erit: ſat ſit quæſo, illum immaniſsimè tuã hactenus in religionem iniurias congeſsiſſe. Irritat, blaſphemabit uertunt ex hebræo, uel huic conſimile. quare ſic Felix: Blaſphemabit inimicus nomen tuum in æternũ: Quod qui agit, is Deum prouocare uidetur. Idcirco eundem refert ſenſum utraq; litera. Ad hæc,

Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio ſinu tuo in finem?

Volunt nonnulli ſinum in Deo copioſam illius eſſe donorũ abundantiã, dempta nimirum ſimilitudine à prjs patribus & amicis, qui, quò in obuios pueros aut amicos benigni appareant, ſinu nonnihil donorum geſtare ſoliti ſunt. Rogatigitur Deum anima, ne largiſsimam ſuæ beneficentiæ manum è ſinu, in quo bonorum omnium copia eſt, amoueat: hoc eſt, ne iratus ab elargiendis ſuarum gratia-

rum

A rum muneribus deſiſtat. quòd ſi ad tempus, ne id perpetuò faciat (ſic, in finem, interpretantur) rogitat. Manum tuam, & dexteram tuam, pro utraq; manu interpretatur Campenſis: ſed alio ſenſu, ut plerique ex hebræo. Sic Felix: Quare conuertes manum tuam? & dexterã tuam è medio ſinus tui aufer. Quam ob rem, inquit, conuertes manum tuam à beneficentia? Cur ceſſas, ut ſolent ocioſi atq; inertes, qui nihil agentes, in ſinum manum condere conſueſcunt? Aufer, aufer, inquam, manum è ſinu, ut tuis protectis amicis, ſceleratos iſtos in tuam religionem maledicos ulciſcaris. In finem, non eſt in hebræo: Paraphraſtes tamen, funditus interpretatur. Quare, inquit, contrahis utranq; manum inſtar hominis ocioſi? Profer, quæſo, tandem eam è ſinu tuo, & perde hos impios in te homines funditus.

Deus autem rex noſter ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.

En quomodo anima fidei ſtimulis excitata, ab incœptis in Deum querelis pedetentim deflectens, in diuinę laudes potentię reſoluitur. Ecce, inquit, Deus rex noſter ab æterno: nempe potentiſsimus, atq; idem ipſe miſericors, & beneficus. quid ueremur? Ipſe, qui à prima rerum origine ſemper etiam in medio ipſo terræ, hoc eſt, palàm, cunctiſq; cernentibus, ſuis opitulatus eſt, deerit ne modò? Solent quidem illa, quæ in medio urbium centro fiunt, propalàm fieri: eapropter, in medio terræ, pro patenter poſitum, exponunt ex hebręo. Vnde Paraphr. Certè ille, inquit, Deus rex mihi fuit à ſeculis plurimis, qui innumeris argumentis palàm oſtendit, in medio huius terræ uires ſibi non deeſſe. Quòd porrò hanc particulam de mortalium ſalute, quam Chriſtus operatus eſt in Hieruſalem, quam in medio orbis climate ſitam eſſe affirmant, nonnulli interpretentur, piè id quidem, uerùm alia in hoc loco uidetur eſſe ſpiritus intentio: ea nimirũ, ut Dei amicos faciat ab antiquis collatis in patres beneficijs, diuinã erga omnes, ac patentẽ atteſtari & poteſtatẽ & beneficentiã. Quocirca per partes rem narrare incipit in ſequentibus.

Tu confirmaſti in virtute tua mare, contribulaſti capita draconum in aquis.

B Memorabile primùm, ac planè ſtupendum infinitæ Dei potentiæ exemplum adducit uates, cùm duce Moſe Hebræorũ populus ſiccis tranſuadauit mare ueſtigijs: de quo ſic Moſes: Diuiſa eſt aqua, & ingreſsi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus à dextera eorum & lęua. quod idem eſt, quod hîc à uate dicitur: Tu confirmaſti, corroboraſtiq; ui tua ac potentia maris undas hinc & hinc, ac ſi ſolidi extitiſſent muri: atq; ſubinde capita hoſtiũ in ipſis contriuiſti fluctibus, obruto Aegyptiorũ exercitu aquarum æſtu atq; impetu. Rex enim Aegypti in ſcripturis, Leuiathan, ſeu draco nonnunquã appellatur: id circo & Aegyptij, dracones, ut in hoc loco intelligere poſſumus. Vnde illa eſt Dei cõminatio in Ezechiele: Ecce ego ad te Pharao rex Aegypti draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, Hebręi, ſecuiſti mare, ſeu diſsipaſti, ut reddit Felix, transferunt.

Tu confregiſti capita draconis, dediſti eum eſcam populis Aethiopum.

Draconis, Leuiathan uertit Felix, quod idem eſt: ſiquidem Leuiathan magnũ eſſe draconem aſſerunt autores. Pro diabolo aliquando ſumitur: hîc uerò pro Pharaone, ut diximus: cuius capita, nempe uires tyrannicas, ſeu illius proceres & duces, tanquã capita Lerneæ Hydræ, à Dei manu contritos canit uates. Quomodo uerò fuerit eſca populis Aethiopum, ambiguum uidetur. Ex hebræo ſic ferè uertunt: Dediſti eum in cibum populo deſerta incolenti: uel, habitantibus ſolitudinem, ut uertit Fel. quæ quidem omnia de feris, rapacibusq; uolucrib. ut ſunt naturaliter uultures & corui, qui cadauera ubicunq; fuerint ſequuntur, intelligi uolunt. quare ſic Paraphraſtes: Fregiſti uires illius, qui ſimilis uidebatur draconi maximo, & capita habenti plurima: obieciſti eum feris deuorandum, & coruis qui in deſertis locis uerſari ſolent, & uictitare cadaueribus. Viderunt, inquit Moſes, Hebræi Aegyptios mortuos ſuper littus maris. qui locus illiuſmodi cruentis alitibus, ob cadauera à fluctibus eiecta, ut fuerunt illa Aegyptiorum, frequentatiſsimus eſſe ſolet. Ad hæc,

C *Tu dirupiſti fontes & torrentes, tu ſiccaſti fluuios Aethan.*

Siue hîc fontes, & torrentes aquas ui è ſaxo diuina erutas in deſerto Sin per Moſen, quæ largiſsimę egreſſæ ſunt, ut in Exodo legimus, ita ut populus biberet & iumenta, accipiamus: ſiue generaliter fontium ac fluminũ eruptiones è terra, miraculo nimirũ ingenti & ſtupendo, intelligamus, errare nequaquã poſſumus: utrunq; enim diuinã teſtatur potentiã & maieſtatem. Porrò Aethan locus erat, in quo olim, ut Moſes ait in ſuo Exodo, è Sochor egreſsi caſtrametati ſunt filij Iſraël in extremis finibus ſolitudinis, nõ multũ adeò à littore maris Rubri deſitus. atq; hoc ſanè modo de mari iterum exiccato mentionẽ feciſſe Vatem ſub fluuiorum nomine arbitrantur quidam. Verùm qui Aethan nomen appellatiuum eſſe ducunt, propius ad Vatis mentem accedere uidentur: ut diuus eſt Hieronymus, qui tranſtulit, flumina fortia: nam Aethan robuſta, ſeu fortia interpretãtur. unde alij ex hebręo uertunt, flumina ualida, uel fluuios immanes. Paraphraſtes autem, fluuios rapidiſsimos. quod de Iordane arefacto in tranſitu populi ad terram Chanaan, doctè ſanè ac poëticè Vatem ceciniſſe exiſtimamus. quanquã nihil prohibet, quo minus hæc omnia de uniuerſalibus diuinæ potentiæ indicijs, ad particularia nihilominus alludentem miracula, olim populo illi duriſsimo & murmuratori exhibita, dixiſſe Vatem opinemur, quemadmodum & ea quæ ſequuntur.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus es auroram & ſolem, æſtatem & ver, tu plantaſti ea.

Aeſtatem & hyemem uertunt Hebræi: uerùm non multũ refert. Id perſpicuũ, maximam hîc Dei in diſtinguendis moderandisq; rebus conditis deſcribi prouidentiam. Niſi hæc malis omnia ad antiquũ illud referri miraculum, quo denſiſsima obuoluta caligine Aegypto, pars ea, in qua Dei populus cõmorabatur, lucida extiterit. A te, inquit, uiciſsitudo hæc mirabilis dierũ & noctiũ, lux item, ac ſol iſte ſiderum omniũ pulcherrimus, emanarunt. Tu omnes terminos terræ firmos
D eſſe ſanxiſti, atq; inuariabiles. Tu æſtatem, tu uer ab hyeme, ordinatiſsima ac certa diſcreuiſti ratione, iuſsiſtiq; ſuum ab ęterno ſibi pręſcriptũ ſeruare ordinẽ. Nec mirũ ſanè: nam tu hæc omnia in numero & menſura ſapientiſsimè effeciſti. Omnes fermè ex hebræo uertunt abſq; pronomine, ea. Sunt & qui aurorã & ſolem, lucem ſeu lunã, & ſolem uertũt: quod planè Felicẽ ſenſiſſe ſuſpicor, qui ſic tranſtulit: Tu ordinaſti luminare, & ſolem. Cùm igit̃ tam potens ſis dñs & terribilis,

Memor eſto huius.

Illud uindica, de illo q;, quod ſtatim dicã, ſeueriſsimas pœnas ſumito. quid illud?

Inimicus improperauit Domino, & populus inſipiens incitauit nomen tuum.

Heu ſcelus inauditum. Nónne id per ſe ualde deteſtandũ, dignumq; animaduerſione cenſebitur, profligatiſsimos ſcilicet homines in proborũ exiſtimationẽ & uitam conſpirare auſos, niſi & te quoq;, ô domine, contumelijs afficiant, laceſſantq; iniurijs & conuicijs? Vulgus inſipiens & ſtolidum improborũ, qui ſuę ſortis immemores, nõ ſolùm hominẽ, mortales utiq; mortalem, ad bellum prouocare nõ ſunt ueriti, uerumetiã te irritare nõ reformidant. Quid hoc furore inſanius? homo ne nihili altiſsimũ iniurijs laceſſere attentabit? Atqui nihil aliud id eſſe opinor, quàm, cùm tam audax ſit homo, ut Deo contempto, in id prorſus impietatis corruat, ut quicquid humanus ſuggeſſerit ſenſus atq; affectus, illud data opera in diuini honoris contumeliam, atq; bonorum uirorum exitium ſceleratiſsimè impendat. Nequiſsimi hi appellantur homines, licet interdum ſanctiſsimi uulgò appareant. Horum itaq; peruerſæ haud immemor eſto uoluntatis, ô Deus: hos reprime, his frænum inij ce.

Et ne tradas beſtijs animas confitentium tibi.

Hebræi ferè omnes transferunt, Ne tradas beſtiæ animam turturis tuæ: hoc eſt, animam uiri innocui, imbelliſq;, ac ſuas ſimpliciſsimè ingemiſcentis ærumnas, ut ſolet turtur ſolitaria ſuo amiſſo conſorte, ne beſtiæ dominio, tyranno ſcilicet impuro & crudeli ſupponas. Moab noſter ſuperbus eſt ualde, idcirco quid illi cum turture prorſus inermi, atque omni iræ genere uacuæ & humili? Qui ſint

porrò

A porrò turtures, confitentes ſcilicet domino, ſequenti aperit hemiſtichio.

Et animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem.

Hoc eſt, puras animas, à mundo q; deriſas, deſpectas, afflictas, tutum q; ob honorem & cultũ, quæ eſt fides morũ pulchritudine perornata, contumelijs affectas, ac demum re omni mortali, atq; affectione denudatas, etſi ad tempus, id exigente crucis lege, deſpicere uidearis, ne perpetuò tamen ad illorũ conniueas afflictiones. Nihil enim crudelius, quàm à beſtijs dilaniari. Beſtia quippe eſt dæmon. Beſtia illius perfidiæ imitator homo. Beſtia tandem is eſt, qui cùm multa pollicitus ſit Deo, fregit fidem. Verùm tu Deus tantæ horum impietatis memor,

Reſpice in teſtamentum tuum.

Vna hæc eſſe ſolet miſerorũ conſolatio, cùm antiquarũ illis in mentem uenit pollicitationũ Dei, quibus teſtamento ueluti obſignato, ac fœdere, ſe ſuis nunc q; defuturũ, uel à prima ipſa rerũ conſtitutione promiſit, pluries q; teſtatus eſt. Etenim non eſt mens tam ſtupida ac dura, quę cùm horum meminit, ui fidei ac ſtimulis puncta, non ad ea ſperanda excitet, quę æterno firma eſſe conſilio in Deo, probè nouit. Reſpice igitur, nõ ad illa, quæ nobis propter peccata quamplurimis de bentur nominib. ſed ad inuiolabile, quod olim cum homine percuſſiſti, fœdus & pactum. Quid? nónne in teſtamento illo tuo amore pleniſſimo, quod tu è terris excedens corpore, rato ſanxiſti iuſiurando, illud in primis notatũ fuit: Ecce ego ero uobiſcũ uſq; ad conſummationẽ ſeculi? huiuſce igitur recordare ſanctionis. Cæteroqui tot inter rerũ difficultates atq; incõmoda diſtrictis, ad quem nobis erit effugiũ, cùm omnes quæ ſua ſunt quærant? hoc eſt, nihil non agunt, quò ſuas expleant cupiditates ac libidines, non quomodo tua augeatur religio, & pietas. Non immemor itaq; eorum, quę pollicitus es, in noſtram conijce oculos miſeriã.

Quia repleti ſunt qui obſcurati ſunt terræ domibus iniquitatum.

B Clarior ſic reddi poſſet etiam ex græco litera: Quia obſcurati terræ repleti ſunt domibus iniquitatũ. hoc eſt, hi, quos ſuperius ob morũ aſperitatem ac ſæuitiã beſtias appellare libuit, tuo deſtituti lumine, atq; proinde obſcurati cæci q; facti, terrenis adeò affixi ſunt rebus, ut non ſolùm iniqui uocari gaudeant, ſed etiam illi, quorũ domus omni prorſus iniquitatũ redundet genere. Metaphoricè enim, domus iniquitatũ poſuit Vates, pro ſumma iniquitatis copia & menſura, qua & ipſi, & ipſorũ domus, tota nimirũ familia, infecta ſit. Verùm alium ex hebræo reddi ſenſum ſuſpicor, cùm aliam planè diſsimilem à noſtra intueor literã. Sic Felix: Quoniã repletæ ſunt obſcuritates terræ habitaculis iniquitatis. Antra, inquit, ſpeluncæ & ſolitudines, in quibus Dei amici à uulgo abhorrentes ſeſe abdunt, non ita obſcuræ ſunt & ſubterraneæ, quæ tutæ ſint à conuentu malignantiũ & domicilio. Quò non prorumpit iniquorũ furor? Certè eò nos malorũ propter eorũ inſaniã deuenimus, ut inquit Paraphraſtes, ut in teterrimis locis, & ueluti ſubterraneis & obſcuritatibus pleniſſimis degere mœſti cogamur: nec hæ tamen domus ab iniuria & inſultibus hoſtiũ immunes ſunt. Quod porrò credentib. erant olim ſpeluncæ, atq; propter perſecutionũ immanitatem ſolitudines, idem nunc ſunt cœnobia & clauſtra. Verùm illud cauendũ, ne id aſotis, mangonibus, alióue modo ignauis & turpi egeſtate laborantibus perfugiũ nunc ſit, quod ad proborũ ſolamen & refrigerium inuentũ fuit. Quòd ſi tamen, ô Deus, uiliſsimũ id genus hominum ad piorum probationem nonnihil poſſe in mundo decreuiſti, at ſaltem

Ne auertatur humilis factus confuſus.

Ne abs te, oro, quemadmodũ à prauis iudicib. eiecti, inauditiq; ſumus, cõfuſi eiiciamur, indeq; & à mundo, & tua inſuper à præſentia, in qua omnis ineſt conſolatio, & uitæ ſolatiũ, repulſi deſperatiq;, in æternã obtrudamur mortẽ. Itáne uerò cum his, qui ſuperbo atq; arroganti ſupercilio, ſe tuo à ſanctiſsimo ſpiritu deſtitutos præ ſe ferũt, deſtituimur & nos? Quid? ſi ſic & amici & inimici uno impietatis exitu conuoluuntur, quis tuum laudabit nomen? quis cultum? Eſto, impius, ſacrilegus, parricida, teſtamentorũ, conuentorũq; & fœderum uiolator, fal-

C sarius, atq; huius generis alij te minimè laudare possunt: num proinde & cæteri, qui ab illiusmodi sordido uitæ instituto abhorrentes, malè audiunt & affligun-tur, non laudabunt? Scio Domine quòd

Pauper & inops laudabunt nomen tuum.

Te extollent, te, uel usq; ad uitæ effusionem, inuito mundo celebrabunt. Quare

Exurge Deus, iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum qui ab insipien te sunt tota die.

Vide quo nitantur fine tot sanctæ animæ querelæ, quæ tametsi Dei iudicia re prehendere uideatur, non reprehendit tamen, uerùm stupidè admiratur, eaq; nō secus atq; ipsummet Deum & colit, & ueneratur. Vide, inquam, quomodo suas cum mundo controuersias & lites, Dei esse asserat. Contende, inquit Felix, liti-gium tuum. Impossibile quippe est animā diuini honoris studiosam in his, quæ ad proprios attinet affectus & commoda, si illis ipsis rebus, quas querit aut expe tit priuetur, uel si iniurijs afficiatur, multum angi: at ubi cernit Dei honorem peri clitari, adeò immaniter affligit, ut leuior omnino illi esset mors, & ea quidem a-cerbissima, quàm sic malè haberi in terris Dei religionem intueri. Idcirco quic-quid iniuriarum ob læsum Dei honorem subit, pro Deo, illiusq; causa id eam su-bire arbitrandum est. Causa igitur, pro qua malè in mundo audire innocentiam contingit, Deus est. Vnde non immeritò hîc clamat anima: Exurge domine, qui tuas ad iniurias dormire uideris, ac tuam ipsius causam tutare, consideraq;, quàm indignis à gente ista stolida atq; impudenti, habearis contumelijs & probris: & id quidem (quod nequissimam illorum auget impietatem) quotidie. Te enim tuam non curante causam, quis curabit? quis in hac maximè perditissima ætate, in qua quod lubet audent nonnulli impunè, pro ea in iudicio stabit? Clarius etiā ex græco uertisset hunc uersum interpres, hoc modo: Memor esto opprobrij tui,
D quod ab insipiente fit tota die. Ex hebræo item: Memento opprobrij tui ab insi-piente tota die. Interpres enim cùm neq; ex græco, neq; ex hebræo purè transtu-lerit, ambiguum fecit sensum, quem sic dilucidè suo more expressit Paraph. In memoriam reuoca qua sis contumelia affectus à populo ad impietatem usq; sto-lido, non semel atq; iterum, sed assiduè. Quamobrem

Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum, superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

Non raro diximus, Deum penè obliuionis accusari, cùm non æquè citò, ac nostra expetit præpropera in omnibus uoluntas, aut miseros à miseria eximit, aut impudentium hominum in bonos licentiam non coërcet. Vide hîc fiduciam animæ, quæ suos persequutores, Dei hostes appellat. Haudquaquā profectò mirum: nam qui alicuius sponsam uiolauerit, quomodo sponsum se habere ami cum opinari poterit? Atqui ne diutius in perueſtigando, cuius naturæ hi sint, qui meritò Dei hostes censeri possint, quorumq; blasphemiæ, ac tum in Deum ipsum, tum in illius amicos obloquutiones, puniri debeant, torqueamur, addi tum est à Vate, superbos illos esse, atque arrogantes. Superbia, inquit, illorum, ac fastus, non solùm in humiles, tuiq; honoris percupidos tumidè fertur, uerum-etiam ad te usq; ascendere arrogantissimè conatur. Hi sunt igitur, qui tanquam seditiosi illi fabricatores turris Babel, aut similes perditissimo angelorum prin-cipi, te (prò scelus scelera omnia excedens) uitæ æternæ erogatorem, odio con-tumelijsq; incessunt & persequuntur. Nonnulli ex hebræo fastuosi cordis mo-rem efficacius exprimunt in uerbo, ascendit. Sic quidam: Fastus enim insurgen-tium in te uehementer crescit. Expressius rursum Paraph. Contumelioſa enim uociferatio eorum qui se opponunt tibi, assiduè fit maior & maior. Fumi certè instar est superbia, qui alta & lucida, quanquā ipse obscurus sit & ater, naturali-ter appetit, uerùm in medio ipso turbulento suo conatu resoluitur in aërem, pror susq; euanescit, & amplius fumus non est. Ita est superbia, ita ambitio, ita fastus. Sed illud supra omnem mirationem admirandum, quòd ab illius generis homi-nibus fumus iste demanat plerūq; execrabilis, qui cùm nobilissimū in rebus pub.

ac

A ac templis obtineant locum atq; ordinem, ea ardere deberent ſpiritus conflagratione, quæ nihil niſi purgatiſsimã flammã atq; ignem abſq; fumo in ſubditos deriuaret. Quòd porrò fumoſus ſit rex, aut princeps, aut philoſophus, penè id tolerandum, cùm mundo ipſi imperent, ſeu potius ſeruiant, qui fumoſus eſt, & abſq; luce: at loca ſancta cernere tam denſa obnubilari caligine, ut habitantium oculos eruat, quomodo ferendum? quomodo non pertimeſcendum? Heu fidei naufragium. Verùm utcunq; Moab ſua in ſuperbia & arrogantia tumidus ſit, atq; inſaniat, ſua nihilominus Deo eſt gloria & imperiũ in ſecula ſeculorum. Amen.

PSALMVS LXXV.

Effundenti ſanguinem. Ne diſsipes. Pſalmus Aſaph. Canticum.

Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum, narrabimus mirabilia tua.

Omnia enim, quæ in huius inſunt pſalmi inſcriptione, fuſius in ſuperioribus ſunt dicta, q̃ ut denuò repetantur. Etenim crebra unius eiuſdemq; rei repetitio, tædium magis afferre ſolet, q̃ oblectamentũ, atq;, quod in primis hiſce in cõmentarijs requirimus, utilitatem, ac Dei honorem. Chriſtus hîc eſt qui loquitur, & qui ſe patrem cum ſuis laudaturum pollicetur: additq; de futuro iudicio, in quo ſe horrendum fore impijs iudicem fatetur, nonnulla. Horum quippe omniũ umbra tunc fuit Iudæorũ famoſa illa captiuitas, atq; è Babylone liberatio, in qua omni abiecto mœrore & luctu, liberè cœperunt, autore Cyro, diuinis uacare cæremonijs. Tunc ſanè Eccleſiæ, à peccati iugo mortiſq; imperio per Chriſtum aſſerendæ, expreſſa fuit imago. Alioqui certè cor hominis uitiorũ adhuc catenis innodatũ, quomodo Dei religioni et cultui, qui natura igneus eſt, liber, & totus ſpiritualis, ritè, ut par eſt, ſeruire poterit? A ſenſibus igitur exeundum eſt omnino, atq; à mundo, illis qui liberè in Deum per fidei confeſsionẽ, cuius hîc adumbra-
B tur uirtus & efficacia, tranſire appetunt. Eiuſcemodi quidem ornatus fuit Chriſtus perfectione uitæ ac doctrinæ, quò nos ab omni bene uiuendi ratione alienos ad ſe (quæ illius benigniſsima eſt natura) traheret, tranſmutaretq;, atq; propterea ad ſuam formaret imaginem, ut certè formauit. Quam ſanè Eccleſiæ perfectionẽ in ſe transferens Paulus, aiebat: Viuo iam non ego, uiuit autem in me Chriſtus. Torpeſcunt hîc (credo) nonnulli uel ex ipſis forſan, qui ex ædita iam Chriſti nominis profeſsione, quam non ſolùm baptiſmi teſtimonio, ac iuſiurando præ ſe tulere, uerumetiam alia inſuper addita pollicitatione, qua ſyncerioris, quàm uulgò fit, uitæ genus ſe uicturos ſpoponderunt, ſe tutos arbitrantur, dicuntq;, haudquaquam id ab homine carnis onere preſſo, præſtari poſſe. Quare ſua tantummodo neſcio qua contenti deuotione, ut uocant, teſtudinis ſimiles ſunt, quæ à uenatoribus, aut aëris procella & tempeſtate perterrefacta, putat ſe tutam, ſi reducto in collum capite, ac pedibus in inteſtinos illos reuocatis oſsium receptus, ſeſe adeò occludit, ut nihil aliud quàm nudam domum præ ſe ferat. Sic illi amore exuti diuino, quæuis accidant, in ſeſe quanti ſunt ſe contrahũt, de ſe præſumunt, ſe fruuntur. quocirca ſi quid ſublimius dictum aut legunt, aut audiunt (nihil quod perfectionem referat contemplari norunt) obſtupeſcunt illicò, nec quicquam ſublime in mortali corpore cõmoranti tribui poſſe opinantur: fatenturq;, ſi non ore, at uita ſaltem, Chriſtũ Dei lucem fruſtra terras has tetras & caliginoſas inuiſiſſe. Propterea nec uerè, nec abſq; mendacij culpa, id, quod in hoc loco ab animis purè in Deo uiuentibus dici audiunt, de ſe profiteri queunt: Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & inuocabimus nomen tuum, narrabimus mirabilia tua. Hucuſq; Hebræis unus uerſus, quẽ ſic reddit Felix per præteritũ: Celebrauimus te Deus, celebrauimus, & propinquũ nomen tuum: narrauerunt mirabilia tua. Qui uerò fuerint qui narrauerũt, aperit Paraphraſtes: Cõmemorabunt, inquit, quotquot uiderunt quàm miris modis nobis adfueris. Haud facilis quidem res eſt, hominẽ cœleſtibus dignatũ afflatibus, Dei poſſe munera obtegere. Vnde ex hebræo nõ immeritò illud eſt, propinquũ, ſcilicet factum eſt nomen tuum: nempe ex dono-

C rum frequentia, & beneficijs in mortales copiosissimè effusis. Propè igitur Deus factus est nobis, ob gratias ac uim spiritus, quem secum oriens ex alto, utpote eundem eiusdemq; naturę Deum, ad generis nostri instaurationem attulit. quod quidem mirabilia illa esse, quæ hîc à spiritu cõmemorantur, exponunt interpretes. Ait itaq; sponsus:

Cùm accepero tempus ego iustitias iudicabo.

Etsi enim nonnulli ex hebręo non tempus, sed cœtum uel solennitatem, ut Felix, uertunt, nõ desunt tamen qui etiam cum nostro conueniunt. unde Paraphrastes: Vbi ego tempus statuero mihi. alius uerò: Cùm statutũ tempus nactus ero. Hi quidem ad tempus, quo Christus accepta à patre potestate illa, de qua sic ipse in Euangelio loquitur, Data est mihi potestas omnis in cœlo & in terra, spectarunt: alij autem ad piorum cœtum, & Ecclesiam, qua, tanquã puro tritici grano à paleis secreto, ab improborum perfidia, atq; hæresi diuulsa, ipse omnes summo exactoq; libraturus esset iudicio: nempe malis mortem, & cruciatus, bonis uerò seipsum, qui uita est sanctorũ, atq; æterna felicitas, tribuens. Verùm alius adhuc mihi succurrit sensus, non omnino ineptus, ut mihi uidetur, si tempus pro opportunitate accipiatur, qui talis est: Tunc equidem qui uniuersorũ constitutus sum rex à patre, data occasione, atq; dijudicandi à bonis reprobos opportunitate, æquissimo omnia decernã decreto. æterna enim mihi hæc est cum patre natura, ut siue suo in statu atq; ordine perduret mundus, siue finem faciãt uiuendi animantia, cuncta iustissima diffiniam lege, licet secus nonnunquã infirmioribus appareat animis. Tunc sanè colliquescet mundus, pauebitq; illius habitator homo. Quid? etiamnum simulatq; iudicium est mundi,

Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea.

Suo more Vates tropicè, ne dicam poëticè, rem obstrusissimã, quippe quæ in
D spiritu transigitur, enarrat: nempe Ecclesię, cordium nimirum fidelium in Deum progressum. Anteaquã enim hi in Deo per fidem stabiliantur, uarijs illos concuti affectibus ac perturbationibus necesse est: postea uerò, tanquã rudi lapides, hinc inde expoliti, scalproq; edomiti, & quadrati, in nobilioríb. ædificij locis coaptantur, sustentantq; rei Christianæ molem, & structuram, uti teretes solent ædificia columnæ. Qua de re à spiritu additur:

Ego confirmaui columnas eius.

Atq; hîc Selah interponitur, quò quantum Christo fidei præstari par sit, perpendamus: qui sanè Christus ut cùm rerum omnium, tum potissimum suę Ecclesiæ autor est & effector, ita instaurator, ac, uel tota dehiscat orbis machina, & tutor, & custos. Concussionem certè istam atq; infelicem animorũ colliquefactionem, non tantum sentiunt, quantũ inuiti amplectuntur, atq; in ipsa examinantur hi, qui turpissima actæ uitæ conscientia affecti, diuinũ timent iudicium, exterritiq; contremiscunt. Verũ non propterea ad reuocandos à prauitate gressus, uel parum quidem animũ inducunt. Hi igitur sic sua à Deo auersi culpa, derelictiq;, è fidei sinu tanquam inutiles eijciuntur quisquiliæ: illi autem qui licet in mundo sunt, de mundo tamen non sunt, ut asserit Christus, in ærumnis, in persequutionibus, in ipsis quoq; uitæ lapsibus, ac (quid stupendius?) in peccatis grauioribus, uegetiores spiritu in dies efficiunt, adeoq; in Deo coalescunt & firmantur, ut merito Ecclesiæ, tanquam columnæ ædificijs, à Deo supponantur, fiantq; illi de quibus hîc dominus: Ego, inquit, non homo, non ars, non cognatio, non affinitas, non pecuniarum uis, aut affectus humanus, illos elegi, confirmauiq;, ac meis in ædibus & cardines & columnas, & quicquid quo mea fulta est Ecclesia, inueniatur, esse uolui. Atq; ita rebus concinnè aptatis, sic meum cœpi iudiciũ: & primùm ab obiurgatione exordium sumens,

Dixi iniquis, nolite iniquè agere: & delinquentibus, nolite extollere in altum cornu ueſtrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem.

Nemo sanè homo est in peccatis ita obduratus, cui nõ interdũ lux aliqua è cœ lo

A lo effulgeat: cuius radijs ſi non penitus illuſtratus, at ſaltē afflatus, ſuę admoneat turpitudinis, & periculi. huiuſmodi quidē lux ab amore illo uniuerſali Dei, quo uult omnes homines ſeruari, atq; ad cognitionē ueritatis peruenire, deſcendens, occultiſsima quadam ratione pijs tantūmodo cognita animis, uox Dei appellat. O uocē certè deſiderabilem, atq; amoris plenā, niſi in cor adeò durū ac ferreum, quod hoc magis obbruteſcere conſueſcit, quo humanius à ſpiritu tractat, prolaberet. Dixi, inquit, iniquis, incredulis, ſtultiſsimisq; huiuſce generis hominibus qui ueritatem Dei in iniuſtitia detinentes turpiſsimā degunt uitam: Nolite, uos obſecro, tam facile à iuſtitiæ itinere declinare. Quid tandiu ſceleri ſcelus, delictū delictis accumulatis? Nolite cornu iſtuc ueſtrū potentiæ, qua quicquid lubet, id licere arbitramini, in Deū tanq; uexillū impietatis erigere. Nolite loqui de Deo tam ſuperbè, tam cōtemptim, tam blaſphemè. Quid ceruicē boum inſtar iugo obluctantiū, erectā, diſtentāq;, ſignū nimirū animi ſuperbi atq; indomiti, circumfertis? Quod noſter uertit interpres, nolite loqui aduerſus Deū iniquitatē, ſic legūt Hebræi: ne loquamini ceruice erecta, ſeu cū ceruice elato, ſeu etiā in collo duro. Elati id ſupra modū animi indiciū eſt, atq; arroganter de ſe, ſpreto Deo, cogitantis. Cæterū in ſcripturis cornu pro regno interdū ſumit, pro honore, potētia, maieſtate, & pro id genus alijs. Quo circa Iob fatebatur ſe cornu ſuū in puluerē depoſuiſſe: hoc eſt, regiū faſtū, mundanūq; honorē, & pompā abiecisſe. Vide hîc gradum non mediocrē perfectionis Chriſtianę. Quoties enim hæc, aut horū ſimilia mihi legere contingit, occurrit ſtatim animo reprehenſibilis quorundā mos, qui cùm uitā cœleſtē in terris profiteant, iurentq; ſe mundo, atq; eius illecebris & delicijs penitus morituros, nihil tamē minus agūt, ſed aut mundū iam cognitū ſecum in Dei ædes afferūt, aut nunq;, propter inediā, genusq; uitę ſordidū atq; operoſum, antea uiſum, ſe inueniſſe iactitant, uiuuntq; eo inſolentiæ modo, ac ſi in ipſis alti eſſent fortunæ uiuarijs. Nolite, oro, ſic agere: nolite noſtrum in exitium
B (in ueſtrum autem ut lubet) cornu id copiæ, atq; non aliàs guſtatā pinguedinem è fundo haurire, ſed abijcite potius, tanquā rem uobis, quid uobis aio? omnibus prorſus uitam beatam profitentibus, inſolitam & oneroſam.

Quia neq; ab oriente, neq; ab occidente, neq; à deſertis montibus.

Deeſt huic uerſui ex hebræo, exaltatio, ſeu aliud ſimile: & eſt ſenſus, ut elegantiſsimè à Paraph. redditur: Neq; ab oriente, neq; ab occidente, neq; ab Auſtro (is enim uentus à meridionali ſpirat plaga, ubi montes ſunt ob nimiū ſolis ardorem inculti & ſteriles. nā magnū deſertū Iudææ à meridie eſt, quemadmodū mare ab occidente) cuiquam continget, quod ſolidū magnūq; facere poterit illum, nempe cornu in Deū propter ſuperbiā & ambitionē extollentē. Sunt qui non exaltationem addunt, ſed defenſionē. Vnde quidā ſic ex hebręo: Neq; ab ortu, neq; ab occaſu, non à deſerto, aut à montibus aderit qui defendat: ſed Deus uindex eſt, qui hunc deijcit, illum autem erigit. Quod noſter ſic uertit interpres:

Quoniam Deus iudex eſt, hunc humiliat, & hunc exaltat.

Poteſt quidem homo potentia aliqua immenſa fultus, atq; uti indomiti corni bus tauri ſolent, autoritate munitus, eò uecordię adduci, ut non ſolùm terrā hanc putrem et inertē ſubigere enitat, ſed & cœlum ipſum, ac Deum tandem laceſſere non uereatur. Verùm ſi ingratus omninò nō eſt, preſſumq; humi animū aliquando erigere uolet, cernet ſtatim quàm longè à ueritatis ſcopo aberrauerit, quámue inſulsè in rebus illis ſpem, bonumq; ſuum poſuerit, quæ nec bonæ ſunt, nec ſtabiles, nec parte aliqua ſui ſimiles: ſentiet, inquā, nihil in rebus conditis, undecunque afferantur, inueniri poſſe, quod ſuam ſatiare queat dominandi cupiditatem, quod libidinē, quod auaritiā, quod crudelitatē: uerùm Deū eſſe ſolum, qui hiſce ſedatis animorū permotionibus, animas bonorū omniū copia, pace ſcilicet, ſpiritu, conſcientięq; tranquillitate implere poſsit. Nanq; in illius eſt arbitratu, hoſce ſpiritu pauperes ſic in altum uehere, ut deos faciat: illos aūt, nempe faſtuoſos & diros, adeò è ſublimi mundi gloria ad ima proſternere, ut planè & Deo & hominibus infenſi, cum principe illorū dæmone perpetuā in caliginē ac noctē infe-

C rorum deijciantur. Vides ne, ô ſuperbe, inopinatã diuinæ potentiæ cõmutationem? Deus, inquit Paraphraſtes, iuſtus iudex: ille ſolus deponit, & ad nihilum redigit, & è contrario eriget in altum quencunq; uoluerit.

Quia calix in manu Domini vini meri, plenus mixto.

Et inclinauit ex hoc in hoc, veruntamẽ fæx eius nõ eſt exinanita: bibent omnes pecatores terræ.

Vini meri, ex hebræo quidam uertunt, uini rubei, utpote magis celebris apud Iudæos, quoq; cruentã in improbos animaduerſionẽ ſignari aſſerũt. Verùm alij, quod probabilius uidetur, uini lutoſi aut ſpiſſi, transferũt. Siquidem à Deo, tanquã poculum omnib. propinandũ, emergit mors, & uita: quæ cùm limpidiſsimę comparetur potioni, qua pij potari ſolent, mors cõtrà ſpiſſæ & lutulentæ, qua reprobi, quos hîc ſpiritus peccatores terræ, hoc eſt, terrenis rebus penitus affixos, per antonomaſiã uocat, cũ unũ tamen ſit poculũ, quia in Deo una eſt uoluntas, una Deitas, una prouidentia. Merũ porrò in Deo, eſt uinum gratiarũ, quod turbidę ſupernatat pœnarũ fęci. Cuius craſſamento epotati improbi, nihil quod ſyncerũ ſit ac purũ agere permittunt: quos q;, etſi in omne genus facinorũ proiectos ſua q; ſponte perditos, ſic tamẽ à Deo, ſub nomine Hieruſalem pungi, ad ſui q; cognitionẽ excitari uideo in Eſaia: Eleuare, inquit, eleuare, conſurge Hieruſalem, quæ bibiſti de manu domini calicẽ iræ eius, uſq; ad fundũ calicis toxici bibiſti, & potaſti uſq; ad fæces. Ex hoc in hoc, Hebræis ſolummodo eſt, ex hoc, nempe ex calice. unde ſic quidam trãſtulit: Crater uino meraco plenus & adornatus in manu domini eſt, de quo fundet, & fæces eius ſugent & bibent omnes impij terræ. Felix item: Et redundare fecit ex hoc. quare etiã Paraph. Habet enim, inquit, dominus in manu poculum, in quo pulchrè rubet uinũ, ſed cui plurimũ eſt fæcis admixtũ: ex hoc porriget meracũ pijs, fęcem uerò noxiam exugere, imò epotare coget impios omnes, quantũuis degant in terra multi. Si, ex hoc in hoc, legas, duos
D intelligas oportet calicis iſtiuſmodi effectus, qui ad bonos ſimul & malos attinent. Si, ex hoc, ſolummodo, quod ea quæ ſequunt admittere uident, malos duntaxat amariſsimo ultionis Dei calice epotandos dicit. Bibite, clamat dominus in Hieremia, & inebriamini, & uomite, & cadite, neq; ſurgatis à facie gladij. Bibentes bibetis. Cęterũ calix domini lex eſt, in qua ineſt ſpiritus & litera, quę quidem litera prę illo fęx eſt, & toxicũ. Bibant igit, poſtquã ſic uolunt, impij iſti terrę ſuũ ſibi de manu domini uenenum, ac præſentaneum in fundo cyathi aconitum:

Ego autem annunciabo in ſeculum, cantabo Deo Iacob, & omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti.

Iam pſalmũ feliciſsimo claudit dialogo, nempe Chriſti & hominis, propheta. Sic homo: Ego enim, ô benigniſsime, quicquid tuo à ſpiritu eruditionis hauſi in hoc pſalmo, futuris annunciabo ſeculis, ſcribam q; quæ hîc audiui: & quæ ſcribã, ad honorem Dei Iacob perpetuis tanq; Muſis cantabo. Cui Chriſtus: Et ego, in cuius manu uita eſt ac mors, cornua peccatorũ, faſtum nimirũ, ambitioſam q; tyrannidem & autoritatem perfringam: contra q; efficiam, ut iuſti cornua, nempe fides, ſpes, charitas, quibus debellantur frangunturq; crudeliſsimi illorũ hoſtes, ſuperemineant, regnent q; in cœlis hi mecum beati. Amen.

PSALMVS LXXVI.

Vincenti. In canticis pſalmus Aſaph. Canticum.

Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius.

In Canticis, in inſtrumentis muſicis exponunt interpretes, in primis Felix. Diuus Hieronymus, in carminibus tranſtulit. Cæterùm Canticũ eſt oda tripudij, qua uates ob continua diuinæ beneuolentiæ ſigna erga Iudæos, ſuo congratulaturus populo, uel ob id maximè, quòd Deus cæteris fermè negle ctis nationibus, in Iudæa tantummodo & Hieruſalem habitare uidebatur, narratq; quid olim in ſuorum gratiam fecerit, facturúsue eſſet in poſterũ tam beneficus dominus, Ibi, inquit, confregit potentias, arcum, ſcutũ, gladium, bellum. Forſan hîc Vates, quod nõnullos ſuſpicari uideo, de inſigni illa, Ezechia rege, uicto

ria

A ria & bello, in quo centum octoginta millia uirorũ in caſtris Sennacherib regis Aſſyriorum ab angelo interempta fuere, uaticinatus eſt. Viderat enim ſanctiſsimus uir in ſpiritu, nihil tam eſſe in rebus humanis uel felix, uel optabile, q̃ Deum habere propitiũ & amicũ, ut Iudæis tunc fuit, quos inter cæteras orbis nationes charius diligens, ſuo dignatus fuerat cultu & religione. Ibi arca fuit, ibi propitiatoriũ, ibi templum, ibi lex ſacra, ibi quicquid gratiarũ, quicquid fauoris & præſidij è cœlo ab homine mortali expeti poterat, tam copioſè à Deo ſuppeditabatur, ut nihil ferè aliud curare uideretur, quàm ut rebellem populũ beneficijs obrueret. Hæc igitur tam immenſa, tamq; humanũ captũ excedentia conſiderans Vates, peneq; extra ſe factus in id prorupit canticũ: Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius. Id, inquit, præcipuum eſt numinis donum, quòd inter Iudæos cognoſcitur Deus, eiusq; nomen, magnum à noſtro populo reputat. Nulli dubium, quòd ubi eſt Dei populus, ibi habitat Deus, atq; illius nomen ſanctificatur. Quis ſit modò locus, aut populus in terris, qui Deum cognoſcat, atq; eius immenſum adoret nomen, puto Eccleſiã eſſe credentiũ à ſpiritu hîc ſub typo Iudææ atq; Iſraël deliniatam: nam ex Dei confeſsione, quæ à fide oritur, Iſraël ſtatim fit Iudęus: hoc eſt, à confeſsione ad Dei tranſitur uiſionem ac notitiam, unde amor, ex quo Chriſtus, qui noſtra eſt felicitas, emanat. Quòd uerò ſint in Eccleſia homines, qui tanquam pecora uitam degant fidei rationisq; expertem, ſubin deq; nefariã & turpem, res magis fletu digna eſt, quàm admiratione. Siquidem neq; inter conuentũ illum Iudæorũ tam celebrem, tam Deo charum, tam ſacris ritibus ac cęremonijs inſignem, homines in omne genus impietatis proiecti defuere. Non defuit tum quidẽ murmurator, non ſacrilegus, non in Moſen atq; Aaron oblocutor, non delator, non inter ſacerdotes qui idola, hoc eſt, aurũ, ſcortũ, affines, ac propriũ cõmodum ardentius coleret, quàm nomen ſanctũ Dei. Putás ne inter iſtiuſmodi profeſsionis homines quamuis mundo conſpicuos, diuerſari
B poſſe Deum, & coli? Notus itaq; ſolummodo in Iudæa etiamnũ eſt Deus: atq; apud Iſraëlitas illos, qui non in manifeſto, ut inquit Paulus, ſed qui in occulto Iudæi ſunt, & circumciſio cordis in ſpiritu, non litera, commoratur altiſsimus.

Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.

In incœpto perſeuerans typo Propheta, de re ſeria prędicit. Nam quod noſtri legunt, in pace, Hebræis eſt, Salem, quæ eſt Hieruſalem. unde ſtatim intulit, in Sion. Etenim pro nomine proprio appellatiuũ poſuit. Salem quidem interpretantur, pacem. Volunt porrò Salem ea ferè tempeſtate dictam Hieruſalem, qua loco illi in qua ſita erat, nomen indidit Abraã, dicens: Dominus uidet. Felix ſic legit uerſum: Et fuit in Salem tugurium eius, & habitaculum eius in Sion. Et uerè apud Iudęos fuit eo ferè modo Deus, quo ſolet eſſe tugurium in cucumerario, ut ait uates ille: ad tempus uidelicet breuiſsimum. unde ſimili uſus eſt tropo alio in pſalmo uates dicens: Poſuerunt Hieruſalem in pomorũ cuſtodiã. Ergo, ne nobis locum, neſcio quem, in quo uelit nolit habitet Deus, ſomniemus, ubi pax nõ eſt, ibi neq; Deus, neq; homo diuini honoris cupidus, habitare unquã poterit. Pacem quidem, ſilentiũq; à turbis profundũ, atq; ad ſpeculanda cœleſtia (hęc Sion eſt) cor uegetum, diligit Deus: cætera quamlibet religioni addicta auerſatur. Ibi,

Ibi, inquam, confregit potentias, arcum, ſcutum, gladium, & bellum.

Vide hîc Dei pro ſuis in hoſtes & uigilantiã & fortitudinem. Eſt'ne id medio cris potentiæ indiciũ, inter tela hoſtiũ ſic ſuos ſeruare Deum illæſos, ut à iam concepta per fidem animi tranquillitate ac pace, nõ deturbentur prorſus? Quocirca nõ abſq; ratione hîc poſitũ eſt Selah. Certè nõ eſt tam firmũ cor, & ſtabile, quod in perſequutionũ frequentia & acerbitate, quæ improborũ ſunt arma, non concutiat interdũ, nutetq; in fide. At Deus tamen (quid excelſius excogitari poteſt?) ſua in pacatiſsima perſtans natura, ac pace illa, quæ exuperat omnẽ intellectum, abſq; ulla ſui immutatione, tyrannos illorumq; minas, perinde infringere ſolitus eſt, ut ſolet uas uitreum infringi ab excandeſcenti, atq; uehementer irato. Cæte-

C rùm potentias arcuũ, legendum esse indicat græcus interpres: hoc est, sagittas, ac tela missilia. Vnde sic Fel. Confregit uolatilia arcus: nempe iacula, aut spicula. Diuus item Hieronymus idem ferè quod Felix. Horrendum sanè id esset spectaculum ac dirum, militem uidere tota hac ui armorum, arcu scilicet, scuto, ense, galea, omnícp demum apparatu bellico munitũ, cum uiro quopiam nudo manum conserere, ac digladiari. Verùm atrocius id iudicant sanctiores, cùm pessimus in pacis amatores insanit obtrectator, nequissimuscp omnium palpo, aut quadriplator uersutissimus, dolis nimirum armati, calliditate, simulatione, fallacijs, atcp odio, furiunt. Dicto nihilominus citius sedas hæc omnia, & tanquã munitiones bellicas perfringis, ô Deus.

Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.

Hoc est, terribiliter conspicuus appares, cùm è cœlis, qui æterni sunt montes, percutere decreueris. A montibus prædæ, legunt ex hebræo, unde Fel. Illustris factus es à montibus prædæ. Diuus uerò Hieronymus, à montibus captiuitatis. alius item, à monte prædonum transtulit. Quorũ uerborũ is erit sensus: Tu ferox in hostes magis, ac celer factus es, quàm ullus solet leo, aut latro è montibus ad deprædandum accelerans, atcp in uiatores sæuè furens. Idcirco

Turbati sunt omnes insipientes corde.

Rursum uertunt ex hebræo: In prædam dati sunt robusti corde. quare sic Paraphrastes: In prædam dati sunt animo feroces. En quomodo hi qui nuper sagittis, arcu, ense, clypeo ac thorace onusti, minabundícp incedebant, in prædam dati sunt, & id quidem à Deo innocuorũ defensore, ac uindice. Heu inconsideratum uitæ genus. Vide quid inferat spiritus:

Dormierunt somnũ suum, & nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis.

Somno, inquit, mortis oppressi interiere: necp ulli amplius potuerunt esse usui
D illis pristinũ eorum robur & ferocia. Semel enim à morte interceptis, in somnum etiam quicquid uiriũ in illis inerat, resolutũ est. Sic ex hebræo: Dormitarunt somnum suum, & nõ inuenerunt manus suas cuncti uiri præstantes uirtute. Proinde sic reddit Paraph. Oppetierunt ueluti mortifero somno grauati, nec usui illis esse potuerunt, quantumuis uiri essent alioqui fortes, manus illorum. Iam illud supra modum incomprehensibile, quòd homo qui semel animũ ad tyrannidem admouerit, uitamcp adeò ambitiosè instituerit, ut nihil beatũ esse ducat, quod arrogans idem nõ sit, ac planè iniuriosum, mortaliũ conditionis oblitus, quę in mortis somnum nõ secus, uel cùm nõ aduertit, pedetentim delabit, ac solet dormitabundus, qui uiribus paulatim destitutus, uigorecp sensim amisso, in somnũ tandem etiam inuitus resoluit, se immortalem esse in hoc mundo opinatur, cùm tamen omnes simul homines uno ueluti facto uolumine ad mortẽ properare uideat. Heri enim nostris nos manibus hominem superbissimũ, efferentemcp sese supra illud omne quod est aut dicit Deus, sepeliuimus, conspeximuscp nihil aliud esse uitam hanc nostram, præterquã breuissimi soporem somni: hodie uerò nos uti dij immortales in terris haberi uolumus, ac ui extorquemus. O insaniam. Heu quàm luscioscè ad tua cęcutimus iudicia, ô immense. Consimilem quidem, atcp unam post aliam prætexentes abditorũ euentuum rationem, quasi uelum nostris obducimus oculis prudentissimi, si Deo placet, homines: fallimur tamen. Siquidem

Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt qui ascenderunt equos.

Te obiurgante factum est, ô Deus Iacob, ut in equis & curribus confidentes, tanquam somnium, imò somnij umbra, euanuerint. Equi in scripturis haud raro pro fastu atcp arrogãtia sumi solent. Idcirco prohibuit olim Deus in lege, ne quis ex regibus equorum multitudinem aleret. Eam ob rem ex Aegypto equos educere, ut in libro Regum tertio uidere licet, consueuerant.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

Hoc est, cùm tua cœperit ira feruescere, quis subsistere poterit? quis animum tuum iratum, mi Deus, effugiet? Tu quidem uehementer terribilis es, ac metuendus.

A dus. Tu, Hebræis bis poſitũ maiorem auget admirationem, quaſi diceret: Tu ſolus es, quo irato, nullus omnino eſt adeò imperterrito uiuens animo, qui non paueat, atq; in fugam uertatur. Siquidem

De cœlo auditum feciſti iudicium: terra tremuit, & quieuit.

De cœlo audire feciſti iudiciũ, uertit Fel. Quòd enim iudiciũ iniuſtũ & letale è terra, nempe à mortali hominũ tribunali in quempiã miſerũ prodeat, tolerabile id quidem, quippe quod ui pecuniarũ, ut fit, aut principis gratia infringi queat. At è cœlo, unde omnia quemadmodũ perfecta, ita certa & inuiolabilia proficiſcunt, ſententiã promulgari audire, & homines, & elemẽta, & orbis ipſe tandem uniuerſus terrificè admodũ cõtremiſcũt, ſilentq; taciti, & uenerabũdi. Tũc dico,

Cùm exurgeret in iudicium Deus.

Qui hactenus dormire uiſus eſt, dum tandiu regnare hypocritas & effœminatos, ut olim cõminatus eſt, permiſit, connixitq; ad miſerorum calamitates. Alio in pſalmo ſic Deum alloquitur Vates, quaſiq; è ſomno illum excitans compellat: Exurge, quare obdormis domine? exurge. Ex hebræo nonnulli uertunt, cùm exurgeres. Sed nihil obſtat ſenſui, cùm creber ſit Hebræis uſus, tempus pro tempore, aut numerũ pro numero ponere. Vtcunq; legas, illud compertũ, iudicium id omne ſeueriſsimum à Deo factum,

Vt ſaluos faceret omnes manſuetos terræ.

Nempe illos, qui tametſi in terra hac dolorum pleniſsima degunt, omni tamen abiecta uitæ pompa, manſuetiſsimũ in modum ſe totos diuinæ conſecrant religioni: quęcunq; aduerſa contigerint, leni tolerant animo, & miti. Horum quidem uitam & ſalutem tanti facere Deum experimur, ut penè illum ab omni iudiciorum genere uacare conſpiciamus, donec probos ab improborũ iniurijs ac perſequutionibus diligentiſsimè, quæ eſt eius immenſa circa ſuos cuſtodia, aſſerue-
B rit. Maximũ id eſt Dei beneuolentiæ erga electos ſignum, ideo à ſpiritu hîc additum eſt Selah. Quòd porrò ex ſacrarũ rerum expoſitoribus inueniant, qui duos hos uerſus cum ſequenti, ad iudicium referant uniuerſale, nõ falluntur omnino, ſimul ut cernimus diuinas has odas innumeris grauidas eſſe myſterijs. Verùm is plus quàm ter beatus, cui tam obſtruſę rerum cœleſtiũ caligines, prout ſunt, innotuere. Nos interim eo contenti ſenſu, quem ſimpliciſsimo tum ſtylo, tum animo perſequi nos non ſemel diximus, ad altiora illa perueſtiganda, hoc firmiori, uelut iacto fundamento, præmonſtrato, ſublimioribus aditũ aperimus ingenijs. Illud tamen moleſtiſsimũ, permultos inueniri qui pſalmos ſingulis fermè diei horis Deo tanq; debitam perſoluentes penſionẽ, neq; hunc neq; illum inquirãt ſenſum: ſed ſua in hoc, quemadmodũ cęteris in rebus, contenti craſsitie atq; ignorantia, illum ſectant uitæ modũ, qui cùm neq; calidus, neq; frigidus omnino ſit, tum Deo, tum pijs omnibus nauſeam ciere ſolet ac ſtomachũ. Sed ad pſalmũ redeo.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.

Vix quidem quæ hîc dicuntur à nonnullis, ſcribere auſim: adeò dubia ſunt, & à mente pſalmi (ni falſus ſum) remota. Quod ſanè genus interpretandi cui potius adſcribi debeat, interpretis ne literæ interdum ambiguæ & confuſæ, an audenti quorundam expoſitorum ingenio, non definio. Hi enim dum à ueteri nonnunquam æditione diſcedere reformidant, ea pſalmis aſſuunt, quę nec in ſomnis quidem coniectauit Vates. Idcirco nos conſultò, cùm aliter fieri nequit, Hebræorum literam, omiſſa illa interpretis ſæpenumero obſcura (ſpiritum uiri non damno) admittimus, ut in hoc contingit loco. Felix igitur ſic hunc interpretatur uerſum: Quoniam ira hominis celebrabit te, reliquias iræ accinges, id eſt, furor ille hoſtilis atq; ira, in tuum tandem, à te fracta, honorẽ cedet. quod quidem impijſsimo Aegyptiorũ tyranno accidiſſe legimus: Poſui, inquit, te, ut oſtendã in te fortitudinẽ meam, & narretur nomen meũ in omni terra. Reliquias iræ accinges, ſeu alligabis: hoc eſt, ſi quid ultrà bellorum proſtrati hi hoſtes, ueluti reaſſumptis de nuò uiribus, innouare uoluerint, tu illud præteriti furoris reſiduum reprimes &

C contundes. In Pharaone rursus uidere est, quid sibi hîc uult spiritus: nam miser ille toties propter atrocitatem pœnarũ attritus, eò consternationis animi deuenit, ut Mosi diceret, ac fratri: Surgite, egredimini à populo meo, & abeuntes benedicite mihi. Vides Dei hostem penitus profligatũ? Audi extremũ illius conatũ, ac tanquã confusę impietatis, sæuitię́q; atq; irę reliquias. Iunxit, inquit, currum Pharao, & omnem populum suum assumpsit secũ, & persequutus est filios Israël. Verùm dominus, qui reliquias irę alligare solitus est, interfecit exercitũ eorũ, & subuertit rotas curruũ, ferebanturq; in profundũ. Timuit́q; populus dominũ, & crediderũt domino. En quomodo in laudem cessit altissimi ira hominis. Qui quidẽ sensus quo maiori fulciat autoritate, Paraphrastę literã huc aduocemus: Honori, inquit, profectò tibi erunt, qui ira conciti temerè cõtra te in præliũ prodierũt. Peribunt enim, & si quid minarũ hostiliũ reliquũ fuerit, id tu uendicabis tibi, & te illi oppones, ne terreant tui. Quare, ô qui suauissimo dignati estis Dei patrocinio,

Vouete & reddite domino Deo uestro omnes qui in circuitu eius affertis munera terribili. Et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud omnes reges terræ.

Omnes quos sciam Hebræorũ interpretes, Afferte munera terribili, seu formidabili, legunt: uel afferent, ut Felix. unde ex his quidam: Vouete & reddite domino Deo uestro, omnes qui in hoc cœtu adestis afferte formidabili munera. Ei, dico, uestra nuncupate uota, qui uitam adimere potest principibus, ac omnes reges terræ, nedum stolidum uulgus, terrere. Cæterũ de uotis quæ à nobis in primis requirit Deus in psalmis, iam aliàs diximus gratiarũ esse actiones, diuinaśq; laudes, ac (pœnitentiæ dona esse affirmant nonnulli) continuã nostri cùm animi tum corporis macerationẽ & sacrificiũ. De illis uerò quæ ab hominib. quotidie nuncupari cernimus, suas habet diffinitiones Ecclesia. Illud tamen dicam, periculosissimũ id esse uotorũ genus, ea polliceri Deo, quę postea aut seruare nequeas,
D aut nolis omnino. Nouit enim uniuscuiusq; animus, quid humanus appetat spiritus, quaḿq; integrè quod uouit reddat. De nonnullis autem dicam, qui solennissimo illi primo in baptismo, aliud in professione uotum addidere, & illud quidem cum iuramento, teste impressa altari cruce, teste compluriũ conuentu, teste demum cum purissimis sanctorũ cineribus atq; ossibus Deo. Memini quidem me amicum quendam meum uirum sanećq; doctum, atq; à mundi uanitate penitus alienum, iocosè reprehendisse, quòd honorem sibi à patribus oblatum refutasset. Quid agis? aio. nunquid obedientiã in professione oblatam tu iuratus tam uilem habes, ut tua magis cures cõmoda, quàm patrum uoluntatem? erras. Ille contrà penè indignabundus, obortis tamen lachrymis, quasíq; me obiurgans, ita respondit: Heu amice, quantũ lachrymarũ mihi illa affert interdum uotorũ recordatio, cùm ea me in baptismo, & in professione promisisse recolo, quæ aut non reddo, aut non tam piè & sanctè, ut par est, reddo. Quòd si certè etiamnum recenti ueluti proposito & uoto, me id quod sum pollicitus, ratũ facere contendo pro uiribus, conoŕq;, in memetipsum tamen miserrimum in modum recidens, uideo in membris meis nescio quid reluctans contradicenśq;, ac planè quæ promisi denegans, & confidenter abiurans. Pareó ne Deo atq; Ecclesiæ eo quo decet animo, seu ut meũ exigit iusiurandum? quid cor? quid oculi? quid sensus hi bruti, licet iam decrepiti, in omnẽ prorsus impuritatem proni? quàm uerò sint à lapsu immunes, scit Deus, cuius id donum est. Restat pauperies, restat pro Christo nuditas, restat ultronea corporearũ rerum, addo & affectuum inordinatorũ despicientia. Nihil sanè minus aut cogito aut ago. heu me miserum, heu quò me insaturabilis protrahit interdum habendi cupiditas. Si quidem desunt facultates priuatæ, non deest tamen animus ad facultates, ad honores, ad delitias, ad superbam dominandi ambitionem. Quid? nónne uoto atq; iuramento, quo me nudam cum Christo uitam uiuere obligaui, stultam ut facerem impostoram, quasíq; Dei oculis uelum obducerem, inter mei ordinis homines prælaturam, ut uocant, non tantum desideraui, quantum impudentissimè, uel usq; ad ambitus prænsioniśq; cul

pam,

A pam, quæſiui? Scilicet me liberum à paupertatis uoto illa adepta dignitate ſomniabam, fingebamq; nullis parcendum eſſe, quæ in meum cederent cõmodum & luxum, ſumptibus, quia Abbas tandem eſſem. Sed utinam non ultrà mea progreſſa fuiſſet amentia. Dicam? dicam profectò, nec meas diſsimulabo culpas. Ad tantũ enim aliquando deueni paupertatis odium, ut me non eſſe monachũ optarim, ſed aut Epiſcopum, aut Cardinalem, aut ſaltem, modò liber eſſem à uoto, militem, ad ſummum quicquid ſors attuliſſet. Verùm à Chriſti ſpiritu admonitus atq; informatus, & me uouiſſe gaudeo, & quæ uoui me redditurum, quid aio demens? & Chriſtum in me pro me redditurum certò ſcio. Illo itaq; contentus uade: nihil aliud nunc cogito, quàm ut illi meæ probentur uitæ rationes, illud interim uerſans animo, tum mihi, tum cęteris ſacra unda dilutis cęlitus imperatum eſſe, Vouete, & ne Deo uerba dare uideamini, quę uouiſtis reddite. His dictis ſiluit. Tantùm ineptam meam fuiſſe reprehenſionem aduertens, illud addidi, beatam noſtrã fore rempublicam, ſi ſic omnes agerent: hoc eſt, ſi nemo ſuapte ſponte, emptiſq; ſuffragijs ad dignitates ſeſe ingereret: ſed uocatus aut uerecundè abnueret, aut inuitus accederet: alioquin obedientiã iſtam uoluptuoſam quis non libenter amplecteretur? Abſq; fronte iam noſtræ emuntur dignitates, danturq; illis, qui eas quærunt.

PSAL. LXXVII. Vincenti iuxta Ieduthun. Aſaph pſalmus.

VOce mea ad Dominum clamaui, Voce mea ad Deum, & intendit mihi.

Poſt multas uariasq; interpretationes, quas afferũt interpretes de uoce Ieduthun, tandem concludunt inſtrumentũ fuiſſe muſicum, quo uſus eſt Aſaph cantorũ princeps in canendo hoc pſalmo. nec abſq; myſterio quidem: nam Ieduthun interpretant tranſilientem: &, ut aiunt, tranſcendens omnia, Deũ quærit, & inuenit. Quis porrò hîc non miretur? quis ſatis quæ in hoc inſunt can-
B tico myſteria diſcutere unquam poterit? Chriſtum enim hîc uideo pro me incredibilem in modum conſternatũ, adeoq; afflictum, ut nõ uereatur dicere, Renuit conſolari anima mea. Idcirco uolunt doctiores hunc pſalmum flebile quoddam fuiſſe uaticinium pro Chriſtianis à Romanorũ Imperatoribus, melius dicerem diſsipatoribus gregis dominici, oppreſsis, ac ſupra uires attritis. Putas ne impræſentia quoq; deeſſe, qui Dei religionis periculum animaduertens, hæc ſecũ: Nunquid in æternũ proijciet Deus? Verùm interim publicè: Voce mea ad dominum clamaui, uoce mea ad Deum, & intendit mihi. Quid ſit, intendit mihi, expreſsius reddit Hebræus: Aurem prębebit mihi. Magnę id ſanè fidei in anima eſt indiciũ, cùm orans ſuam à Deo exauditũ iri precationem perſuaſum habet. Alioqui certè anceps, quæ Deo offertur, oratio, ancipitem præ ſe fert fidem: quę tum gratior eſt numini, cùm conſtãs magis eſt, &, uel in ipſis difficillimis perſuaſionib. certa. Vide igitur quàm perfectũ in ſe orandi modum exhibeat Chriſtus: Voce mea, inquit, haud rauca quidem, aut ex fidei defectu exili & muſſante, clamaui. Voce mea, inquã, ualida & conſtanti ad illum qui Deus meus eſt & dominus, clamaui, atq; eueſtigiò exaudiuit me. Clamabo, uertũt Hebræi: ſed parum refert, hebraiſmus frequens eſt prophetis. Poſtea precationis ſeriem ac formã ſubnectens, ait:

In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis nocte contra eum, & nõ ſum deceptus: renuit conſolari anima mea.

Hucuſq; Hebræis unus eſt uerſus: ſed longè alius. Sic Felix: In die tribulationis meæ dominũ exquiſiui, uulnus meũ per noctem defluxit, & nõ reſidebit: noluit conſolari anima mea. Permaximi id doloris ſignũ eſt atq; ægritudinis, cùm uulnere recrudeſcente non remittitur dolor. Defluxit, inquit, uulnus meũ, ſanie nimirũ atq; atro ſanguine: hoc eſt, meum ęquè inſanabile factum eſt malum, atq; ſolet ulcus perpetuò ſuppurans, & ſemet exedens. Non ſuo tamen uacat ſenſu ſi legas, Exquiſiui manibus meis nocte contra eum, ſeu coram eo. Solent enim qui extremo aliquo afficiuntur dolore, & oculos, & manus, indicium nimirum ſum-

C mę anxietudínis, ad Deũ tollere. níſi malis ſecundum alium dubiæ dictionis hebraicæ ſenſum, manus, non uulnus, defluxiſſe intelligere, ut in his quí diríori aliqua affecti ſunt perturbatione, contingere cernimus, quí laxatis inconſolabiliter manibus, planè ſe uiríbus deſtitutos ac deſolatos oſtendunt, mouentq́ ſe continuè, ut ſolent ſpatici. Quocírca quídam ex Hebræo ſic tranſtulit: Vacillabat totas noctes uirtus mea, & nõ quieſcebat: & id quídem nocte, coram Deo, hoc eſt, attentè, ac maxima animi permotione & dolore, quí ex more increſcere nocte conſueuit. Quam porrò doloris uim ac deſperationem quò intenſius exaggeret, in calce uerſus, tanquã cui níhil amplíus addí poſſet, cõcludit: Renuit conſolarí anima mea. Omne, inquit, conſolationis genus auerſata eſt anima mea, nullumq́ admíſit refrigerium, præter illud quod à Deo opperiebatur. Eapropter humanis abiectis remedíjs, quæ tam ſæuo atq́ immaní imparía ſunt dolorí,

Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.

Aſpice quomodo ſuos ſinit interdum Deus ita acerbè in díuerſa díſtrahí & diſſipari, ut níhil mínus referant, q̃ conſtantiã. Quàm uerũ illud eſt, quámue tenaciter cordí imprimendũ, Deum ſcilicet eum eſſe, quí deducit ad ínferos (ecce animæ deſperatío) & reducit (ecce uis fidei.) Dixerat enim in ſuperioríbus Vates: Renuit conſolarí anima mea. Nunc uerò animũ colligens, ſic ſuum ſolatur mœrorem: Vtcunq́ affligar, utcunq́ meũ immedicabile ſit uulnus, deſtituarq́ prorſus omníb. tum corporis, tum animí uiríbus, atq́ inteream tandem perturbationum cumulo oppreſſus, adhuc in eũ ſperabo, adhuc díuinæ haud immemor ero bonitatis, in illíusq́ memoría delectabor exercitaborq́, ac proínde etiam uſq́ ad ſpíritus defectionem memet excruciabo. Vídes ſui penè díſſímilem in amantíb. quoq́ Deũ nonnunquã animũ: Delectanť ſanè in Domino, amant, mœrent, angunť, timent, ſperant, ac tandem inter bellum & pacem poſíti, ſeſe continuís macerant curís. Quí quídem mentis affectus ex Hebræorũ lítera ardentíus expríD muntur. Sic Felix: Memor ero Dei, & uociferabor: loquar, & anxietate inuoluetur ſpíritus meus. Díuus uerò Hieronymus: Recordans Dei conturbabar, loquebar, alíus autem, fremebam. Paraphraſtes: Eiulabo ad illum. Sed & díuus Auguſtínus, garríui, è græco legíſſe uídetur: quod quídem uerbum ex eodem alíus fonte mítius reddídit, dícens: Argutabar, & meditatus ſum à meípſo. hoc eſt, ſolícitus etíam uſq́ ad procacitatẽ clamabã, cogítabamq́ quonã pacto tantís ab ęrumnís líberarí poſſem: cumq́ ſolutionẽ, aut requiem inuenírem nullam, meus in ſeſe planè defeſſus cõmarcuit ſpíritus. Selah propterea huc ínteriectum, nos ad id conſíderandum excitat, quî fit ínterdum, quòd Deus ſuos adeò acerbè atterí ſínat, ut penè animum deſpondeant, cùm tamen illos ardentíſsimè díligat.

Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus ſum, & non ſum locutus.

Narrat hîc Vates per partes ſui animí anxietatem, quæ cùm nímía eſt, omnem prorſus ab oculís eíjcit ſomnum. Præuenerunt, inquit, oculí mei ínſomnes uigílías omnes noctis: hoc eſt, nullo detinebantur ſomno. quod clarius reddit Hebræus: Tenuíſtí, ait, palpebras oculorũ meorum, ne poſsím dormíre: quæ res ſic me conturbauit, ſpíritumq́ exhauſit, ut ne loquí quídem amplíus mihi integrũ eſſet. Quomodo id ſecus à me agí potuíſſet? Etenim

Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui.

Heu meam ignauíam. Vídeo ſanctíſsímum hîc Vatem: Vatem autem? Ipſum uídeo mei amantíſsimũ Chriſtum ſeſe pro me afflictantem, pauentemq́, & mírum in modum ad patrís iudícia contremíſcentẽ: & ego infelix, quí peccaui, peccoq́ aſsíduè, in utranq́ tutus aurẽ obdormíſco? Cùm ſanè cogíto dies antíquos, atq́ annı æterní in mentẽ míhí ueníunt, hoc eſt, quàm irreparabílí proruerit olím caſu fulgentíſsimus ílle omnium angelus ſemel peccans: quámue ingratíſsimus cunctorũ animantíũ primus homo indelebile fermè peccauerit peccatum, unde ab amœníſsimis irreuocabíliter Paradíſi eiectus fuit hortis. Quíd Iudas? ille, inquam, Iudas, in quo ſe ſpes omníũ finíũ terræ ſperaſſe alío in pſalmo fatetur, quò ſuis

A ſuis peruenit ſceleribus? nónne ad laqueum? nónne ad turpiſsimã, quam propriis ſibi aſciuit manibus, extinctionẽ? Cùm hęc, inquam, tum pręterita, tum adeò antiqua, ut penè æterna uideantur, cogito, rímorq́; animo nullum diuinos effugere poſſe oculos delictũ, inſanio penitus, itaq́; uehementer cõturbor, ut nullus omni no mihi reſtet ſenſuum uſus, nutetq́; ratio, ac planè uigore omni ego deſtitutus, non homo iam uiuens, ſed aut truncus annoſus, aut ſtatua aliqua inanimis appa ream. Ad hæc ſuccurrit antiqua illa, ut mihi uidebatur, annorum felicitas, cùm ego quidem in diuinam totus transformatus religionem atq; amorem, ardebam deſideriis penè infinitis, nullaq́; mihi iam ſupererat cura, niſi quomodo in amati amplexibus expirarem: nunc uerò mutata ſorte, amiſſoq́; illo, qui in me magis erat, quàm egomet in meipſo, totus mea in deploranda miſeria & calamitate uerſor conſumorq́: huc mens, huc animus, huc quicquid deniq́; in me eſt uertitur.

Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.

Rurſus, exercitabar, Hebręis eſt, loquebar, nempe cum corde meo, attentè ſcilicet, eo maximè tempore, quo profundiſsimo res omnes detinentur ſomno. quare additum eſt, nocte. Nox quippe cogitationũ mater eſt atq; altrix, quod aliàs notauimus, rationemq́;, quamobrem id fiat, attulimus. Scopebam ſpiritum meũ: uentilabam, reddunt alij, ſeu excutiebam, ſic apud me tractans:

Nunquid in æternum proijciet Deus? aut non apponet vt complacitior ſit adhuc? aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet à generatione in generationem? aut obliuiſcetur miſereri Deus? aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?

Vide quò demum anxietas illa prorupit, qua in ſuperioribus teſtata eſt anima, ſe omnem prorſus reſpuiſſe conſolationem, ſe triſtem, ſe miſerandum in modum conturbatam cogitaſſe dies antiquos, atq; annos æternos in memoria habuiſſe. Sic intra ſe: Immutatus eſt ne immutabilis, ut non amplius, ut olim, ſuã nobis impartiatur clementiã? uult ne perditos nos eſſe funditus? proijciet ne nos omni-
B no? aut futurum ne eſt, ut placatior fiat nunquã poſthac? negat ne nobis modò, quod ſuperioribus ſemper præſtitit ſeculis? perijt ne in perpetuũ ipſius clementia? ipſius bonitas? ipſius, qua ſeruat omnia, quæ pollicitus eſt, fides? nónne quæ cunq; ſanciuit æterna ſunt, proinde à generatione in generationẽ æterna dilabentia ſerie ac prouidentia? hæccine firma ea eſt confidentiũ in Deo pollicitatio? oblitus ne eſt tam citò ſuæ promiſſæ miſericordiæ? quid? tam ne imbecilles factæ ſunt illius miſerationes, ut iram eius frenare nequeant? O nos & ter & quater miſeros, ſi ſic ſe habent res hominũ. Quocirca nõ iniuria Selah huc interiectũ eſto.

Et dixi: nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi.

Tandem huc, inquit, perueni, ut dicerem: Iam pluſquã ſatis dolore contabui, præq; amaritudine uix mei compos extiti. Quare nunc ad me reuerſus, de Dei erga homines uoluntate mitius ſentire occœpi, dixiq́;: Hęc certè rerum mutatio ac uiciſſitudo, à potentiſsima dextera excelſi prouenit. Me itaq; ſtultũ, qui Dei iudicijs legem præſcribere adnitor. Verbum Cœpi, in Hebręo non inuenit: ſed, expectatio mea hæc, aut mors. Item, mutatio, non transferunt: ſed, annorum dexteræ excelſi. ut ſit ſenſus: Cogitabam, hæc mea eſt mors, is meus eſt interitus, ſimulatq; uideo Deum me penitus abieciſſe. Verũ memor ero annorũ dexterę excelſi: hoc eſt, facinorũ, quæ Deus præteritis olim annis pro ſuis ædidit, ut uel ſic meum ad ſpem penè collapſum erigam animũ. Si uerò, expectatio, arridet magis, is erit ſenſus: Cogitabam, hæc mea eſt expectatio, ut tempus adueniat, quo, ut olim, dexteram ſuam exerat altiſsimus. Quem autem ſenſum ſequutus ſit Paraphraſtes, ex illius patet litera. ſic ille: Profectò, dicebam, ad mortem uſq; cruciat me hæc recordatio ſuperiorum annorum, quibus toties & tam manifeſtè adfuit omnipotenti dextera ſua, is qui ſupra omnia eſt dominus. Ita igitur

Memor fui operum domini, quia memor ero ab initio memorabilium tuorum, & meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor.

Ero, nõ Fui, uertendũ erat, unde Felix: Recordabor operũ domini. Nihil enim

c tam fortiter animũ ſub anguſtiarũ onere laborantem erigit, quàm uiua ſedulaq́ conſuetæ Dei beneficentiæ in ſuos, cogitatio ac memoria. Aít itaq́: Deſperaré ne debeo, quia peccaui? quia ſeduxit me mundus? quia à dæmone, à carne, à fallſis traducor fratribus? Minimè id quidem omniũ: nam meum ad refrigeriũ recordabor, quomodo ſe geſsit Dei prídem cum ſanctis ſuis, licet tentatis, ut ego, afflictisq́, atq́ in errores prolapſis, prouidentia & bonitas. Peccatores illi quidem fuere: at uerò tamen ſic fœdi, ſic in tribulationũ igne excocti, & planè à mundi plauſu reiecti, irriſiq́, tua continuè protecti ſunt ope. Horum itaq́ haud immemor, quæ rurſus ab ipſa mundi origine miracula, ſigna, adinuentiones, nempe conſilia, ſtudia, artesq́, ut ſic dicam, multiplices, quibus ad hominum ſalutem uti conſueſcis, ædidiſti, ſolicitè meditabor, in illisq́ memet exercebo, & ad uitæ huius miſeræ refocillationem ea uoluam animo, & reuoluam. Nam certè,

Deus in ſancto uia tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter? Tu es Deus qui facis mirabilia.

Stuporis ſanè immenſi, atq́ admirationis plena ſunt hæc uerba: & eſt ac ſi diceret, exclamaretq́: Hem Deus, quicquid cogitas, quicquid in rerũ moderatione ac ſalute moliris, quæ tua eſt uia, qua omnia tanquam uniuerſorũ uigor & uita, percurris, eſt in ſancto: hoc eſt, ſanctiſsimè, ſummaq́ peragit æquitate & conſtantia. O uiam abſq́ dubio ſanctiſsimam. Tametſi enim, mi Deus, dura admodum tua illa ſint flagella, quibus etiam uſq́ ad interitum tui nonnunquã atteri uidentur familiares, iuſtus tamẽ es in omnibus uíjs tuis, & ſanctus in omnibus operibus tuis. Quamobrem, ô uos qui tenera adhuc cõnitimini religione ac fide, uidiſtis' ne unquam Deum alium tam ſanctum & æquum, ut Deus eſt noſter? quis inter díuos tam magnus? tam potens? tam erga ſuos, ſuos quidem? imò uerò etiã erga hoſtes, & facilis & benignus? Certè, mi Deus, tu ſolus ís es, qui míranda, ſtu poremq́ omnem excedentia operaris. Tu, uel ab ipſa prima mundi ætate, continuo ueluti gratiarum amne,

D *Notam feciſti in populis uirtutem tuam.*

Populis, inquam, uarijs, diuerſisq́ uitæ inſtitutis ac rationibus informatis. Sed in primis

Redemiſti in brachio tuo populum tuum filios Iacob & Ioſeph.

Non abſq́ myſterio, Iacob & Ioſeph mentionem hîc facit Vates. Iacob enim uir ílle fuit, à quo tríbus omnes originẽ traxere. Ioſeph autem, quoniã patrem ſimul cũ tota illius familía & líberís aluit in Aegypto, loco nimirũ Dei religionis ignaro, Dei retulit beneficentiã, quí in medio etiam anguſtiarum æſtu ſuos alere non deſiſtit. quare interponitur hîc Selah. Teſtis, inquit, ingentium iſtiuſmodi facinorũ fuit populus ílle rebellis, quem mírandum in modum, cunctisq́ inaudito ſeculis miraculo, ex dura Aegypti ſeruitute líberaſti. Tuæ tunc quídem potentię brachium, robur nimírum ac maieſtatem ſenſerunt cœlí, ſenſerunt elementa, rupesq́ aridíſsimæ tuo exterritæ ímperio, copioſiſsimũ præbuerunt aquarum hauſtum. Vidit hæc omnia Aegyptus, & expauit. Ipſæ quoq́

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi.

Siue hîc aquas Aegypti intelligamus, quæ Dei iuſſu ſanguineæ factæ ſunt: ſiue íllas maris, quæ populo ceſſere tranſeunti, non errabímus, modò Dei potentiam elegantíſsima celebrarí metaphora intelligamus. Adeò, inquit, celeris fuit íllarum corruptio, harum uerò ceſsio & fuga, ut planè Dei imperium extímuiſſe uíſæ ſint. Senſerunt quídem, tanquam animatæ fuiſſent aquę, tuum ímperiũ. Sen ſit, inquam (res mira) tam fluxum elementũ te, ô Deus, & timuit. Quid? ipſæ profundíſsimæ maris abyſsi pauore exterritæ, ſua à ſede motę ſunt. Verùm id totum non abſq́ immenſo tuorum horrore ac metu. Quis cernens hinc atq́ hinc aquas tanquã parietem conglobatas ímminere, ponè uerò armatas hoſtium copías inſequí, nõ timuiſſet? At hîc quidem mirabile uidere mihi uídeor myſterium, cùm in mentem uenit, impoſsibile omnino eſſe ad felíciſsima terræ promiſſæ, in qua habitat Deus, bona, poſſe aliquando peruenire hominem uía alia quàm ílla, quę maxímis

A maximis obducta tenebris, interruptaq; maris undis, atq; hostium armis obsessa, tota horret. Quis, obsecro, tam asperam nō exhorresceret uitæ semitam, nisi Moses, nisi Aaron, nisi fortissimus dux ille Aminadab, nisi tandem Deus, cuius præsentiam uiderunt aquæ & timuerunt, animosissimè anteirent? In mari sanè, atq; eo turbido & procelloso, Dei est uia. Nam

Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, & contremuit terra.

Vide quomodo ab antiquis non discedens Aegyptiorū plagis, proborū salutem cum improborum interitu cōmiscet Vates. Nónne hîc tibi ob oculos illud Exodi uersatur cùm hæc legis? Dominus, inquit, dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terrā: pluitq; dominus grandinē super terram Aegypti, & grando & ignis immixta pariter ferebant. Tantū in terra Gessen, ubi erant filij Israël, grando non cecidit. Multitudo, inquit, sonitus aquarū. En uis illa imbrium, cùm fracti aëris canales, tum aquas, tum grandinem, simulq; è tetris nubibus emicantia ad terram usq; horrisono conuoluunt strepitu fulgetra, uocem dederunt nubes. Ecce tremefacientes omnia tonitrus: è quorum mugitu sagittæ illæ fulgurum uagæ, celerrimo erumpentes cursu, rotatuq; ineuitabili, excelsiora feriunt loca. Nulla tum quidem pars cœli est, quæ tam clara coruscationum lampade nō illustretur. Idcirco terra omnis, nedum belluę & homines, suo penè euulsa fundamento tremit, horrendumq; in modum concutitur. Sunt'ne hæc diuinæ potentiæ indicia, an, ut arbitrantur mundi sapientes, necessarię quædam aëris alterationes? Virtus ea (ni fallor) à numine procedit, nō à necessarijs cœlorum motibus, aut dæmonum, ut quidam opinantur, terroribus. Quòd uerò contra uim imbrium, aut tempestatū & fulgurū, quæ crebra admodum hunc in excelsum cadunt montem, in quo placidissima mei patris conquiescūt ossa & cineres, erigan

B turin sublime cruces, fiantq; supplicationes & uota, num propterea istiusmodi religionis ac fidei indicijs censendū est placari dæmones, etsi fugari dicunt? an illud magis, nempe Deum nostris offensum erratis, hisce fidei argumentis inuitari, rogariq; ne in nos, uti consuescit in hostes, tam dirè res quoq; inanimatas, ut meriti sumus, ferocire sinat? Nónne idem etiam pro bellis, pro discordijs, pro sic citate, pro lue & peste, agere soliti sumus? Sed, ut dixi, uia tua, ô Domine, uia difficilis est, uia ardua, uia salebrosa. Et quidem

In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis.

Via enim qua ad te itur, quaq; res conditæ perueſtigantur, & utcunq; intelliguntur, inaccessa penè est, atq; innumeris conuoluta fluctibus. Semitæ, inquam, tuæ, quibus afflicta permeas corda, multis in aduersitatū aquis sitæ sunt. Non sanè quidem tuis in electis delicias ferere cōsuescis, sed spinas, sed tribulos, sed lappas, sed crucis amaritudinem. Et tamen ad hæc tam alta tuæ prouidentię consilia cæcutimus, prorsusq; cæci sumus: siquidem ab humano intellectu

Vestigia tua non cognoscentur.

Occultissimo etenim modo mortaliū salutem operari solitus es. Possumus certè multas, & has quidem uarias, cur id uel illud fiat, prætexere rationes. At uerò attoniti, in rerūq; omnino occultarū indagatione exoculati, in illud tandem deuenimus, ut uicti clamemus: Quis cognouit sensum domini? aut quis eius unquā uestigia, nempe consilia, atq; in disponendis rebus tum ordinem, tum prouidentiam perscrutatus est? nemo profectò qui id appetat, inuenitur: uel si appetat, assequitur. Verùm illud nobis, quàm sol ipse, est compertius, quòd

Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Mosi & Aaron.

Crebra enim ouiū in scripturis fit mentio, quò minimè uulgarem in Deo esse erga suos custodiam contemplemur: qui quidem cùm uniuersalis sit pastor, uult tamen sempiterno rerum ordine ac serie, ut sic dicam, primogenia atq; æterna, quemadmodum ceteras quoq; res, ita homines suos in terris habere duces & tu-

C tores. Deduxit quidem dominus, ut hîc canit Vates, tanquã oues, ſolerti ſcilicet cura, ex Aegypto Hebræorũ populum: uerùm non abſq; ducibus & paſtoribus. Alioquí quò uulgus rude atq; imbecille, uel millies diuino ab oraculo admonitum, ſuum direxiſſet iter per mare: per ſolitudinẽ: per terrã hoſtilem: Strenuiſsimus igitur datus fuit illi dux cum fratre Moſes: quem cùm ex aquis aſſumptũ interpretentur, Aaron autem fortitudinis montem, animarum ductores belliſsimè adumbraſſe nõ ignoramus. Aquas diximus nonnunq; in ſcripturis uitę huius afflictiones, aduerſamq; fortunã, atq; interdum cupiditatũ profluuiũ prætendere. Da mihí igitur animarũ ducem nondum ab aquis aſſumptũ, hoc eſt, adhuc aduerſis molliter reluctantẽ, in perſecutionũq; fluctibus fugacem, & fœminarũ more eiulantem, aut in cupiditatũ libidinumq; uolutabro ſeſe uolutantem, idcirco in fide euiratũ, emoriar ſi quam uideris unquã ex ouibus ſub tali paſtore diutius in Domini paſcuis, ritèq; educarí. Quí eiuſcemodí ſunt, aut Aegyptí deſiderio contabeſcent miſerí, aut cõtempto Deo atq; eius religione, uitulum ſibí pro Deo ex aureis uxorũ inauribus delicatiſsimí (ſi Deo placet) paſtores conflabunt. Nihíl enim in illís reperies quod elumbe non ſit, effœminatũ, putídum. Moſe itaq; ductore opus eſt, atq; Aarone, uíris ſcilicet in fide doctrinaq; ſpiritus robuſtis, firmatiſq; in his quæ ſolída ſunt & perfecta. Non quidem in mundí ſaginario tanquã in amne fluitantes, aut turpiſsimis parentes affectibus, ſui uult eſſe gregis paſtores Deus. Quare ſi nonnullos inuenías iſtiuſmodí, de quibusq; ſic dominus in Hieremía queritur: Paſtores multí demolití ſunt uineã meam, conculcauerunt partem meam: parendũ illís quidem eſt cũ delectu, ſimulq; dolendũ, quòd adeò in immenſum noſtra creuerint ſcelera, ut meritò in nos illud dictum eſſe intelligamus: Effœminatí dominabuntur eis. Quí uerò ſint illí, quí Moſen, aut Deum potius in terrís referãt, hos breuiter deſignat ſpíritus in Vate illo: Dabo, inquit, uobís paſtores iuxta cor meũ, & paſcent uos ſcientia & doctrina. Cæterũ doctrinã
D hanc, doctrinã ſpíritus eſſe arbitror, nempe illam, quę non tam literarum linguarumq; cognitione nitatur, quàm quæ puriſsimis animæ contemplationibus ad Ieſu pedes addiſcitur. Cui laus ſit atq; honor in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LXXVIII. Eruditiuum Aſaph.

Attendite populę meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei.

Ingentí quidem animí intentione his opus eſt, quibus ab amico, ſeu à rege & príncipe præterita exprobrant beneficia: id enim ingratis cõtingere no raro experimur. Verũ ea quę à Deo fit exprobratio, nõ ſolũ animũ attentũ requirit, uerumetiã eruditionib. refertiſsima eſt, ac doctrina, ut in hoc pſalmo cernimus, q maximis obtectus eſt myſterijs. Siue enim de defectione Hieroboã, quí fuit de tribu Ephraim, quíq; cõtra Dei decretũ affectauit regnũ Iuda, pſalmũ compoſitũ aſſerant expoſitores, ſiue aliã effingant rationẽ, illud in ſumma conſiderandũ, diuina hîc quędã à Chriſto erga homines recẽſeri beneficia: quę quidẽ díligenter, ut par eſt, ab homine perſpecta, maximã excitãt admirationẽ, quippe quę Dei erga mortales quãlibet ingratiſsimos tum bonitatẽ tum clementiã præ ſe ferãt. Tantũ ſiquidẽ momentí illa habere præſenſit Vates, ut quicquid de illís canere inſtituiſſet, id Deí legẽ, uitæq; inſtitutionem appellare non ueritus fuerit. Audite, inquit, populę meus legem meã, inclinate aurẽ ueſtrã in uerba oris mei.

Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.

Obſerua quid animus ad Dei iuſsiones exequendas inuitatus reſpondere debeat. Illud, opinor: Audíam quid loquatur in me dominus Deus. Quí nõ libenter audiat? Etenim loquetur pacem cũ populo ſuo. Interim tu, ô benigniſsime, aperi in parabolis os tuũ, loquere propoſitiones, ęnigmataq; ab initio occulta quę fuerãt explana. Quid hîc ſignificẽt parabolę ſeu prouerbia, in quadrageſimonono pſalmo expoſuímus: nempe dictiones, quæ grauiſsimis refertæ ſint ſententijs: ænigmata uerò, quæ arcana paucisq; nota contineant myſteria. Huiuſmodí quidem loquutionis genere Chriſtum in terrís uſum fuiſſe teſtatur Euangelium. Sed illud

A lud terrificum: Ideo, inquit, in parabolis loquar eis, quia uidentes non uident, & audientes non audiunt, neq; intelligunt. hoc eſt, indigniores ſunt, quàm ut eos apertiori erudiam doctrina, quemadmodũ uos facio, quibus datũ eſt noſcere myſterium regni cœlorum: illis autem non ita. Cõmemorabo, inquit Paraphraſtes, quæ fabulæ uideri poſsint, niſi uerè conſtaret ſuperioribus ſeculis contigiſſe ea.

Quanta audiuimus & cognouimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis.

Hebræorum litera clarior eſt. Nam poſtquã Fel. tranſtulit, loquar ænigmata, actutùm alium ſic incœptat uerſum: Quæ audiuimus & cognouimus illa. Quo modo uerò ea, quatenus homo, atq; cum eo cæteri, audierit, cognouerit q; Chriſtus, aperit dicens: Et patres noſtri narrauerũt nobis, quaſiq; per manus tradidere. quanquam iſtiuſmodi locutionis genus, ut cætera quæ in mente patris uerſantur, unigenito tantummodo perſpecta ſunt, & quibus uoluerit ipſe, etiam abſq; hominum miniſterio, reuelare. Verùm ut potuere res obſtruſiſsimæ detegi,

Non ſunt occultata à filijs eorum in generatione altera, narrantes laudes Domini, & uirtutes eius, & mirabilia quæ fecit.

Ex quo, ait, patribus Dei innotuit potentia, ac per donorũ copiam munificentia, hi ſubitò filijs eadem longa ætatum ſerie non occultarunt, narrantes nimirũ Dei laudes, uirtutem, uimq; ſtupendam prodigiorũ, ac cuncta demum mirabilia, quæ in electorum gratiam ſemper operatus eſt. Hebræi tamen alio hanc literam legunt ſenſu. Sic Fel. Non occultabimus à filijs eorum in generationem nouiſsimam. Et eſt gratiſsimi animi inſtitutum. Audiuimus, inquit, à patribus. Audiere & cæteri poſt eos filij, ac nepotes. Ita neq; nos ſucceſſuris eadem inuidebimus poſteris, ſed narrabimus Dei laudes, & miracula, ſignaq; beneuolentiæ patris ingentia & antiqua, nõ eos celabimus. Sic ipſe filius ad patrem loquitur: Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo.

Et ſuſcitauit teſtimonium in Iacob, & legem poſuit in Iſraël.

B *Quanta mandauit patribus noſtris nota facere filijs ſuis.*

Vt cognoſcat generatio altera, filij qui naſcentur & exurgent, & narrabunt filijs ſuis.

Et ſuſcitauit: ex hebræo, ſtatuit, uertunt. Porrò teſtimoniũ hîc & legem nõ abſurdum erit opinari illud eſſe, quod antea dixerat ſe enarraturũ filijs, quod ipſe à patribus acceperat: id enim à Deo tanquam lex aut teſtamentũ priſcis olim patribus fuit traditũ. Vnde illud eſt in Deuteronomij libro: Ne obliuiſcaris uerborũ, quæ uiderunt oculi tui: docebis ea filios ac nepotes tuos. Vide legem de promulgandis Dei beneficijs ſancitam. Ait itaq;: Et ſtatuit, ſanciuit q; legem filijs Iſraël, ut nota facerent filijs ſuis, ea quæ ipſe mandauit patribus, ne non ſcirent poſteri, qui & ipſi ſuis enarrarent filijs, filij item nepotibus.

Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant.

En ænigma, en problema mundanę addictis felicitati inenodabile. Ecquis ex illis perſuaſum id habet, totam illorum ſpem, humanis interim abiectis præſidijs ac delicijs, collocandã eſſe in Deo: & eo quidem, qui ſapientiſsimo ſuę prouidentiæ conſilio ſuos nonnunq; deſerere uidetur amicos? Idcirco igitur crebram ſuæ erga nos beneuolentiæ memoriã inter nos eſſe uoluit: neq; id ſolùm, ſed etiã pro lege, inuiolabili q; teſtamento ac fœdere decreuit eſſe, ut quemadmodum nos à patrib. æternã Dei erga homines ſemper extitiſſe accepimus charitatẽ, ita & nos filijs eandem ipſam nunc eſſe, & copioſiorem, prędicemus: cuius uirtute excitati aliquando, ſuauiſsimis illius condiſcãt obtemperare mandatis. Et id propterea,

Ne fiant ſicut patres eorum generatio praua & exaſperans, generatio quæ non direxit cor ſuũ, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius.

Et non fuit fidelis cum Deo ſpiritus eius, uertit Felix. Item, direxit, ſtabiliuit tranſtulit. Miraculi loco haberi poteſt, filios cernere morigeros, & ſub bellacibus patribus & rixoſis, quietos: ut olim patres fuerunt antiqui Iudæorum in ſolitudine uaſta illa poſt fugam Aegypti, de quibus ſic queritur ſuos alloquens Dominus in pſalmo: Nolite obdurare corda ueſtra ſicut in exacerbatione ſecundum

c diem tentationis in deserto, ubi tentauerũt me patres uestri, probauerũt, & uiderunt opera mea. Quanta enim fuerit in Deum illorũ peruersitas & ingratitudo, notior res est quàm ut illam multis contra cõmentariorũ legem persequar. Narra te, inquit, filijs ipsis uestris, illisq; uel usq; ad fastidium inculcate, quàm beneficus semper antiquis fuerit cœlestis pater: cõtrà uerò, quantũ illi ipsi pertinaciter rebelles & contumaces: ne & ipsi suis fiant consimiles patribus, nempe generationi prauæ & adulteræ, cuiq; nunquã quod rectum est placuit, nec unquam ex animo mihi credidit, ut ex illis quæ dicturus sum pernosci poterit. In primis enim

Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.

Filij Ephrem, sunt posteri illius, qui & filij Ephraim appellantur, qui fuit filius Ioseph. Hos in hoc loco pro toto populo Israëlitico sumi uolunt doctiores, ob id quòd homines illius tribus, cui Sylo ciuitas contigerat, in qua sedes fuit arcæ, idcirco & religionis, cæteris arrogantiores fuere. Quem sanè tumorem atq; audaciam nõ diutius dissimulans Hieroboã, qui ex illa fuit tribu, uel eò maximè quòd eum constituerunt regem super omnem Israëlem, nec secutus est quispiã domũ Dauid, ut narrant historiæ, prẽter tribum Iuda solùm, bellum mouit contra Abiã regem Iuda, nempe tribus à Deo electæ ad regnum. Duo hîc itaq; tangit Vates: tum rebellionẽ decem tribuũ, de quibus triste illud est Esaiæ elogiũ: Væ coronæ superbiæ ebrijs Ephraim, & quæ duce Hieroboam in Iuda tribum mouerunt arma: tum illorũ calamitatẽ, in quã spreto Deo, atq; eius religione, inciderunt: nam inito bello cum tribu illa duce Abia, perterruit Deus Hieroboã, & omnem Israëlem qui stabat ex aduerso Abia & Iuda. Percussit ergo illos Abia & populus eius plaga magna, & corruerunt uulnerati quinquaginta millia uirorum fortium: humiliatiq; sunt filij Israël in tempore illo. Superbiæ nimirũ immensæ illud fuit indicium, diuinas uelle pollicitationes de regno Iuda æterno infringere. Vnde ante belli congressum Abias è montis apice sic hostes alloquitur: Num ignora-
D tis quòd dominus Deus Israël dederit regnũ Dauid super Israël in sempiternum? Siue igitur ad bellum illud impiũ, siue ad bella alia contra alios intellexeris, à Vatis mente nõ eris alienus. & est sensus: Filij Ephrem intendentes, siue armati lanceis, ut uertunt ex Hebræo, & arcu, hoc est, suis magis uiribus atq; armis fidentes quàm Deo, in fugã uersi turpissimè occubuere. Quid mirũ? factus est Ephraim, ut ait Oseas, quasi columba seducta nõ habens cor. Conuersi itaq; in fugam sunt in die belli, quoniam

Non custodierunt testamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare.

Ecce totius indignationis Dei, atq; iræ contra homines, ratio & summa, Neglectus religionis. Fregerunt, inquit, fœdus, corruperunt testamentum, legemq; meam ultrò auersati sunt. Quid scelestius inter homines cõmitti unquã potuit, q; sacrosancta uiolare testamenta? pacta abolere? & leges demũ urbium non seruare? Nulla his quidem, qui sic agunt, statui potest mulcta, quæ tam graue queat æquare crimen. Sunt tamen pactorũ conuentorũq; uiolatores, sunt testamentarij, falsarij, diplomatũq;, &, ut uocant, instrumentorũ contractuũq; corruptores, qui non solùm à ciuium conuictu, ut lex iubet, nõ arcentur, pœnisq; afficiuntur, sed etiam (malùm) de aliorũ bonis & fortunis, tanquam de profligatis hostibus, triumphant, atq; inter primates rerumpub. ambitiosissimè collocantur, seu sese potius obtrudunt. Heu sortem miseram Israëlitarũ. quid nostrã? Non fœdus initum cum Deo in lege, in ritibus, in cultu, in religione, in baptismo, in uotis, in sacramentis, in fidei professione, seruauerunt: sed à lege, à Deo, à uita, à pietate, sponte sua auersi,

Obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis.

Deus, ait, illis, illorumq; patribus tot tamq; stupenda quotidie ostendit beneuolentiæ signa, ut nonnulla ex grauioribus cõmemoraturus sim. Illi uerò cõtrà, omni abiecta illius memoria, nihil minus cogitarunt, quàm ut grati essent. Ergo

Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos.

Perstringit

A Perſtringit breuiter miracula edita in Aegypto, cuius regia ciuitas Tanis fuit, agri ſanè fertilis & opimi. De illius regionis primatibus ſic loquitur Eſaias: Stulti principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſiliũ inſipiens. Prouinciæ itaq; in primis, & loci, in quo mira illa & uulgatiſsima ſunt ædita portenta coram rege, ne dubiam rem afferre uideretur, mentionem facit.

Interrupit mare, & perduxit eos, & ſtatuit aquas quaſi in vtre.

Mira res, tam uaſtam aquarũ molem arctè adeò coactam, ac ſi in utre collectę eſſent. quanquã non utrem, ſed cumulum uertunt nonnulli. Paraphraſtes uerò: Stare iuſsit aquas natura ſua fluidas, tanquam molem marmoreã. quod idem eſt quod in Exodi libro legimus: Erant illis aquę ceu murus à dextris & ſiniſtris. De diuiſione autem maris ſic loquitur Moſes: Abſtulit illud dominus flante uento uehementi, & ulente tota nocte, & uertit in ſiccum.

Et eduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.

Dominus, inquit Moſes, præcedebat eos ad oſtendendam uiam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux eſſet itineris utroq; tempore. Euidentius ne unquã fuit ſummę Dei in populum illum dilectionis ſignũ? Verùm illa omnia neſcio quid occultioris portendebant myſterij. Futurũ quippe erat, ut Eccleſię filij nõ ſolùm maris aquis, uerumetiã nube gratiarũ, atq; igne ſpiritus baptizarentur. Idcirco ſic de Chriſto concionabatur Ioannes: Ille uos baptizabit igni, & ſpiritu ſancto. Qui ſanè ignis eouſq; ſua in Eccleſia ardens erit, quoad eius quicquid antiquę uitæ in eam protruſit Adam, exuraſ, ſubcreſcantq; illa quæ nouiſsimi ſunt Adæ. de quo ſic Vates ille: Si abluerit dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Hieruſalem lauerit de medio eius in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris: & creabit nubem per diem, & fumum, & ſplendorem ignis flammãtis in nocte. Hinc clamat Paulus, omnes in nube & mari baptizatos eſſe. Cui & illud quod ſequitur mirabili reſpondet artificio:

B *Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos velut in abyſſo multa.*

Et eduxit aquam de petra, & eduxit tanquam flumina aquas.

Bis repetit confractæ petræ miraculũ, è qua maxima aquarũ dimanauit copia, quoniã bis aquis indiguit populus, & murmurauit contra dominũ: & tamen petra illa quę erat Chriſtus, iniuriarũ prorſus immemor, illorũ obtemperauit uoluntati, ne dicã libidini. Proſcidit, inquit, petrã alioqui ſiccã & aridam, in loco ſterili atque infœcundo, ut ſunt ferè ſolitudines, quæ tam copioſam uiuæ aquæ effudit abundantiam, ut nõ riuũ aut amnem, ſed fluuiũ, profundamq; abyſſum dixiſſes. De exundanti illius petræ beneficio ita loquit Moſes: Cùm eleuaſſet Moſes manum percutiens bis uirga ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſsimæ, ita ut populus biberet, & iumẽta. Et quidem aptiſsimo uſus eſt uerbo interpres, adaquauit, quod propriè de armentis & pecudibus dici ſolet. Fuerint ne homines, ſeditioſiſsimi illi murmuratores, an pecora, uix diffinire auſim: ut nunc quoq; de quibuſdã non audeo, qui copioſiſsimè è Chriſti latere epotati, ingratiſsimi omniũ exiſtunt, quibuſq; etiamnũ nulla apparet in die nubes, aut fax in nocte, ſed omnia illis in eremo hac uitæ arida, & ſolitudine, obſcura ſunt, horrida, inamęna, meticuloſa. Nullo quippe ſpiritus hauſtu affecti, ſicciores q̃ ipſæ ſint cotes, effecti ſunt. Ideo de illis, quod de iurgioſo populo illo aſſerit Vates, non inconuenienter dici poterit,

Et appoſuerunt adhuc peccare ei.

Nihil his omnibus, inquit, facti ſunt meliores, utinam non deteriores: utinam peccata peccatis addentes, non magis reprehenſibiles extitiſſent, quàm cùm nullo affecti erant beneficio. Hem audaciam hominum. Vide quid inferat:

In ira excitauerunt excelſum in inaquoſo.

In ſolitudine, ſiue in torrido, uertunt ex hebræo. Neſcio quidem an id peccatũ dici queat, an amentia potius & ſocordia, Deum audere contumelijs laceſſere, atq; ad iram prouocare. Quid iſtuc tandem eſt?

Et tentauerunt Deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis.

C *Et malè loquuti ſunt de Deo: dixerunt, nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto?*

Animabus ſuis, melius ex Hebræo uertiſſet, cupiditati ſuæ, uel, pro ſua libidine: ferè enim in hoc ſignificato utitur interpres dictione Anima, ut in ſuperioribus pſalmis annotauimus. Flagrarunt quidem intolerandum in modum deſiderio edendi carnes in eremo filij Iſraël: unde uox illa diffidentiæ audita fuit, Quis dabit nobis ad ueſcendum carnes? Anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man. Qua de re iratus dominus, percuſsit eos plaga magna nimis, uocatusq; eſt ille locus, Sepulchra concupiſcentiæ: quę ſanè uox ad illa quę de cupiditate diximus, quamoptimè quadrare uidetur. Cæterùm uolunt tentationis hîc uocem illud prętendere, cùm manifeſto quis Dei contemptu atq; illius pollicitationũ irriſione, uirtutis illius periculum facit: quemadmodum rebellis ille populus non ſemel Deum tentauit, cùm aliàs in ſolitudine, tum in Raphidim maximè ad petram Oreb, cui nomẽ inditum tum fuit Tentationis ac iurgij, quia tentauerunt, ut inquit Moſes, dominum dicentes: Eſt ne dominus in nobis, an non? quaſi diceret uulgus illud uiliſsimum: Cur fruſtra, ô Moſes, tam magnifica de Deo prædicas? quò ſua illa abijt de nobis cura, quam tu perpetuã fore nobis, noſtriſq; poſteris toties pollicitus es? Das nobis ne uerba, an tanquam muta pecora per uaſtam hanc ſolitudinem temerè uagari facis? Si nos amat Deus, quod uix credimus, cur aquæ inopia nos tandiu affligi ſinit? utinam in Aegypto mortui fuiſſemus. Poterit ne is, quem tu tam nobis beneuolum iactitas, & potentem, inſtruere conuiuium, in hoc præſertim deſerto, in quo rerum omnium ſumma eſt penuria & egeſtas? uſquequo blandiſsimis iſtis tuis nos lactas pollicitationibus? Stolidam profectò generationem & infidelem, ne dicam impiam. Scilicet,

Quoniam percuſsit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt: nunquid et panem poterit dare, aut parare menſam populo ſuo?

D Verba ſunt (ni fallor) Vatis, populi murmurantis temeritatem reprehendentis, ad hunc ferè modum: Nuper mirabilem Dei uirtutem in eliciendis è duro ſaxo aquis experti eſtis, quid iterum an queat lautam in ſolitudine parare menſam dubitatis? heu mentes cęcas. Hunc ſenſum à Paraphraſte afferri uideo, qui ſic redit: Miranda profectò cęcitas illorum: qui enim elicere potuit illis uidentibus ex petra aquas tanta copia ut iuſtos fluuios ęquarent, de illo dubitant, poſſet ne carnem præbere populo, quem ſibi tam miraculoſe aſſeruit. Verùm & qui hæc uerba ad populũ illum referunt, de quo id legimus, Ortum eſt murmur populi quaſi dolentium præ labore contra dominum, audiendi ſunt: uolunt enim mirabilem incredibilemq; his uerbis populi illius exprimi impietatem, qui Dei uirtutem in excutiendis aquis è petra nõ ita pridem expertus, quaſi quę facta fuerant irriſendo, dubitat an ſibi uelit Deus ſuis iterum in neceſsitatibus opitulari. Idcirco in amariſsima illa, ſummæq; indignationis plena prorupit uerba: Nunquid & panẽ poterit dare, aut parare menſam populo ſuo? quod quidem cum neglectu legendum eſt: quaſi diceret, populo, quem ſuum eſſe ſimulat. Cæterùm panem, non Man hîc intelligit, quod iampridem depluere cœperat dominus, ſed cibũ alium uulgarem: quare nonnulli cibum tranſtulerunt pro pane.

Ideo audiuit dominus & diſtulit, & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſraël.

Quid ſibi uelit interpres in uerbo Diſtulit, non ſatis mihi compertum eſt. Ex Hebræo uertunt, iratus eſt, uel huic ſimile. Idem Symmachus. alij item è græco, reiecit. Duplicem hîc à Vate deſcribi mulctam arbitror: incendij unam, qua extrema caſtrorum pars, cùm de uiæ labore conquererentur, abſumpta fuit. Alteram, qua ſæuiente, datum eſt nomen loci, ut diximus, Sepulchrum concupiſcentiæ. Ob id igitur cõmotus dominus grauiſsimè excanduit, exarſitq; mirũ in modum ira in filios Iacob, ac mirè admodum ipſiſsimos deuaſtauit Iſraëlitas, nempe homines ingratiſsimos, ac ſua culpa reiectos. Bis idem dicit in uno uerſu, quò quanti momenti populi illius perfidia extiterit, non ignoretur. Cùm audiſſet, inquit, Moſes, iratus eſt, & accenſus in eos ignis domini, deuorauit extremam caſtrorum

A ſtrorum partem. Quid illud? Et ecce furor domini concitatus in populum, percuſsit eum plaga magna nimis.

Quia non crediderunt in Deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius.

Ecce tota exitij humani generis, nõ ſolùm Iudæorũ, ſumma, & cauſa, defectus ſcilicet fidei. Quia non crediderunt, inquit, in Deo. Quàm amplus hîc patet campus Moſi (ſi quis tamen Moſes in terris eſt reliquus, aut Aaron) de nonnullorũ expoſtulandi Chriſtianorum incredulitate. Vidimus enim nos omnes per Chriſtum expoliatã Aegyptũ, Aegyptioſq; unà cum principe huius mundi ui aquarum deterritos, metuq; exanimatos, atq; à tyrannide, ſæuoq; animarum imperio eiectos, imò extinctos. Senſimus nubem ęſtũ hunc carnis refrigerantẽ, ignemq; inter errorum tenebras interlucentem experti ſumus: manu item tetigimus, è ſaxo illo dudum noſtram ob culpam duriſsimo cordis Chriſti, qui lapis eſt uiuus, undas, amnes, fluuios, Oceanum tandem gratiarũ effluxiſſe, è quo & nos, & ſenſus hi noſtri bruti, nempe iumenta ſpiritus fræno obluctantia, epotati, menſa delicijs ſacramentorum refertiſsima quotidie utimur, & nihilo tamen ſecius in fide nutamus, nihilq; minus credimus, quàm nos Dei curæ eſſe. Quòd ſi contendunt quidã, ſe fide nixos omnia in Deo poſſe: ubi, oro, illorũ ſunt fidei indicia? ubi fructus? ubi mutua, quod fundamentũ eſt fidei, charitas? Niſi fortè malint fidei fructus ac ſpiritus nũcupare, quos opera carnis appellat Paulus. Adhuc (crede mihi) uaſtã peragrãt ſolitudinẽ ingrati Hebræi: adhuc Aegypti carnes deſiderant: adhuc uiuunt murmuratores in Moſen & Deũ. Non igitur ingrati illi homines, quantũuis aliàs experti eſſent Dei benignitatẽ, ex animo crediderunt Deo, neq; illius ſunt pollicitationib. confiſi. Ergo occultiſsima ratione ab illorum tutela ſemouit ſe cuſtos. Sed interim, quæ eſt illius patiẽtia, diſsimulauit nõnihil iniurias

Et mandauit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit.

Vides ne rerum exuberantiã in Deo? nonne hîc tibi uidetur totum exhauriri
B cœlum, atq; quicquid bonorum in illo eſt, in perfidos neſcio quos effundi? quid ſi boni eſſemus? Iuſsit, inquit, nubibus in ſublimi ſupra eos pendentibus, easq;, tanquam ſuperne cœlorum oſtia reſeraſſet, rupit:

Et pluuit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.

Stupenda res.

Panem angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis in abundantia.

In enarranda miraculorũ ſerie non ſuũ ſeruat ordinẽ Vates: nec quidem opus eſt, modò quæ acta ſunt, non omittat. Panem cœli, frumentũ cœlorũ uertunt ex hebræo: qua uoce cibi illius dignitatẽ exprimere uoluit, Man uocans cœlorũ triticũ, ac paulò pòſt angelorũ panem: nõ quòd ſimili ueſcant edulio beatiſsimi illi ſpiritus, ſed quia è cœlis, ubi illorũ eſt domicilij (quanquã hi corporũ expertes loco circunſcribunt nullo) deſcenderit. Sunt qui panem robuſtorũ, ſeu heroum, ſeu nubiũ quoq;, transferũt: quã quidem ultimã uocẽ ex eo quòd dictum eſt, & mandauit nubibus deſuper, aptius legi poſſe aſſerunt. Tamen, ſi res altius perueſtiganda foret, lexq; cõmentariorũ permitteret, primã atq; alterã ſpiritui magis prophetico conuenire dicerẽ, utpote robuſtorũ cordiũ illorũ, qui non iam homines, ſed heroës, diíq; in terris, ob diuinã fidei paſtionẽ, quæ ſecũ fert Chriſtũ, gratiam adumbrantes. Non Man igitur, ſed quod Man reſpexit, intuendum eſſet. Quod ſanè non intellexiſſe antiquos Iudæorũ proceres in eremo, queritur Moſes in Deuteronomio. Cibauit te, inquit, manna in ſolitudine, quod neſcierunt patres tui. Idcirco Chriſtus ſe ſignans, ita de manna apud Iudæos ediſſerit: Non Moſes dedit uobis panẽ de cœlo, ſed pater meus dat uobis panẽ de cœlo uerũ. Panis enim uerus eſt qui de cœlo deſcendit, & dat uitã mũdo. Ex his tandem obſtupeſcentib. Iudæis, & diſcipulis rem totã breuiter expoſuit, dicẽs: Ego ſum panis uitę. Chriſtus itaq; in Man illo ueteri quęrẽdus eſt, qui robuſtarũ uerus eſt cibus mentiũ, atq; angelorũ, quos cõtinuè à Chriſto etiã ut homine purgari, perfici q; & illuminari ſcribit Areopagita. At quãtę fuerit efficacię cibus ille cœleſtis,

C aperit Vates. Cibaria, inquit, misit illis in abundantia: hoc est, ad satietatẽ. Comedatis, inquit dominus, non uno die, nec duobus, uel quinq;, aut decem, nec uiginti quidem, sed usq; ad mensem dierũ, donec exeat per nares uestras, & uertatur in nauseam. Nec falsus quidem fuit dominus: nam haud multò pòst, tam suauem angelorũ cibum pertęsa gens illa iam Deo fastidita, submurmurauit dicens: Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Verùm dominus non propterea à tam uilium hominum cura desistens,

Transtulit Austrum de cœlo, & induxit in virtute sua Aphricum, et pluit super eos sicut pulue rem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.

De largissimo auium munere cœlitus emisso sic loquitur Moses: Ventus egrediens à domino, arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra itinere quantum uno die confici potest ex omni parte castrorum per circuitum. Vnde infert Dauid:

Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.

Tabernacula uocat conopœa, & papiliones; quibus usi sunt Hebræi in solitudine. Cæterùm Auster, quem dominus transtulisse seu mouisse in cœlis, ut uertit Felix, asserit Vates, à meridionali flat plaga, Aphricus ab occidua. Ventorũ hîc ui euectas intellige coturnices, quarum donum non tantũ celebrare intendit Vates, quomodo uidelicet allatæ fuerint, quantum illorũ impietatem detegere qui acceperunt, quíq; tot tamq; innumeris affecti cœlitus beneficijs, à murmuratione tamen atq; oblocutione in Mosen & Deum non cessarunt.

Et manducauerunt, & saturati sunt nimis: & desiderium eorum attulit eis, & non sunt fraudati à desiderio suo.

Nimia quidem accensi cupiditate edendi carnes, carnibus uel usq; ad uomitũ impleti sunt: nam quantum illorum effrænata appetiuit libido, tantum illis diui-
D na obsecundauit indulgentia. quod est, quod hîc dicit: Et non sunt fraudati à desiderio suo. Hebræis tamen alius uidetur esse sensus. Sic Felix: Non habuerunt fastidio desiderium eorum, hoc est, ut ipse se interpretatur, non fuerunt alienati sua à cupiditate, in tanta nimirũ carnium copia. Verùm prior sensus aptior uidetur, ut ea sit quodammodo Dei ultionũ maxima, cùm impij quæcunq; expetunt, assequantur. Heu rem flebilem, cùm nõ sumus fraudati ab effrænatis desideríjs nostris. Dimisit, ait alio in loco, eos secundum desideria cordis eorũ. Non sanè hæc sunt tuæ in nos beneuolentię signa, ô domine, sed iræ, sed furoris, sed extremi nõstri interitus & damnationis. Erro ne? Ex his enim quæ in plebem illã murmuratricem acta sunt, mihi, si id contingat, subuereri cogor. Quid illa?

Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorũ, & ira Dei ascendit super eos, & occîdit pingues eorum, & electos Israël impediuit.

Immensam hæc præ se ferunt uerba illius populi ingratitudinem, ac Dei ultionem. Quid ingratius, oro, quid turpius, ac magis detestandum, quàm in medio ipso beneficiorũ usu & copia, beneficiariũ in benefactorem murmurare? Adhuc, inquit Moses, carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor domini concitatus in populum. Dauid uerò: Et ira Dei ascendit super eos, occîditq; pingues, robustissimos scilicet quosq;, ac florem iuuentutis qui erat inter Israëlitas prostrauit. quam sanè nobilium internecionẽ ostendere uoluit Moses, cùm ait: Percussit eum plaga magna nimis. quod enim noster habet interpres, Electos Israël impediuit: nonnulli uertunt, Iuuenes Israël humiliauit. Porrò pingues in scripturis, pro potentib. honoratis, pontificibusq;, senibus, atq; omnibus his, qui in mundo alicuius numeri sunt ac nominis, usurpari solent. Quorũ quidem si sua illi abutunt pinguedine, typus fuit Agag rex pinguissimus Amalechitarũ, aut Aeglon Moabitarũ. Putás ne uisa tam immani suorum strage, reliquam uulgi multitudinẽ resipuisse? Nõ credo. Proinde uide quid infert spiritus:

In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius.

Mira sanè res est, & stupenda, cùm ferrũ ex limę dente rubiginẽ cõtrahit. His, inquit,

A inquit, omnibus nihil adhuc facti ſunt cordatiores, ſed quotidie peccata peccatis accumulantes, non crediderunt in mirabilibus eius. Nanq; tot æditis in eorũ gratiam miraculis, tótue effuſis è cœlo donis, neq; ſic ſeſe diuinæ credebant bonitati. Idcirco æquiſsimo Dei iudicio ad interitum properauere.

Et conſumpſit in Vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione.

Pertranſierunt ſcilicet. Clarius tamen ex Hebræo uertunt: Et conſumpſit in uanitate dies eorum, & annos eorum cum horrore. Ad nihilum, inquit, redegit illorum uitã, atq; annos horribiliter conſumpſit. quanquã nec uocem feſtinationis, ab re poſitam arbitror. Siquidem uiros impios, ſuos non dimidiaturos dies, à cœleſti audiuimus oraculo. At iam ex his quæ ſequuntur, populi illius leuitatem, uiſa ingratitudine, conſideremus.

Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo Veniebant ad eum.

Is mos eſt improbis, atq; in peccato induratis, ut ſi quando ad iuſtitiæ ſemitas per flagella reuocantur, tandiu peccati illos pudeat, pigeatq;, quandiu fortuna aliqua aduerſa afficiuntur: qua ſanè poſtea aut mitiore reddita, aut ablata omnino, ad ingenium ſtatim redeunt, deteriores interdum facti, quàm prius fuerant. Eo planè more uſi ſunt Hebræi in ſolitudine, quorum anxium in plagis animum aptiſsimè exprimit Propheta, cùm ait: Et diluculo ueniebãt ad eum. hoc eſt, non expectabant diei lucem, ſed die noctuq; anxij & timidi, ad diuinum ſummo animi terrore confugiebant præſidium.

Et rememorati ſunt quia Deus adiutor eſt eorum, & Deus excelſus redemptor eorum eſt.

Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei.

Obſerua illorũ religionem qui timoris affectu ducuntur, non amoris. Etenim qui dilectione in Deũ fertur, in fide ſui ſemper ſimilis eſt: qui metu, diſsimilis: & quemadmodũ in fide, ita in omnibus tum factis, tum dictis, inconſtantiſsimus.

B Recordabantur, inquit, percuſsi eundem ipſum eſſe Deum in præſentia, qui & aliàs, fortem nimirũ ac pium. Hæc quidem afflicti fatebantur, uerùm non ex animo: nam ſummis labijs religionem profitentes, mellitis quibuſdam Deo uerbis blandiebantur, aliud ſanè quàm quod in corde celabant, proferentes: quandoquidem ſancta, religionisq; pleniſsima, uerbis oſtentabant.

Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius.

Innumeræ quodammodo fuere illorum pollicitationes in firmando cum Deo fœdere, in ſcripturis: ſed ne ſemel quidem perſtiterunt bona fide in pacto, quod cum illo pepigerant. Corde quippe duro ac peruerſo cùm eſſent, quî pactis cum Deo initis ſyncero parêre animo potuiſſent? Hinc credo concludi poſſe, mendacem, fictumq;, ac ſimulatorẽ, nullatenus ſeruire poſſe Deo, atq; illud ſeruare fœdus, quod teſte Eccleſia, cum Deo ipſo animoſiſsimè percuſsit in baptiſmo. Sit ille quantumuis religioſus, ſi ſimulator eſt, & duplex, in illorũ numerũ cenſeri debet, de quibus hîc queritur Vates, dicens: Cor eorũ non erat rectum cum Deo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius, fœdere nimirum cum illo percuſſo, ac lege. Attamen quamuis illi eſſent, quales paulò antè fuiſſe diximus,

Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non diſperdet eos.

Quis hîc imperſcrutabilem paternamq; diuinæ largitatis copiã non miretur? quamlibet enim profligati ſint homines, ac Deo rebelles, non propterea uti ſues ab Eccleſia eijciendi ſunt. Siquidem tantus eſt æterni patris in homines quamuis ſceleſtos & nefarios, amor & beneuolentia, ut nemo ſit, qui tam immenſum bonitatis pelagus peccando æquare ualeat. En tentauerunt me, inquit, iam per decem uices. Illud quoq;: Vſquequo multitudo hęc peſsima murmurat contra me? Non ſunt hæc quidem, mi lector, uerba tyranni irati atq; inexorabilis, ſed amantiſsimi, licet commoti, animarum parentis. Ipſe quidem non tam illorum merita, quàm ſeipſum intuens, debita illis omnia non ſemel dimiſit: idcirco illos funditus nequaquam ſubuertit.

Et abundauit Vt auerteret iram ſuam, & non accendit omnem iram ſuam.

C Abundauit, ex hebræo uertunt. Multus, ſeu totus, in eo fuit Deus. In quo? ut iram ſuam auerteret. In hoc igitur totus fuit Deus, ne iraſceretur, quare ſic uerſum reddidit Paraphraſtes: Maximo ſtudio quaſi uim faciens ſibi, continuit iram ſuã: nec re ipſa oſtendit, & merito etiam furere poſſet in eos. Quid illud? (patris eſt clementiſsimi, qui contra filium iratus, ne nimiũ excandeſcens mulctandi modũ excedat, quempiã, qui eum contineat, optare, aſſurgereq; in uerbera cunctanter tardeq;, quò ex intuentibus quis manum reprimat) Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleã eos. Videre rurſus aliam ueri paſtoris in Moſe effigiem: Aut dimitte eis, inquit, hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Rident hæc, ſcio, noſtri temporis antiſtites quidam, qui quoniã tenuiſſimo afficiuntur ſpiritus guſtu ac doctrina, quid nõ de hoc ardenti Moſis affectu & deſiderio diſputant? atq; ne, uti res eſt, intelligat, in fruſta adeò concîdunt & attenuant, ut penè Moſen ficte cum Deo locutum, ni prudens ſis, aſſeras. Idem quoq; de Pauli anathemate ſomniant. Suam itaq;, ne ut meriti erant excandeſceret, cohibuit iram benigniſsimus dominus,

Et recordatus eſt quia caro ſunt, ſpiritus vadens & non rediens.

Mirum ſi magnã ualde hîc uim arbitrio concedas. Spiritus, inquit, in homine erraticus eſt, uagus, ſuaq; ſponte ad lapſus properans: ad innocentiam uerò, propter naturæ debilitatem, regredi, id iam ſuæ non eſt facultatis, ſed gratiæ. Huiuſce quidem myſterij typus fuit ouis illa euangelica, quæ naturali ſuo impetu à reliquo aberrans grege, pij paſtoris opera, atq; humeris, non ſuo conatu & uirtute ad gregem relata eſt. Poteſt quidem homo ex ſe à Deo diſcedere: in gratiã uerò illius redire, atq; illi reconciliari, iam eius eſt iuris qui offenſus eſt. Vnde clamat Salomon: Omnes qui ambulant in ea (nempe peruerſitatis uia) non reuertentur. Spiritus igitur hominis, qui carni, atq; illius appetentijs ultrò obtemperat, illisq; uelit nolit, obnoxius eſt, procul errat, ſed nõ regreditur ex ſeſe, idcirco fragilis eſt
D & caducus. Qua quidem re optimè ab ipſo rerum omnium effectore cognita, ad miſericordiam facilè tum motus eſt.

Quoties exacerbauerunt eum in deſerto, in iram concitauerunt eum in inaquoſo.

Rurſum, in inaquoſo, in torrido, ſeu in ſolitudine, quę naturaliter aquis caret, uertunt Hebręi. Crebrò inculcat Vates Deum, alioqui motibus huiuſcemodi animi uacuum, ad iram ob continuam populi illius impietatem concitatum: quæ quidem ut patentius etiam nobis, in quos ſigna illa admiranda, quæ connumerare intendit, directa erant, innoteſcant, nonnulla ex illis quæ tum geſta fuere, ſubnectit, nõ eo tamẽ ordine quo acciderunt. Nanq; in his recenſendis, ut diximus, non tantùm ea eſt cura Prophetæ, ut aut ordinem, aut numerum geſtorum concinnat, quantũ ut Hebræorũ impietatem arguat, qui Dei beneficia iniuriarũ cumulo ſuperaſſe penè uiſi ſunt. Plena quidem ſacra eſt lex, quàm toties, quàm ex animo, quàm malitioſe Deum irritauerit in deſerto uulgus illud ſeditioſum: rurſus, quàm ſæpe fregerit pactum, quo ſeſe, quæcunq; præcepiſſet dominus, obſeruaturum aſtrinxerat. Exaſperarunt igitur Deum multoties, multifariamq; in eremo, atq; illum (ſic uertit Felix) contriſtauerunt in ſolitudine.

Et conuerſi ſunt,

Nempe à fucata illa ſua à malis reſipiſcentia, ad ingenium, ad antiquam murmurandi conſuetudinem, ad malum animum, ad impietatem.

Et tentauerunt Deum, & ſanctum Iſraël exacerbauerunt.

Quem multis nominibus colere debuerant, cùm ob multa, tum quia is eſt qui uniuerſam Iſraëlis multitudinem, modò uelit, ſanctã facit, ſpreuerunt, ad iracundiamq; prouocarunt. Ex hebræo, circunſcripſerunt, uertunt pro exacerbauerũt: hoc eſt, illius potentiæ terminos præſcripſere. Vnde Paraphraſtes: Iterũ tentare ſunt conati, quàm ipſe potens eſſet Deus, & metiri potentiam eius qui ſanctificat Iſraëlem: quædam enim poſſe illum credebant, ſed non omnia.

Non ſunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.

En

A En totius ingratitudinis ratio & ſumma, beneficiorum ſcilicet obliuio. Parúm ne fuit illos à ſeruitute illa infami atq; intoleranda Aegypti, tam ingenti miraculorum potentia (hæc fuit manus Dei) eximi? Tam nobile tamen atq; operoſum facinus à memoria reijcientes, ne tempus illud quidem, quo erepti fuere de manu hoſtili, recordari poterant.

Sicut poſuit in Aegypto ſigna ſua, & prodigia ſua in campo Taneos.

Non ſunt, inquit, recordati, quemadmodum manifeſtiſsima ſuæ diuinitatis ſigna in eorum gratiam, per totam regionem Aegypti, etiam in campo illo amœniſsimo omnium & fertili Taneos, ubi regia eſt Aegypti, portentoſiſsimè oſtendit: atq; in primis quando

Conuertit in ſanguinem flumina eorum & imbres eorum, ne biberent.
Miſit in eos Cynomyam, & comedit eos, & ranam, & diſperdidit eos.
Et dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locuſtæ.
Et occîdit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.
Et tradidit grandini iumenta eorum, & poſſeſſionem eorum igni.

Hîc rurſus admonendus eſt lector, ne miracula eo, quo ædita ſunt, ordine requirat: nanq; ea uati nequaquã mens eſt: ſed illa, ut duritiem populi, atq; animũ ferum, ex ui miraculorum metiamur: caueamuſq;, ſi ſapimus, ne & nos, ut inquit Paulus, in id incredulitatis incidamus exemplum. Signa quidem huiuſcemodi, cuius, quantæq; uirtutis, aut quo tempore facta ſunt, nil tam accuratè ſcribit Moſes in Exodo. Cæterũ flumina, more hebræo, pro Nilo, qui ſolus totam inundat Aegyptũ, hîc poni ſcias. quanquã te id latêre nolumus, Aegyptũ foſsis quaquauerſum Nili riuos recipientib. interſecari, ut ubiq; nauigabilis ſit. has foſſas igit̃, propter illorũ latitudinẽ, atq; aquarũ fluxũ, flumina appellari non inconueniens erit. quod ſanè ex hebræo facilè intelligi poteſt: nã quod nos legimus imbres eo-
B rum, illi riuos eorũ habent. Porrò Cynomyæ uox, etſi huc quadrare uidetur, utpote quæ ſit muſcarũ omniũ moleſtiſsima, ea tamen dictio Hebræis neſcio quid efficacius præ ſe fert, nempe omne genus muſcarũ & uolatilium ſeu inſectorum commiſtum. quare ex hebræo ſic quidam uertunt: Miſit in eos miſtionem, & uorauit eos: & ranam, & uaſtauit eos. Ad hæc, ærugínis dictione quid ſibi uelit interpres, non ſat coniecto, cùm uox illa Hebræis ſit bruchus, animal ſanè minutũ, ſed herbis mirũ in modum infenſum, ac locuſtis diſsimile. Moros item Hebræis ſycomoros eſt, uel ficus ſimpliciter, quibus abundat Aegyptus, maximè ad Nili ripas. Aiunt tamen morum in Libya naſci, quæ fructum fert, quem ſycomorũ appellant. In pruina, nõnulli lapides maiores grandinis interpretant̃, idcirco quòd ea in plaga de tempeſtate omnia latè depopulante loquí uideẽ Moſes. Chaldæus uerò, carbones ignis reddidit. Et tradidit, melius ex Hebræo, concluſit: ut uniuerſalem grandinis tyrannidem, ut ſic dicã, in iumenta & pecora, intelligamus. Cæterùm, poſſeſsionem eorum igni, ſic uertit Paraphraſtes: Quicquid poſsidebant, carbonibus ignis, qui cum grandine permiſti contra naturam fuerant, abſumpſit. quanquã ex hebræo, greges eorum, non poſſeſsionem eorum, uertunt nonnulli. Quid in multis, inquit, immoror?

Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram, & tribulationem, immiſſiones per per angelos malos.

Quid hac exaggeratione pulchrius? quid ad demonſtrandum iratiſsimi hominis affectũ efficacius? Solet in primis Deus, ſi quid malorũ irrogari cuipiam uoluerit, per angelos id malos exequi. etſi non me errare credam, ſi hîc Vatem, communem dixero ſeruaſſe loquendi morem. Quæcunq; enim mala contingunt, ea à malo dæmone, quippe qui malorũ autor ſit, inferri opinamur. Vtcũq; rem penſites, illud certũ, has uerborũ exaggerationes iuſtã in Deo iram extitiſſe atq; indignationem, prædicare. Quare ita Paraphraſtes: Ex calamitatibus, quibus affecit eos, colligí poteſt, quàm ſeriò illis iratus fuerit. Manifeſta quippe erant irati Dei, imò uehementer irati ſigna, uexatio illa, & plagæ, quales nõ ſolent ab hominib.

C quantũuis inimicis inferri: ſed quales per angelos ab irato Deo immiſſos, ad flagellandos illos qui uehementer ſunt ſcelerati. hæc ille. Quis nõ paueret audiens Deum indignatione atq; ira ardentem, nunciis qui mala inferre conſueſcũt, noſtrum imperaſſe interitũ? Certè tunc uiſus eſt clementiſsimus Dominus totiiræ laxaſſe habenas, ut in ſequentibus quoq; expreſsius tractatur. Ergo

Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ.

Amplum nimirum erumpendæ iræ fecit aditum. Nullum tum paſſus eſt retinaculum Dei furor: effudit ſeſe totus: adeò in omne genus facinorum proiecta gens illa fuerat.

Et non pepercit à morte animarum eorum, & iumenta eorum in morte concluſit.

In peſtem concluſit, legunt Hebræi, quæ fuit quinta plagarum Aegyptiorũ, de qua ſic Deus ad Pharaonem: Ecce manus meas ſuper agros tuos, & ſuper equos, & ſuper aſinos, & camelos, & oues & boues, peſtis ualde grauis. Et mortua ſunt, inquit, omnia animantia Aegyptiorum. Illud etiam, non pepercit, clarius forſan ex Hebræo uerti poterat, non cohibuit. Quam ſanè hominum occiſionem, eandem nonnulli eſſe uolunt, qua pecora peſte interiere. Et ſic ex Hebræis uertunt quidam, irę ſuę iter faciebat, ut peſtilentia cùm ipſos homines, tum iumenta eorum inuaderet. Aliis item uiſum eſt de decima ediſſeri plaga, quia actutùm ſubditur:

Et percuſſit omne primogenitũ Aegypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

Fuit hæc plaga cæteris acerbior: qua quidem ſæuiente, ortus eſt clamor magnus, ut inquit Moſes, in populo Aegypti: neq; erat domus in qua non iaceret mortuus. Percuſsit itaq; dominus omne primogenitum in terra Aegypti, à primogenito Pharaonis, uſq; ad primogenitum captiuæ, & omne primogenitum
D iumentorum: quod de occiſis in agris uolunt intelligi: eam ob rem dictum tum fuit, manus mea erit ſuper agros tuos. Nunc uerò, primitias omnis laboris eorum interiiſſe aſſerit. In tabernaculis Cham, idem eſt, quod in domibus Aegyptiorum. Primus enim Aegypti habitator fuit Mizraim filius Cham. Vnde in ſcripturis, quod nos legimus Aegyptum, Hebræi habent Mizraim, quæ uox Aegyptum ſonat. Et eſt cum indignatione pronunciandum, perinde ac ſi dixiſſet: In tabernaculis ſceleratę Aegypti, quæ tam ſceleratum habuit autorem. His itaq; in fauorem populi ſui geſtis, Deus tandem decreuit tam funeſtis illius calamitatibus finem ponere.

Et abſtulit ſicut oues populum ſuum, & perduxit eos tanquam gregem in deſerto.
Et deduxit eos in ſpe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.

Conſidera quàm breuiter diuinam erga illos curam, atq; hoſtium interitũ perſtringit Vates. Solet enim Deus tunc quidem, cùm omnia deſperata apparent, atq; horrida, ut ſunt pleraq; in deſertis locis, ſuis ire ſuppetias, ac non ſecus illos fouere & recreare, atq; ſolet afflictos greges paſtor ſedulus. Quocirca non abſq; ratione hîc dictum eſt à ſpiritu, quòd migrare eos fecit tanquam oues ex Aegypto, ſuffocatiſq; in mari hoſtibus, ſecuros eos, uti gregem conſueſcit paſtor, deduxit per deſertum. In ſpe, Hebræis eſt, tutò.

Et induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ, montem quem acquiſiuit dextera eius.

Montem primo loco Hebræis eſt, terminum, ſeu regionem, nempe Cananæorum, in qua ſuum cultum, cuius maxima deberet eſſe ſanctitas, erigi decreuerat. Is mons Sion eſt, quem propria ille uirtute & uoluntate (en felicisſimum Eccleſiæ fundamentum, Dei uoluntas: ne quis humanæ plus quàm par eſt attribuat dignitati) ſibi aſſeruit, in regione nimirum Ammorræorum, quæ montibus ferè tota conſperſa eſt. De terra hîc promiſsionis loquitur, quam quid ni felicem, ac undequaq; ſanctitate inſignem appellet ſpiritus, cùm in ea futuri eſſent ſummi Dei ſacerdotes, arca, lex, templum, ac ſacra omnia? Nónne & idem modò de illius

quoq;

A quoq; ſponſa, cui uetus illa præluſit religio, iactare poſſumus, quòd ſancta omni no ſit, utpote quæ Deo plena, nulla alia in ſede cõmorari uelle uideatur, prętereq; in ſponſi ſinu, in quo quicquid uirtutum, gratiarumq; in terris eſſe poteſt, ſuum collocauit domicilium. Quàm dignum factum eſt cor hominis.

Et eiecit à facie eorum Gentes, & ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis, & habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Iſraël.

Hîc enim mihi dicere uidetur ſpiritus, Iacob dilexit, Eſau autem odio habuit. Fracti ſunt rami, inquit Paulus, ut ego inſerar. Verùm illud me prorſus exanimat, cùm quid de me futurum ſit cogito. Vide, inquit, bonitatem, & ſeueritatem Dei. In eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatẽ: in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate: alioquin & tu excidêris. Hei mihi, quòd non permanſi in bonitate. Excidar'ne ergo à fidei trunco? à uita? à Deo? Perpende, mi lector, quo modo fractis illis ſterilibus Ammorręorũ ramis, inſitus eſt Iudæus: qui poſtea & ipſe reiectus, amplum introëũdi Gentibus formauit aditũ. Puta'sne ultimos hos ſurculos excîdi poſſe? non poſſint, attamen quæ in mundo fieri contra fœdus cum Deo initum uideo, ſubuereri me cogunt. Sed ad pſalmũ. Qua ratione funiculis meſſorijs, aut ſorte, diuidebantur ab antiquis agri, aliàs annotauimus: nunc contis res illa prælongis, clauiculisq; diſtinctis peragitur. Et eſt ac ſi diceret: Expulſis illinc impijs, immiſit ſuos, qui illorum ædes tanquam hæreditario ſibi iure delegatas, inuicem partirentur: atq; eo ſanè modo habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Iſraël, quod maximum fuit Dei beneficium, licet in ingratos collatum. Siquidem turgidiores ob id facti, ſpreuerunt benefactorem,

Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelſum, & teſtimonia eius non cuſtodierunt.

Et auerterunt ſe, & non ſeruauerunt pactum, quemadmodum patres eorum conuerſi ſunt in arcum prauum.

De iſtiuſmodi populo multa in Dei religione pollicente, ſed nihil præſtãte, ſic
B queritur Deus in Oſea: Facti ſunt quaſi arcus prauus ſeu doloſus, qui nimirũ ad eiaculanda ſpicula fabrefactus, acreq; tenſus, ſtatim laxatur, fitq; prorſus ad impellendam ſagittam inhabilis. Ita planè fuere erga Deum Iſraëlitæ, ad ſeruanda percuſſa cum Deo fœdera remiſsi & elumbes, cùm tamen in promiſsis acerrimi extiterint ſponſores: obruti ferè beneficijs, non uicti ſunt, ſed acerbiores indies effecti, ſuum, ut antea tum ipſi, tum ipſorum patres egere, tentauerunt exaſperaruntq; benefactorem, Deum illum quidem excelſum & potentiſsimũ: tantum uerò abfuit ut illius ſeruarent pactum & legem, quam ſe ſeruaturos olim ſpoponderant, terrificisq; ſeſe deuouerant diris, ut nihil minus tum cogitarent. Atq; ita

In ira concitauerunt eum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocauerunt.

Iam tandem ſuum ad finem peruenit errorum omniũ maximus Dei obliuio. Simulatq; enim peruerſus animus huc atq; illuc nefarijs à permotionibus & conſilijs diu raptatus eſt, in idololatriam tandem præcipitatur, qui finis eſt totius impietatis, atq; in Deum odij. Ita (prò miſerrimã animarũ ſortem) populo illi tam delicatè à Deo nutrito contigit, qui diuinę oblitus beneficentiæ, idcirco in reprobam traditus mentem, nõ ſemel in collibus atq; excelſis lucis cum gentibus, dijs factitijs & ſimulachris, Deo uiuo contempto, aras exemplo uicinorum peſsimo conſtruxit, litauitq;, ac tum ſe tum liberos circa ignẽ ſummę impietatis argumento luſtrauit. Ad æmulationem, clarius ex hebræo uerti poſſet, ad iram. Vehementer irritauerunt eum, reddit Campenſis. Eam ob rem

Audiuit Deus & ſpreuit, & ad nihilum redegit valde Iſraël.

His, inquit, auditis indignatus eſt Deus, & ſic Iſraëlem, populum illum tam charum & dilectum execratus, in uiliſsimam illum omnium conditionem, tanquam rem nihili proruere fecit. Spreuit igitur eum indignabundus,

Et repulit tabernaculum Sylo, tabernaculum ſuum vbi habitauit cum hominibus.

Paulatim ad effigiandam in terris Dei ſedem, regnum ac ſacerdotium, deſcen

C dit Vates. Reprobata quidem Sylo ob peccata populi, in qua arca fuerat, & religio: abiecto quoq; ex eo loco regno, in quo impijssimus regnauit Saul de tribu Beniamin, ac sceleſtus ille Hieroboã, qui peccare fecit Israël: tribum Iuda, è qua suum æternum stabiliret regnum, nempe è Dauid, ex quo Christus, occultissima elegit prouidentia. Hem rerum uicissitudines. Nunquid, clamat Deus in Hieremia, spelunca latronum facta est domus ista? Ite ad locum meum in Sylo, ubi habitauit nomen meum à principio, & uidete quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israël. ac si diceret: Cauete ne id uobis contingat. Certè, inquit, faciam domui huic, in qua uos habetis fiduciam, sicut feci Sylo. Repulit igitur tabernaculum Sylo Deus, tabernaculum illud (quis id credat?) in quo ob sacra ritus q; religiosos, uisus est familiariter inter homines conuersari,

Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.

Vocat hîc spiritus arcam, & tabernaculũ, Israëlitarum uirtutem, seu robur, & pulchritudinem, propterea quòd nihil tum fortius in terris fuit, ac pulchrius religione illa, in qua diuinum illud erat numinis præsentis indicium propitiatorij, è quo cœlestia dabantur responsa. Hæc tamen omnia in hostium potestatem deuenere. Nam cõmisso prælio, in quo triginta millia peditum in exercitu Israël deliberata sunt, capta est arca. Tum quidem religiosissima mulier Phinees filij Heli uxor, audito quòd capta esset arca, ædito prius partu, præ dolore mortua est, sic de Sylo robore & pulchritudine ablata conquerens: Translata est gloria Dei ab Israël, quia capta est arca Dei. Et seriò quidem translata fuit: nam in Sylo nunquã amplius relata est. Verùm non diu, maxima cum ultione gentis illius quæ illam ceperat, intra Palæstinorũ Bethsamitarum q; terminos diuagata, tandem in Gabaa apud Aminadab ingenti cum triumpho ac pompa collocatur. Interim uerò in ipso tumultu bellico, in quo capta fuit pulchritudo Israël,

D *Concluſit in gladio populum ſuum, & hæreditatem ſuam ſpreuit.*
Iuuenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non ſunt lamentatæ.
Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorum non plorabantur.

Vide durissimũ illius belli exitum, in quo omnes Israëlitæ penè ad unum tum igne, tum ferro, occubuere. Atq; optimo quidem, mea sententia, usus est uocabulo interpres, concluſit, quòd illos ita arctè telis hostium circumuentos fuisse intelligas, ut nulla esset euadendi uia. Tam cõmunis, inquit, illa fuit calamitas, ut uel ipsæ teneræ uirgines & innuptæ perierint indefletæ. quis eas fleret, cùm omnes omnino uiri aut capti essent, aut obtruncati? Contra latinum loquendi usum, nõ sunt lamentatæ, uertit interpres in passiua significatione. Aptius diuus Hieronymus: Virgines eorum nemo luxit. non mirum, quoniam uiri omnes simul & mulieres interierant. Nisi malis secundum literam Felicis interpretari, qui sic transtulit: Virgines eorum non nupserunt: seu, non fuerunt laudatæ. ut ex hoc intelligamus, omnem tunc abfuisse lætitiam, atq; canendi occasionem. Quid sacerdotes? nónne & ipsi unà cum cæteris occisi sunt? Duo, inquit, filij Heli mortui sunt, Ophni & Phinees. Quid pater? nónne cùm audisset arcam captam esse, è sella cecidit, & fractis ceruicibus mortuus est? Proinde nec uiduæ illorum superstites uixere, quæ mortem coniugum de more flerent. quî uirorum mortem lamentarentur, quæ simul cum maritis uiuendi finem fecerant? Plorabant, seu plorauerunt, uertunt interpretes. At iam deferuescente Dei ira, qui nullo unquam irrationabili commouetur affectu, suum miseratus est populum,

Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.

Suo more Vates rem seriam metaphoris explicat. Cùm suis quippe Deus, & crebrò, & anxiè rogatus non subuenit, profundissimo detineri somno uidetur: cùm uerò lata ope succurrit, quasi illum è somno excitari opinamur. Quocirca haud paruo accepto incõmodo in primo belli cum Philistęis congressũ, eo tempore, quo educta est arca in castra, clamauerunt Hebræi: Quare percussit nos dominus

A dominus hodie coram Philiſtijm? quaſi dicat, Cur dormit dominus? cur ſuis non ſubuenit? Verùm poſtea, capta arca, occiſoq; Iſraëlitarũ exercitu, atq; exuſta Sylo unà cum habitatoribus, ceſſauit Deus ab internecione, ſed iram in hoſtes uertens, quaſiq; è ſomno expergefactus, ac ſuamet corroboratus uirtute, ut ſolent homines hauſtu uini optimi corroborari (non crapulatus, ſed uociferans, aut exultans à uino, uertunt Hebræi) grauiſsimo illos uulnere afflixit.

Et percuſsit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis,

Quod fuerit ulcus illud, quo, præter murium copiam, qui totam deuaſtarunt regionem, affecti ſunt uiri Azotij à paruo uſq; ad maiorem, è morbi remedio, ac uoto, non ignorari poteſt. Inierunt, inquit, conſilium Gethæi, & fecerunt ſibi ſedes pelliceas: poſteaq; à diuinatoribus admoniti, anos aureos & mures conflantes, uotum Deo Iſraël nuncupauerunt. Podice quidem in dies magis computreſcente, nulla illis erat quies. quod ſanè ultionis genus, utpote in occultiorem obſcœnioremq; partem corporis deſæuiens, opprobrio ſempiterno fuit illis, eritq; perpetuò. Tametſi enim diuina nonnunquã prouidentia nefarios moueat homines, atq; in ſuorum exercitationem ac mulctam exuſcitet, eos tamen haudquaquàm inultos ſinit, ut hîc uidere licet in Azotijs Iſraëlitarum hoſtibus, quorum ſæuitia Dei penè abolita fuit religio. Cæterùm ipſi ſuo tumore dignas luerunt pœnas, infames nimirum, & opprobrioſas. Hac igitur ratione, atq; occultiſsimo Dei conſilio, uterque correctus eſt populus, ipſeq; meritò antiquam ſpreuit ſedem in Sylo.

Et repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephrem non elegit, ſed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.

Mirum ſi alicui noſtram aſsignamus rei electionem, præterquàm Dei dilectioni. Electio quidem illa, qua ſuos ſibi ab æterno copulauit Deus, in illius amore
B ſita eſt, ab eoq; proficiſcit. unde non mirum id eſſe debet, ſi reiecto poſthabitoq; Sylo, in domum Aminadab introducta fuit Eccleſia. Quòd autem abiecerit Ioſeph, diuus ſic ſentit Hieronymus: Non ad hoc, inquit, repulit Deus tribum Ioſeph uel Ephraim, ut in æternum ſperneret: ſed noluit de ea ſuſcipere carnem, eligens potius tribum Iuda, de qua beata Maria procederet, ex qua naſceretur ipſe: ut dilectionis ſuæ montem, id eſt, Eccleſiam, eleuaret. ſic diuus ille. Cur uerò illa atq; altera reiecta tribu, tribum Iuda elegerit: nos ſtultos & ſuperbos, qui tam obſtruſam, neq; angelicis ſpiritibus omnino cognitam rem, indagare poſſe confidimus. Elegit enim, quoniam dilexit. qua uerò ratione aut cauſa illam dilexerit, ſi interrogor, audacter dicam, Neſcio. Licet mihi centies, hic ultroneum Dei motum, ille prænotionẽ impingant, itidem neſcio. Tu quis es, qui interroges Deũ? Quòd porrò Roboam de tribu Ephraim uſurpauerit ſibi regnum ſuper decem tribus, affectauerítq; illud Iuda, id Dei abſq; electione factum fuit. Sed ille, ut uir erat ambitioſiſsimus & impius, decretum penè Dei infringere adnixus eſt. Montem itaque Sion, in quo ſua firmaretur religio ſanctitate inſignis, inter alios elegit montes.

Et ædificauit ſicut Vnicornium ſanctificium ſuum in terra, quam fundauit in ſecula.

En alia ſimilitudo. Vnicornis enim, ſiue monoceros, animal nullius cedens potentiæ, inuicta propémodum eſt fortitudine: cuius cornu nobiliſsimũ omnium eſt, utpote immenſum, & medicamentariũ. Ita igitur in Sion monte excellentiſsimũ, unicumq;, & omniũ pulcherrimũ ac robuſtiſsimũ ſui cultus templũ, quod hîc ſanctificiũ, noua uoce, ob inſignẽ rituũ & cęremoniarũ ſanctitatẽ & candorẽ appellat Vates, ſibi Deũ ædificaturũ aſſerit, cornu nimirũ monocerotis perſimile, quod inter cætera cornua magis robuſtũ ſit, & formoſum. In Hebræo tamen nulla fit de unicorne mentio, ſed ſic transferunt: Et extruxit ſicut excelſa ſacrarium eius, uelut terram, quã fundauit in æternũ. hoc eſt, quemadmodũ extruunt cœli, ut interpretatur Felix: ſeu ſuperbæ atq; excelſæ regiæ, & palatia, cuius fundamentũ ut terra fuit, quæ nunquã mouetur. Ea itaq; mens eſt prophetæ, ut ſub

C typo templi in Sion ædificandi, pulcherrimã atqueadeo æternã prædicet Eccleſiæ formã. Cæterà neq; templum, neq; in qua erat templum, Hieruſalem, æterna fuit, quæ non ſemel unà cum templo diruta, uix loci nomẽ retinuit. Quare ſic Paraphraſtes: Extruxit ſimilem altiſsimis regum palatijs ædem, maieſtati ſuæ dicatam, quam ſtabilem eſſe uoluit, ſicut terram, perpetuò.

Et elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium.

De poſt fœtantes accepit eum, paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſraël hæreditatem ſuam.

Dilucidius ex Hebræo uertitur. Sic Felix: Ab inſequendo effœtas abduxit illum, ut paſceret Iacob populum ſuũ. Diuus quoq; Hieron. ſequentẽ fœtas, tranſtulit. Solent enim paſtores, ut Dauid fuit à puero, ſolertiori cura & ſtudio fœtas oues, quàm ſteriles, fouere et alere. Vult itaq; Vates diuinã extollere bonitatem, quę ſe ab humili uitę genere, ut ferè ſunt paſtores, ad regium euexerit faſtigium, abiecta interim tribu Ephraim, quæ in Deum tumida regnũ affectaſſet. Semel enim Chriſtus è piſcatorio uocans lembo Apoſtolorũ principem, ſic illum alloquitur: Eris poſthac piſcator hominũ. Ita ferè idem nunc de Dauide dici poſſet, qui electus, ab ouium q; paſtione euocatus ob id fuit, ut deinceps homines, nempe Dei plebem & hæreditatem, quam hîc Iacob & Iſraël appellat, paſceret, deq; illa curam ſumeret. Putabas ne forſan tantũ uirum ad regium ſceptrum aſcitum fuiſſe, ut uenationibus tantummodo ac libidini intentus, canes & paraſitos aleret? ſcorta undecunq; emeret? nec ab ipſis quoq; turpiſsimis abſtineret exoletis? Heu mores intolerandos. Nihil profectò dignius in terris inuenitur homine, ita in his quæ Dei ſunt, informato, quòd oues Eccleſiæ per paſcua Chriſti opima educere nouerit: alere inſuper in feracibus doctrinæ pratis, uiuiſq; adaquare ſancti ſpiritus undis, ac placidis gratiarum riuulis abluere, fouere, immergere, & demum ad aram diuini amoris iugulare. Eæ ſunt quidem ueri paſtoris partes. Neq; illi, opinor, audiendi ſunt, qui quorundam dominium quamuis cõmodum atq;
D utile detrectant, illud ſolummodo ſpectantes, quòd hi qui rerum potiunt, in obſcura nati ſint familia, quiq; interdum ab aratro ac fœnili ad primos gradus promoti, illis qui in aulis alti ſunt regijs antepoſiti ſunt. Duriſsima certè res eſſe uidetur. Verũ ad id quod ſunt, figendus eſt animus: nõ ad id, quod fuere. Quòd ſi boni hi ſunt, eaq; ratione ſubditorũ curant cõmoda, qua ſuos curaſſe populos, in ultimo pſalmi uerſu de ſe tanq; de alio loquens, teſtatus eſt Vates, nihil in terris ſalubrius: quippe qui neq; in præteritæ uitæ ſtatu, neq; in præſenti, quæ ſit mundi cõmoditas, ne ſummis quidem labijs deguſtarunt. Idcirco quicquid agunt, ſanctum eſt, ſyncerũ, & undecunq; iuſtũ, humile, ac ſubditis cõmodum. Contrà uerò ſuæ ſi priſtinæ immemores ſunt fortunæ, nihilq; in primis tam cupiũt & quærunt, quàm ut regnent mediaſtini, ſi Deo placet, elegantiſsimi, bonosq; opprimant, ac ſæuè admodum imperent, quærantq; magis terrori eſſe ſubditis, quàm ueneration i, nullam in terris luem tam exitialem mundo alioqui curis alijs infinitis atq; infortunijs obnoxio, contingere poſſe diffiniunt ſancti Dei uiri. Verùm tu, ô, quem Dei religionis adurit zelus, uide qua arte, quáue ratione & prudentia, gubernandi ſint homines.

Et pauit, inquit, eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.

Pro intellectibus, aptius ex græco, intelligentijs, uerti poterat. ut nihil aliud ſit populum in intelligentijs manuum noſtrarum gubernare & educere, quàm quę gerenda ſunt, ita inſtituere, ut à ratione prudentia q; proficiſci uideantur, non ab animo diſſipato, indocto, & temerario. Ideo ex Hebræo reddunt, Et in prudentia manuum eius minabit illos, more ſcilicet paſtoris gregis amantiſsimi. Duo igitur regi, aut modo alio cęteris imperanti, ſunt ualde neceſſaria. Alterum, quod hîc à ſpiritu uocari uideo ſyncerit atem, ſeu innocentiam cordis, quæ præcipua ſedes eſt Dei. Ab hoc enim fonte illa tam rara, mundoq; inſolita naſcuntur bona: Pax mutua, in promiſsis fides, ueritas, conſtantia, ęquitas, amor non tam ſui, quàm ſubditi. Patientia inſuper ac mens tandem in Deum, quicquid contingat,

translata,

A translata. quid mirũ? nõne bona omnia in illo, qui puro eſt animo, ineſſe teſtatus eſt Chriſtus, cùm ait: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt? hoc eſt, mentis rationiſq; intuitu Deum uidebunt. Idcirco quæcunq; cogitabunt, aut agent, Deum eſſe neceſſe erit. quare Dei ſpiritus ductu & perſuaſione, non tumore mundano, atq; arrogantia, ſubiectis ſibi hominibus imperabunt. Alterum uerò eſt, quod in rebus agendis maximã uim habet: id prudentiã, ac iunctam cum dignitate atq; exiſtimatione autoritatẽ appellare libeat: ut nihil planè agat princeps, aut magiſtratus, quod non ſapidum ſit, integrum, graue, ac maieſtatis plenum. Hanc partẽ ab intellectu fidei luce irradiato proficiſci opinamur: ideo uerſum eſt ab interprete, in intellectibus ſeu intelligentijs. Sic egit ſanè Dauid, ſic Chriſtus: cuius uices hi gerunt in terris, qui alijs ritè præponuntur. Cui & laus ſit perennis, in ſeculorum ſecula. Amen.

PSAL. LXXIX. Pſalmus Aſaph.

DEus uenerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam.

Quę diuus Hieronymus de hoc pſalmo opinatur, nos ijſdem pro pſalmi argumento uti non grauabimur. Pſalmus, inquit, iſte uocem continet Prophetæ, captiuitatem terrenæ Hieruſalem deplorantis: quę captiuitas non tantum ad illam ciuitatem, quantũ ad animã, quę ſæpe ciuitas ſcribitur, referenda eſt. hęc ille. Quo uero tempore illa tam dira calamitas acciderit, qua Dei templũ pollutũ fuiſſe, ſanctorũq; cadauera inſepulta iacuiſſe queritẽ Propheta, aſſerunt interpretes, Antiocho regnante, quem radicem peccati nominãt, contigiſſe: ſub cuius imperio ſublatis ſacris è templo, factaq; ingenti ciuium clade, effuſus eſt ſanguis, ut in hiſtoria Maccabæorũ legitur, per circuitũ ſanctificationis, & contaminauerũt ſanctificationem. Quę ſanè omnia à Vate preuiſa, atq; hîc, ut uides, lachrymabili
B ter decantata, neſcio quid altius adumbrarũt, & quę quidem noſtra quoq; ętate, niſi prorſus plumbei ſumus, uidere potuimus. Examinemus igitur quid ſibi uult ſpiritus, quid Vates, cùm tam lamentabiliter queſtus eſt, dicens: Deus uenerunt gentes in hęreditatẽ tuã, polluerunt templũ ſanctũ tuũ, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiã. Hæc omnia profundiſsimo proferenda ſunt ſingultu ab anima, quæ idcirco in terris unita eſt corpori, ut aut diuinã cernat augeri religionẽ, aut excedat omnino de mundo. Cernit enim priſtinam deferbuiſſe fidem, algere omnia, atq; his in locis, quibus olim propria ignis fuit ſedes, nunc cuncta gelu ac bruma cohorreſcere. Vis ne clarius dicam? dicam profectò, etſi dicã mihi acerbã impingat mundus. Pridem enim ſyncerior ęq; nunc eſt, fuit uiuendi ratio: tum dico, quando parua, aut nulla omnino erat inter Chriſtianos ambitio, nullus proprius amor, nulla diſcordia, nullus cupiditati locus, auaritię nullus, nullus libidini, obtrectationi, falſitati, nullus tandem Antiocho ſuperbiſsimo, & tyrãno. Sentis ne de quibus hîc gentibus loquitẽ ſpiritus? hęc quidem omnia tunc procul aberant: nũc uerò uenerũt (de hæreticis hæc dicta eſſe, aut de colluuie quorundam ex ſeſe progenitorũ, qui religionis candorẽ ineptis morib. ac uitę impuritate contaminant, alij aſſerant) uenerunt ne ſolùm? ſeſe, inquã, obtruſerunt impudentiſſimè in hæreditatẽ tuã, in Eccleſiã tuam, in ipſiſsimũ ſinum tuum, ô Chriſte. Ideo polluerunt templũ ſanctũ tuum, quę ſunt ſimpliciũ animæ, inter quos tu miris in effabilibusq; diuerſaris religionis myſterijs: cuius uis ea eſt, ut ſimplici fidei contenta teſtimonio, quicquid tumidũ eſt atq; elatum, auerſetur. Poſuerunt tandem Hieruſalem in pomorũ cuſtodiam. Ex græco melius, ut pomorũ cuſtodiam. Solent enim in pomarijs cuſtodes tuguriola quædam paucis ex lapidibus, aut tabulatis, ſtipulis quoq;, tumultuario magis opere, quàm artẽ ſtruere: quibus tecti, ne quis quid auferat, diligentiſsimè obſeruant. Illa quidem ædium ſpeciem prę ſe ferunt: attamen rebus omnibus uacua nihil omnino eſſe deprehenduntur, prętereaquã lapidum congeries, aut harundinum confuſiſsimè congeſtarum cumulus. Sic contigit Hieruſalem in ampla illa Antiochi uaſtatione, deſertæ penitus, nihilq;

C omnino præ ſe ferenti, præterquã formam inanem ciuitatis, atq; imaginem. Sic fuit olim noſtra hæc Eccleſia, penè à tyrannis atq; hæreticis deſolata, dirutaq; in his quæ elegantiori ſunt forma. Parũ quippe fuiſſet uaſa unà cum Antiocho templi uniuerſa, altare aureũ, libatoria, phialas, mortariola aurea, & uelum, & coronas, & ornamenta gemmea abſtuliſſe, corraſiſſeq; aurum, argentum, & uaſa concupiſcibilia, ſi pietas, ſi fides, ſi pax, ſi charitas ſuas in templis retinuiſſent ſedes. Iſtiuſmodi enim ablatis ornamẽtis, nulla poteſt eſſe in Eccleſia forma & effigies, licet altis fulta columnis, uel ad ſydera uſq; ſeſe bracteolis circunteĉta aureis & gemmeis ſuſtollat. Pomorũ cuſtodiam, diuus Hieronymus tranſtulit, aceruos lapidum. Idem Felix: qui ſuam explanans literam addidit, in ſolitudinem, ſeu deſerta: quæ ſanè interpretationes ſenſui, quem modò poſui, mirè conueniũt. Sunt & qui ſenſum aliũ afferunt, nempe illius perſimilem, de quo ſic Eſaias: Relinquetur filia Sion (hęc eſt Hieruſalem) umbraculum in uinea, & ſicut tugurium in cucumerario. nam tranſacto tempore cucumerum, aut peponum, relinquitur tugurium, tanquam res inutilis & nihili. Ea tum fuit ſpecies Hieruſalem. Sed quid ultra actum eſt?

Poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ. Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Hieruſalem, & non erat qui ſepeliret.

Penè hîc dixi, crudelius nobiſcum actum eſſe, atq; agi. Quod flumen iam eſt, ac torrens, quem in afflicta hac noſtra (ſi noſtra tamen eſt) Europa, ſanguine Chriſtianorũ exundaſſe non uidimus? & eo quidem ſicis teliſq; Chriſtianorum effuſo? Quocirca factus eſt planctus magnus in Iſraël, & ingemuerunt principes & ſeniores: iuuenes & uirgines infirmatæ ſunt, & ſpecioſitas mulierum immutata eſt. quid? ipſa ſanctificatio eius deſolata eſt ſicut ſolitudo. Vidiſti ne unquã tam tetrum ſpectaculum? Obiecerunt inſuper cadauera ſeruorum tuorum auibus de-
D uoranda: carnes, inquam, ſanctorum tuorum inhumatæ datæ ſunt beſtijs terræ. Quid crudelius unquam agi potuiſſet? Tanta itaque tum fuit humani ſanguinis effuſio, ut riuuli ex eo, aut amnes potius, per totum urbis ambitum diffluerent. Et ſic ſanè uaſtata eſt pulcherrimæ ciuitatis facies ac uenuſtas, adeoq; exciſa, ut ne quidem ueſpillones, qui mortuorũ corpora, uel præmijs ingentibus inuitati, ſepelirent, inuenirentur: adeò metu atque horrore plena erant omnia. Sed illud forſan acerbius, quòd

Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt.

Res ſanè crudelior eſt, quàm ut exprimi poſsit, quempiam cernere calamitoſum derideri. Quòd certè inter homines bona animi perlangueſcant, peneq; interierint & pax & charitas, mirari quidem poſſumus & dolere, & ferre utcunq;, ſimul ut rebus omnibus datum eſt, ut ſeneſcant aliquando. Verùm ultra hæc ab infidelibus atq; domeſticis hoſtibus deriſioni haberi & fabulę, quis tam audax eſt, qui id toleret uiuus? Quouſq; igitur acerbiſsima hæc durabit inquietudo?

Vſquequo domine iraſceris in finem? accendetur velut ignis zelus tuus?

Erit ne, inquit, tua hæc in nos ira perpetua? excandeſcet ne ſemper inſtar ignis, tuus huiuſcemodi zelus? furor? excandeſcentia? Atqui uides quomodo iuſtam Dei ultionem zelum appellet Vates: nomen nimirum quod ſibi olim, cùm ſuam ſanciret legem, non grauatè aptauit. Ego, ait, Deus zelator ſum, ignis conſumens. Ducta hæc uidetur metaphora ab illis, qui uxorij nimiũ ſunt, quò quàm ardenti ſe habeat Deus affectu atq; amore erga animas, facile aduertamus, diſcamusq; integram illi pro tam flagrantis zeli compenſatione pudicitiam referre. Ita zelum diffiniunt ſcripturæ, ut ira ſit, quæ ex nimio amore proficiſcatur: ueluti cùm parentes ob aliquam offenſionem liberis ſuccenſent: non quòd eis malè uelint, ſed eo ipſo oſtendunt, ſe erga eos amantiori eſſe animo. Ita uxorum amantiſſimi agere ſolent mariti: modò zelotypia illa prudens ſit, & temperata, & quæ uiros non tam dirè affligat, ut exangues reddat, aut adinnocuæ plerunq; uxoris occiſionem

A occiſionem pertrahat. Iſtud enim uitium non zelus uocari debet, ſed amentia & furor. Vt uis igitur tua in nos æquiſsima ſit iræ motio, ô altiſsime, nobis potius, qui hæreditas tua ſumus, qui templum, qui ciuitas, qui habitatio, qui ſerui, qui ſancti demum tui abs te ſanctificati nuncupamur, illæſis, à plagiſq; iſtiuſmodi acerbiſsimis intactis,

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt.

Haud in nos, qui te non ſolùm nouimus, uerumetiam hanc à te nobis datam cognitionem, fide, ſacriſq; ritibus atteſtamur. In gentes illas impias excandeſce potius,

Et in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt,

Sed Belial magis: aut ſuis in expeditionibus, itineribus quoq;, ac, ne quid inauſpicatò agant, in negociis omnibus uel ſacris, uel prophanis, & magos et aſtrologos. Aliàs diximus, inuocare nomen Dei in ſcripturis, pro cultu & adoratione Dei accipi: neq; enim ritè quempiam inuocare quis poteſt, à quo ſalutem non expectet. Vnde legimus, quòd Enos filius Seth, cœpit inuocare nomen domini: hoc eſt, ab illo cœptus fuit Dei cultus manifeſtior. Quantum ex animo conſideranda hîc eſſet, ſimul & timenda, dira hęc Vatis imprecatio noſtris regulis & magiſtratibus, qui deuorant Dei plebem ſicut eſcam panis: uel ut hîc dicitur,

Qui comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt.

Maximam quorundam oſtendere uolens truculentiam, eos dicit comediſſe Iacob (id nomen ex more ſcripturæ bonis omnibus conuenit) & locum eius deſolauiſſe. Hæc ſanè de Antiocho, cuius hîc fabula agitur, ueriſsimè dici nota eſt hiſtoria: nota & cæterorum, quibus ſummo ſemper odio fuit Chriſtiana religio. Verùm illud magis flebile & dolendum, quòd iſta, forſan & duriora, à Chriſtianis regibus, & minutiſsimis quoq; magiſtratibus atq; urbium præfectis, ſæuiſsi-
B mè dimanaſſe cernimus. Vix enim primo dato nouo regi aut principi ſceptro, illud primũ ingerit documentũ, ut populos ſibi ſubditos laceret, emungatq; uſq; ad ſanguinẽ. Ex qua ſequitia fit, ut etiã integrę regiones incolis uacuæ reddantur. Exeſis enim ciuib. & cõſumptis, deſertæ fiunt ciuitates, & regna. Illud tamen exploratiſsimũ, ob populorũ ſcelera, ut decreuit Deus, regnare hypocritas, & tyrannos. quod ſanè non latuit Vatem: quare quanto ualuit clamore ſubintulit:

Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

Nullo quidem maiori impulſu ad plenã noſtri cognitionem arctamur, quàm cùm affligimur. Vix enim abſq; ærumnis & cruce, an homines ſimus coniectare poſſumus. Puncti uerò, quæ pars in nobis eſt, quæ exploratiſsima non appareat? Sed illud occultum omnino, præteritorum ne reatuũ mulctam inferri cauſa, an præſentium: an parentum potius, an illorum quoq;, quibus cum uiuimus, culpa. omnia hæc obſcura. Quòd ſi interdum filios pro parentum delictis puniri cernimus, non id propterea factum putemus, quòd quis ob ea, quæ non peccauit, puniri debeat: ſed illud magis, quàm inuiſa ſit Deo prauitas, quam inultam ne ſerò quidem unquam ſinat. Non abſq; cauſa hæc dicta ſint, propter eos, inter quos eſt Aben Ezra, qui ſic legunt hunc uerſum: Ne memor ſis prauitatum antiquorum. Quoquo modo legas, illud perſpicuum, nos pro noſtris lapſibus, ſiue antiqui hi ſint, ſiue recentes, pœnas luere. Verùm quia nemo eſt tam exactè purgatus, quin de præteritis ſibi admodum timere debeat, hîc una de regulis ſpiritus infertur. Noli, inquit, meminiſſe retrò noſtrorum peccatorum: ea dilue remitteq;, ac ſi nunquam extitiſſent, tege. Citò, citò, inquam, tuæ nos, antea quã in peccatis moriamur, qui in peccatis nati ſumus, præueniant miſerationes: uehementer enim attenuati ſumus. Ideo

Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos.
Et propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Vides quàm non remiſsè ſuas effundat lachrymas, cor mœrens? Deus ſaluta-

C ris, ut ſæpe annotauimus, perinde eſt, ac ſi uertiſſet, Deus autor ſalutis noſtræ. Quid poſtea ſit, propter gloriam nominis tui, ſic explicat Paraphraſtes: Non tantùm, inquit, habita ratione noſtrî, quàm magnifici & maieſtatis pleniſsimi nominis tui, libera nos à malis in quibus uerſamur, remittéq; peccata, non quia meruimus, ſed ob id potiſsimum, quò tuum, qui ſic gratis iuſtificas impium, ſanctiſsimum extollatur nomen.

Ne fortè dicant in gentibus, Vbi eſt Deus eorũ? & innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris vltio ſanguinis ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt.

Ecce querelarũ ſumma, & finis illorũ, quibus mitior ſolet eſſe mors, quàm diuinum uidere calcari honorẽ & religionẽ, ne ſcilicet malè audiant in Dei contumeliam à gentibus. Gentes hîc Vates non tantum uocat barbaros & infideles, quantũ turpis uitæ Chriſtianos, atq; illos quidem, qui in fortunæ gremio ociantes, quicquid ſimplicitatis in doctrina ineſt ſpiritus, faſtidiunt, ridentq; profuſè, ſi ea nos in Deũ fide armatos cernũt, qua obtecti illorũ minas atq; oppreſsiones tanti facere dicimus, req; præſtamus, quanti muſcam Elephas, aut ſi quis eſt in terris Polyphemus, aut Cacus. Sed illa eſt totius timoris noſtri ratio, ne tuum ſanctum nomen deriſioni habeatur: audiamusq; ab illis, qui te oderũt, ubi eſt Deus eorũ, de cuius fiducia tam crebrò gloriari cõſueuere? Sileant, ſileant impudentiſſimi blaterones, quieſcantq; ſi ſapiunt. Tu interim fac, mi Deus, ut ſumptis de illis pœnis, nobisq;, ut maior fiat eorum calamitas & afflictio, cernentibus, palàm fiat animaduerſio, atque ultio ſanguinis ſeruorum tuorum, qui tam indignè effuſus eſt.

Intrent in conſpectu tuo gemitus compeditorum, ſecundum magnitudinem brachij tui poſside filios mortificatorum.

Hoc eſt, illos, qui cæteris interfectis, adhuc reſidui ſunt, à morte uindica. Pene
D netret, inquit Campenſis, in conſpectum tuum gemitus eorum, qui in carcere tenentur captiui: magnitudine potentiæ brachij tui in uita conſerua eos, qui morti deſtinantur ab hoſtibus. Magna profectò tum fuit perſequutio illa Græcorum. Tunc ſanè (horrendũ) tota urbs uiſa eſt unà cum ciuibus funditus excindi. Ideò non ſine maximo animi dolore precat Vates, eos ſaltem qui exterminio illi crudeliſsimo ſuperuicturi eſſent, ſeruari in uita. Vídeor hîc mihi certè uidere humanum genus ſub dæmonũ tyrannide afflictũ, & uſq; ad deſperationem preſſum, miſereq; peccatorũ catenis innodatum, ſempiterno mortis horrori deſtinari. Verùm quid Chriſtus interim? quid paſtor gregis ſui amantiſsimus? poſtquã enim ſuo fruſtrata eſt fine mors, ille zelantiſsimus ſuarũ ouiũ cuſtos, immortalis cum patre factus, ſic eum alloquit: Mi pater, intret in conſpectũ tuum gemitus compeditorum, qui nexibus planè indiſſolubilibus peccati ac mortis, deuincti ſunt. Iam ſat ſit tot ciues ab hoſtibus truculentiſsimè necatos, unà cum ſuis ad tetram inferorũ noctem deſcendiſſe. Ceſſet iam manus tua, imò, quod tuum æternũ eſt conſiliũ, illos qui iam morti propiores ſunt quàm uitæ, ad te trahe, tranſmutáq; in aliud uitæ genus, q; ea eſt, quæ infinitis obiecta ærumnis & periculis, mors uerius quàm uita dici poſſet. Hi ſunt, mi lector, etiamnum affectus in Chriſto, de quo ſic Paulus: Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui & eſt ad dexterã Dei, qui etiã interpellat pro nobis. quaſi dicat: Cùm ipſe Chriſtus Dei filius pro nobis mortuus ſit, & ſurrexerit, ſedeatq; ad patris dexteram aduocatus noſter & precator, mirũ uideri poſſet, ſi alius quiſpiam eos, quos tanto fauore & charitate dignatur Chriſtus, auderet condemnare. Filios mortificatorũ, alij reddunt filios punitorum. Sed mens ea eſt Vatis, ut illos qui morti deſtinati ſunt, Deo cõmendet: hos filios mortis appellant Hebræi. Et quod nos legimus, poſside: illi habent diſſolue, ſeu remitte: ut ſit ſenſus, Diſſolue illos qui morti deſtinati ſunt.

Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum, improperium ipſorum, quod exprobrauerunt tibi Domine.

Clarius

A Clarius ex hebræo, ſic ex illis quidam: His autẽ inter quos uerſamur, in ſinum redde contumeliam, qua te affecerunt, ſeptupliciter. hoc eſt, abundantiſsimè redde: ſeptenarius quippe numerus indefinitam præ ſe fert copiam Hebræis. Percutiam uos ſepties, inquit Deus in Leuitico, propter peccata ueſtra. Vide an forſan huiuſce tropi genere uſus ſit Deus, cùm ait ſeptuplum puniendum illum, qui occidiſſet Cain. Multiplicitatis igitur, perfectionis, uniuerſitatis quoq; ſymbolum eſt numerus iſtiuſmodi, idcirco quieti conſecratur. Senſus itaq; is eſto: Retributione omnino ſæua atq; ampla affice uicinos noſtros, nempe illos, quibus cum uelimus nolimus, uiuere cogimur: in ſinumq; illorum reijce quicquid opprobrij moliti ſunt in te. Sinus pro interiori animæ parte ſumi poteſt. Cor itaq; illorum tanquam ſpiculum traijciat, quod tuam in contumeliam machinantur improbi: ſic illis fiat, poſtquam ſic uolunt: nam irritauerunt te domine.

Nos autem populus tuus, & oues paſcuæ tuæ confitebimur tibi in ſeculum, in generatione & generationem annunciabimus laudem tuam.

Gratiſsimi hæc animi ſunt uerba, quæ ſic à Paraphraſte elegantiſsimè exprimuntur: Nos interim populus, & grex, cuius tu prouinciam paſcendi ſumere dignatus es, referemus tibi accepta omnia noſtra perpetuò generationib. cunctis, & literis mandabimus, quàm uerè dignus es, qui lauderis ab omnibus. Qui ſemper laudabilis es in ſeculorum ſecula. Amen.

PSAL. LXXX. Vincenti erga lilia teſtimonij. Pſal. Aſaph.

Vi regis Iſraël intende, qui deducis uelut ouem Ioſeph, qui ſedes ſuper Cherubin appare.

De lilijs nonnulla in pſalmo, cuius initium eſt, Eructauit cor meum, ſunt dicta. Quanquã & illud afferre poſſumus, lilia hîc teſtimonij puras eſſe mentes in Deum, quæ cœleſtis in terris ſunt teſtes ueritatis, quia teſtimo-
B nium Dei habent in ſe. atq; hæ quidem ſunt, quæ ſe oues Dei appellant, tenerè nimirum in paſcuis amoris enutritas. Pſalmi argumentũ ferè idem eſt cum ſuperiori. Magnam profectò ſanctiſsimi Vatis fiduciã in ipſo ſtatim exordio deprehendere mihi uideor, cùm Dei amicos ab ipſo paſci Deo, tanquã oues à paſtore, prædicat. Quid dulcius audiri poſſet? quid ſuauius? Itaq; ſiue, regis, legere libeat cum noſtro interprete, ſiue cum Hebræis, paſcis, miram diuinæ bonitatis olet ſuauitatem. Ait igitur: Qui regis Iſraël intende, qui deducis uelut ouem Ioſeph, qui ſedes ſuper Cherubin appare. Is unus Hebræis eſt uerſus: & eſt maximi ſtuporis in anima Deo plena, argumentũ atq; exclamatio. O paſtor, inquit, ô qui non ſegniori nos cura ac ſtudio in aridiſsima uitę huius ſolitudine tanquã oues, ne inedia periclitemur, alere conſueſcis, ut quondam ſuum aluit in Aegypto unà cum tota illius familia parentẽ, fame uictusq; penuria laborantẽ Ioſeph, auſculta quæ dicturus ſum. Tu, inquam, qui Cherubin ſeſſor es uelociſsimus, effulge, nobisq; qui in tenebris cæcutimus, cõſpicuus appare. Rem certè mirabilẽ, ſi quis ex illis, quæ tum acta ſunt in Ioſeph uita, quanta ſemper fuerit Dei erga ſuos uigilantia atq; amor, conſiderat: quomodo ſcilicet eum dominus adhuc puerũ, manſuetum ſanè, nihilq; uti tenera ſolet ouicula, quæcũq; mala inferrent fratres, recuſantem, deduxerit, ſeruauerit q; illæſum in puteo, in carcere, & quod admirabilius uideri poſſet, ab effrænata dominæ libidine. O certè inenarrabile diuinę charitatis erga ſuos exemplum. Non potuit quidem adeò in puriſsimũ ferocire iuuenẽ fratrum liuor, non carcer, non impudentiſsima mulier, non mundus ipſe tandem uniuerſus, quin rex quodammodo totius euaderet Aegypti. Vides ne Chriſtũ omniũ innocentiſsimũ, poſt plagas, poſt iniurias, poſt acerbiſsimas in tota ferè uita contumelias & perſequutiones, crucem tandem aſcendiſſe, in qua tanquã in regali ſede, cruento coronatus diademate, non iam Aegypti duntaxat, ſed orbis omnino uniuerſi regnũ adeptus eſt? Cæterùm fama erat, ac certus rumor, Dei præſentiam ſuper arcam fœderis inter duos Cherubin, unde diuina dabantur reſponſa, reſidere, Erantq; omnes filij Iſraël per gyrum tabernaculi, in quo erat arca, ſic à

c Deo distincti. Ab Oriente suis cum castris erat, Iuda, Isacar, & Zabulon. A Meridie, Ruben, Simeon, & Gad: & hi omnes præibant cùm proficiscerentur. Ab Aquilone arcam comitabãtur, Dan, Asser, Nephthalim. Ab Occidente, Ephraim Manasse, Beniamin, qui sequebant̃. Ergo ante Ephraim, qui adiunctis copijs cũ Manasse ac Beniamin succedebat in itinere, ferebãt arcã. Idcirco addidit Vates:

Coram Ephraim, Beniamin & Manasse, excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos.

Doctissimus fuit in lege Dauid, ideo mirabili rerum illarum ac rituum allusione rem narrat mysterijs plenissimam. Mirum quàm uariè se torqueant expositores in disquirenda ratione, cur tres has tribus solummodo nominet Vates, omissis cęteris. Pręter id quidem, quòd Dei præsentia ad propitiatoriũ accedere rogatur (quoties enim Deus ante tres illas tribus, quę pone arcam sequebantur, apparebat, tunc se omnibus præsentẽ, utpote ad propitiatoriũ propémodũ uisibiliter reuersum, exhibebat) ea quoq; Vatis est mens, huc Christũ, cuius typus fuit Ioseph, à quo eæ tres descenderunt tribus, in medium adduci. Interim uerò uult excellentiã iuuenis considerari, qui seorsim à cæteris positus, monumentisq; hisce æternis insertus, quantæ fuerit autoritatis non ignoret̃ à posteris, cùm ob plura, tum potissimũ, quòd in tanta omniũ egestate, prouidentia Dei admirabili totũ genus Iacob educauerit. Altius hîc rursum res mihi esset, ni aliud agerem, peruestiganda. Penè fateor, ab his, quæ in hoc mihi psalmo disquirenda occurrũt, obruor. Viderat enim Vates Deũ sua in maiestate residentẽ super Cherubin, quam scientiæ plenitudinẽ interpretant̃, ęterna illa sua substantia eo uitæ genere uiuere, quo in se manens uitæ omnis autor est, atq; inexhaustũ creaturarũ omniũ exordiũ. Quis itaq; intellectus? quæ mens? quæ cogitatio hominis rem tam obstrusam, inacessamq;, ac ipsis beatis animis incognitã, uel mediocriter quidem comprehendere unquã potuisset? Mirari utiq; poterant homines, intellígere uerò minimè. Quocirca clamantẽ huc introducit sponsam, sponsi amore perlanguescen

D tem. O tu qui in plenissima scientiæ cognitione te continens requiescis, stupendissimumq; in modũ in te manens, excelsus nimiũ uideris, deposita, ut sic dicam, parumper tua illa maiestate infinita, incomprehensibili, humanis inacessa ingenijs, occulta, caliginosa, imò super omne lumen lucidissima, huic te mundo uisendum præbe, ferq; opem, ac demũ, qui nostra ob scelera iandudũ delituisti, appare: excita potentiã tuam illam, quã tum Aegyptij, tum filij Iacob, dissimili tamen ratione, experti sunt, & ueni, ut pridem pollicitus es, quò nos afflictos, planeq; à dæmonum, prauorumq; hominũ tyrannide oppressos eximas, ut quondam à tetris illis Aegyptiorum undis, plagisq; letalibus tuum exemisti populum.

Deus conuerte nos, & ostende faciem tuam & salui erimus.

Tu qui Deus ille es, qui quiduis etiam potes, nostra à te auersa corda ad te conuerte, in te dirige, per te ad te redeant, quæ à te absq; te diuulsa sunt, & remotissima. Quid? ostende faciem tuam hilarem, da fauorem, dic ut redeat tranquillitas. quid tandiu differs? Tuam exhibe mundo potentiã, & salui statim erimus. Solo enim & eo quidẽ minimo tui felicissimi uultus intuitu, ipsa reuiuiscit mors. Heu

Domine Deus virtutum quousq; irasceris super orationem serui tui?

Populi tui, legunt Hebræi. Item illud, Quousq; irasceris, efficaciorẽ illis ostendituim ac sensum. Vnde nonnulli, quousq; fumabis, uertunt. Solet enim supra modum iratis fumus quodammodo è naribus exire. Vult spiritus intelligi, summam in Deo fuisse ac iustam ob mortalium scelera indignationem. Totus enim huiuscemodi scatet affectibus Dauid, qui passim ignem atq; animi ardorem demonstrant. Domine, inquit, Deus, cui omnes quamuis potentissimi parent exercitus, cuiq; subsunt omnia, quousq; tandem excandesces? nec admittes precationem populi tui, nempe miseri & oppressi?

Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura.

Cibabis eos, ex Hebræo legunt, quò eos, ad populũ referre libeat. Item dictio, in mensura, copiosiorem habet sensum Hebræis, capacem scilicet mensuram significat.

A gnificat, quare ſic Fel. Feciſti illos bibere lachrymas in maxima menſura. Nihil certè flebilius his uocibus audiri poſſet. Voluit enim Vates dicere, tantum præ dolore effuſum eſſe lachrymarũ, ut pro cibo ac potu, illis amariſsimæ atque adeo continuę extiterint lachrymę. Vnde alio in pſalmo ſic ſuum aperit dolorem: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Quid ni, mi Deus, etiam uſq; ad amiſsionem oculorum fleam? Quandoquidem

Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannauerunt nos.

Alio in loco ſic ſuam cum Deo diſcutit calamitatem: Facti ſumus opprobrium uicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt. Idem fermè Paulus: Spectaculum, inquit, facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus, nos ſtulti propter Chriſtum. En totius ſubſannationis eorum origo, qui piè uiuere uolunt in Chriſto. Quid non contumeliarũ patitur Dei ſeruus? is dico, qui (non illos omnes Dei eſſe ſeruos iudico, qui ſerui Dei uulgò appellantur) quæcunq; agit aut cogitat, eò dirigit, ut malit mori, quàm quicquã cogitare aut agere, quod ſuum non referat dominum. Expoſuiſti nos, inquit, uicinorum noſtrorum maledicentiæ, qui & noſtri oſores cùm ſint, de noſtris rident malis. Quapropter tu

Deus conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

Repetit uerſu quaſi intercalari, quæ ſuperius dixit. Videor enim hîc mihi uidere infelicem Adam conſcientia perpetrati ſceleris, tanquam à furijs actus, per Paradiſi campos diuagantem, fugientemq; à facie Domini, nec minus interim cogitantem, quàm ut Deum per pœnitentiam quæreret. Cenſes ne fugitiuum ſeruum dixiſſe, Deus conuerte me, & oſtende faciem tuam & ſaluus ero? Quæſiuit ne ueniam qui abſcondit ſe, ut inquit Moſes, & uxor eius à facie domini in medio ligni Paradiſi? Verùm ille, qui in Cherubin reſidet, quid à ſe ſuum poſſet figmentũ, probè nouerat. Proinde non longiorem Adæ expectans fugam, eum ſtatim ad ſe conuertens inquit: Adam ubi es? Quid (uetuſtiora prætermittimus)
B intuitus ille igneus, quo Petrus tanquam iaculo tranſuerberatus, ab atrioq; illo nefandorum hominum quamprimùm egreſſus, fleuit amarè? Quid Iudas? num illi defuit paſtoris clementia? Non defuit quidem, alioqui quid ſibi crebræ illæ, & ſecretę, ne reſcirent cęteri, in conuiuio illo extremo, admonitiones uoluerunt? Quid panis intinctus in paropſide? Verùm duriſsima ille durior ſilice in concepto perſeuerãs facinore, ſeſe foras abripuit. En fuga à domino. En quò noſtra nos aliquando auaritia & liuor impellit, quibus ſanè tanquam moleſtiſsimis exagitatus cœſtris Iudas, pientiſsimũ prodidit dominum: quo ſcelere admiſſo, ſpe tamen uenię amiſſa, laqueo ſe ſuſpendit. Hos equidem uarios, mi lector, conſiderans diuinæ uocationis effectus, deterreor penitus, cohorreſcoq;, illud amariſsimo uerſans animo, an fruſtra ego miſer à clementiſsimo toties uocatus ſim patre. Video quidem Petrum ad unum Chriſti nutum, mollem factum, atq; uocationi citiſsimum prębuiſſe aſſenſum: Iudam uerò, nedum aſpectu, ſed uerbis, ac, quę durum cõmouiſſent ſcopulum, admonitionibus inuitatum induruiſſe. Obruor hîc penitus & confundor. Quàm mihi ſanè ſerió, atq; ex animo clamandum proinde eſt, dieq; noctuq; ingeminandum: Deus (contremiſco hîc primùm, nec quæ ſequuntur proferre audeo) Deus, inquam, noſter (iam audeo & cætera, poſtquam noſter factus eſt Deus) conuerte nos, aſpectumq; illum iucundum, quo à te auerſus conuerſus eſt Petrus, in nobis fige, & ſic ſalui erimus. Poteris ne, ô clementiſsime, te inuocantes, te quærentes, te, quęcunq; accidant, tanquam refugij aram amplexantes deſerere? auerſari? tuo à conſpectu abigere? O moriar, ſi id mihi unquam perſuaſi. Illud non me præterit (quod cùm cogito, maximam in te eſſe uim clementiæ, & in transfugas quoq; dilectionis affectum, uideo) quòd

Vineam de Aegypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam.

Dux itineris fuiſti in conſpectu eius, & plantaſti radices eius, & impleuit terram.

Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius Cedros Dei.

Extendit palmites ſuos vſq; ad mare, & vſq; ad flumen propaginem eius.

C Nullí dubium, de uinea illa dici, de qua ſic aſſerit Eſaías: Vínea domini exercituum, domus Iſraël eſt, & uíri Iuda germen delectabile eius. Mens quippe fuit in Deo æterna, uitem aliquando ſibi dilectam plantare in terra Canaan: & eam quidem è Iudæorum ſurculis, & malleolis. Verùm hi à dumoſa Aegypti tellure, ubi permultos iam antea annos plantati fuerãt, radicitus extirpandi erant: quod quidem potentiſsima Dei manu actum fuit. Inde igitur euulſi, tranſplantatiq; in terra illa feraci, eiectis Cananęorum plantis, in immenſum creuerunt. Et ſic operoſa (ut ſic dicã) agricolæ induſtria erecta eſt uinea, munitaq; præſidijs, utpote in cuius medio ędificata erat turris ac torcular. Itaq; lęta adeò pampinis laſciuire cœpit, ut totam, ut hîc canit Vates, repleuerit terram, felices uſq; ad mediterraneum mare flumenq; Euphratem extendens palmites, quod Dauid tempore contigiſſe nouimus. Nihil non egit Deus, quò ſua tandem fructus, uinitoris nimirum finem, emitteret dilecta: ſed fruſtra conatus eſt: nam diutius expectata, quod ipſe apud Eſaíam queríť, ut faceret uuas, fecit labruſcas. Cuiuſmodi uerò eæ fuerint uuæ, quas ſolers expectauit uinitor, ipſe idem ſuum deperíſſe laborem & impenſam querens, ſic inquit: Expectaui ut faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor. Tota hîc Eccleſiæ deſcripta eſt imago: ſiquidem exciſa Iudæorum natione gens ſubintrauit ordine planè diuerſo. Nanq; tunc eiectis gentibus intruſus eſt Iudæus: nunc uerò, euulſa Iudæorum ſtirpe, aſcitæ ſunt gentes, qui ſumus nos, qui ex immundis ſuibus facti ſumus filij Dei uiuentis. Verùm ad ueterem illam uitem reuertentes, perſpicacioribus ſinamus hęc inquirenda ingenijs, quibus facilè compertum erit uerba illa, Plantaſti radicem eius & impleuit terram, nequaquã intelligi poſſe de Iudæorũ dominio, quòd impleuerit terram, ſed de Chriſti regno, qui rex eſt uniuerſorũ. Quòd porrò, ut hîc dicitur, illud Dauidis tempore ſuos extenderit terminos, quos palmites metaphoricè nominat, uſq; ad mare Indicum atq; Euphratem, deuictis Moabitis, perſpicuum eſt: quòd
D uerò totum occupauerit terræ ambitum, nemo unquam uel mediocriter eruditus aſſerere poterit. Iam illud, dux itineris fuiſti in conſpectu eius, de fauore illis exhibito in igne & nube in deſerto, minimè intelligi oportet, ſed de gentib. tanquam ſpinis è terra illa, in qua tranſplantandi erant uineæ ſurculi, ſuccíſis. quare ſic Paraphraſtes: Repurgaſti diligenter ruderibus eiectis ſuperficiem eius. Alius ex hebræo: Scrobem præparaſti ei. Et ut res euidentior fiat, uide quid de cœleſti dicat uinitori Moſes in Deuteronomio: Ipſe conſumet, inquit, nationes has in conſpectu tuo paulatim, atq; per partes. Cæterùm uineæ magnitudinem atq; excellentiam exprimere cupiens, illam, in metaphora perſeuerans, montes umbra texiſſe dicit, ac cedros Dei, nempe altas & conſpicuas, inumbraſſe. Idioma eſt ſcripturæ, ut quod egregium eſt, id Dei eſſe aſſerat. unde alio in pſalmo hunc ſeruat morem Vates dicens: Iuſtitia tua ſicut montes Dei, hoc eſt, montes altiſsimi. Qui uerò fuerint, ſintq; in pręſentia montes iſtiuſmodi, ac cedri, quę à ſpiritus refrigerio obnubilantur, teguntúrq; in Dei Eccleſia, nouit Chriſtus, nouit eius mater à ſancto obumbrata ſpiritu, nouit & uiſio illa diſcipulorum, quando nubes lucida obumbrauit eos. Cætera modò dicant alij, nos enim à cõmentariorũ lege non diſcedentes, ea omnia, quæ à litera nimium diuagari uidentur, perſtringimus, eo interim contenti ſenſu, quem diuus affert Hieronymus in hunc locum. Licet, inquit, uinea ſynagogam figurauerit, ad Eccleſiam tamẽ referenda ſunt, quæ à tenebris ſeculi ad cœleſtem dignitatem, eiectis uitiorum gentibus, fide fauente translata eſt. Verùm ô domine,

Vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur eam? Exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.

Ne quis hîc de ſingulari ſibi aliqua bellua philoſophandum eſſe exiſtímet, Hebræis eſt, fera agri: quo quidem nomine, ut inquit Felix, omne genus animalis ſylueſtris nuncupat. Vnde ſic Paraphraſtes: Et ferę omnis generis, quæ in agris degunt, depaſcent eam. Diuus item Hieronymus ídem fermè. Id quidem actum fuit,

A fuit, cùm deſtituti à Deo Iudæi ob ſcelera, omnibus ferè orbis gentibus diripien
di traditi fuere. Ecquæ unquã res in agris tam latè deuaſtari uiſa eſt, quàm uinea
à cuſtodibus uuarum maximè tempore derelicta? Ita nimirũ Iudæis contigit in-
gratiſsimis. Ita & modò quotidianis, infeliciſsimis tamen, intuemur exemplis,
quàm fœdè, quàm miſerabiliter, quàm abſq; penè reſipiſcentiæ ſpe, in omne ge-
nus facinorum hi, qui ſua ſe ſponte à Dei ſubtrahunt tutela, præcipitantur. Por-
rò aprí ſylueſtris nominatim mentionem facit, quoniam hæc bellua inter cæte-
ras, uineis magis infeſta eſt. Idem de feris agri dicendum. Cæterùm uineæ cuſto-
diam, Dei ſcilicet fauorem, maceriẽ, ſeu ſepem, ut uertunt Hebræi, appellat Va-
tes, quam hîc dirutam queritur. Oſtendam, inquit dominus, uobis quid ego fa-
ciam uineæ meę. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem. Diruam maceriem
eius, & erit in conculcationem. Vide quomodo anima deſerta à Deo rerum om-
nium propémodum iniuriis fiat obnoxia, cùm apris, cæteriſq; uel nemorum, uel
camporum feris, uitijs ſanè, ac tum publicis tum priuatis demolienda traditur ty
rannis. Veruntamen una adhuc extat ſalutis ratio, placatum numen. Quare ut id
quamprimùm fiat,

Deus virtutum conuertere, reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam.

Vineam iſtam, cum indignatione ſimul & dolore legendum eſt: ac ſi diceret,
uineam iſtam meritò à te derelictam, luxuriantemq;, inuiſe aliquando ô Deus
potentium potentiſsime. Redi, inquam, ad nos, atq; de excelſo maieſtatis tuæ ſo
lio fauenti reſpice intuitu, qui iampridem noſtris offenſus ſceleribus, auerſusq;
longè receſſeras. Quis enim iacentem iſtam tuæ hæreditatis uineam ſubleuabit
unquam, ſi nulli ea eſt tibi curæ, qui illius dominus es & ſator? Aper ne de ſylua?
fera ne? Quid? neq; hi quidem, quibus tanquam pedamentis nixa eſſe deberet,
tuæ minori ſunt exitio ſponſæ, quàm eſt uiti aper ipſe ferociſsimus, aut urſus è ne
more egreſſus, quem fames ſeu prolis amor à ſummis detraxit montib. in uineæ
B depopulationem. Cui igitur tam arduum demandandum erit negocium, cùm
omnes quæ ſua ſunt quærant, non quę uineę, non quæ ſponſæ, non quę Dei? Tu
itaq;, cuius res agitur, uide,

Et perfice eam, quam plantauit dextera tua, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi.

Et perfice eam, Hebræis eſt, & plantulam ſeu hortum, ſcilicet uiſita: quod ad
ſuperiorem refertur uerſum. Illud obſcurius, quid ſibi uelit, Et ſuper filium homi
nis quem confirmaſti tibi. Volunt nõnulli, uineam domini, populum Iſraël, & fi-
lium (hominis in hebræo uacat) idem eſſe, ſecundũ morem ſcripturæ, quæ uniuſ-
cuiuſq; rei uocat filium illud, quod ab ea factũ eſt, aut ſeruatur, aut aliqua ad eam
ſpectet ratione, illud citantes in Eſaia: Tritura mea, & filia areæ meæ. Nec eſt ra-
rum in antiqua lege, Iſraëlitas non tantũ filium, ſed filium quoq; primogenitũ ap
pellari. Verũ utcunq; legas cętera, illud compertũ, non Super, legendum eſſe ſe-
cundum Hebræos, ſed, propter. Quare ſic Fel. Et propter filiũ quem confirmaſti
tibi. & tum quidem de Chriſto Deo homine uaticiniũ eſſe non dubito, nixus ma
ximè paraphraſi Chaldaica, quæ ſic reddit: Et ſuper regem Meſsiam, quem con-
firmaſti tibi. Atq; hoc modo Vatis pro Eccleſia fidei plena erit precatio. Nouerat
enim quàm periculoſis iactanda illa eſſet aduerſitatum fluctibus, atq; adeò aſsi-
duè, ut penè à Deo, tanquã uinea ab agricola, deſerta uideretur. Ait igitur: Quòd
uinea tua olim dilecta, ſepe diruta & macerie, omnibus omnium ferarum morſi
bus obnoxia fuerit, iam id quidem meruit: uerùm tu, qui illam ſpontaneo ſeuiſti
motu ac conſilio, eam denuò uiſita, excole, purga, & tandem, ſi nõ propter aliud,
at ſaltem propter filium, quem ex illa, tanquam è uite gemmam pullulare, & na-
ſci debere ęterno ſanxiſti decreto, & quem unxiſti, confirmaſtiq; nobis in regem
haud quaquã temporarium, ſed firmum, & ſempiternũ, perfice. Certè iam (quod
ſine lachrymis proferre nequeo) eſt

Incenſa igni & ſuffoſſa.

Heu deſolata uitis: heu uuarum acerbitas, quarũ guſtu non nepotum ſolum-

C modo dentes obſtupeſcunt, ſed aceſcunt animi, ac prorſus dementantur. Vnde, obſecro mi Deus, tam repentina rerum mutatio? tam irreparabilis ruina? tam dirum uulnus & letale, ut eam incendi, ab impijſq; effoſſoribus ſubuerti patiaris? Iam cauſam uideo:

Ab increpatione vultus tui peribunt.

En tota rei ſumma. Tua enim irritata ſcelerum cumulo bonitas, in furorem tandem atq; ultionem, ut meriti ſunt, deſijt. Id quidem fecit tui uultus auſteritas, ut uinea exuſta ſit, & effoſſa: quæ ſi ſic durauerit, nempe combuſta, & radicitus euerſa, pereant neceſſe eſt, quicũq; hoc ſignant nomine. Sunt qui uerbum, peribunt, ad ſubuerſores uitis referant, ad hunc modũ: Eſto, uinea ſuccenſa eſt, atq; effoſſa: illius tamen incenſores, effoſſoresq;, uinea tandem in priſtinã reformata faciem, peribunt. Vterq; ſenſus Vatis menti atq; ſpiritui mirum in modum inſeruit. Cæterùm puto ſeueritatem atq; iram patris tum uiſam protrahi in longum, cùm obruto peccatis mundo, qui opem ferret, non appareret. Is Chriſtus erat, quem ſe miſſurum pater ait, ut proſtratam erigeret uineam, imò quò nouam ſereret, ut ſeuit, cruoreq; proprio adeò ubertim irrigaret, ut illam perpetua efficeret uiriditate æternam. Et de quo illud quod ſequitur, additum uidetur:

Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper filium hominis quem confirmaſti tibi.

Iam tandem qualis ſit filius, exprimit ſpiritus: nempe uirum dexterę, imò uerò etiam ipſam dexteram patris, per quam facta ſunt omnia. Fiat, inquit, manus tua: hoc eſt, iam demũ quæcunq; pollicitus es de filio, re præſta. Appareat uis illa tua tandem potentiſsima, inaudita, inſolita, planeq; incomprehenſibilis. Quis id humanis unquam aſſerat argumentis, ipſum Dei filium, patri coæternũ, eiuſdemq; naturę & poteſtatis, poſſe aliquando hominis filium effici? & eum quidem deſpectum, ac uix ob uitæ tenuitatẽ, uulgiq; improperia, & deriſiones, hominem? Ve-
D rùm tam uili & abiecto exoriente filio, faſtus omnis atq; arrogãtia corruit Aegypti: ſuperbiſsimisq; eiectis Cananæis, dilecta inſita eſt uinea. Quid nos? O profundiſsimum myſterium. Adeò ſanè arctè conglutinati ſumus tibi, ô Dei unigenite, ut à te excîdi planè arduũ ſit. Tu uitis, nos palmites, proinde in te uiuimus.

Et non diſcedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.

Diſcedemus à te, per futurum uertunt Hebræi: Græci uerò, diſcedamus. Aſpice benignitatẽ Chriſti, qui non ſolùm propterea in mundum uenit, ut collapſam errantemq; reſtitueret uineam, uerumetiam ipſamet, quò arctior inter Deum atque homines eſſet nexus, factus eſt uitis. Nos itaq; palmites, ille uitis, pater uerò agricola. En quomodo proſtrata, à ferisq; depaſta, reſtituta eſt uinea. Quod ſanè prudentiſsimam Vatis animam non latuit, ideo in illa fidei pleniſsima prorupit uerba: Non diſcedemus amplius à te, ô Deus, quemadmodum populus ille diſceſsit rebellis: idcirco tanquam palmes à uite abſciſſus interijt. Ergo illis luxuriantibus ueluti pampinis detruncatis, uiuificabis nos, atque in te inſerens uitam dabis perennem. Interim uerò tua in religione & cultu, crudeliſsimis etiam inuitis è ſylua apris ac feris, immoti proſtabimus, tuumq; ſanctiſsimum laudabimus nomen, quod qui ſerió inuocauerit, ſaluus actutùm erit. Vide quid de ſe huic ſuccinens uaticinio aſſeuerat Chriſtus: Ego, inquit, ſum uitis, uos palmites: qui manet in me, & ego in illo. Nos uerò interea non diſcedemus à te, & uiuificabis nos. En uitis unà ſuis cum palmitibus unio, atq; eadem propè natura. Hæc enim omnia unus atq; idem operatur Amor. Verùm quoniam à te dictum eſſe nouimus, ô præceptor, Sine me nihil poteſtis facere: ita & nos repenſa fidei uice dicimus,

Domine Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

Iam pulcherrimo uerſu clauditur intercalari pſalmus, in quo totam omnino beatitudinis noſtræ ſummam uidere licet. Primum eſt enim, ut nos Deus iamdudum auerſos conuertat. Deinde, ut ſui nobis fauoris ac luminis faciem in hoc miſerando uitæ labyrintho demonſtret. Poſtremò, ut peracto uirtutum curſu

nos

A nos ſaluos faciat. quocirca ter hîc à Vate interſertus eſt uerſus. Magnum profectò id eſt doctrinæ ſpiritus argumentum, uiam qua itur ad Deum non ignorari. Quòd porrò nos benigniſsimus ad ſe conuertat pater, quodq; fauenti reſpiciat uultu, ac demum ſeruet, id omne acceptum referri oportet illius clementiſsimæ benignitati, qui gratis ſeruat ſperantes in ſe. Cui proinde laus ſit atq; honor in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LXXXI. Vincenti ſuper torcular. Aſaph.

EXultate Deo adiutori noſtro &c. Volunt nonnulli hunc pſalmum à Vate idcirco compoſitum, ut in feſto tabernaculorum, quod quintadecima die menſis ſeptimi, September is erat, collectis iam frugibus celebraba tur, decantaretur. Vnde eſt illud in Deut. præceptũ: Solennitatem tabernaculo rum celebrabis per ſeptem dies, quando collegeris de area, & de torculari fruges tuas. quare in titulo torcularis mentionem fieri arbitrantur. Alij uerò aſſerunt inſtrumentum fuiſſe muſicum, quo Aſaph cantorum princeps in hoc concinendo uſus eſt pſalmo. qui tamen cæterarum quoq; ſolennitatum, quæ in memoriã beneficiorum Dei inſtitutę fuerant, nos admonens, ſumma illas animi alacritate fieri hortatur. Eam ob rem ab exultationis uoce ſic ſuum auſpicatur exordium:

Exultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob.
Sumite pſalmum & date tympanum, pſalterium iucundum cum cithara.
Buccinate in neomenia tuba, in inſigni die ſolennitatis veſtræ.

Sic Felix: Sumite carmen, pulſate tympanum, citharam iucundam cum Nablo. De Nablo & Pſalterio aliàs diximus. Mos is erat Iudęis, ut dies feſtos huiuſmodi, ingenti tubarum clangore, uocibus quoq; humanis uario cõmixtis inſtrumentorum genere, celebrarent. Inter cæteras enim ſolennitates, prima illa erat
B Azimorum, & Paſchæ. Poſt quam, quinquaginta tranſactis diebus, in memoriam datæ legis alia celebrabatur, quam Pentecoſten appellare libuit. Deinde tabernaculorum alia, de qua ſic iuſsit Deus: Habitabitis in umbraculis ſeptem diebus. Aliæ deinceps erant rudi populo ad tempus præceptę, quarum uarietate ac religione delectatus, diſceret aliquando in Deum ſpiritu transferri: quod ſanè nunquam fecit. Id enim iam tunc quidem alium magis gratum ſpectabat populum, nempe gentium, quæ totam uaſtam illam atq; oneroſam rituum ceremoniarumq; congeriem, in unum duntaxat fidei cultum reducturæ eſſent. Hæc eſt Eccleſia Chriſti, quæ ſuos mirabili rerũ myſterio ſub harmoniæ uocibus deliteſcente, ad extollendum Dei nomen adhortatur, clamatq;: O filij, ô qui, ſuperatis Aegypti ærumnis, traiectoq; ſinu illo procelloſo mundi, ad promiſſas uobis ſedes properatis, exultate Deo, cuius uirtute ſeruati eſtis: iubilate, diemq; feſtum in illius honorem agite, qui puriſsimo uiro Iacob nuſquam nõ ſuis in aduerſitatibus præſtò adfuit. Quid? aliud, aliud carmen, aliud tympanũ, lyra alia, aut cithara, & Nablum, ſumenda ſunt, pulſandaq;, quàm illa, quæ mortuorum neruis animalium, ſeu ex ære fidibus, ad harmoniam aptari ſolent: uiuis id enim agitur inſtrumentis. Etenim in cordis ſecreto, quæ Dei eſt ſedes, gaudere opus eſt, exindeq; in oris iubilationem per confeſsionem fidei erumpendum, pulſandumq; mortificationis tympanũ, non tantum ſenſuum, quantum ſapientiæ propriæ, propriiq; amoris, & iuſtitiæ. Cui & ſuauiſsimi ſoni lyra, ac Viola, cõmodæ ſcilicet conuerſationis, minusq; moroſę conſuetudinis gratia cum cęteris, ac tuba uerbi Dei iungantur, qua admonitæ circumiacentes paſsim regiones, noua facta eſſe omnia in Chriſto intelligant, ſciantq; ſabbatum domini aduentaſſe, quod illud domini aureis conſcriptum literis ſecum attulit mandatum: Omne opus ſeruile non facietis in eo. Clangite itaq; tuba, non rauca illa quidem, aut meticuloſa, ut ignaui ſolent prædicatores, ſed aperta, ſed ingenua, ſed uocaliſsima, in neomenia, nempe in nouilunio, quia noua facti ſumus creatura in Deo. Is quippe dies inſigni debet eſſe ornatus ſolennitate,

C *Quia præceptum in Iſraël eſt, & iudicium Deo Iacob.*

Præceptum in hoc loco idem ferè eſt, quod iudicium, & teſtimonium, ſeu ſtatutum, ut uertit Felix. Omnis, inquit Deus in Leuitico, qui de genere eſt Iſraël, manebit in tabernaculis, ut diſcant poſteri ueſtri, quòd in tabernaculis habitare fecerim filios Iſraël, cùm educerem eos de terra Aegypti. Cæterùm, quod aliàs admonuimus, ſiue Iſraël, ſiue Iacob, quod idem eſt, ſiue Ioſeph in ſcripturis inuenias translatè poſitos, ibi ſanctos Dei uiros intelligi ne dubitaueris. Quòd ſi porrò tribum Ioſeph, qui nullam conſtituit, à Deo negligi, ut in ſuperiore pſalmo uideri poteſt, legere contigerit, Manaſſe tribum atque Ephraim, ne tribum illi demus qui nullam habuit, intelligamus. Præceptum igitur Dei æternum eſt ac decretum, ut ſanctiſsimum illius nomen atq; honorem, in ſpiritus alacritate ac fide celebremus. Siquidem

Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud, cùm exiret de terra Aegypti, linguam quam non nouerat, audiuit.

Statutum, inquit, illud celebrandarũ ſolennitatum fuit in ſignum ac teſtimonium Ioſeph, nempe uerè credentibus, cùm egreſsi è caliginoſo mundi regno, in regnum claritatis filij Dei per aquam & ſpiritum fuerint introducti: tum dico quando primùm Dei audita fuit lingua, non antea tam clarè audita, quod eſt Euangelium Chriſti, optimum nimirum apportatæ ſalutis nuncium. Ex quo ſummo exultandum eſt tripudio, non in huius mundi cõmodis, & lautitia, ſed in ſpiritu, in Deoq; ipſo, qui perfectiſsimæ autor eſt ſalutis ac uitæ. Volunt quidam ex hebræo, inter quos Kimhi uir apprimè doctus & acutus, illud totũ, Cùm exiret de terra Aegypti, ad Deum referri, hoc modo: Cùm Deus exiret contra Aegyptum, ut ſuos ulciſceretur (poſtea fit mutatio perſonæ) linguam tum audiebam, quam ignorabã. Chaldæus uerò paraphraſtes ad Ioſeph è carceris ſqualore edu
D ctum refert, quem ſenſum ſecutum eſſe Campenſem uideo, qui ſic reddidit: Ritum illum ſeruari uoluit à poſteris Ioſeph, in memoriam eius, quòd feliciter uerſatus fuerit ipſe in terra Aegypti, quò cùm ueniſſemus, linguam quam non didiceramus, audiebamus. Tum dico, quando benigniſsimus pater

Diuertit ab oneribus dorſum eius, manus eius in cophino ſeruierunt.

Nulli dubium, quòd Aegyptiorum lingua peregrina fuit Hebræis, ideo inaudita, & incognita. A cophino, ſeu ab ollis, aut à furno receſſerũt, ex hebræo tranſferunt, ut ſit ſenſus: Deus ſuorum humeros à geſtandis Aegyptiorum oneribus, manusq; à coquendis lateribus atq; ollis uindicauit. Nota eſt hiſtoria in Exodi libro, quàm duram ſeruierint ſeruitutem in Aegypto Hebræi. Oderant, inquit, filios Iſraël Aegyptij, & affligebant uidentes, & inuidentes eis, atq; ad amaritudinem perducebant uitam eorum operibus duris luti & lateris. Non ab re quidem crebra fit in pſalmis, atqueadeò in cæteris prophetis mentio famoſæ illius ex Aegypto liberationis: ſiquidem nullum unquam exhibitum fuit dignius populo illi ingrato beneficium, quodq; magis altiſsimis grauidum fuerit myſterijs. Totius enim Eccleſiæ imago ſimul & electio in eo copioſius, quàm in cæteris penè innumeris, adumbrata fuit. Illic quidem primùm gratuita à mundi tenebris deprehenditur aſſertio, illic aſpera uitiorum ſeruitus, illic baptiſmi, gratiarumq; Oceanus: illic demum numen, ſiue inter maris fluctus eundum ſit, ſiue in deſertis locis peragrandum, ſuæ ſemper præſtò eſt ſponſæ. O quàm amplus patet hîc campus animæ ſeſe oblectandi, corradendiq; ex Aegypto tenebrarum altore precioſiſsimam illam ſupellectilem, qua expoliati ſunt uiri illi populi Dei oppreſſores. Verùm huic ego quidem tam ſanctæ animæ non tam inuidens contemplationem, quàm meam execrans tarditatem, ad pſalmum ſubtriſtis redeo.

Inuocaſti, inquit, me, & liberaui te, exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, probaui te apud aquam contradictionis.

Diuus Hieronymus uir prẽter ſanctitatẽ ingenio feliciſsimo, atq; in explican
dis pro-

A dis Prophetarum ſenſis acutiſsimo, ſic nos hunc locum exponens admonet. Prophetæ, inquit, & pſalmi ideo obſcuri ſunt, quoniam ſubitò cùm neſcis perſona mutatur. Hucuſq; enim locutus eſt propheta. Nunc ſubitò inducit perſona Dei loquentis ad populum, & dicentis: In tribulatione inuocaſti me. Hæc diuus ille. Qualis uerò, quantus ue fuerit Hebræorũ clamor in Aegypto, illud inter cęte ra teſtari poteſt, quòd Deus Moſen alloquens ſic ait: Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui, propter duritiem eorum qui præſunt (uide hîc tyrannorum faciem deliniatam) operibus. Quòd autem inuocatus prę ſtò tunc adfuerit illorũ clamori, atq; eos liberauerit, cantícũ illud diuinum à Moſe compoſitum, Cantemus domino, rei totius ſeriem, modumq; liberationis elegantiſsimè aperit. In abſcondito tempeſtatis, Hebræi habent, in abſcondito tonitrui: quod ſanè ad tonitruũ referũt, quo exterritus Aegyptiorũ exercitus fugam adornauerat, dicens: Fugiamus Iſraëlem. De iſtiuſmodi è cœlis terrore, quo creditur Deus exterruiſſe Aegyptios, ſic alio in pſalmo loquitur Vates: Vox tonitrui tui in rota. Paraphraſtes uerò ſic rem abſoluit: Ad ea quæ in occulto poſtulaſti, ego tibi reſpondi tonitru, quo hoſtes tuos exterrui. Nam quod nos legimus, exaudiui te, Hebræis eſt, reſpondi tibi. Prę timore quidem pręfectorum, qui operibus luti ac laterum pręerant, ne mutire quidem audebant Hebræi: idcirco in occulta cordis amaritudine ad Deum, quem liberatorem expectabant, ſua dirigebant ſuſpiria ac gemitus: quibus, ut hîc inquit ſpiritus, tonitru, atq; aliis iſtiuſmodi è cœlo ſignis, ſe afflictam illorum uitam cernere prę ſe ferebat numen. His itaque, ait, in tui gratiam, ô ingratiſsime, peractis, probaui te ſubitò ad aquam contradictionis, an me amares: an fidem mihi, ut pollicitus fueras, adhiberes: an tui ſimilis permaneres. Nihil minus tum quidem expertus ſum: ſiquidẽ pro donis, acerbiſsimas rependiſti iniurias: pro gratia, murmurationes & contumelias: pro
B amore, odium. Hæc eſt aqua, cui nomen iurgij datum fuit, propter murmurationes populi in deſerto Cades, cùm populus murmurauit contra Moſen, dicens: Cur eduxiſti Eccleſiam domini in ſolitudinem, ut & nos & noſtra iumenta moriamur? Quàm hîc mihi, ne de aliis dicam, uerendum eſt, ne ſaluberrimę aquæ baptiſmi, aquæ pacis, aquæ quæ fluunt cum ſilentio, fiant mihi aquæ contradictionis & iurgij cum Deo. Quid de ſuauiſsimo meo dicã Seruatore? an mihi in ſignũ factus eſt, cui contradicatur? uidebo ne illum, qui fons ſalutis eſt ac uitę, poſitum eſſe in ruinam multorum, & mortem? Heu me ingratum. Verùm etſi me millies eiecerit, ſpreuerit q;, & demũ occiderit, adhuc in illo ſperabo, audiamq; quid me admoneat, cùm dicit:

Audi populę meus & conteſtabor te. Iſraël ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neq; adorabis Deum alienum.

Selah ante hunc uerſum poſitum, diuinorum nos admonet beneficiorum erga homines, rurſuſq; hominũ ingratitudinis in Deum. Qua re animaduerſa, mirum niſi prorſus inſanias, iureſq; nunquam tam iniquam te uidiſſe contradictionem, quàm hinc muneribus Deum, illinc hominem iniurijs mutuò (ut ſic dicam) rixari. Deus recens, Hebræis eſt, extraneus. nam ſequens hemiſtichius pręcedentis eſt explanatio. Non adorabis, inquit, Deum alienum. Cæterùm Deus recens fuit uitulus ille aureus ab Aaron opere fabrefactus fuſorio, recens facto: atq; illi quoq;, quos impijſsimus erexit Hieroboã, clamans: Ecce dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. De dijs autem gentium, quos alienos uocat Propheta, notiores ſunt, quàm ut à me nominatim recenſeantur. Innumeri hi erant, adeò ſtolidum hominem turpiſsima inuaſerat de dijs perſuaſio & religio. Sed ad pſalmum. Inducitur huc Deus conteſtans populum ut ſe audiat: ſi id quidem fecerit, bona illum uſurum fortuna, & proſperitate: ſin minus, illum ſe ſuis, unde turpiſsimè caderet, conſilijs permiſſurum. Quid periculoſius homini contingere poſſe arbitramur? Stupendiſsima ſanè res eſt, ſi tam ſancta monentem non audiat. Audi, inquit, populę mi. Perſanctè tibi polliceor Iſraël, ſi mihi auſcultaueris: au-

C dís'ne? Audio mi domine: quid íſtuc eſt? Nõ erit in te Deus nouus, neq; unquam
alium, ut nationes ſolent exteræ, coles Deum, præter me. Non tibi excidat quòd

Ego ſum dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti.

Enim dictio, ne ſenſus interturbetur, eradenda eſt. Sic Felix: Ego Dominus Deus tuus, qui exaltaui te de terra Aegypti. Ita ferè cæteri ex Hebræo. En quomodo crebrò excellentiſsimi, atq; ſtuporẽ omnem ſuperantis miraculi, fugæ Aegyptiacæ memoriam refricat ſpiritus, quippe quod unum maximè ſacramentorum omnium ſummam contineat, & perfectionem: modò non deſint, qui excuſſa ab animo ignauia, atq; à corde immunditia, caſtiſsimis ſeſe ingerãt ad illa contemplanda, ſeu potius perueſtiganda, cogitationibus. Illud maximè cauendum, ne nouus inter nos quiſpiam inueniatur Deus. Siquidem quod unuſquiſq; anxiè nimiũ cupit & ueneratur, id illi Deus eſt. Quocirca meus poteſt eſſe, uel cùm non aduerto, Deus, uxor, ſcortũ, puſio, princeps, numus, dignitas, mitra, pileus, codex ipſe etiam legis diuinę, literatura, linguarũ cognitio, tabula, catulus, addo & religioſiſsimæ ueſtes cilicinæ, perones, è ſaxóq; cubilia, aut puluinaria. Quid? nónne & his addi quoq; poſſunt digniora illa? propria conſilia? propria ſanctitas? iuſtitia? fides? dilectioq; ipſa in Deum, ac miracula? quis id credat? Heu quàm uaria ſunt etiamnũ idola, ac noui nuperrimiq;, nunquam aliàs, uel ab ipſis ſimulachrorum inuentoribus excogitati dij in terris. Cui nimirũ rei amore nimio addictus es, ea tuus actutùm fit Deus. Atqui puriſsimę naturę cùm ſit Deus noſter, nullam aliam amoris alieni patitur cõmiſtionem & ſocietatem. Quare in tua ipſa fide ac iuſtitia, amoreq;, quo te in Deum rapi arbitraris, Deus ipſe, ut finis quærendus eſt, idemq; amandus, & in primis, imò ipſe ſolus adorandus. Alioqui tu in te permanens, de te oblectans, à teq; minimè exiens, de his quæ in te diligis, tibiq; adblandiris & applaudis, unum nouum conficis Deum: quo admiſſo, fides tua impietas efficitur: iuſtitia, inquinamentum: atq; amor, error. Verùm illud
D ex Dei ore prolatum maxima me afficit conſolatione, meamq; penè emortuam exuſcitat fidem,

Dilata, inquit, os tuum, & implebo illud.

Hoc eſt, aperi os tuum quantum potes, aperi cor, aperi ſi quid obtectum in te eſt, ac quicquid libuerit, poſtula. Hîc mihi illud audire uideor Seruatoris: Quæcunq; petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Nulla ſanè bonorum copia carere poſſunt, qui Deum amant. Vide facilitatẽ impetrandi à Deo rogata. Tantum, inquit, aperi os tuum, & ſat eſt. Tritius illud eſt, q̃ quòd multis cõmonſtremus: nempe principem, aut amicum quempiã percupidum effuſe elargiri quod petitur, ſic effari ſolitum, Aperi os, quod reliquum eſt, ſine mea me uti liberalitate. Peto igitur domine, atq; os, quantum ualeo, & cor aperiens, clamo. Quid clamas inſane ſuper cõtritione tua? Inſanabilis eſt dolor tuus. Heu quis uicturus eſt, quando iſta faciet Deus? Quid petis tandem? Te. nunquid aliud uis? te. Quem Deum in terris adoras? recens ne factum? te. Quid amas? te. Me igitur habe, nihil aliud uolo, mi Deus: ſiquidem qui te habet, omnia habet, neq; illius ultrà protenditur deſiderium: nam uotorum omnium te amantiũ, tu finis es & quies, atq; ea quidem, ultra quam nihil. Perſta itaq;, atq; in fœdere, quæcunq; aduerſentur, dura: neq; ex illis unus efficiaris, qui non direxerunt cum Deo cor ſuum, & qui non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Tum dico, quando me contempſit,

Et non exaudiuit populus meus vocem meam, & Iſraël non intendit mihi.

Nunquam, inquit, meis acquieuit conſilijs populus meus dilectus, nec ipſe Iſraël unquam ſyncero dilexit me affectu. Non deſiderauit me, uertit Felix. Vtrunque enim maximã in Iudæis arguit fuiſſe ingratitudinem, qui diuinis penè obruti beneficijs, nunquam ſyncerè tam beneficum amarunt donatorem. Verùm uide quàm iuſtè par pari referat Deus his, qui ſalutaribus contemptis conſilijs, pro prijs tantummodo raptantur affectibus.

Et dimiſi

Et dimiſi eos, inquit, ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.

A Soli quippe illi ſunt Dei, qui illius ducuntur ſpiritu, non humano, nempe erroneo & uago. Etenim qui diuinis nituntur inſpirationibus, nihil in rebus agendis tam horrent, quàm ſuas ſequi adinuentiones, &, ut hîc legunt Hebræi, conſilia. Vnde ſic Fel. Et dimiſi eum, nempe populum, in prauitate cordis ſui. Ambulent in conſilijs ſuis, hoc eſt, in præceps corruant, poſtquam ſic uolunt. Suas enim amant leges, ordinationeſq; ab effectibus propríjs, non à meo ſpiritu formatas. Secundum eas igitur uiuant, nullo nimirum meo conſilio adiuti. Hi quidem ut facile à probitate dilabuntur, ita ſuperbiæ non effugient notam. Quare permiſi eos animo indurato inſanire quantum uellent, & ſua ſequi conſilia, qui nollent mea. In Salomone hac de re ſic loquitur Deus: Comedent fructus uiæ ſuæ, ſuiſq; conſilijs ſaturabuntur. ut planè nihil aliud ſit fructus uię noſtrę edere, propríjſq; ſaturari conſilijs, quàm in præceps ruere, nullumq; uitæ modum ſequi, & rationem. Veruntamen nunquã tam procul auerſi ſumus à Deo, quin ſemper aliquis pateat ad illius gratiam aditus ac perfugium. Vnde ſequitur:

Si populus meus audiſſet me, Iſraël ſi in ᵛijs meis ambulaſſet, pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem:

Et ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.

Vtinam, uertit Felix, populus meus audiſſet me. Idem Paraphraſtes: ſed in ſecunda perſona hos duos uerſus legit. Vtinã, inquit, populę mi audiſſes. Optat hîc Deus ſuas non negligi aſpirationes & conſilia, unde perfecta benè ſanctèq; uiuendi proficiſcitur ratio ac forma. Perplexa quidem omnia eſſe, atq; inconſtantia neceſſe eſt, dum noſtra ſunt. Idcirco hîc quęritur dominus, populum illum rectis uiæ ſemitis contemptis, proprias, quæ ad interitum ducerent, elegiſſe. Vtinam, inquit, durus ille auſcultaſſet mihi populus, measq; pertriuiſſet uias. Ego
B enim ullo abſq; labore & negocio, ſuos ſtatim deieciſſem hoſtes, manũq; meam in ſceleſtiſsimos illius perſequutores extendiſſem. Volunt nonnulli dictionem, forſitan, ironicè poſitam: uerùm cùm neq; in græcis, neq; in hebraicis codicibus habeatur, ſuperflua uidetur illorum expoſitio. Ex græco ſic uerti poſſet: In nihilo ſanè, hoc eſt, citra omnem laborem aut præmiũ inimicos eorum proſtrauiſſem. At totius illorum perfidiæ origo ea eſſe uidetur, quòd

Inimici domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſecula.

Videtur hîc tota diuinæ in homines excandeſcentiæ ſumma & ratio deſcribi: qui homines cùm permulta Deo polliceantur, ea tamen nonnunquã uiuunt fide, ac ſi nihil unquam polliciti fuiſſent. Quid hac ſtupiditate, atq;, ut illud uocat Vates, mendacio impudentius? Olim enim Iudæi metu ingenti exanimati ſuclamauerunt in Moſen dicentes: Omnia quæ præcepit nobis Deus faciemus, eri musq; obedientes. An uerò poſtea à promiſsis exceſſerint, nihil tam diligenter ſcribit Moſes, quàm ut illorum palàm faciat leuitatem. Quid nunc? quanta ego miſer in baptiſmo, quanta in annorum acceſsione, quanta in profeſsione, quanta in uotis, in ſacramentis, & ſciens & prudens, Deo, teſte Eccleſia, pollicitus ſum? Verùm me millies una die mentitum eſſe Chriſto, & ſenſi, & meam deteſtatus ſum perfidiam. Quàm uerò caſtè ſeruent alij, quæ promiſere, mea non intereſt ſcire. Penè tamen adducor, ut nihil propémodum ſeruari credam, poſtquam non amplius Chriſtum in mundo (utinam ſaltem in locis ſacratioribus) dominium habere intueor: ſed mundum ipſum tanquam diſsipatam rempub. & laceram, ſuas exequi impietates, non tantum uideo, quantum non ſine maximo animi dolore experior. At uerò tempus eorum qui hæc agunt, erit in ſeculum, æterna eorum erit mulcta, æterni cruciatus, æterna miſeria. Videtur Paraphraſtes hanc ultimam particulam ad Dei amicos, non ad hoſtes referre. Sic ille: Populus autem meus felicia uidiſſet tempora perpetuò. Idcirco additum eſſe opinantur,

Et cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos.

c Omnia hęc uerba ab Hebręis per pręteritum ſubiunctiui temporis leguntur, ita tamen quòd, ſi populus meus audiſſet me, ſubintelligant. Sic Felix: Odio habentes dominũ mentiti fuiſſent illi, & eſſet tempus illorum æternum, & cibaſſet illum adipe frumenti, & de rupe melle ſaturaſſem te. Et eſt mutatio perſonæ frequens in hoc Vate. Per adipem frumenti, frumenti florem ac medullam, ſeu ſimilam, hoc eſt, bonorum omnium copiam intelligit: quemadmodum per mel de petra, rerum delicatarum abundantiam. Moſes quoq; ſuo in cantico tropo eodem eſt uſus, dicens: Et ſugeret mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſsimo. Mira ſanè illius fuit religionis ubertas, ſimulac è ſaxis ea demanaſſe dicantur, quæ uix ui ſub acto in ſolo ac miti, prouenire conſueſcũt. Vehemens hyperbole eſt, qua mirum in modum noſtra carpitur ignorantia, ad illudq; unum tandem excitatur intelligendum, quòd ibi delicioſiſsimus eſt paradiſus, ubi eſt Dei timor, atq; ad ea quæ ſunt fidei, auditus. unde non immeritò dictum fuit à Deo: Si populus meus audiſſet me. Quæ proinde hîc lateant myſteria, dicant alij: nos interim Chriſtum ipſum panem uerum de cœlo datum ueneramur, atq; ab illius ore, qui petra eſt, ac noſtris in aduerſis rupes, mel ac lac carpentes, audemus in cor eius, ubi miſericordiæ oleum inuenitur, cõmigrare, ibiq; caſtiſsimis anhelantes ſuſpirijs ingemiſcimus, raptamurq; in illius amorem: ſub cuius lingua, ut inquit ſponſa, mel eſt & lac: cuiusq; nomen, oleum latè effuſum eſſe prædicat. Quid ſuauius? quid dulcius ex ore illo tam bonis omnibus referto audire unquam potuiſſem, quàm cùm mihi dixit: Remittuntur tibi peccata tua, uade in pace? Omnem quidem deliciarum copiam ex his domini mei uerbis diſtillaſſe perſenſi, ſed tum maximè, cùm illud totius iucunditatis ubertate pleniſsimum addidit: Dilata os tuum, & implebo illud. Cui ego: Audio domine, & uenio: tu uerò interim trahe me poſt te, ut curram in odore unguentorum tuorum. Cui laus ſit perennis in ſecula ſeculorum. Amen.

D PSAL. LXXXII. Pſalmus Aſaph.

Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.

Compertior res eſt, quàm ut quiſpiam illam ignorare queat, homines dignitate conſpicuos altiori, quàm humana ſufferat conditio, quidam in terris præ ſe ferre diuinum. Id proprium certè eſt Dei, atq; ad ipſius pertinet maieſtatem, mortis ac uitæ imperium habere. Idcirco diuina eos lex, qui huiuſcemodi ornati ſunt poteſtate, diuino dignatur nomine, deos illos appellans. Illud obſtruſius: quî fit, quòd tot millia hominum iugo naturaliter obedientię reluctantium, unius aliquando pareant imperio ſæpiſsimè tyranni, nihilq; hominis in ſe habentis pręter effigiem, atq; illam plerunq; turpem et monſtroſam? Magnum propterea Dei donum eſſe ſemper exiſtimaui, liberos atq; ingenuè educatos homines ſtulto abſq; animi perturbatione parêre poſſe ſuperiori. Id quidem in nobis Dei operatur dilectio, qua ſuum ſemper ab æterno dilexit figmentum. Nónne & ipſe quoq; in primis, cùm ſalutis humanæ fundaret exordiũ, tyrannorum hypocritarumq; ſubiacuit iudicio tantus dominus? Qui tamen, quæ incomprehenſibilis eſt illius bonitas, tantis nequaquã offenſus iniurijs, illos, qui huiuſmodi generis erant, homines ſemper admonuit, ne tam ſe ſuis in imperijs aciudicijs efferatè haberent, quin Deum inter illorum conuenticula præſentem eſſe ſibi perſuaderẽt, qui in ſuis omnẽ cupit eſſe in iudicãdo iuſtitiã & candorẽ. Quod ſanè Dei conſiliũ non ignorans Vates, ſic noſtrates alloquit iudices: Deus ſtetit in ſynagoga deorũ, in medio autẽ deos dijudicat. Reges, ut dixi, principes, iudices, magiſtratusq; cęteri, atqueadeo magis id, ſi animarum curatores ſunt, ut ferè ſunt Epiſcopi, antiſtites, prælati, & id genus alij, dij in ſcripturis appellantur: qui ſi boni ſunt, Deus inter illos, tanq; dux & dominus, imò tanq; unus ex collegis, miniſtris quoq;, libentiſsimè diuerſatur: ſi mali atq; improbi, in medio illorũ eſt tanq; iudex, atq; ultor illorũ acerrimus. Atqui, in medio eſſe, frequens in ſcripturis uſus eſt, ponitur q; pro præeſſe, ducẽ eſſe, principẽ, prefectũ, dominũ, atq; nõnunquam

A nunquam unum ex illis, quibus cum conuerſaris. Et ego, inquit, in medio eorum ero Deus: hoc eſt, dux illorum ero, imò familiaris, gregario cuiq; ſimilis. Senſus igitur ut lepidiſsimè exprimitur à Paraphraſte, is erit: Deus aſtitit cœtui illorum, qui præ cæteris poteſtatem in alios nacti ſunt: in medio ipſorum iudicum, quæ officij illorum ſunt, admonuit illos. Volunt porrò nonnulli duas in Chriſto naturas ſub dictionibus, Deus ſtetit, adumbrari. Nam quòd Deus ſit, id compertum omnino: quòd autem ſtet, aut ambulet, id iam non Dei eſt, ſed hominis. Eſt igitur Chriſtus Deus & homo, qui in Eccleſia, ut diuus fatetur Hieronymus, aliis ſtat, aliis ſedet, aliis ambulat, aliis dormit, & cùm ipſe ſit immutabilis, pro noſtra tamen uarietate mutatur. hæc ille. Cùm ea itaq; ſic ſe res habeat,

Vſquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis?

Eum quidem alicuius faciem ſumere dicimus, cuius mores imitaꝝ, aut uitam, tùm ſermone, tum habitu quoq;, ut in comœdijs fit, effingit. Eo igitur modo iudices peccatoris faciem aſſumere querimur, cùm in peccatorum gratiam ſententias proferunt. Ait itaq; Dei filius: Quouſq; uos ſufferam, ô quos ſicut deos in terris eſſe uolui? Vſquequo iudicium pronunciatis iniquum? uſquequo nulla habita ratione æquitatis, in impiorum gratiam, piorumq; ruinam, ſententias promulgatis? quandiu hæc patiar? Iudicate, quid reluctamini? quid ius uenditis?

Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iuſtificate.

Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.

Selah, quod penè exciderat, ante hos duos uerſus interiectum nos admonet, quàm execrabile ſit iſtuc malum in oculis domini, nempe iuſtitiam à malis cauſidicis uenundari. quòd ſi multi interdum re in eadem ac cauſa, iudices ſunt, quanquam neutri alteros diligunt, impia tamẽ ac tyrannica uiciſsim colluſione in bonorum perniciem mutuas tradunt operas. Tu mihi, inquiũt, faueas, ego tibi. Cer
B nis unde orbis ferè uniuerſi emerſerit interitus? Horum quippe coniuratio ita iuſtitiæ nomen afflixit, ut penè in totum exoleuerit. His itaq; à ſpiritu dicitur: A calumnijs illum, qui alieno deſtitutus auxilio, impar ſuo eſt aduerſario, defendite, illiusq; patrocinium aſſumite. Conterite arrogantiam ſuperborũ, ſuccurrite pauperi ac mendico, uiduasq; & orphanos paſsim ab omnibus direptos, ab impiorũ ingluuie & ui aſſerite. Verùm nihil ago,

Neſcierunt, neq; intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ.

Penè in illam quorundam adducor opinionẽ, qui ſcribunt, iudices rectos, atq; aduocatos utentes legibus prout debent, meliorem uitam agere, quàm hi, qui dicuntur religioſi, quiq; in eremis ſolis ueſcuntur herbarum radicibus: ob id credo, quòd per eos pax orbis uniuerſalis conſeruatur, quemadmodũ, ſi praui ſunt atq; iniqui, adeò omnia commiſcentur & perturbantur, ut terræ fundamenta, quod hîc canit Vates, hoc eſt, omnis humanæ uitæ ratio & modus, qui fide maximè nititur ac iuſtitia, nutent & quatiantur. Vnde uerò malum id ortum habeat, principium uerſus aperit, quòd ſcilicet neſcierunt, neq; quid quaq; in re præſtandum ſit, conſiderauerunt. In tenebris, inquit, ambulant. Qui autem in tenebris ambulat, neſcit quò ſit eundum. Cupiditate quippe rerum mundanarũ, atq; ambitione exoculati, Dei iudicio in reprobam præcipitantur mentem. Quid enim luminis à luſcioſis oculis, aut cæcis omnino ſperari queat, tu met qui legis iudica. Eſt & alia fundamentorũ terræ cõmotio, cùm Deus ita orbem contra deos iſtos terræ iratus cõcutit & turbat, ut quemadmodũ reddit Paraphraſtes, baſes terræ tantum non uideantur. Eò quidem interdum res noſtrę dilabuntur, atqueadeo propter iniquas quorundam ſententias atq; imperia proteruntur, ut iratum Deum mundanam hanc machinam funditus uelle euertere ſuſpicemur. Quid uerò in cauſa ſit quòd, quid agi debeat, non uideant dij iſti noſtrates, haud rarò à prophetis dictum fuit, ſed illud potiſsimum à Hieremia: Omnes paſtores, inquit, paſcet uentus. Illud quoq;: Omnes iſti principes declinãtes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum, uniuerſi corrupti ſunt. At

C *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.*

Inculcat pientissimus dominus, crebroq́ istiusmodi deorum ingratitudinem atq́ incogitantiam arguit. Volui, inquit, ut pro dijs in terris haberemini, iussiq́ ut meas in iudicandis, erudiendisq́ populis, uices ageretis. Quid? altissimi uos quoq́ ipsius filios nõ semel effectos esse pronunciaui. Veruntamen quia uos ut deos minimè, aut à Deo natos exhibuistis, nõ ut dij amplius, filijq́ Dei, uiuetis, sed ut uilissimæ plebis homines, aut, quemadmodum solent ut plurimum tyranni, moriemini. Citat hunc locum benignissimus Seruator in Ioanne, Iudæos arguens, se nihil malè dixisse, quòd se Dei filium appellasset, cùm nonnulli quoq́ simpliciter homines dij appellati sint in terris. Nónne, inquit, scriptum est in lege uestra, Ego dixi, dij estis? Si illos dixit deos, ad quos Dei sermo factus est, & non potest solui scriptura, quẽ pater sanctificauit & misit in mundũ, uos dicitis, quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum? Diuus Hieron. uidetur dictionẽ illam uniuersalem, omnes, ad quoscunq́, quibus corpus dedit Deus & animam & spiritum, referre: Aequaliter, inquit, omnes nascimur, & æqualiter morimur, æqualis omniũ conditio est. Illud quoq́, sicut unus de principibus cadetis, de angelis è cœlo lapsis nõnulli intelligi debere arbitrantur. Verùm de tyrannis potius dici uidetur, qui plerunq́ execrabili mortis genere, aut repentino absumuntur interitu. Iam & illud non omittendum, secundi uersus principium clarius legi ex hebræo. Sic Felix, atqueadeo cæteri fermè: Veruntamen sicut homo, seu sicut Adam (maiorem id præ se fert contemptũ) moriemini. O si id nostri seriò perpenderent optimates: ô si se aliquando pastores, patres, deos tandem, atq́ altissimi filios idcirco appellatos, utre præstent quod dicuntur, reminiscerent: ô si. Quid ago? nescierunt, neq́ intellexerunt, in tenebris ambulant. Eam ob rem, non subditorum forsan populorũ, sed illorum culpa, mouebuntur, ut continuè mouen-

D tur, omnia fundamenta terræ. Quod quidem uniuersale orbis malum suis quoq́ subtimens posteris Benedictus, sic de Abbate edisserit inter alia: Abbas, qui præesse dignus est monasterio, semper meminisse debet, quod dicit, & nomen maioris factis implere. Christi enim uices se agere in monasterio existimet. quasi dicat, uices Christi gerit, nõ tyrãni aut feræ. Aurea profectò mei patris admonitio, ac digna, quæ uice pictæ tabulæ aut statuæ, superliminaribus domorum præsulum (iam cellulæ esse desiere) affigatur. Quare simulatq́ omnia penè corrupta sunt uitæ studia in mundo,

Surge Deus iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

Tu ipse, ô Deus, per teipsum, nõ per impostores, noster esto arbiter & doctor. Tu, tu inquam, non illi, nempe diri, ac suo à nomine degeneres, quæcunq́ in terra hac nostra penè à te destituta aguntur, iudica: atq́ eo sanè modo tu totius hæres uniuersi, ac dominus censeberis: non illi, qui à tuo minimè spiritu uocati, sed ui atq́ ambitu intrusi, nihil antiquius habent, quàm quomodo abiecto clemẽtiæ nomine atq́ humanitatis, suis in iudicijs ac finitionibus non te, sed scribas illos ueteres Iudæorũ ac sacerdotes referant. Vos autem qui hęc legitis, illius qui pius est pastor, atq́ hæres à patre delegatus, hæreditas sunto. Cui honor sit & laus in seculorum secula. Amen.

PSAL. LXXXIII. Canticum psalmi Asaph.

Deus quis similis tibi? ne taceas, neq́ compescaris Deus.

Quęcunq́ opinentur alij, cur Vates istud composuerit canticum, nos interim nihil comperti habentes, dicimus Dei populum hîc queri se à finitimorum impeti hostium bellis & iniurijs: idcirco illos, anteaquàm uictoria potiantur, absumi, radicitusq́ euelli rogitat. Effigies hæc est Ecclesiæ, quæ interdum adeò sæuè cùm ab hęreticis, tum à fucatis religiosis uexari contingit, ut ferè à sponso negligi uideatur. quare maximo quanto potest clamore, atq́ anxietate, ut hi solent qui in profundum aliquem puteum aut amnem delapsi sunt, orat, exclamatq́:

A clamatq́: Deus quis ſimilis tibi? ne taceas, neq; compeſcaris Deus. Mi Deus, inquit, quis adeò, ut tu, qui Deus deorũ diceris, potens eſt, atq; ad ferendas ſuppetias facilis? ne igitur amplius taceas, ne diſſimules, ne ad tam patentes conniueas turbas: hucuſq; enim tacuiſti, uimq; illam tuæ potentiæ infinitam compeſcuiſti: iam, oro, qualis ſis oſtende.

Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput.

Illud nõ prętermittendum, in primo uerſu, quis ſimilis erit tibi, in hebręo non inueniri, ſed ſic tantummodo, ut uertit Felix: Deus ne taceas tibi, ne ſileas, & ne quieſcas. Hiſce enim repetitis uocibus, inſupportabilem omnino prætendit animi dolorem. Sed neq; illud quod noſtra habet æditio, ſuo caret affectu: res quidem eſt, quæ ingentem in anima ualde anxia cõmouet admirationem. Quis ſimilis, inquit, tui? quis tam potens? tam certus? tam ab omni ſimulatione alienus? Ecce enim facinus planè intolerandum. Inimici tui perſtrepentes, tumultuantesq;, ac caput, tanquam te in pugna uicerint, extollentes, ira atq; armis inſonuere. Addunt & aliud manifeſtiſsimum in te odij ſignum. Nam

Super populum tuum malignauerunt conſilium, & cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos.

Iſti, inquit, maligni, perfidioſiq; uitilitigatores, nequiſsimũ inierunt conſilium contra populum tuum, nempe contra illos, qui idcirco mundo infenſi ſunt, quia de mundo non ſunt. Etenim mundus quos ſuos eſſe non dubitat, amat, amplecti tur, ſuisq; ditat bonis: ut ferè ſunt faſtuoſi, arrogantes, inuidi, libidinoſi: hi quidem cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos. Abſconditos tuos, habent Hebręi: hoc eſt, qui occulta illis ipſis arrogantibus ratione, tibi curæ ſunt, ac tutelæ. Res quidem obſtruſę ſpiritus ſceleratis omnino obtectę ſunt ingenijs. Sed quid tandem, longum poſt ſtrepitum minarum & oblocutionum, cogitauerunt? quid machinati ſunt? quid dixerunt inter ſeſe?

B *Dixerunt: Venite & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſraël ultra.*

Adeſte, inquiunt, ô noſtri coniuratores, atq; ita illos uariè diſſipemus diſperdamusq;, ut amplius gens non ſint (ſic Felix interpretatur) nec nomen iuſti, aut memoria in terris amplius ſit reliqua. Intereant funditus, qui noſtræ aduerſantur tyrannidi atq; imperio. Videor hîc mihi uerba illa audire regis Aegyptij de Hebræis: Venite, ait, opprimamus eos, ne fortè multiplicentur. Siquidem tyrannis illa in primis eſt cura, ne boni multiplicentur: quare acerbiſsimæ interdum in ciuitatibus audiuntur proſcriptiones, exilia, neces, calamitatesq; diuerſę & crudeles. Opprimamus, inquiunt, illorum nomen, fortunasq; diripiamus: alioqui quis noſtris obtemperabit legibus? nudi certè nudis imperabimus parietibus. Hęc sanè, mi Lector, conſilia ſunt Aegyptiorum, quorum moribus atq; inſolentia tota iam corrupta eſt bene uiuendi puritas, nutat fides, ac lacera, uel uſque ad ſecretiſsimum Dei thronum clamat innocentia, queriturq; nullam ſibi in terris ſedem iam eſſe.

Quoniam cogitauerunt unanimiter ſimul, aduerſum te teſtamentum diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum & Iſmaëlitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon, & Amalech, Alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

Colluuiem hîc narrat hoſtium populi Dei Vates, qui percuſſo ueluti fœdere inter ſeſe, in Deum ipſum conſpiraſſe uiſi ſunt. Verùm nihil propè agimus. niſi à ſpiritu edoctus unuſquiſque, qui ſint inter nos Idumæi aut Iſmaëlitæ, qui Ioſeph emant puerum, qui Moabitæ, qui Agareni, & id genus alij Eccleſiæ hoſtes, prudentiſsimè apud ſe diſcernat. Aliter certè tot inter hoſtes poſiti, & eos quidem qui noſtro notati ſunt ſymbolo, uix abſque periculo tuti erimus. O infelicitas (clamat Hieronymus) non poteſt populus Dei tantam in bono habere concordiam, quantam mali habent in malo? Notat Kimhi Hebræus, diuturnum hîc prælium per dictionem Tabernacula, ſignari, quibus meridionales maximè populi, ut ſunt Iſmaëlitæ, Aedomitæ, Agarenique ab Agar Abraham ancilla procreati, utebantur. Hi enim cum cæteris, qui hîc à Vate con-

C numerantur, infeſtiſsimi ſemper extitere Iudæis hoſtes: ut in preſentia ſunt quoque inter nos, quorum umbra fuere populi illi ferales & indomiti. Idumæi quidem, ſeu Aedomitæ, ab Aedom, qui & Eſau, originem habuere: hoſtes nimirum acerrimi populi Iſraël, quemadmodum Eſau fuit Iacob. Iſmaëlitæ ab Iſmaël filio Abrahæ prognati ſunt. Moab & Ammon, unde Moabitæ & Ammonitæ denominantur, à Loth è duabus ſuis filiabus deſcenderunt. Agareni uerò ab Agar, ut dixi, ancilla Abrahę, quam Ceturam eſſe, quam poſt mortem Sara in uxorem duxit Abraham, nonnulli opinantur. Et hi malunt à Sarra Sarraceni, quàm Agareni ab Agar dici. Gebal ſiue Gebalitarum originem ſe ignorare affirmant doctiores: ſecus autem indocti, qui de omnibus diſſerere, etiam cum iniuria ſpiritus, non uerentur. Quòd ſi tamen de Gebalitis aliquid ſuſpicari fas eſt, nõ abſurdum forſan erit opinari poſteros illos fuiſſe Hebal unius ex filijs Iectan, ut in decimo Geneſeos capite uidere licet. Amalech item, ex quo Amalechitæ, filius fuit Eliphat filij Eſau. Cæterùm alienigenæ, Hebræis eſt Philiſtijn, qui perpetui fuerunt hoſtes Iudæis. Tyrij autem olim confœderati cum Iudæis, unà poſtea cum cæteris finitimis populis à fœdere deſciſcentes, iunctiſq; copijs cum rege Aſſyriorũ eos admodum prælijs infeſtarunt. quamobrem additum eſt,

Etenim Aſſur venit cum illis, & facti ſunt in adiutorium filijs Loth.

Hoc eſt, Moabitis atq; Ammonitis. Hi itaq; omnes uno animo, licet diuerſis temporibus, in Dei populum, imò in ipſum Deum conſpirantes, fœdus ſanxerunt, ſanciuntq; continuè, ac caſtra ad proborum exitium metati, nihil nõ agunt, quò probitas è terris excedat, aut unà cum fidei exercitu in bello occumbat. Verum, ô Domine, ô, cui non tantum res cœleſtes, quantum quoq; terrenæ atque imæ ſunt curæ,

Fac illis ſicut Madian & Syſaræ, ſicut Iabin in torrente Cyſon.

D *Diſperierunt in Endor, facti ſunt ut ſtercus terræ.* Rurſus:

Pone principes eorum ſicut Oreb & Zeb, & Zebee, & Salmana.

Selah ante hunc uerſum poſitum nos admonet illorum quæ nunc fiunt, quorumq; imagines ea quæ dicta ſunt de gente illa Iudæorum populo infenſa atque odioſa, adumbrabant. Adeò uix credi poteſt piorum uitam non ſolùm ab exteris, uerumetiam ab ipſis propinquis, atq; eiuſdem ſanguinis, religionisq; hominibus aſsiduè uexari: ut non raro Iudæis contigit. Cæterùm Madianitæ à Madian Abrahæ filio deſcenderunt, qui iunctis ſibi Amalechitis, atq; alijs Iudæorum nomini, atq; eorum ſucceſsibus inuidentibus, omni ferè anno regionem illam militum incurſionibus profligantes, ita illis moleſti erant, ut in ſpeluncis eos ſæpenumero ſeſe abdere cogerent. Quos tamen Deus ita poſtea, Gedeone duce, metu exterruit, ut ſe mutuis confuſi diſpalatiq; contrucidarent uulneribus. Porrò Syſara fuit dux exercitus Iabin regis Cenaanitarum, qui propter torrentem Cyſon, Endorq; fontem à Deo debellatus, actusq; in fugam, à Iaël uxore Heber Cinei clauo capiti infixo interemptus fuit. Oreb uerò & Zeb, Madianitæ factionis principes in prelio capti à populo occiſi ſunt, quemadmodum illorum reges Zebee & Salmana à Gedeone. Qui quidem omnes facti ſunt ut ſtercus terræ: nam de illis legitur, quòd illorum corpora ab undis correpta, atq; ad littus proiecta, ſine honore inhumata iacuere. Vnde ſic Paraphraſtes: Qui perierunt in Endor relicti ad ſtercorandos agros inſepulti. Eodem porrò fati genere periere

Omnes principes eorum qui dixerunt, hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei.

Sanctuarium Dei appellat religionis cultum unà cum tabernaculo atque arca fœderis, quæ omnia maximam conciuerant apud exteros in Iudæos inuidiam. Quare gens illa impia utpote numine uacua, ſic inter ſe: Iure hæc quidem nobis contingunt hæreditario, idcirco ui atq; armis illa adeamus. Atqui hæc forſan à Moabitis, quò maius excitarent odium in Iudeos, in caſtris iactabantur. Nam hi queſti fuerãt ſe à Iudæis eiectos è terra ſibi debita, cùm Aegyptios fugerent. Eam ob rem Iepte Galaaditarũ duci ſe contra eos ad pugnam cum exercitu præparanti, per-

A ti, percunctantíq; cur Ammon contra Iſraëlem arma mouiſſet, reſpondit: Quia tulit Iſraël terram meam quando aſcendit de Aegypto, à finibus Arnon uſque leboch, atq; Iordanem. Et de his ſatis. Dei ſanctuarium & templum, quod ſibi lege quodammodo hæreditaria poſcunt impuri & flagitioſi, credentium unitas eſt, de qua ſic Paulus: Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis uos. Ammon uerò acerrimum Iſraëlitarum hoſtem, è Loth tamen Abrahæ conſanguineo, nempe illius fratris filio deſcendentem, populum turbidum interpretantur. Heu quàm ſæpe Chriſti ſponſa à propríjs filíjs, à familiaribus, ab ipſis quoq;, quorum fidei à ſponſo peregrè proficiſcenti cõmendata eſt, affligitur & uulneratur. Verùm tu ò qui potes, ſimulac tam efferi ſunt cum ſuis fœderatis Ammonitæ iſti ſuperbiſſimi, ut nullis quamlibet inſtructis cedant proborum copíjs,

Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.

En mulcta eis digna, qui ſpem ſuam perinde atq; ſi imæ res iſtæ mundi æternę eſſent, in fortunæ uolubilitate firmare nituntur, Deum autem ſolidum bonũ contemnunt. Hos itaq; (poſtquã ſic turpiſſimi illorum mores exigunt, neq; aliquid quod firmũ ſit expetunt) rotæ perſimiles fac, ac ſtipulæ, quæ uento expoſita huc atq; illuc circunfertur: nempe inconſtantes, uarios, atq; in omnibus animi leuitatem demonſtrantes. Ad hæc

Sicut ignis qui comburit ſyluas, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequêris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos.

Mirum quàm excandeſcenti cõmoueatur affectu Vates in illuuiem iſtam hominum Dei ſanctuariũ dehoneſtare conantiũ. Hí quippe ſunt magis, qui in Eccleſiæ uiſceribus lautè ociantes, animantiũ more ſaginantur, quàm qui extrà poſiti, & ui & armis in bonorũ cœtus crudeliſsimè debacchant. Verùm quoniam ſteriliſsimæ ſimiles ſunt ſyluæ, aut abſq; fructuũ decore nemori, monti quoq; al-
B tiſsimo nulli uſui apto: ſic irreparabili ac concito ab humanis eos tolli uult ſpiritus euentu, quo ſylua opaca denſaq; arboribus comburi ſolet immiſſo igni: aut mons nemoroſus, uentiſq; ob altitudinẽ undecunq; expoſitus, cuius cacumen flamma ingens aggreſſa, latè omnia ullo abſq; impedimento depopulatur. Aſpice quàm aptis utitur Vates ſimilitudinibus ad exprimendam Dei ultionẽ in hoſtes Eccleſiæ, atq; illius partis fautorum, ut ferè ſunt omnes, qui abiecta mundi gloria & ambitione, ſuam habent in cœlis conuerſationẽ. Non dici facilè poteſt quantum hí mundi iniurijs expoſiti ſint. Cæterùm de affectibus illis in Deo horrendis, iræ, furoris, & ſimilium, iam aliàs diximus: hiſce enim uocibus, iuſta in illo peccata ulciſcendi cõmotio arguitur. Nonne ſummo is exitio dignus cenſebitur, propter quem adeò offenditur Deus, ut ad iram furoremq; prouocari dicatur? At tu uide ſpiritus ſuauitatem: uide, inquam, quò diræ illæ demum tendant Vatis imprecationes.

Imple, inquit, *facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum domine.*

Icti forſan & confuſi, te iandudum amiſſum quærent, qui in lauta alti fortuna, ne tui quidem memoriam retinent. O neceſſariam uerberum aſsiduitatem, qua interdum uel ipſi perditiſsimi Dei hoſtes admoniti, ex hoſtibus fiunt amici, ex fugacibus ſeruis filij, ex hominibus dij. Perfunde, ait, illorum facies confuſione & ignominia, fac eos parumper contemptibiles, fac odioſos, ut uel ſic ab omnibus conſputi, tui læſi nominis placationem quærere compellantur.

Erubeſcant & conturbentur in ſeculum ſeculi, & confundantur & pereant.

Nihil enim ardentiſsimæ huic Vatis exaggerationi poſſe addi uidetur, adeò uas ſibi ardentium affectuum mirè ardens, ardentiſsimus fabrefecit ſpiritus. Vidiſtíne unquã puerum ab aliquo iniurijs affectũ, idcirco flentem, cauſamq; ſuam parentibus interiectis ſingultibus exponentẽ? Quid tum pater? Tenelli quidem pueri ęquè ad riſum atq; ad lachrymas facilis partes aſſumens, in offenſorem ſub ridens acerbis minacibusq; inuehitur uerbis, exaggerat, urget, inculcat, excandeſcitq;, & plagas neſcio quas fictas infigere ſimulat: & hęc quidem omnia, non

C ſerio quidem, aut quòd reuera leues illas alterius pueri iniurias ulciſci quęrat, uerum quò filium placet, uimq; illi, qua in ſe ſperare condiſcat, inſinuet. Ita nimirũ interdum pro ſuis agit Dei ſpiritus, ne nimijs iniurioſorum hominum perſecutionibus remorati, qualiq; à pientiſsimo patre deſtituti ſint, abijciant animum, eoq; immanitatis prolabantur, ut unà cum illis Deum eſſe negent. Vide exaggerationem: Erubeſcant, confundantur, conturbentur, pereant tandem. Quid his uerbis acrius? Verùm id agit, ut reſipiſcentes Dei gratiam ſpontaneo reiectam conſilio & uoluntate, tum quærant, tum maximo animi conatu, ut res charę ſolent, inuentam retineant: atq; eo ſanè modo correcti, mentis oculos longa peccandi conſuetudine tanquam catachlyſi obnubilatos aperiant.

Et cognoſcant quia nomen tibi dominus, tu ſolus altiſsimus in omni tetra.

Vtrunq; enim populum, ſiue eum qui fide per gratiam ſeruatur, ſiue illum qui induratus ſuapte ſponte ęternis tradendus eſt pœnis, Dei nomẽ immenſum, atq; unicè tremendum, in terris fateri neceſſe eſt. Sic Paraph. Vt ſciant te eſſe illum, cui ſoli nomen eſt rei reſpondens, altiſsimo domino, in omnia poteſtatem habenti per uniuerſam terram. In alio pſalmo ſic de ſe loquitur Vates: Pſallam nomini domini altiſsimi, etenim excelſus eſt ſuper omnes deos. Cui laus ſit atq; honos in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LXXXIIII. Vincenti ſuper torcular filiorum Choræ, pſalmus.

Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum.

Videtur in hoc pſalmo Vates eodem affici mœrore, quo in illo, cuius initium eſt: Quemadmodum deſiderat ceruus. Bellorũ quippe tumultu & periculo, maximè contra filium, impeditus, diuinis haud quaquam poterat intereſſe ceremonijs & feſtiuitatibus, quæ tum fortè contigiſſent. At uerò dies feD ſtos alios, ac ſacra tabernacula q; alia & ceremonias, quàm illæ erant quæ corporeis ornabantur ritibus ac pompis, animo pertractaſſe Vatem iudico, quando ad cœleſtium rerum cognitionem, quarum uetus illa religio umbra fuit atq; imago, aſcitus, exclamauit: Quàm dilecta tabernacula tua domine uirtutum. non ultrà primus protenditur uerſus Hebręis. Quàm amabilia, inquit, ſunt tua, ô potentiſsime, domicilia, quàm omnibus digna deſiderijs: proinde quammaximo afficior dolore, me neq; ad hæc, quæ hîc manufacta ſunt in terris, neq; ad illa multò magis, quæ tu in cœlis unà cum tuis æterna habitas manſione, poſſe ea, qua tua decet peragi, occurrere religione. Poſſum ea quidem ardenter, ut die noctuq; facio, deſiderare: ſed in ipſis meis mœſtiſsimum in modum perturbor, contabeſcoq; deſiderijs, uixq; apud me ſum. certè non diſsimulanter

Concupiſcit & deficit anima mea in atria domini.

Vide quàm ardenti prædita debet eſſe anima deſiderio, quæ cœleſtia appetit, ut præ deſiderio atq; amore deficere appareat. Id profectò diuinorum agunt appetentiæ ſi uehementes ſunt, ut animam penè extra corpus rapiant, tantoq; afficiant ardore rem illam quam deperit obtinendi, ut tota iam ſit in ea magis, quàm in ſe: hoc eſt enim, quod hîc geſtit dicere propheta. Alij, inquit Hieronymus, deſiderãt poſſeſsiones, alij ſeculi iſtius delicias, alij apparere in Eccleſijs, & gloriam habere apud homines: mihi autem hoc ſolum deſiderium eſt, uidere æterna tabernacula, illa ſcilicet, ubi congregatio eſt, non uitiorum, ſed uirtutum. De deſiderio Cardinalatus, ad quem nunc plerique ne ſemidocti quidem aſpirant, nulla à Hieronymo fit mentio, quoniam nondum ſuo tempore ordo is celebris inuentus erat. Ergo ea ſolummodo appetenda ſunt domicilia, hi amandi conuentus, in quibus ſuam habet ſedem ſpiritus uirtutũ omniũ, & gratiarũ erogator: non mundus rerũ alter illarũ, quę nos prorſus numini reddunt odioſos, quarũq; eæ duæ in primis cõſpicuæ magis ſunt, ac letales, diſcordia & ambitio: his enim feris è Chriſti uinea reiectis, quid nõ tutum? quid nõ Deo dignum? Idcirco ſubinfert Vates:

Cor

Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

A Id abſq; dubio inter nos qui queat dicere, inuenitur nemo, præter illum, qui in Deum totus eſt raptus. Etenim miraculo perſimile uideť eſſe, ſi cor, & caro, alioqui ſpiritui rebelles, in id conſentiant: ſed ea eſt amoris uis erga Deũ, & robur, ut cordis gaudium ab amore conceptũ in ipſa quoq; deſcendat membra, faciatq; penè ex duabus diſsimilibus naturis unum quoddam in terris cœleſte, planéq; beatum: & id quidem per Deum illum uiuum, qui uitarum omniũ autor eſt, ſed præcipuè animæ, cuius ille uita eſt, quemadmodum ſui ipſa corporis. Quocirca ipſe de ſe ſic ſuos alloquitur diſcipulos Dominus apud Ioannem: In mundo quidem preſſuram habebitis, in me pacem. En uita animæ, pax ſcilicet in Deo.

Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos ſuos: altaria tua domine virtutum, rex meus, & Deus meus.

Hucuſq; tertius huius pſalmi uerſus legitur ab Hebræis, quibus etiam non turtur, ſed hirundo potius eſt. Suam enim cauſam hiſce attenuat uocibus Propheta. Siquidem cùm hirundini aut paſſeri is naturaliter mos ſit, ut in hominũ domiciliis ſuos ſtruant nidos, labor tamen eorum ſæpenumero caſſus redditur, cùm ab incolis ædium deturbatur. Verùm non propterea cedunt auiculæ pertinaces, ſed ab una ejectæ parte, in alia nouũ incœptant nidi opus. Haud ſic mihi, inquit, contingit, qui tua à domo fugatus, ab altari quoq; tuo, à ſacris, à religionis pompa, ô domine exercituũ, rex meus & Deus meus, longè propellor. Volunt nonnulli reticentiã, ut in magnopere mœrentib. fit, hîc eſſe: ac ſi diceret, hirundo ne? paſſer ne ſibi pullisq; ſuis etiam iuxta altaria nidificare permittitur? quid ego? Heu ſortem meam omniũ miſerrimã. Altaria ipſa tua ne uidere quidem poſſum, cùm tamẽ te meum dominũ, & eum quidem potentiſsimũ, meumq; regem, & Deum tandem eſſe uoluerim. Quibuſdam uerò uiſum eſt, quòd facta de paſſere ac turture mentione, ſuis in extruendis nidis, in quibus tranquillè uiuant, ſedulis &
B operoſis, tranquillæ olim uitæ illi in mentem ueniſſe: proinde illud idem, quod in principio egit pſalmi, exclamaſſe: Quàm dilecta altaria tua domine, quàm tranquilla religio, quàm puri cœtus, ô domine uirtutum, rex meus, & Deus meus. Cæterùm hîc animus ab incorporeis rebus minimè auertendus eſt. Altaria quippe ad inuiſibilem illum cultum, qui in corde tranſigitur, referenda ſunt. Idcirco additum eſt:

Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te.

Ecce quomodo beatos illos appellat, qui ſuam cum Deo habentes manſionem, cuius fabricator amor eſt, perpetuam laudandi Deum adepti ſunt occaſionem. Nulla quidem felicitas cum hac comparãda. Quid ultrà expetere debet anima? Quid in hoc ſatis per ſe arduo & inquieto uitæ diuerſorio in primis illi eſſe debet, ſi ſui compos eſt, niſi ut illo in loco ſtatuatur, in quo ſumma ſit quies, pax, ocium, atq; extollendi Dei nomen, dilatandiq; illius cultum & religionẽ, neceſſaria quædam offeratur occaſio? Is eſt ſinus Eccleſiæ, in cuius complexu, cruento nimirum & ſpinoſo, extinctus eſt autor uitæ: ob cuius necem uera omnibus, quę fide uiuit, reſtituta eſt uita. Obſerua igitur quanta ineſt animæ felicitas, quę in Eccleſię gremio, quicquid occurrat, requieſcit. Cætera enim uana ſunt, & inquieta, ut in hæreticis uidere licet: aut in illis quoq;, qui cùm ueros ſe Abrahæ filios cultu neſcio quo teſtentur, nihil minus tamen, quàm fidem illam, qua nobis conciliatur pax animæ, referunt: ſed continuis agitantur bellorum diſcordijs, ac perpetuis ad tumulum uſq; odiorum œſtris. quod ſanè ut dignè perpendatur, timeaturq;, Selah huc attexitur. Itaq; non hi quidem beati, ſed

Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in ualle lachrymarum in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.

Quid ſibi uelint hi uerſus, non difficile admodum uidetur poſſe intelligi, ſi de

C uiro illo ſimpliciter dici affirmemus, qui cùm à Deo, ut par eſt, dependeat, uirtutum ſibi gradus, quæ ſunt aſcenſiones quædam in anima eò perueniendi, quò in ualle hac miſerię, loco nimirum quem ſibi ad lachrymas elegit, prudentiſsimè format. Verùm litera quæ eſt Hebræis, aliud innuere uidetur. Sic ferè omnes ex hebræo: Beatus homo, cuius fortitudo in te eſt, ſemitæ in corde eorum. hucuſq; eſt uerſus. Poſtea alium ordiunt: Tranſeuntes per uallem fletus, fontes ponent eam, atq; ita principium ſequentis uerſus è noſtro, huic aſſuit, ad hunc modum: Etiam benedictionibus induetur doctor. ſeu, ut ex illo quoq; fonte transferunt nonnulli, etiam ciſternas amiciet pluuia. Volunt ſtudium populi adeundæ domus Dei, & ſolicitudinem, quam per ſemitas cordis ſignificari opinantur, deſcribi: hinćq; puteos ad refocillandam multitudinem paſsim etiam in ipſa ualle lachrymarũ, & fletus, nempe loco ſiticuloſo atq; arenti, effodiendos, ciſternasq́, & piſcinas, in quibus pluuiales reciperentur aquæ, diligentiſsimè parandas: & ſic illum, qui illud edocuerit cõmodum, omni ex parte, ut inquit Paraphraſtes, diuinis muneribus, plebiſq; laudibus ornandum eſſe. Et qui tales ſunt, uirtutum adeò cumulum atq; incrementum accipient, ut apud Deum conſidere in Sion uidebunt. Vide quàm immenſis extollendus ſit laudibus, ſi quis alicuius publici inuentor eſt cõmodi, qui cum Deo uno ſedere loco appareat. Apparebit, inquit Felix, apud Deum in Sion. Verùm alio excutienda eſt ſenſu litera, alioquin obſcura & dubia. Illis igitur qui uallem hanc mundi, in qua nihil eſt quod fletum nõ moueat, tranſire parant, ſemitæ in corde ſunt: hoc eſt, diutius hîc cõmorari minimè expetunt, ſed obnixè ad anteriora, ut ait Paulus, ſeſe extendentes, de uirtute in uirtutem, de claritate in claritatẽ, tanq; à Dei ſpiritu proficiſcuntur. Et hi quidem uallem ipſam ſic arentem & mœſtam, ponent fontes eam: id eſt, eam totam ſimul in dulciſsimum conuertent aquarum fontem: nempe è crucis amaritudine ſuauitatem haurient ſpiritus. atq; rerum omnium iſtiuſmodi, ſanctæq; huius philoſophię do
D ctor eſt Chriſtus, qui multis donorum ornatus gratijs & benedictionibus, è cœlo tanq; gigas ualidiſsimè exiens, in ſuos quicquid gratiarum in ſe habuit, id totum ferè profudit, ita ut iucundiſsimũ ſit illos intueri de uirtute in uirtutem, de fide in fidem incedere. Atq; hoc ſanè modo tandem doctor ille eximius Ieſus apparebit apud Deum in Sion, hoc eſt, in fidelium conuentu, in tabernaculis, non peccatorum, ſed fidei, in quibus pax unà cum caſtimonia ſuum habet diuerſoriũ, cõmorabitur: fœdas interim impudicasq; ſuperborum hominum habitationes execrans, atq;, utpote in quibus omne ineſt malum, auerſans. Ac demum, ne ſuis aliquando non præſtò eſſe uideretur, ſic in Propheta Patrem alloquitur:

Domine Deus uirtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob.

Ex his quæ dicta ſunt, non tantum accenſus Vates, quantum dolore atq; amaritudine animi, ob duas quidem res affectus, hanc interpoſuit orationem, ſimul & Selah. Ob unam ſanè, quòd tandiu à Dei domo extorris eſſet: ob alteram uerò, quòd in ſpiritu præuiderat nullum fore, qui tam exactè, ut par eſt, diuinũ huiuſcemodi referret doctorem, quem benedictionibus onuſtum dixerat affuturũ. Id muneris illorum propriũ eſt, qui paſcendis ſponſæ adoleſcentulis præponuntur. Viderat, inquam, quàm longè à Chriſti ueſtigijs oberraturi eſſent quamplurimi, & ex his quoq; qui cùm paſtoris ac patris nomen ſibi arrogent, nihil tamen minus quàm patrem aut paſtorem præſtant: imò acerbiſsimis onerati maledictionibus, totam hanc uallem mœroris & luctus, turbidiſsimis opplent paludibus ciſterniſq; diſsipatis, ac grauius olentibus lacunis, quàm ſint cadauera inhumata, exundare faciunt. Quid autem ſit in illis, quod tam tetrum exhalet fœtorem, ſi interrogor, puto id eſſe ſuperbiam. Quid igitur mirandum ſi hîc clamat uiri iuſti anima? Domine Deus uirtutum, Deus potentiſsime, Deus miſericors, exaudi orationem meam. Auſcultа quid cor amarum intra ſe cogitet, & deſideret, ô Deus Iacob.

Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui. Se

A Se Chriſtum uocat Dauid, ob regiam unctionem: ad illum tamen reſpiciens Chriſtum, in quo nos patrem elegiſſe, dilexiſſeq; ante mundi conſtitutionem, aſſeuerat Paulus. In faciẽ. In, nõ eſt in hebræo: ſed ſimpliciter, reſpice faciem Chriſti tui: hoc eſt, faciem mœſtam, ac præ dolore demiſſam miſeratus intuere.

Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Is unus Hebræis uerſus eſt. Dictio, abiectus, quanquam huc optimè conueniat, aliam tamen in hebræo habet ſignificationem, nempe ad limen, ſeu ianuam ſedere. Sic quidam transferunt: Malo oſtiarius eſſe domus Dei mei, quàm uerſari in tabernaculis impiorum. Item Paraphraſtes: Optarem magis accubare ad limen domus Dei, quàm habitare in ſplendidis impietatis ædibus. Sunt porrò ex noſtris, Deũ ſcilicet ſpeciali religione colentes, qui hunc uerſum in ſecularium, ut uocant, hominũ execrationem, tanquã illorum habitatio, ſit habitatio peccatorum, iactitant. Sunt & ex illis, qui in nos hęc eadem: adeò mutuis nonnunquã nos inter nos dicteriis, impietatis arguimus. Peſsimum id eſt morſuum genus inter Chriſtianos. Ego enim, qui utranq; uitam expertus ſum, ſic mihi perſuadeo, nullam in terris impietatẽ tam execrabilem poſſe eſſe, quin per Chriſtum queat abluí, ad cuius pedes, limen ſcilicet adeundi patris, malo equidem mœſtus ſedere, quàm mundi plauſu per multa habitare ſecula in tabernaculis peccatorũ ubiuis commorantium.

Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus.

Illi uerò qui peccatores appellantur, crudelitatem, tyrannidem, iunctaq; cum perfidia, mendacia & dolos.

Gratiam & gloriam dabit dominus.

Illi contrà inexorabiles, damnũ, infamiam, contumeliam, exitium. Cæterùm,
B miſericordiam & ueritatem, in hebræo non eſt, ſed ut uertit Felix, Sol & ſcutum dominus Deus. Alius item ex eodem fonte: Lux & ſecuritas dominus Deus. Paraphraſtes rurſus: Eſt enim tanquam ſol & clypeus dominus Deus. Dignæ profectò iſtiuſmodi ſunt Deo denominationes, quippe qui Sol is ſit, qui uitę lucem emortuis per peccatum animis infundit: clypeus autem, quoniam tela illa ignita, ut ea appellat Paulus, tum dęmonum tum odioſorum hominum, à ſuis arceat. Atque eo ſanè modo,

Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.

Quæ ſit innocentia in hoc loco, Felix ex hebræo magis exprimit, ſic uertens: Qui ambulant in perfectione. Quę rurſum ſit iſtiuſmodi perfectio, ueriſsimè reddit Paraphraſtes: Qui ambulant, inquit, ſimpliciter. Nullum certè tam gratum poteſt eſſe Deo ſacrificium, quàm ſimplex deſponſata fidei annulo uitæ conuerſatio. Vbi ſancta eſt ſimplicitas, ibi Deus, ibi perfectio, ibi uitæ Chriſtianæ ſumma ac finis. Ex qua quidem ſpiritus aſſeueratione illud abſq; dubio concludi poteſt, eos prorſus homines à Deo, qui ſimpliciſsimæ naturę ſpiritus eſt, alienos eſſe, quos ſimulatores, ac duplices ſuis in rebus agendis eſſe cernimus. Etenim longè hi falluntur, qui arte, non ſpiritu, res Dei, uti ſunt animarum, tractandas eſſe opinantur. Senſus igitur elegantiſsimè à Paraphraſte redditur: Non poterit, inquit, nõ facere benignitatis ſuæ participes eos, qui ambulant ſimpliciter. Et quidem qui ambulat ſimpliciter, confidenter ambulat, ait Salomon. Contrà uerò, qui utitur mendacijs, hic paſcit uentos. At tandem, quò rei ſummam abſoluam,

Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.

Exclamatio eſt, ab animo in Deum ob illius magnitudinis conſiderationẽ rapto, exiens. Atqui ſi hîc, uirtutum, gratiarum cumulum intelligas, nõ falſus eris. Verùm Hebræis, exercituum eſt, quam dictionem noſter ferè interpres reddit, uirtutum: qua quidem uoce potentiam Dei infinitam intelligi uult Vates. Et eſt quaſi eorum, quæ dicta ſunt, epiphonema animæ, mortales omnes cupientis ad diuinæ religionis, quæ ſpei maximè innititur, cultum acciri. Ait itaq;: O quàm

C uerè felices hi ſunt, qui ſpem omnem ſuam in te, qui potentiſsimus omnium es, collocant. Quid illi poſtea, qui te neglecto, corporeis caducisq; nituntur rebus? Infeliciſsimi illi quidem omnium, atq; lachrymarum amne deflendi. Tibi autem laus ſit æterna, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LXXXV. Vincenti filiorum Choræ.

Benedixiſti domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob.

Opinantur nonnulli, odam hanc ſuauiſsimam à Vate compoſitã fuiſſe, quò poſteri, hi potiſsimum qui è Babylonica oppreſsione, in qua turpiſsimam ſeruierunt ſeruitutem, liberandi erant, quid Deo pro gratiarum actione cani poſſet, haberent. Doctiores tamen ex præcipuis hanc eſſe exiſtimant, quibus Chriſti charitas in homines, propter aſſumptam carnem in mundo, apertè oſtenditur. Etenim anteaquàm Dei filius Chriſtus Ieſus homo factus uitam hanc, excepto peccato, miſerandã & ęrumnoſam nobiſcum ageret, mirum quàm duris tenebamur uitiorum errorumq; catenis innodati. Nulla unquam fuit captiuitas, ne ipſa quidem famoſiſsima Aſſyriorum, cum illa comparanda, qua, tanquam fune colligati homines, ſub mortis, nempe peccati aculei, iugo & uetuſtate premebantur. Nulla tunc erat quies, nulla, quæ uera eſſet, conſolatio, nullum refrigerium, adeò cuncta inamœna erant, aſpera, dira, nubiloſa, atq; uti ſolent inculti agri, peccatorum dumis obſita, & ob ſpiritus inopiam planè emortua. En tandem è ſummo ad terras delabens cœlo, ſicut in uellus conſueſcit imber, placidiſsimo nimirum illapſu, Dei filius, hunc uitæ campum alioquí ſterilem fœcundiſsimis irrigauit aquis, conuertitq; ad ſeſe quicquid antea per peccatũ auerſum fuerat. O immenſum amoris argumentum. Ecce igitur, clamat Vates, terram illam ob Adæ lapſum maledictam, diriſq; deteſtatam, tuis ſanctiſsimis denuò exornans benedictionibus, inſtauras, inſeriſq;, ſi quid malis ab agricolis abraſum
D fuerat. Tuæ itaq; bonitati & clementiæ, non noſtro ſtudio, quod nullum erat, & merito, referri acceptum par eſt, quòd Benedixiſti domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. Aliàs diximus uerum Iſraël & Iacob pios homines eſſe, quorum terram, Eccleſiam, in qua unum tantummodo eſſe debet cor ac mens. Hæc eſt poſſeſsio Chriſti, idcirco ab ipſo dilecta, & culta. Vnde ex hebræo ſic uertunt quidam: Dilexiſti domine terram tuam: ſeu, ut reddit Campenſis, Reconciliatus es domine terræ tuæ. Iratus quippe erat Deus mundo ob infinita, quibus planè obruebatur, ſcelera. Verùm propriæ motus, qua uel amariſsima condulceſcunt, miſericordię ſuauitate, reiectis prius illis, qui ſuapte ſponte profligati fuerant, cæteris reconciliatus eſt. quocirca à ſpiritu infertur, Auertiſti captiuitatẽ Iacob: nempe electos, qui, quoniam Dei ſemen erat in eis, ad mortem peccare nõ poterant, à peccati lapſu aſſeruiſti. Siquidem

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum.

Ecce ſanctorum dignitas, quorum delicta perinde atq; ſi nunquã extitiſſent, obteguntur, Deiq; abſtergitur manu, ſi quid contractum fuerat fœditatis. Quare beati hi à ſpiritu nuncupantur, quorum remiſſę ſunt iniquitates, & tecta ſunt peccata. Quid felicius audiri poſſet, quàm ſi cui cœlitus dicatur, Remittuntur tibi peccata tua: quod æquè certum eſſe intelligo, ac ſi illum propriis conſcriptum in uitæ libro intuerer oculis. Ideo non iniuria additum eſt huic loco Selah.

Mitigaſti omnem iram tuam, auertiſti ab ira indignationis tuæ.

Dilucidius ex Hebręo, Continuiſti omnem iram tuam: ſeu, ut uult Paraphraſtes: Collegiſti omnem iram tuam, quæ ſparſa fuerat in nos. Continuiſti, ne in furorem erumperet, indignationem tuam. Tunc ſanè Deus ſuam omnem in ſeſe collegiſſe compreſsiſſeq; uiſus eſt iracundiam, cùm iniuriarum, quibus uel in ipſa ſtatim prima rerum molitione affectus fuit, immemor dixit: Non ultra percutiam omnem animam uiuentẽ, ſicut feci, Mittam enim quem miſſurus ſum, hoc eſt,

A eſt, meum delegabo filium, qui copioſiſsimis ornatus donis, homines adeò in aliam tranſmutet uiuendi rationem, ut pro iniurijs antiquis amorem mihi rependere condoceſiant. Tunc demum illum iram depoſuiſſe, nedum mitigaſſe, uidimus, cùm proiecto ferè tremendo iudicij ſceptro, obtectaq; maieſtate, ac, ut ſic dicam, uelato in ſe Deo nudus, atq; inſtar coloni, ut ait Hieremias, abſq; diuerſorio in terris apparuit Chriſtus, proq; enſe ac fuſte, crucem ſecum attulit. Deferbuit itaq; Dei ira in homine illo tenui & deſpecto, quem nihilominus poſtea in immenſum creuiſſe montem, in ſpiritu uidit Daniel. Verùm quid nobis emolumenti allatum fuit propter ſedatam iram in Deo? quid cõmodi, ſi denuò peccamus? ſi nouum in Deo excitamus furorem? Nos miſeros. Vnde tot etiamnum cædes? unde quorundam etiam illorum, qui religioni purius, quàm è uulgo cæteri ſeruire uideri uolunt, uitæ turpitudo? Vnde odia? Sunt ne hæc placatæ in Deo contra nos iræ indicia? Quid olim tranquillum ſedatumq; numinis animum irritauit? nónne impietas? nónne amentia? nónne in periculis incogitantia, ne dicam inconſiderata deſpicientia, atq; ultronea in interitum præcipitatio? Ob huiuſmodi quidem facinora, ſed leuiora forſan quàm nunc ſunt, clamauerunt patres noſtri ad te domine, clamauerunt, inquam, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Silebimus ne nos deterioribus oppreſsi malis? acrius afflicti? periculoſius à mundo, à carne, à tyrannis, ab ipſa demum uolubilitate fortunæ circumacti? Clamabimus certè, atq; inculcabimus & nos,

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis.

Illud luce ipſa clarius, nullum propè noſtrum eſſe ad aſſequenda cœleſtia niſum & ſtudium, niſi Deus in nobis ſuum infundat lumẽ, corq; alioqui ſtupidum atq; iners moueat, auerſumq; à iuſtitiæ ſemitis reuocet, atq; ad ſe cõuertat. Tunc ſanè uera animæ ad Deum fit conuerſio per gratiã, quam lumen eſſe animæ diffi-
B niunt. Cæterùm ſalutaris noſter, Hebræis eſt, ſalutis noſtræ, quare is ſenſus erit: Tu Deus, à quo quicquid ſalutis homo nanciſcitur, deriuatur, conuerte nos: aliter conuerti, ut decet, non poterimus. Conuerte nos, inquã, atq; iram illam tuam nobis debitam, tuo à figmento remoue.

Nunquid in æternum iraſcêris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Num perpetuò, inquit, tua in nos deſæuiet iracundia? num æternus erit furor? nunquid tuam protrahes è progenie in progeniem ultionem? Peſsimè profectò res ſe haberent noſtræ, ſi noſtri nos in ſordibus arbitrij à te proiectos marceſcere ſineres.

Deus tu conuerſus uiuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

Cum interrogatione hunc legunt uerſum Hebræi, quò ſuperiori quoq; conueniat interrogationi. Dixerat enim: Nunquid in æternum iraſcêris nobis? Statim poſtea ſubiunxit, ut uertit Felix: Nónne tu conuertêris? uiuificabis nos? & populus tuus lætabitur in te? Alius uerò: Nónne redibis potius, ac reſtitues nos, ut populus tuus lætetur in te? En quomodo è diuina ad nos conuerſione, uita homini, quę ex fide eſt, conciliatur. Viuificabis nos, inquit, tu, non homo, nõ uoluntas humana, non arbitrium, nõ ipſa capax diuinitatis mens. Hincq; plebs tua ſancta, nempe ad te per te conuerſa, in te ſolo, non in ſuis meritis, ut ſolent hypocritæ, ſolido perfundentur animi gaudio. Quàm uerum illud eſt, atq; in limine ædium ſuperborum ſeſquipedalibus, quo magis conſpicuum ſit, inſcribendum literis: Qui gloriatur, in domino glorietur. Quare,

Oſtende nobis domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

Iam hîc Vates rei illius, à qua mortalium conuerſio exoritur, duriſq; inſinuatur mentibus uita, ac noua bene uiuendi inducitur forma, mentionem facit. Ea quidem è patris corde manans, miſericordia appellatur: quanquã inter cætera, quæ ſecum attulit filius Dei in mundum ueniens, in crucis uexillo impreſſam eſſe uoluit. Hîcitaq; Dei rogans ſibi oſtendi miſericordiam Vates, Chriſtum iam

C tandem in terris apparere rogitat. Idcirco ſtatim intulit: Et ſalutare tuum da nobis. hoc eſt, ſalutem tuam nobis, quæ tota in tui unigeniti uoluntate ac præſentia eſt poſita, impartire. Interim uerò,

Audiam quid loquatur in me dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor.

Is unus uerſus eſt in hebræo, in quo ego quidem (ni falſus ſum) totius ſalutis noſtræ ſummam uidere mihi uideor: quæ in eo potiſsimũ ſita eſt, ut diuinis credamus pollicitationibus, unde ſolida diſsipatarũ mentium formatur pax & quies, ex qua ſanctitas. Et hæc omnia quidem per Chriſtum, qui fidei noſtræ autor eſt, & merces. Audiam itaq́, hoc eſt, illis omnibus quæ pollicitus eſt Deus (in me, non eſt in hebræo) firmam adhibebo fidem: quoniam pacem tranquillumq́ animorum ſtatum de plebe ea ſua, quæ ſe illi gladio amoris iugulauit, loquetur: loquetur, inquam, ſuper ſanctos ſuos, eos nimirum, qui per illius uerbum haudquaquam indurantur, & ſordeſcunt magis, ut ſolent impĩ: ſed ſanctificantur, atq́ ad cor reuerſi, in Deum curis cęteris omiſsis feruntur. Obſerua Euangelicę prædicationis uirtutem. Immenſa quidem in illa, ac planè incomprehenſibilia promittuntur: tu tantummodo audi, crede, pręſtolare, & ſat eſt. Quòd certè per Dei uerbum ſanctificari contingat animas, cui ignotũ iam id eſt? Pater, inquit Chriſtus, ſanctifica eos, nempe qui conuertũtur ad cor, in ueritate. Sermo tuus ueritas eſt. O legem ad obtinendum Dei fauorem compendiariam & unicam. Etenim extra beatiſsimæ huiuſce legis inductionem cæcutimus omnino, atq́ in bonorum delectu hallucinamur: in ipſius quidem gremio poſitus eſt Chriſtus, qui lux mundi eſt ac uita. Vnde igitur tenebræ? unde mors? à luce? à uita? Erramus ſi id credimus, neq́ adhuc quid loquatur dominus Deus audimus.

Veruntamen prope timentes eum ſalutare ipſius, ut inhabitet gloria in terra noſtra.

D Sic Felix: Vtiq́ prope eſt his, qui timent eum, ſalus eius. Hæc, ni fallor, in eos dicta puto, qui cùm ſe Dei cultores, exteriori cultu teſtatũ eſſe cupiant, nihil minus tamen agunt, quàm ut uerè id ſint, quod uulgò oſtentant. Nam cùm Dei religio in eius maximè poſita ſit timore, ac iuncta cum trepidatione reuerentia illa, quæ ab amore proficiſcitur, hi ſuo ſolummodo contenti uitæ fuco atq́ impoſtura, ſceleſtiorem nonnunquã habent animum, quàm illi, qui palàm peccant. Vt cunq́, inquit, uera Dei religio apud complures eſſe uideatur, attamen in his ſolùm illam habitare certum eſt, qui Deum ſyncera colunt pietate, uerenturq́ ut patrem. quapropter Dei filius, qui ſolus gloria noſtra eſt, ac uita, & in quo Deus habitat pleniſsimè, inter nos homines diuerſatur. Numinis quippe præſentiam appellat Vates gloriã, uti uerè eſt: imò ſola ea eſt, in qua nos gloriari iubemur. Sunt qui, in terra noſtra, in Chriſto noſtræ mortalitatis participe interpretantur, in quo pater ſit, quemadmodũ ipſe in patre, ac nos in illo. Quæ maior gloria hac eſſe poteſt? Verùm non me clàm eſt, Dei præſentiam, nempe conditarũ rerum gloriam, ubiuis gentium uiderimus, apud nos diuerſari. Ibi dignitas, ibi ſanctiſsimus uitę odor, ibi pax, ibi iuſtitia, ibi, quantumuis occultè in antris latitemus, & miſericordia, & ueritas: quę omnia maiorem animę conciliant gloriam, quàm ſi multimodis ornatus ſis uirtutibus & ſcientijs, addo & magiſtratibus, abſque Dei timore. Quocirca additur à ſpiritu,

Miſericordia & ueritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.

Impoſsibile quippe uidetur, ibi uirtutum omnium cumulum deeſſe, ubi liberter habitat Chriſtus, quo in mundo corporeæ molis uelo, tanquã Sole tenui nube obducto, apparenteq́, miſericordia & ueritas obuiæ uiciſsim factæ ſunt. Siquidem ſecum ille ueniens conduxit miſericordiam, qua quæcunq́ olim promiſerat ueriſsimè præſtaret. Atq́ eo ſanè modo iuſtitia quæ ex fide eſt, paxq́ conſcientiarum, mutuis ſeſe amplexibus exoſculantes, indiſſolubili conglutinatæ ſunt nodo. Pax quidem animi, iuſtitiæ fidei indiuidua tum comes facta eſt. En quadriga, in qua è cœlis euectus eſt Chriſtus. En quàm arctè connexæ ſunt, eo aduentante,

A aduentante, inter ſeſe neceſsitudine uirtutes: quibus prius ad inuicem diſſociatis ne illorum quidem nomen integrum audiebatur. Ad hæc,

Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit.

Vide ô tu qui ueritatem Dei, ut inquit Paulus, in iniuſtitia detines, quomodo te omiſſo, ueritas, nempe uera, non ficta, ut tua eſt ſanctitas, è terra, hoc eſt, à peccatore terrenis cupiditatibus immerſo, egerminauerit. quin ipſa quoq; quæ in Deo eſt iuſtitia, quaq; gratis iuſtificamur, è cœlo abundantiſsimè effluxit. ita uerbum, proſpexit, interpretantur. quanquam nil uetat, quin de benigniſsimo Dei intuitu in peccatores intelligamus. Etenim ipſo nos placatis intuente è cœlis oculis, bona omnia, quæ hîc iuſtitiæ nomine nuncupantur, accumulatiſsimè nobis proueniunt. Volunt præterea pij quidam expoſitores, de ſanctiſsimo hîc dici Mariæ partu, è qua homine, uti ſolet è terra flos & germen, immaculatus prodijt Chriſtus homo. Vnde iuſtitia, ut inquit Auguſtinus, qua iuſtificarentur homines, è cœlo prodijſſe uiſa eſt. Siquidem per Chriſtum noſtra omnis è ſinu patris allata eſt purificatio.

Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Ecce quomodo à diuino benignitatis fonte, terra hæc noſtra cordis, alioqui per ſe infœcunda, dat fructum ſpiritus, reſpondetq; gratiæ, quæ è cœlo tanquam ros purus, ſeu imber, lapſu in ſatis gratiſsimo, in agello animæ continuè depluit. Nulli dubium, quòd nemo poteſt accipere quicquam, niſi ei datum fuerit è cœlo. Quemadmodum igitur terra, quam uomere grauiq; raſtro ſubigimus, non fœcundatur, niſi Solis & pluuiæ adiuta beneficio, ac temperata: ita & cor hominis abſq; Dei benignitate & clementia, fit ſterile & infœcundum. Nam (quicquid de ſe ſuisq; uiribus philoſophentur homines)

Iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.

B Iuſtitia, inquit, Dei, hoc eſt, gratiarum immenſitas, ante illum, quò nulla ei deſit bonorum copia, ne' ue is erret, qui Deum timet, tanquam dux ſolers, ac fidus comes præcedet, atq; illius firmabit in uia pacis ueſtigia. Penè homo quamlibet gratiarum ſit diues copia, in iuſtitiæ ſemitis puer eſt, nempe debilis, atq; ad firmandos greſſus incertus ac titubans, niſi Deus, ueluti nutrix, aut mater anxia, ad lapſum q; pueri ſuſpicioſa, illius pedes moueat, pedetentimq; ad uiriles aſſuefaciat paſſus. Itaq; iuſtitia illum, qui Deo charus eſt, præcedet, figetq; illius pedes in uia, qua ad amœnam Dei habitationẽ iter eſt. Et eſt hîc annotanda metonymia. Dicere enim uoluit, iuſtiſsimum quenq; coram Deo ingreſſurum, feliciterq; pedes in Dei itinere poſiturum, cùm dixit per tranſmutationem, Iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in uia greſſus ſuos, nempe in uia iuſtitiæ, pacisq; ac fidei itinere. Quæ omnia diuinæ beneficentiæ dona ſunt, atq; iter, quo ad Deum felicisſimè tranſitur. Cui gloria ſit in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LXXXVI. Oratio Dauid.

INclina domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego.

Oda hæc feruidæ mentis affectum, cùm omnium, qui abiectis humanis curis atq; occupationibus, in Deum feruntur, oſtendit, tum uel maximè Dei filij, qui unus Deus cum patre, ut inquit Anguſtinus, unus homo cum hominibus, orat in forma ſerui, qui oratur à nobis in forma Dei: orat pro nobis ut ſacerdos noſter, orat in nobis ut caput noſtrum, oratur à nobis ut Deus noſter. Hactenus uir ſanctus. Atqui hîc uides quomodo diuina quadam immutatione, ac Dei in hominem, hominis item in Deum tranſitu, idem penè factus ſit Deus & homo, creator & creatura, mors (ut ſic dicam per exceſſum) & uita. Atq; hæc omnia quidem per Chriſtum, quem dedit pater (ut inquit Apoſtolus) caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpleť. Quocirca idem pro nobis innocentiſsimus orat, qui &

C innocentiſsimus pro nobis crucem, unde omnis orta eſt piorum innocentia, atq; in Deum translatio, pertulit. Orat hîc igitur pro impuriſsimo purus, pro inquinatiſsimo ſanctus, pro facinoroſo, cœleſtiumq; diuitiarum egentiſsimo, ipſe intor, clamatq;: Inclina domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego. Vidiſti'ne unquam, mi lector, excellentiſsimum quempiam oratorem ingenti ærumnoſæ multitudinis agmine comitatum, uniuerſalem pro ſua re publica cauſam agere coram rege, aut magiſtratu? Se quidem unum ex illorum numero, qui miſeri ſunt, effingens, perinde aliorũ exponit calamitates, ac ſi ſuæ eſſent omnino, ſimulq; cum cæteris mulctandus foret. Non ſecus quidem ſuis in purificandis tutandisq; amicis, agit miſericors Ieſus, pro quibus ſanè, ut in hoc pſalmo uidere eſt, ſe pauperem atq; inopem, hoc eſt, re omni humana prorſus denudatum queritur. Aít enim: Tu ô altiſsime, aurem tuam mihi, cauſam meam tenuè, uoceq; gracili, inſuſurranti potius quàm exponenti, quò me clarius intelligas, inclina, & me tandem exaudi: quoniã flebilem in modum afflictus, ope omni humana deſtitutus ſum.

Cuſtodi animam meam quoniam ſanctus ſum, ſaluum fac ſeruum Deus meus ſperantem in te.

Duas enim huc affert rationes, quamobrem exaudiri debeat uir ſanctus: cæteras poſtea. alteram quidem, qua ſe bonitatis ueræq; religionis ſtudioſum: alteram, qua ſe Dei ſeruum eſſe fatetur. Quæ duæ in homine afflicto partes cõmiſerationem, uel ipſis quidem hoſtibus mouere poſſent, nedum dominis naturaliter in frugi ſeruos beneuolis. Porrò ſanctitas in hoc loco, ut in pleriſq; aliis ſcripturæ locis, pro ſanctitatis ſtudio & cura ſumi debet. Vnde Paraphraſtes: Sit tibi curæ, inquit, anima mea, quia candido ſum erga te animo. Neceſſe quidem eſt eum ipſum, qui ſe ante Deum aliquid rogaturus ſiſtit, purum omnino eſſe, ac ſanctitatis appetentiſsimũ: alioquin impuro animo, atq; in diuino obſequio inerti,
D uix aliquando ſuum impartitur lumen iuſtitiæ ſol. Verùm ſi Chriſtum ſpectes, ſe ſanctiſsimum, imò ſanctitatis diſtributorem, parum dico, ipſiſsimam ſanctimoniam ſe rectè appellare poterit. Vide igitur quid dicat: Serua, inquit, mi Deus animam meam, quoniã nihil mihi antiquius eſt, quàm ut innocens ſim, ac ſanctus: quoniam inſuper ſeruus tuus ego ſum, & is quidem, qui non aliunde mihi uindico fauorem, præterquàm abs te, mei curam habe. Quo alio niti debeo patrono? Te unicè diligo, te efflagito, tibi ſupplico. Idcirco

Miſerere mei domine, quoniam ad te clamaui tota die.

Lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te domine leuaui animam meam.

Saxeus prorſus is eſſet iudex, qui huiuſcemodi nõ flecteretur pĩj pectoris precationibus. Duas rurſus alias adducit rationes, cur flecti debeat æternus pater. Miſereat te, inquit, mei domine, quoniam ab omni horrens animi torpore, tuum aſsiduè imploro ſubſidium. Ad hæc: Exhilara, te obſecro, afflictam hanc animulam ſerui tui, quoniam ad te, quamuis in ſublimi habitantem, uotis affectuq; animi flagrantiſsimo pertingere elaboro.

Quoniam tu domine ſuauis & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te.

Iam patris animum in homines ob ſcelera cõmotum, ab eius laude placare intendit, non fictè id quidem, & adulatoriè. O mores, ô ætatem pluſquàm æream. Quid non adulationis præ ſe ferunt orationes mihi nuper, dum hæc cõmentor, ad legendum oblatæ? Stomachor, cùm in illorum memoriam uenio, in autorém ne, quiſquis is tandem fuerit, an in quorundam magis leuitatem, non dico, quibus uel falſo, in ipſis uel uſque ad nauſeam laudatis, iſtiuſmodi ab antiqua maiorum ſeueritate penitus degenerantia, chara ſunt & grata. Quò, malùm, tanta tam grauis conſeſſus deuenit dignitas? Sed ad rem noſtram. Suauis & mitis dictiones, quamuis in Deo optimè conuenire uideantur, Hebræis tamen ſunt bonus & propitius, ſeu ut legit Fel. bonus & propitiabilis. ut ſit ſenſus: Quoniam natura bonus es, hoc eſt, ad elargienda munera facilis & liberalis, atque ad peccata

A cata condonanda flexibilis, ſupraq; expectationem omnem omnium miſericors erga illos, qui tuum implorant auxilium,

Auribus percipe domine orationem meam, & intende voci deprecationis meæ.

Inculcat hæc anima, cui mora omnis in Deo longa uidetur. Horrendum profectò id eſſe iudico, mala quotidie increbreſcere, augeriq; ærumnas: tardum uerò, ſeu nullum omnino extare ſubſidium. Id maximum ſanè eſt opus fidei, intoleranda propter Chriſtum toleranter, imò uerò gratanter ferre. Vide igitur orationis ardorem atq; exuberantiam. Auribus, inquit, percipe orationem meam. Sufficere ſanè poterat dixiſſe, Audi. Aliam rurſum addit exaggerationem: Intende uoci deprecationis meæ. Cur non ſolummodo, intende deprecationi meæ, & non attexere, uoci? Hæc ſunt, ut dixi, maximè anxij animi indicia. Sed iam ad effectum fidei exprimendum deſcendamus.

In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudiſti me.

Haud immemor, ait, præteritæ tuæ in me beneficentiæ, uel tum quidem, cùm pœnas potius quàm beneficium demererer, iterum uarijs in anguſtijs conſtitutus clamare, tuumq; implorare auxilium audebo, ſperans fore, ut quod è re mea eſſe iudicaueris, abundanter præſtes. Certè

Non eſt ſimilis tui in dijs domine, & non eſt ſecundum opera tua.

Neque dij gentium mortui, & manufacti, neq; ipſi quoq;, in quibus plerunq; confidit uulgus, potentiſsimi homines, neq; angeli demum, eadem qua tu, pollent fortitudine ac potentia. Non queunt hi omnes uitam dare, ut tu: non iuſtum quenquam facere, ut tu: non ditare uirtutibus, ut tu. Quis ergo tecum conferendus? Nemo omnino eſt qui tua imitari queat opera, adeò longo à te, quicquid conditum eſt, diſsidet interſtitio. Et quidem, ut alia omittã, tuo excitatæ ſpiritu,

Omnes gentes, quaſcunq; feciſti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt
B *nomen tuum.*

Apertiſsimè hîc Vates gentium uocationem prædicit, quæ ſanè inter admiranda Dei facinora maxima omnium ſemper uiſa eſt. Quis id unquam credidiſſet? quis, niſi Dei ſpiritus ductu, cogitationibus unquam aſſequi potuiſſet, filijs ab hæreditate excluſis, facinoroſos quoſq;, & hos quidem acerrimos Dei hoſtes, introductos, aſcitoſq; ad ea percipienda bona, quæ nunquam aut optaſſent, aut optare auſi fuiſſent? Sunt ne iſta minimæ poteſtatis indicia, an maximæ? an infinitæ? an captum omnem cùm hominum, tum angelorum exuperantis? Omnes itaq; gentes ubiq; per orbem diſperſæ, quarumq; autor tu es, ſupplices ad te uenient, humiq; proſtratæ, tui ſanctiſsimi nominis maieſtatem concelebrabunt, atque ad cœlum uſq; laudibus extollent. O immenſurabilem certè Dei magnitudinem. Dicam, inquit, Aquiloni, da: & Auſtro, noli prohibere. Affer filios meos delonginquo, & filias meas ab extremis terræ. Non id quidem mirum, neq; ſi te intueor, ualde magnum:

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus.

Cæteri uerò umbratiles & imaginarij. Quare, ô tu qui potes,

Deduc me domine in via tua, & ingrediar in veritate tua.

Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.

Lucidius Felix ex hebræo: Doce me domine uiam tuam, ambulabo in ueritate tua: unias cor meũ, ut timeat nomen tuum. Paraphraſtes rurſum: Doce me domine uiam, qua itur ad te, ut ambulem confidenter per eam. Verbum porrò, lætetur, Hebræis eſt, aut uni, aut excita, aut coge. De lætitia uerò apud eos nulla fit mentio, quanquã ſuo & ipſa ornata eſt decore. Siue enim à diuino exciteris ſpiritu, ſiue tuum alioqui diſsipatum cor uniatur, ſiue etiam placidiſsimo traharis afflatu, ſemper tibi lætandum erit. Nullum quippe poteſt cum illo comparari animæ gaudium, cùm ſe ſentit à Deo pungi, excitariq; ad intermiſſum iuſtitiæ ſtudium, atq; Deo uniri. Confidenter, inquit, tutoq; per iuſtitiæ ac ueritatis ſemi-

C tas, in quibus ſyncerè omnia fieri par eſt, ambulabo, ſi tu direxeris, ſi docueris, ſi excitaueris, ſi cor diſtractum uniueris. Iſtuc certè in terris feliciſsimum eſt uitę genus, ſic à Deo hominem inſtrui, ut nihil à uero fidei itinere deflectens, unitũ ſemper habeat cor in Deo. Nam difficile omnino eſt animum in huius mundi curis immerſum, uoluptatibuſq; carnis affixum, poſſe in Deum, in quo tota ineſt perturbationum quies, transferri, atq; in eo lætari. Sunt qui ſic, Ingrediar in ueritate tua, interpretantur: Non dubito quo minus mihi fidus itineris comes futuris ſis: id enim promiſiſti: tua igitur confiſus fide ingrediar. Verùm uide quàm prudentiſsimè è ſolida grauiq; cordis lætitia, oriri faciat timorem erga Deum Vates. Lætetur, inquit, cor meum, ut timeat nomen tuum. Obſtupeſcunt hîc opinor mundi ſapientes, cùm audiunt è lętitia metum naſci. Hi quidem, quid ſibi uelint duæ illæ molæ in lege domini, ſuperior & inferior, ignorant penitus. Fac igitur, mi Deus, ut uniatur cor meum in te, ne huc illuc propter tentationum acerbitatem diſtractum in fide uacillet: hoc ſanè impetrato, in te gaudebo, te metuam, de te cantabo, &

Confitebor tibi domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

En ſancti cordis unio cum Deo. En gratæ animæ promiſsio, ac uotum: cui nihil prius eſt, quàm ut Dei nomen ſanctificetur, colaturq; ab omnibus paſsim, ubi cunq; degant, nationibus. Vis enim ea eſt pietatis, ut tantũ de alieno unuſquiſq; gaudeat bono, quantum de proprio. Etenim cùm uno uiuant corde, atq; animo electi, unum eos uelle, unum expetere, unum prorſus diligere, atq; eodem perfundi gaudio neceſſe erit. Quocirca cùm uideris hominum cœtum in uaria ſcindi conſilia, uariaq; appetere & amare, ibi per me fateri licebit, nullam eſſe pacem & unionem, ideoq; neq; Deum, neq; boni cuiuſpiã ueſtigiũ. Obſerua itaq; quid hîc credentium multitudo, cuius unum tantummodo factum ſit cor, de ſe æquè, ac ſi unus duntaxat eſſet homo, aſſerat. In toto, inquit, corde meo, nõ diſsipato, in
D uarias q; ſciſſo, uti ſolent hypocritæ, perſuaſiones, & qui immenſis cupiditatibus obnoxij ſunt, te celebrabo, nomenq; tuum perpetuò, cùm uerbo, tum uita ac moribus, magnificabo, efferamq;, etiam inuito mundi ſupercilio, ad cœlos uſq; intrepidus. Vellem profectò ex hac ſanctæ animæ pollicitatione ac uoto, condoce fierent hi, qui in templis ſe Deo laudes canere arbitrantur. Qui interdum, bone Ieſu, tumultus: quæ inter pſallendum commiſcentur turbæ: qui ſtrepitus uagæq; animæ dilacerationes: quæ odia: quę ſimultates ſacris, tanquam diuinum Selah, interſeruntur pſalmis? Glorificabo, inquit, nomen tuum, non proprium, non amicorum, non affinium, & id quidem quoad uixero:

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

Infernus hic inferior (ne aut de limbo patrum, aut ſubterraneis inferorum tenebris modò philoſophemur) pro extremis periculis, in quæ nonnunquã conijcitur anima, ſumi debet. Vnde Paraphraſtes: Quoties, inquit, uerſabar in periculis, etiam ſummis, tu me eripuiſti, & animã meam ueluti ab inferis ad ſuperos reuocaſti. Idem fermè eſt, quod alio in loco de ſe aſſerit Vates: Domine, inquit, eduxiſti ab inferno animam meam. Quòd autem infernum inferiorem appellet, proſopopœia eſt, mirè admodum rei efficaciam exprimens. Cæterùm miſericordiam magnam in Deo uocat, ob magna hominum ſcelera, quæ adeò in immenſum creuerant, ut penè diuinam ſuperaſſe clementiam uiderentur. ait itaq;: Miſericordiæ tuæ erga hominum genus immenſæ non parua quidem extant indicia. Quoties enim ego (ut pro omnibus ſemel dicam) extrema in pericula coniectus eſſem, tu me, tanquam ab inferis ad uitam reſtitutum, in ſecura collocaſti fidei ſede. Et ut quidem multa, quæ infernum pluſquàm inferiorem præ ſe ferunt, omittam, illud moleſtiſsimum omnium non tacebo, quòd

Iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.

Aptius latina uſus eſſet locutione latinus interpres, ſi cœtum, aut concilium, aut

A aut turbam quoq;,ut reddit Paraphraſtes,uertiſſet,non ſynagogam.Ad hæc, ini qui dictio, Hebræis maiorem habet energiam,quàm ſi ſimpliciter legas, iniqui. Superbi, uertit Felix. Alius, uiolenti. & eſt ſenſus: Violenti quidem homines, quiq; nullo rationis utuntur fræno,ut ferè eſt uulgus,in me conſpiraverunt. Sed id parum forſan uideri poſſet,niſi & ipſi quoq; multitudinis primates,ipſi princi pes,ipſi paſtores,meam mihi adimere uitam, aut ſaltem traducere, nulla habita tui ratione,moliti eſſent.Heu inſaniam:non propoſuerunt,inquit,Deum in con ſpectu ſuo, ſed mundum. Id extremæ profligatæq; dementiæ ſignum eſt, omni abiecto Dei timore, impudentiſsimè peccare. Quòd certè aliquando uiolento rum hominum turba,uirum quempiam bene moratũ, odio, ſiciſq;, ueneno, aut maledictis inceſſat,non eſt adeò incredibile,quin credi poſsit: at ab ipſis prima riis hominibus,à magiſtratibus,ab ipſis denicq; multitudinis patribus, è quorum uita,tanquam à uirtutum omnium archiuo,ſuam cæteri ſumere debent uiuendi normam,ſæuitiam atq; odium prodire cernere,quis,niſi ipſemet ipſorum exper iretur immanitatem, unquam crederet? Sic ſanè male habitus fuit Chriſtus in terris,non ſolùm à uulgo naturaliter nouarum rerum cupido,uerumetiam ab ip ſis ſynagogæ dynaſtis,à pontificibus,à ſcribis,à ſacerdotibus. Vide igitur perfe ctam crucis imaginem, ô tu, qui Chriſtum imitari cogitas. Hi nempe qui tales ſunt,ut dixi,duri,crudelesq; appellari debent,

Et tu domine Deus miſerator,& miſericors,patiens,& multæ miſericordiæ,& verax.

Piæ quidem uocis memoria delectatus interpres, ter miſericordiæ, cùm non opus eſſet,uſus eſt dictione.Siquidem Hebræorum interpretes ferè omnes,una tantummodo contenti miſericordiæ uoce,ſic totum transferunt uerſum: Tu do mine pronus es ad miſericordiam,propenſus in beneuolentiam,tardus ad iram, bonitate & fide effluens. Ad fidem, inquit Campenſis, propenſiſsimus es. Da mihi igitur Chriſtianũ ita, ut hîc illum deſiderat ſpiritus, affectũ, ſed cumprimis

B principem ac præſulem,nihil illi ad Chriſtianæ uitæ perfectionem deeſſe dicam, iuraboq; Deum illum eſſe,nõ hominem.Secus uerò, neq; illi dominij ſceptrum, neq; huic animarum tutelam rectè traditam aſſeuerabo.At ſuis hi, poſtquam ſic uolunt,agitentur animi permotionibus ac turbis:tu domine

Reſpice in me,& miſerere mei, da imperium tuum puero tuo,& ſaluum fac filium ancillæ tuæ.

Neq; Græci neq; Hebræi codices habent,imperium,ſed aut robur,aut fortitu dinem.Cæterùm dicens filium ancillæ,auget ſeruitutis conditionem, quæ in uer na deſpectior eſſe ſolet,quàm in ſimpliciter ſeruo.Senſus itaq; erit: Tu qui auer ſus à me,tanquam iratus dominus,longè aberas,redi placatus, ſedatoq; me reſpi ce animo, ac uires ſuppeditans ſerua me, non tam ſeruum tuum, quàm uernam deſpectum & miſerũ,nempe filium ancillæ tuæ, non liberæ.Hîc mihi quoq; hoc modo orare fas ſit: Te Deum hîc meum inuoco, beneuolo me intuere aſpectu & iucundo,& ad me,qui procul ob peccatorum meorum fœditatem offenſus abie ras,redi.Da puero tuo animum,da uires,da ſuij pſius imperium, da robur, da tui fauoris,in quo omnis ineſt gratiarum uis & potentia,magnitudinem,ac ſerua fi lium ancillæ tuæ,matris noſtræ Sion,quæ eſt credentium Eccleſia,& quæ tibi li beram ſeruit ſeruitutem.Non deſunt qui hæc ad Chriſtum referentes,mundiſsi mum beatæ Virginis partum à Vate præuiſum fuiſſe arbitrant, quę,multis prius ultro citroq; habitis cum Angelo uerbis,ſe ancillã tandem domini teſtabatur,di cens: Ecce ancilla domini. Sanctiſsima planè hæc eſt opinio, Vatisq; ſpiritu di gniſsima:atq; adeò magis id quod ſtatim intulit,

Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me & confundantur,quoniam tu domi ne adiuuiſti me,& conſolatus es me.

Tota quippe uita Chriſti, conceptus, natiuitas, conſuetudo, doctrina, crux, tandem & mors, mirabile fuerunt Dei beneuolentiæ ſignum, non illud quidem cui contradicturi erant Iudæi, ſed in bonum, ſed cui par fuerat, tanquam bono rum omnium ſcopo,adhęreſcere homines. Atqui ſignum olim Cain ſceleratiſsi-

C mo datum fuit in malum, hoc eſt, ut Dei indignationis atq; iræ, in illo indicium foret: contrà uerò Seruatori noſtro in bonũ, quò diuinæ beneuolentiæ atq; amoris erga homines admonerentur hi, quos ſignauit Deus, ut inquit Paulus: Et dedit pignus ſpiritus in cordibus eorum: cæteri autem contabeſcerent, uidentesq; obſtupeſcerent. Ecce hic poſitus eſt, inquit ſenex ille ſanctiſsimus, in multorum ruinam, & in reſurrectionem multorum, & in ſignum, cui contradicetur. Aitigitur: Mi pater, ſignum aliquod tuæ erga me æde beneuolentiæ, quod hoſtes mei uidentes pudore afficiantur, dicantq; uicti, te meum ſemper eſſe conſolatorem. Eſt'ne, mi lector, mediocris ea Dei amoris erga nos ſignificatio, cùm ab improbis mille una die laceſsiti iniurijs, perſtamus intrepidi, nihilq; minus in hoc mundo ueremur, quàm ob ſceleratorum hominum impudentiã & linguas, à pace animi, quam per Dei benignitatem adepti ſumus, deturbari? Certè uerius illud eſt, quàm quòd multis illuſtrari debeat, quòd qui Deo adhæret, unus ſpiritus cum illo efficitur. Cui laus ſit perennis in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. LXXXVII. Filiorum Choræ, Pſalmus Cantici.

Fundamenta eius in montibus ſanctis.

Oda hæc ſanequàm parua, ſed non minus obſcura, quàm mirabilis, maximam præbuit occaſionem expoſitoribus dicendi, & de his quoq;, quæ tametſi pia eſſe uidentur, nonnihil tamen à Vatis mente abeſſe deprehenduntur. Solidos certè deamat ſenſus ſua in doctrina ſpiritus, non nutantes, non cum Iudæorũ riſu indoctos & frigidos. Videtur hîc mihi Vates illorum morem ſeruare uoluiſſe, quibus, cùm præclariſsimi alioqui ſint poëtæ, nonnunquã ſtricto argutoq; poëmatis genere, ut ſunt Epigrammata, luſiſſe libuit. Pſalmum Cantici appellabant antiqui cantionem illam, quæ inſtrumento incœpta eſſet muſi-
D co, ſed uoce actutùm humana, ſecundo quoq; loco, intercepta. Quem quidem morem etiamnum ſeruare templorum choros cernimus, tum aliàs, tum cùm ad beatę Virginis canticum in ueſpertinis laudibus peruentum eſt. Mirabili plenus is eſt ecſtaſi pſalmus: quare à ſenſibus, ut ſic dicam, mihi exeundũ eſt, ſi ad ea quæ in illo obteguntur myſteria, mente ſaltem, ſimulac calamo nequeo, attingere cupio. Semel Dauid uenturæ felicitatis in Chriſto atq; eius Eccleſia magnitudinẽ cogitans ſimul & admirans, uictusq; rei immenſitate in hæc de improuiſo prorupit uerba: Fundamenta eius in montibus ſanctis. Vide ad quæ alia referenda ſit dictio, eius, niſi ad ea, quę prius ſanctiſsima quadam ratiocinatione uoluerat animo propheta. Iam illud in primis dicendum, ſuo more Vatem è manufacta Hieruſalem, quam in collibus ſanctis, nempe Sion, Moriah, atq; Oliueto ſitam fuiſſe aſſerunt autores, ad cœleſtem, quæ eſt mater noſtra, ut inquit Paulus, tranſitum facere. Idcirco montes ſanctos uocat ob præcipuam Dei religionem & cultum. Ibi quidem erat templum, ibi arca, ibi certiſsima dabantur à Deo reſponſa. Verùm penè nulla illa uetus fuit ſanctitas præ illa, qua per Chriſti præſentiam non tantùm Iudæam, quantum uniuerſum terrarum orbem ornandum eſſe præuidit Vates. Ait itaq;: Fundamenta eius, nempe alterius Hieruſalem, in montibus, non illis quidem terrenis, in quibusq; crucifigendus eſt autor uitæ, ſed ſanctis, ſed puris, in cœlis nimirum, ubi habitat diuinitas, iacta ſunt. Etenim ex ſpe ac fide in Deum, eiuſcemodi ſurgunt pietatis ædificia. Quare non abſq; ratione Ioannes ſua in apparitione fatetur ſe uidiſſe ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam de cœlo deſcendiſſe. Porrò quam aliam ciuitatem putas expectaſſe Abraham, quando expectauit, ut inquit Paulus, fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor eſſet Deus? Quòd ſi certè rem diligenti perpendamus ſpiritu, nullum aliud beatiſsimæ huic urbi ſtatuemus fundamentum, præter montem eum, quem eleuatum ſuper omnes colles teſtatur Eſaias, qui Chriſtus eſt, pulcherrimi etiam huius ædificij fabricator. Vnde quoniam fictor ſuum amat figmentum,

Diligit

Diligit dominus portas Sion, ſuper omnia tabernacula Iacob.

A Quid ni tanti faceret Deus Sion, ut illã magis diligeret quàm cunctas Iudæorum ciuitates, atq; habitationes, quandò illa cunctis religionis obſeruantijs, legisq; præceptis, ritibus, cæremonijs, præponenda eſſet? cuiusq; tandem baſes ſuum fore unigenitum decreuiſſet? O mirum noſtrę urbis ędificium, cuius fundamentum Chriſtus eſt, amor nimirum patris, atq; uniuerſalis ad omnes charitas. Quid, oro, ſtructuræ? quid ædificij ab huiuſmodi ſperare debeam fundamento? pacis primùm, ueniæ, placationis, clementiæ, atq; hæc omnia, amor unus. Ecce quàm breui aſſertione, quales debent eſſe parietes Eccleſiæ, tecta item & columnæ, penè deſcripſit ſpiritus. Vix enim illum ad Eccleſię ſtructuram pertinere dixero, qui quamuis ſexcentis illitus ſit ſacramentis, uarijsq; adornatus uirtutibus, cœleſtium quoq; rerum gratijs ac donis illuſtratus, elato tamẽ ſit animo, atq; impuro. Sanctum quippe fundamentum, ſancta requirit ædificia, ut eadem planè ſit totius fabricæ ratio & textura, quemadmodum unum eſſe uoluit Deus ſui unigeniti in terris corpus, quod eſt Eccleſia credentium. Vnde non immeritò exclamat Vates:

Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei.

Portæ Sion (quod penè exciderat) pro tota ipſa ciuitate, atq; illius munitione & robore ſumi debet. quod & de portis inferorum intelligi oportet, quandò, inquit Chriſtus, portæ inferi non præualebunt aduerſum te: id eſt, munitiones, machinæ, arteſq; inferorum minimè in te præualebunt, etſi te quatient. Itaq; ſuam Eccleſiã diligit Deus ardentius, quàm unquam dilexit Sylo, in qua arca fuerat: ſeu Hieruſalem, in qua templum: Hieruſalem, inquam, illam ueterem prophetarum interfectricem, & de qua ſic uaticinatur dominus Ieſus: Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te un-
B diq;, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem. De noſtra uerò ſic: Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Ergo meritò glorioſa dicta ſunt de te, ô ciuitas Dei. Dixerunt quidem ſcriptitaruntq; de te olim ſcriptores ueteres illi pręclariſsimi prophetæ, ſubindeq; Apoſtoli, qui omnes te matrem illam cœleſtem, & ſponſam à Deo ornatam appellarunt, quæ illi filios ex omni paſsim orbe collectos pareres, non quidem ſemine humano, ſed illius ſpiritu & uerbo, qui ſponſus eſt, conceptos, quemadmodum illius unigenitus è pura intemeratáq; cõceptus eſt uirgine. Selah huc interiectum nos admonet, nihil unquam in terris fuiſſe, neq; eſſe poſſe, tam plenum gloria & dignitate, quod inferius non extiterit Dei eccleſia, in qua ipſe habitat rex gloriæ Chriſtus Ieſus. Ex hebræo quidam ſic legunt: Glorioſa loquitur in te, ô ciuitas Dei: nempe Chriſtus ſponſus, qui ſic effari de ſua ſponſa incipit:

Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me.

Ecce res noua, ecce præclara illa & glorioſa, quæ in te loquitur ſponſus, ô cœleſtis Hieruſalem. Ecce tua à Deo, ô ſterilis, quę non paris, ſtupenda fœcunditas. Quid? O inenarrabile Dei conſilium, ô mentem puris animis tantummodo cognitam. Ecce quomodo aceruatim concurrunt homines.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic.

Sub nomine quidem memoratarum gentium, quæ Iudæis inter cæteras orbis nationes, hoſtes fuerant infeſtiores, & magis cognitæ, totas per uniuerſum latè orbem ſparſas intelligi uult gentes, quæ ad fidem Chriſti, ſpiritu Dei cooperante, acceleraturæ erant. Siquidem haud multis pòſt ſeculis ipſe dicturus erat: Ite in uniuerſum mundum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Ait igitur: Memor ero etiam Rahab & Babylonis, hoſtium nimirũ populi mei inexorabilium, quorum antea immemor fueram: eosq; me agnoſcentibus, fideq; colentibus annumerabo, ut unum planè ſint corpus cum his, quos ab æterno, ut me agnoſcerent, à mundo ſecreuit æternus pater. Cęterùm Rahab appellatiuũ nomen

C esse asserit diuus Hieron. quod superbiam interpretatur. quare nonnullis uisum est ex hebræo transferri posse, Aegyptiorum. Idem quoq; Chaldęus, qui uice Rahab, Mezraim scribit, quæ dictio Hebræis Aegyptum sonat. Mizraim fuit filius Cham, à quo perinde originem atq; nomen sortiti sunt Aegyptij. Rursus alienigenæ, Palæstini, seu Philistæi, Hebræis sunt. quare is erit sensus: En nouum consilium, ac penè incredibile: Gentes mihi rebelles, atq; hostili in me animo, ut sunt Aegyptij, Babylonij, Palæstini, Tyrij, Aethiopes, meos inter filios connumerabuntur. Hi quidem fuerunt illic, hoc est, ut uertit Symmachus, nati sunt in Sion, nempe per innouationem uitæ: nam in Sion primùm natus est Christus, ex quo pij suum nacti sunt ortum: hoc est, in Sion innotescere mundo occœpit fidei autor, atq; subinde à discipulis illum annunciari uniuersus ferè audiuit orbis. Ideo Felix, atq; adeò cęteri ex hebręo sic uertunt: Hic natus est ibi. Paraphrastes item: Accurrent propterea, quòd insignis ille natus sit ibi, nempe à prophetarum uatibus promissus, expectatusq; ab omnibus & desideratus.

Nunquid Sion dicet, homo & homo natus est in ea?

Ex hebræo: De Sion dicetur, uir & uir natus est in ea. hoc est, unusquisq; qui natus est ex spiritu & aqua, in ea natus est, nempe ut sit Dei filius, ac cœlorum ciuis. Vir & uir, pro unusquisq; ponitur, ne hîc modò de duplici in Christo natura philosophemur. Etenim in Ezechiele legimus: Homo homo de domo Israël, qui posuerit immunditias in corde suo. Id est, quicunque ex Israëlitis, quisquis is tandem fuerit, qui conceperit immunditias in corde suo. Digito itaq; quasi hi commonstrabuntur, audientq; in uulgus, Ille & ille natus est in ea. Nec mirum quidem: nam

Et ipse fundauit eam altissimus.

Ipse quidem altissimus tam insolitę mundo renascentiæ fundator fuit: ipse, in-
D quam, non humanum ingenium, non sanctitas, quæ nulla erat, illius strauit fundamentum, quæ uis est spiritus in Deo. Etenim quis unquam sibi persuasit sese ex se uenire posse ad Deum, nisi à Deo tractus? Ipse igitur nobilissimæ structurę fidei fundamentum est, progressus item, & consummatio: & qui

Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in ea.

Felix sic: Dominus numerabit cùm scribet populos: hic natus est ibi. Quid sit, numerabit, exponit Paraphrastes: Cõmemorabit, inquit. Alius rursus: In annales populorũ referet, quòd insignis ille natus sit in ea. Efficiet, inquit, dum recensebit populos, ut cõmemoretur, quòd mirabilis ille & stupendus omnibus, in ea natus sit. Summa, ait quidam, totius scripturæ est, Christum natum esse Ecclesię. Cæterùm scripturæ eæ Dei, in æterna immotaq; illius mente tanquam in libro exaratę sunt: in quo sanè quotquot seruantur, hi enimuero qui in Sion ex fide Iesu Christi renascuntur, sunt scripti. Et id potissimũ, quia insignis ille orbis instaurator in ea natus, felicissimæ istiusmodi renascentiæ autor est. Verùm ne noster quoq; suo fraudetur sensu interpres, sic dici posset: quòd dominus narrabit, seu pronunciabit, prout scriptum inueniet in scripturis populorum, hoc est, in libro uitæ, in quo scripti sunt credentium populi, atq; eorum principes in primis, qui sic præcipua à Deo nuncupati sunt electione, nempe Appstoli, ac doctores, qui & ipsi fuerunt, seu, ut melius ex græco reddi posset, qui generati fuerũt in ea. Sed primus sensus mihi uerior uisus est, magisq; spiritui, atq; his quæ sequuntur, conueniens. Hîc additur Selah.

Sicut lætantium omnium habitatio est in te.

Argutissimo incœptũ exordio epigramma, argutiori clauditur fine. O Sion, inquit, ciuitas Dei, habitatio est in te, nõ mœroris quidem, ut sunt pleræq; huius mundi ædes, sed gaudij, sed æterni, ob sedatas conscientias, tripudij. Atqui bona istiusmodi omnia, in sinu Ecclesiæ perdurantibus proculdubio in hac quoq; uita, nedum in futura, contingunt. Verùm non omnes qui sacra intincti sunt unda, sacramentisq; initiati, in Ecclesiæ gremio, in quo perfecta inest pax, & in quo spirituales

A ſpirituales audiuntur cantiones, choríq; illi ducuntur cœleſtium conſolationum pleniſsimi, qui ab amore profecti, in amorem tandem adeò ardenter combuſti reſoluunt, ut planè nihil in terris, quod ſuum eſſe uelint, præ ſe ferre queant, præter tenuiſsimos corporeę huiuſce mortalitatis cineres, uerè eſſe, & cõmorari, non audeo dicere. Nego igitur quempiam, quamuis altè in uirtutum apice collocatum, aut religionis nomine inſignem, intra Chriſti ulnas, in quibus ſita eſt mortalium omnium beatitudo, locum habere, ſi conſcientiæ ſtimulis punctus & diſcerptus, nullum ſentit ſpiritualis lætitiæ guſtum: quem in eo potiſsimè poſitum eſſe, & ducimus, & aliquando experti ſumus, cùm quis ita unitus eſt Deo, ut quicquid Deum non referat, pacem ſcilicet, concordiam, dilectionem, manſuetudinem, pudicitiam, mundíq; neglectum, contemnat. Perfectiſsima quidem à ſuis expectat Chriſtus. Quòd ſi porrò hæc exactè nimium à me requiri putes, atque ob id in hunc tenuem Chriſti ſeruum excandeſcas, cur tuam interim non reprehendis ignauiam, ô qui tua, neſcio qua, contentus perfectione, nihil iam fari libet præterquàm, templum domini, templum domini, templum domini? Heu frigidas mei cordis (ne de alijs dicam) perſuaſiones. Certè extra Chriſti doctrinã ac uitã, non eſt ſalus. Cui honor ſit ſemper, & benedictio in ſecula ſeculorũ. Amen.

PSAL. LXXXVIII. Canticum pſalmi filiorum Choræ. Vincenti, ſuper infirmitatem ad humiliandum, eruditiuum Heman Ezraitæ.

Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te.

Duobus quidem cantoribus, Heman ſcilicet, atq; ex poſteris Choræ uni, iuſſum fuerat à rege, ut hanc cõmiſerationis plenam, alternatim, ad exprimendum Meſsiæ infirmitatem, atque in terris cruciatus, occinerent odam. Volunt Hebręi Hemã, qui fuit inter Leuitas ſapientiſsimus, ex ſui nominis con-
B ſcriptione, quæ planè eadem eſt cum primis literis tetragrammaton, quæ, ut exponunt Cabaliſtæ, Meſsiam ſignificant, Chriſtum omnino referre, qui ſe humiliauit uſq; ad mortem, propter mortalium ſalutem. Cuius ſanè mortis crudelitatem adeò mœſtè deplorat Vates, ut nullam penitus admittere uideatur conſolationem: quod in alijs eiuſdem argumenti pſalmis minimè factum eſſe cernimus. Illi enim lęto ferè clauduntur fine, in hoc uerò iacent omnia. Quod ſanè cùm conſidero, meam non queo non maximopere execrari, ut ſic dicam, incogitantiam, qui tam ſtupidus ſim, ac mei ipſius obliuioſus, ut afflicto ſub capite & cruento deliciari audeam, atque tam imprudenter meam inſtituere uitam coner, ac ſi ipſe pro ſe, haud pro me, cruci affixus eſſet Chriſtus. Quocirca cùm hæc, quæ in hoc pſalmo, tanquã in crudeli tragœdia, dicuntur, cõmentari incipio, totus contremiſco, quippe qui nullo adhuc me ſentiam affectu permotum, qui uel minimam tam extremi doloris partem referat, quem pro me mei amantiſsimus ſubijt Ieſus. Scribam tamen, illorum morem ſequutus, qui quæ ignorant ſcribunt. At non ignorat pro me, qui uice mei deſpectiſsimus omnium factus, clamat: Domine Deus ſalutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te. Dauid Kimhi Hebræorum doctiſsimus, fatetur titulorum uerba & ſententias incognitas omnino eſſe: prætermiſsis igitur incognitis penitus, minus incognita tentemus. Domine Deus, uide tenerum filij in patrem animum, atque affectum: uide, inquam, firmum Chriſti in orando propoſitũ. In die, inquit, clamaui, nocte rurſum à clamore non deſtiti: atq; id quidem coram te, cui mei cordis arcana notiſsima ſunt. Abijciésne me filium tibi obſequentiſsimum? innocentem? abſq; ulla cauſa ab improbis affligtum? O certæ ſalutis meæ autor, meos exaudi gemitus ac ſuſpiria.

Intret in conſpectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.

A cordis radicibus nimirum euulſam, confuſam, meticuloſam, atque ut ſic loquar, exanguem. Tu excelſe, tu ſupra omnem altitudinem immenſe, aures tuas illas ad audiendos humiliũ gemitus faciles & benignas, ad pauperem tenui ſpiri

C tu ac uoce ſuam enarrantem indigentiam, inclina, accedatq; intrepidè in conſpectu tuo, alioqui formidabili, mea à conſternato animo dimanans oratio.

Quia repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.

Infernus hîc, ut aliàs quoq; diximus, eſt ſepulchrum ſeu fouea. Adeò ſe ærumnis atq; aduerſis oppreſſum fuiſſe fatetur, ut nihil iam ab his, qui mortui in ſepulchris conduntur, diſsimilis eſſet. Ad ſaturitatem, inquit, ac nauſeam uſq; plena eſt tormentis anima mea: hoc eſt, in his ferendis impar prorſus facta, ad tumulum uſq; peruenit. Idcirco

Aeſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adiutorio.

Vltra non procedit uerſus Hebræis: & eſt ferè idem, quod de deſcenſu in foueam dixit: nunc illam lacum appellat. Anxiæ nimirum animæ indicium uerba hæc ſunt, & querimonię: & eſt ſenſus, ut elegantiſsimè exponitur à Paraphraſte: Habitus ſum, inquit, unus è numero eorum, qui iamiam corruituri ſunt in barathrum: æſtimatus non pluris ſum, quàm homo ſuis uiribus omnibus deſtitutus.

Inter mortuos liber, ſicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum nō es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt.

Liber tandem, inquit, à malis, quibus ęquè exanguis inter mortuos iaceo, atq; ſolent hi, qui uulnerati, prorſusq; extincti iacent in ſepulchro, quorum memoria iam extat nulla, factus ſum. Vide quàm latè interdum querelis frænum laxet homo in anguſtijs poſitus. Sunt qui uocem, liber, ad mundi referant negocia: ut ſit ſenſus, ſe omnino liberum, propter mortem, à mundi curis & negocijs: hoc eſt, ſe prorſus extinctum eſſe. Nam certè qui ſeriò moritur, ab omni penitus mundi cura liberatur, eo ſanè modo, quo ab Apoſtolo dictum eſſe uolunt, tandiu Romanos liberos à iuſtitia extitiſſe, quandiu peccatis paruiſſent. Cæterùm quòd ait, quorum non es memor amplius, de uita hac intelligi oportet, cui nunquam reſti
D tuendi ſunt, ac ſi omnino à Deo abiecti eſſent. Vnde illud eſt, quo queritur, ipſos de manu Dei repulſos eſſe. Ad hæc,

Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis, & in vmbra mortis.

Extrema aggregat mortis mala, quæ profundo puteo, ſeu lacui, obſcuroq; loco & tenebroſo comparat. Nec quidem, inquit, mihi ſolis lucem, alioquin omnibus cōmunem, præmentis confuſione atq; horrore, aſpicere integrum eſt: in profundam omnino inferorum caliginem ac noctem coniectum me eſſe ſentio. De umbra mortis aliàs admonuimus, declarauimusq;, quid ſibi uelit iſtiuſmodi loquutionis genus. Mala quidem huius mundi perinde mortem comitantur, ac ſolet umbra corpus.

Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.

Heu turbidam, planeq; confuſam hominis mentem. Aſpice ad quantam interdum adigatur deſperationem, propter acerbitatem perſequutionum, anima, ut Deum rem tam mortalibus ſalubrem contra ſe furere ſuſpicetur. Super me, ait, confirmatus eſt furor tuus: hoc eſt, totā tuā in me adeò effudiſti indignationē, ut nullum iam ſuperſit malorum genus, quo me non afflixeris. Quæcunq; enim mala, quæ homini in carne poſito contingere poſſunt, ea omnia in me proiecta eſſe uideo. Quis hîc ſuam non exhorreat ſortem? quis ſibi hîc non timeat, ſimulac innocentiſsimum Dei filium tam anxiè ſuum exprimere mœrorem audit? Non immeritò certè à ſpiritu additur in hoc loco Selah, uel id magis adeò, quòd ſtatim ſubinfertur,

Longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationē ſibi: traditus ſum, et non egrediebar.

Concluſus ſum, inquit Campenſis, nec uideo quo pacto explicem me. Verba ſunt animæ, ſuam ualde exaggerantis miſeriam, quæ atrocior hòc eſſe ſolet, quò quis extremas in calamitates prolapſus, & amicis, & ipſis quoq; intima ſibi neceſsitudine coniunctis, deſpectui habetur ac nauſeæ. Quod ſanè Chriſto contigiſſe in terris, & ſcimus, &, ut horrendum conſueuimus ſpectaculum, execrati ſumus, querimurq; non eouſq; etiam nos in crucis ſuauitate profeciſſe, quin pro

Chriſt

A Chriſti nomine atq; amore, contumelias ſubire exhorreamus. Vide aliam domini tui afflictionem:

Oculi mei languerunt præ inopia.

Præ inopia, Hebræis eſt, præ afflictione, ſeu dolore, ut reddit Paraphraſtes. Aliſ uerò nõ ineptè ſic uerti poſſe arbitrantur: Deiecta eſt præ afflictione facies mea, ut ferè idem ſit loquendi modus cum illo alterius pſalmi: Turbatus eſt à furore oculus meus. hoc eſt, facies mea præ amaritudine tabida facta eſt, & cadaueroſa. Hæ ſunt quidem certiſsimæ doloris notæ, pallor, macies, languidi depreſsiq; oculi & moribundi: ad hæc, ſuſpiria, gemitus, crebræq; atq; anxiæ ab imo extractæ pectore uociferationes. Quare non iniuria additur:

Clamaui ad te domine, tota die expandi ad te manus meas.

Ad illorum nimirum morem, qui ob diutinos uitæ cruciatus, illò & oculos & manus, nedum uocem atq; animum dirigunt, unde ſpem ſibi ſalutis fore certam ſciunt. Tota, inquit, die ſupplicabundus ad te protendi manus, dicens:

Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?

An hîc loquatur Chriſtus, caue dubites. Sic Euthymius: Lege humanæ naturæ formidat Chriſtus mortem, & rogat ſe diutius uiuere. Etenim perſuaſum habent ſancti Dei uiri, nullam aliam ob cauſam expetendam ſibi eſſe hanc uitã alio qui miſeram & ærumnoſam, niſi propterea, quòd diutius in celebranda Dei religione uerſari queant. Cernũt quidem, quàm pauci inueniantur ex his etiam, qui miniſteria in templis ſibi arrogant, quibus propria magis non placeant cõmoda & deliciæ, quàm crux Chriſti, quæ quoniam de more aſpera eſt & cruenta, delicatos auerſatur animos, ut plerique iam facti ſunt ex noſtris, nempe illis, qui mundum adhuc inter ſepulchrorũ cadauera expiſcantur. Exoptanda ſit igitur nobis idcirco uita hæc temporaria, quò diu in crucis arena ac theatro, pro ſponſa, cum
B mundo, mundique tyrannide digladiemur, non ut ocioſi carnis curam in deſideriis, ut inquit Paulus, perficiamus. Aît itaq;: Num tuæ erga mortuos diuinitatis ſpecimen oſtendere conſueuiſti? hi ne tua prædicabunt mirabilia, an uiui potius? medici ne iterum è tumulis excitabunt ſepultos, qui tuas cantaturi ſint laudes? Non ab re quidem inter cætera quæ immortalitatem quodammodo mortalibus polliceri uidentur, medicum poſuit Vates, remedium nimirum mundo ſaluberrimum, diuinum, quodq; non tam naturæ, quàm Deo ipſo optimo maximo cooperari cernimus. Sed

Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis?

Qualem, te oro, miſericordiam? qualem ueritatem? quam iuſtitiam, qua gratis ſeruas in te ſperantes, de te cantabimus, ſi in morte, atq; in ſepulchro, loco nimirum exanimatorum corporum, ac cinerum, nos dereliqueris? In tenebris ne? in terrá ne obliuionis, mortuorum ſcilicet, quorum non es memor amplius, tua prædicabitur bonitas, quæ naturaliter lucida eſt, ac ſole ipſo meridiano ſplendidior? in ſepulchro quidem, in fouea, in lacu inferiori quis te laudabit? Viuens igitur, uiuens ipſe confitebitur tibi.

Et ego ad te domine clamaui, & mane oratio mea præueniet te.

Vtcunq; ulla abſq; ope ſub ærumnarũ faſce, ſub qua nihil iam præter metum, horrorem, deſperationemq;, & mortem uidere licet, opprimi uidear, adhuc tamen in te ſperabo, adhuc uociferans in ipſo ſtatim aduerſitatum exordio, in ipſo ſummo mane, antea quàm denſiſsimis inuoluar tenebris, te lachrymis, atq; gemebundis præueniã deprecationibus. Id meum eſt conſilium: quod ſanè cùm à tua miſericordia proficiſcatur & uoluntate, non à mea uirtute,

Vt quid domine repellis orationem meam, auertis faciem tuam à me?

Is certè piorum haudquaquã parentum mos eſt, filiorum preces negligere. Tu tamen omniũ clementiſsimus, meam abijcis precationem, ac, quod me acrius affligit, faciem tuam illam, in qua omnis ineſt uis ſpei & ueniæ, indignabundus,

C planéq; iratus à me miſero auertis. Quò igitur me uertam? ad quem meum erit perfugium? En

Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus aũt, humiliatus ſum et conturbatus.

Longam hîc narrat ſuam, uel ab ipſa infantia, miſeriam: & eſt perinde, atq; ſi diceret, in miſeriis & cruce, uixi tota planè ætate. Sic illis, qui piè uiuere uolunt in Chriſto, contingere certum eſt. Non eſt, crede mihi, ſeruus maior domino ſuo: ita enim Chriſtus, ut hîc narrat Vates, re ipſa expertus eſt. Mirum ſi ignores, uix illum natum mundi perſequutiones ſubiiſſe, ſit ad Aegyptios fuga, ſit cruenta illa puerorum occiſio. quid illud? Vulpes, inquit foueas, qua ſe abſcondent, habent, & uolucres nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Nulla unquã fuit hora, quin diris ſemper conuiciis atq; iniuriis, affectus fuerit Chriſtus. O ſi iam crudeles illæ in Chriſtũ deferbuiſſent iniuriæ. Ob uirtutes quidem, atq; inſolita mundo ſigna & miracula, indicium nimirum ſuæ æternæ diuinitatis & potentię, exaltari etiam in terris debuit: uerùm perfidioſorum hominum contumelijs, falſiſq; delationibus traductus, ut omnes ſunt probi, adeò afflictus fuit, ut hîc nunc ſe pauperem, deiectum, & à iuuentute oppreſſum, clamitet: Ego, inquit, qui exaltari debueram, oppreſſus ſum. Quid non conturbant improborum hominum linguę, ac malus animus? Iam illud non omittam, paululum diuerſam hanc literam eſſe Hebræis. Sic Felix: Pauper ſum ego, & expirans præ excuſsione: id eſt, deficio, & emorior, propterea quòd me à manu tua, atque ope excutis, longéq; propellis. Sequit: Tuli terrores tuos, dubitabo. Tuli, inquit, iudicij tui, atq; ultionis terrores, dubitauiq; ne fortè ſub onere deficerẽ. Quare ſic Paraphr. Pertuli tales abs te mihi immiſſos terrores, ut propémodum ſuccubuerim, & deſperare de ſalute tantũ non cœperim. Alia item aliis ex hebręo etiã eſt litera. Ita illi: Fero terrores tuos, dico, ne fortè &c. hoc eſt: Tu in me adeò aggregaſti terrores, ut exterritus dixerim, ne fortè mihi ſic & ſic accidat propter iniquitates. Ex
D his uides, ni fallor, ſummè anxium ac deſperantem in rebus aduerſis animũ, dum ſuus eſt, dum ſe tantummodo intuetur, dum abſq; Deo neſcio quid ſe poſſe ſomniat: & tamẽ hæc omnia in Chriſto uerè fuiſſe propter nos, nempe ut noſtræ conſuleret ignorantię, mederetuŕq; languori, & ſuam impartiret ſalutẽ, & credimus, & ualde gaudemus. Quòd ſi quidem iſtiuſmodi ueriſimis in Chriſto non moueris terroribus & affectibus, nondum illius factus es membrũ, nondum plenè noſti, quid ſit cum Chriſto cõmori, atq; in ipſum, tanquam unius imaginis formam, transfundi. Chriſtus hîc igitur eſt, qui pro te, ô homo, ſic ſuis in enarrandis calamitatibus, imò tuis, rem totam exequitur.

Super me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me.

Quid ſignet, tranſierunt iræ tuæ, exprimit Paraphraſtes. In me, ait, apparuerunt manifeſta ſigna tui furoris. Quid? terrores tui, quibus mirum in modum conturbor, me exanimarunt, &

Circundederunt me ſicut aqua tota die, circundederunt me ſimul.

Parum forſan eſſet ſi terror unus poſt aliũ diuiſim ſuccederet, calamitasq; calamitati cederet: at omnes ſimul in unũ concurrere, inſtaŕq; præcipitantiũ aquarum in alicuius pernicię nullo facto interuallo cõuenire, id in primis intolerandũ uideri, atq; humanis impar uiribus omnino. Quis id ferat, niſi aut Deus ſit, aut Deo ſimilis? Circũdederũt me, inquit, omnes ſimul, nempe terrores, atq; horrẽdę cõmiſtę metu perturbationes. Et demum, ne quid miſeriarũ cumulo deeſſe uideretur,

Elongaſti à me amicum, & proximum, & notos meos à miſeria.

Replicat, tanquã infortuniorũ omnium ſummũ, quod ſuperius dixit: Longè feciſti notos meos à me. A miſeria, Hebręis eſt, in obſcuritate, ſeu in tenebris. Sic totum reddit uerſum Paraphr. Procul à me abire feciſti, ſi quis fortè reliquus fuit amans mei, aut uicinus beneuolus: quin & familiariter notos abſcondiſti, & ueluti in tenebris, ne uideri poſsint à me, collocaſti. Vnde alius ex hebręo ſic tranſtulit: Notos meos obſcuras. Vide quomodo perterrita anima, ſuarũ calamitatũ

cauſam

A cauſam in deum reiiciat. Aufers, inquit, quicquid eſt conſolationis, & addis quic quid eſt doloris & anguſtiæ, itáque me arctari ſinis, ut nihil tam pugnare contra me appareat, quàm tu ipſe. Idcirco acerbiſsimi tui in me furoris finem uidere poſſe, aliquando penè deſpero. Mirum quàm effœminatè noſtræ interdum ſanctitatis aſperitas ſibi adblandiretur, niſi cum iſtiuſmodi collata Seruatoris uniuerſi querimoniis, illò non peruenisſe erubeſceret rea, quò innocentiſsimus omniũ Chriſtus ullo abſque merito perfectiſsimè peruenit, nempe ad extremos, ob ſcelera haud quidem ſua, ſed aliorum, terrores & cruciatus. Quòd ſi adhuc hi te non tangunt affectus, is ſaltem tangat, quando cruentus ex orantis uultu ac pectore (tetrum ſpectaculum) defluxit ſudor.

PSAL. LXXXIX. Eruditiuum Ethan Ezraitæ.

Miſericordias domini in æternum cantabo, in generatione & generationem annunciabo ueritatem tuam in ore meo.

Ethan, quemadmodum in ſuperiori pſalmo Heman, cantorũ principem tuiſſe aſſerunt, Samuelisq; nepotem. Cur uerò uterq; Ezraita dictus ſit, ex ſcriptura non habetur, niſi quòd putant ſic appellatos illos eſſe, quòd à Serah filio Iuda originem traxerint. Vtcũq; de nomine diſputent, nos ſcimus robuſtum à doctioribus Ethan interpretari: quam quidem interpretationem Chriſto omnium robuſtiſsimo conuenire, non eſt qui in dubium uertat. Cuius ſanè regnum ſub regni Dauidis typo, in hoc pſalmo mirando effigiatur myſterio. Siquidem æterni patris bonitas, atqueadeò de Chriſto pollicitationes, quæ ueritas in Deo eſt ſempiterna, ac gratia per Chriſtũ in Eccleſię ſinum immiſſa, hîc prædicantur, urgeturq; quodammodo Deus à fide promiſſorum, ut quod pollicitus eſt, adimpleat. Sed pſalmi exordiũ à ſuauiſsima miſericordiæ uoce auſpicatur ſponſa, hoc modo: Miſericordias domini in æternum cantabo, in generatione & generatio-
B nem annunciabo ueritatem tuam in ore meo. Veritatem tuam, fidem uertunt, de quo aliàs admonuimus. Vide quid de ſe polliceatur. In æternum, inquit, cantabo. Non quidem ſponſæ ignotum fuit, quàm æternus futurus eſſet uſus miſericordiæ Dei apud ſanctos. Nulla unquã fuit ætas, neq; eſſe poteſt, aut poterit in futurum, quæ ubertim diuinis non indigeat beneficijs, ac donorũ gratijs. Cantabo igitur, docebo q; poſteros, innumeris te modis (ſic miſericordias exponunt) miſericordem eſſe: dicamq; illis, de tua haudquaquã dubitandum eſſe fide, quin præſtiturus ſis quæcunq; olim pollicitus es. Pollicitus quippe es, teq; æterno obligaſti fœdere, ut homo cùm miſer eſſet, tu contrà miſericors, pius, ad ignoſcendumq; facilis, & gratioſus: neq; unquam tam perditum poſſe eſſe hominem, quin tu ab inſtituto ſeruandi ex æquo omnes abſterrereris.

Quoniam dixiſti, in æternum miſericordia ædificabitur in cœlis, præparatio ueritas tua in eis.

Dixi, legunt Hebręi, & aptius quidem mea ſententia: etenim unus eſt cum ſuperioribus contextus. Annunciabo, inquit, & dixi, mihiq; perſuaſi, tuam in æternum duraturam clementiam, ſemperq; incrementum recepturam, augendamq; è poſteris in poſteros in infinitum, quemadmodum tua in cœlis perſtat æterna ueritas, ac fides. Cœlos quidem ipſos, alioqui mirabili & ſtupendo à te fabrefactos artificio, potius ruituros crederem, quàm te à promiſsis diſcedere ſuſpicarer. Vt enim hi firmi ſunt & ſtabiles, ita tua eſt fides, ô Deus. Præparabitur, Hebræis eſt, firmabitur. Idem Symmacho è græco. Mirum quàm indiſſolubili connexæ ſint nodo (is amor eſt) miſericordia & ueritas: ſiquidem non exhiberetur, ut diuus ait Auguſtinus, in impletione promiſſorum ueritas, niſi præcederet in remiſsione peccatorum pietas. Verius illud eſt, quàm multis à me probetur, uniuerſas uias domini miſericordiam eſſe, ac ueritatem. Illud non omittendum, quòd Felix ſic reddit hunc uerſum: Quoniam dixi, mundus miſericordia ædificabitur: nempe ob Adæ miſeriam dirutus.

Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo.

Hæc ſunt ipſa uerba Dei, ut ſit mutatio perſonæ, frequens nimirum tropus in

C prophetis. Quid, inquit, de meis uerendum eſt promiſsis? Ego enim ęternum, infractumq; cum meis percuſsi fœdus, illudq;, ne in dubium unquam uerteretur, cum ſeruo meo Dauide ſanciui iuramẽto. Teſtamentũ hîc eſt fœdus inter Deum & homines percuſſum, quo ſuum ſe ille filium è Dauid ſemine miſſurum in mundum ad mortaliũ ſalutem aſtrinxit Deus, quoq; nos ſuam in fidem reciperet, nos illum in Deum. Vtrunq; enim perfectiſsimè, ac bona fide adimpleuit Deus: nos uerò in utroq; periuri extitimus. Feriam, inquit dominus, uobiſcum pactum ſempiternũ, miſericordias Dauid fideles. Illud obſcurũ, quomodo ſe dicat Deus tantummodo cum electis ſuum æternum ſanxiſſe pactum, & non cum cæteris. Ecquid firmum unquam cum impijs, perfidioſisq; hominibus ſanciri potuiſſet? In illorum quippe animos qui id ſeruaturi forent, tanquã in æs durum aut ſaxum, diuinum incidendum fuit pactum, ſtabiliendumq; in æternũ. Qua de re illud quod ſequitur intulit:

Vſq; in æternũ præparabo ſemen tuũ, & ædificabo in generatione & generationẽ ſedem tuam.

Selah hîc ponitur, quo nos admonitos uult ſpiritus, perpetuã prędici hîc ſeminis Dauid ſucceſsionem, quæ eſt Eccleſia in Chriſto, in qua æterno ueluti incremento cœleſtia coaleſcere deberent eouſq; munera, quoad Deus fieret omnia in omnibus. In quo etiam & nos (clamat Paulus) ſorte uocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitũ eius, qui operatur omnia ſecundũ conſiliũ uoluntatis ſuæ, ut ſimus in laudem gloriæ eius, nos qui ſperamus in Chriſto. Cæterùm de promiſsione Dei qua uel ab ipſo mundi exordio, ſe ſuum ad nos miſſurũ unigenitũ toties pollicitus eſt, plena eſt ſacra lex: quare nulla huc mihi hac de re adducuntur teſtimonia, & id maximè adeò, quia nulla mihi eſt cum ludæis diſceptatio. Fidelibus enim meæ profeſſionis hominibus is meus deſudat labor, non infidelibus. Ergo ſeminis huiuſce, atq; adeò throni regij perpetuitas, quam hîc Dauidi promiſſam eſſe cernimus, Chriſti regnum adumbrabat, qui ſemen illud eſt, de
D quo alio in pſalmo ſic Pater: De fructu uentris tui ponam ſuper ſedem tuam. De alio quippe ſemine, quàm de Chriſto, iſtiuſmodi aſſeuerare promiſsiones, nefas eſſet. Cùm igitur perſeueranter ſeruandum id ſit cum Deo fœdus,

Confitebuntur cœli mirabilia tua domine, & Veritatem tuam in eccleſia ſanctorum.

Mirabilia tua, uertit Fel. arcanum tuum, nempe Euangeliũ ab æterno abſconditum, impijs nimirum, atq; à Deo auerſis: his uerò qui ex fide ſunt, reuelatum, et per Chriſtum tandem patefactum, quos & hîc cœlos uocat. Verùm & de angelicis mentibus hæc dici poſſe arbitror, quæ & ipſe noſtra ex inſtauratione ſecretiſsimo quodam modo ac ratione perficiuntur. Videntur enim beati illi ſpiritus nondum ſua contenti poſſe eſſe, ut ſic loquar, felicitate, pleneq; gaudere, quoad ſanctos in periculis diuerſari intuentur: quocirca à Seruatore dicuntur lętitia affici ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Ideo quicquid diuina nobis confert miſericordia, laudant, perindeq; de illo lætantur, ac ſi in ſe collatũ cernerent. Etenim una futura eſt illis nobiſcum in cœlis manſio, perficiunturq; quotidie per cognitionem multiformis ſapientiæ Dei, ſacramentiq; iſtius, ut inquit Paulus, abſconditi à ſeculis in Deo, ab Eccleſia, quæ una eſt nobiſcum cum ipſis in Chriſto, in qua quidem ſtupendas Dei operationes non ceſſant efferre laudibus.

Quoniam quis in nubibus æquabitur domino? ſimilis erit Deo in filijs Dei?

Meritò quidem ſummi opificis ab angelis, nuncijs nimirum illius & miniſtris, laudantur in Eccleſia operationes. Nam inter ipſos quamuis perfectiſsimis ornatos dotibus, quis cum Deo illorum conditore eſt comparandus? is enim rex, illi ſerui: is conditor, illi creatura. In nubibus porrò poſitum, exponunt pro, in cœlo, quod de ſupernis rurſum ſpiritibus intelligi uolunt: quod & apertius ſequenti exprimitur hemiſtichio. Quis ſimilis, inquit, erit Deo in filijs Dei? Siquidem filij Dei in ſcripturis, pro cœleſtibus illis mentibus interdum ſumi ſolent. Quis ſimilis tibi, reddit Campenſis, inter angelos quantumuis ſint potentes?

Deus qui glorificatur in cõſilio ſanctorũ, magnus et terribilis ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt.

Deus

A Deus certè, inquit, eſt, cui nullus æquiparari poteſt. Nam ipſe, etiam inter illos qui aliquid eſſe uidentur, ut ſunt ſanctorũ cœtus, terribilis eſt ac metuendus: inter illos, inquã, qui circa eum ſunt, illiq; miniſtrant, ſuſpiciendus eſt, ac modis omnibus laudandus. Verùm ut etiam te alloquar, ô immenſe,

Domine Deus Virtutum quis ſimilis tibi? potens es domine, & Veritas tua in circuitu tuo.

Hoc eſt, quæ circa te ſunt, ueritas eſt & bonitas. Vnde quidam ex hebræo ſic uertit: Domine Deus exercituum, quis ſimilis tibi maieſtate, fide ac ueritate, qui bus latus tuum ſtipatur? Quemadmodũ enim mundi huius tyrannis, impietate, auaritia, Dei contemptu & ſuperbia, tanquam ſatellitibus, armata incedit: ita tu Deus maieſtate, fide, miſericordia, ac æqua in omnes dilectione tanquam ueſtitu deaurato circundatus tuo in excelſo ſedes ſolio. Nam

Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas. Tu humiliaſti ſicut Vulneratum ſuperbum, in brachio Virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.

Inter Dei miracula, quæ in Iudæorum gratiam geſta olim fuere, illud quo erepti ſunt ab Aegyptiorũ ſeruitute in primis, quod iam centies diximus, habetur: idcirco frequenter in ſcriptura noſtram ad mordendam ingratitudinem recenſetur, eiusq; penè in nobis obſoleta renouatur memoria. In nobis dico, qui tam prodigioſi exitus cõmodum atque utilitatem excellentius nacti ſumus, quàm illi forſan, qui ſiccis pedibus turbidum illud traiecerũt mare. Iam illud mihi huius ſimile Eſaiæ in mentem uenit: Nunquid, ait, non tu percuſsiſti ſuperbum? uulneraſti draconem? nunquid non tu ſiccaſti mare, aquam abyſsi uehementis? qui poſuiſti profundum maris ut tranſirent liberati? En quomodo prophetæ uno eodemq; accenſi lumine, miracula illa antiqua commemorantes, noſtram adumbrant Eccleſiam. Verùm nos miſeros, ſi nondum in nobis uulneratum eſſe ſuperbum à uulnerato Chriſto ſentimus, ſi concupiſcentiarũ æſtum, fretumq; hor-
B rendum libidinis ex animo deferbuiſſe nondum experimur. Quàm uereor ne ad noſtram hæc ſcripta ſint perniciem. Vide quid minetur Chriſtus. Si, inquit, non ueniſſem, & loquutus eis nõ fuiſſem, peccatũ non haberent. Vtcunq; uerò ſuperbia atq; ambitio digniores mundi ſedes occupent, attamẽ ô omnipotentiſsime,

Tui ſunt cœli, & tua eſt terra: orbem terræ et plenitudinem eius tu fundaſti, Aquilonem & mare tu creaſti. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.

Aquilonẽ & dexterã, ſeu meridiem, uertunt ex hebræo. Siquidem orientẽ ſpectanti, ad dexterã fit meridies. Volunt enim his uocibus uniuerſi molitorẽ Deũ laudari. Cæterũ Thabor mons celebris in Iudæa ad occidentẽ ſitus eſt, Hermon uerò ad orientẽ. Quatuor his igit̃ orbis plagis, uniuerſale Dei imperium intelligi uoluit ſpiritus, quanq; certè non abſq; myſterio celeberrimorũ montium Thabor & Hermon mentionẽ hîc fieri arbitror: in his enim Chriſtum nõ ſemel ſignaſſe diuinitatis edidiſſe legimus. In Thabor enim transfigurationẽ illam famoſiſſimam Chriſti factam legimus: in Hermon autem uiduę filium à feretro experrectum, atq; à mortuis ad uitã reſtitutũ aſſerunt. Nã in Hermon Nain ciuitas eſt poſita. Occultè igit̃ à ſpiritu, unde orta ſint fidei rudimenta, admonemur. Ait itaq;: Tu cœlorũ, tu terrę, tu rerũ omniũ, quę orbis machinã mirabili exornant pulchritudine, fundamenta ieciſti. Tu gelidam ſeptentrionis regionẽ, tu meridiẽ, tu orientem, tu occidentẽ, pulcherrimo condidiſti artificio. Ex quo qui tuã contemplantur ſapientiã, te laudandi, in tuoq; ſanctiſsimo nomine exultandi occaſionẽ ſumũt. Quid? Ipſi quoq; notiſsimi in Iudæa montes, Thabor & Hermon, etſi inanimes & muti, ſua tamen ipſa mole & uaſtitate, in nomine tuo exultabunt. Nec mirũ ſanè: ſiquidem in ipſis uita, tanq; aura ſuauis, è Chriſti ore ſpirare occœpit.

Tuum brachium cum potentia, firmetur manus tua, & dextera tua.

Ita unus eſt uerſus Hebræis, qui ſic reddunt: Brachiũ tuum eſt cum fortitudine: coroboreẽ manus tua, exaltetur dextera tua. Paulò ſecus Paraphraſtes: Robuſtiſsima eſt, inquit, manus tua, & potentiſsima dextera tua. Mens eſt enim prophetæ, diuinam omnibus præſtantẽ celebrare magnitudinẽ & potentiam: iuſti-

C tiam rurſus, æquitatẽ, bonitatem, fidem: quibus ſanè rebus, quicquid conditum eſt, regit, atq; innumeris afficit donorum largitionibus. Ideo ſtatim intulit:

Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ: miſericordia & Veritas præcedent faciem tuam.

En quomodo uerbo, præparo, paſsim abutitur interpres. In hoc quippe loco, pręparatio, Hebręis eſt habitaculum. Symmachus uerò tranſtulit, ſtabilitas. Cui & adſtipulatur Paraphraſtes, qui ſic reddidit: Iuſtitia & æquitate ſtabilitum eſt regale ſolium tuum. Vide igitur, quibus munitæ eſſe debent rebus regnorum leges. Iuſtitia in primis atq; iudicio, rebusq; in miniſtrandis ęquitate, ac prudentia, miſericordia inſuper & fide, quibus tanquam rotis currus in quo triumphat ſua in Eccleſia Chriſtus, fulcitur, ſanctiſsimè gubernanť populi. Venales autem iſti iudices & iniqui (ſi qui hoc fœdo delectantur cognomine) & qui ſuis in iudicijs crudeles ſunt & perfidioſi, ad ea quæ hîc dicuntur minimè pertinent: cum Chriſto enim nulla illis eſt pactio. Proinde lachrymis decentius à pijs comitandi ſunt hominibus, quàm adulatione & plauſu. Sues quidem ſunt, & canes. Cæterùm quis talem non amaret regem, & antiſtitem, qui iuſtitia atq; æquitate munitus, miſericors eſſet, & in his, quæ promiſit, conſtantiſsimus? Contrà uerò, quis immitem unquam diligeret ſuperiorem? quis fallacem? quis iniquum? quis ſuis in ſententijs & diffinitionibus, proprijs magis inſeruientem affectibus, quàm legi Dei, cui ſemper, quemadmodum lictores ſolent magiſtratibus, miſericordia & ueritas, anteambulones ſunt? Quamobrem

Beatus populus qui ſcit iubilationem.

Et qui hæc agnoſcens, in his, non in mundi plauſu ſeſe oblectat, indeq; lætandi occaſionem uenatur, unde alij mœrorem ac luctum. Quod gaudium, mi lector, cum hoc comparandum, cùm anima numine obſignata, quæ eſt arrha ſpiritus, ſe Dei dono & miſericordia adeò purgatam agnoſcit, atq; ultra mundum
D ſe euectam non ignorat, ut plenis, quod aiunt, crateribus hauriat ſalutem à domino? quę in eo maximè poſita eſt, ut eum iuſtum eſſe credat, atq; ad clementiam facilem & liberalem. Hi nempe qui ſic affecti ſunt,

Domine in lumine Vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iuſtitia tua exaltabuntur.

Lumen uultus Dei, illius eſt fauor, ac lux ſpiritus. Iuſtitia uerò ea eſt pars in Deo, qua gratis iuſtificati per fidem, ſpem aſſequendi ęterna animo concipimus, perſuaſumq; habemus certiſsimas in cœlis paratas nobis eſſe cũ Chriſto manſiones. Ex qua quidem fide & perſuaſione noſter oriri ſolet amor erga eum flagrantiſsimus, qui illas præparauit: ut nihil tam expetere libeat, quàm omni abiecto mundi gaudio, in illo ſolo lętari, atq; de condonatis noxis exultare: & id quidem omnibus diebus uitæ noſtræ. Atqui idem eſſe hîc lumen Dei iudico, de quo ſic alio in pſalmo ediſſerit Vates: Signatum eſt, inquit, ſuper nos lumen uultus tui domine, rarum ſcilicet atq; inſolitum, fidei. Vel illud Eſaię: Et ambulabunt gentes in lumine tuo. Præuio quidem ſpiritu Dei, plana fiunt omnia, amœna, lucida, admiranda.

Quoniam gloria Virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum.

Tu quidem uirtutis omnis illorum ac roboris ornamentum es, & gratia: ſiquidem bonarũ rerum omnium autor es, & dator. Ideo cornu noſtrum exaltabitur, hoc eſt, ſuperiores nos hoſtibus facies. Cornu inter alias in ſcripturis ſignificationes, uires, ſeu potentiam prę ſe fert. Quicquid igitur hi poſſunt, à te, qui gloria eorum es, poſſunt, ut qui gloriantur, in te glorientur. Et in beneplacito tuo, ac uoluntate, non in noſtro arbitrio penè attrito, aut bona, quam uocant, intentione, noſtra aliquid erit potentia & uirtus.

Quia domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſraël regis noſtri.

Ratio quidem ac ſumma ſalutis in eo poſita uidetur, quòd nullo noſtro nixi merito, à Deo ſolo, qui ſecundum propoſitum uoluntatis ſuæ noſtros in ſe aſſeruit lapſus & errores, manũq; ſuppoſuit, ne prorſus poſt caſum, in quem noſtra

corruimus

A corruimus uoluntate, collideremur, tanquam teneri infantes à nutrice, pendeamus. Ipſi itaq; ſoli acceptum referre liceat, ſi quid à nobis feliciter pugnatum eſt, qui rex noſter uerus eſt, Iſraëlisq; ſanctificator, nempe omnium, qui directi ab eo ideo ſancti efficiuntur, quoniam ab ipſo ad ſanctimoniam aſciti ſunt. Quod noſter uertit interpres, aſſumptio noſtra, Hebræis eſt clypeus noſter, ſeu protectio noſtra. Vnde ex illis quidam ſic tranſtulit: Apud dominum eſt protectio noſtra, & ſanctus Iſraëlis rex noſter. Vtcunq; legas, id non neſcire oportet, Deum clypeum eſſe noſtrum, protectionem, aſſumptionem, ſalutemq; & uitam: quæ ſumma eſt gratiæ euangelicæ. Vnde non abſq; cauſa ſic præſentem exorſus eſt odam Vates: Miſericordias domini in æternum cantabo. Verùm ad promiſsiones Dei Dauidi factas excutiendas intendamus.

Tunc loquutus es in viſione ſanctis tuis, & dixiſti: Poſui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea.

Nulli dubium quòd de ſeipſo hæc dicat Vates, quem è turba delegit Deus, ut eſſet rex, de cuiusq; familia naſceretur Chriſtus, & quem potentem ob ſui ſpiritus gratiam appellat Deus. Olim, inquit, per uiſiones, occultosq; ſpiritus afflatus loquutus es, ô Deus, ſanctis tuis, nempe Nathan, Samueli, nonnullisq; alijs, quorum nomina tibi nota ſunt, illisq; dixiſti: Summam auxilij mei poſui in fortiſsimo illo, quem adoleſcentem adhuc exaltaui, delegiq; è populo. Itaq;

Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum.

En quis ſit potens ille, atq; electus à Deo, exprimit. Et uerè illũ inuenit Deus, ut uocatio illa ex electione fuiſſe dicatur, nõ ex merito. Quid puer ille, & paſtor, & penè à patre abiectus, cõmeruit unquam, ut rex à Deo inſtitui, perungiq; debuiſſet? Inueni, inquit, Dauid, nõ ipſe me. Nulla certè in ipſo fuerunt merita, nulla ad regnum affectatio. Ego, ego illum inueni, atq; ſanctiſsimo mei ſpiritus oleo
B deliniui. Oleum id ſanctum ad Chriſtum referri debet, quo à patre unctus, rex uniuerſorum effectus eſt. Typus in hoc, quemadmodum in cæteris, fuit filij Dei, filius Ieſſæ, de quo ſic loquitur Deus:

Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confirmabit eum.

De electione Dauid, promotioneq; ad regnũ, & unctione, addo & Dei manus confirmatione, qua ſupra alios euectus, formidabilis hoſtibus fuerit, cùm aliàs in geſtis Regum, tum potiſsimũ in Samuelis libro fuſè admodum ſcriptũ eſt. Huic itaq; quem inueni, quem elegi, quem unxi, in omnib. opitulabor, eumq; mei ſubfulciam confirmaboq; brachij robore, ac uirtute. Nónne hîc tibi uidetur à ſpiritu dici, Illos qui non uocantur, non eliguntur, & qui ad regna & magiſtratus iniuſſu Dei accedunt, à Deo ſperni?

Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

Clarius ex Hebræo legi poſſet: Non uiolentus eſſe poterit contra eum hoſtis, & filius iniquitatis nõ affliget eum. Tangit hîc Saulis odium, & perſequutiones, unà cum ſuis adulatoribus, Dauid: à quorum tamen inſidijs diuina ſemper protectus fuit manu. Filius iniquitatis, Hebræorum more, pro iniquo homine poſitum ſcias, quod aliàs notauimus.

Et concîdam à facie ipſius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam.

Id non ſemel actũ eſſe legimus, ſed tum potiſsimè, cùm occiſo Saule, fuſi fugatiq; fuere hoſtes. Conterã, inquit, quotquot audebũt ſeſe illi opponere, atq; oſores eius percutiam. Quod noſtra habet æditio, in fugam conuertam, Hebræi legunt, percutiam, ſeu cædam. Vtrunq; tamen de ſuis hoſtibus inſpexit Dauid.

Et veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Ecce quomodo ferè ſemper ueritas & miſericordia uno incedunt paſſu. Quòd enim Deus erga eum fidelis in pollicitationib. fuerit, ab eius profectũ eſt miſericordia: alioqui quid bonorũ homicidæ atq; adultero, nempe ingratiſsimo & ſanguinario homini, à Deo puritatis amantiſsimo præſtari debuit? Haud quaquã igitur irritæ factæ ſunt promiſsiones Dei ob illius ſcelera, quem antea inuenerat,

delegeratq́, ac oleo ſancto regio perfuderat. Quocirca, inquit, per me illius extolletur cornu, poteſtas ſcilicet atq́ imperium.

Et ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.

Per manum & dexteram, dominium intelligit, quod ad finitimas uſq́ maris regiones, ut erant Palæſtini, ac Syri, prorogatum, ad Euphratem & Tigrim feliciſſimè peruenit: quod ſanè tum fuit, quando non ſolùm Palæſtini, ut dixi, ac Syri, uerùm etiam Moabitę, Aedomei, atq́ aliæ conterminæ gentes, illius agnouerũt imperium: tum dico, quando tota illi facta eſt tributaria Meſopotamia, quam Syriam fluminum appellant. Verùm hæc certius de Chriſto dici par eſt, cuius imperium ſupra omnes latè orbis regiones protenditur.

Ipſe inuocabit me, pater meus es tu, Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ.

Tametſi enim de Salomone dictum legimus, Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium: at quæ hîc tamen dicunt, de Chriſto conuenientius, & de mortali quopiã homine dici debent. Quòd ſi pij omnes Deũ in cœlis patrem agnoſcũt, illumq́ uenerantes inuocant, ut fecit Dauid, id quidem factum eſt per gratiã & adoptionẽ: Chriſtus uerò naturalis eſt Dei filius, illiq́ coęternus, conſubſtãtialis, eiuſdẽ uitę, roboris, prouidẽtię, uirtutis. Et qui cũ primogenitus ſit patris ab ęterno ut Deus, ut homo tamen factus, eſt illi etiam primogenitus, ut eum uocat Paulus, in multis fratribus, ex mortuis, atq́ omnis creaturæ, tanquam noui populi primitiæ, ac ueluti is, qui primus ultro è tumulo exuſcitatus ad immortalitatem, præcipuum quiddam atq́ electum, ut ferè ſunt primogeniti, in noua fidei creatura eſt factus, cuiq́ data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Idcirco additur,

Et ego primogenitum ponam illum excelſum præ regibus terræ.

Cui unquam primogenito data fuit poteſtas in cœlo & in terra, quò cunctos præcelleret orbis terrarum reges, niſi Chriſto? Iam illud ſuperius dictum, Suſceptor ſalutis meæ: Hebræi habent, rupes ſalutis meæ, ſeu firma ſalus mea. Mirum
D niſi hîc lætiſsimum in modum geſtiat anima, conſiderans ad quantam rerum poteſtatem euectus ille ſit, cui iam per fidem unita, eò & ipſa aliquando ſublimitatis peruenire ſperat, ubi ille potentiſsimus omnium factus, cuilibet rei imperat et dominatur. Ecquid igitur in uniuerſo conditum eſt orbe, quod animæ, etiam in hoc mundo, Chriſto unitæ, non dicto pareat? Flagrantiſsima res eſt amor diuinus, qui quæcunq́ uel leui tactu apprehenderit, in ſe actutùm rapit, urit, tranſmutat, unumq́ ſecum efficit. Huic proinde dicitur:

In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi.

Aeternum, inquit, illius uolo eſſe regnũ, æternamq́ in regno miſericordiam, & pactum tandem, hoc eſt, quicquid illi pollicitus ſum, inuiolabili à me ſeruabitur fide. Sic Hebræi: Et fœdus meum erit ei firmum. Noſter interpres ſuo more teſtamentũ pro fœdere reddidit. Obſerua, Chriſti regnum in miſericordia & ueritate, ſeu fide, fundatum eſſe. Quid ultrà?

Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cœli.

Dies cœli pro indefinito æuo poſuit. Sic Felix: Et ponam in æternum ſemen eius. noſter uerò, in ſeculum ſeculi. Sequens hemiſtichius præcedentem interpretatur. Chriſti quidem poſteritati, qui ſumus nos, æterna promittitur hæreditas, quoniam ipſe ęternus eſt filius, per quem electi & ipſi facti ſunt filij Dei, & hi quidem æterni. Verùm illud horrendum, ac metu plenum, quod ſequitur:

Si autem dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, Si iuſtitias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, Viſitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.

Vide gratiæ euangelicæ dignitatem, uide ſponſi in peccantes clementiã, qui in delictis quidem capitalibus, cùm magis ad ultionem irritatur, non deſerit, ſed, quæ eſt eius incomprehenſibilis bonitas, è peccati ſorde eleuans, peramanterq́ corrigens, flagella quidẽ admouet, ſed ſalutaria, ſed paterna, non tyrannica, & letalia, Sic contigerit, inquit, quòd regni huiuſcemodi filij meam auerſentẽ legem, ſecun-

A ſecundumq́ mea non uixerint iudicia, quorum uí peccantibus pœna, bene agentibus præmium conſtituitur: ſi, inquam, iuſtitias meas, cęremonias q́ ac ſtatuta, luxurioſè uiuendo prophanauerint, præceptaq́ mea non ſeruauerint, corrigam quidem eos, ſed, ut ſolent oues errantes à paſtore corrigi, uirga, uerberibusq́, ſi opus fuerit, ut reſipiſcant, in eorum anima duertam tranſgreſsiones.

Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neq; nocebo in ℣eritate mea.

Non eum, inquit, mea fraudabo clementia, qui ſic errauerit, neque meam fallam fidem. Sic hunc uerſum legunt Hebræi: Pietatem autem meam non auferam ab eo, neque mendax ero in ueritate mea, ſed ſtabilis quæcunque pollicitus ſum præſtabo.

Neq; prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita.

Rurſus pro fœdere teſtamentum uertit interpres: & eſt ſenſus, ut reddit Campenſis: Nunquam uiolabo pactum, quod eſt inter me & uos. Id enim quod ſemel loquutus ſum, non mutabo unquam.

Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit.

Iurant crebrò homines, quia mutabiles ſunt, atq; in promiſsis nutabũdi: Deus autem ſemel, quia immutabilis. Immutabiliter, inquit, per ſanctitatem meam, hoc eſt, per memetipſum, quo nihil ſanctius inuenitur, iuraui. Si Dauid fallam, hoc eſt, abſit ut eum fallam. Modus is eſt iurandi apud Hebræos. Mentiri ne Dauidi potero? abſit ut illi mentiar: etenim firma erit, ſicut illi pollicitus ſum, illius poſteritas, manebitq́ perpetuò.

Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, et ſicut luna perfecta, in æternũ, et teſtis in cœlo fidelis

Repetit ferè idem, quod in ſuperioribus aſſeruit, dicens: Et thronus eius ſicut dies cœli: hoc eſt, æternus erit, quemadmodum dies illi æterni ſunt. Vnde angelus teſtis in cœlo fidelis ad Mariã ita de Chriſto retulit: Regnabit in domo Ia-
B cob in æternum, & regni eius nõ erit finis. Modò uerò ab eodem ſpiritu, qui tunc in nuncio illo loquebatur, audimus: Et thronus eius, nempe regius, ſicut ſol, aut luna in plenilunio, quæ tunc perfecta eſt, æternus erit: quam quidem lunam unà cum ſole, diuturnitatis regni illius teſtem, & eum quidem fidelem eſſe uolo. Vt illa luminaria nunquam deficient, ita nec regnum Chriſti, quibus tamen ſuo à motu naturaliter illis indito ceſſantibus, morteq́ nouiſsimo, ut eam appellat Paulus, deſtructo hoſte, tum regnũ tradet Deo et patri obſequentiſsimus filius. Sunt porrò qui è græco transferunt, inter quos eſt Symmachus, uice teſtis, conteſtatus: & ſic eſſet perſonæ mutatio. Ille, inquit, qui conteſtatus ac pollicitus eſt, ſe ea meo ſemini daturum quæ dicta ſunt, in cœlo fidelis teſtis eſt, & mentiri non poteſt. Rurſum, quod noſter uertit interpres, luna perfecta, Hebræis eſt, quaſi luna firmabitur in æternum. Diuinitatis quidem Chriſti perpetuitatem ſoli meritò ac lunę ęquiparari non inconueniens fuit, propterea quòd inter uiſibiles creaturas, nulla alia, quæ diuturnior appareat, inuenitur. Alio in pſalmo ſic canit de Chriſto Vates: Et permanebit cum ſole, & ante lunam, in generatione & generationem. Selah, quò immenſa hîc tegi myſteria non ignoremus, huc attexitur. Cęterum Chriſtus ſol eſt, Eccleſia uerò luna: hęc enim à Chriſto ſuã accipit perfectionem, quemadmodũ illa à ſole ſuum lumen. Sed ad pſalmum, qui deinceps queriis Iudæorum grauidus, ſic illorum incipit enarrare animi amaritudinem. Ea, inquiunt, omnia quæ dixiſti, ſic ſe habere non dubitamus, certoq́ ſcimus te tuum non abnegaturum fœdus.

Tu ℣erò, quaſi horum omnium oblitus, *repuliſti & deſpexiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum, auertiſti teſtamentum ſerui tui, prophanaſti in terra ſanctuarium eius.*

Sic Felix: Tu autẽ dereliquiſti, & abominatus es, accenſus es ira cum Chriſto tuo: deuaſtaſti fœdus ſerui tui, prophanaſti uſq́ ad terram diadema eius. Quod nos legimus, ſanctuarium, uox eſt Hebræis, quæ capitis ornamentum ſignificat, quocirca diadema tranſtulerunt. Vnde Paraphraſtes: Violaſſe uideris fœdus initum cum ſeruo tuo, & ignominioſè in terram abieciſſe diadema illius. Et eſt, ut

C dixi, querela Iudaici populi, rami quidem detruncati ab arbore: quibus omnia, maximè in captiuitate Babylonica, atq; oppreſsione ſub Antiocho, cõtraria Dei promiſsionibus uidebantur: tunc enim ſuum omnino populum abieciſſe, regnumq; ac Chriſtum, Dauid ſcilicet atq; eius poſteritatem, repudiaſſe, fregiſſe pactum, atque à uinea tam dilecta amouiſſe maceriem ac ſepem, uiſus eſt Deus. Ideo in querimonia perſeuerans ſic intulit:

Deſtruxiſti omnes ſepes eius, poſuiſti firmamentum eius formidinem.

Vt enim iſtiuſmodi amaræ, ut uidentur, querelæ à Vate, uice populi Iudæorum à tyrannis oppreſsi, planeq; de diuinis promiſsionibus deſperantis, proferri uideantur: ſic & ad Chriſtianorum tempora, forſanq; præſentia, aptari poſſunt. Certè non queunt, uel perfectiſsimi quidem uiri, non adeò interdum, ob concul catam Dei religionem, deprauatamq; Chriſtianæ uitæ ſimplicitatem, etiam in his qui chriſtianiſsimi uideri uolunt, excandeſcere, ut propemodũ de Deo queri, deq; illius pollicitationib. ſubuereri, ac penè deſperare iudicentur. Non pacato ſanè animo, Dei gloriam in terris obſcurari, optimos quoſq; opprimi, iuſtitiã contemni, ac mundum tandem circa aras uerſari, & noſtram dementiam ab infidelibus deridèri tolerant. Queruntur itaq;, clamant, flent, & quaſi iniuſtitię Deũ inſimulant, ac ferè ignauiæ, qui ad ſuum tuendum honorem tam tardus ſit, damnant. Tantũ uerò abeſt ut à pietate deficiant, ut etiam accepto ſpiritus lumine, in illa magis conſolidentur. Vehemens id agere ſolet ab amore (ſi maximè in Deum, quem ſuper omnia diligi oportet & coli, fertur) profectus dolor. Imago hæc rerum in Chriſti morte expreſſa fuit, qui cùm infinitas ſuæ diuinitatis in terris præ ſe tuliſſet notas, traxiſſetq; illicio, ut ſic dicam, beneficiorum, uerbiq; lepore atq; efficacia ſpiritus multitudinem, ita ut nemo iam, quin is Dei eſſet filius, ambigere potuiſſet, ignominioſiſsimo tamen mortis genere è mundo ſublatus eſt. Diſsi
D patũ tum quidem fuit, uirgine excepta, quicquid fidei in terris inueniebat. Vnde illa fuit diſcipulorũ in itinere expoſtulatio: Sperabamus quòd ipſe eſſet redempturus Iſraël. quaſi dicerent, nihil hac de re actum eſt. Sed ut ad pſalmum reuertamur, de populi deiectione ęquè loquitur, atq; de uinea ſolemus deſolata, aut oppido, quod muris dirutis, omnibus peruiũ factum ſit. Cuncta, inquit, ſepta illius demolitus es, proq; uallo & propugnaculo, formidinẽ illi, atq; terrorem circumieciſti. Nonnulli ex hebræo confractionem legunt, hoc modo: Poſuiſti munitiones eius confractionẽ: hoc eſt, munitiones eius funditus euertiſti. Quamobrem

Diripuerunt eum omnes tranſeuntes ʋiam, factus eſt opprobrium ʋicinis ſuis.

Datus eſt, ait, populus tuus pertranſeuntiũ omniũ libidini, ac depopulationi: neq; id ſatis, ſed & illius ruinæ addita eſt irriſio, atq; à circumiacentib. uicinis ludibriũ. Exin, prò dolor, uiſus es penè pro ipſis ſtare hoſtib. decertareq; cõtra tuos, ſi quidem *Exaltaſti dexteram deprimentium eum, lætificaſti omnes inimicos eius.*

Deiſtiuſmodi tropo exaltandi manum aliàs diximus, & eſt perinde, quaſi ſic ſummam rei exprimeret: Quò grauius percutiant, hoſtium alioqui per ſe nos crudeliſsimè urgentium dexteram in altum attollens, illis uires, nobis imbecillitatem ſuppeditas: ex quo maxima illi affecti ſunt lætitia, ac de proſtrato populo tuo, conſolatione. Hinc illis ferocioribus factis,

Auertiſti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello.

Aciem, inquit, gladij populi tui aliter audacẽ & acutã, penitus retudiſti, illũq; in prælio ulla abſq; ope deſeruiſti, ac tandẽ, quod acerbiorẽ illi addidit mœrorẽ,

Deſtruxiſti eum ab emundatione, & ſedem eius in terram colliſiſti.

Emundationem uertit interpres, pro magnificentia, ſeu ſplendore, atq; ornatu: nam crebris ablutionibus emundari, maximũ erat Iudęis ornamentum, ac religionis ſignũ. Illis itaq; alludens ritibus Propheta, omnẽ ſanctitatis famam & ſplendorem in Dei populo extinctum fuiſſe queritur, ut & Dei uiri queruntur noſtra hac quoq; ætate ſatis, propter quorundam è religionis cultoribus improbitatem, turpesq; mores, exulcerata. Colliſiſti, ex Hebræo legi poſſet, deieciſti, detra-

A detraxiſti: ſeu etiam ex græco, confregiſti: in idem tamen redeunt hæc omnia. Euertiſti, inquit, ſoloq; æquaſti illius regnum & quietem: & id quidem præmaturè. Nanque

Minoraſti dies temporis eius, perfudiſti eum confuſione.

Hoc eſt, anteaquàm illius regnũ adoleuiſſet, ſuumq; perfectè aſſumpſiſſet incrementum, excîdi illud prorſus, atq; à medio tanquam innocuum puerum tolli uoluiſti. Intempeſtiuè illud quidem collabi tum uiſum eſt. Quid? pro gloria antiqua illa patrum, ignominia perfudiſti dilectum populum tuum? Heu ſortem humanam. Vidimus etiam & nos, expertiq; iam millies ſumus, quæ hîc à ſpiritu dicuntur, pigetq; noſtram ita in longum protrahi uitam, ut omnia quæ ab antiquis patrum inſtitutis degenerant, intueamur. Iam faſtu omnia atq; ambitione ſunt plena, idcirco ludibrio & ignominię expoſita. Perfudiſti nos, inquit, confuſione, opprobrio, infamia, deriſione. Verùm (conuenientiſsimè inſertum eſt hîc Selah)

Vſquequo domine auertis in finem? exardeſcet ſicut ignis ira tua?

Clarius ex hebræo: Vſquequo domine abſconderis in æternum? perpetuóne id erit? ſemper ne furor tuus in nos, uti ignis feruere ſolet, feruescet? Quouſq; hęc non uides? Quis id non intelligat, te tuis fauere hoſtibus, amicis uerò aduerſari? atq; ne illis feras ſuppetias, aliò diuertere? Ardebit ne hæc perpetuò tua in nos indignatio? Vix credo. Tu potius

Memorare quæ mea ſubſtantia: nunquid enim vanè conſtituiſti omnes filios hominum?

Ex hebræo, Recordare quanti ęui ſim: ob quid fruſtra creaſti omnes filios hominum? quaſi dicat: Memento quàm breue ſit humanæ uitæ ſpatium. Etenim nemo eſt, quem non mors celeriter abſumat. Cùm ita ſit, cur in tot nos aduerſa, alioquí citò morituros, conijcis? Da igitur in hoc breuiſsimo uitæ curſu, ut reſpiremus, quieteq; uiuentes tua fruamur bonitate, ne nos nequicquã nati uideamur.

B Vt quid homines creaſti? num ut ſemper in miſeria uiuendum ſit? Cur ſic genus abijcis humanum, quaſi illud non crearis?

Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem? eruet animam ſuam de manu inferi?

Paſsim inferos pro ſepulchro uertit interpres. Ait itaq;: Sat ſit malorum, quòd tam breui & uili, utpote infinitis obnoxia miſerijs, facti ſumus conditione. Siquidem nullus homo eſt, quamlibet ualidus & robuſtus, qui mortis futurus ſit expers & ſepulchri. Omnes quippe morimur, ac tanquã aqua fluens ad ſepulchra ferimur. Atqui ſupraquàm dici poteſt iſtiuſmodi cogitationum immanitate pij excruciari ſolent animi, deſperarentq; interdum, niſi ſpei ſtimulis puncti, ad contemplandam futuræ uitæ tranquillitatem conuerterent. Quocirca Selah hîc poſitum eſt. Interim uerò præterita Dei beneficia, ſimul & pollicitationes memorantes, ita cum Deo res ſuas digerunt, ratiocinanturq;:

Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ domine, ſicut iuraſti Dauid in veritate tua?

Miſericordias uocat promiſsiones tum ueteribus olim factas, tum nouiſsimè ipſi Dauidi confirmatas de Chriſto, quem mundo ſeruatorem fore pollicitus fuerat Deus, qui ſuis in pollicitationib. ſeruandis conſtantiſsimus ſemper uiſus eſt. Idcirco ait: Sicut iuraſti Dauid in ueritate tua, quæ falli nequaquã poteſt. Tunc enim, quando maximè totus periclitari uidebatur Dei populus, in id penè deſperationis adducti ſunt plerique, ut ſuſpicarentur Dei promiſsiones de regni Dauid perennitate, quæ in Chriſto expectabatur, fore irritas. Quis unquam à captiuis, traductisq; toties, atq; propémodũ extinctis, id ſperare fuiſſet auſus? Vrget itaq; Deum à promiſsis, & his quidem iuſiurando confirmatis, hoc ferè modo: Melius quidem fuiſſet te nunquam nos tot exornaſſe tuæ miſericordiæ ſignis, pollicitationibusq; tam crebris admonuiſſe, quàm poſt ſpem conceptam, abiecisſe deſeruiſſeq; penitus. Quò illæ abierũt promiſsiones? quo fœdus? in uentum ne? Quò tandem iuramentum illud, quando tute Dauidi aſtrinxiſti, te bona fide illius poſteritatis curam habiturum? Falſis ne illum lactaſti pollicitationibus, ô clementiſsime, an ueræ illæ potius extitere? conſtantes? infractæ? æternæ? Ergo

C *Memor eſto Domine opprobrij ſeruorum tuorum, quod continui in ſinu meo, multarum gentium. Quòd exprobrauerunt inimici tui Domine, quòd exprobrauerunt commutationem Chriſti tui.*

Iam tandem Vates, uel potius orbis ſeruator, quæcunq; malorum in ſuos ab improbis irrogari contigerit, in ſe fieri confitetur. Quod porro in ſinu meo, uertit Felix: ſeu, ſuſcipio in ſinum meum, ut alius ex hebræo. Aquila uerò, tuli, nempe opprobrium. Cæterùm quæ in ſinu ferre conſueuimus, ea nobis ſunt cordi. Vates igitur ea ſe affici moleſtia ob populi Dei oppreſsiones aſſerit, ac ſi in ſe caderent omnino. Norma certè aureis conſcribenda literis, ab illis maximè, qui primas in rebuſpublicis ac populis nacti ſunt ſedes. Certè paſtor, ſi uerus paſtor eſt, gregis ſui incolumitate & ſalute lætatur, ægritudine mœret. Quid pater in filiorum languorem & morbum? quanta interturbatur ſolicitudine? quanta animi anxietate? Eodem planè malo quo affligitur filius, affligitur & ipſe: ſin minus, aut pater non eſt, aut pater eſt ferreus & crudelis. Ita animarum ſunt præſules & cuſtodes, quos ſanè à meo patre ſic admoneri uideo: Ante omnia, inquit, non, diſſimulantes aut paruipendentes ſalutem animarum ſibi commiſſarum, maiorem gerant ſolicitudinem de rebus tranſitoriis, atq; terrenis & caducis, ſed ſemper cogitent, quòd animas ſuſceperint regendas, de quibus etiam rationem reddituri ſint. Penè noſtræ ætatis præſules depinxit uir ſanctus, quibus quidem tanta iam terrenarum rerum iniecta eſt cura & ſolicitudo (ſit' ne in cauſa temporum conditio, an procliuis illorũ animus in his tractandis, quæ ad mundum attinent, me fugit omnino) ut nullo alio conſtare robore religio appeat Chriſtiana, quàm ut diues ſit, & magnifica. Verùm ego quidem in contaminatæ huius ætatis corruptionem, id uitij genus reijcere ſolitus ſum. Tantum illud cupio, ut cum Chriſto ſubditorum miſerias ac lapſus, proprio in ſinu gerant, condoleant, con-
D gemiſcant, ſubleuent tandem. Eæ ueri paſtoris partes ſunt. Porrò, ut ad pſalmum redeam, quòd uetus habet æditio, cõmutationem, tametſi de lechonia, aut Sedechia, qui uice Dauid in populo regnarunt, nonnulli exponant, uerior tamen ſenſus ille eſſe uidetur, quem ab Hebræorum litera accepimus, qui ueſtigia legunt, ſeu ueſtigijs. Idem diuus Hieronymus & Felix. Idem & cæteri, & in primis Chaldæus, qui ſic tranſtulit: Exprobrauerunt tarditatem ueſtigiorum pedum Meſsiæ tui. Iudæi, qui in illa tunc ętate uixerũt, è ſuo certè ſanguine ſperabant Chriſtum naſciturum. Vnde intoleranter ferè ſibi irrogata ab infidelibus audiebant imperia, utpote qui in uenturũ quendam ſperarent hominem, et Meſsiam, cuius ne ueſtigia quidem pedum uiſuri eſſent. Iſtiuſmodi igitur erant gentium, in Iudęorũ ignominiam, ac Meſsiæ deriſionem, opprobria & contumeliæ. Faxit Deus, ne inter nos quoq; ſint, qui rideãt, ſi quis ſanctiſsimis Chriſti inhæreat ueſtigijs. Abſurdiſsimum illud quidem, te aliud profiteri, aliud imitari. Verùm quoquo ſemodo res habeant humanæ, Deus eſt, inquit Vates, qui promiſit: idcirco non poterit, quæ pollicitus eſt, non præſtare. Ideo

Benedictus dominus in æternum. Fiat, fiat.

Hebræis: Amen, Amen.

PSAL. XC. Oratio Moſis uiri Dei.

Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem.

De inſcriptione huius pſalmi, in pſalmo ſecundo, quantum tum ſatis uiſum fuit diximus. Cæterùm breuitatem, addo & uanitatem huius fugacis uitę deplorat hîc Vates, qui ſuo more ad tabernaculum fœderis reſpiciens, uocat Deum refugij habitaculum, ad quod confugere debeant homines. Nam quod noſtra habet æditio, Domine refugium: Felix legit, & alij ferè ex hebræo, Domine habitaculum refugij. & eſt ac ſi dicat: Non eſt id manu factum, quod frequentamus, tabernaculum, ad quod in primis, noſtris in indigentijs, recurrere debeamus: ſed tu ipſe tuæ es diuinitatis manſio, tuorumq; refugium ac ſalus: &

A lus: & id quidem priuſquam mundus, atq; adeò omnia, quæ in mundo ſunt, in lucem prodierint. Nam

Priuſquàm montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à ſeculo & in ſeculum tu es Deus.

Veriſsimum illud eſſe Pauli non ambigo, quo aſſerit nos ante mundi conſtitutionem à Deo fuiſſe uocatos, ſecretosq; ad uitam. In mente quippe illa æterna, cui omnia antequã fiant, iam facta ſunt, ſemper, etiam ante orbis huius fabricam, eſt rerum omnium uita, idcirco & prouidentia illarum & cura. Volunt nonnulli montes (quod in ſcripturis frequens eſt) pro angelica hîc poni natura, terram autem pro humana. Non obſtat tamen ſenſui, ſi ſimpliciter de uaſtiſsima montium mole intelligatur, modò illud, quod ſequitur, libentiſsimè fateamur: A ſeculo, in quit, & in ſeculum tu es Deus: hoc eſt, non temporarius es Deus, ſed æternus, ſed ille, ad quem ſubinde noſtra omnium referenda eſt ſalus. Quare

Ne auertas hominem in humilitatem, & dixiſti, conuertimini filij hominum.

Longè ſecus litera eſt Hebræis. Sic illi: Tu redire facis hominẽ uſq; ad contritionem, & dicis, reuertimini filij Adam. ut ſit ſenſus: Tu Deus miſeri Adæ filios, nempe debiles & corruptos, ad mortem continuè ducens, ad te, qui conditor eorum es, redire facis, dicisq;: O qui è puluere formati eſtis, corpore, moribundisq; membris in puluerem redite: ſpiritu uerò, quem uobis inſpiraui, reuertimini. Reuertimini ad uitam, qui uoſmetipſos ultrò præcipitaſtis in interitum. Reuertimini ad me, uel ſerò, per pœnitentiam, qui per peccatum præproperè nimium receſsiſtis.

Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit, et cuſtodia in nocte.

Hucuſq; Hebræis eſt uerſus, cuius is erit ſenſus: Noſtra enim uita tuam ad æternitatem collata nihil omnino eſt. Nam mille anni noſtræ ætatis ſunt tanquã dies,
B qui iam præteriit in oculis tuis. Sunt, inquã, ueluti noctis cuſtodia, nempe trium horarum ſpatium. Antiqui enim noctes in quatuor partes diuidere conſueuerant. Et quidem,

Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Hominum nimirũ. Vide, te obſecro, humanæ uitæ inanitatem, quam umbræ ſomniũ ex Græcis quidam appellauit. Vates uerò: Rapuiſti eos ut impetus aquarum: ſomnus ſunt. Sic enim Hebræi uertunt ultimam uerſus particulam, ſeu potius totum integrũ uerſum. Noſter quidem interpres magis ad ſenſum reſpexit, quàm ad uerba. Ex græco tamen uertunt: Contemptus eorum erunt. quod quid ſibi uelit, uix coniecturis auguror. Sunt & qui ex hebræo transferunt: Facis inſtar nimbi eos defluere: ſomnus ſunt. En quibus rebus comparatur uita humana, rapido nimirum amni, & fluuio: repentinæ rurſus nimborum præcipitationi, ac demum ſomno. Quis tam bellam non amaret uitæ conditionẽ, quæ fluxui aquarum, & ſomno, herbæ inſuper, quæ cùm manè uiuida ſit & tenera, mutatur illicò & reſecata areſcit, æquiparatur?

Manè, inquit, ſicut herba tranſeat, manè floreat, et tranſeat, veſperi decidat, induret et areſcat.

Commodius enim uerba hæc omnia per futurum legi poſſent, tranſibit, florebit, areſcet, decidet: ut eſſet ſenſus: Verè quidem miſeri ſumus, quos æquè celeriter ex hac uita deijcis, quemadmodũ è cœlo nimbos deijcis, aut pluuias repentinas: nosq; ſomno perſimiles facis dictum factum euaneſcenti: atq; herbæ uiridi, quæ ueſperi reſecata, indureſcit ſubitò & ſiccatur.

Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui.

Non diſsimulanter fatetur Vates, uitæ noſtræ fugacitatem atq; incõmoda, noſtris à peccatis originem habere: Deiq; iudicium uocat iram, & furorem, ſeu indignationem, ut uertunt ex hebræo. Quòd, inquit, tantis circundati ærumnis, in dies magis conſumimur: quòd aquæ labentis more defluimus, quòd ſomno ſimillimi facti ſumus, id tua ab irritata à nobis bonitate ac patientia prouenit. Nam no

C ſtræ omnes poſitæ ſunt in conſpectu tuo peruerſitates, totumq; illud, quod uiuimus, ante oculos tuos uerſatur. Seculum noſtrum, in hebræo non eſt, ſed, occulta noſtra, quæ ad peccata referuntur. Vnde ſic Paraphraſtes: Peccata, quæ nos pro occultis habuimus, & in adoleſcentia cõmiſimus, ipſa luce manifeſtiora ſunt in cõſpectu tuo. Illud obiter notandũ, quid ſibi uelit, in adoleſcentia, in Paraphraſte. Dictio enim, occulta, quam noſter uertit interpres, ſeculũ, à nonnullis quoq; ex hebræo uertitur, iuuentutem noſtram: hoc eſt, ut ipſi exponunt, peccata iuuentutis noſtræ. Mens quippe prophetæ eſt, ut non tam uitæ humanæ celeritatem defleat, quàm ipſius celeritatis cauſam & originẽ, nempe peccatum, atq; impudentiſsimæ iuuentutis tranſgreſsiones, quæ Dei omnino palàm ſunt oculis, qui, ut inquit Salomon, multò plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes uias hominum.

Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus: anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.

Hactenus Hebræis eſt uerſus, quanquã apud eos nulla eſt de aranea mentio, ſed ſic transferunt, uel in primis diuus Hieron. Conſumimus annos noſtros tanquam ſermonem. Vnde ſic quidam: Sicut ſermo qui non reuertitur, uno tantum momento manens dum dicitur, & ſimul deſinens, ita eſt uita hominis ſuper terram. Seu, ut alij: tanquam murmur leue, aures ſcilicet ad momentum percellens. Vide quanta abundat ſimilitudinum copia diuinum hoc poëma. Sic ſunt res ſpiritus. Finiuimus, ait Campenſis, annos noſtros dicto citius. Heu quis iam hîc rurſum eſt, qui hanc tam breuẽ tanti faciat uitam, ut diuturnæ illius, qua in ſe uiuens Deus, ſua nos donat æternitate, obliuiſcatur? Heu falſam mortaliũ ſpem illorum, qui omiſſo Deo, uitæ huic infelici, atq; aura ipſa uelociori, toto incumbunt animo. Araneolis quidem hi haudquaquã diſsimiles ſunt, qui tenuiſsimas & caducas maximo labore (ſtultè id quidem) componunt telas. Toti hi quidem ſunt in
D his texendis, quę ſtolidiſsimi illius animantis laborem magis ſpectare uidentur, quàm quę digna ſunt homine, qui ſuperior eſt mundo, atq; ad immortalia inquirenda conditus. O ſtupidos animos, quid in imis cœleſtia expiſcari contenditis? Fortaſsis certè toleranda utcũq; hæc eſſet uitæ breuitas, poſtquã ſic noſtris commeruimus peccatis: at uanitatẽ, ſuperuacaneasq; addere breuitati curas, ut nunc fit, quis æquo ferat animo? quis ſtultiſsimas has noſtras non irrideret occupationes? Vis ne quàm in longum protrahi uix poſsint anni hominum audire?

Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor: quoniam ſuperuenit manſuetudo, & corripiemur.

Dies, inquit, annorum noſtrorũ in ipſis, nempe diebus, ſeu hominibus, ſeptuaginta ſunt anni: ad ſummũ uerò in robuſtioribus octoginta: ſi quis poſtea longiorem uixerit uitam, ea amplius uita non eſt, ſed labor, ſed dolor, ſed ærumna, ſed uita morte ipſa grauior. Porrò manſuetudinem, pro remiſsione, ac defectu uirium poni arbitror: nanq; illis qui ad decrepitam uſq; perueniunt ętatem, perlangueſcit ingenium, ceſſant uires, labaſcunt genua, fitq; tandem corpus illud totum cadaueroſum, effœtũ, uietumq; & ſemimortuum: atq; hoc ſanè modo corripiuntur ſenes, proq; priſtinis erratis dant pœnas. Quanquã non me clàm eſt, hanc ultimã particulam aliter legi in hebræo. Sic illi uertunt: Quoniã citò recedit, at nos auolamus. Quare ſic Paraphr. Abeunt uelociſsimè (decrepiti ſcilicet) & nos toti uelut alis aſſumptis auolamus. Poterat ne concitatioribus uerbis uitę huius fugacitas exprimi? Illud quoq; poſtremò addendũ quòd, amplius, in hebræo non eſt, ſed faſtus. Faſtus, inquit, eorũ labor & dolor. Declinauit ſanè tanq; ſol ad occaſum illorum faſtus, & nos tanq; aues è nido, quaſi nunquã fuerimus, auolamus. Mira res.

Quis nouit poteſtatem iræ tuæ? & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

Subobſcurus is eſt uerſus. Cæterùm, dinumerare, ad ſequentem uerſum attinet ſecundum Hebræos, qui ita illum transferunt: Ad numerandũ dies noſtros ſic notũ fac, & offeremus cor ſapientiæ. Sed quantũ ad præſentis uerſus obſcuri-

tatem

A tatem pertinet, uidetur dicendũ, præ timore tuo iram tuam, ab Hebræorũ etiam interpretibus transferri: & erit ſenſus: Vt quis enim te timet, ſic tua eſt indignatio. Quocirca ſic is uerſus cum ſequenti, quẽ ita reddit interpres, exponi poſſet:

Dexteram tuam ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia.

Domine, inquit, ſimulacres noſtræ tecum, ut iudicare poſſumus, ita ſe habeant, quis tuæ iræ uim nouit? hoc eſt, quis agnoſcere poterit, quantum, quámue in longum protrahitur tua in nos excandeſcentia? pro modo enim quo quiſq; te timet, & ueneratur, tua uidetur ſæuire ira. Etenim qualem te Deum ſibi eſſe credit unuſquiſq;, talem te illi exhibes. Si quidem ut iudex timeris, iudex illi eris: ſi patrem te eſſe credit, te patrem habet: ſi iratum, iratũ: ſi placabilem, placabilem. Talis igitur unicuiq; es, qualem te ſibi eſſe perſuaſum habet. Quapropter notum fac nobis uitæ noſtræ tempus, ne quantæ, quámue longæ iræ tuæ obnoxij ſimus, ignoremus: atq; idcirco omiſſa ſtultitia cor noſtrum ſapientiæ cõſecrabimus, cuius ea uis eſt, ut in te bona omnia noſtra ſita eſſe, à teq; pendêre condiſcamus. Ideo

Conuerte domine. Vſquequo? & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.

Quod enim de ſuperioribus duobus uerſibus dicunt expoſitores quidã, conantur q; ab ęditione ueteri neſcio quem ſenſum formare, non libuit ſcribere cùm ob multa, tum quia adeò confuſa uiſa eſt litera, atq; ab Hebræis diſſona, ut planè diuerſum reddi ſenſum à Vatis animo & ſpiritu iudicauerim. Hinc eſt (credo) quod Vates parum nonnunquã ſibi conſtare in pſalmis à tardis lectoribus iudicatur, dum unam atq; aliam planè diſsimilem in uno plerunq; uerſu ponì literam ſuſpicantur. Hanc quidem peperit ingeniorum confuſionem noſtra hæc à Græcis nõ ex Hebræis translata æditio, & id ſanè interdum paulùm oſcitanter: niſi mauis etiam in hac parte eruditiſsimorũ hominum ignorantiã damnare. Ego enim quę à doctiſsimis didici expoſitoribus, qui linguarũ longo aſſequuti ſunt labore ac
B uigilijs peritiam, abſq; inuidia cõmunico. Fateor tamen me minima, uel nulla potius eruditione, addo & librorum copia inſtructũ, ad has qualeſcunq; acceſsiſſe cõmentationes. Qui enim feliciori nati ſunt ſidere, quibus q; maxima ſuppetit librorum uis, atq; amicorũ ſuppeditantiũ & ocium & impenſas gratia, benignioribus ſcribant Muſis. Mihi pro lucro non mediocri erit, ſi tantillo hoc mihi à benigniſsimo patre omniũ conceſſo non deſtituar ſpiritu. Quid ſi aliquando à poſteris, qui in me gratiori erunt animo, quàm hi forſan, qui uiui autoris opera non abſque ſtomacho legere conſueſcunt, & legar, &, ut ſolent res nonnunquã ruſticanæ ab optimatibus auidè expeti & guſtari, inter librorum delicias hę meę computabuntur uigiliæ, dicentq; ſtudioſi: Ergó ne ſine libris, ſine Mecœnate, ab obſcuro monacho, neglectoq; à ſuis, non prorſus indocti ſcripti ſunt cõmentarij? Quid uim addidit rudi illi uiro, nullius fermè numeri ac nominis, ut id auderet? Aut fuit Deus, aut nihil omnino. Certum illud eſt, Dei ſpiritũ in ſolitudine atq; ſilentio magis, quàm inter turbas inueniri. Illi ſic, nos uerò ad inſtitutum redeamus. Hæc eſt noſtra cum Chriſto perfectio, conſolatioq; in ſpiritu, cùm Deus à nobis propter peccata auerſus, reuertitur placatus, atq; homini, rei utiq; uiliſsimæ, ſi uitam ſpectas, reconciliatur altiſsimus. Ait itaq;: Ad ſolitam redi pietatem ô Deus. Verùm uſquequo toties imploratus abes? Recepta iam tandem debiti ſolutione, ueni, ac nos libera: et qui inexorabilis, ob crebras noſtras offenſiones, ferè factus eras, ſinito te à ſeruis tuis exorari. An nondum ſatis ſæuitum eſt? Ceſſet iam manus tua, ô clementiſsime.

Repleti ſumus manè miſericordia tua, exultauimus & delectati ſumus in omnib. diebus noſtris.

Rurſus interpres nonnihil confundit ſenſum. Conſentaneum quippe fuerat, ut ſimulatq; dixit, conuertere, & deprecabilis eſto, ne ab inſtituto cadere uideret diceret, Reple, ſeu ſatia, ut legit Hebræus, miſericordia tua: & ſic exultabimus, & lętabimur omnibus diebus noſtris. Satietas hæc Dei miſericordiæ cùm à fide oriatur atq; amore, gaudium ex ſe parit inenarrabile, pacem item animi, conſolationemq; in ſpiritu ſancto, atque laudandi Dei mirè anxium ſtudium ac de-

C ſiderium: & id quidem tantiſper dum uiuimus. Porrò uis ea eſt amoris huiuſcemodi, ut in uita hac, alioquin arida & ſterili, incipiens, in Deum, qui æternus eſt, ſummo feratur niſu & ardore. Cęterùm, manè, pro quamprimùm, quod aliàs adnotauimus, accipi ſolet. Vnde Paraphraſtes: Copioſè, inquit, & citò ſummo mane benignitatis tuæ particípes effice.

Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala.

Iterum uertendum erat, Lætitia nos affice, ſeu, ut uertit Felix, Lætifica nos. Sicut, inquit, afflixiſti nos, ita & mutata ſorte, dies anniq; illi amari & turbidi, in dulcedinem et conſolationem uertantur. Quid enim malorum non uidimus? Videamus quoq; & bona. Et quidem, ut iſtuc quamprimùm contingat,

Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua domine, & dirige filios eorum.

Orat iam Vates in calce pſalmi, ut ſuos tandem placato intueatur uultu familiares Deus, agatq; ut eius opus, nempe ſpiritus infuſionẽ, quę in Chriſti aduentu copioſiſsimè effluxit, non ſolùm ipſi, uerumetiam illorum filij, nepotesq;, & quæcunq; ad eos attinent, perſentiant. Quod ſanè melius ex hebræo exprimunt doctiores, qui ſic reddunt: Appareat in ſeruis tuis opus tuum, & gloria tua in filijs eorum. Quod quidem opus & gloria ad redemptionis humanæ beneficium retulit Paraphraſtes: Appareat, inquit, ſeruis tuis ſalutiferum illud redemptionis opus, & reconciliatio diuinæ maieſtatis tuæ nota fiat ſeruorum tuorum poſteris. En nobiliſsimum Dei opus erga homines, en gloria, en decor, en pulcherrima ſponſæ facies in ſponſi ſanguine honeſtata. Appareat igitur ille, quo apparente, è mundo, quicquid obſcurum eſt & tenebroſum, eliminabitur.

Et ſit ſplendor domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige.

Splendor hîc domini Dei noſtri, nempe Chriſti, per gratiam qui noſter factus
D eſt, atq; per noſtræ naturæ aſſumptionem unus ex nobis, præterquàm quòd uim eam præ ſe fert ſpiritus, qua imbuti fideles, quæcunq; agunt lucida ſunt, ac diuinam ex ſe referentia imaginem & præſentiam, crucis quoq; eſt ſignum, quo electorum frontibus impreſſo, ſplendidiores efficiuntur, quàm ſol ipſe meridianus. Euangelium inſuper eſt, ac Chriſtus tandem, qui ſplendor gloriæ, figuraq; ſubſtantiæ patris ab Apoſtolo appellatur. Per hunc igitur, per quem, tanquam per puriſsimum uiuæ aquæ riuum, in nos gratiarum deriuat copiam ipſe pater, opus manuum noſtrarum dirigat ac confirmet: dirigat, inquam, & ratum habeat quæcunq; agere inſtituimus (Opus & opus, non opera & opus, ne in ſuperfluis philoſophemur, Hebræis eſt) ut nihil aliud rebus in agendis attendamus, præterquã proximi noſtri cõmodum et ſalutem, ſed in primis Dei honorem & gloriam. Cui laus ſit & benedictio in ſecula ſeculorum. Amen.

PSALMVS XCI.

Qui habitat in adiutorio altiſsimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Vates in hoc pſalmo, cui nulla eſt inſcriptio apud Hebræos, de mirabili Deo nitentiũ fiducia, atq; adeò contrà de indicibili illius protectione erga homines, canere inſtituit. Quantum porrò ſpectat ad ſpiritualem pſalmi ſenſum, quicquid iam dici poteſt, id diuus occupauit Bernardus, uir ſanè cùm doctrina & eruditione inſignis, tum ſpiritus igne mirum in modum affectus, & incenſus. Extant illius luculentiſsimæ ac facundæ in hunc pſalmũ lucubrationes, quæ paſsim ab omnib. qui illiuſmodi delectant ſcriptionib. legunt. Eam obrem nos noſtrum non deſerentes inſtitutũ, ad literam, noſtra in æditione ſubobſcurã & ambiguam, dilucidandã intenti erimus. Compertiſsimũ id eſſe debet, Chriſtũ à ſpiritu hîc deſignari, qui ſub tegmine alarũ Dei, ſuis in aduerſis & tentationib. ſe tutum prædicans, quid illi, qui uitam habent abſconditã in Deo, ut inquit Paulus, cùm contingunt aduerſa, agere debeant, admonet. Pſalmus igitur omnibus Chriſti membris communis eſt, ſingulisq; qui Chriſto per fidem uniti ſunt (tantùm

A tùm abſit ſuperſtitio) conuenientiſsimè aptari poteſt. Sic itaq; ordiť Vates: Qui habitat in adiutorio altiſsimi, in protectione Dei cœli cõmorabitur. Qui, inquit, perſeueranter, fortiq; animo ſub altiſsimi tutela, tanquam ſub ſcuto, ſeſe texerit, dubio procul illius protectionem omnipotens aſſumet Deus: idcirco in omnib. quæcunq; euenerint, erit tutus. Ex hebræo ſic uertunt: Qui ſedet in abdito altiſsimi, in umbra omnipotentis cõmorabitur. Commodùm enim in Dei abdito & ſecreto illos ſedere, qui in rebus ac negocijs huius mundi feſsi ſunt, exoptat Vates: quippe quorum protectio inuiſibilis omnino ſit, ac mundo incognita. Ad illas quidem ſpiritus operationes, puras nimirũ, atq; à mundi craſsitie remotas, mens terrenarum rerum curis occupationibusq; diſtenta, quî aſſurgere poterit? Illúm ne aliquando in Dei umbra ſedere dixeris, qui abiecta Dei religione, in mundi plauſu oblectamentũ uenatur? Certè iſtiuſmodi animarum refrigerium non ſentit, niſi ille, qui fide atq; dilectione in Deum translatus,

Dicet domino, ſuſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus ſperabo in eum.

Felix tamen in prima perſona ſic tranſtulit: Dicam domino, ſpes mea, & munimentum meum, Deus meus confidam in eo:

Quoniam ipſe liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero.

Et Græci & Hebræi, te legunt, non me. Et eſt uox ſpiritus ad illum, qui habitat in adiutorio altiſsimi: quemadmodũ illa eſt habitatoris, ſperabo in eum, ſuam teſtantis fidem, atq; ad admittendas Dei inſpirationes promptitudinẽ. Miram quàm iucundo hîc ludat ſpiritus dialogo, ut penè, ni cautus ſis, te penitus, quis cui, aut de quo loquatur, fugiat, adeò repentina interdum fit perſonæ mutatio. Cæterùm, laqueum uenantium, ſeu uenatoris, inſidias clàm cuipiam factas interpretantur: uerbum uerò aſperũ, manifeſtas calumnias atq; iniurias. Ideo, calumniarum ſermonem, uertit Symmachus. Verùm ex hebræo, à peſte noxia, ſeu
B confractionum, reddunt, quæ manifeſta exitia, ſeu pernicioſum dolum eſſe exiſtimant. Illud ſciendum, totum hunc pſalmum de tutela hominis, qui à Dei refugio pendet, intelligi, cuiq; neque homines, neq; dæmones nocere ualidi ſunt. Quare intulit:

Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis, ſcuto circundabit te veritas eius.

Hucuſq; Hebræis unus eſt uerſus, quem ſic reddunt: Ala ſua operiet te, atq; ſub pennis eius confides, pro ſcuto & clypeo erit ueritas eius. De tutela alarum Dei non ſemel diximus. Sumpta eſt metaphora ab auibus, quæ ob filiorum ſalutem, ſeſe corpore, miluo aut accipitri opponunt, eosq; alis contegunt. Siue igitur ſcapulas legas cum noſtro interprete, ſiue cum Hebræis, alas, fidã atq; ſolicitam Dei erga ſuos protectionẽ intelligas. Quocirca additum eſt, ſcuto circundabit te ueritas eius: hoc eſt, ſub illius fide, qua pollicitus eſt ſe perpetuũ fore ſuis defenſorem, tanquã ſub ſcuto eris tutus. Cùm recolit anima, quæ, quantáue ſint illa, quæ ſuis æternus promiſit pater, quæcunq; occurrãt infracta perſtat, in illumq; quem nouit in promiſsis conſtantiſsimũ & fidelem, ſua omnia reijcit deſideria, indigentiam, curasq; omnes & ſtudia. Quo ſanè inſtituto, tanquã parmula obtecta, nihil non audet in hoſtes, nempe impuros homines, atq; diſsidiorũ autores dæmones, quos omnes ſub uocibus pauoris nocturni, ſagittæq; uolantis perdiu, ac cæterarũ rerũ, quæ actutũ ſequunť, intelligi uult Vates. Cęterũ uolunt nõnulli hîc, Dei ueritatẽ, illius eſſe uerbũ, quo animæ protectæ in hoc uitæ deſerto ſecuriſsimã degũt uitã. Vnde nõ abſq; ratione à ſeruatore eſt dictũ: Pater ſanctifica eos in ueritate, ſermo tuus ueritas eſt. Hac itaq; Dei uerbi ſanctificatione ſi ornatus es,

Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die.

Quæcunq;, inquit, inferant dæmones die, quæcunq; nocte, nullum illi erit incõmodum, qui ſic protectus eſt, tantum abeſt ut timeat. Fiat, inquit Paraphraſtes, ut neq; timeas ſi quis iaculo te petat etiam medio die. Neq; item

A negocio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.

Nulla hîc de dæmonio fit apud Hebræos mentio, ſed ſic transferunt: A peſte

C in caligine ambulante, ab ægritudine repentina deuaſtante in meridie. Cenſent quidam Deber dictionem, quam noſter uertit interpres, negocio, & quam ſignificare peſtem aſſerunt, item Cheteb, quę ſignificat ęgritudinẽ repentinã, quamq; uertit interpres, incurſu, nomina eſſe dęmonum, quorum miniſterio Deus in infligendis malis uti conſueuit. Vtcunq; id ſit, illud exploratiſsimum, quòd à quocunq; peſtis genere, ſiue occultum illud fuerit ſiue manifeſtum, immunis is erit atque intactus, qui in protectione Dei cœli, hoc eſt, ſummè potentis, cõmorabitur. Quare ſic Paraphraſtes: A peſte, quæ clàm inuadere homines ſolet, & ab ea quæ de improuiſo exorta ſæuiet, ſecurus eris. Inſuper

Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.

Etſi, inquit, tanta fuerit peſtis calamitas, aut bellorum immanitas, ut hinc late re à ſiniſtro mille, illinc à dextro decem hominum millia corruant, nihil tamen erit quod tu tibi metuas, ſiquidem te id mali non attinget. Vide iuſti hominis conſtantiam, qui, uel ruat ęther, immobilis perſtat in Deo. Etenim in electis lędi quidem poteſt corpus, fides uerò minimè, quę radices in Chriſti amore, unde omnis emanat robur animæ, fixas habet.

Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem peccatorum ∇idebis.

Non illa, inquit, quantumtibet crudelia atq; uniuerſalia, ad te peruenient mala, quin potius tu ſecurus Deum pro te in acie ſtantem contemplaberis, contraq; meritas dare pœnas impios propriis intueberis oculis.

Quoniam tu es domine ſpes mea, altiſsimum poſuiſti refugium tuum.

Contendunt nonnulli, altiſsimum, ſubſtantiuum hîc eſſe, ut illud quoq; eſt in pſalmi exordio, Qui habitat in adiutorio altiſsimi: uoluntq; uocem illius eſſe, qui ob ſtuporẽ rerum earum, quas à ſpiritu audierat, Dei in ſe cognoſcens uirtutem id ferè dixerat: Omnia certè ſic ſe habere non dubito, quoniam tu es domine ſpes
D mea. Poſtea uerò ad illum conuerſus (ſic ſe habet dialogorum ratio) qui ſuprà dixerat, Suſceptor meus es tu, & refugium meum: eum laudat, dicens: Ita tibi contigiſſe certò ſcio, quoniam tu poſuiſti altiſsimum, nempe Deum, refugium tuum. Id ſenſiſſe Campenſem uideo, qui ſic reddidit: Quiſquis igitur ſapis, dominum, qui eſt ſuper omnia, ueluti tutiſsimum aſylum ante oculos tibi propone. Verùm ſecus intellexiſſe cæteros ex hebræo ferè omnes non me clàm eſt. Sic Felix: Altiſsimum poſuiſti habitaculum refugij tui, ut altiſsimum, adiectiuum ſit, & ad habitaculum referri debeat. Alius item ex eodem fonte: Excelſum poſuiſti habitaculum refugij tui, hoc eſt, cœleſte, atq; improbis inacceſſum. Quoquo modo legas, utriuſq; ſenſum literæ aptè ualde conuenire arbitror Vatis animo. Sed uide an prior ſenſus, ad ea quæ ſequuntur, decentius accommodari queat.

Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Tabernaculum pro tota domo & familia hîc poni iudico. Et eſt perinde atq; tuti erunt tui omnes, non modò tu ſolus, ab omni malorum genere ac plaga. Vnde ſic Paraphraſtes: Quod ſi feceris, auſim tibi polliceri, non futurum, ut ullum inopinatũ malum te corripiat, uel ulla plaga familiam tuam infeſtet. Dictionem enim quam noſter interpres ſimpliciter uertit, malum, inopinatum malum reddit, ut uides, Campenſis. Idem fermè Felix: Non fortuitò, inquit, cadet apud te malum. Alius uerò, non temerè ueniet ad te malum. Nullum igitur fatum, nullumq; inſperatum malum te, aut tuos opprimet liberos, & uxorem, ô tu qui fiduciam tuam in domino collocaſti.

Quoniam angelis ſuis mandauit de te, ∇t cuſtodiant te in omnibus ∇ijs tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Ratio, quamobrem Dei amici à malorum impetu tuti uiuunt, redditur. Præcepit, inquit, Deus angelis, ut illos ſuis in itineribus, & actionibus, quas ſecundum Deum agere inſtituunt, dirigant, tutenturq;, ac ueluti manibus adeò inoffenſè gerant, ut ne, uel leuiter quidem in lapillum illorum impingere queat pes. Exactam hîc narrat angelorũ cuſtodiam erga homines ſpiritus. Mirum quantùm hi

ſint

A ſint ſalutis hominum amantiſsimi, quantumcȝ de illorum lapſibus mœreant. Idcirco nō abſcȝ cauſa à Vate alio eſt dictum, quòd angeli pacis amarè flebant. Etenim adminiſtratorij ſpiritus ſunt, in miniſterium illorum delegati, ut inquit Paulus, qui hæreditatem capiunt ſalutis. De illorū uerò tutela pro reprobis, ut quoſdam aſſerere uideo, nulla, quod ſciam, in ſcripturis fit mentio. Piam tamen illorum, qui id opinantur, non reprehendo ſententiam, utpote ad maiorem execrationem improborum excogitatam, qui tam fortibus muniti cuſtodibus, malunt dæmoni ſuaſori parêre, quàm fideliſsimis illis monitoribus, retrahentibuſcȝ à malo, auſcultare. His porrò uerſibus à dæmone perperàm citatis, Dei filio perſuadere uoluit, ut ſeſe è ſummo templi faſtigio præcipitaret. Atqui actiones illas, è quibus nulla tum Dei nomini, tum proximorum ſaluti conciliatur gratia & gloria, temerarias eſſe diffiniunt ſancti. Quis fructus, oro? quæ utilitas? aut quod unquam emolumentum diuinæ afferri gloriæ potuiſſet, aut proximi commodo, è Chriſti ad ima lapſu? Pro te igitur, quiſquis es qui Deo fidis, puriſsimi uigilant angeli, te protegunt, te (ſic illis iuſsit Deus) mirabili tutant patrocinio, ac te, ne forte offendas lapide pedem tuum, geſtant manibus. Quid amplius expetis? uis ne aliam ſublimiorem tibi à cœleſti patre conceſſam audire poteſtatem?

Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Baſiliſcum dictio, non eſt in hebræo, ſed, ut reddit Fel. Super leonem & aſpidem iter facies, conculcabis catulum leonis & draconem. His quidem ferarū uocibus, rerum omnium, quæ uel morſu, uel ueneno, uel alia ratione quamlibet noxia & letali, obeſſe poſſunt, feritatem intelligi uoluit: quas quidem non ſolùm Dei amicis nocere haud quaquā poſſe aſſerit, uerumetiam illis fore uſui ac cōmodo. Ecce, inquit Chriſtus, do uobis poteſtatem calcandi ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper uirtutem omnem inimici, & nihil uobis nocebit. Quæ enim res tam formidabilis eſſe poteſt, cui non imperet Dei amicus, atcȝ illi frænum ponat? Cæterùm ſi uoces has omnes immanitatis, uariȝs dęmonum artibus accommodare libet, non contradicit ſcriptura: imò ex illius accepimus ſpiritu & teſtimonio, dæmonem ob tectas calumniandi inſidias, aſpidem appellari, ob inuidiam baſiliſcum, à cuius conſpectu præſentaneum hauritur uenenum: ob ferociam uerò leonem, atcȝ propter ſubitam iræ cōmotionem & impetum, nonnunquā draconem nuncupari. Verùm in his allegoriȝs, ut iam præfati ſumus, non diutius immorari nobis eſt animus: non deſunt enim, qui hoc piè & doctè ediſſerunt. Nos interim ad rem noſtram.

B *Quoniam in me ſperauit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.*

En quò nos pura in Deum ſpes ac fiducia pertrahit. Quoniam, inquit, in me ſperauit, ab omni eum liberum moleſtia reddam. Quoniam me concupiuit, uertit Felix. alius uerò: Quoniā me ardet, ſeu deperit. Ex noſtro itacȝ in Deum amore illud fit, quòd nulla tam crudelis atcȝ effera uis eſſe queat, quin ſubitò cōmolleſcat, noſtrocȝ ſubijciatur imperio: tantùm amor uerus ſit, ſimplexcȝ, ac purè candidus. Vnde obſecro, conditarū rerum orta eſt in hominem rebellio? unde illarū in nos ſæuitia atcȝ inobedientia? unde tanta nocendi uis ac rabies? unde ardor ille deſpectúsue, quòd non ſolùm uenenatorū animantiū truculentię obnoxia facta ſit humana conditio, ſed etiam ab ipſis quocȝ imbellibus muſcarum morſibus ac pulicum, adeò moleſtè interdum inquietantur homines, ut nulla ſit ſomni aut cibi requies, niſi quòd in Deum ingratiſsimi quiduis potius in terris appetūt & amant, quàm ipſum ſuper omnia amore dignum conditorem? mundícȝ plauſum ardentius tum quærunt, tum magnipendunt, quàm Dei nomen & honorem? Porrò cognoſcere Dei nomen in hoc loco, eſt (opinor) excelſam illius ſuſpicere maieſtatem (Meſsiā ſeu filiū ſignari hîc etiam arbitror, ſecundum Hebręos) illumcȝ noſtris in ærumnis, abiecto mundi metu, implorare. Idcirco à Vate puto additum eſſe,

Clamauit ad me, et ego exaudiā eum, cum ipſo ſum in tribulatione: eripiā eum et glorificabo eum.

C Inuocauit me, uertit Felix, & reſpondebo illi. Vide certam de diuino preſidio pollicitationē. Reſpondebo, inquit, illi: hoc eſt, illius uotis annuā, adero, faueboq́ illi. Neq́ id ſatis quidem (ô cæcas mentes) illum, illum (inquā) haud multò pridem mihi infenſum, modò uerò ſpe mihi atq́ amore reconciliatū, non ſolùm à periculis illis uitæ continuis & ærumnis eximā, uerumetiā inter homines honoratum, cunctisq́ uerendum faciam. Ad hæc,

Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.

Haud inter infima Dei dona computandū eſt illud uitæ genus longum, quod totum ad Dei honorem, multorumq́ ſalutem expoſitū ſit. Alioquin ignaui ſenes atque impudici, ex longo uitæ curſu longam ſibi comparare uidentur miſeriam, ut nonnullos aliquando uidimus, quos nullam ſibi laudem ex tam numeroſa annorum computatione aſſerere potuiſſe conijciebam, niſi quòd in religione conſenuiſſent. Non uideo certè cur ſeni, ita de uirtutibus male merito, id dici queat. Et oſtendam illi ſalutare meum: hoc eſt, ut interpretatur Paraphraſtes, Oſtendam illi quibus modis beare ſoleam amicos meos. Ergo illos duntaxat, quibus nulla alia in primis eſt cura ac ſtudium, niſi ut perſeueranti uitæ ratione ac filo Deum quærant, amentq́, & ſuis in aduerſis fideliſsimè implorent, dirigit ſpiritus, fouet, adeſt: in afflictione, ut ferre queant, indurat, conſolidat, tutatur, ornatq́ dignitate, exiſtimatione, ac tandem longo peracto annorū curriculo, quod totum ad Dei laudem, ſalutemq́ animarum attritum fuerit, æterno donat uitæ ſtatu, quæ eſt perfectiſsima Dei cognitio, in ipſoq́ pax & quies. Cui honor ſit æternus. Amen.

PSALMVS XCII. Pſalmus cantici diei Sabbati.

D *Bonum eſt confiteri domino, & pſallere nomini tuo altiſsime.*

Ex ipſa inſcriptione argumentum ferè pſalmi palàm fit. Oda quippe erat ad hoc inſtituta, quò diuinæ potiſsimùm die ſabbato decantarentur operationes, ac, quibus cunctis beneficus eſt Deus, tum bonitas, tum miſericordia. Neq́ id quidem ſumma abſq́ ratione ac myſterio. Nam cùm ſeptimo hęc quoq́ die agerentur, illud in primis tanquam penè exoletum, à memoriaq́ hominum delapſum, nouo ueluti uſu reuocabatur, ſummum ſcilicet opificem die illo à condendis rebus ceſſaſſe: quo utiq́ tum ritu ſignificatū eſt, fore aliquando quòd diuinę religioni addicti, rerum uſum externarum, quas ſex ipſe diebus condidit, prętergreſſi, ab illisq́ ociantes, in ipſius iam conditoris potentia, ſapientiſsimoq́ conſilio, ac, qua res omnes permeat, bonitate conſideranda, æterno occuparentur ſabbato. Erit (inquit Deus in Eſaia) ſabbatum ex ſabbato: hoc eſt, perpetua meorum à curis erit feriatio, & quies. Aſpice igitur, in quo maximè uerſari debeat Chriſtianorum uita, in recolendo ſcilicet Dei bonitatis præconio, refricandaq́ illius penè abolita cœleſtium donorum memoria. Verùm aliter quàm fuit Dei conſilium, noſtram ob impietatem effectum eſt. Etenim ſex continuis uitæ huius infelicis diebus mechanicis uacamus curis atq́ occupationibus: ſeptimo uerò, qui ab ipſo ſtatim rerum exordio ad contemplanda cœleſtia ſelectus fuit, in iocis ludisq́ illiberalibus, & pernicioſiſsimo alendo ocio, noſtram omnē nauamus operam. Proinde iſtud (ut ſic loquar) monſtrum ſapientiſsimus præuidens Vates, noſtramq́ pungens oſcitantiam, melius dicerem ſocordiam, ultroneamq́ ad interitum properantiam, ſic ſuam orditur admonitionem: Bonum eſt confiteri domino, & pſallere nomini tuo altiſsime. O mortales, inquit Vates, ô qui ad cœleſtia uocati eſtis bona, ô quorū nomina ſcripta ſunt in cœlis, quibusq́ ea prima eſt cura, ut calcato mundi faſtu, re ſcilicet tam uili & abiecta, in diuino ſolummodo perguſtando amore trahamini: bonum, imò id ſolum bonum eſt, id pulchrum, id ſupra ſuauitatem omnem ſuauiſsimū, laudare Deum, non uos, aut res ueſtras. Quid dicam? bonum id maximū omnium eſt, toto mentis tripudio, tuo pſallere nomini ô altiſsime. Putásne, mi lector, in hiſce honeſtiſsimis occupatū curis

A ris poſſe quempiam ſuas laudare diuitias? ſua ſcorta? ſua ſcelera? O amentiam hominum: ô quàm rari hi ſunt, quibus quis laudandi Dei ſit modus, perſpectum ſit. Confeſsio quidem, quam hîc à nobis exigit Vates, & quæ in celebrando potiſsimum Dei cultu & nomine conſiſtit, totum uult animum & cor: quod ſi impurum eſt, infectum nimirum odiſs, fœdiſq; uoluptatibus, ac ſui amore, non id uas eſt, in quo puriſsimæ Dei laudes recondi debeant, quodq; hîc figurat ſpiritus, atque ad celebrandum Dei nomen inuitat, licet os quantumuis latè aperiant homines, ac mille uocum concentibus rem ſacram peragant. Iniuria ea quidem eſt ingens Dei, non laus, ab improbo laudari homine. quocirca uideant, qua id animi exerceant innocentia & candore, illi qui horas canonicas celebrare iubentur, quiq; maiorem ſuæ uitæ partem in frequentandis templorum choris indefeſſo inſumunt exercitio.

Ad annunciandum manè miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Clarius uertiſſet interpres, ſi per infinitiuum ſenſum explicuiſſet, ut ad priorem uerſum referret, ad annunciandum, hoc modo: Bonum eſt confiteri domino: bonum, inquam, eſt annunciare manè miſericordiam tuam. Quod quidem obſeruauit Paraphraſtes, qui ſic reddidit: Cõmemorare ſummo mane clementiam tuam. Quanquam non me prẽterit, ad annunciandũ idem planè eſſe, quod, ut annunciem. Cæterùm manè & per noctem, eum præ ſe ferre ſenſum uidetur, nempe ſingulis dierum ac noctium exordiis, ſeu ſtatis ad hæc temporibus, ſacratiſq; religioni, quæ ueſpertinum de more erant, & matutinum. Eo ferè tempore mens ad diuina largius haurienda uidetur aptior, quod aliàs me dixiſſe memini. quemadmodum etiam miſericordiam Dei, illius eſſe bonitatem diximus, qua ſua gratis elargitur dona: ueritatem uerò, illius in pollicitationibus tum fidem, tum conſtantiam. Tuam igitur, ô Deus, celebrari par eſt clementiam, & manè & noctu. Siue enim res nobis ad uota proueniant, quod manè eſt, ſiue in calamita-
B tum nocte ac tenebris uolutemur, tuam tamen ſemper nulla intercepti perturbatione animi, laudabimus fidem & miſericordiam: atq; id quidem nõ tantùm ore, &, quod in primis tua requirit religio, mente, uerumetiam

In decachordo pſalterio, cum cantico in cithara.

Quod ſic uerti poterat ex Hebræo: Super decachordo, & ſuper nablo, ſuper inſtrumento ſonoro cum cithara. Hiſce enim uariis inſtrumentorũ uocibus, flagrantem ſui animi ardorem laudandi Dei oſtendere uoluit. Cauſam porrò, unde tam anxia orta ſit cura pietatis, reddit:

Quia lætificaſti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.

In factura tua, in opere tuo, uertit Felix. Paraphraſtes autem: Delectaſti me domine elegantiſsima hac operum tuorũ uarietate. In conſideranda, inquit, pulcherrima rerum effectione, forma, ordine, atq; illa potiſsimum, qua cunctis rebus conditis partim uitam, partim aptam illis ſubſtantiam ac ſtatum impartis ſapientia, quæ ſanè omnia manuum tuarum operationes ſunt, gaudio quammaximo afficior, ac lætiſsimũ in modum oblector. Quid cùm recolo meis à negociis feriatus, quàm diues ſis in donis? quàm noſtri amantiſsimus? quàm celer? quàm potens & mirabilis ad ferendas tuis ſuppetias? contraq; in profligandis tuæ religionis hoſtibus, intentus, atq; ardens? Certè, mi domine, tum totus, quantulus ſum, inenarrabili detineor ſtupore atq; ecſtaſi, clamoq;:

Quàm magnificata ſunt opera tua domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.

Vide in quibus uerſari debeat Chriſtiani mens in ſabbatis, nempe perpetuis fidei pacisq; in Deo, feſtis diebus. Nam quæcũq; à Chriſtiano fiunt homine, aut lingua proferuntur, quæ diuinũ non referant honorem, aut proximi cõmodum, inutilia ſunt, ocioſa, ſeruilia, ac quibus maximè ſanctum Dei polluitur ſabbatũ. Quàm diuites ſumus, iactitant alij: quàm pulchra eſt nobis ſupellex, q; elegantes liberi, quàm ampla tum rerũ, tum ſeruorũ, tum canũ uenaticorũ copia, quàm cõmoda ædificia, quàm magnis à principe ditamur donis, primisq; ornamur ho

C norum gradibus. Quid? Qui nobis in decenti familia, in ludis, in iocis, in conuiuijs, in apparatibus, in literis quoq;, ac rara linguarũ peritia, comparandi? Dij sumus. Heu mentes stolidas. Iactabundi indicia hæc sunt animi, atque elati. Vide quid Vates, perfecti quidem Christiani typus atq; imago, cogitare, palamq; proferre consueuerat. Quàm magnificanda, inquit, sunt opera tua, ô Domine: quàm ex animo suam ob magnitudinem suspicienda. Obstrusissima sunt sanè, nobisq; omnino incognita tuæ prouidentiæ consilia, quanto scilicet ordine, quantaq; erga homines charitate, hæc omnia supraquàm dici potest, aut ab humano percipi ingenio, admiranda condideris, distribueriscq;, ac unicuiq; aptissimè rei, quod suę conueniret naturæ, impertiueris. Imperscrutabiles nimium, nimium certè hi tui secreti sunt conceptus ô altissime, occultiq; omnino atq; insoliti, illis potissimum qui in mundi huius bonis occupati, insanissimè dementantur. Quocirca

Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.

Censent quidam insipientem hîc appellari rerum diuinarum omnino ignarũ, licet humanarum peritum: ut sunt ferè illi, quibus, cùm ætatem omnem in poëtarum studijs, rhetorum, philosophorum quoq; pertriuerint, an Dei spiritus sit, ne per transennam quidem unquam uidere contigit. A sapientia quippe Dei semoti cùm sint, stultos mox illos fieri necesse est. Idcirco obscuratum est insipiens cor eorum, ut inquit Paulus, dicentesq; se esse sapientes, stulti facti sunt. En cuiusmodi generis sunt hi, quibus nulla est rerum cœlestium cognitio, & gustus: nam si certè Deum esse (quis id ignorat?) agnoscunt, non tamen sicut decet, eum aut amant, aut uenerantur. Suo enim contenti tumore atque existimatione, nihil aliud sibi quærendum esse in hoc mundo iudicant, quàm ipsum mundum, atque illa in primis, quæ ad oblectamenta uitæ faciunt. Quid uerò censendum sit de illis, qui nec humanis, nec diuinis, uel mediocriter quidem, ultrò imbuti literis, uitam uiuunt ociosam, ne dicam turpem, uix dicere audeo. Penè illos homi-
D nes non esse asseuerarem, nisi ex illis plerosque cernerem etiam ad primos regionum, religionumq; honores promoueri, licet indoctos, ac planè Dei spiritu, quę est uera doctrina, & sapientia uacuos. Hos itaq;, quos ex hebræo bestiales uocat Felix, à diuinorum consiliorum notione remotos esse affirmat Vates. Vir stolidus, inquit Campensis, nihil horum intelligit: neq; stultus considerat in his naturæ miraculis omnipotentiam Dei. Stultitiam istiusmodi, imprudentiã uertit Euthymij interpres: hi enim de more, tum probos tum improbos ex præsenti eorum fortuna metiri solent. Eam ob rem haud rarò improbis fauere soliti sunt, utpote fortunatissimis, proborum interim uita ludibrio habita. Verùm ut in diuinis, sic in humanis stupidi & imprudentes, quàm sit fluxa sceleratorum hominum felicitas, aut nesciunt, aut scire dissimulant. Nam quidem

Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, vt intereant in seculum seculi.

Hucusq; tum Græcis tum Hebræis est uersus, uerùm subobscurus: qui tamen clarior reddi queat, si post Iniquitatem, has duas attexeris uoculas, Fiet tandem. Cæterùm, apparuerint, Hebræis est, floruerint. & erit sensus: Cùm uirere sicut gramen tenerum occœperint peccatores, aut florere uisi fuerint cuncti qui operantur iniquitatem, non illorum imputandum erit felicitati, sed ruinæ potius: siquidem huiusce modi illorum sors perpetuæ magis signum est damnationis, quàm salutis. Hæc sunt quidem inter alia, quæ stultissimam istam hominum colluuiem fugiunt:

Tu autem altissimus in æternum domine.

Illi enim sua ipsorum culpa interibunt, tu uerò, ac tecum tui, excelsus es, permanesq; perpetuò: hinc q; ea, qua cuncta es fabricatus potentia, res omnes, nedum impios, territas, tuoq; subiugas imperio.

Quoniam

A *Quoniam ecce inimici tui domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, & diſpergentur omnes qui operantur iniquitatem.*

Quo Vates oſtendat, quàm celeriter Dei hoſtes exterminandi ſint, per demonſtrationis notam, atq; eam quidem geminatã, rem indicat, ſeq; illorum quaſi certamen exitum, eo maximè tempore, quo florere uidebantur, inducit. Ecce, inquit, inimici tui domine. Ecce inimici illi tui, qui ſuæ ſortis penitus oblíti, ſe nunquam ſua ab illa rerum copia ac ſagina deficere poſſe ſomniabant. Ecce, inquam, quomodo repentino ueluti flatu, ut flos ſolet in hyeme, exaruere, ac tanquam leuiſſimæ rerum quiſquiliæ horſum ſurſum à uento impulſæ, diſſipati ſunt. Quò illorum abijt faſtus? quò diuitiæ? quò inſatiabilis habendi ſitis? Parua enim nunc foſſa contenti, eò infeliciſsimi demigrarunt, ubi nulla poteſt eſſe ærumnarum intermiſsio, & miſeriæ. Contrà uerò, meus perpetuò in te, non in rebus hiſce mundi inquietiſsimis, erit animus:

Et exaltabitur ſicut ϒnicornis cornu meum, & ſenectus mea in miſericordia ϒberi.

Nulli quidem animanti robuſtius eſt cornu, & quod in immenſum ferè emergat, quàm eſt Monoceroti, belluæ nimirum inſuperabili, atq; uix uí à quopiam unquam domitę. Quare ſuam hîc inuictam potentiam fore, utpote à numine formatam & munitam, ſub metaphora cornu Monocerotis aſſerit uir ſanctus. Cedunt enim ſpiritui carnis opera, & mundi iniuriæ. Interim, inquit, quòd improbis mulctam præparas, ſimilem meam facies uirtutem & fortitudinem, quæ uulgò ignoratur, fortitudini Monocerotis. Quid enim? Ipſam quoq; meam ſenectutem naturaliter debilem & effœtam, iam nunc uiridi ſalubriq; oleo atq; unguento, quo me renouatum iri confido, perfuſam ſentio. Pro miſericordia, & Græcis & Hebręis oleum pingue eſt, ſeu unguentũ uiride ac recens, quod uigorem ſancti ſpiritus eſſe exponunt interpretes, quoq; ſuum tum animę tum corporis, & id
B etiam in grandæua ætate, ſuccum augeſcere canit propheta: ſic enim membra delibuta, uigorem ſumunt. Ad hæc, ea eſt uis ſpiritus, ut non tantum piorum animas recreet, quantum etiam ipſos artus ſe commodè habere faciat. Mirum quàm iucundam ſemper agat uitam uir in doctrina ſpiritus ſeſe oblectans: quod ſanè nõ agit occupatus in mundi curis animus, ut de more ſunt auari, ambitioſi, & hi qui alienas depereunt mulieres.

Et deſpexit oculus meus inimicos meos, et inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

Ex hebræo dilucidius uertiſſet: Reſpexit oculus meus in inimicos meos, grata mihi ſcilicet, & optata. Quod deſideraui, inquit, in illis conſpexi, ruinam nimirum & interitum: atq; itidem de malignis illis, qui contra me inſurgunt, audient aures meę. De iſtiuſmodi loquendi ſchemate in ſuperioribus interdũ eſt dictum, ſed in primis in quinquageſimo quarto pſalmo fuſè admodum. Dicerem, niſi aliud agere inſtituiſſem, quantũ in hoc genere proficiãt ſancti Dei uiri, quibus in ſpiritu, quem ſuũ ſemel in omnibus elegerunt ducem & præceptorẽ, uolupe eſt, illum ſubita extinctũ apoplexia audire, uel eo maximè tempore, cùm in ſummo rerum apice uirere appareret: alterum uerò angina, alterũ ex his qui maiori uexabat uerbere religionẽ, peſte celeri & repentina abſumptũ. Idcirco fortiter tolerandæ improborum irę, quoniã ea ſeruatur Deo uindicta, qui ęquiſsimus rerum humanarũ arbiter eſt. Quid? nónne propríjs interdum uidimus oculis, nonnullos diros atq; implacabiles Eccleſiæ perſequutores, in ipſo uitæ exitu (horrendũ ſpectaculum) & crucem, & Chriſtũ execratos eſſe, atq; à ſeſe abegiſſe? Colon rurſus huic exulceratus, illi fœdiſsimũ alui profluuiũ mortem attulit. Et tandem, aut ludibrio omnibus habiti ſolum uertere coguntur ut plurimũ Dei hoſtes, aut fortunis malè partis expoliati publicè obtruncantur. Interim uerò uiuunt miſeri, etſi uulgò felices appareant. E contrario

Iuſtus ϒt palma florebit, ſicut cedrus libani multiplicabitur.

Suo more Vates uirum illius iuſtitiæ ſtudioſum, quæ ex Deo eſt, arbori celeberrimæ cõparat, & feraci: palmæ quidem, ob fructus ſuauitatem: cedro autem,

C ob insigne robur, ac gratam passim omnibus redolentiã, addo & diuturnitatem. Notissimũ illud est, palmam in superposita conniti onera. Ex quo ortum putant, ut uictores è prælio reuertentes, palmæ serto coronarentur. Morem ferè hunc seruant mei instituti homines, qui defunctos uita monachos, tanquam qui è periculosissima carnis pugna uictores exierint, corolla è palma uiridi, aut si hæc desit, serpyllo croceoq; acantho, atq; gratissimi odoris amaraco, coronant. Iustus igitur eo ferè modo, in uitæ huius aridítate floridus erit ac uirens, quo palma natiuo suo semper uestita uirore floreſcit, dulcissimisq; suo tempore onusta fructibus, mirabilem prę se fert suauitatem. Erit, inquam, succreſcetq; instar illius generis cedri, quæ altissimo alitur in Libano, qui inter Phœnices atq; Arabes, miræ magnitudinis mons est. Etsi enim aliàs, alijsq; in locis procerę ualdè innascantur cedri, in Libano omnem fermè superare magnitudinẽ cernuntur. Ideo nostro ab interprete multiplicationis uerbum additum est: Sicut cedrus, inquit, multiplicabitur. Et tandem,

Plantati in domo domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt.

Potest quidem longo pertrita æuo palma intermori, potest & cedrus: iustus uerò iustitiæ illius genere fultus, quæ haud quaquã in Libano, aut quouis alio feraci solo, sed in Deo, qui æternus est, fixas habet radices, æterno conuestitur flore, & fructu: cuiusmodi quippe sunt, qui in domo Dei, nempe fidelium Ecclesia plantati, Christo noua semper ac uiridi attexuntur insitione. Quapropter in ipsis atrijs domus Dei nostri flores emittent uitæ odoratissimos, non tantùm illorum animæ, uerumetiam & ossa & cineres.

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, & bene patientes erunt.

Non ultra procedit uersus Hebræis. Sed alio modo & sensu, sic Felix: Adhuc germinabunt in senectute, pingues & uirides erunt. Paraphrastes autem: Ita fiet
D ut ualentes sint in senio, bene habiti, & uirentes. Non parua ea est laus in sene, qui in robustiori ætate adeò ardenter in diuina incubuerit obsequia, ut ne tantillum quidem in decrepita à pristino elanguerit calore, tantum abest ut non flagrantius rem eo quotidie urgeat, quo calor iam noxius deferbuerit. Impossibile planè est, ut senex sit stupidus & bardus, qui in iuueníli ætate solers extiterit & grauis, ut plerunq; sunt, qui primis ab annis ad cœnobiorum asperitatem asciti (mollitiem in cœnobijs quis requirit?) nihil tam curant, quàm quomodo curis superuacaneis omissis, sensu senes illicò fiant. Sene porrò illo, qui & sensu & spíritu puer sit, nil unquam turpius, addo & molestius, uisum est. Res admodũ præpostera uidetur, cùm senes ob ignauiam ludibrio uulgo fiunt. Vir igitur ille, cui diuinus cordi est honor, semper in his quoq;, quæ ad corporis habitudinem spectant, nedum ad ea quæ sunt spíritus, uegetus erit, succulentus, ac cõmoda uiuet etiam in senectute ualetudine. Macies uerò & pallor in pœnitente, à mœrore potius, atq; angustia animi proficiscitur, quàm à cœlestium rerum gustu & consolatione, quæ iucundam efficit animam & gratiosam. Cæterùm quid sibi uelit interpres, aut unde hauserit uoces illas, bene patientes, non sat scio: nisi fortè ad naturalem senum morem respexerit, qui plerunq; difficiles sunt, morosi, suspicioſiq;, & supra modum sordidi & impatientes: quæ quidem uitia in bene morato sene, ac Deum timente, nequaquam esse posse asserit spíritus: quemadmodum meos uixisse parentes scribere non uerebor. Vterq; enim cùm ad quintum & septuagesimum ætatis peruenissent annum, prolemq; numerosam Christiano cultui, literis, ac Benedicti demum familiæ consecrasset, ullo ferè absque corporis incommodo, eodem omnino mense mortem obijt tranquillissimam. Nam cùm animo, tum in Deum, ciuesq; suos ambo, ciues ipsi integerrimi, & nobiles, uiuida semper extitissent fide, uiuida quoque membrorum decesserunt ualetudine, quippe qui ex resolutione uitæ magis, quàm quòd cum morbo aliquo molesto conflictassent, ad Deum, ad quem liberorum iam partem præmiserant, felicissimè demigrarunt.

Vt

A *Vt annuncient, quoniam rectus dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo.*

Rectus ſanè eſt dominus Deus noſter, qui ſuos non deſerens, prauoſq; omnes auerſans, æquiſsimo omnia ponderat iudicio. Quare in eo nulla poteſt eſſe iniquitas, nullus error, nulla prauitas, cùm ſit æterna ſapientia, uita, atq; omne bonum. Cui laus ſit atq; honos in ſecula ſeculorum. Amen.

PSALMVS XCIII.

Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute: etenim firmauit orbem terræ qui non commouebitur.

Inſcriptio, quæ huic pſalmo adſcribitur à nonnullis, ſuperflua eſt: in hebræo enim abſq; titulo legitur. Quamobrem amputatis ſuperuacuis, ad mentem pſalmi enucleandam ſpiritum inuitemus. Is enim cùm amor ſit, noſtro ſupremum in modum delectatur amore. Idcirco corda hominum frigida, ut meum eſt, atq; à diuino abhorrentia calore, miris nõ ceſſat urgere flammis, accendereq;, & uſqueadeo immutare, ut planè illa in aliam reformet imaginem, nempe cœleſtem ac ſpiritualẽ. Permagna res ea eſt, & ineffabilis omnino, quòd Deus (quid excelſius dici poteſt?) quòd Deus inquam ille, à cuius nutu quicquid conditum eſt dependet, in ſuaq; perſeuerat natura, aut in nihilũ quoq; relabitur, unius corculi, & illius quidem confracti & ſemimortui, imò planè mortui, atq; in cineres collapſi, domicilium ſibi eligat. Refutat hæc, ſcio, mundus. Heu tardas quorundam mentes, quibus perſuaſum id nondum eſt: putant enim igneum ſpiritum in algidis manere poſſe animis. Ardere quidem opus eſt, atq; uſq; ad ſeparationem animæ & ſpiritus conflagrare illum, cui Deus, qui ignis conſumens dicitur, uel mediocriter innotuit. Algor quippe noſter, hoc eſt, procliuitas ad uitia, atque amor mundi, nos procul eſſe à Deo teſtantur: & nos tamen ſolos eos eſſe, quorum animis diuinum uelit nolit inſideat numen, ſomniamus: ſcilicet nulla alia Deo
B eſt cura, niſi ut modò cum illo hominũ genere hoſpitetur, quod ſemper aliàs execratus eſt. Hæc itaq;, atq; horum ſimilia mente pertractans Dauid, mortaliumq; deteſtans arrogantiam & ſuperſtitionem, cui ex omnibus adhæreſcere debeant homines in hoc deſcribit pſalmo. Is Chriſtus eſt, cuius regnum, atq; eandem cum patre poteſtatem, mirabili adumbrat myſterio, canitq;: Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt dominus fortitudinẽ, & præcinxit ſe uirtute: etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Is unus integer eſt uerſus in hebræo. Sic illi: Dominus regnauit, & ueſtiuit ſe magnificentia, indutus eſt dominus fortitudine & accinxit ſe: etiam orbis ſic firmatus eſt, ut nutare non poſsit. Mos eſt ſcripturę, ut eum dicat re illa indui, cuius poſſeſſor eſt, ac ſtudioſus. Ita ferè dicunt hominem innocentia indutum, qui innocentiam per omnes uitæ actus referre ſtudet. Sic de ignominia, infamia, cæteriſq; aut uitijs aut uirtutibus ratiocinari fas erit. Volens itaq; Vates Dei magnitudinem ac maieſtatem, quæ maximè in uniuerſali conſtitutione declarata eſt, utcunq; exprimere, illum dicit decore ſeu magnificentia & fortitudine ueſtitum. Dominus, inquit Campenſis, regnandi prouinciam ſuſcepit, maieſtate undique conſpicuus: induit robur dominus, quo natura, & à ſeipſo omnipotens eſt. An uerò ſummę fuerit potentię, tam uaſtam terræ molem, atque ſuper aquas fluitantem, nihilominus immobilem feciſſe, non eſt (credo) qui ambigat. Verùm neſcio quid hîc mihi de Chriſto ſubodorare uideor, qui non multò pridem in terris abſq; ſpecie & decore uiſus, modò confractis inferorum ualuis, ſplendidiſsimo rerum earum, quæ Deum decent, pallio circumamictus, in ſolio reſidet regio. En rex ille, cuius imperio mundi princeps debellatus fuit, eiecta mors, atque illius abolita origo, nempe peccatum, quomodo uirtute ſplendoreq;, fortitudine ac maieſtate ornatus, orbem hunc noſtrum, nempe Eccleſiam ex terrenis conflatam animis euexit, æternoq; ſui ſpiritus conſtabiliuit clauo. Portæ, inquit, inferi non præualebunt aduerſus eam. Quare cùm tam excelſus ſis, ô domine, cui nulla quamuis ſublimis conferri queat potentia,

C *Parata ſedes tua ex tunc, à ſeculo tu es.*

Iam inde, inquit, ab exordio conſtitutum eſt tibi ſolium: nanq; ab æterno tu ſemper es. Heri quidem, clamat Paulus, atq; hodie Chriſtus Ieſus, qui cum unius naturæ ſit cum patre, idem ſemper eſt rex, idem dominus, idemq; in omnia, in ſe impartibilis, effuſus. Nihil enim tam occultum eſt atq; inacceſſum, quod non permeet Chriſti uirtus. Contra quem

Eleuauerunt flumina domine, eleuauerũt flumina uocẽ ſuam, eleuauerunt flumina fluctus ſuos.

Omnes enim, quos ſciam, expoſitores, & hi quoq; qui allegorias horrent, allegorias hîc eſſe diffiniunt. Siquidem per flumina ſuos impetus atq; horrorem euomentia, diram inimicorum Dei ferociam, ſed quam ipſe facilè compeſcere poſsit qui formidabilis eſt etiam maris fluctibus & procellis, intellígũt. Cuius quidem ſæuitiæ terrorem quò magis exprimeret, crebris illis uocibus fluminum ſuos eleuantium clamores uſus eſt. quanquam certè nihil obſtare uidetur, quin de naturali illo fluuiorum, ac maris horrore ac metu, eo maximè tempore quo turbidiſsimis conuoluuntur undis, ſimpliciter exponi queat. Artem ne putas nauticam tam fractos iratoſq; maris fluctus, aut ſyderum aut uentorum beneuolentia ſedare poſſe? Diuina abſq; dubio illa eſt uirtus & bonitas, quæ rebus quamlibet reluctantibus frænum inijcere potis eſt. Verùm in allegoria, ut nos admonent doctiores, perſtandum erit.

A uocibus aquarum multarum mirabiles elationes maris, mirabilis in altis dominus.

Sic litera ordinanda eſſet ſecundũ Hebræos, quæ ſic habet: Plus quàm ſtrepitus aquarum multarum, procellarumq; maris admirabiliũ, admirandus eſt dominus, qui in excelſo præſidet. Quare ſic Paraphraſtes: Aquis quantumuis multis imò & uaſtiſsimis fluctibus maris potentior eſt dominus, altiſsima quæq; poſsidens. Quod ſanè de intoleranda iniquorum immanitate, atq; in innocuos ſæui-
D tia intelligi par eſt, quos tamen à fortiſsima Dei manu confractũ iri affirmat ſpiritus. Præſidet quidem Deus in cœlis, & quæ hîc aguntur diligentiſsimè conſiderans, cuilibet noſtrûm, quemadmodum in corpore hoc mortali geſtum fuerit, ſiue gloriam, ſiue ignominiam impartietur. Vnde

Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudine dierum.

Probata, ſeu fidelia facta ſunt ualde teſtimonia tua, transferũt ex hebræo. His quidem duobus membris tota ferè Eccleſiæ effigiatur imago. Quòd enim diuinis habeatur fides oraculis ac pollicitationibus, quodq; in omnibus tum dictis tum factis, ſeruetur morum ſanctitas, à fide, cui omnium ſalus innititur, & quę eſt abſolutiſsima eccleſiæ perfectio, ortum habet. Ait itaq;: Quæ pollicitus es in ſcripturis uera ſunt omnia, uera oracula, uera uaticinia, uera cũcta illa quæ tua nunc in Eccleſia fieri conſpicimus: & ſicut tu ſanctus ſanctorum appellaris, ita domui tuæ conuenit, ut ſit ſancta, ſubindeq; tuta ſanctarum animarum arx, & domicilium: & id quidem in longitudine dierum, illorum nimirum, qui nullo claduntur termino. Etſi enim in terris ſuum habet ortum Eccleſia, nihilo tamẽ minus in cœlum uſq; ſuos expandit ramos. Vtercq; enim populus una eſt Eccleſia, quanquàm diuerſo uitæ genere. Hi quidem ſub atrociſsimo bellorum malleo adhuc atteruntur, illi iam attriti feliciſsimam cum Deo agunt uitam. Cui laus ſit & poteſtas in ſecula ſeculorum. Amen.

PSALMVS XCIIII.

Deus vltionum dominus, Deus vltionum liberè egit.

Nullus huic pſalmo titulus in hebræo adſcribitur. Is enim qui uulgò circumfertur, inſititius uidetur. Eo itaq; omiſſo, ad pſalmi interpretationem uertamus animum. Cuius argumentum cum multis aliis conuenit, nempe Deum infirmioribus uideri animis ad tam amplam ſceleratorum hominũ licentiam, in opprimẽdis maximè innocuis, cõniuere, ac quaſi illius generis incogitan

tiæ

A tiæ inſimulari, de qua Iob: Quid enim nouit Deus? quaſi per caliginem iudicat. Sic ſe habet humana mens, erroribus uidelicet obnoxia quamplurimis, diuinæq; prouidentiæ intolerabiliter impatiens. Nemo certè eſt tam ſolido in fide pectore, cui aliquando in mentem non ueniat: Quî fit, quòd boni malis, mali bonis in hoc mundo, natiuo quaſi rerum ordine, ſatiantur? Videt ne, ait, hęc Deus? Nubes profectò latibulum eius, nec noſtra conſiderat. Quò ſua illa æterna, qua cuncta æquiſsimo moderatur conſilio, declinauit prouidentia? regnabunt ne ſemper impij? iacebit ne ſemper indefenſa innocentia? Vix id credere auſim. Vide quò aliquando noſtræ effrænatæ diuertant cogitationes, paulatimq; in impietatem, murmurationemq; contra Deum dilabantur, ni præſtò adſit fides, quę è perfecta Vatis erumpens anima, ſic ſuos ſolatur amicos: Deus ultionum dominus, Deus ultionum liberè egit. Deus, inquit, qui poteſtatem habet ulciſcendi iniurias, qui poteſtatem dico habet ulla abſque moleſtia aut contradictione, liberè, ſyncereq;, ac bona fide, ſuos tutari filios, atq; ab improborum iniurijs uindicare, ſua proferet (ne dubitetis) iudicia. Maior hîc pars Hebræorum interpretum hunc legunt uerſum per imperatiuum, hoc modo: Deus ultionum domine, Deus ultionum fac te conſpicuum: hoc eſt, tuam in reprimendis nefandorum hominum auſibus, eximendisq; è duriſsimo eorum imperio bonis, exere iam tandem poteſtatem. Tu qui ceſſare uideris, obdormiſcereq;, & planè latitare, æternam illam tuam atq; adeò potentiſsimam deprome palàm uirtutem.

Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem ſuperbis.

Oppreſsiones utiq; illas, atq; improborum tum in Deum, tum in homines iniurias, à ſuperbia oriri hîc aſſerit Vates. Corde enim humano peſte illa exitiali ſemel infecto, quò non irrumpunt inſaniæ miſeri? Nullum ſibi eſſe Deum effingit homo ſuperbus: quocirca nulla unquam illi ſtatuitur à dominandi, probosq;, qui ſuæ aduerſari queunt libidini, opprimendi cupiditate quies. Non tam ſanè
B acri impeti ſolet œſtro, aut canis, aut aſinus, quãta uir faſtu atq; ambitione inſtinctus, regnandi libidine, uel eò maximè, ſi id in indoctum inciderit uirus animum & ſordidum, aut illiberalem: aut ſi doctum, leuitati obnoxium. In hos igitur inueharis, ô qui uniuerſæ iudex es terræ. Exaltare, hoc eſt, altiſsimum tuum illud, è quo diligentiſsimè cunctas mortalium actiones circumſpicis, aſcende ſolium, ac, quam meriti ſunt, redde retributionem ſuperbis.

Vſquequo peccatores domine? Vſquequo peccatores gloriabuntur?

Exprimi facilè non poteſt, quàm efflictim interdum pij urantur ciues, ob felices ſceleratorum ſucceſſus, & ſuperbiam, qui ſua in republica nihil non poſſunt. Eam ob cauſam in illas aliquando prorumpunt querelas, quæ penè iniquæ uiderentur, niſi à ſancto illos ſpiritu concitari ſcirent cordatiores. Vſquequo, inquiunt, imponent nobis impij? uſquequo ſua illa erit gloria? num ſemper obtemperandum erit hypocritis? ſimulatoribus? in mundiq; cœno, tanquam ſuibus, commarceſcentibus? Vſquequo tuam, nempe miſerorum ciuium, uiduarum, pupillorum, atq; ſub uſurarum onere fatiſcentium, ac penè expirantium, diſcerpunt plebem? Quouſq; tuam in religionẽ ſtatuent, legesq; ſancient temerarij? ſemper ne iſti glorioſiſsimis ornabuntur titulis? nos miſeria, infamia, & contumelijs? Exultabunt ne ſemper in rebus peſsimis? Et quidem

Effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur iniuſtitiam.

Per tempus præſens hæc omnia pronuncianda ſunt. Sic ex hebræo: Pronunciant, & loquuntur quod durum eſt: iactant ſe omnes, qui operantur iniquitatem. Verbum, quod noſter uertit interpres, Effabuntur, tenuè admodum eſt uerſum: ſiquidem Hebræis effutire eſt, ſeu ebullire. & erit ſenſus: Impij nullo habito ſiue Dei, ſiue hominum reſpectu, quicquid libet, effutiunt, ſuperbeq; blaterantes, ac dura & acerba edicentes, iactant ſe perinde ac ſi dij eſſent è cœlo lapſi, homines nimirum ad omne genus facinorum perpetrandum qui nati uideantur. Ideo ulla abſq; commiſeratione,

C *Populum tuum domine humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt.*

Humiliaueruut, Hebręis est, oppresserunt, siue attriuerunt, ut reddit Campensis. Sic ille: Populum tuum atterere conabuntur, & patrimonium tuum affligent. Patrimonium, seu hæreditatem hîc uocat Vates, quem antea Dei populum appellauerat. Cuius uerò conditionis ac fortunæ sit hæreditas, continuò aperit.

Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt.

Id enim hominum genus de more alijs miserius est, atq; omniũ iniurijs magis obuium, proinde à Deo ęrumnosorum consolatore protectum. Atqui diuina illos protegit bonitas, qui à cæteris destituuntur, ut sunt ferè orphani, peregrini, desolatæq; uiduæ, ac cæteri id genus miseri, quorum querelis plenus est orbis, non tantum quidem propter consuetos fortunæ euentus, quantum propter acerbitatem, ac diram magistratuũ, superborumq; ciuium sitim, qui suas accumulandi fortunas ex aliorum incommodis, ac fundis, turpissima tenentur cura, ut nos quoq;, licet ad hæc lusciosi, nostra in patria & uidimus, & multò antea quàm acciderent, quæ euenere, prædiximus. Exulcerata iam adeò facta erant omnia, & crudelia, & hæc quidem propalàm, ut uel talpæ ipsæ exoculatæ uidere potuissent, diuinareq; quæ postea sequuta sunt. Cæterùm occisiones hîc pupillorum, peregrinorumq; & uiduarum, à ferro, occultoq; ueneno, ueneficio, usuris maximè, exilijs, proscriptionibus, squalloréue carcerum, ac litium protractione, ortum habent: & quæ cùm ita aperta tum essent, ut ipsis quoq; innotescere potuissent amentibus, stultè tamen fucum cœlo obducere sibi posse persuaserunt.

Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.

Stulta prorsus hæc est opinatio, cùm ita immaniter de Deo omnium inspectore opinari audent improbi, ut illum latêre, quæ hîc fiunt, aut credant, aut saltem sibi persuaderi cupiant. Non ima hęc terræ, inquiunt, despectat dominus, neque
D Deum Iacob, quæ hîc aguntur tangunt. Hæc dicta efferatam illorum mentem exprimunt, qui temerariò res fieri hominum tum optant, tum alijs persuadere nituntur. Cæterùm Deum Iacob dicit, pro eo quod est, Deum simplicium, atq; illorum quidem, qui charissimorũ interdum iniurijs obnoxij sunt, ut fuit uir ille obnoxius & soceri & fratris calumnijs, atq; insidijs. Quare

Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat? Qui corripit gentes non arguet? aut qui docet hominem scientiam?

Absurdissima ea est persuasio, cùm quis ita insipiens efficitur, ut dicat, quòd qui audiendi nobis uim, formamq; intelligendi ac uidendi concessit, ipse horum omnium careat potestate. Atqui certissimum id est indicium atq; argumentum, Deum omnia cognoscere, mirabiliq; prouidentiæ ratione cuncta audire, dijudicare, discernere, diffinire, quòd eorundem donorum in nobis autor sit. Si certè uiuimus, si cernimus, si audimus, si cognitione aliquid assequimur, id eius dono ac uirtute nobis cõtingit, quippe qui in illo sumus, uiuimus & mouemur. Ait itaq;: O qui belluis ipsis rationis expertibus haud multò sapientiores estis in populo, ad cor redite, intelligiteq;. Stolidi, quando resipiscetis? Sic hunc primum hemistichium per interrogationem legunt nonnulli ex hebræo. Poterit'ne ille, qui dat alijs auditum, non audire? qui mirabilem uidendi confinxit aciem, non uidere? quid non uideret oculorum effector? Ad hæc, qui mulcta afficere solitus est gentes impias, relinquet'ne uestra inulta scelera? Putandus'ne is erit postremò uestra ignorare posse facinora, qui docet hominem scientiam? Si istiusmodi quidem in Deo deliquium esse haudquaquã fatendum est, nouit igitur hominum mentes quamlibet occultas, atq; à uisu humano penitus remotas. Felix hanc ultimam particulam absq; interrogatione legit. Idem quoq; pleriq; ex hebræo, sed cum additione, ipse est, ad hunc modum: Ipse est, qui docet hominem scientiam. Illud quoque addam, Paraphrasten uoces illas, qui corripit gentes, ad eruditionem referre ethnicorum, quos semper diuina bonitas suo dignata sit ad rectitudinis

A dinis uiam fauore & ductu. Secus alij, qui Vatem ad celebriores Dei iudicij plagas, nempe diluuij, ignis Sodomorum, Pharaonis interitus, atque id genus similium respexisse affirmant. Quę quidem opinio ut mihi uerior uisa est, ita alijs probatum iri cupio.

Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt.

Pulchrè id quidem cum superioribus conuenit: nam simul ut Deum docere hominem scientiam subindicasset, intulit ad hunc ferè modum subitò: Certè id nullo est pacto ambigendum, an Deus noscat omnia, quæ quilibet cogitat homo ex se, quàm uana sint & insulsa. Diuus Paulus hunc locum citat Corinthijs scribens, sed una mutata uocula: Dominus, inquit, nouit cogitationes sapientium, quoniam uanæ sunt. Cogitationes proculdubio hominum, si communem genuinamq; omnium consideremus ad errores procliuitatem, nihil aliud sapere uidebuntur, quàm sapientiam carnis, letalemq; sui amorem, ac curam. quocirca prudentissimè ab Apostolo sapientium cogitationes, appellantur cogitationes hominum, natura scilicet ad quæuis inania ac futilia cogitanda solertium. Ideo

Beatus homo quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum.

Hîc nostra omnis retunditur audacia, falsaq; quorundam sanctimoniæ persua sio taxatur, qui ex solenni suo, infatigabilíq; bonis in actionibus (ut sibi uidetur) labore atque exercitio, suam metiri solent perfectionem, eamq; alijs prædicare. Errant omnino. Siquidem animę institutio à diuina in primis prouenit eruditione, non ab humano studio, & conatu. quanquam nostra etiam opus est propensa ad acceptandas spiritus immissiones uoluntate: hoc est, ad perfectam inducendam animæ formam, quæ ex Deo est, unà cum ipso necessaria nostra est uoluntas, ac mens. Beatum igitur illum in terris appellare non uerebimur, quem tu eru
B dire, tuaq; cœlesti doctrina imbuere uolueris, ô domine. Is certè oppidoquàm omni instructus erit doctrina. O pectus, ô mens, ô cor uerè diuinum, cui sui notitiam impartit Deus: cuiq; flagra, cui tentationes, cui ærumnæ, cui iniuriæ fidem augent, non adimunt.

Vt mitiges ei à diebus malis donec fodiatur peccatori fouea.

Hebræi sic: Vt præstes quietem illis à diebus malis. hoc est, adeò immensè bonus es, atq; ad subleuandos tuos à miseria facilis ac celer, ut anteaquàm etiam illorum persequutores excindantur, miro eos subleuare solitus sis consilio & ratione. Interim enim quòd sceleratis istiusmodi morũ hominibus extrema præparatur exitij fouea, tu piorum saluti consulens, illorum mitigas flammam: & id quidem in diebus malis: in diebus, inquam, illis, qui cùm amarissimi uulgò uideantur, in suauitatẽ illis tamen spiritus & dulcorẽ cedere consueuerunt. Sic sanè nullũ tam atrox est uulnus, quod leue non fiat illis & medicabile, qui curæ sunt Deo.

Quia non repellet dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet.

Potest quidem princeps arrogans, aut iudex superbus, miserorum causas negligere, auersaríq; oppressos, atque ab sese tanquam canes abigere. Verùm non idem Deo est mos, qui faciliores eo præbere solet aures, quo qui clamant miserabiliores sunt, ac mundo magis inuisi. Decoctoris igitur ne illum dicam persimilem, qui suam luxuriosè uiuendo ligurierit hæreditatem & patrimonium? Nefas id quidem esset de Deo opinari, qui eandem, imò longè diligentiorem, quàm uir habeat optimè institutus ac prudens de propríjs fortunis, suis in tutandis electis, quæ sua est hæreditas, & curam & solicitudinem præstare solitus est. Cæterùm hæreditas ea Dei uera est, quamq; ipse, quæcunq; aduersentur, bona tutatur fide, amplectitur, fouet, in sinu gerit, quę ex fide in fidem incrementum sumens, tota cœlestis efficitur, ut ferè sunt hominum conuentus, qui in Christo renati, nihil salubrius ducunt, quàm quomodo abiectis mundi lenocinijs, in bonis animi suam statuant felicitatem. Non hi quidem aut regna, aut diuitias, aut dignitates tanti faciunt, quanti simplicem uiuendi rationem, purumq; animũ, ac suis in

C pertractandis rebus fidem & conſtantiam: alioquin inter illos, qui mundum inhiant, nulla poteſt eſſe Chriſti hæreditas, nullum bonum, nulla felicitas, nulla, quæ laudabilis ſit, uitæ ratio, etſi ornatiſsimis hi prædíti ſint morib. ac doctrina. Quod ſanè dixiſſe uelim propter illos, qui ſuæ tantummodo uitæ inſtituto adblandientes, cęteros aſpernantur. Quę quidem perſuaſio tantã rei Chriſtianę conflauit miſeriam, ut penè illius uulnus immedicabile appareat, eritq; pro culdubio,

Quoadusq; iuſtitia conuertatur in iudicium, & qui iuxta illam omnes qui recto ſunt corde.

Omnes prorſus ex hebręo ſic ferè legunt: Donec iudicium ad iuſtitiam reuertatur: hoc eſt, ut rectè atq; ordinatè cuncta gerantur, ad iuſtitiæq; normam, quod minimè nunc fit, corrigantur. Vnde ſic Paraphraſtes: Futurum eſt enim, ut iuſtitia coniungatur cum iudicio, & iudices, quod iuſtum eſt, iudicent, ſequanturq; illud uniuerſi, qui integro ſunt animo. Perfectum quidem illud oportet eſſe iudicium, nempe ex Deo, ab omniq; liberum uanitate, ac ſui amore, quod pŕis animis probari queat. Iuxta, inquit, illam, iuſtitiam nimirũ, perpetua manebunt ſtatione omnes recti corde, omnes qui Deum uerentur, omnes qui Chriſtianæ ſeriò inſiti ſunt religioni. Interim uerò

Quis conſurget mihi aduerſus malignantes? aut quis ſtabit mecũ aduerſus operantes iniquitatẽ?

Nemo apparet. Heu quàm uana eſt ſalus hominum & infida. Quid humanis iam nitor opibus? quid præſidia amplius expeto nutantia?

Niſi quia dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea.

Vide in quàm profundum miſeriarum barathrum hi proruunt, qui fugacibus innituntur hominum auxiliis, contempto Deo. In inferno, inquit, habitaſſet anima mea, niſi mihi opem attuliſſet dominus. Vocat hîc infernum, certam ſuarum rerum deſperationem. quare ex hebræo ſic uertunt nonnulli: Propémodum habitaſſet anima mea in ſilentio, hoc eſt, in tetris ſilentium animarum locis apud in
D feros, ſeu in ſepulchro, ut reddit Campenſis. Parum, inquit, abfuit, quin uita ſpoliatus iacuerim in ſepulchro. Hunc ſanè uerſum à mei ordinis uiro cum extremo olim colluctante anhelitu, piè admodum prolatum fuiſſe à nonnullis ex noſtris accepi. Is enim cùm anxiam longa feſſus ægritudine ageret animam, planeq; inter fratrum manus, qui ſeduli de more ſunt & frequentes, de fide cum hoſte decertans, periclitari uideretur, diuino tandem è bello illo periculoſo ereptus patrocinio, in hęc uerba hilaris prorupit: Niſi quia dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea. Gregorius is fuit Nouarienſis, uir ſumma eruditione & ſanctitate inſignis. Sũma igitur: Quis tam potens eſt? quis tam ualidus? quis tam fraterni cõmodi amans eſt, qui mecum contra illuuiem iſtam malignantium ſtare audeat? Nemo quidem homo eſt, qui id queat, aut uelit: uix enim pro iuſto quis moritur. Heu falſas amicorum pollicitationes, & caducas. Vtinam quiſquã mecum ſe his opponat mangonibus. Silent omnes. At ego aliam meo malo edoctus ineam præſidij rationẽ, & eam quidem certam, & potentiſsimã: ea eſt Chriſti: ea eſt illius, qui mei eſt amantiſsimus, qui non fallit, qui miſeris præſtò adeſt. Et quidem niſi is tam bonus dominus adiuuiſſet me, propémodum habitaſſet in inferno, loco nimirum calamitatis & miſeriæ profundiſsimo, uita mea. Nam

Si dicebam, motus eſt pes meus, miſericordia tua domine adiuuabat me.

Diuini ea eſt præſidij uirtus, ut tunc maximè ſeſe in ſuorum ſalutem expediat, cùm deſperatæ illorum uidentur res. Sic ſanè ſuos interdum iactari ſinit Deus, ut ſe prorſus à cœleſti patre deſtitutos opinentur, actumq; de ſe eſſe omnino cogitent. Verùm huic malo mederi ſolet diuinæ beneficentiæ memoria, quam ſuis minimè deeſſe poſſe certò ſciunt omnes recti corde. Si dicebam, inquit: ſi ſic ſuſpicabar, certè motus eſt pes meus, lapſus ſum: mihi dubio procul in peccatis obeundum eſt: perij: proinde dæmonum machinationibus atq; adeò improborum iniurijs me imparem eſſe uideo. Si hæc, inquam, tanquam canis importunus adlatraui, tua præſtò adfuit, ne deſperationi ſuccumberẽ, miſericordia: hoc eſt, ſeſe tua ſuppoſuit, ne colliderer, clementia. Cæterũ pedes animæ illius ſunt, appeten

tiæ

A tiæ ac deſideria, quibus Deo ſit proxima, aut rebellis, ſeu more Cain inuerecunda, & fugitiua.

Secundũ multitudinẽ dolorũ meorũ in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animã meã.

Quis hîc in calamitatibus deſertum ſe à Deo expoſtulet? Iſtius quippe modi robur eſt fidei, ac mos, ut nunquam de ſe actum eſſe arbitretur anima, quæ Deo nixa, nihil tam timet, quàm deſperationem. Ex quo quidem metu non raræ illæ ſpiritus conſolationes ortum habent, quæ in animam ob Dei iuſtitiam oppreſſam, è cœlo, tanquam è limpidiſsimo aquarum uiuentiũ fonte, permanare ſolitæ ſunt. Cœleſtis quidem pater, pater miſericordiarũ, ac Deus totius conſolationis, à ſanctiſsimis appellatur uiris. Mirum certè eſt ac iucundum, cùm in mentem nobis uenit, quantum in ſuis conſolandis diuina prona ſit clementia. Quare & ter & quater felicem illum eſſe dixero, qui internis huiuſcemodi contentus gaudijs, carnis onera, hoc eſt, quicquid eſt in mundo, quo piæ onerantur animæ, hoc libentius tolerat, quò illud, tanquam ad optimas aſſequendas purgationes, ut eas uocat Dionyſius, inſtrumentum eſſe haud rarò expertus eſt. Etenim in crucis amaritudine genus omne ineſſe conſolationis agnoſcũt pij. Quocirca Vates, imò ipſe Chriſtus, uice omnium afflictorum, quantum maximè poteſt, inculcat, clamatq; Secundum multitudinem dolorum meorum, qui me intimo perrodunt laniatu, conſolationes tuæ me recrearunt.

Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?

Fingis uerbum, non ad Deum referendum eſt, ſed ad ſedem iniquitatis, ſeu iniquorũ, ut reddunt plerique ex hebræo, qui ſic ferè uertunt: Nunquid comes erit tui thronus prauitatum, formans afflictionem iuxta ſtatutum? hoc eſt, thronus ne formans afflictionem afflictis, miſeriamq; miſeris accumulans ex ſtatuto ac more, tecum erit in iudicando, ut hi agere ſolent, quorum ea uidetur eſſe in primis de
B liberatio, ut inſontes affligant? Pro conſuetudine quidem id habent, ut probos iniurijs atterant. Sic Paraphraſtes: Nunquid commune tibi quicquam erit cum ſolio & poteſtate tyranni, qui ſtruit calumniam inſontibus, idq; ſuo more, & tanta calliditate, ut legitimè id facere uideatur? Et ne ab ingenio illos diſcedere, atq; à conſueto malignitatis more declinare ſuſpicemur,

Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt.

Congregabuntur aduerſus animam iuſti, uertit Felix. quanquam uerbum Captabunt, nonnihil affert intellectus ad exprimendum perfidioſorum hominum morem ac ſtatutum: & eſt perinde quaſi diceret, Blanditijs illectant piorum animas. Verùm Felicis literam ad ea quæ ſequuntur aptius conuenire arbitror, ut ſit ſenſus: Illis ipſis perditiſsima conſuetudo eſt, ut facilè in bonorũ perniciem conſpirent, carpantq; ſi quem uiderint inculpatè uiuere. Norma quippe olim huiuſce fuit moris turpiſsimi Iudas domini proditor, qui uidens, ut inquit ſcriba ille cœleſtis, Chriſtum ſua opera traditum eſſe Iudæis, exclamauit: Peccaui, tradens ſanguinem iuſti. Faxit Deus benigniſsimus, ne iſtuc ſtatutum adhuc uim habeat inter quamplurimos, qui Chriſtum pro ludo habere uideri uolunt, dum inſontes liuore moti non ſolùm affligunt, uerumetiã Iudæis uendunt, nempe perfidis delatoribus atq; inuidis: quos equidẽ deteriores Iuda eſſe ſemper exiſtimaui, quippe qui ne ſimulatè quidem adduci poſſunt, quò dicant, ut dixit Iudas: Peccauimus, ſanguinem condemnantes innoxium. Periculoſiſsimum id eſt ſtatutum, & quod facilè cor ad pietatem induret. Verùm illi ſuum ſeruent morem, ut lubet: Deus ſuis deeſſe non poteſt. Nam

Factus eſt mihi dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium ſpei meæ.

In rupem fiduciæ meæ, uertit Felix; q, uocat ſuam in Deum fiduciam uir iuſtus rupem, hoc eſt, locum tutiſsimum, atq; hoſtibus inacceſſum. De qua quidem fiducia, qua potiſsimum ſeruantur homines, non rarò hiſce noſtris in commentarijs, prout ſuggeſsit ſpiritus, diximus, inculcauimusq; totam in ea ſalutis noſtræ ſummam poſitam eſſe: cuius ſanè robur & efficacia Chriſti cruor eſt ac mors. Do

C minus igitur meum erit refugiũ, utcunq; me traducãt improbi, & Deus meus mihi inſtar erit rupis, arcisq; munitæ, quæ in ædito conſtructa eſt loco.

Et reddet illis iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdet eos, diſperdet illos Dominus Deus noſter.

Quid ſibi uelit, Reddet illis iniquitatem ipſorum, aperit Paraphraſtes: Et retorquebit, inquit, in illos iniquitatem, qua oppreſſerunt alios ipſi: &, quemadmodum meretur ſcelerata uita illorũ, ſubuertet eos funditus. Subuertet, inquã, illos non homo naturaliter imbecillis, non bellua, nõ procelloſa maris tempeſtas, non ipſi alioquin expaueſcẽdi terræ hiatus, motusq; terrifici: uerũ dominus Deus noſter, hoc eſt, potentiſsimus omniũ, cuius manũ, ut inquit ille apud Maccabæos, neq; uiuus neq; defunctus effugiã. Illos itaq; noſtrî amantiſsimus dominus, tanq; uiliſsimas terrarum quiſquilias, aut atomorũ luſus, diſperdet (ne dubitetis) diſſipabitq; radicitus. Cui laus ſit æterna, ac benedictio in ſecula ſeculorum. Amen.

PSALMVS XCV.

Venite exultemus domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro. Præoccupemus faciem eius in confeſsione, & in pſalmis iubilemus ei.

A ſuauiſsimo hîc inuitamur Dei ſpiritu, non iam quidem ad conuiuia, laiciuasq; comeſſationes & choreas, ut hi agũt, qui amariſsimo ducuntur ſenſu: ſed ad ueram animi uoluptatem, ad requietem, ad ſabbatum illud delicatum, in quo perennis auditur Dei nominis ſanctificatio, uiuaxq; ſpiritus & tranquillus. Nam certè ut ipſe rerum omniũ effector eſt, ita ex benigniſsima illius manu bona omnia ſperare conuenit. Verùm illud timendum, ne in illud incredulitatis, ut inquit Paulus, cum Iudęis incidamus, ut hauſto iam gratiarũ Oceano per Chriſtum, deteriores illis efficiamur, qui Deum tentantes in deſerto, uiasq; domini rectas ignorantes, ſuas ſecuti ſunt pluſquam uaniſsimas: ut nõnullos noſtra etiam
D ætate, hoc eſt, exorto iam ſole, toto perſequi animo tum cernimus, tum nullum illorum poni poſſe errori frænum ingemiſcimus. Adeò errores ſpecie recti ac religionis obtecti, uix ui unquam à quoquam diuelli potuere. Apertè enim peccantibus facilis adhiberi poteſt medela: fucatis uerò lapſibus, ac ſanctimoniæ tectorio delinitis, nullum fermè eſt remediũ. Nos igitur quorum appetentijs iam frænum iniectũ eſt per Chriſtũ, hiſce malis conciliatis animis ſua in ſorde derelictis, ad grauiora mentem excitemus, nosq; inter nos adhortantes, ad ueram penè collapſam religionis fabricam, quæ in mentis puritate maximè ſedem habet, intrepidè accingamur. Eia, inquam, unà cum ſanctiſsima Vatis anima, Venite, exultemus domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, præoccupemus faciem eius in confeſsione, & in pſalmis iubilemus ei. Hæ quidem uoces, iubilationis, exultationisq; & tripudij, mirè æſtuantem in anima præ ſe ferunt motum & affectũ, quæ præ gaudio uerborũ ſeriem exprimere nequiens, iſtiuſmodi repetitis lætitiæ uocibus ſeſe promere appetit. Præoccupemus faciẽ eius, idem prætendere uidetur, quod, Maturemus in conſpectum eius laudibus onuſti conuenire. Ex hebręo ſic uerti poſſet: Compareamus coram eo cum gratulatione. Paraphraſtes tamen alium concepiſſe ſenſum uidetur. ſic ille: Ante omnia hoc agamus, ut placido uultu reſpiciat nos. Quicquid ex his elegeris, nihil ſpiritui officere arbitror: modò id cogites, animam diuinæ religionis auidam ſuum hîc detegere ardorem uoluiſſe, qui huiuſcemodi eſt efficaciæ, ut omnes ad celebrandas Dei laudes, qui animarum ſalutis autor eſt, accinctos eſſe cupiat. In confeſsione, Hebręis eſt, in celebratione, ſeu gratulatione. Feſtinemus, inquit, compareamusq; coram eo cum gratulatione, & pſalmos conſecremus ei.

Quoniam Deus, magnus dominus, & rex magnus ſuper omnes deos: quoniam non repellet dominus plebem ſuam.

Deus, inquit, magnus eſt dominus: rex item magnus præ omnibus dijs, cuiq; nullus quantũlibet excelſus ac potens, ſimilis eſt. Huic enim, quicquid uſquam inuenitur, cedit. Is quidem cuncta, quę ipſe condidit, ſeruat, percurrit, regit, complectitur.

A plectitur. Particula tamen uerſus extrema, neq; in græco, neq; in hebræo legitur: inſititia uidetur: quæ tamen ſuo non uacat fidei ſtimulo. Semper quidem lætata eſt anima, cui perſuaſum eſt benigniſsimũ dominum non ſemel quidem repellere poſſe ſuæ afflictæ plebis humilitatem, tametſi conniueat aliquando, uidereq; diſsimulet. Etenim uirtutum iter, illarum maximè, quibus animarum puritas acquiritur, duriſsimis innititur ſtudijs, quę ſuapte natura molles exhorreſcunt animos. Cùm certè ad diuinarum rerum notitiam & guſtum mentem intendimus, uirili opus eſt animo, atq; ad amplexandam Dei uoluntatem in omnibus, quę interdum aſpera uidentur ac dura, diſpoſito. Secus quidem in brutos animi conceptus, atq; patientiæ illi, quę uiro bene inſtituto neceſſaria eſt, rebelles, nunquam ferè diuinæ proueniunt gratiæ. Vis' ne ab optimo non repelli domino? Eo degas uitæ genere, quod à terrenarũ rerum amore alienum ſit, duraq; in aduerſis, uel eo maximè tempore, quo à Deo deſeri uideris. Certius id quidem eſt, quàm quod inficiari quis debeat, quia non repellet dominus plebem ſuam.

Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit.

Explorationes terræ, ſeu profunda, & celſitudines montium, uertunt ex Hebræo: ut ſit ſenſus, nihil tam reconditum eſſe & abſtruſum, nihil' ue tam ſublime atq; eminens, quod in manu Dei non ſit, hoc eſt, quod illi non pateat: quemadmodum quæ nos in manu habemus, nobis aperta ſunt & nota. Vnde autem, conſpicit, excogitauerit interpres, me fugit omnino. Non eſt quidem multum, montium altitudinem oculis metiri poſſe. Ex hebræo ſic uertunt: Excelſa montium ipſius ſunt. Idem fermè Campenſis: Cacumina, inquit, montium ab ipſo habent quòd ſunt. Eſt itaq; omnium maximus Deus noſter, præſtatq; omnibus quæ ſublimia habentur, ſiue ea in terris ſint, ſiue in cœlis. Quocirca ad exprimendam Dei potentiam rerum omnium effectricem, iſtiuſmodi circumlocutione uſus eſt Vates. In manu, inquit, eius & poteſtate ſunt terrę penetralia, obſtruſæq; rerum cau
B ſæ, & quicquid ſublime eſt atq; eminens.

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius.

A maris effectione ac terræ, Dei arguit potentiam. Quis, oro, unquam tam uaſtam undarum molem, terræq; amplitudinem & immenſitatem facere potuiſſet, qui Deus idem non eſſet? Ipſius enim creatura mare eſt, ſiquidem ipſe illud finxit: finxit quoq; aridam, ac quicquid tandem uſpiam conditum eſt. Ideo cùm tam potens ſit ac formidabilis,

Venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram domino qui fecit nos.

Prudenter hîc quidem Vates modum ferè omnem, quo externo corporis motu reuerentiam alicui præſtare ſoliti ſumus, complectitur. Dictio enim quam nos legimus, adoremus, Hebræis eſt, expanſis manibus toto proſterni corpore. Procidamus uerò eſt, ceruicem incuruemus. Cæterùm, ploremus, genua flectamus, uertunt. Quare ſic Paraphraſtes: Genua flectamus ante dominum autorem uitæ ac ſalutis noſtræ.

Quia ipſe eſt dominus Deus noſter, nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius: hodie ſi uocem eius audieritis.

Sic integrũ legunt uerſum plericq; ex hebręo. Deſcripta uniuerſali circa omnia Dei prouidentia atq; effectione, nunc de ſpeciali illius cura & beneuolentia erga ſeruandos canere inſtituit: uocatq; illos, oues proprij illius paſcui, hoc eſt, tenerè paterneq; educatos. Dici facilè non poſſet quàm zelotypus ſit Deus animarum, quamq; ardenter illarum depereat pulchritudinem. Idcirco erga eas non ſecus ſe habet, atque ſe habet paſtor gregis amantiſsimus erga oues: is enim die noctuq; uigilat, ne quid caduco gregi in paſtionibus, in ſtabulis, in aquationibus, atque id genus alijs gregum cõmodis deeſſe queat. Sic Deus ſuis in alendis gregibus, hiſdem fermè utitur artibus, ſed inſolito rerum ordine cæterarum ac more. Siquidem non ſolùm ſuis paſtor eſt & dux, uerùm etiam & pabulum, & potus, atq; omne cõmodum. Cruore quippe Chriſti, ea qua decet fide epota-

C to, comeſtaq́ illius carne, altus in altorem conuertitur, transfunditurq́ anima in Deum, ita ut nihil iam in ea ſit, quod non ſit Deus, quod non ſit pax, quod non ſit uita: & tandem quantuſquantus Deus eſt, noſter eſt. Quis hîc amore nõ emoritur? non colliqueſcit? non in nouam refunditur formam? Verúm ne eſt (ô mentes hebetes ac uanas) uerum ne, inquam, eſt, Deum non ita pridem à nobis noſtra ob delicta alienum, nobisq́ iratum, ac planè implacabilem, ſubita ueluti pœnitudine retractum, noſtrum factum eſſe? hoc eſt, facilem, placatum, beneuolũ. quid beneuolum dico? miniſtrũ potius dicendum erat: atq́ id quidem in ſanguine dilecti illius pueri, per quem acceſſum habemus ad patrem. O certè rem tardis incognitam animis. Quid ſtupidi in cœno, tanquam ſues in uolutabro, laſciuitis? Olim quidem à Deo alienati auerſiq́, ui forſan ac minis retrahendi eratis: nunc autem amore opus eſt, ſimulac Deus noſter eſt factus, qui omnium maximus, minimus tamen omnium in terris pro te, ô homo, uiſus eſt. Quare, hodie, in hoc gratiæ tempore, ſi uocem eius audieritis, non amplius illam legis duram & & minacem, ſed ſuauem, fidemq́ illi adhibueritis, ô quanta uos manent in cœlis gaudia, quanta pax, quàm amplę diuitiæ, nempe æternæ, atq́ in Dei theſauris reconditæ. Donec hodie cognominatur, ut inquit Paulus, quid cras pręſtolamini? Videte ne quis ex uobis obduretur fallacia peccati. Participes enim, huius hodie beneficio, Chriſti effecti uidete ne quando ſit in aliquo ueſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo uiuo. Ex Hebræo quidã ſic hunc reddunt uerſum, connectuntq́ cum ſuperiori ad hunc modum: Ille enim eſt Deus noſter, nos autem populus paſcuæ eius, & grex manus eius, dummodo uoci eius omni tempore pareamus. Paraphraſtes uerò, Hodie, ſequenti attexit uerſui cũ noſtro, qui ait:

Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione *Secundũ diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt & viderũt opera mea.*

D Si uocem, ex Hebræo nonnulli, Vtinam uocem, interpretantur. Hodie, inquiunt, utinam uocem eius audiatis. uoluntq́ uocem iſtiuſmodi eandem eſſe ad laudandum Deum prouocationem, de qua ſic in præcedentibus admonuit Vates, dicens: Venite adoremus & procidamus ante Deum. Vtcunq́ ſit Hebræorũ litera, ad gratiæ tempus, in quo natus eſt Chriſtus, referendũ eſt myſterium: de quo illud in primis animaduerti par eſt, quod à Scriba illo ſanctiſsimo retectum fuit: Et aperiens, inquit, os ſuum docebat eos. En uocis illius exordiũ, de qua ſic Vates: Hodie ſi uocem eius audieritis. En Euangeliũ, en uitæ uerbum, en uox Dei, en quod ſolum audiri debet, dum hodie cognominatur. Verùm illud me terret quod ſequitur, uereorq́ ne illis haudquaq́ diſsimilis inueniar, qui in deſerto obmurmurantes, periculumq́ facere de Dei potentia ſunt auſi, dicentes: Nunquid & panem poterit dare, aut parare menſam in deſerto? Tentauerunt me, inquit, patres ueſtri: patres increduli, atq́ ære ipſo duriores: expeririq́ uoluerunt, an is Deus eſſem, qui illorum indigentiæ, ſeu potius libidini, quicquid opus eſſet, ſuppeditare poſſem. Ingratiſsimi omniũ, id etiam atq́ etiam explorare conati ſunt, cùm tamen complura non ſemel antea, & ea quidem manifeſtiſsima, meæ uiderint maieſtatis indicia atq́ argumenta. Probauerunt certè haud rarò antea, & uiderunt opera mea: nihilo tamen ſecius meliores effecti, de mea iterum potentia dubij, periculum facere præſumpſerunt. Felix ex Hebræo ſic uertit: Nolite obdurare cor ueſtrum ſicut in contentione. Alius: ſicut in Iurgio. Id porrò Iurgij fuit in Raphidim, quod adeò celebre extitit, ut Iurgij nomen loco indiderit. Meribah autem & Maſſa, tentationem Iurgij interpretantur. De hac quidem tentationis acerbitate & frequentia, ſic cum Moſe queritur dominus, dicens: Tentauerunt iam me per decem uices. Ad hæc,

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, ſemper hi errant corde. Ipſi verò non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.

Proximus fui, Hebræis eſt, ut reddit Felix, moleſtia affectus ſum, ſeu faſtidiũ perpeſſus ſum à generatione iſta. Paraphraſtes autem explicatius: Quadraginta annis

A ta annis uelutí lis mihí fuit cum íllo hominũ genere. Vide Dei bonitatis magnitudínem: nam cùm populum illum rebellem & ingratum ſolo nutu extinguere potuiſſet, & certè propter impietatem debuiſſet, noluit tamẽ, ſed illud potius tentare aggreſſus eſt, an ſua poſſet patientia, donorumq; cumulo, illorum ſuperare perfidiam. Ex quo maxima inter creatorem & creaturam interceſsit lis & contentio: ille quidem modeſtia, patientiaq; & liberalitate ſuam egit cauſam: hæc uerò arrogantia, tumidoq; ſupercilio, ingratitudine, ac, quo maximè angebatur, liuore atq; odio. Attende igitur quàm iuſta fuerit tam benigni domini querela & dolor. Quadraginta, inquit, annis patientiſsimè hunc rebellem tolerauí populum, ita ut admirabũdus intra me dicerem: Populus hic à recto aberrat, palamq; deſipit: non enim meas agnouit uias. Meam quidem ſpreuit bonitatẽ, abiecit clementiam (eæ ſunt uiæ Dei erga homines) deriſit beneficia. Quid? rogantem me auerſatus eſt. Quid faciam populi iſtiuſmodi oblocutori? rebelli? quærenti quæ ſua ſunt, non quæ religionis? ſuperbo? arroganti? liuido? malis omnibus ſub prætextu pietatis refertiſsimo? Cor enim illorum longè à me abíit. Quare iratus, illorumq; flagitijs laceſsitus, dixi, iurauíq; me illos nunquam in terram illam quietiſſimam, quam illis dare pollicitus fueram, introducturũ. De huiuſcemodi iurandi ratione aliàs diximus: & eſt perinde quaſi diceret Deus, Ne ſim iuſtus, ſi introibunt in requiem meam ſcelerati iſti murmuratores. Exhorreſco ſanè totus cùm hæc cogito. Aliam certè animo, quàm fuit illa Canaan, pertracto requiem, nempe æternam in Deo, à qua quidem excludi, extremam eſſe miſeriam & calamitatem arbitror. Quòd Moſes, Aaron, cæteríq; illius gentis proceres, alioquí pietatis cultores, indigni reperti fuerint qui terram illam tanto labore quæſitam ingrederentur, non multum adeò dolendum uidetur, ſimulatq; ad æternam aſcíti ſunt requiem per Chriſtum. At uerò à cœlo, à uita, à Deo, à perenni bonorum fonte, à quiete illa ſuprema, quę etiã cum Dei iuramento promiſſa eſt Chriſtianis, Chri
B ſtianum ſecludi hominem & propulſarí, non ſolùm dolendum eſt, uerumetiam ſuſpirijs, amneq; lachrymarũ deflendum. Quid porrò illi, qui in ſublimiorí, quàm uulgus eſt, doctrina fidei, ac myſteriorũ ſacramentis, tum à lege, tum ab ipſo uſu Eccleſiæ propinatis, alti educatíq; in religione, in ſacris ritibus, in uirtutum cultu penè attriti, fatiſcunt tamen nonnunquã, labantq; duplici, quod aíunt, ueſtigio? cæcutiũt? uix rectum uident? Pro his certè nullus nobis ſtatuí poſſet lachrymarum modus, etíamſi toti in lachrymas colliqueremur. Ergo propter hos ſolùm ab irato prolatũ eſt domino, firmatumq; iuſiurando, ſi introibũt in requiem meam. Ad quam tamen (prò Dei clementia) ipſi quoq; adulteri, parricidæ, fœneratores, & qui in peccatis occalluere, à benigniſsimo inuitantur Chriſto: Venite, inquit, omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Cui laus ſit, atq; honor in ſecula ſeculorum. Amen.

PSALMVS XCVI.

Antate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra.

Si ſcirent homines, uel ſerò ſaltem, quàm immenſa felicitate plenũ ſit, Deum ex animo laudare, illíq; cor, alioquin ob inſitas carni concupiſcentias uagum, & ſui diſsimile, offerre, iam è mundo omnis ablata eſſet impietas. Verùm cum id aut ignorent quamplurimi, aut ſe ſcire, cùm minimè ſciant, effingant & ſomnient, errorum, falſæq; religionis etiam in ipſa religionis perſuaſione, plena facta ſunt omnia. Carnis quippe amore detenti, uix an ſpiritus Dei ſit in terris animaduertũt: cuius uirtute actus in hoc pſalmo propheta, pacato ab hoſtium irruptione regno, atq; propterea res populi feliciter cùm ſeſe haberent, cunctas hortatur terræ uniuerſæ regiones, ut impio abiecto deorum cultu, quæ ſit uera pietas, & religio à Deo inſtituta, condocefiant, illamq; nouo, uti res ſolent præclaræ, extollant cantico. Atquí homines in Chriſto innouati, unde iſtiuſmodi laudandi Dei ratio proficiſcatur, neſcire haudquaquã poſſunt:

C nam ſpiritualia à ſpiritualibus dijudicari ſolent hominibus. Qui uerò mundi ſpiritu ducuntur, quicquid de cœleſti ſabbato, in quo piorum animæ, uel in medio ipſo turbarum fragore poſitæ, conquieſcunt, audire contigerit, ad tetra fœdatæ mentis phantaſmata retorquent. Nihil enim ſublime cogitare norũt, adeò mens hominis ad diuina contẽplanda ſummo ab opifice formata, in imis profundisq́, tanquam tortuoſus coluber, aut anguis, oblectatur. Siquidem ueteri aſſueta cantico, ac uæ, nouum illud, ad quod canendum ſuos prouocat hîc ſpiritus, ignorat omnino. Verùm quid innouata dicat, conſideremus: Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra. Ad rem eximiam, nouam, mundoq́ inſolitam, inauditam, ac penè incredibilem laudandam, nouo opus eſt cantico. Ecce, inquit Deus, noua facio omnia: quocirca, ô uos qui terram hanc, alioqui ſpinis obſitam, incolitis, nouo Deum laudate carmine. Ipſe enim nouã largitus eſt gratiam, nouam Hieruſalem, fidem nouam, uerbumq́ illud demum, de quo ſic olim audiuimus: Verbum, ait, abbreuiatum faciam ſuper terram. Agitedum

Cantate Domino, & benedicite nomini eius, annunciate de die in diem ſalutare eius.

Semper ferè interpres, quod non rarò diximus, pro ſalute, ſalutare tranſtulit. Sic Paraphraſtes: Prædicate de die in diem ſalutem, qua ſeruati eſtis beneficio ipſius. Vt quidem eximium illud fuerit cœlitus beneficium, quo toties ſeruatus Iudæorum populus ad laudandum Dei nomen ſuo à rege prouocabatur: nihilominus apertum de Euangelio hîc eſt uaticinium, cuius ſanè munere, antiquis reiectis exuuijs, allata eſt noua ſalutis gratia per Chriſtum. Nouum nónne fuit ſalutis genus, innocentiſsimum Ieſum dominum uniuerſorũ pro ſeruis, & illis quidem inimicis & facinoroſis, uoluiſſe æquè emori, atq́ ſi ipſe ſolus perditiſsimus omnium extitiſſet? Id igitur nouum fuit beneficium, quo noua facta eſt creatura in Deo. Ideo euangelizate indies latius, ô ſanctæ animæ, præconioq́ illius efferte nomen. Etenim in uniuerſo terrarum orbe tam mirificum inuulgandũ eſt Dei

D noſtri donum. Quid moramini?

Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius.

Nullus ſanè ſit orbis angulus, nulla gens, nulla regio, quæ diuinis per uos nõ reſonet laudibus. Stupenda quidem ſunt, ac glorioſa, quæ de Deo dici debent.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis, terribilis eſt ſuper omnes deos.

Magnus eſt quippe dominus, propter rerum conditarum effectionem, in illisq́ poteſtatem ac prouidentiam. Laudabilis uerò, ob bonitatem, uariaq́ gratiarum munera ad omnes, ac ſpiritus effuſionem. Terribilis item, propter occulta illius iudicia, conſiliaq́, profunda in caligine deliteſcentia. Idcirco rebus illis omnibus, quæ ab hominibus pro dijs habẽt, formidabilis eſt, atq́ acer nimis. Quæ uerò fuerint illa quæ diuinitatis ſibi nomen antiquitus uindicauerint, notiora ſunt, quàm ut nunc ſigillatim recenſeantur. Nunc autem quę ſint ea, quę religioſius, quàm Deus ipſe, à nonnullis & quęruntur & adorantur, facinoroſiora ſunt, quàm quæ à caſtis deſcribi queant mentibus. Meræ inſaniæ ſunt, quas non pauci colunt pro dijs, atq́ illi forſan qui religionis prætextu ut heroës (nouũ dementiæ genus) in terris haberi uolunt: quod ſi non obtinent, Deus bone, quantas ſubit calumnias innocentia eorum maximè, quibus nullum aliud adoratur numen in terris, præterquàm illud quod Deum referat uiuum, terribilemq́ ſuper omnes deos. Deos hîc uocat ſpiritus, falſorum diuũm ſimulacra, & quicquid colitur, quod non ſit Deus: & id quidem per ironiam, ut uel hoc modo ſaltem deterriti, quæ ſit uera in terris religio, quæ uni tantummodo debetur Deo, perdiſcant homines.

Quoniam omnes dij gentium dæmonia, dominus autem cœlos fecit.

Dictio dæmonia, in hebræo non eſt, ſed, ſculptilia aut uanitates, ut reddit Felix: Paraphraſtes uerò, nihil. Sic ille: Omnia enim quæ reliquæ nationes habent pro dijs, nihil ſunt. Vide igitur in quàm tenui re olim ſuam poſuerit religionem antiquitas. Vnde non abſq́ Dei ſpiritus afflatu, idolum nihil eſſe definiuit Paulus.

A lus. Verùm quia dæmonum id ſtatuarum genus inuentum fuit, quicquid in illis pro Deo uenerabantur homines, uerè dæmon appellari poterat. Rem ipſam magis referre uoluit interpres, quàm literam. Dij itaque illorum, qui colunt ſtatuas, aut æs, aut ſcortum, aut res alias mortalitati obnoxias, ficti ſunt ac nihili: Dominus autem noſter tam pulchram machinam uniuerſi, tam uariè ornatam, tam à uanitate alienam, ſapientiſsimè fabrefecit. Potuit ne id agere quiſpiam, qui Deus non ſit, & is quidem maximus & potentiſsimus, quiq; per ſe ſit, ac ſolus omnino uerè beatus, atque ita in ſe uiuens, ut cæteris uitam impertiatur? Quid uerò?

Confeſsio & pulchritudo in conſpectu eius, ſanctitas & magnificentia in ſanctificatione eius.

Omnes ferè ex hebræo uertunt, in ſanctuario eius, quod cœlum interpretantur. Verùm eccleſiam hîc adumbrari cenſeo, cuius perfectionem ſub pulchritudinis, ſanctitatis & magnificentiæ nominibus deſignari arbitror: quæ ſanè omnia in antiquo illo & celebri Iudæorum templo, umbra nimirum Eccleſiæ uidebantur. Ab illius quidem ornatu, uult Eccleſiæ imaginem deliniari. Cęterùm confeſsio ad fidem attinet: decor uerò, ſeu pulchritudo, qua mirum in modum honeſtatur Eccleſia, ſunt actiones à charitate profectæ: quibus ſanè membris, perfectiſsima quædam formatur ſponſæ facies, quam ſanctitatem appellamus, quaq; indicibili quadam amoris ratione delectatus ſponſus, non iam humilis amplius, aut ut olim deſpectus, ſed magnificus, gloriaq; conſpicuus, in Eccleſiæ meditullio, hoc eſt, in ſuo ſanctuario, quæ ſunt ſanctorum animæ, diuerſatur. Quamobrem

Afferte domino patriæ gentium, afferte domino gloriã & honorem. Afferte domino gloriam nomini eius, tollite hoſtias, & introite in atria eius.

Patriæ gentium, ex hebræo reddunt clarius, familiæ gentium, ſeu progenies, ut Felix, aut tribus quoq;. Sic illi: Tribuite domino, ô populorũ familiæ, tribui-
B te domino gloriam & fortitudinem, tribuite domino maieſtatem illam, quæ nomini ipſius reſpondeat. Corripite munera, properate in atria eius. Vide quomodo in effigianda Eccleſia à ritu antiquo non recedit Vates. De huiuſmodi porrò oblationum genere, in XXVIII. fuſe admodum dictum eſt pſalmo. Verùm illud non omittendum, Gentes hîc clarè, excluſis Iudæis, ad ſanctificandum Dei nomen, ipſiusq; inſtaurandam religionem inuitari, introduciq; in Eccleſiam. In qua quidem ut nullus poteſt eſſe perfidię Iudæorum locus, ita nulla eſt pars cum fucatis Chriſtianis, & poſſeſsio: qui ſanè cùm ſacra ſint unda intincti, religioneq; initiati, nihil non agunt, quò Phariſęorum hypocriſim, ſcribarumq; ſupercilium, auaritiam, fraudulentiam, ac qua maximè atteruntur miſeri, tum inuidiam, tum ambitionem, imitari appareant. His itaq; à diuinorum guſtu ſemotis, ô populorum familiæ, ô meretrices, ô peccatores, ô quibus lachrymæ panes ſunt die ac nocte, tribuite domino, non uobis, at illi, gloriam, ac, qua potiſsimum erepti eſtis de manu hoſtili, fortitudinem. Illi, illi inquam ſoli, iſtiuſmodi ſit honor, ſit poteſtas, ſit prona ad opitulandum miſeris uoluntas. Quocirca aſſumptis nõ iam myrrhæ amplius, thuris & aromatum, multò minus cruentarum uictimarum, inertiumq; pecorum muneribus, ſed caſtimoniæ, puriq; animi in Deum, properate, ſanctaq; illius atria ſecuri adite. Non iam quidem ut olim hoſtiarum numero placatur altiſsimus, ſed fide, ſed charitate, ſed manſuetudine, ſed mundanarũ rerũ deſpicientia & neglectu. O felicem rerum cõmutationem. Paueant igitur homines cùm eſt peccandum, contremiſcat &

Commoueatur à facie eius vniuerſa terra.

Non hæc aut illa tyrannorum metu regio conturbetur, ſed uniuerſus omnino orbis à numinis præſentia exterrefactus, in meliorem uitæ ſtatum tranſeat, reſipiſcatq; in Deo.

Dicite in gentibus, quia dominus regnauit: etenim correxit orbem terræ, qui non cõmouebitur, iudicabit populos in æquitate.

Is unus eſt uerſus Hebræis, qui haud Correxit, ſed firmauit, aut parauit, uer-

C tunt. Stabilietur, inquit Paraphraſtes, orbis, nec uacillabit amplius. Quam quidem ſtabilitatem ut de orbe hoc uiſibili dici poſſe credimus, ad Eccleſiæ tamen firmitatem per Chriſtum ſuæ ſponſæ conciliatam, melius referri debere arbitramur, quàm ad corruptibilẽ iſtam terrarũ molem, quæ continuis obnoxia eſt alterationib. ea uerò quæ à Chriſti latere demanauit, perpetua nixa eſt ſoliditate, uiuoq́ adeò ſuffulta ſpiritu, ut immobilis planè facta ſit in Chriſto, qui petra dicit̃ ac mons. Id itaq́ regnũ eſt Chriſti, his ſubnixa eſt Eccleſia prę̃ſidẽs, hoc uiget robore, quapropter nõ poteſt non ęquiſſimo pertractare iudicio iura populorum. Iudicabit, inquit, populos in æquitate: diuerſo ſcilicet à tyrannis more, qui cum à cœleſti prorſus exhorreſcant lege, quæcunq́ illis in mentem ueniunt, æqua putant. Verùm ipſo norint euentu homines, quàm turpiter ſuis in ſanciendis legibus hallucinent̃, aberrentq́ omnino ab æquitate. Dicite igitur, enarrateq́ in populis, quòd dominus ſuum firmauit regnum, itaque ſuo ſtabiliuit ſpiritu, ut amplius nutare nequeat. In Chriſto enim, quod ſolidum eſt fundamentũ, firmata eſt Eccleſia. Dudum quidem, ante nimirum illius aduentum, in gentibus regnabat impietas, nempe deorum cultura: in Iudæis autem liuor & ambitio: in uniuerſo porrò generatim orbe, peccatum & mors. At per Chriſtum reſtitutum eſt pietatis regnũ, reuocataq́ eſt lenitas & manſuetudo, ac demũ diſciſſa peccati ſyngrapha, occiſa eſt mors. Quare ob tam mirandum Dei patris beneficium ac donum,

Lætentur cœli, & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius.

Tametſi uerbum, cõmoueatur, aptari hîc poſſet, tamen efficacius ex Hebræo, perſtrepet, redderetur: ſeu, tumultuetur, aut intonet quoq́, ut Felix. Paraphraſtes uerò ſic: Exiliet præ lætitia mare cum omnibus quæ in ipſo ſunt. Communis hæc eſt de regno Chriſti lætitia. Seruato quippe homine, quicquid propter hominem conditum fuerat, in nouam quodammodo refunditur formam, exhilareſcit, præq́ gaudio penè inſanire uidetur. Itaq́ condita hîc omnia ad exultandum
D in domino propter ſalutis beneficium à ſpiritu inuitantur, cùm inquit: Lætentur cœli, geſtiat terra, mare, & quicquid in eo eſt, aut uiuit, præ gaudio perſtrepet. Agri, nemora, montesq́ excelſi, atq́ unà cum armentis ac ſaltuum feris, arbores, plantæ, inertiaq́ ſaxa, ac rupes, in domino gaudeant. Et quidem hoc tanto perſpecto munere, etiam

Gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt, tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum à facie domini, quia Venit, quoniam Venit iudicare terram. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in Veritate ſua.

A facie domini, coram domino, ſeu ante dominũ cùm ueniet, reddunt ex Hebræo nonnulli. Paraphraſtes uerò, Propter dominũ. Iam illud ualde iucundum, quoq́ maximè ſedantur piorum animæ in Deo, cùm recolunt iudicem illum æquiſſimum, qui cuncta ut ſolo uerbo effinxit, ita ea ipſa nutu ſolo iudicat, uenturum tandem ad perficiendum totius orbis iudicium, ab improbis quidem corruptum, planeq́ ab orbe ipſo miſerrimum in modum eliminatum. Quid non ultrò calamitatum ſubiret uir ſanctus hæc cogitans? Certè, inquit, utcunque corrupti ſint noſtri æui iudices, atque illis iura omnia facta ſint uenalia, nihilq́ hi ſtatuant quod à contaminato non proficiſcatur animo, id tamen perſuaſum habeo, quòd dominus tandem ueniet, ueniet inquam, ut orbem terrarum, ut mundum, ut populos, ſecundum æquitatem, rectèq́, quod hi non faciunt, ac bona fide, iudicet, ac quietiſſimo moderetur imperio. Cui honos ſit in ſecula ſeculorum. Amen.

PSALMVS XCVII.

Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ.

Vt uerum ſit quod à nonnullis huc affertur expoſitoribus, Dauid uidelicet ob celebrem illam famoſamq́ contra Ammonitas uictoriam, hunc compoſuiſſe pſalmum: illud uerius, regnum hîc Chriſti deſcribi. Quare non

A non abſq; myſterio in ſequentibus dicitur, Nubes & caligo in circuitu eius. Profundiſsima ſunt hæc, altaq; inuoluta caligine & obſcuritate. Ex Hebræis quidam præſenti legunt tempore pſalmi initiũ, hoc modo: Dominus regnat, gaudeat tellus. Item Paraphraſtes: Dominus regni gubernacula ſuſcipere dignatus eſt. Sed apud Hebræos uel potiſsimum, quod notat Felix in pſalmorum libro, nulla temporis ſeruatur ratio: nam ut plurimum tempus pro tempore poni conſpicimus. Verùm quid de pſalmo ſentiat ſpiritus, ut datur, uideamus. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ. Tellus in primis, quippe quæ tam ſancti imperij, ut illud eſt Dei, capax ſit, ad exultandum, ualdeq; lætandum in Deo prouocatur: inſulæ uerò ſpeciali poſtea nuncupatione: Lætentur, inquit, inſulæ multę: hoc eſt, ut interpretatur Kimhi Hebræus, gentium termini. quaſi diceret, regiones etiam illæ, quæ procul à Iudæa atq; illius cultu remotæ ſunt, lętentẽ. De eiuſcemodi gentium exterarũ fide ſic dominus dicit in Eſaia: Me inſulæ expectabunt. quò aduertas, pro gentium domicilijs inſulas in ſcripturis nonnunquã poni. Vt quidem inſulæ à continenti ſeiunctæ ſunt, ita à Dei religione erant gentes: quæ tamen propè factæ ſunt, ut inquit Paulus, in ſanguine Chriſti, ut modò etiam interdum iucundiſsimo intuemur ſpectaculo, peccatores, meretrices, homicidas, atq; id genus alios, illos, qui cœlum digitis tangere exiſtimantur, uitæ ſanctimonia æquare, ne dicam anteuertere. Idcirco, ô terra, ô inſulæ, longeq; ſecretæ nationes, amœna iſta deriſa camporum elegantia, in domino, qui uos elegit, non uos eum elegiſtis, gaudete, lateq; trípudium agite. Siquidem

Nubes & caligo in circuitu eius, iuſtitia & iudicium correctio ſedis eius.

Correctio, Hebręis eſt firmamentũ, fulcrũ, ſeu baſis, ut uertit Felix, aut habitatio. Iuſtitia, inquit, & iudiciũ habitatio ſedis eius: hoc eſt, quicquid ille inſtituit, quicquid iudicat, quicquid molitur, æquum eſt ac iuſtum. Iuſtitia quidem ad fidem referenda erit, iudicium ad mores, uitæq; inſtitutionem & normam. Alio in
B pſalmo ſic canit Vates: Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis eius. Cæterũ nubes & caligo, ad tremendam Dei potentiam, maieſtatemq; exprimendam, hîc poni cenſent interpretes. Tum quidem cùm denſis, atriſq; cœlum obducitur nubibus, apparentq; nigris cõmixta nimbis fulgetra, ac ruunt tandem pluuię, aërq; terrifico ſcinditur concuſſu, diuinum magis quàm antea timetur iudicium, numenq; adeſſe fatentur omnes. Hunc itaque tam fortem dominum, tamq; maieſtate inſignem, qui tetra circumuallatus nube & caligine, condita omnia perterrefacit, noſtrum eſſe regem gaudeat tellus, haud ita pridem à tyrannicis malè habita iudicijs. Siquidem is planè eſt, cuius throni baſes ſunt iuſtitia & iudicium. Quę enim cunq; ipſe ordinat, quæ diffinit, quæ pro lege haberi uult, & quæ demum ad uitę humanæ informationem inſtituit, æquiſsima ſunt & ſancta. Quid ultrà expetendum? ſatis ne eſt adhuc perſpecta tanti regis potentia? Audi iterum:

Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Vide ſapientiſsimam Vatis animam. Etenim ab incœpta rerum earum metaphora neutiquam diſcedens, quæ Dei in terris arguunt maieſtatem, ut in Sina contigit monte: ad pauorem alium conſiderandũ, quàm ſit ille, quo propter horriſonos ætheris ſtrepitus penè exanimantur in fide debiles, noſtras latenter ſubmonet cogitationes. Ad eum, inquam, metum nos reuocat, uel quo perterrefacti increduli in die illo ſpiritus, quando feliciſsimo aëris ſonitu reſciſsi ſunt cœli, unde igneæ deſcenderunt linguæ, ſic intra ſe: Quidnam uult hoc eſſe? unde iſta linguarum confuſio? dementes hi ſunt ac phanatici. Vel ad illum etiam, cuius uiacti reprobi, præq; anguſtia gementes clamabunt: Ergo errauimus à uia ueritatis, laſſatiq; ſumus in uia iniquitatis & perditionis? In utroque quidem ardoris genere, maxima Dei oſtenſa eſt potentia, uirtus, maieſtas, imperium: neque in illo minus, quo nunc pij exuruntur in Dei amore animi: impuri uerò & impij, conſumuntur, ad interitúmque exeduntur. Vnde non immeritò ſubinfertur: Et inflammabit in circuitu, hoc eſt, undique ſuos uaſtabit hoſtes & conſumet.

C Senſus igitur ac ſumma hæc erit, quòd Deus, regnante Chriſto, ſuam exhibitu
rus eſſet inter homines maieſtatem, non iam nubis illius terrore, & caliginis, aut
tempeſtatis, quæ in monte olim Sinai terrificis inſpecta eſt tonitruis ac terræmo
tibus, ſed eius quidem, qua ſanctiſsimo affecti metu homines, de manu mediato
ris ſpiritum ſumerent flagrantiſsimũ, quo mirum in modum accenſi exuſtiq́, in
diuinum refunderent amorem, uitamq́ uiuerent cœleſtem in eo, cum quo unum
iam, id operante ſacri uerbi incendio, efficerentur. En flammam ſolis amantibus
cognitam. Nónne cor ardens ſentitur in nobis cùm nobiſcũ loquitur dominus?
cùm mentem ſuo cœleſti rore perfundit? cùm uarias rerum appetentias à piorum
animis emittit, ac, tanquam ex oppreſſa nube fulmina & fulgetras, uirtutes eiacu
latur? Haud fieri quidem poteſt animã innouari in Deo abſq́ igne præuio. Qua
re dictum eſt à ſpiritu: Ignis ante ipſum præcedet. Et quòd

Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, uidit, & commota eſt terra.

Clarius ex Hebræo: Illuſtrauerunt fulgura eius orbem terræ: uidit & expauit
terra. Inſpicis ne commoti aëris terrorem? Verùm tu ad animum hæc omnia re
fer, diſceq́, quæ ſint cœleſtia in mente humana fulmina, & coruſcationes. Mens
quidem, ut cœlum, ſua habet fulgura, ſuos ignes, ſuos cadentiũ ſyderum tractus
ac gyros. Sunt & ſua in Deo terrore pleniſsima fulmina, ſunt tonitrus, ſunt im
bres, ſunt tempeſtates, ac, quibus maximo afficiuntur ſtupore homines, terræmo
tus & concuſsiones. Sed is felix, cui iſtiuſmodi diuinæ præſentiæ ſigna ad uitam
cooperantur & ſalutem: ut fermè illos uidere eſt, qui in his quæ ad mundum atti
nent, occupati, prorſusq́ ſepulti, uix tacto Chriſti latere, cũ centurione illo euan
gelico proclamant: Verè hic filius Dei eſt. Quàm ampla ſanè bona ſub his uerbis
comprehenduntur. Vides diſiectas actutùm è corde impio ſanguinario q́ milite
ac Dei hoſte, & nubes, & nimbos? Verùm nõ tam celeri transfodiuntur telo, aut
D fulmine afflantur hi, qui teſtudineis incedentes in Dei obſequio greſsibus, ſe ta
men celeres, imò ſe iam metam attigiſſe opinantur. De his quidem quis id dicere
audeat, quòd uidit, & cõmota eſt terra? cùm ſe cœlos illos eſſe ſomnient, de qui
bus ſic in ſequentibus aſſerit ſpiritus: Annunciauerunt cœli iuſtitiam eius, nem
pe Dei, non ſuæ frigidę religionis & pietatis. Etenim in illorum conſpectu dura
facta ſunt omnia, immitia, indomita, marmorea. quod de cœlis ipſis myſticis, mul
tò minus de potenti cœlorum conditore dici poteſt. Siquidem etiam ipſi uaſta
ſeſe erigentes in cœlum mole, tum ſcopuli, tum

Montes, ſicut cera fluxerunt à facie domini, à facie domini omnis terra.

Vidiſti ne unquam ſpiſſam, præcipitemq́ ex atro nimbo, Hyadum maximè
tempore, per amplos latè campos proruere pluuiam? Imaginem tum quidem col
liquatæ ceræ præ ſe ferre omnia uidentur. Tunc quicquid agrorum, aut etiã mon
tium, aliter ab omni exhorrentium cultura, ea in regione cernitur, in aquam, obri
uulos paſsim ad ima effluentes, ſubmurmurantesq́, ut ſolet cera in ignem proie
cta, colliqueſcere apparet: quæ ſanè res diuinæ indicium eſt potentiæ, licet à ple
riſq́ propter aſsiduitatem, uel incognitę, uel neglectę. Nihil omnino in terris fit,
in quo Dei non reluceat bonitas, ſapientia, fortitudo: cuius uirtute regna ipſa
mundi, atq́ imperia, quæ hîc montium nomine ſignantur, non ſecus in nihilum
delabuntur, ac ſolet cera flammis admota: ut de Iudæorum regno, aliarumq́ gen
tium, ſed in primis Romanorum uidere licet, qui omnes partim ui, partim uolun
tate, ultroq́, ſua Chriſto dederunt nomina. Quis id credat? Romanos ſcilicet re
rum dominos, gentemq́ potentiſsimam, unius fabri filio paruiſſe? A facie certè
domini, & montes, & colles, & quicquid terrarum uſpiam fuit, adinſtar ceræ de
fluxiſſe uiſum eſt. Eam ob rem

Annunciauerunt cœli iuſtitiam eius, & uiderunt omnes populi gloriam eius.

En tandem, de quibus cœlis locutus eſt ſpiritus, à quibus ingentes illi mana
runt ignes & coruſcationes: hi ſunt nimirum de quibus alio in pſalmo ſic canit
Vates: Annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt. Caſtæ quippe
mentes

A mentes ac purę, nullo nobiliori dignari poſſunt à Deo nomine, quàm cœli. Nam quemadmodum Deus ſpeciali quadam in cœlis habitat notitia & uiſione, ita in electorum cordibus ſuam habet ſedem diuinitas: à cuius radio, tanquã à ſole nubes, illuſtrati, actíq; calore, non poſſunt nõ ardentiſsimè Dei iuſtitiam, cuius dono purgati ſunt, annunciare, pro illáq; tutanda libentiſsimè mortem oppetere. Etid quidem propterea, quò gentes, quò populi, quò ipſi quoq; profligatæ uitæ homines, hanc mundo inſolitam experiantur gratiam, ex qua quidem maxima diuino honori, non temeritati hominum conciliatur gloria. Viderũt, inquit, manuq; contrectauerunt de uerbo uitæ, non iam Iudæi ſolùm, aut qui religioſi uocabantur, ſed omnes populi, omnes abſq; delectu nationes, uel ipſi quidem Hunni, Garamantes, atq; ultimas oras oceani incolentes: quæ ſanè immenſa tum fuit Dei gloria, ut nunc quoq; eſt. Arcta quidem nimium eſſet Dei religio, ſi ad me, meíq; ſimiles tantummodo ſpectaret. Quid enim à me requirat Deus, aut quid illi pollicitus ſim, non me fugit: quòd uerò nihil propè agam de his quæ requirit, & doleo, & me ingratiſsimũ omnium eſſe non ignoro. quid agant cæteri neſcio. Quare de me, meíq; ſimillimis tantùm hæc dixiſſe cõtentus, feruidos deamo ſanctos, atq; in Chriſti uiſceribus amplector: tardos uerò, & ſua ſponte frigidos, uti dipſades exhorreſco. Quos tamen, ut confundantur, ſibíq;, quò Deo poſsint uiuere, intereant, Deum obſecro, obteſtorq;, ſi licet. Interim autem

Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis.

Vix enim confundi poteſt ad uitam anima, quæ in peccatis induruit: quæ quidem peccata nõ tam fœdis metiri ſoleo libidinibus, furtis, uſuris, homicidijs, atq; id genus alijs uitę contaminationibus, quàm odio, feritate, ſimulatione, prauiſq; appetentijs, ac, qua maximè torquentur hi, qui propríj amoris morbo & inuidentiæ impalleſcunt, ambitione. Facilius quidem illi, hoc eſt, qui maximis atque adeo patentibus urgentur delictis, ad mollem animi ſtatum, piumq; in Deum re
B ducuntur affectum, atq; ad lachrymas, quàm hi qui ſub prętextu religionis ab occultis adeduntur. Cæterùm fuſiles ſtatuas & ſimulachra adorant non ſolùm idololatræ, uerumetiam auari, ſcortatores, impudicíq; puſionum amatores, molles, effœminati, palpones, atq; honorum auidi: ſed illi infelicius, qui ſeipſos admirantes, ſuas duntaxat colunt uirtutes, uaniſsimas ſcilicet rerum imagines & formas. Pudeſiant hi igitur, atq; inglorij uitam uiuant anxiam & miſeram, ſimulac rei alteri, quæ non ſit Deus, ſibi nimirum, aut numis, aut meretrici, aut amicis quoq; gloriam tribuunt. Iam quidẽ Chriſtiano ſi gloriandũ eſt, in domino gloriari conuenit, non in rebus quemadmodũ caducis, ita hominis natura inferioríb. Quare

Adorate eum omnes angeli eius.

Ex hebræo principium huius uerſus fini ſuperioris attexunt, hoc modo: Confundantur omnes qui ſeruiunt ſculptili, qui gloriantur in idolis, adorate eum omnes dij. Qui proinde ſint dij iſtiuſmodi, à Paraphraſte exprimitur, qui ſic reddit: Proſternite uos ante illum, quotquot eſtis, qui pro dijs ſtultitia hominum habemini. Fuit ne unquam, uel inter ipſos ſuperſtitionum altores Aegyptios, tam turpe deorum ſimulachrũ, ut eſt homo impurus, qui tamen pro Deo coli expetit? Fuit ne aliquando monſtrum tam horrendũ atq; immane, ut nunc ſunt hi (ſi qui ſunt) qui cùm uita hac, ut uocant, ſeculari defuncti appareant, ambitioſiores tamen ſunt illis qui in medio ipſo mundi luto ſuam ponunt felicitatem, peneq; citò deſiturum faciunt animũ, portionem utiq; diuinam, ac mortalitatis expertem omnino? En igitur ſculptilia illa execranda & ſimulachra, de quibus ſic Vates: Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantẽ in ſimulachris ſuis. Ergo iſtiuſmodi ſunt dij gentium, hoc eſt, illorum qui ſuas ob turpitudines alienati ſunt à Deo. Verùm ô uos qui cœleſtes in terris æmulamini ſpiritus, quiq; diuini uerbi præcones eſtis, & qui purã, planeq; angelicã cum Deo agitis uitam, illum, nõ falſas rerũ imagines, adorate, eumq; colite qui uniuerſorũ, atque adeo cœleſtiũ animorũ dominus eſt. Hunc uerſum Paulus de ſecundo Chriſti aduẽtu He

C bræis ſcribens citat. His itaq; ac tantis à Dei ſpiritu prolatis, atq; mortalium cordibus à principio impreſsis,

Audiuit & lætata eſt Sion.

Ea ſolennis purarum eſt animarum conſuetudo, ut ſi quid, quod ad honorem Dei faciat, audire contigerit, quammaximo afficiantur gaudio: contrà uerò impurę mœrent & affliguntur. Ad hęc, ut rerum omnium quoddam naturaliter eſt ſubiectum, ita cuilibet rei alia in re effectus eſt aliquis & operatio. Proinde cùm ſummè purus ſit ac ſimplex Dei ſpiritus, ſimplices, pureq; defæcatos & cãdidos requirit animos. Tale ſanè eſt Dei domiciliũ. Reliqua uerò, etſi forſan inſigni apparent morum grauitate conſpicua & ornata, dæmonum tamen ſpeluncæ ſunt ac uitiorum antra. Audierunt quidem ſemper improbi, quòd iuſtitia & iudicium baſes throni Dei ſint, atq; idcirco mœrore contabuere. E contrario autem, audiuit & lætata eſt Sion, populus nimirum, ubiuis gentium degant, electorum.

Et exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua domine.

Sion ac filiæ Iudæ, eandem præ ſe ferunt perſonam, nempe animæ per fidei lumen & confeſsionem Deo reconciliatæ. Nihil enim tam proximam Deo reddit animam, quàm fides, caſtaq; diuinarum rerum ſpeculatio: ab utroq; enim feruidus quidam in Deum oriri ſolet amor, ex quo animæ pax atq; perfectio, tanquã ab amne riuus, perpetua deriuatur ſcaturigine. Amnis certè perennis Chriſtus eſt, ager anima, riuus uerò Dei clementia: aquarum item irriguum, ſeu inferius ſiue ſuperius id ſit, gratia. Ergo à Chriſto per Dei clementiam in animam deſcendunt gratię. Cæterũ quę ſint Dei iudicia in hoc loco, quorũ ui perſpecta, in domino lætantur filiæ Iudæ, ſi interrogor, puto illius eſſe in moderandis rebus humanis prouidentiã, conſilium, æquitatem, quaq; rei cuilibet, quod illi maximè conuenientiſsimum eſt, impartit, ſapientiam: addo & in diſponendis hominum tũm
D præmijs, tum cruciatibus, inflexibile erga omnes propoſitũ. Quare ſic hunc uerſum interpretatur Campenſis: Exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua, qui impios terroribus exanimas, & pios exhilaras domine. Et eſt mutatio perſonæ, conuerſioq; ad Deum animæ ardentiſsima.

Quoniam tu dominus altiſsimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes Deos.

Omnium quidem rerum quas in ſuperioribus in proborum gratiam actas eſſe aſſeruit Vates, cauſa eſt, quòd Deus cunctis, qui terram hanc uaſtam incolunt, excelſior ſit, Deosq; omnes, ſiue fictos, ſiue ex participatione ueros, infinita exuperet potentiæ ratione, ac modo. Dictio porrò, nimis, ex hebræo, in immenſum, ſeu ualde, uerti poterat, ſeu etiam infinitis modis, ut uult Campenſis, qui ſic reddit: Infinitis modis ob hæc miracula prælatus es alijs uniuerſis dijs. Quare

Qui diligitis dominum odite malum.

Id proprium eſt amoris animæ ad Deum, ut malum execretur. Imò fieri non poteſt, quempiam facinoroſam non amplecti uitam, qui Deum non amat. Hic igitur ſic ſuos alloquitur ſpiritus: O uos, qui ſpretis mundi rebus, Deum, ut ſanctis conuenit, amatis, odite malum. Siquidem diuinus amor puriſsimus eſt, nullaq; patitur fœdari commiſtione, & ſodalitio. Totus candidus eſt, nudus, innocens, & cui nullus comes eſt datus, præterquàm mali odium. Ideo

Cuſtodit dominus animas ſeruorum ſuorum, & de manu peccatoris liberabit eos.

Puſillus nimium is eſſet animus, & meticuloſus, qui diuino protectus clypeo, humanum deſideraret. Vrgeat itaq; ut lubet improbus, minetur, ſanctorumq; ſanguinem exugat, ac uitam, quid hæc illis niſi riſum parient? Putas ne ſanctum uirum metuere poſſe tyrannũ? nihil certè minus. Perſuaſum quippe habet, quòd dominus cuſtodit animas ſeruorum ſuorum, & quòd de manu tandem peccatoris (tyrannum peccatorem uocat) illos eximere conſueſcit, licet ad tempus illius audaciam diſsimulet. Verùm unde hæc tam alta effulſit pijs animis cognitio? Inde nimirum, quòd

Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia.

Lux,

A Lux, inquit, cognitionis iusto orta est, tum Dei, tum sui, quæ Christus est, & lex sacra, qua cor perfusum in eam sensim transit rerum notitiam, ut nihil in terra esse, quod uerè esse dici queat, uideat: in Deo autem solida omnia, uereq; beata & æterna. Conspicis ne perfectam rerum cognitionem in anima Deo unita, etiam absq; literis, atq; ut nunc est usus, linguarum peritia? Negociū id quidem est, quod in corde transigitur, sede utiq; sapientię, si purum est, atq; à terrenarum rerum contagione liberum. Censes ne in rebus conditis posse esse gaudium cum hoc comparandum? Quare non absque ratione à spiritu infertur, Et rectis corde lætitia: orta scilicet est, seu ut nonnulli uertunt, inserta est, aut seminata. Quo sanè admoneor, de semine hîc illo forsitan dici, quod Dei esse affirmat Ioannes, cuius ui animati ad mortē peccare minimè possunt electi, quosq; in calce psalmi ad lætitiā, mirisq; efferendā laudibus Dei sanctitatis memoriam, inuitari uideo.

Lætamini, inquit, iusti in domino, & confitemini memoriæ sanctificationis eius.

Nihil profectò in uita hominum turpius inuenitur, quàm excussa penitus à mente diuinæ bonitatis memoria, in rebus tantūmodo illis uersari, quorum usu deteriores, quàm pecudum sint, nanciscuntur mores. His itaq; à Dei luce suapte sponte abalienatis, proindeq; in turpissimo suo illo uitę genere & gaudio derelictis, uos iusti, uos quibus nulla potior est cura ac studium, quàm ut Dei religio in terris uiuax sit & nitida, lætamini, talemq; in cœlis uos habere propitiatorem, ut Deus est, gaudete, simulq; tantorum memoriam beneficiorum, quibus penè obruuntur homines, non dissimulantes, illius diuulgate sanctitatem, qua nos, licet immeritos, in Christi sanguine dealbatos, & purgat & sanctificat. Cui honos sit ac laus in secula seculorum. Amen.

PSALMVS XCVIII.

B *Antate domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.*

De cantico nouo, quod rei nouæ atq; insolitæ cōuenire diximus, in superiori eiusdem exordij psalmo abūdè explicuimus. Iam quidem rebus omnib. quę ad fidem attinent, per Christū innouatis, nouū quoddam formandum erat cantandi genus, inusitatū illud quidem, & inauditum seculis antiquis, uerùm sanctissimis cœlestium rerum uatibus præcognitum, uaticinijsq; celebratum. Canticum itaq; nouum, noua est lex, cuius uirtute anima tota in Deo innouatur, abiectoq; uæ illo ueteris Adæ, cui obnoxij facti erant omnes, in nouas se effundit recentioris Adæ laudes, quia mirabilia fecit, quia inaudita, quia noua, quia stupenda operatus est. Mirandum certè in modum operatus est salutem in medio terræ. Quid tam mirabile unquam auditum fuit, quàm Deum fieri hominem, hominem uerò Deum? Id quidem uidimus in Christi carne, nempe Dei atq; hominis unione. Res mirabilis ea certè fuit, atq; usq; eò incomprehensibilis, ut etiamnum profundissima obtecta sit caligine, ad eamq; præclara etiam cæcutiant ingenia, nedum tarda, lucisq; diuinę expertia, ut sunt pleraq; mortalium. In primis quidem, ut tandem admirandarum rerum partem huiuscemodi prælibemus,

Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius.

Melius forsan uertisset interpres, si brachio sancto eius, uertisset: ut esset sensus, sola sua dextera, ullo absq; alio extero adminiculo, & brachio sancto suo salutem nobis attulit. Sic Paraphrastes: Victoriam enim sibi peperit sua ipsius dextera manu, & brachio sanctissimæ maiestatis suę. Felix tamen legit ferè cum nostro: Saluauit, inquit, eum dextera eius, & brachium sanctitatis eius. Per seipsum igitur, uirtuteq; propria ac naturali, suas exequitur operationes Deus: neque externo indiget præsidio, uti solent homines quamuis potentia insignes, & autoritate. Quare Paulus de Christo loquens, asserit illum declaratum esse filium Dei ex uirtute, nempe propria, atq; cum patre communi. In Esaia clamat Deus: Saluauit me dextera mea. Miro itaq; & inaudito modo rebus mortalium planè attritis, opem attulit Dei bonitas: siquidem ex mortuis (ut sic dicam) facti sunt dij

C pij omnes per Christi uirtutem. Vnde à mortis nos dominio per illius gratiam liberati, in ipso, cui per fidem insiti sumus, iam uiuimus, mouemurq́, ac ad capessenda cœlestia animamur. Iam tandem abrasa à mundo errorũ nocte atq; ignorãtia,

Notum fecit dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.

Salutem suam, ex Hebræo uerti debuit: quanquam nec dictio, salutare, suo uocat mysterio. Is Christus est, per quem sanè Dei uoluntas, seruandorumq́; hominum consilium antea occultum, adeò clarè mundo innotuit, ut non tam notus sit sol iste uisibilis in meridie. Atq; id est sacramentum illud, de quo Paulus Ephesijs scribens, inquit: Sacramentum uoluntatis Dei nobis notum factum esse secundum beneplacitũ eius, quod proposuit in eo, nempe Christo, instaurare omnia quę in cœlis, & quę in terra sunt, in ipso. Notam igitur fecit dominus salutem suam, gratiam nimirũ redemptionis, per quam æterna fuit acquisita felicitas per Christum, atq; id quidem in conspectu gentium: hoc est, excluso ignauo Iudæorum uulgo, gentibus, peccatoribus scilicet, atq; à cœlestium gustu alienis, reuelata est Dei iustitia, qua operante iustificati sunt homines in fide unius mediatoris, per quem accessum nacti sumus ad patrem, à quo nostra omnis profecta est iustitia: ne glorietᵉ homo, quasi à se orta sit peccatorũ ablutio. Id proculdubio cõtigit,

Quoniam recordatus est misericordiæ suæ, & ueritatis suæ domui Israël.

Pro domo Israël, reddit Felix: hoc est, ut interpretatur Campensis: Memor factus est misericordiæ suæ, & fidei (hæc est ueritas in Deo) in præstandis quæ promiserat Israëli, nempe fidelibus, ad quos quidem facta est de mirabili redemptionis hominum facinore promissio, qua se æterna astrinxit fide Deus, se suum concessurum mundo unigenitum, subindeq́; bona omnia cum ipso largius quàm unquam antea, profusurum. Quod sanè actum est, cùm Verbum caro factum habitauit in nobis: tum dico, quando uidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre, & manus nostræ contrectauerunt de uerbo uitæ. Vides copiosam spiri-
D tus ubertatem? uides quomodo recordatus est misericordiæ suæ altissimus, qui antea, nostra ob scelera, quodammodo sui uidebatur oblitus figmenti? Hæc sanè omnia diuina operata est bonitas ob fidem, qua ab initio domui pollicitus fuerat Israëlis, nempe illis, qui in spiritu & igne renouandi erant, nouum iustitiæ genus in Christo, quem uerius in intimis animæ recessibus coli uoluit, quàm cruentis illis Iudæorum ritibus & cęremonijs, absq; fide, quæ spiritu in primis nititur, ac mentis cultu. Cætera uerò fuere tardis ingenijs adminicula, atq; in his, quæ ad ueram spectant religionem, rudibus & ignauis, auxilia. Clementissimus itaq; pater nostris iam olim offensus erratis, suorum penè cura uidebatur teneri nulla: at tandem placatus, propriaq́; motus natura, illos ad memoriã reuocasse uisus est, cùm uenit suppetias, ac ferè extinctos animauit, ad uitamq́; deleto mortis imperio asciuit, Deosq́; fecit. Neq; ea quidem omnia clàm atq; in occulto, sed palàm uniuerso cernente mundo. Etenim

Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

Iterum salutare pro salute transtulit. Nullus, inquit, orbis angulus tam arctus fuit & semotus, ad quem salutis præstitæ notitia non peruenerit. Quocirca

Iubilate domino omnis terra, cantate & exultate & psallite. Psallite domino in cithara, in cithara & uoce psalmi, in tubis ductilibus, et uoce tubæ corneæ. Iubilate in conspectu regis domini.

Hactenus Hebręis horum trium uersuum est litera. In cithara, in cithara, idem præ se fert, quod, psallite cithara, & citharę sonum psalmi seu uocem iungite. Sic Paraphrastes: Psallite in honorem domini cithara, sed adhibita ad citharam modulatione uocis. Ad hæc, communis quidem cùm sit omnibus salus, cõmunis & omnium debet esse lætitia. Quicquid igitur in terris est modulationis, quicquid neruorum, quicquid uocum, aut spiritus quoq; efficti, & cõcentus, Deo tandem pulcherrimarum rerum effectori concinat, illiq́; quicquid suauitatis in se habet, offerat. Instaurato quidem uniuerso, imò uniuersi domino homine, nulla debet esse pars mundi, uis nulla, nullaq́; creaturarum species, aut natura, quę suum non debeat

A debeat agnoſcere benefactorem, atq; illi gratias agere. Vates enim à ritu illo antiquo atq; uſu laudandi Dei, qui potiſsimum inſtrumentis conſtabat muſicis, nõ diſcedens, qualis humana mens in diuinis occupata obſequijs eſſe oporteat, latenter admonet: nempe ardens, & ſtudioſa: alioquí frigida, imò uerò etiam tepida omnia, execratur Deus. Vſus quippe ille tubarum ex ære aut argento ductili, cornuum item & buccinarum, uocaliſsimam debere eſſe animæ confeſsionem, hoc eſt, intrepidam & conſtantem, præmonſtrabat. Myſteriorũ quidem plenus erat uſus ille omnis cęremoniarum. Verùm

Moueatur mare & plenitudo eius, orbis terrarum, et qui habitant in eo. Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu domini, quoniam venit iudicare terram.

Iterũ, ut in præcedenti pſalmo annotauimus, perſtrepet mare, ſeu reboët, uertendum fuerat: hoc eſt, ut interpretatur Campenſis, ſtrepitum ædat præ gaudio. Cæterùm de huiuſcemodi rerum inanimatarum lætitia ſatis abundè in ſuperioribus, & maximè in nonageſimo ſexto dictum eſt pſalmo. Verbum, exultabunt, melius ex hebræo uerti poterat, exultent, quò omnium una ſit uox in Dei laudes erumpens, à diuinoq; excitata ſpiritu, qui adeò ſuis in inſpirationibus ardens eſt, ut rebus quoq; interdum ſenſu carentibus, mentem, artusq; humanos tribuere uideatur. Quis unquam amnem aut fluuium manus, aut ſenſum gaudij habere dixit? Id quidem cœleſti excogitatum eſt conſilio, quò homo, natura cœleſtis, ad quantum animi incendium debeat moueri, intelligat, ſimulac cernit cœlum, terram, mare, flumina, ſyluasq;, & quicquid uſquam gentium conditum eſt, ad laudandum Dei nomen tam accuratè prouocari. Suo quippe modo ſaxa ipſa etiam inertia, plantæq;, & lapilli, in ſui creatoris laudes mirabili ſeſe effundunt niſu. Solus homo naturæ diuinæ, ut diximus, particeps, in re omni alia potius quàm in his, quæ ſuam teſtentur originem, infeliciſsimè diſtinetur. Credo equidem, hac
B miſeranda perſpecta ſui domini à Deo auerſione, & cœlum, & terram, & mare, & condita demum omnia, quę alicui uſui ſunt humano, in amariſsimas reſoluí lachrymas, lamentariq; ſeſe iniquo ſeruire domino. Interim uerò ad celebrandum Dei nomen conuertuntur, mutuoq; ſeſe conſolantur: quoniam tandem Deus

Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia, & populos in æquitate.

Conſultrice, ait, iuſtitia, atq; aſſeſtrice æquitate, ueniet dominus ad uniuerſale omnium iudicium. Dauid itaq; ad ueterem arcæ religionem alludens (de hoc ritu aliàs diximus) nouum Chriſtianæ pietatis cultum, qui iuſtitia maximè nititur & æquitate, deliniauit. Veniente quippe Chriſto in hunc mundum, iuſtitiam in primis & iudicium, quod hîcuocat ſpiritus æquitatem, ſecum tulit, feretq; in futurum, cùm ad extremum illud ueniet examen: quo peracto, rerum omnium finis erit, ut inquit Paulus: hoc eſt, Deus qui uniuerſalis omnium eſt finis, erit omnia in omnibus. Cui laus ſit & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

PSALMVS XCIX.

Dominus regnauit, iraſcantur populi, qui ſedet ſuper Cherubin, moueatur terra.

Vates enarraturus Dei potentiam in hoc pſalmo, quæ potiſsimum in eo uim habet, quòd ſuos incredibilem in modum tutatur, contraq; illis aduerſantes proterit & affligit, ab antiquis illis Iudæorũ ſignis, quibus uniuerſo planè orbi uerendus ſemper extitit, quibusq; ſe potentiſsimũ illorum fuiſſe propugnatorem, terrificumq; hoſtium ſuorum oppugnatorem, ut tum fuere Amorrhæi, Amalechitæ, atq; aliæ numeroſæ nationes, uariæq; culturæ homines, latè omnibus tum Iudæis, tum gentibus oſtendit, nos ſuo more prudentiſsimè aduocat, monetq; noui Adę regni. Quàm uerò terribili ſe habuerit modo Deus, quãq; omnibus in ſacroſancto illo arcæ propitiatorio, quod duabus immenſis Cherubin alis inumbrabatur, expaueſcendus fuerit, ſciunt uel tenuè docti in lege ſacra. Sed hæc myſteriorum plena. Nanq; alatæ imagines illę, formaq; humanę effigiatæ, inter quas ſuã ſibi ſedem delegiſſe uidebat̃ diuinitas, id obſcuriſsimo obtege-

C bant ænigmate, Deum nuſquam lætius cõmorari, quàm inter homines quidem, ſed qui alati eſſent: hoc eſt, qui poſito peccati onere, ſumptiſq; alis ſpiritus, in ipſum euolarent Deum, in quo omnis ſita eſt animarum quies, ac pax. Verùm nos cæcos, quibus adhuc mutæ Cherubin ſtatuæ mortuum adumbrant propitiatorium: nullę iam nobis alæ, nullus uolatus, nulla in Deum è terris eleuatio, niſi tarda, uiſcoq; prępedita, & iners. Terrenarũ quippe rerũ ambitione detenti oppreſſiq;, quî cœlum udis & diſſipatis nequicquam pennis petere audemus? Cœleſtia quidem expeditum & leuem requirunt uolatum, nõ lutulentum, implumémue, aut (quod abſq; lachrymis non profero) Dædali filio perſimilem, temerarium uidelicet atq; arrogantem, proinde diſſolubilem, & caducum. Sed hîc mihi tempero, atq; quid in hoc pſalmo ſentiat ſpiritus balbutire incipio: preſſa enim mens, ut mea eſt, ad lucem ſe habet Dei, quemadmodum ſe habent hallucinantes oculi & luſcioſi ad ſolis radios: conor tamen, ſi quo modo hiſce meis laborioſis uigiliis, tanquam ultrici cura, atq; acerbo meæ carnis flagello, queam me prorſus à mundi amore euellere, atq; in Ieſu ſinum, è quo omnis emanat ſapientia, tranſuolare. Id agat ipſe, poſtquam ex me aliud nihil ſpondere poſſum præterquã modicam expetendi bonum uoluntatem, atq; eam quidem ab ipſo, quem in me omnia eſſe & uolo, & ſic eſſe ſcio. Pereat in me bonum, quod à Deo nõ ſit. Ipſe igitur meus ſit dux & rex, ut dux eſt, ac rex illorum, qui diligunt aduentum eius. Videte itaque mortales, quid de immenſa illius potentia moneat ſpiritus: Dominus regnauit, iraſcantur populi, qui ſedet ſuper Cherubin, moueatur terra. Indicia hæc ſunt regni Dei in terris, quando regnat clementia, pax, charitas, in rebusq; agendis fides, prudentia, & demum uirtutum omnium condimentum, iuſtitia. Proinde in Dei regno nulla poteſt eſſe impietas, nulla ſeditio, nullum odij genus, nulla ſuperſtitio, nulla auaritia, nullum denique tum errorum, tum uitiorum ſignum: nam certè ubi regnat Deus, nullus eſt locus peccato, nullus inuido, oblocutoD ri, ambitioſo, helluoni, duplici, mago, ſuperbo, libidinoſo, crudeli. Hæc quidem omnia dæmonum indicia ſunt dominij, non Dei, cuius regnum ab omni horret inquinamento. Frendant igitur, ut lubet, improborum conuenticula, indignabundique obmurmurent populi, Dominus tamen, cui quondam aureos inter Cherubin terrifica fuit ſedes, regnat. Ex hebræo uertunt, Contremiſcant populi, non, iraſcantur. Id quidem ad indignationem referri poteſt, illud ad metum: utrunque uerò huc conuenientiſsimè quadrare iudico: utcunque enim, aut contremiſcant homines, aut rumpantur, nihilominus regnat Dominus. Ad hæc, idem ipſe

Dominus in Sion magnus, & excelſus ſuper omnes populos.

Vt olim enim dominus magnus fuit in Sion, & excelſus, utpote ſede diuino conſecrata cultui, ita nunc magnus eſt, imò longè maior in puriſsima illius Eccleſia, cuius typus terreſtris illa fuit Hieruſalem, quæ occîdit prophetas, & Chriſtũ tandem. Neq; is quidem dominus in his tantummodo aut illis excellit gentibus, ſed ſuper omnes ubiq; populos ſublimis eſt, ac maieſtate plenus. Omnibus quippe imperat, omnes tanquam oues paſtor à grege deerrantes, coërcet, reuocat, trahit, beat demũ. Quocirca quis eſt, qui tuam bene uoluens animo magnitudinẽ, ô Deus, nõ expaueſcat? non altum demittat ſuperciliũ? nõ totus, quantus eſt, metu ſimul & reuerẽtia cõtremiſcat? Itaq;, ut tandem finiã, quæcunq; condita ſunt,

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & ſanctum eſt.

Non ultra procedit uerſus Hebræis. De confeſsionis uoce, non raro in ſuperioribus diximus. Sic ex hebræo uerti poſſet: Celebrent, ſeu, fateantur nomen tuum magnum eſſe, ac metuendum: ſanctum quippe eſt. Impuris certè animis & inquinatis, terrificum, penéq; intolerandum eſt nomen Dei: quippe qui nollent, quò liberius peccare poſſent, Deum eſſe. Vitale quidem nomen execrantur miſeri: contrà uerò purgatis dulce admodum eſt mentibus, & ſuaue. Quare non iniuria hîc Vates nomen Dei & magnum, & terribile, & ſanctum quoq;

affirmat

A affirmat eſſe. Verumenimuero ne diutius in perueſtigando Dei nomine torquea
ris, Ipſe eſt nomen ſuum.

Et honor regis iudicium diligit, tu paraſti directiones, iudicium & iuſtitiam in Iacob tu feciſti.

Id ſæpenumero agit Dei ſpiritus in mente hominis, ut dum in contemplandis diſquirendisq; cœleſtibus dat operam, eò raptetur, quò affectus magis tum euehit & accendit. Ex quo plerunq; illud cõtingere neceſſe eſt, ut concitatiori nonnunquam exagitata ignis flamma, in illius magis rei prorumpat uerba, cuius ſub iectum tum contemplatur ardentius: hincq; crebræ illæ in prophetis perſonarũ mutationes ortum habent, ut in hoc pſalmo uideri poteſt. Eam ob rem nõ incon ſultò, aut caſu, ea quæ ſunt ſpiritus contingere arbitranda ſunt, ſed ſumma ratione & conſilio: noto tamen duntaxat illis, qui omiſsis cęterarum rerum, tanquam mæandris, occupationibus, toto feruntur nixu in Deum, qui cùm puriſsimæ naturæ ſit, puros ſuam ad religionem aſciſcit animos. Puritas uerò huiuſmodi fide effigiatur, amore perficitur, atq; in Deum tranſit. Cęterùm ſiue honor legas cum noſtro interprete, ſiue robur aut fortitudo cum Hebræis, nihil diuinius dici poſſet. Proinde illud mihi Pauli in hoc loco ſuccurrit, qui de Dei filio uerba faciens, ſic ait: Qui cùm in forma Dei eſſet (ecce honor regis) non rapinam arbitratus eſt ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit. Non itaq; ex honore illo ſupremo, ac potentia, qua Dei filius eſt appellatus, tyrannidem, ut complures ex noſtris facere conſpicimus, exercebit, ſed iudicium & æquitatem, rex noſter Chriſtus. Is enim hòc ſe humilius habuit in terris, quò excelſior ſemper erat in cœlis. Quid hîc noſtrates dicũt proceres? cuius ſunt profeſsionis? Chriſti ne? Heu mundũ perditum. Ergo honore illo immenſo inſignis rex noſter æternus, non ſui ſtatim immemor factus eſt, atq; impatiens animi, ſed iudicium, ſed æquitatem, ſed clementiam ſemper ſuis in definiendis uſus eſt rebus. Exemplum id ſanè eſt excellentiſsimum, noſtris inculcandũ magiſtratibus. Deus bone, quantus interdum tumor?
B quantus afflictorum neglectus? Præ magnificentia illa quidem ſua uix in ſe manent, uiri, ſi Deo placet, lepidiſsimi, quibus uel ipſum mel & ſaccharum nauſeæ ſolet eſſe ac ſtomacho. Verũ tu, ô domine, quę ęqua ſunt & pia, paraſti: hoc eſt, ea tibi in primis fuit cura, ut hi qui è Iacob familia ortum habent, nempe electi, iuſtè decenterq; ſuam inſtituerent uitam. Paraſti directiones, Hebręis eſt, fundaſti æquitatem, aut huic ſimile. Impoſsibile quippe eſt, populos non optimis informari uitæ præceptis, quorum ſuperiores integri ſunt, atq; æquitatis amantiores, quàm proprij commodi, & honoris: quòd ſi ſecus ſunt, uix illos homines appellare audeo, quandoquidem monſtra illos potius ad deuaſtandam uineæ domini pulchritudinem, neſcio à quo terræ inquinamento producta, optimi quiq; nuncupare ſoliti ſunt. Ego quidem corruptionem iſtiuſmodi, noſtram ad frenandam ſuperbiam ac luxum, Deum noſtris in rebuſpub. acregionibus uelle eſſe iudico, quemadmodum in domibus Aegyptiorum atque agris eſſe uoluit, & cyniphes, & locuſtas. Verũ his interim ſuo in ampulloſo uitę faſtu eouſq; derelictis, quoad illis immittat dominus ſpiritũ terroris & reſipiſcẽtiæ, ô uos humiles, pijq; animi,

Exaltate dominum Deum noſtrum,

Non uoſmetipſos, aut affines ueſtros, ut illi, ſectæq; ueſtrę factioſos & paraſitos.

Et adorate ſcabellum pedum eius:

Non ueſtrum principem, & antiſtitem.

Quoniam ſanctum eſt.

Scabellum pedum Dei, arca olim fuit, ſiue propitiatoriũ: ad quod qui religioni uacabant, ſeſe proſternere conſueuerant. Dauid quidem rerum iſtiuſmodi atque myſteriorum non ignarus, ſic hac de re loquitur: Cogitaui, inquit, ut ædificarem domũ, in qua requieſceret arca fœderis domini, & ſcabellum pedum domini Dei noſtri. In illo enim ſeſſurum ſe dominus promiſerat, indeq; orantes exauditurum. Modò uerò illud ſibi nomen uindicat Eccleſia, & meritò. Non deſunt porrò, qui ſcabelli uocem ad Chriſti carnem referant, perſanctè id quidem. Pro-

C inde uaticinium id esse arbitror prophetæ, uetustum illum iam tum adorandi mo
rem execrantis, nouumq; quasi digito cõmonstrantis, quo Deus in Christo ho
mine, uti in scabello aptissimo diuinitatis, coli cognosciq; deberet. Alioqui subla
ta Christi cognitione à mundo, imperfecta Dei esset notitia, obscura, & caligino
sa, ne dicam nulla. Itaq; nostræ religionis cultus à sanctissima Christi præsentia
uim sumpsit atq; efficaciam, addo & sanctitatem: quia ipse sanctus, quia Deus,
quia bonorum omnium exordium est, ac finis. Ad hunc igitur confugiendũ est
nostris in ærumnis: ad hunc suspirandum, quoniam per ipsum accessum habe
mus ad patrem. Nullo quippe medio alio seruari posse hominem certi sumus, ad
quod sanctissimorum semper uita hominum præluit, sed in primis præcipui illi
religionis cultores atq; architecti,

Moses & Aaron in sacerdotibus eius, et Samuel inter eos qui inuocant nomen eius: inuocabant dominum, & ipse exaudiebat eos.

Hactenus Hebræis est uersus. Suo more Vates antiquorum patrum memo
riam atque exemplum, quò nostram excitet segnitiem, in medium adducit: in
ter quos, qui præcipuo floruerint erga Deum studio & cultu, hi tres fuere. Aa
ron quidem primus fuit sacerdos à Deo institutus: Moses sacerdotij consecra
tor. Porrò de Samuelis sanctitate illud perspicuum est, quòd adolescentem ad
huc sua dignatus fuit uisione ac uoce Deus. Simplicissimo se semper habuit uitæ
modo ac ratione cum Deo uir ille, idcirco ei gratus, stupendoq; ornatus sancti
tatis spiritu extitit & uaticinio. Quare non frustra à Vate inter inuocantes Dei no
men, quod maximum fuit illius fidei argumentum, infertur. Tantum enim olim
ualuit horum oratio, ut de illis sic dicat Deus in Hieremia: Si steterint coram me
Moses & Samuel, non est mihi animus ad populum istum. Cæterùm de Aarone
legimus, quomodo oblato thure uastum illud incendium, quo populus ob sedi
tionem latè seueq; absumebantur, dicto citius restinxerit. Vide quam uim secum
D afferant sanctorum hominum precationes. Miramur nunc, quòd uel usq; ad rau
cedinem uociferantes ad dominum, nõ exaudimur. Nulla iam restant mala, quæ
non iam millies experti simus. Vnde tot uitæ manant incõmoda? perpetuæne
erunt seditiones? bella? bonorum ciuium proscriptiones? exilia? Nullumne un
quam sortientur finem subditorum rebelliones in principes, principúmue cru
deles in subditos exactiones? Quousq; dira hac lue tyrannidis, aut illa odiorum,
etiam hi qui mortui sunt mundo, ne dicam Deo, afflictabunt? dormitne Deus?
auditne, cùm nihilominus suæ nos nostra dedimus nomina religioni? Esto, uix
è fonte excepti, periuri sumus, non deest tamen solenne illud & necessarium con
fessionis remedium, quæ fit sacerdoti: non deest Eucharistia, non ritus sacri, non
medij ferè orbis clericorum professio, ac monachorum: ex quorum quidem col
legijs crebræ exeunt cùm priuatæ, tum publicæ ad Deum orationes, ieiunia, cho
riq;, & noua in dies ædificata templa, cubicula, hospitalia, eleemosynæ, dotesq;
puellarum innuptarum, quæ precariò lararijs deseruiunt, ac sexcenta alia istiusmodi à Deo inspirata, tanquam medelæ, nostris malis refrigeria. Quî fit igitur,
quòd æreum nobis quodammodo factum est cœlum, cùm oramus? O cæcos ani
mos. Cur, quæso te, tua hodierna deterior est uita, quàm fuit hesterna, crastina ue
rò hodierna, atq; perendina crastina? Putasne animum in peccatis obduratum,
pertinacemq;, posse aliquando hisce admotis externis tanquam cataplasmatis,
alioqui salutaribus Ecclesiæ remedijs, emollescere, ad uitamq; reuocari? Fieri
non potest, impurum animum, hoc est, in peccatis perseuerantem, eo iustitiæ ge
nere posse affici, quo minus illius fiant sordidæ deprecationes, etiam si infinita
Deo nuncupet uota, atque religionum professiones. Censesne antiquos patres
illos, de quorum fide in præsentia fit mentio, ea fuisse animi peruicacia & sæui
tia, qua nunc ex nostris plerisq;, ex doctioribus etiam, atq; ex his qui primas nacti
sedes, nihil prius habent, quàm quomodo ab Ecclesiæ simplicitate descisceré ui
deantur? Puras certè animas purus ille deamat spiritus, qui cùm cor hominis in
tegrum

A tegrum in orante requirat, ſaucium contrà ac diſſipatum auerſatur. Moſes itaq; & Aaron, ſanctiſsimi illius ordinis religionisq; primates, atq; ſubinde futurorum norma ſacerdotum, à Vate huc propterea adducuntur, quò qua præditi eſſe debeant integritate illi, qui gratas Deo ſuas eſſe cupiant orationes, cæteroqui Deo odioſas, intelligamus. Ad hæc, his addit ſimpliciſsimæ uitæ homo Samuel, quippe qui ſedulus fuerit pro populo illo rebelli interpellator. Quare à Vate infertur: Inuocabant dominum, & ipſe exaudiebat eos, purificatæ nimirum fidei homines. Iam tum quidem primùm cœpta eſt Eccleſiæ ſynceritas deliniari, quæ tamen per ætates à primis illis patrũ degenerans exordijs, à Chriſto tandem ſuam adepta eſt perfectionem. Quæ ſi porrò noſtram ob ignauiam nonnihil declinauit, ab ipſo rurſus erigenda eſt Chriſti ſpiritu, reintegrandaq; in priſtinũ, tantùm noſtra non deſit opera & ſolicitudo. Quod ſanè hucuſq; dixiſſe contentus ſum, quò non ignoret uulgus, unde uniuerſi petenda ſit, etiam abſq; Concilijs, orbis reformatio, unde regna, unde reſpublicæ, unde religiones (religiones appello, ſectas iſtas uarias religioſorum, cùm unam tamen profiteantur religionem) penè collapſæ ſuam ſumere queant innouationem, nempe à Chriſti uita & doctrina. Quærunt nonnulli, cur Vates Samuelem, qui longiſsimo ſubſequutus eſt annorum ſpacio Moſen & Aaron, illis, ac ſi una eademq; uixiſſent ætate, connumeret. Putant quidam interpretes, ob id, quòd hi tres è Leui per Kahat originem traxerint. Felices partus, quibus tam ſanctum mundo eſt editum germen. Inuocabãt, inquit, dominum, & ipſe eorum fide delectatus, exaudiebat eos. Cæterùm

In columna nubis loquebatur ad eos.

Id de Moſe atq; Aaron notiſsimum eſt, quibus in caligine Deus loqui conſueuerat, ut ferè omnia illius ætatis obſcuro obducta erant inuolucro. Nihil ſanè de Deo audire poterant, niſi obſcurè ac terrificè.

B *Cuſtodiebant teſtimonia eius, & præceptum quod dedit illis.*

Omnes ferè ex hebræo uertunt, ſtatutum. Vtcunq; legas, legem ſignificat, ſeu pactum, fœdusq; cum illis percuſſum, quod nihilominus interdum teſtimoniũ, utpote de Dei uoluntate cõteſtans, appellatur. Lex enim quoddam fuit pactum cum populo illo initum, fuit mandatum, fuit teſtimonium, fuit ſtatutum, fuit tandem diuinæ uoluntatis expreſſa ſignificatio, obtecta tamen uulgo. Cuius rei indiciũ fuit uox Dei in nube & caligine audita. Ergo diuinę legis, quæ fide nititur, obſeruatio, cauſa eſt, quamobrem noſtris in precationibus exaudimur à Deo. Quare ut concludam,

Domine Deus noſter, tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuiſti eis, & Vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.

Indulgens fuiſti eis, uertit Felix. Alij uerò ex hebræo, condonans illis: hoc eſt, propter illos fuiſti condonans, nempe noxas populo. Illorum nanq; interuentu donabantur peccata populo, ac pœnę: & id quidem tum maximè, eoq; temporis momento, quo de illis pœnas ſumere decreuiſſet Deus. Sic ex hebræo intelligere neceſſe eſt: nam, adinuentiones eorum, ad peccatorum multitudinem illorum refert, nempe uulgi, ac multitudinis. quanq; non adinuentiones, ſed conſilia, aut ſtudia, ſeu etiam opera, ut uult Felix, ex hebræo uertendum fuerat. Sic Paraphr. Deus licet potens ſis, clemens tamen fuiſti ad preces illorũ in alios, etiam eo momento, quo ulciſcebaris ea, quæ aduerſum te ſtultè cõmenti fuerant. Quocirca

Exaltate dominum Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto eius: quoniam ſanctus dominus Deus noſter.

In quinto uerſu eadem, quæ hîc dicuntur, uidere licet, eo excepto, quòd in illo de arcę propitiatorio fit mentio, in hoc uerò de Sion monte ſancto Dei, quem nunc Eccleſiã Chriſti ſponſam, alio ſanctitatis genere, quàm illa fuit, inſignem, appellamus: in ipſa enim ſuam habet ſedem Dei filius, qui totius ſanctitatis fons eſt atque autor. Si quis igitur, quæ ſit uera adorandi ratio ac modus, ignorat, ad

C Chriſti pedes cum lachrymis, etiã nihil dicens, aut offerens, ſuppliciter procumbat, & ſat eſt. Cui & laus ſit atque honos in ſecula ſeculorum. Amen.

PSALMVS C. In confeſsionem.



Vbilate Deo omnis terra.

Inſcriptio pſalmi nihil aliud ſignat quàm, pſalmus ad laudandũ compoſitus: qui quidem tametſi cõmune habeat cum multis alijs argumentum, idcirco & eandem omnino expoſitionem, tamen ſuauiſsimo, atq; illo peculiari defluit curſu. Mirum enim quantum pijs animis afferant ſuauitatis uerba illa, quę de diuinis habentur laudibus. Tum quidem exhilareſcit cor, colliquiturq; prę amore mens. Cùm ſanè recolit Deum ſe habere quemadmodum creatorem, ita ducem, paſtoremq;, & in omnibus defenſorem, non poteſt non feliciſsimè lætitia geſtire in illo, nihilq; magis timere, quàm ne, qui ſanctiſsimũ eius nomen ex tollant laudibus, deſint. Quamobrẽ ſuo tantummodo non contentus gaudio uir ſanctus, ac erga Dei honorem ſtudio, ſic omnes terrę incolas adhortatur: Iubilate Deo omnis terra. O qui terram hanc obſcurã & ſpinoſam colitis, quiq; rem arduam ſpiritus aggreſsi eſtis, gaudete in Domino, non in rebus mundi caducis & fallacibus: in Deo enim ſolùm ueſtra omnis debet eſſe hilaritas & gaudium.

Seruite domino in lætitia, introite in conſpectu eius in exultatione.

Is unus eſt uerſus. Nulla ſanè re alia humana in negocio ſpiritus tam delectat Deus, quàm ſi anima ſuperuacaneo abiecto mœrore, in cœleſtium rerum guſtu & conſolatione uiuere, & mori tandem appetat, req; præſtet. Etſi enim complura ſint, occurrantq; in hoc mundo, adeò confuſa & uaria, ut penè omnem auferre uideantur lætandi occaſionem, attamen nulla unquam tam acerba fuit calamitas quę id effecerit, quo minus in ſpiritu aliqua ſaltem recepta ſit conſolatio: imò quò atrocior eſt, eò maiori afficiũtur mentis gaudio hi, qui nullam ueram in hoc
D ſtatu uitæ lętandi rationẽ eſſe multoties experti ſunt. In Deo igitur cunctam gaudiorum ſummam ſtatuentes, id ante omnia compertum habent, cor hilare & iucundũ in diuino requiri obſequio: quod quidem hilaritatis genus à fide in Deum ſolida, conſcientiaq; nitida prouenire ego arbitror. Secus uerò cor infidele, conſpurcatũq; uitiorũ notis, gaudere quidem poteſt cum mundo (ſi tamen gaudium rectè dici poteſt tantula hęc lętitiarũ fallacia) cum Deo autẽ minimè. Cùm itaq; mihi meiq; ſimillimis dici audio, Seruite domino in lætitia: illud mihi audire uideor, Tua illa ſeruitus, qua Dei ſeruus appellari gaudes, pura ſit, hilaris, atq; ab illis quidem rebus, quibus mœror comes eſt ac dolor, ut ſunt prauæ appetentiæ, corq; libidinoſum, mens arrogans, atq; affectibus illis anxijs & infinitis ambitionis addicta, quibus modus ſtatuitur nullus, libera, & ſeriò abhorrens. Cuiuſmodi uerò ſit gaudium, quo piæ affici ſolent animæ in Deo, puto rerum cœleſtium eſſe deſiderium, optimeq; de ſe conſcia mens, ac pura fides. His enim, quibus hæc inſunt bona, à ſpiritu dicit: Introite in conſpectu eius in exultatione. Is animæ ingreſſus etſi fidei conſtat profeſsione, abſurdum tamen minimè erit de externo quoq; intelligi cultu ac ritu, ut ferè agunt hi, qui templa facilè adeuntes, Deum ibi liberius, quàm uſquam alibi uenerantur, & adorant. Id etiam de ſacra altaris cõmunione interpretantur nonnulli. Verùm quæcunque teſte Deo peragunt homines, ea nimirum in conſpectu Dei peragi arbitramur: ideo læto perfici debent animo, quippe quæ coram illo, qui hilarem ſuo in obſequio deamat datorem, peraguntur. Læta ſanè exultatio animæ, de qua nunc loquitur ſpiritus, in intimis deliteſcit amoris penetralibus, raroq; aliud admittit conſolationis genus: quod hi non agunt, qui intolerandum eſſe exiſtimant longum cœleſtium contemplationum guſtum & lætitiam, niſi ad externas crebrò tranſeant carnis refocillationes, effluantq; liberius in ea, quæ ſenſus alunt & oblectant, quàm illi qui tardiores cùm ſint in re ſpiritus, ea tamen, qua cõuenit, accipiunt trepidatione ac reuerentia, ſi quid interdum diuinarum rerum experiuntur. Quis tum lachrymarũ, ſuſpiriorumq; illiuſmodi originem, modum, exitum, dignè perueſtigaret?

A garet? Dona hæc certè ſunt Dei, non multis cognita, ideo faſtidita. At uos, qui in ambiguo adhuc (ut ambiguæ res ſunt humanæ) deſudatis uitæ itinere, omni tur pi remota perſuaſione,

Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos, & non ipſi nos: populus eius, & oues paſcuæ eius.

Agnoſcite, inquit, dominum eſſe illum Deum, qui fecit nos. Quid hac dignitate ſublimius? Neq; enim, ô tardi, ipſi fecimus nos: ſed populus eius ſumus, ac grex tener, quem cœleſti continenter alit paſtione, quem fouet, quem in ulnis, tanquam deſtitutũ agnum paſtor, geſtat. Quis itaq; tam hebeti uiuit mente, qui talem non agnoſcat benefactorem? dominum? paſtorem? Quid torpetis?

Introite portas eius in confeßione, atria eius in hymnis, confitemini illi, laudate nomen eius.

Portæ, ut aliquando diximus, pro conuentu, locisq; ubi conuenire conſueuerant ad tractanda uulgò homines negocia, iuraq; accipienda à ſenioribus, non rarò in ſcripturis accipiunt. Atria uerò memorat propterea, quòd illuc plebs unà coire ſolitus erat. Cæterùm, uox cõfeſsionis, laudem denotat, ac, ut uertunt nonnulli, celebrationẽ. Sic illi: Ingredimini portas eius cum celebratione, atria item eius in hymnis, celebrate eum. Extollite, illiq; pro acceptis beneficijs gratias agite. Conclamate, diuinisq; illius inſuſurrate auribus, Nos populus tuus ſumus, ô altiſsime, atq; oues paſcui tui: tu paſtor & dux. Confundor, mi lector, ac præ dolore ferè exanimor, cùm meam uerſo animo in tam beneficum dominum duritiem, melius dicerem impietatem, atq; ultroneam à mea ſalute fugam. Penè animum, cùm me ſpecto, deſpondeo. At erro, meq; hîc ipſe reprehendo:

Quoniam ſuauis eſt dominus, in æternum miſericordia eius, & Vſq; à generatione in generationem Veritas eius.

Quid igitur deſpero? Etenim ueritas eius, nempe conſtantiſsima in ſeruandis promiſsis fides, non uni quidem ſolùm, aut alteri ſubuenit generationi, ſed eq̃è
B ad omnes protenditur, in infinitaq; prorogatur ſecula. Quoniam itaq; ſuauis eſt dominus, facilisq; ad ſubleuandos à miſeria miſeros, idcirco æterna eſt eius clementia. Nec mirum id quidem: nam Deus eſt. Quicquid uerò de Deo dicitur, id Deum eſſe neceſſe erit. Etenim ſi ſuauis eſt ac pius, ea q̃terna in illo eſt ſuauitas ac clementia, ut reliquę quoq; illius bonitatis partes, atq; ſalutis humanæ indicia & argumẽta, æterna ſunt. Cui honor ſit & benedictio, in ſecula ſeculorũ. Amen.

PSALMVS Dauid CI.

Miſericordiam & iudicium cantabo, tibi domine pſallam.

Videtur hîc Vates perfectiſsimos in ſe uiri optimè inſtituti mores uoluiſſe exprimere. Verùm in exilio conſtitutus, ea in primis Deo pollicitus eſt, quæ poſtea neq; ipſe, neq; alius quiſpiã ante Chriſti aduentũ perfectè prę ſtitit. Ad Chriſtum igitur hæc omnia referenda ſunt, qui ut eſt perfectiſsimum uirtutum omnium uas & archiuum, ita uires ſuis ſuppeditare, quò etiam illa quæ factu impoſsibilia uidentur, egregiè compleant, nõ differt. Opus id eſt fidei, atq; uehementis in Deum amoris, cuius telo cùm ſaucíata fuerit mens, quid non tentabit? Huc itaq;, nempe ad Chriſtum optimarum rerum effectorem, nos qui uitreis incedimus plantis, noſtri intellectus ſenſum cùm in omnibus, tum in hoc potiſsimũ exponendo pſalmo conuertamus, audiamusq; illum in eruditiſsimo Vatis pectore ſic patrem alloquentem: Miſericordiam & iudicium cantabo, tibi domine pſallam. Quemadmodũ enim abſolutiſsimũ hîc uitæ chriſtianæ ſtatum deliniari cernes, ita cumprimis formam illis dari arbitror, qui iudicandi munus ſibi arrogant. Facilis quidem iſta eſt cupiditas: ſed illa, quæ uniuſcuiuſq; officio conueniunt, præſtare, difficilè. Mirum quàm uoluptuoſe de honore ſibi applaudant conceſſo, ſeu ui atq; ambitu abrepto, nõnulli: præ lætitia penè inſaniunt, leues quidem illi, ac nimium ambitioſi. In pertractandis uerò rebus illis propter quas dantur magiſtratus, nihil eo hominũ genere inſulſius, nihil efferatius, nihil tam riſu dignũ: uix enim ſeſe, quin in aliam tranſeant præ mentis alienatione

C ſpeciem ac formam, continent. Adeò corruptus quidam ambiendi honores mos inoleuit, ac turpis etiam in rebuſpub. bene inſtitutis conſuetudo, ut cuilibet impuro atq; è terra nato, integrũ ſit illa potiſsimũ ambire atq; aſſequi, quæ præclariſsimis, atq; adeò integerrimis debent uiris. Pro quibus ſanè inſtituendis ſic de ſe, ac ſi ex illis unus eſſet, teſtatur Dei filius: Miſericordiã, inquit, & iudiciũ cantabo. Contemperandũ ſemper eſt noſtris in promulgandis ſententijs miſericordia & prudentia, iudicium, ne aut totum ſæuitia ſit imperiũ, aut legum omnino diſſolutio. His planè rebus noſtræ omnes expendendæ ſunt actiones. Verùm de alio hîc agi miſericordiæ iudicijq; genere, me admonet litera, quam ſic ex hebræo ferunt nonnulli: De bonitate & æquitate cantabo. Volunt enim bonitatem hîc eſſe propenſum ad ſubueniendum cunctis animum: æquitatem uerò, uirtutem illam qua ex recto, æquóue iudicio geruntur omnia: atq; his quidem totam uitæ integritatẽ, inter ciues, ac iuſtitiam conſeruari. & eſt ſenſus: De bonitate & æquitate, quibus res cunctę hominum ritè gubernantur & inſtituuntur, in hoc pſalmo memoriam facere decreui, pro illisq; cantabo: & id ſanè propterea, quò tibi inde proueniat laus, atq; honor. Quare tibi, ô domine, non mihi aut meis, canam pſalamq;, ac, quantum maximè potero, laudibus tuum efferam nomen.

Et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.

Hoc ſe munire poſſunt dicto diuinę gratię aſſertores, ut planè eſſe debent omnes qui uerè Chriſti ſpiritum hauſere: tantùm à digladiandi rabie ſe temperent. Tum, inquit, intelligam, tum ſyncera ab impuris ſecernam, prudenterq; rebus in agendis me habebo, cùm ad me tu ueneris, qui longè meam ob turpitudinem receſſeras: abſq; tuo enim auxilio nihil boni aut intelligere, aut re præſtare poſſum. Te uerò accedente ad cor, alioqui durum & indomitum, ſtatim colliqueſcet, ferreamq; ſuam exuens naturam, in leniorem tranſibit formam atque uſum. Et ego quidem quæ erumpere debeant è fidei trunco, & gemmæ, & fructus, non prorD ſus ignarus,

Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

Verba ferè quæ in hoc inſunt pſalmo, per futurũ tempus legunt Hebræi, optimè id quidem, ut mea opinio fert: ſunt enim ſynceræ animæ pollicitationes, non præteritæ uitę narrationes. Cùm ad me, inquit, ueneris, cùm meam hanc tandem legis fræno reluctantem inuiſeris animam, cùm me iacentem erexeris, uitaq; tui ſanctiſsimi ſpiritus animaueris, traxerisq; uel inuitum & renitentem, tunc ſanè cordis innocentiam nactus, quò tuus, non meus, me acciuerit ſpiritus, accedam, tutusq; perambulabo. Hoc porrò impetrato, me adeò obnixè ad æquitatis regulam informabo, ut in medio quoq; & ſecreto domus meę cubiculo, ubi nullus eſt hominum conſpectus, qui meam dijudicent uitam, nõ ſecus eam ſeruaturus ſim morum diſciplinam, atque ſi foris in publico contigerit diuerſari. Eandem enim tum domi, tum foris, præ me feram conuerſationis imaginem. quod nequeunt hypocritæ, qui ſuam illam fictam extenuantes in publico ſanctimoniam, mentientesq; religionem, in ſecretioribus quà ædium, quà cordis receſſibus, nullam exhorreſcunt turpitudinem. Cæterùm ex hebręo, nonnullis quę hîc dicuntur de domo, ad moderatam domus familiam referre libuit. Vnde ſic Paraphraſtes: A te enim adiutus, conſtanter uerſabor pro puritate cordis mei in adminiſtratione domus meæ. Nõ eſt quidem in rebus domeſticis & ciuilibus, addo & in his, quæ ad religionem ſpectant, meritum cum hoc comparandum, cùm quis Dei timore niſus, ita ſua in gubernanda familia ſe integrè prudenterq; gerit, ut nihil ſanctius nec ab ipſis quidem religionum profeſſoribus requiras. Vtraque uitæ conſuetudo ſancta eſt, modò id agant homines, quod in baptiſmo ſunt polliciti. Alioqui neglecta ſalutari illa uiuendi ratione, atque alias, ac nouas, quotidie aſſuere ſibi uitæ leges, parum prudentis eſt animi, ne dicam temerarij. His enim fulcienda illa eſt, non demolienda (quanquam non uideo quibus illa fulcris egeat, quæ certiſsimis nixa eſt ſpiritus ſancti adminiculis) eæ interdum dubijs ac nutantibus

A nutantibus. Verùm tu uide quid iſtiuſmodi imbutus numinis doctrina, ille nimi rum ad cuius cor acceſsit Dei ſpiritus, de ſe teſtetur:

Non proponebã ante oculos meos rem iniuſtã, facientes præuaricationes odiui, nõ adhæſit mihi.

Tota ferè huius pſalmi litera cõfuſa eſt in noſtro interprete. Ideo ne ambiguus reddatur ſenſus, alio qui lucidus, illum qui Hebræis eſt ordinẽ ſequi malo, quàm indoctè quorundam ſimplicitati conſulens, ſomnia, non rem certam, quod potiſsimum execratur ſpiritus, adducere. Ita ex Hebræo uertit Felix: Non ponam in conſpectu oculorum meorum uerbum Belial (id iniquum ſonat) pręuaricantem odio habui, non adhærebit mihi, nempe præuaricator. Scelus, inquit alius, præuaricationis ſic odio habebo, ut non temerè adhæreſcat mihi. Paraphraſtes uerò clarius: Hominem ſuperbũ ſemper odio habui, nec unquam familiaris fiet mihi. Quid porrò ſibi uelit, Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam, ſeu uerbum Belial, unico expreſsit uerbo ipſe Campenſis. Nunquam mihi, inquit, imitandam propoſui rem ullam iniquam. De Belial iam aliàs diximus. Proborum certè mores in uſum nobis traiiciendi ſunt, ac tanquam naturalis cibus deglutiendi: ſceleratorum uerò conſuetudo, uti anguis fugienda omnino eſt, atq; à noſtro conuictu reſecanda: ut de oue morboſa, ne totum corrumpat gregem, ſuos hortatur monachos meus pater Benedictus. Quid ſi id non obſeruant plerique? quid ſi? Penè dixi contaminatas nonnunquam à mundo foueri, ſanas uerò abijci, & opprimi. Iſtuc ſanè eſt Dei iudicium perpaucis cognitum, mihi tamen notiſsimum.

Cor prauum, declinantem à me malignum non cognoſcebam.

Sic Hebræi: Cor peruerſum declinabit à me, malum non cognoſcebam. Nullum ferè adducit ſenſum noſter interpres. Malum in hoc loco, nocentem hominem & malignũ appellat Vates. Sic cor prauum intelligi oportet, hominem prauo affectum animo, uerſutum, fraudulentum, cuius artes ne acutiori quidem qui
B ſunt ingenio, perueſtigare, aut cauere queunt. Ex his unum compellat uetus ille Comicus: Eho, inquit, lutum leoninum, ehò ſterquilinũ publicum, impure, inhoneſte, iniure, illex, labes populi, pecuniæ accipiter, auide atq; inuide, procax, rapax, trahax, trecentis uerſib. tuas impuritates loqui nemo poteſt. Periculoſiſsima res eſt cum iſtiuſmodi hominũ genere neceſsitudinẽ habere: quare eos auerſantur omnino hi qui probiori prædíti ſunt animo, eos nõ cognoſcunt, non commune cum illis quicquam habere dignantur. Boni certè bonorum delectantur moribus: impuros uerò & illiberales, etſi illis, quò diuinam referre queant munificentiam, cùm poſcit neceſsitas, ſubuenire non recuſant, deteſtantur, tantum ab eſt ut illorum probent amicitiam et familiaritatem. Interim tamen illorum curandus eſt morbus, iſq; ſeruandus in illorum curatione modus, quo uti ſolent medici in ægrotis, qui uelint nolint curari debent. Excogitat, inquit Salomon, iuſtus de domo impij, ut detrahat impios à malo. Quæ ſanè omnia perfectiſsimus ſeruauit Vates, qui ſic infert:

Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar: ſuperbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.

Sic ferè ex hebræo uertunt: Accuſantem in ſecreto (hoc eſt, nihil mali ſuſpicantem proximum ſuum accuſantem) interimam. Elatum oculis, & uaſtum corde, non patiar. Nemini id nouum eſſe debet, ſi ſe Vates interempturũ aſſerat obtrectatorem, clanculumq; deferentem in aliorum nomen & exiſtimationem. Hac quidem uocis acerbitate oſtendere uoluit, nullum eſſe poſſe in conuictu hominũ tam deteſtandum uirus & horrendum, quàm illud eſt, quo infecti ſunt pernicioſiſsimi delatores ac maledici, quorum lue exitiali penè uniuerſus iam attritus eſt orbis. Vſquequo (ſcelus) præpoſtero uiuitur ordine? At uerò, inquit Vates, quo hi ſe habeant modo, haud mea multũ intereſt. Ego quidẽ interea cũ ſuperbo oculo et inſatiabili corde nõ libenter edo, nõ cõuerſor, nõ illorũ approbo cõſuetudinẽ: nõ illis quod Dei eſt, ut expetũt, tribuo: atq; magis id adeò, quòd ſublimes

C oculos, atq; elatum cor contemnit altiſsimus. Siquidem uir impius procaciter ob firmat uultum ſuum: ingens nimirum arrogantiæ indiciũ, atq; elati animi, quod uaſtum cor à ſpiritu nũcupatur. Etenim qui malo atq; elato ſunt animo, hi de more impudenti ſunt facie & aſpectu: qua ſanè uecordia ſe neminẽ uereri, cunctoſq; deſpicere uideri uolunt. Hinćq; aliud erumpit ulcus, quòd ſatis nihil illis unquã facit, nulla dignitas, nullus honos, nulla potentia, nulla pecuniarum uis. Idcirco intolerabiles facti ſunt mundo, Deo odioſi, ac probis omnibus infenſi. Attamen ſecreto Dei iudicio regnant plerunq;, ac eo uiuunt uitæ genere, ac ſi nulla alia immortalis poſt hanc extaret uita, nihiĺq; non audent, quò ſuas expleant cupiditates, quæ illò ferè tendunt, ut dĳ in terris habeantur. Nec deſunt quidem (prò mores) qui illorum pareant affectibus: adeò amiſſa eſt omnis bene ſanctéq; uiuendi ratio. Elatum igitur cor, atque arrogantem animum ferre neutiquam potero, ait propheta. Sed

Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecũ, ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabit.

Qui ſint fideles terræ, elegantiſsimè, ut ſuus eſt mos, aperit Campenſis: Oculi mei, inquit, obſeruant eos, qui bona fide uerſantur in terra. Quę quidem uerba ſuperioribus illis, detrahentem ſecretò proximo ſuo, opponi debent. Hi igitur, qui bona fide res ſuas peragunt, nemini graues, quamplurimis utiles, à principe magiſtratibus, ſi ueri principes ſunt, meritò perornant̃, conſeſſoreſq; in iudicĳs aſciſcuntur, ut ſe hîc egiſſe Dauid ſuo in regno fatetur. Semper quidem illud rex & princeps cogitare debet, an ciues homines ſint, uel ne. Alio ſanè modo iniĳcit̃ homini frænum, equis alio, ac feræ indomitæ. Omnis proinde abeſſe debet feritas, cùm de hominũ gubernatione tractandum eſt, aut magiſtratus creandi ſunt, legeśq; ſanciendæ, ac iura, ne pro paſtoribus ac patribus, carnifices, modeſtiſsimę pręponantur reipub. Ambulans, inquit, in uia immaculata, ſynceréq; de Dei religione ſentiens, hic mihi, meiśq; populis, non tanquam tyrannus imperabit,
D ſed quaſi omnium minimus, adminiſtrabit, omniuḿq; ſaluti, ut optimus ſolet pater, proſpiciet. Cæterũ de cœleſti patre hæc dicta eſſe non ambigo, qui ut malos ſuo in obſequio refutat miniſtros, ſic bonos ſuo benigniſsimo dignatur fauore: quorum ſanè effigiem aptiſsimè deliniauit Vates, cùm ait, Ambulãs in uia immaculata, quæ eſt uia iuſtitiæ, uia fidei, uia innocentiæ: qui talis eſt, dignus erit Deo adminiſter, ueruśq; ſacerdos, & filius. Sed illud ualde mirandum, ſi tu tibi perſuadeas, te Dei eſſe miniſtrũ, cùm pollutis manibus & inquinato animo diuina peragis, ac ſacra ad Dei aras contrectas, reśq; diuinæ conſecratas religioni non ſecus actitas, atq; res ſolent ludicras pantomimi & ſcurræ. Puriſsimo quidem attactu contrectari debent omnia, quæ Dei dedicata ſunt cultui, ne bona noſtrum in exitium conuerti experiamur. Iam illud quod ſequitur horrendum:

Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum.

In medio domus meæ, ſimpliciter uerti poterat, in ædibus meis: uel, ut Felix, intra domum meam. Neq; Hebræis eſt, qui facit ſuperbiam: ſed, qui facit dolum ſeu fraudem. Rurſus uerbum Direxit, illis eſt, durauit. Quare ſic Paraphraſtes: Non habitabit in ædibus meis fraudulentus: neq; is qui mendaciĳs aſſueuit, durabit apud me. Duæ eæ res ſunt, quibus decor omnis bonorũ ac pulchritudo dehoneſtatur, fraudulentia & mendaciũ. Cùm quidem totum Dei regnum fide potiſſimum ac ueritate conſtet, gratioſo ne oculo cerni hi poterunt, qui doloſiſsimi cùm ſint, ac mendaciſsimi, liberè tamen in Dei ædibus perinde ſpatiantur, ſpatiantur autem? imò uerò etiam ad primas interdum, neſcio qua ſorte, obtruſi ſedes, tanto præſident imperio, ac debent illi, qui ideo reiecti abĳciuntur, quia innoxĳ ſunt & puri? Sic ſe habent malè ordinatæ reſpublicæ & regna. Perfidioſi itaq; & doloſi, quippe qui indigni Dei contubernio à ſpiritu iudicantur, omni cauendi ſunt ſtudio, coërcendíq; iuſtitiæ fræno & capiſtro, ne illorum fraudulentia, falſiśq; inuentis ac delationibus exterriti uiri Dei, fana ſinant dicata religioni ſpe-

A ni ſpeluncas fieri latronum: quæ quidem res acerbior illis eſſe ſolet quàm ipſa ſit mors. Verùm illud conſolationi poteſt eſſe, quòd malę fidei poſſeſſores cùm ſint illi, non diu erunt, non durabunt, ut inquit Vates, non ſemper Dei ædes flagitijs conſpurcabunt. Etenim religio nutare, notiſcę quibuſdam, ac næuis interſpergi poteſt: collabi uerò omnino, atcę indelebiliter fœdari, minimè. Chriſtus enim ſuam aliquando reuiſet ſponſam, quam firmam, nitidamcę eſſe uoluit, & æternam. Eam ob rem in pſalmi calce ſic rem abſoluit Vates:

In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

Rurſus, interficiam uerti poterat. Cæterùm, in matutinis, idem uult quod tempeſtiuè, maturè. Celerius, inquit, quàm unquam putaſſent, omnes terræ impios interimam, atcę è Dei æde ac ciuitate ſceleratiſsimũ quencę eliminabo. Domus quippe Dei, domus eſſe debet orationis, caſtimoniæ, uirtutum, non emporium rixarum, factionum, hæreſum, libidinum, negociationiſcę & auaritię. Et ego qui dem, qui hæc ſcribo, ita eſſe aſſerens ſubſcribo, colluuiemcę iſtam improborum è domo Dei eliminari cupio, rogo, obſecro, obteſtor, ac tandem cura hac ingenti ſolui, atcę eſſe tecum, ô excelſe, efflagito. Cui laus ſit infinita in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. CII. Oratio pauperis cùm mœrore animi cruciatur, & coram domino effuderit eloquium doloris ſui.

Omine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Volunt interpretes hunc pſalmum querimoniam fuiſſe prophetæ, ſimul & uaticinium, populi è ſeruitute Babylonica reuerſi, multocę enitentis ſtudio & labore in reparatione & ciuitatis & templi, ſed à finitimis gentibus impediti: ægrè enim gentes illæ Dei religionẽ inſtaurari ferebant.
B Quamobrem tam multis affectus fuit iniurijs, atcę hoſtium irruptionibus Iudęorum populus, ut penè ab inſtituto deſiſteret. Hincę maximę audiebantur in uulgus querelę, gemitus planctuſcę mœroris pleniſsimi, atcę amariſsimæ ad Deum uoces, quibus totus is fermè reſperſus eſt pſalmus, imago nimirum difficilis incrementi bonarum rerum, quæ continuò tum hominum, tum dæmonum intercipiuntur aſtu, atcę odio. Nullum non uoluunt lapidem improbi, quò felices in te ſpiritus interrumpantur ſucceſſus. Id agunt dæmones: id rurſus innatæ illæ in nobis appetentię, triſtiſsimis infectę irarum ſuccis. Heu quantum mei interdum diſpudet erroris, atcę nondum bene incœptæ iuſtitiæ, cùm hæc uerſo animo. Senex iam ſum, quippe qui ſecundum & quinquageſimum annum natus, uix uitæ meæ diſſipatas colligere ualeo rationes, adeò ſegniter actæ uitæ memoria conturbor. Inſanio certè præ indignatione, cùm recolo maiorem meæ ætatis partem in neſcio quibus me attriuiſſe perſuaſionibus, excutiendiſcę, tanquam infeſtis telis, mea, ut mihi uidebatur, ab innocentia, flagitioſorum hominum iniurijs. Ignorabam miſer, crucem optimè inſtitutis animis, atcę ad religionem tutandam natis, ſemper fuiſſe neceſſariam. Sed tandem ad me reuerſus, fideicę ſyncerioris clypeo contectus, ac capite ſub ſpinoſo Chriſti, qui in hoc pſalmo pro me uaſtiſsimo ſub onere miſeriarum afflictus ingemiſcit, tanquam in umbra poſitus, cum ipſo ſic meas præteritas execror culpas, clamocę: Domine exaudi orationẽ meam, & clamor meus ad te ueniat. Id genus orationis & clamoris, quo diuina flectitur ſeueritas, etſi in caſti uiri ore & ſermone ſpecioſum eſt, nihilominus in amanti cordis conſternatione & mœrore poſitum eſſe in primis arbitror. Petit igitur uir ſanctus, ut cor ſuum Deus afflictum benigno intueatur aſpectu, uocemcę ac ſuſpiria pacatis auſcultet auribus. Atqui nequaquã formari queunt precationes, qui diuinis futuræ ſint gratæ auribus, niſi ab anima, quæ firma ſubnixa ſit fide. Fides igitur ea eſt, quæ clamat, quæ orat, quæ impetrat, quæ Deum, alioqui ob peccata auerſum, reuocat, atcę urget, dicens:

C *Non auertas faciem tuam à me, in quacunq; die tribulor inclina ad me aurem tuam.*

Benigno nos uultu reſpicit Deus cùm boni ſumus: truci uerò, aut nullo omnino, cùm mali. Non auertas, Hebræi habent, non abſcondas, more uidelicet irati, atq; illius, qui orantem penitus auerſatur, audireq; recuſat. Eo maximè, inquit, tempore, quo uexor & afflígor, altíſsimas illas tuas míhi exílí ac uix ſpíranti demitte, inclinaq;, ut faciles ſolent parentes, aures, ac meis tandē reſponde uotis. Et

In quacunq; die inuocauero te, velociter exaudi me.

Inculcat idem ſæpenumero uir magnis in periculis conſtitutus. Agè, inquit, domine, cùm tuum imploro ſubſidium, ne tardus ſis, ſed matura. Maxima quidem pericula, maximam præſidij celeritatem poſtulant. Omnis quippe mora periclitanti longa eſſe ſolet, & nonnunquā letalis. Audí igítur domine, cùm clamo. Clamo certè aſsiduè,

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

En dira amari animi conſternatio: en doloris effectus, ſi immenſus eſt. Cremiū, titio eſt Hebræis, ſeu focus: nam dictio illa locum, in quo perpetuus eſt ignis, ſignificat. Ardens profectò metaphora, ac mirè dolori extremo conueniens: uehemens enim cùm eſt, ſuccum omnem uitalem adurit & conſumit. Quid, inquit, gratiæ? quid boni mei míhi celeres atq; inquinati attulerunt anni? Equídem tanquam fumus citò euaneſcens, deſiere, conſumptiq; interierunt: quin ipſa etiā oſſa, alioqui ſuo modo uiuida, tanquam titio ſemiuſtus effecta ſunt, arida nimirum, atq; uti ea ſolent quæ diutius in igne immorantur, torrefacta. Hoc ſanè loquutionis genere uult ſuum declarare metum ac dolorem Vates, atq; cum eo hi, qui fugacem uitæ huius ſtatum ſeriò contemplantur. Verùm non ea contentus dixiſſe, alia inſuper ſui mœroris indicia ſubijcit:

Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.

D Parum aliter hunc uerſum legunt Hebræi. Sic Felix: Percuſſum eſt quaſi fœnum, & aruit cor meum. Flos quidem aut herba à fœniſecis inciſa, perlangueſcit illicò & areſcit: ſic eſt uita hominis, ſic eſt cor humanum in pectore maxima exagitato præ dolore cura & anxietate, atq; magis id adeò, ſi cibo abſtinet. Solent quidem homines in luctu & mœrore poſiti, cibum exhorreſcere & faſtidire: ex quo cōtingere oportet, quòd anima ſuo deſtituta alimento exiccetur, ſitiq; perenni laboret. Adeò, inquit, intenſus fuit dolor ac mordax, ut cibi prorſus oblitus, in mœrore & luctu contabuerim. Idcirco

A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ.

Pelli meæ, uertunt nonnulli: quanquā caro pro pelle, & è contrario pellis pro carne accipi ſolet in ſcripturis. Studioſi quidem ſcripturarum id norint. Et eſt ſenſus: A uoce gemitus atq; eiulatus, quibus maximè exhauriunt̄ præcordia, caroq; conſumitur, uix pellis aduſtis cohæret oſsibus. Atqui illud manifeſtum, quòd naturali deficiente nutrimento, quo caro alitur, reſtant oſſa uix cute, atq; ea quidem rugoſa & putri ueſtita: ut his accidit, qui febre diutius afflictantur. Præ clamoſo gemitu, ait Campenſis, factum eſt, ut uix hæreat oſsibus pellis mea. Adhæc

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Siue pelicanum legas cum noſtro interprete, & ut diuus uertit Hieronymus: ſiue onocrotalum, qui idem eſt cum pellicano, cum alijs, aut bubonem, illud putandum, prophetam huc aues deſerta loca incolentes, cæterarumq; auium conſortia fugientes, adducere uoluiſſe, quibus ſe ſimilem præ nimia animi anguſtia extitiſſe fateretur. Mirum quàm ægrè ferat & lucem & ſolem, & ipſum quoq; charíſsimorum congreſſum & aſpectum, uir mœrens: ſi tamen uir dici debet is, qui alio doloris genere, quàm ille eſt, qui è tranſactæ uitæ memoria, pœnarumq; terrore ac metu oriri ſolet, tam efflictim conteritur, ut hominum conſortia alioqui naturaliter iucunda horreat. Sola enim peccata, atq; in Deum iniuriæ, id meritò ſibi uindicant: quippe quæ, cùm maxima ſunt, hominem prorſus obbruteſcere faciunt, uertuntq; in aliam, ut ſic loquar, ſpeciem, quæ non ſit hominis. Obſecro,

quid

A quid tantum horroris aut luctus ciere poſſunt terrenarum rerum iactura, liberorum orbitas, aut exilia, ut hominem penitus à ſe alienet, tamq; inſanire faciat, ut omnino conſolationem omnem renuat? Indicia ſunt hęc non paruæ contra Deũ infidelitatis. Vt ſuæ enim debentur partes carni ac ſenſibus, ſic ſuæ animo, rei nimirum diuinæ & immortali. Cæterùm onocrotalos uolunt naturalium rerum indagatores in Aegypti ſolitudine naſci, ſæueq; admodũ affligi, ac ſeſe uſq; ad ſanguinis effuſionem percutere, ſi ad nidum reduces, filios à ſerpentibus occiſos inueniunt. Aſſerunt rurſus, fugacem ualde eſſe alitem, cuiq; is ſit naturaliter mos, ut rapina oppleta in os rurſum illam euomat, atque inde demum in aluum ruminantium more deijciat. Imago certè ſupra modum mœrentium, qui eandem ſæpe doloris cauſam uoluunt animo & reuoluunt, & ſic tandem, uel cùm non aduertunt, contabeſcunt. In domicilio, Felix uertit, deuaſtationum: hoc eſt, in locis dirutis atq; ſolitarijs. Cæterùm nycticorax noctua eſt, bellua quidem (belluam illam appellare fas ſit) humanos mirum in modum deuitans aſpectus ac lucem. Aliam ſubinde attexit ſimilitudinẽ propheta de paſſere, qui ſolus & mœſtus domorum inſidet tectis.

Vigilaui, inquit, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Vigilare hîc uerbum, Hebræis eſt intentè quippiam obſeruare. Felix tamen, exercitatus ſum, uertit. Paraphraſtes uerò cum noſtro ſic reddit uerſum: Præ ſolitudine ſomnũ non indulſi oculis meis, & ſimilis mihi uidebar eſſe paſſeri mœſto, qui ſolus in foramine deſidet ſub tecto. Vulgò enim auem quandam merulæ ſimilem, ſolitarium paſſerem appellant, eò quòd ſola ferè ſemper ſit, & in tectis reſidens meticuloſa garrit: auis alioqui ſuauiſſimo concentu & raro: nihil ſuauius audiri poteſt. Verùm de paſſere illo cũctis notiſſimo hîc dici arbitror, qui uagus & impudens, omnibus penè infenſus eſt & odioſus. Is quidem è paleis ac ſtipulis ſuum componens nidum, ſub tectis emittit fœtus: animal tamen etſi ſtridu-
B lum, atq; uſq; ad faſtidium loquax, quod prudentię imaginem, ut diuus uult Hieronymus, ſecum habeat. Excuſſo igitur penitus à calamitoſi uiri oculis ſomno, ſimilem ſe facit paſſerculo mœrenti, ſuamq; deploranti ærumnam in tecto: cui nihil gratum eſſe poteſt, prętерquàm luctu paſci & enutriri. Cauſam uerò ſui inconſolabilis doloris mox addidit:

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, aduerſum me iurabant.

Verbum quod noſter uertit interpres Laudabant, Hebręi legunt, deludebant. & eſt ſenſus: Qui ludibrio me habebant & deriſioni, hi meam in perniciem coniurauerunt. Apertius item principium uerſus à Paraphraſte redditur: Tota die mei me probro affecerunt inimici. Aſperum profectò illud eſt doloris genus, cùm dolorum cumulo dolor alius adijcitur omnium acerbiſſimus, nempe hoſtium acclamatio, atque uno uelutí facto agmine & conſpiratione, deriſio, triſtiſq; uultus ac trux. Non ſuo tamen uacat lepôre & energia, uerſio interpretis in uerbo, laudabãt: quod ſanè ad ſimulatos amicos attinet, qui nos coràm admirantes, quicquid ue agimus laudantes, in omnibus coniunctiſſimam præ ſe ferunt nobiſcum neceſsitudinem: uerùm ſemoti ab aſpectu, egregij fiunt ſtatim obloquutores, atq; unà cum apertis hoſtibus inſidiatores. Quocirca ad exprimendũ ſuum dolorem Vates ab iſtiuſmodi rerum atrocitate manantem, hiſce, ut uides, queribundis utitur uocibus:

Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miſcebam.

Quare cinerem, ſi uertiſſet interpres, dilucidior fuiſſet litera. Sic Paraphraſtes: Quare cibus meus non ſapuit magis mihi, quàm ſi cinerem comediſſem. Erat mos celebris illorum qui in luctu erant, in puluere ſedere ac cinere, ut de Dauide moriturum filium deflente legimus. Ideo quæcunq; ab eis tunc agi contigerat, in puluere aut cinere agi dicebantur. Quare is erit ſenſus: Excors penè adeò humi pronus iacui, ut non iam panem, ſed ipſum cinerem & puluerem eſitaſſe uiſus ſim. Quid potum hîc meum cõmemoro? lachrymarum is fuit amnis, non

C uino quidem, aut è fonte aqua tunc uſus ſum, ſed lachrymis, ſed euulſis à cordis radicibus ſuſpiriis. Quòd ſi tamen, quæ eſt natura hominis, aliquo utendum fuit poculo, id illicò erumpente ab oculis lachrymarum riuo confundebatur. Omnes ferè ex hebræo, lachrymis uertunt, non fletu: quanquã idem refert utraq; lectio: non eſt fletus abſq; lachrymis. Paraphraſtes tamen utranq; poſuit, hoc modo: Potui meo lachrymas admiſcui, non temperans me à fletu.

A facie iræ indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me.

Iræ & indignationis uertendũ fuerat, cum copula. Nec diſplicet quod ad apertiorem addunt ſenſum nonnulli, qui ſic reddunt: Id autem propter indignationẽ & iram tuam: poculum ſcilicet cum lachrymis miſcebã. Paraphraſtes quoq;: Propterea quòd iratum te mihi ſciebam, & grauiter offenſum. En tandem uides quãobrem tam acerbè, ut de ſe conteſtatur Vates, dolendum eſt: ob iniurias nimirũ contra Dei honorem illatas. Sed ſtupidi nimium ſunt homines, qui ex tantulo rerum ſuarum incõmodo & iactura, finem ſtatuunt dolori nullum: de his uerò, quę in Dei contumeliam tum ab ipſis, tum ab alijs impudentiſsimè fiunt, ne uultum quidem mutãt. Puluere, inquit, uice panis uſus ſum idcirco, quia te offendi, quia te irritaui, quia, te omiſſo, omne bonum perdidi. Quid mihi timendum eſt, ſi iſtuc non timeo? Video, uideo, in quem coniectus ſim malorũ aceruũ: nanq; eleuans alliſiſti me. Extuliſti certè me in ſublime, ut inde grauius caderem: ſolemus enim illa, quæ minutius collidi uolumus, in altum tollere. Verùm quò me uertam? unde meam incœptem defenſionem? Ad meam igitur detegendam miſeriam, quò tuam nanciſcar miſericordiam, meum erit perfugium. Audi itaq; benigniſsime, in quàm uile deſæuis mancipium.

Dies mei ſicut ὑmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui.

Nihil umbra inanius. Declinauerunt, inquit, uitę meæ dies, ſicut declinat umD bra, uergitq; ad noctem, cadente ſole. Vmbra quidem etſi grandior ſole occidente apparet, magnitudo tamen illa eo propior fit nocti, quo maior uidetur. Non ſecus ſanè eſt uita hominis, fugax nimirũ, uana, ac tum uicinior infortunijs & morti, cùm felix, magisq; beata uulgò exiſtimatur. Dies igitur noſtri ſimiles ſunt umbræ ſerotinæ. Ego autem, ut de me, quod uerum eſt, fatear, non aliter quàm fœnum breui exareſcam.

Tu domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generationem.

Certè umbra eſt uita hominis, imò umbræ ſomniũ. Fumus inſuper eſt, ac quædam, ſi corpus ſpectas, rerum inanitas. Is tamen, qui talis eſt, tanto nonnunquã inflatur tumore & ſuperbia, ut illum qui æterno ſtat æuo, cuiusq; memoria in tantum per res conditas effuſa eſt, ut de progenie in progeniem ſempiterna tranſeat ſucceſsione, audeat iniurijs laceſſere, turpificareq; illius religionem, atq;, quantum in ſe eſt, tum legem, tum ſacramentorum uirtutem & efficaciam, abrogare. Ego, inquit Vates, umbra fumoq; uelociorem uitam hanc tranſigens, fœno exciſo torrefactoq; ſimilis factus ſum: tu uerò domine uanitatũ omnium ſecurus, nihilq; immutatus, æterno permanes ſeculo. Quid uerò? memoria prorſus humanarum rerum labilis eſt, caduca, & quę breuiſsimis præſcribitur dierum terminis: quæ autem de te eſt, nulla unquam aboleri poterit uetuſtate. Si quidem in cœlo tua rimanda eſt natura, quid uerendum, quo minus perpetua ibi ſit tuæ incomprehenſibilis ſubſiſtentiæ ac uitæ memoria, cùm nullum ibi ſit tempus, quod obliuioni natura obnoxium eſt ac morti? Si in terris uerò tuam perueſtigamus prouidentiam, nõ deſunt ſparſim, paſsimq; res conditæ, in quibus tua relucet ſapientia, fides, bonitas, imperium. Poterunt'ne interdum de his non recordari homines? Poterunt'ne, inquam, tam præclari doni, ut eſt uniuerſalis effectionis machina & pulchritudo, obliuiſci? Eſto obliuiſcantur, erit'ne cor tam ſtolidum & ingratum, quod opus illud celeberrimum Dei, qui Chriſtus eſt, in cuius uultu æterni patris impreſſa eſt imago, & ea quidem uiuax & æterna, ex animo abijciat? contemnat?

A contemnat? Contemnunt tamen. O mentes obliuioſas. Itaq; cùm hoc ſe habeat modo & forma, permagna hominum pars,

Tu exurgens domine miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.

Aliàs diximus, Deum nobis dormire uideri, cùm nõ fert opem inuocatus: expergiſci uerò, cùm ſubuenit. Dormit rurſum, cùm ſinit nos peccare: exurgit à ſomno, cùm uim noſtrę addit imbecillitati nos ipſos ſuperandi. Dormit tandem, cùm petenti bonorum ſuorum partem adoleſcenti filio, non contradicit, permittitq; inſanum illum peregrè abire, cum ſuibus uiuere, libidinibus inquinari, ſeipſum deſtituere. Expergiſcitur autem, quando errantem admonet, rogat, trahit, ſuſcipit demum, atq; ad feliciſsimum gratiarum oſculum, guſtumq; cœleſtium admittit. Tu, inquit, exurgens, qui hucuſq; dormire uiſus es, tuaq; ciuitatis Sion, nempe animarum in te quieſcentium miſertus, euigila: nam tempus id eſt clementiæ. Acceſsit, inquam, tempus illud à maioribus promiſſum, quo dixere, affore aliquando, quòd omni ablata miſeria, regnaret miſericordia & clementia, ſumma ſcilicet religionis perfectio. Non id dubium, tempus quo inſtauranda eſſet tum ciuitas, reparandumq; templum atq; religio, ſtatutum fuiſſe à Deo: quod quoniam à rudioribus maximè ignorabatur, diuinis prout poterant uacabant ſupplicationibus & ſacrificijs, quò tandem Deus illorũ miſeratus exilium, placatis hoſtium animis ſuum inuiſeret populum, tempusq; illud promiſſum reædificandi ciuitatem ac templum, benigniſsimè præſtaret. quod ſanè ſub Cyro & Dario actum eſſe legimus. Imago certè ea fuit ac præludium, Eccleſiam Chriſti à gentibus aliquando inſtaurandã, imò etiam à fundamentis excitandam. Tempus itaque, de quo hîc memorat Vates, ut illud fuerit Darij ac Cyri, ita ad Chriſti ætatem referri debet, ſub quo aliud ædificij genus, quàm lateritium, aut marmoreũ, ædificandum eſſet: animæ nimirum, ac corda prius impia ac diſſoluta hominum, quæ per Chriſtum eouſq; in altum euehenda forent, ut è limo, in quo infeliciſsi-
B mè uolutabantur, de fide in fidem, tanquam ſcalę gradibus innixa, in Deum uſq; tranſirent, ibiq; ſummam tecti perficerent. Nanq; extrema noſtri ædificij opera Deus eſt, qui & baſis & fundamentum. Hunc uerſum ſic ex hebręo uertunt nonnulli: Tu exurgas & miſerearis, tempeſtiuum enim eſt ut eius miſerearis: nam diffinitus terminus adeſt. quod tempus redemptionis interpretatur Paraphraſtes: Et tempus, inquit, redemptionis appetere uidetur iam nunc.

Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius, & terræ eius miſerebuntur.

Seruos hîc uocat pios illos reges, quorum opera ad res ſuæ religionis inſtaurandas uſus eſt Deus. quare ſic reddunt uerſum ex hebræo nonnulli: Quia beneuoli ſunt, uolunt. Serui tui lapidibus eius, & puluere eius fauent. Atqui non illud inficiandum, nullum adeò immenſum poſſe eſſe in re ſpiritus detrimentũ, & ruinam, quin queat in primam, addo & meliorem formam reſtitui, modò uelint hi, quorum propter autoritatem intereſt, quibuſq; eſt integrum res collapſas erigere. Quod ſi, cùm poſſunt, non præſtant, impij magis in Deum cenſendi ſunt, atque in illius religionem crudeles, quàm pij patres & paſtores. Sunt porrò qui huius uerſus ſenſum ad ſanctum piorum hominum deſiderium transferunt, quibus ea in primis erat cura, iſq; amor, ut ruinæ templi iam tandem reſarcirentur: atque hi meritò ſerui Dei à Vate appellati ſunt. Ita in præſentia non deeſſe cernimus, qui id appetant, quærantq;, ſed nulla illis autoritas apud homines. Quòd ſi quid tamen ex iſtiuſmodi illorum affectu & deſiderio, pro merito adipiſcuntur, id odium eſt. Quid agant igitur? ſua quidem contenti pietate in Deum, id ſaltem præſtabunt, quòd terræ eius miſerebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.

Non defuerunt quidem eo tempore, quo cœpta eſt reformari tum cultu, tum mœnibus Hieruſalem, & reges, & primarij regionum homines, qui uiſa operis magnificentia, perſpectaq; duorum regum in renouãdo templo liberalitate, qui faterentur Deum Iudęorũ, deorum omnium potentiſsimũ. Qui quàm glorioſus

C & potens eſſet, ut in cæteris mundi rebus cognoſci quiuerit, id magis tamen in religionis maieſtate & reuerentia, comprehendi potuit. Etenim labor ille aſſiduus populi, ſtudiumq; reædificandi templi, donaria item regia ampliſsima, ac piæ ad rem ſacram inſtaurandam exhortationes, illud ſpectabant, quòd Deus excelſus in Sion maximè cunctis appareret & glorioſus. Quod ſanè perfectè contingere minimè potuit, niſi glorificato Chriſto, nempe perfectiſsimo myſteriorum omniũ illorũ ac rituũ fine, ac, ut ſic dicã, conſummatore. Quocirca ſequitur,

Quia ædificauit dominus Sion, & videbitur in gloria ſua.

En fidei effectus: haud amplius quidem orat ut ædificentur muri Hieruſalem, ſed rem iam factam in ſpiritu contemplat, fateturq; ſuam Deum conſtruxiſſe ciuitatem. Iam, inquit, ſuas erexit ædes dominus. Cernuntur templa, miraq; rerum pulchritudine & dignitate, latè patent religionis inſignia. Sion quidem alio ſtructurę genere, modoq; alio ac ratione, extollitur. Etenim pro cęmento, lateritijsq; parietibus aut tabulatis, ardentia ponuntur deſideria, caſtiq; affectus, atq; à fide manantes operationes: hæc eſt ſtructura, hoc ædificiũ quo oblectatur Chriſtus, quoq; glorioſus in terris, qui in cœlis ipſamet eſt gloria, apparet. Videbitur, inquit, in gloria ſua, qui ſumus nos: modò hi ſimus, per quos gloriari ille queat, nos noſtram, per ipſum acquiſitam, non refutaſſe ſalutem. Verùm unde tam immenſum profectum eſt commodũ? à nobis forſan? Minimè id quidem omnium: ſed,

Quia reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit precem meam.

Solent enim plerique mortalium eò inſolentiores eſſe, ac magis tumidi, quò is qui ſupplex eſt, humili ueſtitus eſt ueſte, aut minus ornato loquitur ſermone. Non eo ſe habet modo diuina erga humiles facilitas, in eum maximè prona & liberalis, qui mundo infenſus eſt & miſer. Quanto interdum tument ſupercilio noſtrates proceres in humiles ſpiritu, in deiectos, in bonos tandem: ſua enim, neſcio qua, contenti perſuaſione, uix orantes tolerant. Deus autem ad humilium re
D ſpicit precationes, admittitq; rogata. Dictu eſt difficile, quàm ex animo ſuperbos auerſetur altiſsimus. Putás ne quempiam ex primoribus etiamnum inueniri de quo illud, ut de Herode, dici queat? Spreuit, inquit, illũ, nempe Chriſtũ, cum exercitu ſuo, adulatorũ ſcilicet factioſorumq; delatorum ac decoctorum. Iſtiuſmodi nonnunquã ſtipantur ſatellitio noſtri reges ac principes. Verùm hæc momentanea haudquaquã erunt coram Deo, neque futuris tradentur ſeculis obliuioni. Quare, quò ſciant poſteri,

Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit dominum.

Vaticinia omnia antiqua, prædictionesq;, ad alteram, quàm illa fuit Iudæorum, referebantur ætatem, in qua prædictarum rerum euentus conſcribi debuerant. quod ſanè factum eſſe cernimus à Scribis ſpiritus, qui à Chriſto bonorum omnium fonte hauſerunt umbrarum ueterum cognitionem. Vetus enim tempus illud patrum, quædam erat futurarum rerum imago ac umbra, quas in Chriſtum deſinere oportuit. Ideo à Vate futurorum conſcio dictum fuit: Scribantur hæc in generatione altera. Sed qualis generatio? Populus, inquit, qui creabitur. Clamat Eſaias: Omnem qui inuocat nomen meum, creaui eum, formaui eum, & feci eum. Eæ gentes erant, quę ex impio in ſanctiorem reformandæ erant ſtatum per Chriſtum: quas meritò ex Deo, non ex carne aut ſanguine naſci neceſſe erat. Atqui ueram illam eſſe creationem & natiuitatem arbitramur, qua de mundo naſcimur in Deo, diiq; efficimur, unius cum illo effecti uoluntatis & amoris. Is itaque populus, hæc gens, is hominum cœtus & multitudo laudabit Dominum: non gens illa rebellis, non populus duræ ceruicis, non plebs ſuperſtitioſa & infidelis, ut ſunt quorundam adhuc mores & uita, uel in his, qui ſe laudare Deum opinantur, cùm nihil tamen minus agant. Donum id eſt animarum præcipuum ac rarum, ſimplicioribus ferè conceſſum animis, ac puris in Deum affectibus: neque tamen iſtuc temerariò, caſuq; fieri arbitrantur, aut ſuis ferunt acceptum ſtudijs ac uigilijs. Quis niſi demens id credat? Sed

Quia

A *Quia prospexit de excelso sancto suo, dominus de cœlo in terram aspexit.*

En plenum maiestatis mysterium: prospectus enim ille uiuificus Dei, quo cuncta innumeris condecorauit bonis, tum fuit, quando Christum nostrum esse uoluit, ditauitq; mundum seipso. quid felicius? De excelso sancto suo, de excelso sanctitatis suæ, uertit Felix: quod cœlum esse exponunt, in quo felicissima residet uisione cœlestis pater, intueturq; acta hominum, atq; ea iustissimo ponderat iudicio. Tunc demum figmenti misertus est sui, quando Deus homo factus est, & habitauit in nobis. Antea enim toruis, uti solent irati, mortales intuebatur oculis, quippe qui turpissimis inquinati peccatis, diuino indigni erant aspectu: nostra modò ætate placatus respexit de sublimi suæ sanctitatis solio, hoc est, de cœlo, loco nimirum quietissimo & beato, in terram hanc caliginosam, spinisq; ignorantiæ circunseptam,

Vt audiret gemitus compeditorum, vt solueret filios interemptorum.

Clamoribus plena erant omnia, & eiulatibus. Flebant uniuersa, sed in primis miserorum ad cœlum usque eleuabatur stridor, planctusq; inconsolabilis: nec tamen erat qui ueniret suppetias: non erat, inquam, qui inter homines non inquinatissimè uiueret. Quò se uerterent inextricabilibus catenarum nodis irretiti? nulla tum erat animorũ quies, nullus fidei candor, nulla charitas, nulla pax. Compedes quidem ponderosæ nostris iniectæ pedibus erant, error, libido, fraudulentia, mala mens, mala uoluntas, ira, auaritia, crudelitas, ac, qua potissimum infecti erant homines, superbia, atque illius iugalis ambitio. Quibus sanè malis afflicti, non solùm obscuro tenebantur inclusi uitiorum carcere, uerumetiam ipsius mortis nexibus constricti, nullus illis supererat uitæ halitus: à Deo enim uitæ omnis origine longè errantes, iacebant prorsus exanimati. Mirũ quàm latum tum erat mortis imperium: aduentante uerò uita, cessit mors, & facta sunt omnia uiua in Christo, qui uitã habet in semetipso, cætera autem ab illo. Imò uita omnis mors
B potius dici debet sine ipso, quàm uita. Ego certè, mi Lector, uitam illam magis, quæ mihi communis est cum plantis atq; arboribus, eligerem, quàm eam, qua cæteris præstant animantibus homines, absq; Christo: qui nostras tandem miseratus calamitates, è cœlo in terram aspexit propterea, ut audiret gemitus compeditorum, & solueret filios interemptorum, hoc est, mortuos (hebraismus is est) ad uitam restitueret: & id sanè,

Vt annuncient in Sion nomen domini, & laudem eius in Hierusalem.

Vt prædicent, inquit, ad uitam restituti nomen Dei in Sion, atq; illius laudes efferant in Hierusalem. Secundus hemistichius prioris est expositio. Sion enim & Hierusalẽ, idem sunt in scripturis, locus uticq; Deo cõsecratus, qui Ecclesię imaginẽ præ se tulit, quæ una est Dei sponsa, quemadmodũ unus est baptismus, una fides, una religio, atq; unus Christus, nexus nimirũ totius corporis in ipso, cuius is caput est, atq; incrementi origo & fons.

In conueniendo populum in vnum, & reges vt seruiant domino.

Est non secus, atque si assereret: Ea quæ dixi, felicissimo contingent successu, cùm collecti simul fuerint populi, illisq; unum fuerit cor & uoluntas. Imò regna ipsa, alioquin excelsa & formidabilia, Dei religionem summisse amplexabuntur, eruntq; omnes in Deo unum. Atqui istiusmodi concordis uitæ modus & ratio, potuit quidem ob cultus nitorem & maiestatem uideri Hierosolymis: uerùm tam imperfectè, ut uix arctissimus orbis angulus, qui in Dei religionẽ consentiret, inueniretur. In Christo igitur hæc erat quærenda unio, perfectissimaq; tum regum tum populorum coitio: à qua si postea desitum est à quamplurimis orbis regionibus ac regnis, fuit, estq; impræsentiarũ terrifica in facinorosos Dei ultio, ac iudicium: quod tametsi obstrusum sit, ac planè incognitum, nihilominus æquissimum est, magisq; timore dignum quàm admiratione. Pulcherrimam porrò huiusce modi mentiũ concordiam atq; unitatẽ, raram quidem, ac penè obsoletam, olim uisi sunt referre uoluisse, qui primi cœnobia construxerunt: quæ

C in immenſum adeò, ob ſpiritus ardorem & fidem, iam creuerant, ut quæ diuo ſolummodo dicata eſſent Benedicto, ſeptem ſupra triginta millia, quas Abbatias uocari libuit, uno eodemq; tempore extitiſſe, pontificia referant decreta. Modò uerò pauciſsimum præ illo (ex his dico quæ nulli cõmendatitio obnoxia ſunt diplomati) conficiunt numerũ, atq; illa quidem raris habitata colonis, & his omnino & moribus & habitu uarijs ac diſcordantibus. Tunc itaq; ea ueræ eſt religionis imago, cùm uno uiuitur animo, concordíq; ſpiritu & uoluntate alter alterius magis quàm propria curat cõmoda. Id egit Chriſtus, id ſua, ubicũq; ſit, agit ſponſa. Qui uerò ſecus agunt, hos, quocunq; ueſtiti ſint habitu, ad Eccleſiam minimè ſpectare cenſeo, quæ puriſsimos, atque adeo unanimes diligit cultores.

Reſpondit ei in via virtutis ſuæ, paucitatem dierum meorum nuncia mihi.

Hebræis nulla hîc eſt perſonæ mutatio. Sic illi: Afflixit in itinere uirtutem meam, abbreuiauit dies meos. Vt non habeam, inquit, in quo confidam, meam in uia hac uitæ ſatis per ſe ærumnoſæ, pertriuit uirtutem, elumbemq; omnino me ad iuſtitiam aſſequendam fecit, præciditq;, cùm nihil minus uererer, meæ ætatis annos. Vix natus iam perij. Heu uitam fugacem. Verùm ſi cui gratior eſt litera quam uulgò legimus, ſic poſſet dici: Dominus reſpondit, & æquo rependit pondere ei, nempe Hieruſalem, quod deliquit: & id quidem in uia uirtutis ſuæ: hoc eſt, prout potens eſt, ualdeq; ſeuerus in eos qui peccant. Verùm tu domine (conuerſio animæ eſt ad Deum) ne diutius in ſordibus maneam, ſaltem uitæ finem mihi annuncia: hoc quidem cognito, diſsipatas forſan meas curas in unũ colligam, mecumq; collectas, ac bene cultas, ad te ueniens feram. Vnum oro,

Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, in generatione & generationem anni tui.

Perſuaſio ea eſt periculoſiſsima, cùm quis longam ſibi pollicetur uitam, quæ tam breuis eſt, ut umbræ imagini comparetur. Quid illa inanius? Is uerſus mutilus eſt: deeſt enim ſecundum Hebræos in exordio uerſus, dicebam, ſeu aliquid ſi-
D mile. Vnde Paraphraſtes: Quare dicam, mi Deus, ne me hinc ſuſtuleris dimidio dierum meorum, cùm pauciſsimi ſint. Parui quidem mei ſunt anni, aiebat ſenex ille, & mali. Quid ſi tunc, cùm nihil interim ſuſpiceris, in medio breuiſsimæ uitæ curſu interciperis? Si breuiſsima tota eſt uita, quid erit dimidium? Orat itaq; ne à tam breui re, ut eſt uita, tam citò reſcindaꝰ, ſed illam ſaltem integram uſq; ad decrepitam tranſcurrat. Id orat ſuo more Vates, orantq; ſancti aſsiduè, ob id, ne breui è uita exciſi, breuem habeant laudandi Dei occaſionem. Cupiunt quidem diu uiuere in hoc mundo, quò diu uacent Dei laudibus: nõ quò libidinibus ſeruiant, aut auaritiæ, aut, qua maximè fœdatur anima, ambitioni. Sed ex hoc, inquit, non mediocrem me aſſequutũ uideor conſolationem, quòd anni tui, quibus aliquando fruiturus ſum, ſempiterni ſunt: omnia enim excedunt ſecula, de progenieq; in progeniem æterna tranſeunt ſucceſsione. Atq; ut cætera præteream,

Initio tu domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.

Hauſerat Vates à ſpiritu illud, quod hauſit & Moſes, cùm dixit: In principio creauit Deus cœlum & terram. Dauid uerò: Initio tu domine terram fundaſti, & opera manum tuarum ſunt cœli. hoc eſt, certiſsima ſunt cœli tuæ potentiæ indicia, quemadmodum certa ſunt artifici, quæcunq; ipſe propriis firmauit manibus. Breuis itaque cùm ſit uita hominis, idcirco corruptibilis & uaria, eodem quoq; afficientur exitu unà cum cæteris rebus conditis cœli, quos tu tamen mirabili effigiaſti artificio ac prouidentia.

Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentũ veteraſcent, & ſicut operto-rium mutabis eos, & mutabuntur.

Sicut indumentum ſeu pallium mutabis eos, uertunt ex hebræo, & mutabuntur. Hîc apertè à ſpiritu affirmatur, nouum, marceſſente ueteri & pereunte, refundendum eſſe cœlum, nempe totam elementorum machinam, & quicquid ſupra elementa poſitum eſt. Omnino enim mundi huius fabricam interire, quo nouam nanciſcatur imaginem, neceſſe eſt: alioqui non dixiſſet Eſaias, quòd cœlum

tan quam

A tanquam fumus deficiet, & terra tanquã ueſtimentum ſeneſcet. quod porrò ſeneſcit, aiebat Paulus, prope interitum eſt. Ecquis unquam dixit ueſtem ab aliquo mutari, niſi cùm priori abiecta aliam induerit? Ecce, ait, creo cœlos nouos, & terram nouam, & iam non erit priorum memoria. Donec, inquit Iob, atteratur cœlum, cùm dormierit non reſurget homo. Quòd ſi certè non atterendum eſſet cœlum, prorſuſq; diſſipandum, neq; hominem reſurrecturũ affirmare cogeremur. Interibunt igitur cœli omnes, nobiliſsimum ſcilicet Dei opificium, nouamq; aſſumet faciem uniuerſus orbis:

Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

En quomodo uacillent omnia: Deus uerò ſolus in ſeipſo manens, ſuiq; ſemper ſimilis, ſtat fixus atq; immotus, ſemper idem, fortis nimirum, ſapiens, immortalis, ſeq; ipſum in ſe continens, uult omnia continuo circunferri motu ac gyro, & tandem interire. Siquidem more aquæ cuncta uno præterlabuntur curſu, ad interitumq; properant uniuerſa. Anni uerò tui, ô Deus, finem ſortientur nullum. Sed & tecum

Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur.

Cõmodùm, quam longa ueluti periodo circumſcripſerat propheta, rem tandem abſoluit, concluditq; piorum animas æternam adepturas felicitatem cum Deo, qui æternus eſt atq; immutabilis. Filij, inquit, ſeruorũ tuorum: hi uticq; quos uitæ uerbo Prophetæ, Apoſtoli, doctiq; alij procrearunt, æterno tecum æuo perſeuerabunt, habitabuntq;, ut filij ſolent in paternis ædibus, in amœniſsimis tui paradyſi receſsibus, atq; umbra, è qua, tanquam aura ſuauis, perpetuo ſpirat refrigerio ſancti ſpiritus amor, à quo uita. Id igitur propriũ illorum eſt ſemen, qui ſynceram ſeruierunt ſeruitutem Deo: is illorum conceptus, is partus tandem, ne omnino Dei filios & amicos, ſteriles dicas eſſe, atq;, quoniam ab re uxoria non-
B nulli ex illis abſtinent, ne dicam horrent, mundo inutiles. Hæc ſanè doctrina, qua filij propè infiniti Deo procreantur, non tantum uerbo ipſo & eruditione, quantum uitæ ſanctitate, ac moribus undequaq; modeſtis & piis, comparatur. Quòd ſi deſit eloquentia & literatura in his qui titulo gaudent ſeruorum Dei, at ſaltem non deſit bonæ uitę exemplum, non odor ille fragrantiſsimus, qui è caſtę uitę conuerſatione, ut è lilio, aut uiola ſolet, adeò effuſe, ſparſimq; manare conſueſcit, ut etiam profligatæ uitæ homines, quibusq; nullus ineſt ſpiritus, qui uita eſt animæ, ſtimulus, reſpirare ſoliti ſint, atque reuiuiſcere in Deo. Steriles omnino, hoc eſt, neq; ſpiritu neq; doctrina grauidos, ſed inertem potius, atq; ocioſum ferentes uterũ, è quo tandem maleolentis erumpat famæ abortio, execratur Deus. Cæterùm Dirigetur uerbum, Confirmabitur ex hebræo quidam transferunt. Paraphraſtes uerò, in officio continebuntur. Vtcunq; legere libeat, illud apertum, Dei ſeruos, atq; illorum liberos per Euangelium Deo genitos, quicquid agant, proſperè agere, confirmariq; in Deo, ac innouari: cæteros uerò antiquari, marceſcere, abijciq; à numine ac negligi. De ſancti ſeminis perpetuitate ſic de Chriſto ediſſerens Eſaias inquit: Si poſuerit pro peccato animam ſuam, uidebit ſemen longæuũ. Hæ ſunt piorum animæ, quæ ad æternæ uitę perennitatem aſcitæ ſunt per Chriſtum. Cui laus ſit in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. CIII. Dauid.

Benedic anima mea domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.

Dulciſsimus is omniũ uideẽ eſſe pſalmus, qui paſsim cœleſti conflagrat amoris flãma. Eſt hilaris animæ de Dei bonitate memoria, & eſt pulcherrima è cœlo elapſa doctrina, ſpiritusq; inſtructio: in qua quidem, tanq; in lucidiſsimo ſpeculo, quid ſibi in re ſpiritus faciendũ ſit, cernunt animæ. Iſtiuſmodi ſanè uis eſt doctrina ſpiritus, ut totũ ad ſe rapiat hominẽ. Idcirco nihil in ſe ſeruare debet humanũ ingeniũ, cùm cœleſtia rimanda ſunt, atq; illa quidem, quæ mortaliũ penè excedunt intellectũ. Neq; id ſatis uideẽ: nam aliam ſibi

C uindicat partem, quæ tunc apparet, quando anima non penitus ſatis ſibi factum arbitratur, niſi & cæteri, ſuæ illius felicitatis, quæ omnem ſuperat ſuauitatẽ, fiant participes. Hos igitur talibus ferè hortatur uerbis propheta, latenterq; de ſe loquens admonet, & quid ipſi agere debeant inſtruit. O anima, inquit, mea (ſic homo in doctrina ſpiritus eruditus loqui conſueſcit) quæ, uti tua eſt natura atq; origo, ad cœleſtia conniti debes, tuum lauda dominum & conditorem. Quicquid uirium in te eſt, quicquid arbitrij, quicquid uoluntatis, quicquid cognitionis, id totum ad diuinum extollendum nomẽ impende. Quid glorioſius mihi unquam contingere potuit, quàm ſic uixiſſe, ut nulla in me uitæ pars fuerit, quin tota in te arſerit, ô Deus? te deperierit? tuum honorem ac gloriam, non ſuam quęſierit? Ergo etiam atq; etiam benedic anima mea domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Retributiones in ſcripturis non tantùm beneficia illa, quæ diuina nobis, ob bene facta, rependit bonitas, præ ſe ferunt, ſed ea quoq;, quibus noſtram præuenit miſeriam & ignauiam. Retributiones igitur ſunt Dei dona in te, ô anima, ſunt illius immenſi in te amoris ſigna. Quid ociaris? quid torpeſcis? Noli, noli tanta illius munera, tam uaſtum gratiarũ cumulum, tantamq; copiam ſpiritus obliuiſci. Proprium id eſt ingrati animi uitium, cùm ſis beneficiarius, benefactorem non cognoſcere. Noli tu, ô anima, utcunq; agant cæteri, infinitas illius obliuioni tradere retributiones. Is eſt enim, ne diu, fruſtraq; per uana diuageris,

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Potes quidem, ut lubet, tuum iactare arbitrium, potes & uires: quid tum? poteris? ne ex his candorem ob peccati turpitudinem amiſſum reſtituere? Ille enim, nõ tu, non homo alius, tuo mederi morbo poteſt. Sanat quidem in te, ſi quid peccaſti, tuisq; propitius eſt reatibus & delictis. Atqui hîc uides à quo procedit fonte peccatorũ remiſsio, riuiq; gratiarum. Certè cùm quis onuſtus eſt peccatis, à uita quæ eſt in Deo excluditur. Excluſo autem cætera illi omnia aduerſari neceſſe e-
D rit, ſed in primis Deũ, qui cùm uera animę uita ſit, omne horret peccatũ, unde eſt mors. Quare oportet prius animam innouari ſpiritu, atq; à peccati ſorde ablui, q; ad Dei dona capeſſenda idonea ſit, aſciſcaq; ad uitã: cuius beneficij capax haudquaquã eſſe poteſt, dum durat in peccatis. Suã igitur non ignorans imbecillitatẽ & corruptionẽ, quicquid nitoris in ſe eſſe cognoſcit, id Deo refert acceptũ, aitq;:

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Interierat quidem totum genus humanũ, niſi diuina ſubueniſſet clementia: ſecus uerò quid nobis opis? quid præſidij? quid uirtutis afferre potuiſſet Chriſti aduentus? Vanum id fuiſſet conſiliũ, uanusq; labor, ſi aut nulla, aut omnino uniuerſalis non extitiſſet mors. Sed & parũ forſan uiſum eſſet hominem ab interitu redemiſſe, niſi & præmia uirtuti illi præſtitæ contuliſſet. Id donum fuit Dei: unde non iniuria eſt additum, Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus. Sed miſericordia, cùm ſit una in Deo, illius tamẽ partes, propter uariam miſerendi rationem, effectusq; uarios & multiplices, quibus nos tanquam corona, aut chlamyde circumueſtire ſolitus eſt, miſerationes dici poſſunt. Non contentus enim benigniſsimus pater, nos uno atq; altero miſerationum genere perornare, innumeros alios addit clementiæ gradus & acceſsiones: ut nihil aliud ferè appetere uideatur, niſi ut occaſionem mortaliũ ſubleuandi miſeriã nanciſcatur. Nos planè miſeri, ille miſericors. Cuius ſanè rei id eſt indicium, quòd nos ſua nequaquã circumſepiret miſericordia, niſi noſtra undecunq; patêret miſeria. Is itaq; ſolus eſt, qui coronat te uarijs clementiæ modis ac gradibus, ô anima, &

Qui replet in bonis deſiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Non eſt quidem tam uehemens deſiderium, quin ſtatim fiat uoti compos anima, modò diuinarum rerum ſit: alioqui res mundi huius perditi, nihil ſatietatis, tametſi ex animo adeptæ, illi afferre poſſunt: cui ſatis nihil unquã facere potuit, quod Deus non eſſet. Replet igitur, exundareq; facit bonorum copia, tua omnia deſideria Deus, ô anima. Illud caue, ne quid cupias, quod Deum nõ referat: ſiquidem

A dem repletio tua ac ſatietas Deus eſt. Eum itaque uel ſolum expete, & is tuum ad ſaturandum deſiderium mirum in modum ſufficiet. Dictionem, quam noſter uertit interpres, deſiderium, Hebræis eſt quibuſdam, ornamentũ: quod quidem uolunt uigorem illum eſſe animæ, quo leuibus tanquam pennis facillimè in Deum eleuetur. Proinde uim illam igneam, quæ ſummo illi eſt ornamento, exuſcitat Deus in anima, ſuppletq́; ſi quid inanitatis inuenitur aut torporis. Porrò de Aquila ſcribunt doctiores, alitem eſſe, quæ ægritudine aut ſenio minimè occidat, ſed fame. Cuius rei ea eſt ratio, quòd roſtrum adeò illi in ſenectute ſubcuruetur, ut cibum capere nequeat. Quomodo uerò renouetur, incertum. Ex Hebræis tamen ſcribunt nonnulli, eum illi eſſe morem, ut quolibet decennio uſq; ad elementarem euolet ignem, indeq́; ſimulac ardentius incaluerit, ſe in mare demergere, abluereq́; ſeſe, atq; hinc nouas illi pennas ſubcreſcere, & ita in nouam immutari formam, & ætatem. Verùm quia hæc incognita ſunt, apertiora perſequamur. Illud pro certo habendum, iſtiuſmodi Aquilę renouatione uoluiſſe Vatem oſtendere, qualis ſit ex more in filijs Dei & mens, & animus, uegetus nimirum, perſpicax, ſucciq́; ſpiritus pleniſsimus, ardens, uiuax, inſomnis: ad hęc uiridis membrorũ habitus, &, etiamſi ſenes ſint & decrepiti, robuſtus, ut de antiquis Iudæorũ patribus, nempe Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Moſe, atq; alijs quamplurimis legimus. Quod ſanè donum noſtra quoq; ætate, meaq́; in religione maxima animi iucunditate contemplari ſoleo. Et ut uita iam defunctos, quorum memoria mihi iucundiſsima eſſe ſolet, præteream, unum ex uiuis cõmemorabo, qui octogeſimum quintum nunc agens annum, adeò cõmoda uiuit ualetudine, atq; in moderandis noſtris rebus prudentia, & animi uirtute, ut nihil uiridioris in illo deſideretur ætatis. Is enim quinquaginta adhuc præfuit annis, præeſtq; etiamnum cœnobijs, cùm ad hanc diem duodecies totam rexerit molem, pijſq; ſuſtentauerit
B humeris, Id oneris tertio quoq; anno illi, qui præſidet, demandatur. Ferunt cordatiores, id totum huiuſce collegij noſtri corpus, unà cum illius ætate, tanquam ſolem cum ſuo cœlo uolui, atq; ad occaſum properare. Id curent illius uitæ æmulatores. Mihi ſat eſt illud à Deo optare, ut aut celerius quàm ille, ſi ſic rem contingere opus eſt, ex humanis decedam, aut uana omnino illorum ſit opinio, qui hęc uulgò iactitant. Ego enim à copia ſpiritus, ſpiritualium rerum diuturnitatem metiri ſoleo, à tenuitate uerò interitum. Sed ad pſalmum.

Faciens miſericordias dominus, & iudicium omnibus iniuriam facientibus.

Clarius ex hebręo: Facit iuſtitias dominus, ac uindicat omnes qui patiunt iniuriam. Apud Hebręos complures nulla hîc fit de miſericordia mentio, ſed de iuſtitia ſeu iuſtitijs. & eſt ſenſus, ut interpretat Paraphraſtes: Iuſta ſunt quęcunq; facit dominus, nec ſine ſummo iudicio premi ad tempus ſinet iuſtos plurimos. Poterat hîc caro queri, imò in ſpiritũ inuehi, atq; illi oblatrare: Quid me diuinorũ beneficiorũ memoria obtundis? quid reuiuiſcentiã illam aquilę occultã adducis? quid cæteras adhortationes inculcas, cùm pios cernã homines ita atrociter à malis uexari, ut penè illorũ oblitus appareat Deus? Crux quidem tota eſt peracerba, uita proborũ in hoc mundo. Hæc ſentit caro: ſecus autẽ ſpiritus, qui ſic ſuas tutat partes: Quæcũq; erga ſuos operat Deus, illa ęqua ſunt: quid indignaris? an quoniã obſtruſa hęc cùm ſint, te omnino fugiũt? Eſt certè quoddã uitæ genus uiuax admodũ, ac uirens in anima, quod ſolus ille, qui bonorũ omniũ autor eſt, abſq; erro re cognoſcit. Melioríb. enim nitiẽ radicíb. res ſpiritus, q̃ res carnis. Illud cauendũ ne cùm aduerſis iactamur, Deo, qui cuncta iuſtiſsimo expendit iudicio, obmurmuremus. Ille quidẽ eſt, qui eiuſmodi malis, bonis alijs longè melioríb., q̃ mala illa fuerant aduerſa, cõpenſare nouit. Erigendus eſt itaq; animus, atq;, quicquid inſidiarum moliantur improbi, ita inſtituendus, ut perſuaſum habeat Deum certiſsimum eſſe uindicem illorum, qui improborum iniurijs afficiuntur, cum mundoq; iniqua conflictantur conditione. Atqui ne noua, nuperq́; inuenta huiuſmodi cuipiam uideatur uiuendi ratio, antiqua eſt, ut antiqua ſemper fuit Dei pro hominibus cura atq; amor. Siquidem

C *Notas fecit vias ſuas Moſi, filijs Iſraël voluntates ſuas.*

De lege ueteri ſit mentio, in qua diuinæ conſcriptæ fuere ad bene beateq; uiuendum præceptiones, quas uias hîc Dei uocat ſpiritus, quippe quæ illius conteſtabantur uoluntatem, mentesq; uulgi illius à uero iuſtitiæ itinere deerrantes, rectà ire præcipiebant. Vię igitur Dei ſunt illius mandata, per quę iter eſt ad beatitudinem. Si uis (inquit dominus Ieſus) ad uitam ingredi, ſerua mandata. Cæterùm, uoluntates ſuas, Hebræi habent, conſilia ſua, ſeu ſtudia & opera, ut uertit Felix. quibus ſanè, quàm amantiſsimus ſemper noſtrî fuerit æternus pater, latè omnibus patet. Quocirca infertur:

Miſerator & miſericors dominus, longanimis, & multum miſericors.

Vide quàm ſuaui cõcentu miſericordiæ uocem replicat. Sic Felix: Pius & plenus gratia dominus, lentus ira, & magnus miſericordia. Hanc Hebræorum literam eò libentius adduxi, quò minori diſcrucientur ſcrupulo in interpretanda miſericordiæ dictione, ter in hoc uerſu poſita, rudiores. Magna profectò hîc nobis fidei uis additur, cùm perſuaſum habemus Deum, qui res noſtras omnes, actiones cogitationesq; diſcuſſurus eſt, pium eſſe, lentumq; ad ultionem, atq; impenſe clementem. Neq; id aliter poſſe contingere certi ſumus, ſi tamen illud quoq; non neſcimus, quòd pater eſt, non hoſtis & tyrannus. Idcirco

Non in perpetuum iraſcetur, neq; in æternum comminabitur.

Si pater eſt, & is quidem filiorum amantiſsimus, quomodo ſempiterna illius erit in liberorũ noxas indignatio, atq; ad ultionem cõmotio? Legis quippe tempore, cùm cuncta, etiã in ipſo religionis cultu, terrifica eſſent & formidoloſa, neque formidinis appareret finis, uidebatur & Dei ira finem habitura nullum. Viſus eſt tum quidem Deus implacabilis. Verùm ſuo aduentãte filio, bona omnia, clementiam maximè & lenitatem, cum illo eſſe uoluit. Et ſanè cùm filium ſuum
D tradidit, quomodo cum illo quoq; gratiarum omnium cumulum nõ tradidiſſet? Aeternæ itaq; illius non fuerunt minæ, odiq; ſigna in filios: quoniam, ut inquit Moſes, Deus eſt miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis, uerax inſuper & cuſtodiens miſericordiam in millia: quippe qui iniquitatem aufert, & ſcelera & peccata. Ideo

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

Actum de nobis prorſus eſſe non ambigerẽ, ſi Dei ultio ac pœna noſtra æquaret ſcelera: ſi par pari in inferendis plagis referret: ſi ſecundum quod meriti ſumus, de nobis pœnas ſumeret. Verùm quia miſericordiſsimus eſt, ſi præmia danda ſunt, ea omne exuperant meritum: ſi uerò mulctandus eſt quiſpiam, dici non poteſt, quantum peccatum attenuet, quantumq; inuitus, peneq; tractus puniat. Non rependit igitur in infligendis pœnis, ut noſtræ exigũt iniquitates ac delicta, ſed minori illa, quàm iuſtitia (ut ſic dicam) requirit, compenſat precio, tegitq; quantum poteſt, ſi quid peccauimus. Quod raro agunt animarum antiſtites & paſtores, quibus interdum uolupe eſt, ſi quem infamari, palamq; traduci audiũt. quid ſi id illi agunt? nihil fœdius audiri poteſt. Neq; ſanè iſtuc inſolitum eſt Deo, quòd non ſecundum iniquitates noſtras rependit nobis:

Quoniam ſecundum altitudinem cœli & terræ corroborauit miſericordiam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras.

Nulla quidem maior in rebus conditis inuenitur dimenſio atq; interuallum, quàm illud eſt, quo cœlum à terra latè diſsidet & ſeparatur: uel illo, quod ſol ab oriente exiens, properansq; ad occidentem, conficit. Id tamen ſuperat Dei bonitas, quæ noſtræ collata miſeriæ & puſillitati, altior à nobis ſit, abeſtq; longius q̃ à terra cœlum, aut ab occiduis partibus orientales. Imò (prò quanta illius eſt bonitas) noſtra adeò à nobis exactè expunxit ſcelera, longeq; fugauit delicta, ut nõ maiori intercidat cœli ſpacio atq; interſtitio oriens atq; occidens. Magna eſt cœlorum à terris altitudo: ſed longè maior eſt illius miſericordia, prę nobis, qui peccauimus. Quid uerendum, ô qui puſilli eſtis animo? nónne in immenſum maior illius

A illius eſt clemẽtia, quàm noſtra ſit miſeria, atq; in peccatis procliuitas? Siquidem

Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt dominus timentibus ſe.

Quis hîc amore nõ colliqueſcit? Vidiſti ne unquã patrem (modò pater ſit) filij afflicti non miſereri? non illius culpas ferre? remittere q;, &, ne reſciſcant cæteri, obtegere? Eo ita q; modo ſe Dei erga nos habet miſericordia, qua pius ſe habet pater in ægrotantes filios, aut delinquentes. Cuius quidem rei imaginẽ pulcherrimo adumbrauit exemplo filij illius aſoti pater, qui reuertentẽ ad cor adoleſcentem non ſolùm amplexatus eſt, uerumetiam maximis proſequutus eſt donis. Verùm illud animo expendendum, non cunctis id filijs contingere, ſed his tantummodo, qui Deum ut patrem metuunt & uenerantur. Ideo à ſpiritu dictum eſt, miſertus eſt dominus timentibus ſe. Hi enim tametſi ſæpe (quæ eſt mortalitatis huiuſce infelicis natura) labuntur, in turpiſsimos q; nõ nunquã incidunt errores, attamen boni radices, ob Dei ſemen inſitum, haudquaquã abijciunt. Signum nimirum deploratæ nondum animæ, ſi peccans à genuino quodam morſu, qui cor continuis tanquã ſtimulis pungere conſueſcit monitis, non abhorret, atq;, ut ſic loquar, cum Dei metu, & ſui horrore atq; odio, peccat, peccatiq; diſpudet. Hos igitur miſeratus dominus ſua dignatur miſericordia:

Quoniam cognouit figmentum noſtrum, recordatus eſt quoniam puluis ſumus.

Obſerua paternũ hîc animũ in filios. Quoniam, inquit, illum, qua nos effinxit maſſa, terrena nimirum, miſera, caduca, fragili, non præterit, recordatus eſt quòd puluis ſumus, quòd ex limo creti, quòd debiles, quòd infirmi: proinde magna nos lenitate tolerat, ferq; humeris. Quid ni ferat? Nam

Homo ſicut fœnum.

Elogium id quidem dignum, quod in ædium frontiſpicio ſuperborũ literis imprimatur æneis. Demeſſa certè in pratis herba, mirũ quàm citò naturalem amittat gratiam & uirorem, dictoq; citius in aridiſsimam collabatur formam. Sic uita
B eſt hominis, qui uix in lucem æditus, ad mortẽ rapidiſsimo fertur curſu. Ad hæc

Dies eius tanquam flos agri ſic efflorebit.

Homuncio miſerabilis, inquit Campenſis, fœno in uita ſua ſimilis eſt, & non aliter quàm floſculus aliquis ad tempus florebit. Nihil ferè in campis tam iucundum aſpectu uidetur, quàm pratum uarijs conueſtitum floribus. Ridere uidentur tum omnia, adblandiriq; ſuo domino. Verùm ea breuis eſt felicitas: etenim quãminimo percuſſa ſolis æſtu atq; ardore, perlangueſcit illicò, totumq; illum priſtinum exuit honorem & gratiam. Huic igitur tam labili & caducæ rei æquiparatur ætas hominis ac uita. In uentos penè antea efflatur, quàm apparere incipiat.

Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum.

Ex hebræo, Et nõ cognoſcet eum amplius locus eius, uertunt. Spiritus quoq; in hoc loco, uentus illis eſt. & eſt ſenſus: Si auſteriori uento attactus fuerit flos, marceſcet ſtatim, à ſuoq; euulſus culmo adeò in nihilũ relabetur, ut ubi egerit, floruerit q;, ne indicium quidem erit ullum: perinde atq; nunquam uixerit, è ſuo excidetur loco. Putas ne maioris eſſe diuturnitatis uitam hominis? Ex humanis quidem decedentem uana quædam ſubſequi ſolet inanitas, cui obliuio comes eſt. quòd ſi tamen memoriæ magis umbra, quàm reuera memoria interlucet, ea breuis eſt ac citò deſitura. Non ſubſiſtet, inquit, non diu erit, non cognoſcet amplius locum ſuum, nempe indignũ, de quo memoria ulla eſſe debeat. Cæterùm terrenus ne locus à cadauere cognoſci poterit? Id propriũ eſt animæ, quæ & ipſa ſi ad æternã propter ſcelera coniecta eſt noctem, humanarũ prorſus rerũ obliuiſcitur, nihil q; amplius recordatur præter ſuam miſeriã, quæ cùm immortalis ſit, immortalis eſt & ipſa memoria, idcirco perpetuò miſera eſt & ærumnoſa.

Miſericordia autem domini ab æterno, & vſq; in æternum ſuper timentes eum.

Vniuerſalis quidem radius eſt Dei clementia, omnes afflat, omnes ad lumen prouocat, trahit q;. Verùm nõ omniũ una eſt uoluntas & arbitrium. Volentibus enim ſuã impartitur lucem Deus, reluctãtes uerò abijcit, obfuſcatq; magis quàm

C illuſtrat. Inde eſt quòd nõnulli, etiam ex his qui ſapientes uulgò cenſentur ac ſancti, adeò interdum turpiter ſuis in moderandis rebus hallucinentur, ut nihil omnino tum mentis, tum rationis illos habere iudices. obice quidem duriſsimo, aut ſuperbiæ, aut immoderatæ perſuaſionis, molli, puroq; ſpiritus lumini iniecto, quid recti? quid quod æquitatem referat decerni poteſt? Perſtrepunt magis, qui tales ſunt, quàm leges condunt. Proinde miſeri ſemper ſunt, præterquàm quòd tandem noti ludibrio uulgò habentur ac fabulæ. Vult igitur Deus omnes ſuum ad lumen inuitari, cogi neutiquam: ſed qui pacato ſunt animo ac miti, ut planè ſunt Dei timore affecti, facilè uocanti aſſentiunt: qui uerò turbido & duro, quæcunq; inſuſurrat Deus aſpernantur, obmurmurantq; ductori. Ergo ab ęternis ſeculis nullum habuit ortum Dei clementia, quippe quæ ſemper in illo, qui æternus eſt, inerat, duratq; perpetuò. Siquidem quicquid felicium in cœlis animorũ inuenitur, inuenieturq; in poſterũ, à Dei miſericordia profectum eſt: alioqui in cœlis, neq; angelis, neq; hominibus locus eſſet ullus. At uerò tandem quales hi ſint, qui uerè metuant Deum, ſubſequens oſtendit uerſus.

Et iuſtitia illius in filios filiorum, his qui ſeruant teſtamentum eius, & memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea.

Iuſtitia hîc Dei, ut aliàs annotauimus, perfectiſsima illius eſt natura & bonitas, qua condita omnia in lucem ſunt ædita, ſeruanturq;, aluntur, atq; ſuo in ſtatu ac natura confirmantur. Quæ quidem Dei benignitas cùm omnibus præſtò ſit rebus, particulari tamen modo in piorũ animos influit, deriuaturq; tanquã limpidiſsimus fons aut amnis. Ex quo fit, uisq; ea ſpiritus exoritur, qua fulti uiri Dei, quæcunq; ipſe mandauit ultrò amplectuntur, pro uiribusq; obſeruant: tantum abeſt ut ullus unquam prætereat dies, aut diei momentum, quo nõ meminerint, ut illa re præſtent, mandatorũ Dei. Alioqui diuinarum præceptionũ quempiam memorem eſſe, uirtutemq; illarum non ignorare, atq; alios interdum uel diſertiſ-
D ſimè docere, nec unquam quod iuſſum eſt exequi, ridiculum uidetur. Ampla igitur eſt Dei bonitas, duratq; in his continuè, qui ſeruant bona fide teſtamentum eius, pactum nimirum initum etiam in ipſo primo ortu cum illo. Nam cuilibet, cùm naſcitur, lex datur naturæ, atq; ad Dei notionem quidam inſtinctus, ac tenax quædam appetitio: quam poſtea palàm in baptiſmo quilibet noſtrûm aperit, profiteturq;, ac denuò fœdus illud penè deieratum innouat, ratumq; habet. Hiſce nihilominus ſic ſe habentibus, tum hoc tum illud ſcinditur, contemniturq; à multis. Nulla iam eſt illorũ quæ promiſimus memoria, fides nulla. Abiecimus legem naturæ, ſcriptam fœdauimus, innouatã per Chriſtum fregimus, diſsipauimus, reiecimus. Proinde quid nobis, oro, ſubſidij præſtare unquam poterit æterna Dei iuſtitia ac miſericordia, ſi nos perpetuò miſeri eſſe decreuerimus? Heu quantum me meæ pudet, pigetq; oſcitantiæ atq; obliuionis. Diſcrucior animo cùm in mentem uenit, quòd propterea memores ſunt mandatorum Dei electi, ut faciant ea, non ut negligant, non ut auro gemmisq; perornata ad ſtudiorum pompam exponant, non ut in ſcrinijs otioſa ſeruent. Et tamen ab ipſo legis conditore dici audio, neminem uitam poſſe adipiſci æternam, niſi qui Dei mandata ſeruauerit. Illud ſaltem me pungere deberet, quòd

Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur.

Non terrenum eſt ſolium Dei in terris, hoc eſt, fallax & corruptum, ut ferè ſunt ſolia mundi omnia, quibus ius eſt uenale & æquitas: ſed in cœlis, ubi omnis abeſt corruptela, ſuam firmauit ſedem altiſsimus, cuiq; regna omnia ſubdita ſunt, paretq; illi dicto, quicquid uſpiam conditum eſt. Quocirca, ô uos quoque cœleſtes ſpiritus, ô æternæ mentes, talem adorate dominum, illiusq; obtemperate uoluntati. Eia

Benedicite dominum omnes angeli eius potentes ϒirtute, facientes ϒerbum illius ad audiendam ϒocem ſermonum eius.

Eſt mos his qui aliquid ardentius amant, illud ipſum cupere amari, laudariq;

A ríq; ab omnibus, quod ipſi amant. Id quidem paſsim in toto pſalmorum uolumine Vati contingere cernimus, qui Deum ſuper omnia diligens, omni ferè uerbo in illius ſeſe effundit laudes, precaturq; cæteros, ut idem gnauiter peragant. Vocat hîc angelos, potentes uirtute, tanquam illos, quorum miniſterio diuina utitur prouidentia ad res difficiles atque arduas peragendas, ut in ueteri lege uidere eſt. Facientes uerbum adíjcit propterea, quòd beatiſsimi illi ſpíritus Deo illicò obediunt, nihil cunctantes aut deprecãtes: ut ignaui ſolent adminiſtri, qui, quęcunq; iuſſeris, obmurmurant & contradicunt. Nihil enim ſuauius illi habent animi, quàm incunctanter parêre. Quare additum eſt, ad audiendam uocem ſermonum eius: id eſt, ut illius ſtatim pareant iuſsionibus. Non iniuria Paulus hos uocat ſpíritus flammam ignis: idem Dauid, idem & cæteri cœleſtium rerum interpretes, ob celeritatem, atq; ad diuina peragenda iuſſa ardorem. Norma certè hęc eſt perfectæ in Chriſto obedientiæ, atq; illius populi: de quo ſic pater: In auditu auris obediuit mihi. Monet ſuos monachos diuus Benedictus, ut expeditis manibus, cùm quid iuſſum eſt, imperfectumq;, quod inchoauerant, relinquentes opus, uicino obedientiæ pede iubentis uocem factis impleant: uult enim iuuenes ſic promptos eſſe ad obedientiã, ut uno ſimul momẽto, et iuſsio & opus ſuam habeant perfectionem. Nouerat enim uir ſanctus, illud unum eſſe remedium ad fręnandam in iunioribus maximè petulantiã animi, atq; arrogantiam. Addit etiam, quòd ſi impoſsibília factu quoq; iniunguntur, agant tamen, ac Dei freti ſubſidio illa aggrediantur. Illud tamen in negocio ſpíritus cauendum, ne quid temerariũ à ſuperioribus, aut parum ſibi conſtans, aut ambitioſum præcipiatur. Quæcunq; igitur ſiue in cœlis ſiue in terris cõdita ſunt, laudate Deum, illiq; obedite. Ad hęc

Benedicite domino omnes ℣irtutes eius, miniſtri eius, qui facitis ℣oluntatem eius.

Virtutes eius, Hebræis eſt, exercitus eius. ut ſit ſenſus: quotquot ſub illo meretis, quiq; illius conſecrati eſtis religioni, quæcunque fieri uult ipſe, perficite, il-
B lumq;, non uos, aut ueſtros adulatoriè principes, laudate. Cœlum, terra, & ipſæ quoq; inferorum ſedes, antraq; diuinam teſtantia iuſtitiam & ſeueritatem, illi gratias agite. Quid tandem?

Benedicite domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius.

Omnia, inquit, quæ aut creando, aut redimendo, aut ſeruando, ſapientiſsimo formauit reformauitq; conſilio & prouidentia, ſiue in cœlis, ſiue in terris, in loco nimirum dominationis eius, eſtis, dominũ tam pulchri opificij effectorem extollite, ab illiusq; laudibus non ceſſate. At tu uerò in primis admirabili ſuę bonitatis munere ditata, peneq; gratijs obruta,

Benedic anima mea domino.

Qui pater tuus eſt ac conſolator. Cui laus ſit atque imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

PSALMVS CIIII.

Benedic anima mea domino, domine Deus meus magnificatus es ℣ehementer: confeſsionem & decorem induiſti.

Idem penè huius pſalmi eſt argumentum, quod ſuperioris: nempe Dei bonitatem & prouidentiam in rebus conditis cerni poſſe: idcirco ab omnibus coli debere. O ſi ſpíritus Dei ſuauitatem pernoſcerent homines, quàm ex animo cordis duritiem perhorreſcerent. Inſanio interdum cùm uideo totum ferè orbem in id conſenſiſſe, ut relicto Deo, cuius cognitio ex his quæ facta ſunt hauriri poteſt & comprehendi, in imis potius cõmarceſcat, uiuatq; adeò attonitus, ut propémodum nullam prouidentiam in cœlis eſſe opinetur. Quòd ſi falſus ſum, unde, oro, tanta uitiorum errorumq; illuuies? unde amor mundi? Terrenarum quippe rerum uiſco præpediti homines, atq; nonnunquã hi, qui ſanctimonię formam præ ſe ferre deberent, nihil altum contemplari queunt: quocirca peruerſo omnia ordine fieri conſpicimus. Nullus in terris iam probitatis locus eſt, nullus

C iuſtitiæ, nullus religioni: omnes quę ſua ſunt quærunt, non quę Ieſu Chriſti, non quæ proximi, non quæ ſuæ ſalutis. O uanas hominũ curas. Animus ne cœleſtis beatitudinis capax ac particeps, eo ſe habet modo in terris, ut nihil, quàm ſit in pecude, excellentius in ſe eſſe oſtendat? Verùm ut cæteri ſua in cauſa cõniueant, aut cæci ſint, hîc meum audire Ieſum mihi libeat, qui meam non ignorans naturam (melius dicerem naturæ corruptelam) quod mihi quotidie dicendũ eſt, de ſe ipſe dicit: Benedic anima mea domino. De benedictionis uoce non raro in ſuperioribus diximus: hîc enim pro prædicare puto poſitum. & eſt ſenſus: Prædica, ſeu lauda anima mea dominum, illíq; ſi quid boni in te eſt, adſcribe. Si quid dein de decoris, aut quod diuinam in hoc mundo referat ſapientiã, deprehendis, ferì li acceptũ: ſiquidem pulcherrimæ huiuſce machinæ mundanæ ipſe effector eſt, ac conſeruator. Dic igitur, ô anima mea, ac quãto potes maximo atq; ardenti clamaffectu: Domine Deus meus magnificatus es uehementer, confeſsionem & decorem induiſti. Hucuſq; Hebræis primus eſt uerſus. En quæ de Deo anima rebus cœleſtibus aſſueta, cantare debeat: Domine, inquit, imò Deus, qui cùm uniuerſalis ſis omniũ, meus tamen ob gratiam, quam in me eſſe cognoſco, factus es, quàm ſublimi euectus es magnificentia: nam glorioſus cùm ſis ab æterno in cœlis, nulloq; humano in moderandis rebus egeas præſidio, ſed in te manens perpetuò felix ſis ac beatus, gloriã nihilominus eandem, decoremq; & laudem ex his quoq; quę condita ſunt, oſtendi uoluiſti. Quare ipſa tuæ glorię pulchritudine ac maieſtate tanquã chlamyde ueſtitus, undiq; conſpicuus appares. Quam quidem rem, quò explicatior fiat, ſic ſingulatim digeram. In primis enim

Amictus es lumine ſicut veſtimento, extendens cœlum ſicut pellem.

Sicut cortinam, uertunt ex hebræo: ſeu tentorium, ut Paraphraſtes. Mira hæc res eſt: ut enim Vates Dei maieſtatẽ, qua nihil ſtupore dignius, ob oculos poneret, facit eum lumine, nempe rerum cœleſtium ornamento amictum, cœlumq;
D ipſum, intra quam ſedeat, expanſam ueluti cortinam, ſubſtratum. Sunt qui uerba hæc ad ductiles ſcripturæ ſenſus referant, qui ut pelles ſolent, extendi queunt: quod ut piè approbo, ita ineptè expoſita in ſcripturis non facilè admitto. quanq; ſcio cortinæ inſtar aureæ diuinam eſſe legem, in qua Chriſtus, uti ſol ſplendidus & admirabilis, ſuum poſuit domicilium: quamq; ad piorum refrigerium & conſolationẽ expandi ſua in Eccleſia uoluit, tendiq; funibus ex ſerico hyacinthinis, coccoq; & byſſo. Cuius rei imagini tunc pręluſiſſe uiſa eſt cruenta illa corporis Ieſu in cruce extenſio, certa nimirũ bene inſtitutarũ mentium refocillatio ac ſolamen. Sed hi uideant quorum intereſt, ne ineptè, dum ſacram legem pro expanſa pelle eſſe ſibi ſomniant, Chriſti corpus dilanient, proq; Dei filio, Chimæram, aut aliud effingant monſtrum. Os, inquit, eius non cõminuetis. Tu enim es, non noſtra temeritas, ô Deus, qui extendis cœlum ſicut ornatiſsimum tentorium, &

Qui tegis aquis ſuperiora eius, qui ponis nubem aſcenſum tuũ, qui ambulas ſuper pennas ventorũ.

Vides hîc ſupremas regiones cœlorũ aquis tegi, & tanquã tabulato cooperiri. Verbum enim quod noſter uertit interpres, tegis, uult Felix ex hebræo ſignare, contignationib. præmunire. Vnde ex eodem fonte ſic reddit quidam: Contignas in aquis cœnacula tua. Vult porrò aquas pro nubib. poni, cùm nihil aliud ſint nubes, quàm craſsities exhalationũ conuoluta, quæ imbrium gignendorum uim habeat: quocirca & nubes pro aquis interdũ in ueteri maximè teſtamento legi. Qui ponis nubes aſcenſum tuum, id ferè uult, atq;, qui uteris nubibus pro uehiculo. Vnde ſic ex hebræo uerti poterat: Nubes in currũ tuum aptas, aliſq; uentorũ aurigaris. Volas, ait Paraphraſtes, uelocius quàm ſi alas haberes ex uento, nempe incredibili uelocitate & curſu. Huiuſce quidẽ rei facies tum cerni datur, cùm cœlum atris obuolutũ nubibus, raptimq; à uentis agitatũ, ſciſſumq; fulgetris ac tonitruis, ad terras ferri uidetur. Nullum tam durum eſt cor & ferreum, quod diuinam tunc oſtendi potentiam non fateatur, exclametq; illam Dei manum eſſe, quę horrendas illas cœlorum cõmotiones cieat. Tu es igitur qui ambulas, circumq;

A cumq; ueheris perinde ac ſi uentorum pennis indutus eſſes. Tu, inquam, es

Qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.

Hîc uentos intelligas, qui nunc huc nunc illuc, ut uertit Campenſis, iuſſu Dei perflant, conuoluuntq; quæcunq; nacti fuerint obuia. Volunt item ignem urentem ignita eſſe fulmina, quorũ miniſterio diuina utitur prouidentia ad terrorem orbi incutiendũ. Solet enim Deus iſtiuſmodi uentorum impetum, tanquam nuncios, atq; iræ ſuæ legatos, in impios, ut olim in Sodomitas atq; Aegyptios actum fuit, immittere. Diuus Paulus hunc locũ de ſpiritibus angelicis interpretatur, Hebræis ſcribens: Quos quidem ſpiritus, ſuos uoluit eſſe angelos, hoc eſt, nuncios, Deus, ſuaq; ad peragenda iuſſa delegauit. Quomodo uerò urens ignis ſint, aliàs diximus. Quocũq; enim deſtinantur, ſiue hi boni ſint & felices, ſiue miſeri & mali, ſecum ferunt ignẽ, hi quidẽ diuini amoris, illi libidinũ & pœnarũ. Proinde igneã quandam in angelis uim eſſe arbitror, quam ſedulò ex diuina hauriunt contemplatione, concipiuntq; in ſeſe, ut hi quoq; in terris afficiuntur, qui ex aſſiduis cum Deo colloquijs & amicitia, quæ ex uſu oriri ſolet contemplationis, è limo ac terra in igneam fermè tranſierunt naturã: illam dico, quę ab amore profecta, diuina potius quàm humana appellari poteſt. Verùm alio flammarum genere exuſti, ad illum cæcutimus ignem, qui miniſtros ſuos facit ignem urentem.

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi.

Sunt qui ex hebræo uerba ea omnia, fundaſti, facis, ponis, induiſti, tegis, per tertiam perſonam legunt: ſed ſenſui nõ officit. At quomodo, quóue artificio aut miraculo terra fundata ſit, in pſalmo alio expoſuimus, ſubiunximusq;, philoſophis illis potius, qui Dei ſpiritu afflati, ut fuit Iob, locuti ſunt, adhibendã eſſe fidem, etiã in his infimis rerũ diffinitionibus, quàm inflatis illis in Lyceo aut porticibus deambulantibus, qui ui potius, & audacia ingenij, quàm ſpiritus ſancti ductu & calore, uarias in orbem adduxerunt hęreſes: quibus innixi, nullaq; certa in
B ſtincti perſuaſione, quicquid de rerum origine, motuq; & uita, opinati ſunt, mandarunt literis. Super ſe itaq;, ſeu, ſuper nihilum, ut ait ille, fundata eſt tellus: quod ſanè tanquam rem abſurdam audire horret philoſophus. Verùm illud miraculo dandum, quòd tam immenſa terræ moles nullo extero fulta ſubſidio aut fundamento, perſtat immota, nec inclinatur in ſeculum ſeculi, hoc eſt, non mouebitur loco ullo unquam tempore. nõ id tamen prorſus incredibile: nanq; pro fundamento terræ, Dei eſt uoluntas, ut magnus aſſerit Baſilius. Inſuper

Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius, ſuper montes ſtabunt aquæ.

Eius, ad terrã refertur. Sic Felix: Abyſſo ueluti ueſtimento operuit eam, nempe terram, quam hîc Vates totam initio obtectam aquis fuiſſe affirmat. De congerie quidem illa confuſa, molęq; indigeſta, quam dixere Chaos, mentionẽ hîc fieri duco, qua tanquam ueſte res omnes in lucem edendæ opertę fuerant. Vnde additum eſt, montes quoq; aquis coopertos fuiſſe. niſi forſitan de diluuio Noë, quod terram totam inundauerit, malis intelligi. Vt uis, hæc omnia diuinã atque adeo æternam teſtantur potentiam, quæ ſi iuſſerit, ut inquit Paraphraſtes, ſupra montes ſtabunt aquæ, decreſcentq;. Vnde infertur:

Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt.

Ex hebræo, præcipitatæ ſunt, ſeu feſtinabunt, nonnulli transferunt. Vocatq; Vates iuſſionem illam Dei, qua dictum fuit, Congregentur aquæ uniuerſę in locum unum, & appareat arida, increpationẽ, uocemq; tonitrui, qua congeries illa aquarum coacta, trepidè, ut ſolent res animatæ, feſtinanterq; in unum coiuit locum. Ex quarum quidem abitu, ecce ſubitò

Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis.

Aquis enim decreſcentibus, in uaſtoq; collectis Oceano, tum uiſi ſunt montes quodammodo aſcendere, uallesq; ſubſidere, atque aptam ſuæ naturæ delegiſſe ſedem. Non campi legunt Hebræi, ſed ualles. Iam illud mirum, quomodo inter aquas poſita non obruitur terra, tametſi continua exagitetur undarum ſæ-

C uitia atque ira. Ea tua eſt uirtus, ô altiſsime, qui illis

Terminum poſuiſti quem non tranſgredientur, neq; conuertentur operire terram.

Non reuertentur, inquit, amplius, quò terram inundent atq; operiãt, ut prius: quando quidẽ frænũ illis iniecíſti, præſcripſiſtíq; limites, quos ultra progredi nequirent. Hucuſq;, inquit ſpiritus, tuus erit curſus atq; conatus, ô Oceane. Occultiſsimũ id eſt myſteriũ, quòd tam diligenter hîc de aquis habeẽ ſermo. Ex aquis enim emerſa eſt uita, atq; mortaliũ exorta eſt ſalus, poſtq; è lacero Chriſti latere dulciſsimus tum aquæ, tum cruoris effluxit riuus, quo ablutæ animæ ſunt ac depuratæ. Sed de his ſatis. Ad te redeo, ô rerum omnium effector, molitorq;,

Qui emittis fontes in conuallibus, per medium montium pertranſibunt aquæ.

Inter miranda, addo & amœna Dei opera, quæ in terris conſpiciuntur, illud ſuauiſsimũ ſemper obuium eſt, quod ex fontium, amniumq; uſu & oblectamento promanat. Quid proſpectui amœnius, quàm è ſublimi montium faſtigio uidere fontem tam celeri ad ima ferri curſu, per camposq; diffundi, ac tandem in amnem deſinere, ut penè in illud conniti uideaẽ, quomodo uſui quamprimũ humano cõmodus ſit? Atq; has quidem in primis aquarũ fluxiones inter mõtes interdum inacceſſos uidere licet. Quis tantæ unquã cõmoditatis autor eſſe potuiſſet niſi Deus? niſi cœleſtis parentis autoritas ac potentia? Tu igiẽ is ſolus es, ô Deus, qui è montib. fontes in ualles, locaq; humilia demittis deriuasq;, & ut cõmodiorẽ nanciſcanẽ tranſitũ, per montes illis ingentes profundosq; dediſti aditus. Vnde

Potabunt omnes beſtiæ agri, expectabunt onagri in ſiti ſua.

Extinguent onagri ſitim ſuam, uertit Felix. Vide uniuerſale aquarum beneficium, quæ locis etiam inuijs, atq; animantibus ab humano conſortio abhorrentibus, abundè ſuppetunt: ut ferè ſunt onagri, qui naturaliter ſolitudinis appetentiſsimi cùm ſint, arentes incolunt regiones & ſolitarias. Et id quidem diuinam auget bonitatem, quæ ne uel in horridis quidem atq; inhoſpitis ſolitudinum locis

D deeſſe poteſt, quin aquas feris quoq; indomitis latè largeq; ſuppeditet. Aiũt onagrum (agreſtis is eſt aſinus) propter locorũ ariditatẽ, perennè ſitire: eam ob rem illorũ ſitim pro ardenti poni deſiderio. Ita de illo Hieremias ſcribit: Onager aſſuetus in ſolitudine in deſiderio animæ ſuæ attraxit uentum amoris ſui. Iob rurſus de ſylueſtro illius more loquens, ait: Contemnit multitudinem ciuitatis. Puto hanc feram animi diuini amoris percupidi præ ſe ferre imaginem, cui nihil in terris iucundum eſſe poteſt, pręterquàm in ocio ac quiete cum Deo colloqui: quod inter turbas ac ſtrepitus haudquaq; fieri poſſe hi norunt, qui inuiti mundũ hunc tumultuoſum habitant: proinde nihil tam ſibi officere experiuntur, q; in frequentia hac maximè tempeſtate uiuere, in qua illa plerunq; audiuntur, quæ Deum à corde eximunt, mortemq;, uel cùm non aduertis, inferunt. Expectabunt igitur onagri in ſiti ſua. Quid expectabunt? Dei certè ſubſidium, quod ſanè omnibus, ubicunq; degunt, non poteſt non pręſtò eſſe creaturis.

Super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.

Super ea, nonnulli uertunt, iuxta illos, nempe onagros. quanquam, ea, quoq; legi poteſt, & refertur ad flumina: de quibus ſic Vates ſecundum quorundã uerſionem: Qui emittis fontes in flumina. Verũ, illos, ad fontes refero. ut ſit ſenſus: Super amœnas fontiũ ripas, teneris in ramuſculis, aut dura in ſilice, ſuos figentes nidos cœli aues, è medio frondiũ, aut è ſaxis cõcauis ſuauiſsimè cantitabũt. Nullus tamẽ, quod ſciam, ex hebræo transfert, de medio petrarũ, ſed, de medio frondium, aut, è frondib. Cernis ne? (ô cor ſtupidũ) cernis ne, inquã, quomodo pulcherrimã uniuerſi ſtructurã tam uarijs perornauit rerũ etiã minutarũ cõmodis, ut planè nulla adeò obſtruſa illius ſit pars & incognita, in qua admirabilis non eluceat Dei ſapientia, atq; in mortales charitas?

Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.

De ſuperioribus ſuis, uerti poterat, ex nubibus, uel æthere ſuo: & erit ſenſus clarior. Etſi enim è largo imbre & pluuia, totam irrigari terrã uidemus, & fœcundari:

A dari: hîc tamen montiũ nominatim meminit, propterea quòd montes natura inferaces ſunt & ſteriles, ut ex rei difficultate maiorem in Deo eſſe potentiã agnoſcamus: nanq; excellentioris uidetur eſſe uirtutis, ſaxa aut arentem glareã imbre edomare, quàm terrã pinguem & cultã. Montib. itaq; unà cum campis ad uſum edomitis humanũ, uarij æduntur fructus, quorũ ope quicquid ferè animantiũ in terris degit enutritur. Vnde non abſq; ratione dictum eſt, De fructu operũ tuorũ ſatiabitur terra: id eſt, ut interpretatur Paraphraſtes: Ex abundantia frugum, quę opera tua prouenient, ſaturabuntur quæcunq; degunt in terra.

Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum, Vt educas panem de terra.

Iam cõmoda, quæ propter pluuiam proueniũt in campis, ut ferè ſunt, herba, gramen, fruges, uinum, oleum, & id genus alia, narrare incipit: & primùm de his quibus aluntur pecudes: id fœnũ eſt, quæ propria eſt iumentorũ pabulatio, cùm adhuc in pratis conuireſcit: exciſum uerò, ad ſtabulamentũ attinet. Quæ deinde ſit herba, quæ humano cõueniat uſui, puto illam eſſe quam in ſudore uultus parandam eſſe condixit Deus. Vnde ſic reddit Paraphraſtes: Prouenire facit ſua ſponte fœnum in uſum brutorũ animantium, & ad culturam hominis reliquam ſegetem. Quare actutũ adijcit, ut educas panem de terra: huc enim tendit labor omnis agrorum, ne deſit panis. Felix tamen interiecta cõma poſt herbam, ſeruituti hominũ interpretatur, ad culturam hominis: ut ſit ſenſus, Deum ad uictum animantium ſuppeditare fœnum & herbam, cultura hominum.

Et Vinũ quod lætificet cor hominis, Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.

Simpliciter, quę hîc de uino dicuntur, intelligenda eſſe cenſeo. Siquidẽ mode ſtè hauſtũ, cor mirum in modũ recreat: immoderatè uerò, obnubilat & obtundit. Cæterũ quòd faciẽ ex oleo ſplendidã fieri dicit, ad priſcũ ungendi morẽ attinet. Creber enim ac celebris in conuiuijs maximè is uſus fuit, nec uituperandus quidem: alioqui Chriſtus nunq; Phariſęo illi obmurmurãti, quòd ſibi caput non unxiſſet, exprobraſſet. At uide Dei beneficentiã: non contentus enim neceſſaria uitæ humanæ præſtitiſſe, addidit & illa quæ delicijs magis q; neceſsitati conuenire uidentur: ut ſunt ferè odoramenta, atq; precioſorũ unguentorũ, ſuffituumq; uſus. In his quidem, ut in cæteris, habendæ ſunt gratiæ Deo, non noſter quærendus luxus & libido, ut nunc fit. Eò quippe iam noſtra proceſsit mollities, ut ſcortis potius ac lenonibus is uſui ſit mos, quàm pudicis matronis, atq; illis quidem uiris, qui nullum alium tam gratum cognoſcunt in terris odorem atque unctionem, quàm illam quæ ab arbore uirtutum copioſe defluit, atq; in animas deriuatur. Nihil enim tam ſanctum unquam inſtitutũ fuit à patribus, quin ſtatim à filijs deprauatum fuerit & corruptum: ut is eſt uſus odoramentorum, uinicq;, & earum rerum omniũ, quæ recreandæ naturæ humanæ cauſa inuentæ ſunt. Inculcat iterum de panis commodo in calce uerſus. Penè ſibi uiſum fuerat de tam utili re pauca dixiſſe: ideo ſimulac ſuas dedit laudes uino, atque pigmentis, ſtatim addidit, cor hominis, utpote fons uirium, ac receptaculum, panis eſu conſolidari. Nullum profectò cibi genus eſt, quo uires hominis fortius reficiantur, quàm pane, orbi ferè toti communi & neceſſario. Vis porrò illa panis in alendis canibus incredibilis, quàm laude digna ſit, illud eſt indicium, quòd ædes illæ quamlibet regiæ, ac dominij propè infiniti, in quibus abuſus iſte eſt turpiſsimus, nullo reguntur uitæ modo, qui laudandus ſit: nanque inter canes enutriti, caninos de more induunt affectus homines. Sed ad inſtitutum. De alio hîc pane dici, quàm ſit iſte corporeus, nonnulli exiſtimant: & piè quidem, nam illo corpora, hoc uerò animæ refocillantur: uterque tamen Dei donum eſt immenſum. Sed de his alij: nos, ut diximus, ad inſtitutum reuertamur. Ad omnia fermè ſingillatim enarranda commoda pluuiæ pergit Vates, atq; ait, quòd ex ſuperna aquarum irrigatione

Saturabuntur ligna campi, & cedri libani quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt, erodij domus dux eſt eorum.

C Ligna campi, uertunt nonnulli, ligna domini, hoc eſt, ligna excelſa. quæ enim Dei ſunt, ſublimia ſunt, atq; ingentia: ut cedros eſſe aiunt, quæ in Libano monte uaſtæ admodum proceritatis conſpiciuntur. Vnde additum eſt, quas plantauit: hoc eſt, ut interpretatur Campenſis, tam altè creſcunt, ut ipſe uideri poſsit plantaſſe illas. Parum quidem tam altæ moli arborum conferre poſſet hominum opera, niſi Deus occultiſsimum naturæ alimentum ſubminiſtraret, eueheretq; ad illam, quam cernimus, altitudinem. Pulcherrimæ eæ quidem ſunt aſpectu, & delectabiles: cui tamen iucunditati nõ parum addunt decoris auium cantus, quæ in illis nidificant. Proinde dicitur, illic paſſeres, ſeu melius, ut plerique ex hebræo uertunt, uolucres nidificabũt. Cæterùm ultima pars uerſus ſubobſcura uidetur, quæ tamen ex hebræo dilucidior eſt. Sic illi: Ciconię domus abietes. Solet enim id genus uolucrum in ęditioribus locis nidum ſtruere, ut ſunt abietes, orni, cupreſſus, cedri, fagiq;, immenſæ proceritatis arbores. Verùm quid ſibi uelit, dux eſt eorum, uix auguror, uel eò maximè, quòd nullus ex hebręo, quod ſciam, legit dux, ſed abies, ut dixi. Ciconiæ, inquit, domicilium abies præbeat. Quòd autem pro erodio ſeu ardea, ciconiam uertunt, nõ multum intereſt quam uocem approbes, modò id nõ ignores, utranq; auem ędita, ubi nidificet, loca deligere. quanquam haud ſcio an rupes magis & ſaxa eligat quàm arbores ardea, genus nimirum accipitris, uelociſsimi uolatus, ac prædæ infeſtiſsimi. Putant quidem auem illam eſſe, quam uulgò falconem appellant. O ſtupendam certè Dei prouidentiam. Vide quid ſequitur:

Montes excelſi ceruis, petra refugium erinaceis.

Tam ſolicitam de his quoq; rerum minutijs curam habet Deus, ut uel ipſis beluis ac feris parauerit, quò, ſi quid aduerſi ſenſerint, confugiant. Cuiuſmodi ſunt cerui, damæ, capreæq; ſylueſtres, quę cùm timidæ natura ſint, excelſioribus gaudent locis: erinacei uerò & cuniculi, rupibus & cauernis. Montes igitur excelſi
D refugium ſunt ceruis: petræ autem erinaceis, uiperis, atq; alijs huius generis animantibus. Non hîc ſilebo, refugium erinaceis, hoc eſt, ſpinoſis mentibus, Chriſtum, qui petra dicitur, ſuppeditare. Felix qui in corde Chriſti, ubi amor habitat, ſuum habet nidum: felix erinaceus, felix cuniculus, qui in rupe hac tuta inacceſſaq; hoſtibus, ſuos alit fœtus, qui ſunt caſti animæ cõceptus & affectiones. Is itaque tam potens dominus, inter admirandas ſuæ ſapientiæ operationes,

Fecit lunam in tempore, ſol cognouit occaſum ſuum.

Mos erat Hebræis, ſecundum lunæ curſum cuncta diſtinguere ac numerare: idcirco lunam in tempore, ſeu propter tempora, ut uertit Felix, factam eſſe aſſerit. Fecit, inquit Campenſis, lunam certis modis & temporibus mutabilem. Sol uerò ſuũ nouit repetere occaſum tali abſq; mutatione. Luna porrò, ut uidemus, continuis circunfertur motibus, atq; alternis agitur gyris, ut nunc eam pleno orbe intuearis, nunc uacuã omnino, atq; inanem. Sol uerò uniformiter ab ortu ad occidentem properat: quippe qui eiſdem ſemper ornatus radijs, eò, quò nobiliſſima illius impellit natura, quotidie ferẽ, perſtatq; ſui ſemper ſimilis & concors. Cæterũ mirum q̃ etiam nunc noſtris inſeruiat actionibus lunæ motus. Si pharmacũ dandũ eſt, ſi eruendus è uena ſanguis, ſi arbor incidenda, ſi colligendę ſunt uuæ & fruges, ad lunæ ſubitò recurrit̃ deliquiũ, oppoſitionẽ, coniunctionẽ, pallorem quoq; atq; obſcuritatẽ. Hæc ſanè omnia rectè fieri nõ eſt qui ambigat: longa enim rerum experientia deprehenderunt mortales, ſeruandas omnino eſſe in iſtiuſmodi rerũ actionibus, imò etiã in colligendis conchis in littore, aut cancris, & oſtreis, lunę permotiones. Aiũt quidẽ oſtreas, atq; id genus conchas, ſeneſcente luna inuberes eſſe, macras, tenues, exuſtas: creſcẽte uerò, ſpõdylos habere perpingues. Verũ lunæ curſum obſeruare in his quæ ad animũ attinent, ſtultiſsimũ uideẽ: ut in cõficiendis quoq; itinerib. aut induendis ueſtib. & ſimilib. quę ſuperſtitionẽ magis referunt, q̃ pietatẽ. In hiſce quidẽ rebus, quę ad religionẽ ſpectãt, nulla nobis cum re animo humano inferiori, debet eſſe cõmunio aut neceſsitas.

Poſuiſti

A *Posuisti tenebras & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ.*

En aliud mundi ornamentum. Vt enim nox in multis usui sit hominibus, est quoq; cõmodo non mediocri feris, quæ metu hominũ perdiu in antris, densisq; nemoribus latitant. Talis, inquit, tua est prouidentia, ut positis, iussisq; à te tenebris, fiat statim nox: cuius beneficio syluarum bestiæ, quæ hominum causa latuerant, è latibulis exeant. Quin etiam

Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.

Clarius ex hebræo: Catuli leonum rugiunt ad prædam. Ea est leonis consuetudo, ut prædam nactus sæuè rugiat. Verùm suo more etiam feræ uictum à Deo quærere uidentur, & si ulla illis est cognitio, Deum suum esse altorem agnoscunt & uenerantur. Quærere quidem escam à Deo eas crediderim, cùm suo illo utentes naturæ ductu, affectibus inseruiũt sibi ingeneratis: quorum is unus est, quòd

Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.

Perinde est ac si dicat: Iterum oriente sole sese turmatim recipiũt, quasi cogente natura, in antra, ut noctem rursus expectent. Instinctũ illum quidem naturę in feris, quo se per diem à luce subtrahunt, nõ tantũ illarũ datum esse causa arbitror, quantũ hominis, qui liberè in agris esse posset, uel inermis. Quocirca additũ est,

Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsq; ad vesperam.

Videtur terræ usum cõmunicasse cum feris homo, ut illæ quasi hominum timori consulentes interdiu conquiescerent, nocte ad prædam exituræ: homo uerò nocte quieturus, diem in negocijs ac laboribus consumeret. Atqui hîc mihi comprehendisse uideor, tanquam gemmam auro insertam, secretũ quoddam diuinum in uersu hoc uerè aureo interluxisse. Nanq; illud Seruatoris dici arbitror: Exiui à patre, & ueni in mundũ. En quomodo exiuit homo ad operationẽ suam usq; ad uesperam, nempe synagogæ: nam simulac Christus patris opus, quæ est fides, exequutus est in terris, desijt synagoga: qua extincta, iterum, inquit, relin-
B quo mundum, & uado ad patrem: ubi æterna nunc sedet in caligine, quam eandem esse cum luce illa existimo, quam Paulus inaccessibilem appellat: de qua, tanquã à uento tenui, illud insusurrari audio, Operamini opus Dei. Hæc itaq; ac altiora, puto, in hoc loco cùm pergustasset sanctissima Vatis anima, exclamauit:

Quã magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapiẽtia fecisti, impleta est terra possessione tua.

Quàm magna, inquit, quàm honorifica, quàm admiranda, subindeq; elegantissima uarietate distincta sunt opera tua domine. Summa illa effecta sunt sapientia & consilio: tuq; solus is es, in cuius conspectu nihil, quod casu fiat & fortuitò, inuenitur, sed omnia propria tua sunt, tuaq; in potestate perseuerant. Tuæ tandem potentiæ ac dominio tota, quanta est, subiecta est tellus, illiusq; ornatus, & cõmodum. Quod sanè hactenus, ut potui, stylo sum persecutus: nunc uerò quid commodi, quid'ue indicij tuæ afferat potentiæ mare, explicabo. Et quidem

Hoc mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis.

Solet scriptura res conditas uniuersas trifariam partiri: in cœlum, terram, mare. Et quia Vates de Dei uirtute & potestate, quæ cùm in cœlorum ornatu, tum in terræ cõmodo atq; utilitate resplendet, nonnihil dixisset, easdem nõ minus in mari, propter animantiũ uarietatem, sed in primis ob uastam cetorũ molem, nauigandiq; peritiã, cerni posse scribit. Miratur itaq; Vates, quo rerum miraculo id fiat, quòd hoc mare tam magnum sit ac latum, ut res ferè mundi uniuersas manibus ulnisq; amplecti uideat. Hebræi tamen nõ manibus, sed spatijs, transferũt. Vtrunq; maris capacitati conuenit. Sic Paraphrastes: Hoc ingens mare cuius litora tanto à se mutuo distãt spatio, innumerabilẽ habet piscium multitudinẽ. Penè quidẽ infinitę sunt piscium species in mari. Volunt enim nihil in terris gigni, quod idem in mari non sit, nedum animalia ac plantæ. Sunt, inquit, in mari reptilia & belluæ, quæ carent numero, siue mediocris hæ sint magnitudinis, siue inusitatæ.

Illic naues pertransibunt.

C Nónne id miraculo perſimile, tam periculoſum procelloſumq; aquarum elementũ, lembo uix tribus compacto aſſeribus traijci? Quis porrò artem illam admirandam nautarum, ordinémue, atq; ad numeros cõmotam turmam, funesq; & anchoras in mare eiectas leuatasq;, ingens nimirum pondus, enarrare ſufficit? Maximũ id quidem Dei potentię eſt argumentum: qui tamen ut maximarum rerum autor eſt, & conſeruator, ita noſtris interdum iratus delictis, mutat conſiliũ, resq; illas quæ uſui datę ſunt homini, in illius uertit exitium: ut nuper Chriſtianorum claſsi contigit, quæ in Cirtæ obſidione poſita, Algirium nunc uocant, tam ingenti diſiecta eſt tempeſtate, ut centum onerariæ deſideratæ ſint nàues, triremes quatuordecim, mediocris uerò magnitudinis penè abſq; numero. Et id quidem in obſidione hoſtium Chriſti, Chriſtiani paſsi ſunt. O incomprehenſibile Dei iudicium. Vnde hæc ſtrages ô Cęſar? Vis'ne dicam unde? Ab auariſsimo certè orbis dominio, crudelíq; imperio, & ſuperbo. Heu ſortem noſtram miſerandã. Non eſt quidem tam bene inſtitutus populus, atq; hominũ conuentus, cui non præſit rex aut princeps auarus, aut crudelis, aut ſuperbus, aut his tribus ſimul colligatus funibus & catenis. Si Italiam peragro (ut facilis meæ profeſsionis hominibus mos eſt, quàm uerò laudabilis, dij noſtri uideãt) nihil quod ſanum ſit uideo, nihil non corruptum, non uenale, non cupiditatibus obnoxiũ, non ſæuiſsimum. De alijs item orbis regionibus idem ſperare audeo. Si hæ Dei iniuriæ non ſunt, quæ aliæ ſunt? Veriſsimum igitur eſt, quòd mare hoc magnum mundi tantis penè refertum eſt uitiorũ monſtris, ut ſtellas numero ſuperent. Et cùm ſic ſe res habeant, diræ nimirum & intolerabiles, additus eſt etiam Ottomannus,

Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.

Ludens in eo, ſeu, ut ludat in eo, aut rideat in eo, mari ſcilicet, ex hebræo uertunt: ut interim de ſerpente illo callidiſsimo, qui Euæ illuſit, fecitq; uafer admo-
D dum impoſturam, nihil dicam. Sunt piæ meditationes, ſed quæ nihil hîc interim. Alius eſt ſenſus, is nimirũ, quòd bellua ingens maris (cetum alij uocant, alij leuiathan, alij uerò draconẽ) tanti ſit roboris & ſæuitiæ, ut merus illi ſit luſus & iocus, per undas ſpaciari, perindeq; reliquos inſectari piſcium globos, ac ſi illorũ eſſet rex & princeps. Ipſi ceto, uertit Campenſis, eas uires tribuiſti, ut ridere audeat, & contemnere reliqua, quæ degunt in mari omnia. Sic uerti poterat ex hebræo: Leuiathan, quem formaſti ut rideat in ipſo, hoc eſt, in mari: quoniam aiunt illum, ut reddit Felix, cæterorũ piſcium dominum eſſe. Is dæmonis præ ſe fert imaginem, cùm crudelis ſit & inexorabilis: de quo ita Iob loquitur: An extrahere poteris Leuiathan hamo? nunquid multiplicabit ad te preces? nunquid feriet tecum pactũ? Ecce implacabilem dæmonum morem: ecce tyrannorũ naturam, æreq; duriorem cum cęteris conſuetudinẽ. Fit deterior dęmone homo ſuperbus, qui ceto immaniſsimo belluarũ comparatur, cui luſus ſit minutioris gregis homines ſuppeditare. An uerò haſce ſibi uindicauerit partes, uindicetq; in præſentia ſuperbiſsimus Turca, norunt omnes, ſed in primis Cæſar, qui cum, iniqua ferè conditione, perpetuum eſt negocium. Nec minus quàm arrogans ſit, continuis experitur prælijs illius frater. Sed cæteris acerbius Veneti, quem ſibi ſempiternũ fore malleũ, ex his quæ hactenus paſsi ſunt, diuinare poſſunt: atq; adeò id maximè, quòd ipſi inter ſeſe non ſyncerè res tractant publicas, ut nuper actum eſt. Nam qui primus à ſecretis erat ſenatui, inuentus eſt (ſcelus) cum Ottomanno ipſo cõſentire, ſecretaq; illi ſenatus detegere: qui tamen deprehenſus meritas luit pœnas. Siquidem inter colũnas illas nobiles atq; excelſas, quæ in ueſtibulo templi diuo Marco dicati mira cernuntur magnitudine, laqueo illi cum nonnullis ex coniuratis gulam fregere. Damnum autem propter illorum perfidiam ſuæ allatum reipub. quis reſtituet? Verùm ad benignitatem tuam enarrandã reuertor, ô Deus: nanq;

Omnia à te expectant, ut des illis eſcam in tempore opportuno.

Hic ferè eſt epilogus, atq; eorum, quæ in ſuperioribus ſunt dicta, peroratio. Omnia tandem, inquit, quæ tu ſapientiſsimo formaſti conſilio, quemadmodũ à

A te condita ſunt, ita à te, ut illis deſcibum naturæ cuiuſq; conſentaneum, idq; ſuo tempore, præſtolantur, uiuuntq; ſpe ea fulta. Quæ enim ad animantium cõmodum & uitam præparaſti, ea illo, quem tu ſanxiſti, perſeuerant ordine, ſeruantq; temporum rationem, ut alia planè re in eſtate utendum ſit, alia in hyeme uereue, aut autumno. Certè

Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.

Hæc ſanè ad utrunque uitæ genus attinent. Quæcunque enim expetunt homines, quæ ad uſum uitæ, tum carnis, tum ſpiritus faciunt, ea à Deo ſperari debent in primis, non à noſtro ingenio aut induſtria. Dante igitur te, largaq; effundente manu, colligimus, collectaq; ſeruamus: imò omne bonum tua à benignitate nanciſcimur. Non ſecus enim mundus, ac ſolet campus florum amœnitate, atque odore perornari, ac, ut ſic dicam, recreari, ex aperta Dei manu paſsim donorum cœleſtium abundantia exhilaratur, exundatq; pleniſsimo ueluti cornu. Sic contrà,

Auertente te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.

Irato domino concidunt omnia, relabunturq; in nihilum. Te itaq; faciem illam tuam, quæ cunctis dat uitam, auertente, hoc eſt, te deſerente, non ſeruante, non paſcente, non ſpirante in eis, en turbatio, en mors, en interitus. Potentiſsimũ ſanè noſtrum, ſi Deo placet, arbitrium. Quid? ſi quidem ſpiraculum illud uitæ, quod primis olim inſufflaſti parentib. ab hiſce abſtuleris animantibus, peribunt illicò, atq; in terræ limum, unde ortum habent, reuertentur. Quid putas nanciſci poſſe animam, quæ ſuis conatur uiribus in altum euehi, fruiq; cœleſtibus, præterquàm turbationem, bellumq; inteſtinum, ac mortem tandem? Dante uerò domino, cuncta, etiam præter ſpem atq; expectationem, proueniunt bona. Quocirca iterum inculcat Vates:

B *Emittes ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.*

Nouis hîc rerum ſucceſsionibus renouari terræ faciem canit propheta. Dixerat enim quæ accidunt rebus incõmoda ob Dei ſpiritus abſentiam: nunc, quę ob ueniunt cõmoda ob præſentiam, enumerat. Dei itaq; ſpiritus ea præditus eſt uirtute, ut non tantùm res denuò, recensq; in lucem ædat atq; effingat, uerumetiam perditas aut ſeneſcentes redintegret, alteramq; alteri ſuccedere faciat. Ex qua pulcherrima rerum uiciſsitudine & ſucceſsione, noua quaſi induitur facie orbis uniuerſus, ut in uerno tempore uidere licet. De innouatione porrò animæ quid ſentiam, penè dicere erubeſco: quandoquidem quiduis aliud magis à nobis quæri uideo, quàm ea, quæ ueram illi afferre poſsint integritatem. Id dicam ſolùm, animæ perfectionẽ à Dei ſpiritu prouenire, non à ſpiritu, aut arbitrio humano, quod adeò debile eſt, ut fermè exoletum penitus uideatur. Quare

Sit gloria domini in ſeculum, lætabitur dominus in operibus ſuis.

Suo more Vates ad pſalmi calcem properãs, Dei gloriam attexit: hoc eſt tam diuerſarum rerum pulchritudinẽ atq; utilitatem, de quibus nonnulla in toto omnino pſalmo diſſeruit, uult à Deo bonorũ omnium fonte prodijſſe. Agendę ſunt, inquit, Deo pro hiſce omnib. quæ cõmemoraui, gratiæ: illi ſit gloria, illi laus, illi honos, nõ cras duntaxat, aut perendie, ſed ſemper, quoad uixerimus: nullus prætereat dies, quin totus in celebrando Dei honore impendatur. Nanq; ipſe etiam ſuis in operibus, ueluti artifex in ſuo artificio, oblectamentũ capit. Etenim cùm tanta res mundi olim prouidentia ſapientiaq; molitus ſit, impræſentiarum uerò foueat, cumulet, innouet, nónne quadam uidetur affici uoluptate altiſsimus? Is quidem eſt, qui ſimul ut animæ oſcitantiam & torporem ſuauiſsima beneficiorũ ſuorum tum copia, tum memoria excutere haudquaquã ualuit, aliud remedij genus, nempe minarum ac terroris, adhibet: ſiquidem ſolus ille eſt

Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigabunt.

Incomprehenſibilis Dei potentiæ id ſignum eſt, atq; argumentũ. Solo nanq;

C proſpectu, aut leui tactu, terram tremere, montesq; præ metu fumare, atq; in fauillas reſolui facit. Quemadmodũ enim ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos indifferenter, ita nonnunquã minis, horrendisq; terræmotibus ac fulminibus orbem territat uniuerſum. Quæ ſanè forma eſt atq; imago illorum, quæ in corde hominum peraguntᷣ. Nullum quippe terroris genus eſt, quin minus ſit illo, quo fœdæ inquinataeq; conſcientię torquentur, & exanimantur. Verùm illud me ual dè conſolatur, quòd uita in uoluntate eius. Idcirco

Cantabo domino in ῾ita mea, pſallam Deo meo quandiu fuero.

En uotum illud ſolenne, quod in baptiſmo latenti ſit myſterio. Quandiu, inquit, uixero, meam deuoueo uitam Deo: hanc illi cõſecro, dedo, immolo. Quare, ſi mihi deinceps lætandum erit, ſi canendũ, ſi aliquid lucubrandũ, is omnis meus erit ſcopus & ſubiectũ. Ne illi uiuam, ſi poſthac, quod hactenus à me actum non eſt, & fateor, & doleo, alium admittam uel amorem, uel metum, qui Dei non ſit.

Iucundum ſit ei eloquium meum, ego ῾erò delectabor in te domine.

Sit illi gratum meum ſtudiũ, meęq; iſtę lucubrationes, & labor. Non illi inſuauis ſit meus cantus, & quicquid aut dixero, aut egero, illi probeᷣ. Et ut quidẽ tu, ô pater, lætaris in operib. tuis: ita ego in te lætabor, de te gaudebo, pro te, nõ pro mundi cõmodis, exultabo, atq; in te tandem curis liber emoriar. Contrà autem,

Deficiant peccatores à terra & iniqui, ita ῾ut non ſint.

Impoſsibile quippe eſt Dei religionis ſtudioſum non odiſſe improbos. Si ciuis ſuæ patriæ amantiſsimus cupit è medio tolli ſeditioſos, fures, adulteros, parricidas, ac, quibus maximè euertuntur ciuitates, tyrannos, quis tale deteſtetur odium? Non ab re igitur de ſe illud alio in pſalmo teſtatur Vates: Perfecto, inquit, odio, nempe maximo & conſummato, oderam illos. Hîc uerò, Extirpentur, ait, ſcelerati iſti è terra, radicitusq;, tanquam noxium gramen, euellantur è Dei ſan-
D ctuario: non ſint amplius qui Dei religionem proſtituant, meretricariq; faciant. Faceſſat nox, ut ſol appareat. Quid cõmercij (uos execror) ô impuriſsimi, uobis eſſe poteſt cum mundiſsimo Dei cultu? Abite ô transfugæ, mali ciues, inquinati, diſsidioſi, peſsimi decoctores. Tu uerò tot malis erepta,

Benedic anima mea domino, Halleluia.

Cui laus ſit in ſecula ſeculorum. Amen

PSALMVS CV.

Confitemini domino, & inuocate nomen eius, annunciate inter gentes opera eius.

In ſuperiori pſalmo Dei prouidentiã erga res conditas uniuerſas celebrari uidimus: in hoc uerò peculiarẽ illius curã erga ſuos: eos nimirũ qui illius credentes pollicitationib. omni in Deũ ferunᷣ niſu & amore, deſcribit Vates. Propterea enim ad religioſos accerſebant cœtus & cõuentus priſci illi ludęorũ proceres multitudinẽ, quò Dei beneficia in ſe exhibita audientes, ad celebrandũ ipſius nomẽ inardeſcerent. Delicata quidem eſt rerũ cœleſtiũ memoria, quæ niſi frequenter reſarciatur refriceturq;, perlangueſcit continuò. Imago fuit, ni fallor, ritus ille, Eccleſię, in qua de more laudabiles peraguntur cæremoniæ, fitq; fidei confeſsio, ex qua omne cordis gaudiũ proficiſciᷣ. Vultis ne, inquit, audire, quamobrem conſtructa ſint templa, atq; erectæ aræ? ut nimirum die noctuq; numini ſeruiatur: quod ſanè obſequium nullum penè, niſi ſordidũ, eſſe arbitror, ſi ullo ſuperſtitionis aut proprij amoris næuo dehoneſtatum fuerit. Puriſsima proinde eſſe debent quæcunq; à nobis offeruntur altiſsimo: alioquin illoto corde, conſpurcataq; conſcientia Dei ædes frequentare, nõ minoris forſan eſt periculi, quàm ſi inter dæmones conuerſeris ac dormias. Mors quippe eſt, quicquid inquinato animo, atq; infideli, uel in mediſs ipſis ſacris, egeris. Ite nũc, ô qui ueſtro, neſcio quo, contenti uitæ genere, ſpecie quidẽ candido & mundo, re autem ipſa impuro ac ſordido, nihil aliud in Dei religione requiri opinamini, præterq; rituum magnificentiã: qui quidem ritus ut laude digni ſint, utpote à ma-

ioribus

A ioribus ſanctis illis quidem uiris ordinati, ita malo illos exequi obſequio ac uano, maximæ indicium eſt confidentiæ, ne dicam ſtultitiæ. At uerò turba iſtiuſmodi uulgari hominum, nempe impura & ſuperſtitioſa omiſſa, uos alloquor, ait ſpiritus, ô quibus nulla antiquior eſt cura ac ſtudium, quàm ut Dei nomen paſsim ab omnibus celebretur, Confitemini domino, & inuocate nomen eius, annunciate inter gentes opera eius. Sunt uobis res mundi commodæ, laudate Deum. Sunt aduerſæ, itidem facite. Non uos ulla deterreat calamitas, non iniuriæ, non improborũ minæ atq; inſidiæ, quo minus in laudanda Dei uoluntate occupemini. Cæterũ ſi quid ueſtris in ærumnis implorandum erit, Dei nomen implorate, fateaminiq; illum eſſe, à quo ſunt, & ſeruantur omnia. Quocirca annunciate, diuulgateq; inter gentes, inter peccatores, inter meretrices, ſanctas illius operationes: quandoquidem qui ſanctiores exiſtimantur, id facere renuunt.

Cantate ei & pſallite illi, narrate omnia mirabilia eius.

Quæ fecit creando, prouidendo, conſulendo, ac tandem à morte, mortiſq; autore redimendo. Hæc ſanè ſunt ſtupenda Dei opera, narranda ſubinde his, qui in peccatis obdurati uix norunt, an ſit Deus.

Laudamini in nomine ſancto eius, lætetur cor quærentium dominum.

Vera tandem illa eſt laus & gloria, cùm quem contigerit laudari in Deo. Nulli dubiũ eſſe debet, quòd Deus ſuo in nos ſpiritu effuſo efficit, operaturq;, ſi quid in nobis quod ſpiritum ſapiat fieri ſentimus. quare, quicquid illud ſit, in eum refundimus, illiq; gratias habemus, quod eſt in nomine ſancto eius laudari, ſeu, ut ex hebræo uertunt nonnulli, gloriari, ut qui gloriatur, in domino glorietur. Actum porrò tunc de nobis eſſe non uereamur, cùm nobis, aut noſtro arbitrio & uoluntati, quod Dei proprium eſt, aſsignamus. Id maligni eſt animi, nequam atq; ingrati omnino. Verùm ex illo affectu ac deſiderio, quo quis in Dei nomine laudari
B efflagitat, cor exhilareſcit, atq; in ſpiritu recreatur. Vnde additum eſt: Lætetur cor quærentium dominum. qui uerò non quærunt, ut hypocritæ, æterno mœreant cruciatu, liuoreq; impalleſcant. Vos igitur, quos hîc inuitat ſpiritus,

Quærite dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper.

Confirmamini, in hebræo non eſt, ſed dictio quæ ad Deum refertur. Sic Felix: Quærite dominũ & fortitudinem eius. hoc eſt, fortitudinẽ à Deo exorate: quod ut ratum ſit, ipſius primùm, ne ueſtræ prouidentiæ, ueſtriſq; conſiliis, quę mortis nuncij ſunt, dimittamini, uobis adeſſe uirtutẽ deſiderate. Iam facies hîc Dei, fauor illius eſt, aut cognitio. Vnde ſic Paraphraſtes: Studete comparare uobis fauorem illius aſsiduè. Anima quidem diuinæ cognitionis percupida, atq; anxia inueniendi Dei, non poteſt in friuolis mundi rebus occupari, ſed libero ueluti pede, greſſuq; expedito in illum, quem ſupra omnia & quærit & amat, fertur. Eam ob rem tarda omnia faſtidit in alijs, increpat, urget, orat, cogit tandem, ac quantum maximè poteſt ingeminat: Quid ſtupidi quæritis? Viuentem ne cum mortuis? O immemores animos. Quò in illius demum recaleſcatis dilectionem penè in uobis extinctam,

Mementote mirabilium eius quæ fecit, prodigia eius & iudicia oris eius.

Si mirabilium uertere placuit interpreti, cur non etiam prodigiorum, iudiciorumq;? Sic ex hebræo legunt: Mementote mirabilium eius quæ fecit, prodigiorum eius, & iudiciorum oris eius. Ad memoriam quidem illorum, quæ peculiari geſsit cura Deus in deſerto pro Iudæorũ populo, nos excitat: quæ tametſi ad hiſtoriam illam ueterem pertinere uideantur, at quãmaximis tamen grauida ſunt myſterijs: ex hisq; admonemur, quàm ingrati ſemper extiterint homines in ſuũ benefactorẽ. Vt modò afficiantur alij, non quæro: de me id fateri poſſum, quòd nulla alia tam dirè diſcerpor cura & dolore, quàm cũ ingratitudinis in benigniſſimum dominum me reum eſſe uideo. Ferè id mihi uidetur inexpiabile eſſe delictum, quocirca exhorreſco cùm hæc lego: nam mihi, meiq; ſimillimis ea dici arbitror. Mementote, ô immemores, ô ſtupidi, ô ingrati geſtorum Dei, quæ tam im-

C menſis erga uos perfecit beneuolentię ſignis & argumentis. Quid ultrà potuit facere, & non fecit? In memoriam ueniant portenta illa terrifica, iudiciaq́ oris eius. Vocat portenta ſeu prodigia, ſigna illa horrenda, quibus olim terrefecit Aegyptios, atq́ deinde cæteros ſuo populo infeſtos: iudicia uerò, legem ſanctam, quã Moſi dedit in Sinai monte, nimirum ob id religioſiſsimo. Iam illud aduertendũ, oris ſui, ad illud referri, quòd legimus cum Moſe Deum locutum ore ad os, ut ſolet amicus cum amico ſuo loqui. Quanquã aliam hîc mihi legem ab ore Dei prolatam uidere uideor. Illam quidem datam fuiſſe per Angelũ diffinit Apoſtolus: hanc uerò à proprio Dei ore hauſimus, ipſoq́ edocente accepimus. Et aperiens, inquit Mattheus, os ſuum docebat eos.

Semen Abraham ſerui eius, filij Iacob electi eius, ipſe dominus Deus noſter, in ℣niuerſa terra iudicia eius.

In quibuſdam ex Hebræorũ interpretibus, ô, in principio uerſus ſic legimus: O ſemen Abraham ſeruí eius, ô filij Iacob electi eius, ille eſt Dominus Deus noſter. Sub his duorum patrum nominibus, omnes fidei filij intelliguntur: nam Abraham, de cuius ſemine ortus eſt Chriſtus, pater eſt fidei. Iacob autem uir ſimplici uitę conſuetudine & pura, Iſraëlis nomẽ propter immenſam in Deum fiduciã adeptus eſt. Iſraël enim directũ à Deo interpretant, quo ſanè tota uita Chriſtiani, mirabili adumbrata tum fuit uelo. Fides quidẽ in primis neceſſaria eſt: cor poſtea ſimplex & candidũ, addo &, quæcunq́ contingant, in Deo ſtabile: quæ perfectiſsima fidei pars eſt. Hos igitur per fidem Abrahę, cordisq́ puritatem Iacob, iam filios Dei factos nõ neſcire conuenit, quoniam ipſe dominus uniuerſorum, Deus noſter factus eſt, pater inſuper, & is quidem clementiſsimus: cuius tamen iudicia (ne nomen patris audientes, ſpe uana illuſi peccemus, maledictus enim qui peccat in ſpe) in uniuerſo generatim orbe propagantur. Non is quidem in illa ſolùm aut illa regnat regione & familia, iudicat efficitq́ quodcunq́ loquitur
D aut iubet, ſed ubiq́ omnes illius obnoxij ſunt imperio, quod æquiſsimum eſt, atque ullo abſq́ fidei fuco, &, ut ſunt pleriq́ hominum, ſimulatione. Siquidem utcunq́ refugiant homines, & reluctentur,

Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui, ℣erbi quod mandauit in mille generationes.

Vide conſtantiſsimũ Dei conſiliũ, atq́ æternũ in præſtando, ſi quid unquam pollicitus eſt, propoſitũ. Teſtamenti ſui, pacti ſui legunt ex hebræo. De quo quidem pacto ac fœdere cum Abrahã, Iſaac poſtea & Iacob percuſſo, non uno in loco narrat Moſes. Cuius ſanè ea fuit ſumma, ut ipſe illorum eſſet Deus, ipſi uiciſſim illius plebs ac populus. Semper id quidẽ præſtitit æternus pater, licet ex parte hominis millies iam fractum ſit fœdus, uiolataq́ fides, ac iuramentũ. Attamen abſq́ pœnitentia, ut inquit Paulus, ſunt Dei dona, uiuuntq́ illius promiſsiones: non quòd ſic meruimus, ſed quia recordatus eſt miſericordiæ ſuæ à progenie in progenies. Quòd fermè idem eſt cũ illo, q̃d hîc aſſerit Vates: Memor, inquit, fuit eorũ, quæ promiſit, ſeruabitq́ conſtantiſsimè, etiãſi mille ſibi ſuccederent generationes. Verbi dico, haud immemor fuit, quod mãdauit in mille generationes:

Quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti ſui ad Iſaac.

Hoc eſt: Memor fuit uerbi, nempe fœderis, quod percuſsit cum Abraham, & iuramenti, quo aſtrinxit ſibi Iſaac. Et

Statuit illud Iacob in præceptum, & Iſraël in teſtamentum æternum.

Clarius ex hebræo: Quod ſtatuit Iacob pro lege, & Iſraëli in fœdus ſempiternum. quorũ uerborũ ſenſum ſic explicat Paraphraſtes: Et quia id firmum eſſe uoluit, certa ueluti lege obligauit ſe Iacob, & Iſraëli perpetuo fœdere aſtrinxit ſe,

Dicens: tibi dabo terram Chanaan funiculum hæreditatis ℣eſtræ.

Abrahæ quidem, Iſaac & Iacob, qui Iſraël eſt, non tantùm promiſerat Deus, uerumetiam iuſiurando ſe illis terram daturum Chanaan in funiculum, ſeu ſortem hæreditatis æternæ, firmauerat, quò tandem cunctæ in eorũ ſemine (is Chriſtus erat) benedicerentur cognationes terrę. Iſtuc ſanè fuit teſtamentũ Dei æternum,

A num, fœdusq; interpoſito iuſiurando cum eis initum. Id fuit præceptum illud, ac uerbum, quod mandauit in mille generationes, in omnes ſcilicet, quò crederent, poſteros. Nihil unquam tam exactè ab illis requiſiuit Deus, quàm ut iſtiuſmodi crederent promiſsionibus. Fides igitur ſemper, uel ab ipſo conditarum rerum exordio, neceſſaria fuit. Vnde non iniuria à Paulo diffinitur, abſq; fide impoſsibile fore, ut quiſpiam Deo placeat. De funiculis aliàs diximus, quibus metiri fundos conſueuerant antiqui. Menſuram pro re menſurata poſuit.

Cùm eſſent numero breui, pauciſsimi & incolæ eius. Et pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Non reliquit hominẽ nocere eis, & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari.

Maximum id fuit Dei beneficium. Nam cùm numero eſſent pauciſsimi, imò præ hoſtibus nulli, atq; in terra illa peregrini uagiq;, etiam cùm de regione in regionem tranſmigrarent, pulſi fugatiq; è regno ad alterius regni populum confugerent, illos tamen ſemper adeò diligenter tutatus eſt Deus, ut neminem uim eis inferre ſit paſſus: quin potius reges ipſos alioqui potentiſsimos, illorum cauſa diris affecit plagis, dicens: Nolite uel leuiter quidem meos unctos attingere, & in prophetas meos, quos tanquam futurorum buccinatores è uulgo delegi, cæterò ne ſitis iniurij, néue maligna in illos machinemini. Quanta hîc geſtiunt conſolatione ac tripudio animæ, quæ Deo nixæ, nihil tam arduum deſperatumq; accidere poſſe arbitrantẽ, quin ſtatim in umbrã deſinat ac fumum, ſi iuſſerit ille, qui non tam amplas hominum copias in prælijs, quæ ſuum ad honorem comparantur (quæ fiunt inter Chriſtianos, nulli ſunt Deo honori) requirit, quàm fidem integram & flagrantem. Quid porrò cenſendũ ſit de illis, pudet literis mandare, qui cùm perfectam uitæ rationem polliceantur, tam molliter tamen iocoſas, neſcio quas, ac riſu dignas ferunt de gente in gentem, de domo nonnunquã tenui in ædes regias, demigrationes, atq;, ut ipſi uocant, mutationes, ut penè inſaniant, que
B relisq; adeò immenſis & cœlum & terram conuoluant, ut Oreſtem te audire fatearis. Parua hi fulti ſunt fide: nondum enim id uitæ genus, quod promiſere, ſunt aſſequuti. Mortui quidem in hoc mundo, quid iſtas leuiſsimas interdumq; neceſſarias pertimeſcunt (ut ipſi uocant) iniurias? Viuorum certè is ſenſus eſt, non mortuorum. Quid tam igitur effœminatè res mundi tolerant? an adhuc illos præterit, quòd non reliquit hominem nocere eis? Sed iam aliud diuinæ beneuolentiæ ſignum in populum illum conſideremus.

Et vocauit famem ſuper terram, & omne firmamentum panis contriuit.

Obſerua hîc Dei potentiam. Ille enim cuius imperio parent omnia, famem in orbẽ accerſiuit, iuſsitq; annonę inopia cunctos periclitari. Quò ſe tunc uerterent mortales? quò illorum greges? Deſperati planè omnes, interitũ cùm ſuum, tum, quo maximè diſcruciabantur animo, liberorum pręſtolabantur. E cœlo tandem reſpexit dominus, & ne diutius inedia contabeſcerent,

Miſit ante eos virum, in ſeruum venundatus eſt Ioſeph.

Iam illud, quod penè omiſeram, non prætereundum. quod in fine ſuperioris uerſus legimus, Firmamentũ panis contriuit: ex hebræo nonnulli uertunt, uim panis, ſeu, uirgam, hoc eſt, ſuſtentationẽ. cuius uocis efficaciã ſic aperit Paraphraſtes: Cùm omne illud, quod ad panem conficiendũ conducere ſolet, perdidiſſet, tum præmiſit ante eos uirum. Notat Felix, uirgam illam, ſeu uim panis, omnia legumina ſignificare, quò extremã illam fuiſſe famem intelligamus. Vnde illud eſt Ioſeph ad Pharaonem: Conſumptura eſt, inquit, fames omnem terram. Præmiſit itaq; benigniſsimus pater, quaſi illorum pręoccupans calamitatem, ante illos uirum, nempe Ioſeph, qui uenundatus à fratribus ad tantam rerum felicitatem euectus fuit, ut tanquam Deus coleretur. A captura igitur tam ſancti pueri ſalutem ſunt nacti illius uenditores. Ita à Chriſto capto, à fratribusq; uendito, expoſito, traducto, totius generis humani, quod, ut ſic dicam, in ſui conditoris necem conſenſerat, ſalus permanauit. Sed hiſtoriæ inſtemus.

C *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſijt animam eius.*

Animam eius, pro corpore animato nonnunquã accipit ſcriptura. Vel uitam intellige, aut mentem, ut quidam legunt. Vi quidem doloris afflictus, penè ferrum, catenas nimirũ, quibus uinctus fuerat, ad animã uſq; admiſiſſe uiſus eſt. Ita ſanè de illis, qui in maximis conſtituti ſunt pœnis, dicere conſueſcimus. Proinde non abſq; cõmiſeratione uerſus is legi debet: Aſtrinxerũt, inquit, pedes eius, pueri nempe innocentiſsimi & caſti, boijs. quin ferrum ipſum horrendum, quo fures ſolent connodari & homicidæ, puram illius animam tranſuerberauit.

Donec ueniret uerbum eius, eloquium domini inflammauit eum.

Multifariã exponunt hunc locum tum Græci tum Hebræi: mihi uerò illud magis arridet, quod perpauci ex interpretibus attingunt: hi uolunt, eius, ad Deum referri: uerbũ uerò, illius eſſe decretũ, quo maturo iam tempore ad id deſtinato de creuit Ioſephũ à carcere eximi, interimq; tanq; aurũ in anguſtijs perpurgari. Siquidem ea ſemper cunctis Dei amicis lex fuit poſita, ut in cruce uiuerent. Sanctione itaq; Dei ac decreto, probatus fuit Ioſeph, uſquedũ tempus, quod ipſe cõſtituerat, aduentaſſet. Tu uide quomodo aptiſsimũ attexuit uerbum domini eloquio. Inflãmauit, inquit, eum exuſsitq;, uel uſq; ad oſſa, tam ſanctũ iuuenẽ Dei ſermo, qui uita eſt animæ: imò fax illa, qua peruſtũ cor, totum igneũ fit, cõſopiturq; in Chriſto, qui ſolus tam caſti ardoris capax eſt, atq; in alios effuſor. Verùm quid poſtea factum eſt, ſimulac è Dei uerbo, quo arſit captiuus, diuina oſtenſa eſt lux?

Miſit rex, & ſoluit eum, princeps populorum, & dimiſit eum.

Magnũ id quidem tum potuit uideri, ingentium populorũ principem, miſeri ſquallidiq; captiui rationẽ habuiſſe. Miſit rex, inquit, poſtquã Dei uerbum Ioſepho innotuiſſe cognouerat: miſit, inquã, qui longo affectũ carceris ſquallore ſolueret, exoneraretq; catenis. Ille, dico, qui ingentibus dominabatur populis miſit nuncios, qui eum liberum dimitterent. Nec id quidem ſatis regi uiſum eſt, ſed &

D *Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.*

Ecce ad quam tandem euehitur ſublimitatem oppreſſa innocentia. Tu eris, inquit Pharao, ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, uno tantùm regni ſolio, te præcedã. & uocauit eum lingua Aegyptiaca, Seruatorem mundi. E uinculis ſanè ferreis ad totius terræ Aegypti imperium ſublatus eſt Ioſeph. Quid Aegypti terram tantummodo memoro? uocauit, inquit, illum ſeruatorem mundi. Penè dixit Moſes: Hic erit Chriſtus Ieſus triginta argenteis uenditus, captus, infamatus, ab uxore regis, nempe ſynagoga, ad libidinem prouocatus, ob idq; iniurijs affectus, denudatus, diroq; in ligno occiſus, qui humatus inſuper ad eam tandem gloriam eleuabitur, ut ad dexteram Dei in cœleſtibus collocetur, Ieſusq; paſsim ab omnibus digniori quidem teſtimonio, quàm illud fuit Pharaonis, nuncupabitur.

Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret.

Sicut ſemetipſum, in hebræo eſt, ſecundũ ſuam uoluntatem. Signum nimirũ immenſæ illius tum ſapientię, tum poteſtatis. Propterea, inquit, ad illam euectus eſt dignitatem, ut illius parêrent dicto non ſolùm uulgò homines, uerumetiã ipſi Aegypti ſapientes & grandęui. Sunt qui legunt ex hebræo, ut uinciret principes ſecundum ſuam uoluntatem. Quare ſic Paraphr. Liberũ fecit illi etiam principes regni conijcere in uincula. quod ſanè ad ſummã illius poteſtatem attinet. Cætera uerò quæ ſequuntur, ad doctrinã & inſtitutionem, quam quidem cùm de politiori uitæ ratione, tum de unius Dei cultu & religione fuiſſe reor. Priorem tamen ſenſum magis probat Chaldæus. Interim autem paternam accerſiuit familiam:

Et ingreſſus eſt Iſraël in Aegyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham.

In Geneſis libro hæc omnia leguntur. Pater tuus, inquit Pharao ad Ioſeph, & fratres tui uenerũt ad te. Vocat Aegyptũ terram Cham, idcirco quòd Mitzraim filius Cham terram illam primus habitauit poſt diluuiũ, cui & patris impietatem inſeuit. Ideo cũ indignatione is debet legi uerſus. Et eſt ac ſi diceret: Tam ſancta familia

A familia impiſſimam ingreſſa eſt regionem. Iam illud ſuperfluum, dicam tamen ob rudiores, Iſraël & Iacob eandem præ ſe ferre perſonam: atq; his quidem duobus nominibus mirum quàm crebrò luſitent prophetæ, ut penè, ni aduertas animum, diuerſi appareant uiri, cùm unus tamen ſit, quo omnium fidelium multitudinem, rerum typo atq; umbra, ſæpenumero uolunt intelligi. Idem igitur erit, Iſraëlem ingreſſum eſſe Aegyptum, atq; Iacob terram Cham incoluiſſe.

Et auxit populum ſuum vehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius.

Firmauit uerbum, nihil aliud hîc uult, quàm, ſuperiorem illum fecit hoſtibus. Quanto porrò adaucti fuerint numero in Aegypto, ſic in Exodi libro legimus: Filij Iſraël creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, & roborati nimis impleuerunt terram. Vide poſtea quid de illorum ſenſerit robore Pharao: Ecce, inquit, populus filiorum Iſraël multus, & fortior nobis eſt. Verùm Deus, qui cuncta ſapientiſſimo moderatur conſilio, licet occulto & caliginoſo,

Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius.

Abolita quidem ab ingratiſſimis Aegyptiorum cordibus prima illa beneuolentiæ memoria, peſsimo incitantur odio contra Dei populum, fallacijsq; ac dolis pacem illam antiquam interturbãt. Verùm hæc, Deo autore, qui in ſuos interdum electos, imò planè ſemper, qui illos uexent, carnifices immittere conſueſcit, Venite, inquiunt, ſapienter opprimamus eum. Proinde toto hi errant cœlo, qui in Aegypto hac teterrima mundi, abſq; Aegyptiorum iniurijs poſſe uiuere opinantur. At illud ſumma animi conſolatione auditur, quòd Deus eſt, qui hæc fieri permittit: imò etiam noſtram ad probationem promouet, tantùm quæcunq; ille malorum immiſerit non deprecantes, æquo feramus animo, ſimulatq; compertiſsimum id iam eſſe poteſt, ne uolam quidem manus uerti poſſe abſq; Dei nutu: qui ne ſuis non preſtò eſſe iudicaretur,

Miſit Moſen ſeruum ſuum, Aaron, quem elegit ipſum, Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum,
B *& prodigiorum in terra Cham.*

Hæc litera parum aliter in hebræo habetur. Sic felix: Poſuerunt in ipſis uerba ſignorum eius. ut poſuerunt, ad Moſen & fratrem referatur: in ipſis uerò, ad Aegyptios. Hi itaq; ad illud ædendorum miraculorum munus electi, poſuerunt, edi derunt q; inter Aegyptios ſigna illa, ut à Deo audierant (id enim ſignificat, uerba ſignorũ) præſcriptis nimirum ab ipſo uerbis. Quare iuſsi & uocati, mirandas illas letalesq; intulerũt plagas Aegyptijs: & id ſanè in terra impia Cham, ac ſuperſtitioſa. Quæ quidem plagæ eæ fermè fuerunt. In primis enim

Miſit tenebras, & obſcurauit, & non exacerbauit ſermones ſuos.

Non eo, neq; omnes, quo æditæ ſunt ordine, cõmemorantur plagæ: uerùm nihil id ferè à contemplanda diuinæ bonitatis in ſuos uirtute & copia, nos retrahit. Parumper igitur ordine omiſſo, quæ in hiſtorijs potiſsimũ requirit ſpiritus, perueſtigemus. Exacerbauit, Hebræi plurali legunt numero, exacerbauerunt: ſeu, quod clarius erit, non repugnauerunt, Moſes nimirum atq; Aaron, uerbis eius, nempe Dei: hoc eſt, quicquid illis à Deo mandatũ fuerat, nõ refutarunt. Magna profectò ea fuit uis fidei, duos adhuc rudes homines potentiſsimũ illum regem offendere non eſſe ueritos. Quocirca non ſuperuacaneũ illud fuit dixiſſe, non repugnauerunt uerbis eius. Cæterùm de hac plaga ſcribit Moſes, quòd tetra adeò ac denſa fuit caligo, ut tribus diebus nemo uidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco, in quo erat. Tu uide myſteriũ: ubicunq;, ait, habitabant filij Iſraël, lux erat.

Conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occîdit piſces eorum,

Hæc prima fuit ultio. Eleuans, inquit, uirgam Moſes percuſsit aquam fluminis coram Pharaone & ſeruis eius, quę uerſa eſt in ſanguinem: & piſces qui erant in flumine, mortui ſunt: fuit ſanguis in tota terra Aegypti.

Et dedit terra eorum ranas in penetralibus regum ipſorum.

Hæc ſecunda fuit plaga, de qua ſic Moſes: Extendit Aaron manum ſuper aquas Aegypti, & aſcenderunt ranæ, operueruntq; terram Aegypti. Ex hebræo

C apertior eſt litera. Sic illi: Produxit terra eorum ranas, imò regum quoq; penetralia, ranas uidelicet produxere. Inſuper

Dixit, & venit cynomyia, & cyniphes, in omnibus finibus eorum.

Is uerſus duas continet plagas, ordine tamẽ uerſo: prius enim ponendæ erant cyniphes, cynomyia poſtea. quam uocem cùm muſcam caninam interpretentur, Hebræis tamen omne genus uolatilium, inſectorumq; uenenatorum ſignificat. Et uenit, inquit, muſca grauiſsima in domos Pharaonis, & ſeruorum eius, & in omnem terram Aegypti. Cæterùm cyniphes pediculi ſunt, unde morbus eſt pedicularis, morborũ omniũ turpiſsimus, & infamis. Aiunt enim noſtra etiam ætate iſtiuſmodi morbi genere interiiſſe Clementem VII. Pont. max. Nõnulli uenено cenſent. Mortalis erat, atq; propterea ſexcentis, ut cæteri quoq; ex uulgo homines, obnoxius miſeriis & ægritudinib. Tertia ea fuit ultio, de qua ſic legimus: Omnis puluis terræ uerſus eſt in cyniphes per totam terram Aegypti. Ad hæc,

Poſuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipſorum.

De hac ſanè ultione, quæ in ordine ſeptima eſt, ſcribit Moſes, quòd tantæ fuit magnitudinis, quanta nunquã antea apparuit in uniuerſa terra Aegypti, ex quo gens illa condita eſt. Cuiuſmodi uerò generis fuerit ignis ille totam incendens terram, puto fulgura, atq; alios è cœlo delapſos ignes extitiſſe, qui portentoſi magis tunc uiſi ſunt, quàm unquam aliàs.

Et percuſſit uineas eorum, & ficulneas eorum, & contriuit lignum finium eorum.

Hæc enim ad ſupradictam ſpectant ultionẽ. Tam quidem ingens ac grauis illa fuit procella & grando, ut omnem prorſus uaſtauerit agri decorem, in unum planè conuoluens exitium, & plantas, & arbores, illas maximè, quæ magis in delicijs habentur, ut uineę ſunt, ac ficus. Et demum, inquit, quicquid arborum intra Aegypti terminos inuentum fuit, depopulata eſt.

Dixit, & uenit locuſta, & bruchus, cuius nõ erat numerus, & comedit omne fœnum in terra
D *eorum, & comedit omnem fructum terræ eorum.*

Octauũ id fuit uulnus. Atqui, ne addamus lectori faſtidium, eademq; ſæpe repetamus, de hiſce infeſtis pratorum gramini, ac frugibus agrorum animalibus in LXXVIII. dictũ eſt pſalmo. De hac ultione ſic ſcribit Moſes: Mane facto uentus urens leuauit locuſtas, quę aſcenderũt ſuper uniuerſam terrã Aegypti. Et paulò poſt: Deuorata eſt, inquit, herba terræ, & quicquid pomorũ in arboribus fuit, quę grando dimiſerat. At tandem ad ultimum iam peruentum eſt exterminium.

Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.

Primitias uirtutis eorum, reddunt nonnulli ex hebræo: uoluntq; uirtutem hîc ſumi pro ui gignendi, quæ tunc conſumpta fuit in animantib. Verùm Paraphraſtes cum noſtro penè legit. Sic ille: Percuſsit omne primogenitũ in terris illorũ, præcipua omniũ laborũ, propter quę in agris colendis ſudauerunt. Felix utranq; recipit lectionem. De ultima hac plaga ſic diſſerit Moſes: Factum eſt in noctis medio, percuſsit dominus omne primogenitũ in terra Aegypti, à primogenito Pharaonis, qui in eius ſolio ſedebat, uſq; ad primogenitũ captiuæ, quę erat in carcere, & omne primogenitum iumentorũ. His itaq; mirabili ſtupendoq; oſtenſis portento, ſuos coëgit Deus, admonuitq; quid opus eſſet facto.

Et eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.

Onuſtos enim ſpolijs Aegyptiorum, ſuos uoluit educi Deus. Idcirco ſanctiſsimus fuit dolus ille & fallacia, quia domini id iuſſu factum: alioquí impijſsimum fuiſſet non obtemperaſſe. Quæcunq; imperat Deus, omnibus perfecta ſunt numeris. Iam illud admiratione dignum, quòd in tam ampla proficiſcentium multitudine, nemo, nec ſenes quidem decrepiti, aut in cunis uagientes, malè haberet. Non erat, inquit, in cunctis tribubus eorum languidus. Tunc quidem

Lætata eſt Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum ſuper eos.

Quis hîc ob tantam, tamq; ſubitam rerum immutationem, non obſtupeſcat? Nullo quippe adduci poterãt ſigno quamuis horrifico, Aegyptij, ut dimitterent

Dei

A Dei populũ: mox uerò acti plagis, ſuiſq; edocti malis, nõ ſolùm eos abire permiſerunt, uerumetiam ui multa, ut abirent, contendêre. Poſt uerò quàm receſſerunt, maximo affecti ſunt gaudio: ſi gaudium id dici debet, ingenti ab ęrumna & periculo, quò iterum in peiora deuoluantur, ereptos improbos. Non poterant, inquit, fermentari, cogentibus exire Aegyptijs, & nullam facere ſinentibus moram. Interim autem è cœlo pater

Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, vt luceret eis per noctem.

Iam hîc primùm perpulchra baptiſmi oſtenſa fuit imago, quam Paulus rudem ueluti gemmam è lapillis marinis colligens ſecernensq;, aiebat, Omnes in nube baptizatos eſſe. De qua quidem nube perdiu obſcura, noctu uerò lucida, ſic ſacra habet hiſtoria. Dominus præcedebat eos ad oſtendendum uiam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. Vides quomodo nullo unquã tempore ſuis non præſtò adeſt Deus? Siue enim æſtu carnis, aut ſuperbiæ, liuoriſq; incendio tanquam infeſtis ſolis radijs exuruntur pij, refrigeriũ habent ſpiritus, qui ſuæ dulciſſimæ conſolationis umbra & nube, noſtrum contemperare ſolet ardorem, imò extinguere: rurſusq; ſi frigido cordis affectu tanquam udis lunæ radijs, in Deum illos ferri contigerit, eundem ipſum non auerſantur ſpiritum, ſed limpidiſsimum ueluti lumen, facemq;, aut ignem potius ardentiſsimũ, etiam uſq; ad oſsium medullas admittunt: quo animati, è tetra gelidaq; noctis obſcuritate in ſuum demigrant conſolatorem, qui lux de luce eſt æterna, ignisq; conflagrans, cuius nomen Amor eſt.

Petierunt, & venit coturnix, & pane cœli ſaturauit eos: dirupit petram & fluxerunt aquæ, abierunt in ſicco flumina.

De iſtiuſmodi diuinæ prouidentiæ erga ſuum populum ſignis, in pſalmo alio eſt dictum: Cùm eſuriret populus, obmurmuraretq; in Deum, data eſt coturnix,
B pluitq; de cœlo manna, panis nimirum in aëre angelorum miniſterio formatus. Ad hæc, pro illorum potu ſciſſa eſt petra, ex qua copioſæ adeò fluxerunt aquæ, ut inſtar fluminis in aridas delaberentur ſolitudines.

Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui, quod habuit ad Abraham puerum ſuum.

Nihil enim tam libenter inculcat ſcriptura, quàm quòd Deus, quæcunq; olim contulit beneficia, conferatq; continuè, ea omnia naturali ſua motus bonitate, nõ hominũ ſtudio, aut arbitrio, impartiri uoluit. Et ut rata magis (ô qui hîc pudore non confunditur?) ut rata, inquam, magis ſua eſſet uoluntas, hæc omnia promiſit patribus, firmauitq; iuramento. Ipſe uerò ea præditus eſt natura, ut fallere nequeat. Quocirca, quæcunq; olim pollicitus eſt, conſtantiſsimè, etſi interdum ſecus appareat, ſeruat. Percuſſo itaq; fœdere cum fidei parente Abraham, illa fuit conditio, quòd Deus continuus fidusq; eſſet hominis cuſtos ac defenſor, homo autem illius eſſet iuſsionibus adeò obſequens, ut nihil eo prius coleret & amaret. Deus enim in ſua perſtat fide, nihilq; nõ obſeruat: homo uerò abiecit conditum, ruptaq; promiſsionis ſyngrapha, negauit acta. Verùm Deus, quæ optima illius eſt natura, non periurum rebellemq; inſectatus eſt odio, ſed blandè etiamnum, eorũ memor quæ pollicitus eſt, illum reuocat, allicit, quærit, retrahit. Hinc ideo, nempe à uaſtiſsimo clementię Dei pelago, ortum habuit, quòd aſsiduis affecti fuerint Hebræi cœlitus donis, etſi quamplurimũ murmurãtes in benefactorem, donatoremq; ipſum unà cum donis faſtidientes. Non fuit ulla unquã ætas, quin homines Dei clementiam flagitijs atq; impietate uincere conniterentur. Secus uerò Deus, qui nihil tam optat, quàm ut ſeruemur, in ſuo manet conſilio, pactumq; inuiolatũ uult eſſe, decreuitq; uel obluctantem nõ auerſari animam, quoniam memor fuit, eſtq; continuò, uerbi ſancti ſui, pactiq; initi cum Abraham ſuo & ſeruo & amico. Ergo præludia illa noſtræ fidei ac religionis tunc primũ in Hebræis demonſtrans, fouensq; beneficijs, ita ſe habuit, ut dixi, Deus.

Et eduxit populũ ſuũ in exultatione, et electos ſuos in lætitia. Et dedit illis regiones gentiũ, et labores populorum poſſederunt. Vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant. Halleluia.

C Alterius quidem generis fuit gaudium, quo affecti ſunt Hebræi, quàm illud quo Aegyptij in profectione eorum. A metu quidem atq; horrore plagarũ, orta eſt Aegyptiorum lętitia: Hebræorũ uerò à religione, atq; grata in benefactorem uoluntate: quę tametſi in rudioris uulgi turba penè ſtatim interierit, in ſapientioribus tamen ſyncera manſit. Verùm illud forſan non tam compertum, quarum rerum cauſa, nobiliſſima illa oſtenſa fuerint beneuolentiæ diuinæ ſigna in ingratũ populum, rebellem, contumacẽ: harum nimirum, ut reſipiſcerent, ut Deum quęrerent, amarentq;, & in ſignum amoris cuſtodirent iuſtificationes eius, ſtatuta ſcilicet, ritus, cęremonias, ac legem tandem eius exquirerent, è qua humana omnis deſcendit iuſtificatio, quæ eſt lex ſpiritus. Ac demũ præcipuum illud eſt amoris, ueræq; pietatis indicium, cuncta, quæ iuſſit dominus, abſq; cunctatione exequi, req;, haud uerbis ſolùm, præſtare. Cui laus ſit in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. CVI. Halleluia.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Ex inſcriptione pſalmi, quid ſibi uelit ſpiritus, cognoſci poteſt: laudandum ſcilicet eſſe Deum, quæcũq; obueniant. In alio pſalmo ſic de ſe teſtatur Vates: Benedicam, inquit, dominum in omni tempore. Cęterùm nulla re alia tam ardenter noſter in Deum amor accenditur, quàm ſi ſeduló diligẽterq; illius in nos beneficia mente pertractemus, uoluamusq; animo noſtras in illum offenſiones, rurſusq; illius in nos bonitatẽ, qua nos feliciſsima quadam urget contentione, ſuperareq; nititur. Nos quidem nequitia atq; improbitate armati, cum illo concurrere uelle palàm oſtentamus: ille contrà, clementia ac lenitate. Hæc fermè in toto hoc pſalmo uidere licet, dum patrum ingratitudinẽ diuinis opponit muneribus ac beneficijs. Verùm à Dei laudibus ſuum ordiẽ pſalmum propheta, typus nimirum Eccleſiæ Chriſti, cuius perfectiſsima ea eſt imago & facies, pura in Deum fides. Confitemini domino quoniã bonus, quoniam
D in ſeculum miſericordia eius. De confeſsionis uoce, quæ Dei præ ſe fert laudes, diximus aliquoties. Quam ob cauſam laudandus ſit Deus, ſtatim addidit: Quoniam, inquit, bonus, quoniam beneficus, quoniam æterna illius eſt miſericordia, non temporaria, citoq; deſitura, ut ea eſt hominũ. Vtcunq; hi tamen fidem frangant, pactaq; uiolent, ſuo ſtat nihilominus Deus ſtabilis infractusq; cõſilio ac uoluntate, quæ eſt, ut animas quãlibet rebelles & inquinatas ad ſeſe reuocet, ſibiq; recõciliet, atq; in nouã refundat formã. Vnde, oro, tam amplus proceſsit Dei amor ad animã peccatricẽ, cũ nullũ inter eos ſimilitudinis extet ſymbolũ? Nil ſanè tali anima turpius poteſt inueniri, Deo aũt nihil ſanctius. Quare tota hęc diſsimilitudinis atq; inęqualitatis coitio & cõcordia, à diuina profecta eſt clemẽtia, quę ęterna eſt, & certa, licet forſan noſtrã ob ingratitudinẽ nobis incognita. Proinde

Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius?

Stupet hîc anima, planeq; in cœleſtiũ rerum conſideratione retunditur: quodam enim audaci conceperat motu atq; effectu, ſe poſſe aliquando Dei omnes enarrare operationes, indeq; ſuam laudandi illius nominis auſpicari materiam. Verùm cùm ſe impoſsibilia conari præuidet, in iſtiuſmodi prorumpit ſtuporem. Quis, ô, tam altè raptus inuenitur, qui cuncta Dei opera, potentiamq; illius infinitam, qua condita uniuerſa ex nihilo olim effecit, nunc tenet, permeat, moderatur, ſeruat, plenè, ut res ipſa poſtulat, eloqui unquam poterit? quis cuncta, unde ipſe laudari debeat, recenſebit? quis demum inenarrabilia enarrare tentabit? Sat ſit igitur quod hîc à ſpiritu dici uideo:

Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore.

O felices, inquit, illos, qui iuſtè adeò ac rectè ſuam inſtituunt uitam, ut ex Dei præſcripto ac lege uiuere meritò dicit queant. Iudicium enim ad uitam bene rectęq; ordinandam attinet: iuſtitia uerò ad effectum magis fidei, Deiq; timoris, unde ortum habet ſapientia, referri debet. Qui certè iſtiuſmodi ornati ſunt uitę partibus,

A tibus, ſuaſq; ad illas diſponunt operationes, perfectiſsimi omniũ ſunt, etſi forſitan in diſquirendis Dei ſecretis tardi & hebetes. Quocirca ad aſſequendos Dei afflatus, inſpirationesq; illas, quarum ui cor in Dei amore comburitur, pura opus eſt fide, uitaq; in Dei lege apprimè informata, ne nos nobis neſcio quæ confingamus operationum auxilia, ſancta ea quidem, ſed quibus nihil fidere debeamus. Sunt enim ſcalæ gradus ualde debiles, noſtro quę ſolummodo proficiſcuntur ab arbitrio operationes, nempe abſq; gratiæ clauo ſuffixæ: quo ſanè remoratę, mirũ quantum in alteram priori diſsimilem tranſmigrent ſpeciem: ex ſordidis enim mundiſsimæ efficiuntur. Verùm quoniam rem hanc tua à uoluntate, ô Deus, atque arbitratu deſcendere non ignoramus,

Memento noſtri domine in beneplacito populi tui, Viſita nos in ſalutari tuo.

Hæc eſt totius fidei noſtrę ſumma, huc noſtrę omnes tendunt precationes, ſtudia, labores, ut Dei fiat uoluntas. Caſſæ nimirũ ſunt ac uanæ ſupplicationes, quæ tali non nituntur conſilio, contra ſanè illorũ morẽ, qui cùm orant ferè indignantur, niſi ſuæ ſe Deus confeſtim attemperet uoluntati, temerariæq; nonnunquã obſecundet precationi. Hi profectò de more ſunt, qui ex meritorũ operationumq; numero & aſsiduitate, Deum ſibi promereri poſſe arbitrantur. Humiliauimus, inquiunt, animas noſtras, & non aſpexiſti. Sanctæ quidem operationes ideo ſanctæ ſunt, quia à Deo proficiſcuntur, hoc eſt, ex mera Dei uoluntate proueniũt. Senſus igitur is erit: Memor ſis quæſo noſtrî, ô domine, eoq; nos proſequere fauore ac gratia, qua tuũ proſequi populũ conſueſcis. quid? Inuiſe nos tandem, qui noſtris offenſus reatibus procul aberas indignabũdus, tuamq; nobis impartire ſalutem. Quod ſi feceris, non quia ſic meruimus, feceris, ſed quia tu ſic uis, & imperas:

Ad Videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, Vt lauderis cum hæreditate tua.

Inuiſe nos, inquit, haud flagello quidem & ſeueritate, ſed ſuauiſsima tua, qui
B Chriſtus eſt, refocilla ſalute, quò tuis uideri poſsit bene cuncta ſuccedere, atq; illorum uotis reſpondere: facq; me illo frui bono, quo hi fruuntur, quos tu, ut tui eſſent, de mundo elegiſti, ut eo gaudeam lætitiæ genere, quo gentes, quæ ſuum tibi dederunt nomen, gaudere ſolitæ ſunt: atq; ita ab una ex multis diuerſorũ morum hominibus conflata ſorte atq; hæreditate, tibi gratiæ habeantur, lauderisq;, ut tua ritè depoſcit maieſtas. Felix ex hebræo ſic uerſum transfert: Vt reſpiciam in bonitate electi tui: ut læter in iuſtitia gentis tuæ: ut laudem cum hæreditate tua. Puto hîc electum Dei Chriſtum eſſe, in cuius bonitate ac meritis reſpiciendum eſſe à ſpiritu admonemur. Si quidem boni aliquid è nobis prodire contigerit, id totũ Chriſto condonandum eſt. Totum dico, ne dum partim noſtræ, partim ipſius concedimus bonitati, ſordidũ fiat ac uenale, quod alioqui totum datum Chriſto purum erat, atq; illius gratia & bonitate noſtrũ. Vis ne dicam quid boni à nobis expectari poteſt?

Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.

Illud ferè Apoſtoli hîc mihi audire uideor: Omnes, inquit, peccauerũt, & egent gloria Dei: hoc eſt, cruce Chriſti, ac morte, quæ Dei præcipua gloria eſt. de qua quidem ſic diuus ait Chryſoſtomus: Omnis gloria Dei, & omnis ſalus hominum in Chriſti morte eſt poſita. Peccauimus (inquiunt etiam perfectiſsimi uiri) cum omnibus qui ante nos fuerunt patres. Vide exaggerationem: peccauimus, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus, hoc eſt, multifariã iniquitate maculati, ſceleratè uiximus: ſi tamen uita eſt, in peccatis uiuere, & non potius periculoſiſsimum mortis genus, certuſq; interitus ac damnatio. Hæc dicunt (opinor) à Dei ſpiritu edocti. Secus alij: O ſi, inquiunt, fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum. Heu quàm impij fuerunt hi, qui occiderunt Chriſtum, qui Apoſtolos perſequuti ſunt, qui martyres tam ſæuè contrucidarunt. Nos certè, noſtriq; ordinis uiri ſanctis incumbunt actionibus, uirtutibus, eleemoſynis, neminem lędunt, nõ occîdunt, non ſcortantur, non

C alienas, ut hi uulgò impuri, uſurpant uxores, nõ furantur: ieiunamus, affligimur, ſanctiſq; operam nauamus exercitijs, nihil non agimus, quò ex hominibus tandem dij efficiamur. Audio, laudoq;, modò ſynceri ſint affectus, nempe ab amore proprio, odioq; alieno, ab auaritia, à dolo, à nequitia, à liuore, à faſtu, à libidine demum inteſtina, atq; ultionum rabie, liberi ſint. Quàm facilè deludimur, quám ue libenter falſa nos decipi perſuaſione patimur. Verùm propoſitum non deſerentes inſtitutũ, dicamus, fateamurq;, quòd ſemper, uel à pueris, iniuſtè egimus, quòd iniquitatem fecimus, quòd

Patres noſtri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ, & irritauerunt aſcendentes in mare, mare Rubrum.

Is unus eſt uerſus Hebræis. Iam incipit peccata patrum enumerare, contra itidem perpetuã Dei in illos benignitatem, quò è ſpeculo ueluti nitidiſſimo queat perſpici, quàm ingrati ſemper extiterint homines, & hi quidem qui maximis affecti fuerant beneficijs, ut Hebræorũ fuerunt patres, qui non ſolùm in Aegypto, cùm ab incolis opprimerentur, uerumetiã ad mare Rubrum, imò in medio ipſo mari, deſerto quoq; ubi manpluerat, murmurauerunt, de Dei potentia ſubueren tes, palamq; Moſen, ductorem nempe illorum tam manſuetum, acerbè nimium reprehendentes. Quid ſceleſtius unquam auditum fuit? quid illa uoce turpius? Melius nobis fuiſſet ſeruire Aegyptijs, quàm mori in deſerto: diſcede à nobis, ut ſeruiamus Aegyptijs. Hi quidem minimè ex animo, quæ pro ſe geſta fuerant, intellexerunt, ſerioq; expenderunt: quin potius horum omnium immemores facti, amplam tuæ miſericordiæ abundantiã à mente proiecerunt ingratiſsimi, atq; in mari, in mari (inquam) ipſo Rubro tam ingenti exiccato miraculo, nefandiſsi mè rebellarunt. Tu tamen habita tui magis nominis atq; honoris ratione, quàm quòd eorum peccata depoſcerent, ſeruaſti eos, ut hinc atq; hinc paſsim, reiq; ipſa tuam demonſtrares omnipotentiã. Quare de te tunc ita teſtatus es, ô immẽſe, di-
D cens: Et ſciant Aegyptij, quòd ego Dominus, cùm glorificatus fuero in Pharaone. Peſsimè quidem res noſtræ haberent, ſi Deus noſtris irritatus peccatis, dignas pro meritis inferret plagas: non eſſet qui diu uiueret. Illorum itaq; etiam reluctantium curam habuit,

Et ſaluauit eos propter nomen ſuum, vt notam faceret potentiam ſuam: & increpuit mare Rubrum, & exiccatum eſt, & deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto.

Mira res: nam mare increpito, atq; ſubinde exiccato, illa per undas, profundiſsimasq; aquarum uortices & abyſſos complanata perinde fuit uia, atq; ſi per planitiem in deſerto, loco nimirum arenti ac ſiticuloſo, inceſsiſſent.

Et ſaluauit eos de manu odientium, et redemit eos de manu inimici, & operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remanſit.

Ita in Exodi libro legimus, quòd fugientibus Aegyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos dominus in medijs fluctibus, nec unus quidem ſuperfuit ex eis. Præclara hîc norma oſtenditur fidei, qua ſanctiſsimè admonemur, nullam poſſe eſſe hominis artem, atq; in declinandis improborum inſidijs prudentiã, niſi Deus ſit, qui nos, noſtramq; innocentiam de manu hoſtili, ferociaq; illorũ, qui nobis male uolunt, eximat, atq; in eorum caput, quicquid inſidiarum moliti fuerant, retorqueat: ut certè quotidianis (ni prorſus ſtupidi ſumus) uidemus exemplis retorqueri. Illud nihilominus conſolationi non paruæ nobis debet eſſe, quòd Deus integrè adeò fæcem iſtiuſmodi demoliri ſolitus ſit, ut ne odor quidem ſuperſit ullus. Vnus, inquit, ex eis non remanſit, quin interiret.

Et crediderunt verbis eius, & laudauerũt laudem eius. Citò fecerunt, obliti ſunt operum eius, non ſuſtinuerunt conſilium eius.

Quid ſibi uult, Citò fecerunt, uixdum intelligo: niſi fortè ad uitulum, quem ſibi fecerũt in Oreb monte, cultum nimirum ab Aegyptijs, qui boues colere conſueuerant, edocti, referas. Hebræis eſt, accelerauerunt, ſeu aliquid ſimile: & eſt uox de incredulis dicta, qui cùm ſtatim non uident quæ Deus pollicitus eſt, non credunt,

A credunt, cùm tamen ſcriptum ſit in Eſaia: Qui credit non feſtinet. Idcirco à Vate additur: Oblitiſunt operũ eius. Heu fidem debilem & nutantem. Non ſuſtinuerunt, inquit, ut faceret, quod facere inſtituiſſet: præuertere quodammodo adnixi ſunt Dei conſiliũ. Quis ſcit, clamabant, an Deus ſit in nobis, uel ne? Vide illorum leuitatem. Viſo quidem concreti maris portento, atq; hoſtium internecione, crediderunt uerbis eius, laudesq; illius cecinerunt. Mox uerò, ac ſi nulla unquam experti fuiſſent beneuolentiæ ſigna, ne expectato quidem triduo, quod à traiectu maris ad Maraath aquas interceſſerat, Moſen obiurgati ſunt dicentes: Quid bibemus? Plena ſunt ſtomacho uerba hęc: proinde infertur, Et murmurauit omnis congregatio filiorum Iſraël contra Moſen & Aaron in ſolitudine.

Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto, & tentauerunt Deum in inaquoſo, & dedit illis potionem ipſorum, & miſit ſaturitatem in animas eorum.

Inaquoſo pro ſolitudine poſuit, loco utiq; arido, & abſq; irriguis aquis. Illud quoq;, miſit ſaturitatem, ex hebręo uerti poterat, miſit maciem, ſeu tabem, in corpus eorum. Campenſis uerò mortem reddit. Mulctauit, inquit, morte gulam illorum. Quanquã ſaturitatẽ ad illorũ infamiã puto poſitam, & eſt ac ſi dixiſſet, uſq; ad uomitũ impleti ſunt. Id genus concupiſcentiarũ fuit, quando Man faſtidientes dixerunt: O quis dabit nobis carnes ad ueſcendũ? Recordamur piſciũ, quos comedebamus in Aegypto gratis. In mentem ueniunt (en ocioſæ mentis naufragium) cucumeres, & pepones, porriq;, & cepæ, & allia. Datæ igitur ſunt carnes, adducteq; maxima copia coturnices. Verùm adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor domini concitatus in populum, percuſsit eum plaga magna nimis. Et ſic, æquiſsimo libramento, miſit pro pinguedine maciem in animas (animas pro corporibus hebraiſmus ponit) eorum: nam qui relicto Dei cibo, carnibus ſaginari concupiuerãt, longè diuerſa, quàm optauerant, affecti ſunt compenſatione. Macie quidem & pallore conſumpti, meritas dederunt pœnas.

B *Et irritauerunt Moſen in caſtris, Aaron ſanctum domini. Aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron. Et exarſit ignis in ſynagoga eorum, flãma combuſsit peccatores.*

Interitus Dathan & Abiron, qui ſeditionẽ contra Moſen concitauerãt, in Numerorũ libro fuſè admodũ deſcribit: hi enim tumidiſsimo ambitionis uento inflati (uide ambitioſorũ morem) populũ illum aura leuiorem, in ipſum ducem atq; Aaron, Aaron (inquã) ſanctum domini, & ſacerdotẽ, adeò acerbè exuſcitarũt, ut penè omnes ab eis deſciſcerent. Verùm Deus, qui tametſi ad tempus ambitioſorum faſtum atq; arrogantiã, ad bonorũ profectũ tolerare uideat, finẽ tamen illorũ infortuniis ponere cõſueſcit, eo maximè tempore, quo ſe derelictos ſuſpicant, iuſsit, & dirupta eſt terra (ut ſacra refert hiſtoria) ſub pedibus eorũ, & aperiens os ſuũ deuorauit illos cũ tabernaculis ſuis, & uniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntq; uiui in infernũ operti humo. Synagogã uocat illorũ multitudinẽ, qui conſpirauerãt cum Dathan & Abiron: de quorũ plaga legimus, quòd ſeptingenti ac millia hominũ XIIII deſiderata ſunt, abſq; illis qui perierant in ſeditione Choræ. Sunt qui ſynagogã ad uiros illos referãt ſeditionis autores, qui primarij in ſynagoga cõcilij tẽpore, ut ſacri habent annales, per nomina uocabant. A ſuperiorib. itaq; populi (ut nũc etiã eſt uſus) illa orta eſt ſeditio, & cõiuratio. Neq; ſatis illud fuit: nam nullo affecti metu qui ſuperfuerãt, iterũ à dño deficere conati ſunt.

Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt gloriã ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.

Horrendum uituli conflati ſcelus memorat: impium ſanè illud, ac multis omnino modis Dei populo ac religione indignum. Aſpice in quàm immanem ruimus interdum, ob nimiam noſtri confidentiã, errorem. Relicto quidem Dei cultu, fracto q; iuſiurando, ac rupto fœdere, uitulum Aegyptiorũ ritu ex ære arteq; fuſoria conflatum erexerunt, clamantes: Hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Cæterùm Oreb, ſeu Choreb, Sinai mons eſt, in quo tum Mo-

C ſes duas legis accepit tabulas, quas tamen in montis deſcenſu cùm choreas chorosq́ audiſſet cantantium coram uitulo, fregit indignabundus. Illi autem interim gloriam magni Dei, incomprehenſibilis, incorruptibilis, immortalis, cuius maieſtate redundant omnia uiuuntq́, numine illo ęterno agitata, cuius uirtutem non ita pridem ſenſerant: eam, inquam, gloriam tam admirandam, commutauerunt non tam in uitulum, quàm in ſimilitudinẽ uituli, nempe æreí, muti, atq́ omnino ſine ſenſu ac uita. O ingratos, quàm citò quidem

Obliti ſunt Deum, qui ſeruauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.

Ferunt execrabilem illum uituli cultum auari imaginem adumbraſſe, cuius Deus aurum eſt, & argentum. Mirum quàm generatim in id culturæ prolabantur noſtri æui principes ac prælati: nihil enim ita aſſiduè auditur, quàm auri nomen, aut utcunq́ corraſarum exactionum & uectigalium, addo & mutuandarũ pecuniarum uis, ac minę. Ego potius ſcortatoribus, uarijſq́ libidinũ monſtris inquinatis, uitulũ illum præluſiſſe arbitror. Vnde illud eſt, quòd inauribus armillisq́ aureis mulierum coaceruatis, formam illam conflarunt deteſtabilem: obliti quippe rerũ illarum, quæ ſtupendiſsimo in eorum gratiam geſtæ fuerant miracu lo in Aegypto Dei manu, qui toties ſeruauit eos: mira item illa in terra ſacrilega atq́ impia Cham: ac demum in mari Rubro terrifica alia & portentoſa, ex animo abijcientes, in illud impietatis genus collapſi ſunt, ut adorarẽt pro Deo uiuo mutum bouis ſimulachrũ. Quid aliud ab his, qui Deum iam contempſerant, agi potuit? Verùm Deus iam toties laceſsitus, mutauit, ut ſic dicam, mentem:

Et dixit, Vt diſperderet eos, ſi non Moſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius, Vt auerteret iram eius ne diſperderet eos.

Confractionem uocat Vates diuulſionẽ illam, defectionemq́ populi à Deo,
D cuius reconciliationis autor fuit Moſes: de quo legimus, quòd reprehenſo populo, taliq́ caſtigato, ob uituli adorationẽ, elogio, Peccaſtis peccatum maximum: illud adiecit, Aſcendam ad dominũ, ſi quo modo quiuero eum deprecari pro ſcelere ueſtro: reuerſusq́ ad dominum, ait: Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi nõ facis, deleme de libro tuo, quẽ ſcripſiſti. Tanti porrò uiri lachrymis placatus Deus, in illam tandem prorupit amoris notam: Dimitte me ut iraſcar contra eos: ex te enim, ne dubites, prodire facią gentem magnam. Dixerat quidem haud ſemel Deus, ſententiaq́ firmauerat, ſe populum illum contumacem funditus euerſurũ. Et feciſſet, ni Moſes, tantus nimirũ homo, tam Deo charus, tam ſui gregis amantiſsimus, (quod noſtri uix ſufferunt audire paſtores) obſtitiſſet, in medioq́ ipſo uaſtationis incendio ſtans, Dei iram ſedaſſet, req́ effeciſſet, ne illos omnino diſperderet. Fuit ea Chriſti mediatoris umbra, qui ſolus factus eſt Dei atq́ hominum mediator, diruitq́ maceriem inimicitiarum, ut inquit Paulus, atq́ odiorum, quæ inter hominem, atq́ illius creatorem interceſſerant. Spreuerunt illi quidem ſuum benefactorem,

Et pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.

Terram auream, terram opimam, terram in qua beneplacitum fuit Deo habitare in ea. Permagnũ certè illud fuit ſignum infidelitatis, terram illam tanto deſiderio expetitam, à Deoq́ toties promiſſam, contempſiſſe. Tum uiſus eſt Deus contemni. Quocirca additur,

Non crediderũt Verbo eius, & murmurauerũt in tabernaculis ſuis, nõ exaudierũt Vocẽ domini.

An murmurauerint inter ſeſe tumultantes, teſtis ſit Deus, qui de illorũ perfidia cũ Moſe atq́ Aaron expoſtulans, ait: Vſquequo multitudo hęc peſsima murmurat cõtra me? Vide, mi lector, ſeditioſorũ morẽ, ac ſtrepitũ. Conſtituamus, inquiunt, nobis ducẽ, & reuertamur in Aegyptũ. Vtinã mortui eſſemus in Aegypto, & nõ in hac uaſta ſolitudine. Peſsimi omniũ, nõne melius emori potius in ſolitudine, tutore Deo, q̃ Aegyptijs ſeruire? Nõ paruerũt, inquit, mandatis eius, fidẽq́ illius dictis minimè adhibuere: quare iratus, de illis pœnas omnino ſumere conſtituit. Et ele-

A *Et eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos in deſerto.*

Solet enim qui grauiter ferire quempiã adnititur, manum in ſublime, quò fortius percutiat, extollere. Vnde uolens hîc Vates iuſtam Dei fuiſſe ultionem, grauiſsimumq; illorum peccatũ oſtendere, facit illum acrius in uerbera inſurrexiſſe. Sic Paraph. Quare tanquam grauiter percuſſurus extulerat in altum manus ſuas cõtra illos, ut proſterneret illos in deſerto. Alius ex hebræo uertit: Stringebat manum ſuam in eos. Alij rurſus uolunt per manus eleuationem iurantis morem exprimi, qui cùm iurat, manum in altum tollere conſueſcat: & eſt perinde, ac ſi dixiſſet: Iurauit ſe illos in ſolitudine proſtraturum. Non diſplicet quoq; quod alij hûc afferunt. Eleuauit, aiunt, manum ſuam more illorum, qui idcirco minantur, ne percutiant, ut hi faciunt, qui rei cuiuſpiam confeſsionem expiſcari conantur. Comminatus eſt itaq; Deus ſe illos ſubuerſurũ, niſi ad cor redijſſent. Solet quippe diuina bonitas uarijs uti medelis, ac ad ſanandam animã remedijs. Rogat interdum, admonet, minatur quoq;, ut hîc uides populo illi ſuo tam charo cõminatum eſſe, ſe illum penitus deſtructurum.

Et vt deijceret ſemen eorum in nationibus, & diſpergeret eos in regionibus.

Verùm nihil id propémodum: nam nullis commoti minis aut plagis, ſua in pertinacia perſtitere.

Et initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum.

Quomodo, quóue tempore id actum ſit, quòd eorum ſemen per regiones diſperſerit gentium, tum crebra illorum exilia & captiuitates, tum nouiſsima melius teſtari poſſunt. Nullis quidem ſedibus affixi, illò de more properant, conglomerantur q;, quò uitæ cõmodum ac ſecuritas eos uocat. Acti nihilominus æquiſſimo Dei iudicio à bene inſtitutis regionibus ac ciuitatibus, non deſunt qui fugatos colligant, foueant q;, & turpiſsimũ in modum ad domeſticam admittant conſuetudinẽ, ad ludos ac choreas, ad thorum forſan. Nefas quidem execrabile. Sed
B hîc mihi tempero, ne me quiſpiam de mea hæc patria dicere ſuſpicaretur. Nullis itaq; permoti illi minarum terroribus ac flagellis, ſua in duritia permanſere, & initiati ſunt Beelphegor. Beel, ſeu Baal, cõmune erat deorum nomen apud priſcos idololatras Hebræis conterminos: & ſignificat magnum, ſeu dominum, ſeu etiã, ut alij uolunt, maritum. Vnde non abſq; ratione uerbum, copulauit, in principio uerſus poſitum uidetur. nanque ex hebræo ſic legunt nonnulli: Et copulati ſunt Beelpeor, aut phegor, ut legunt Græci, tanquã ſcorto, aut adulterę. quanquã uerbum initiandi belliſsimè hîc quadrare non ambigo, cũ ſit ſacris, aut re alia quoq; imbui. Hinc ſacra initia ab antiquis appellata myſteria, ob id, quòd his exagreſti quodammodo uita exculti homines, ad humanitatem formarentur. Cæterùm quid ſibi uelit Peor, non ita clarum: niſi fortè propterea, quòd in illius nominis monte apud Moabitas Bel (hunc Priapũ fuiſſe opinantur nonnulli) ſtatua coli conſueuerat. Quocirca non abſurda ea eſt Aben Ezræ opinio, qua aſſerit iſtud idcirco à Vate dictum, ad exprimendam turpem illorum conſuetudinẽ cum mulieribus Moabiticis. quæ cauſa fuit, quamobrem ſpurciſsimis Baalpeor contaminarentur ſacrificijs, quæ hîc Vates ſacrificia mortuorum appellat, hoc eſt, dijs mortuis, & nefandis conſecrata. Sic enim de infauſto illorum auſu in Numerorum libro legimus: Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ uocauerunt eos ad ſacrificia ſua, initiatus q; eſt Iſraël Beelphegor, tanquam re ſacra. Ex quo auerſi illi à Deo uiuo defecerunt,

Et irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis, & multiplicata eſt in eis ruina.

Adinuentiones uocat illorum conatus & ſtudia, quibus offenſa Dei maieſtas alia atq; alia exaggerauit illis mala: ſed in primis multa illos peſte uexauit. quod noſtra habet æditio, ruina, Hebræis eſt peſtis: etſi ruinæ quoq; uox ad peſtis effectum referri poteſt. Quid tantum unquam ruinę ſecum traxit inter mala, inuexit q; uulgò, quantum latè ſparſa peſtilentiæ lues? Verùm non diutius ſæuiſsima illa in plebem debacchata eſt ultio. Etenim

C *Stetit Phinees & placauit, & ceſſauit quaſſatio.*

Placauit, ex hebræo uertunt, uindicauit: ſeu, ut uult Felix, Executus eſt iuſtitiam, nempe Dei zelo permotus. Aptiſsimo præterea uſus eſt uerbo, ſtetit: hoc eſt, ſe uirum præſtitit fortem ac ſtrenuũ, qui fornicarium Hebræum unà cum ſcorto Madianite, enſe inguini adacto transfodit. Plaga nimirũ, atq; ultio conuenientiſsima adulteris, ſcortatoribusq;, ac turpiſsimo uitio illi, cui (prò facinus execrandum) fauent nonnulli ex his, qui matrimonia deprecantur. Placato itaq; Deo ceſſauit peſtis, millibus tamen hominum quatuor ſupra uiginti deſideratis.

Et reputatum eſt illi ad iuſtitiam in generatione & generationem, uſq; in ſempiternum.

Quandiu enim ſuo in ſtatu perſtabit tempus atq; ætas, nulla unquam erit poſteritas, quæ Phinees zelum æquiſsimum fuiſſe non prædicet. Ita quidem de illo ſic conteſtatũ fuiſſe dominũ legimus: Phinees Eleazar filius auertit iram meam à filijs Iſraël, quia zelo meo cõmotus eſt contra eos. Ecce do ei pacẽ fœderis mei, & erit tam ipſi quàm ſemini eius pactũ ſacerdotij ſempiterni. Quid tali iuſtitia à Deo laudata fuit unq; ſanctius? quid beatius? Putas 'ne id Dei teſtimoniũ poſſe adeò exoleſcere, atq; ab hominũ memoria interire, quo minus perpetuum ſit, uiuatq; de generatione in generationẽ uſq; in ſempiternũ? Strenui igitur uiri illius æquitas, zelus, ac tandem præmiũ, æterna erunt, quia à Deo profecta, cuius hîc teſtimonio laudat. Sed quid paſſus ſit Moſes propter perfidiã populi, uideamus.

Et irritauerunt eum ad aquam contradictionis, & uexatus eſt Moſes propter eos, quia exacerbauerunt ſpiritum eius.

Aquæ miraculum, atq; iurgij occaſio contra dominum in deſerto Sin, notiſsima eſt in Numeris. Hîc non poſſum non ſupremũ in modum admirari dolereq;, ad tantam aliquando mentis infidelitatẽ, cordisq; inconſtantiã, potuiſſe Moſen, tam ſanctũ ſcilicet uirum deuenire, ut in elicienda Dei iuſſu è ſaxo aqua, nutauerit, uacillantiq; protulerit fide: Num de petra hac uobis aquã poterimus elicere? D Adeóne tantũ poſſunt murmuratorũ linguæ, ut Dei ſpiritũ in ſanctorum animis extinguant? aut ſaltem opprimãt? Poſſum id equidẽ, ut dixi, admirari, mecumq; ut de re nimium acerba conqueri. Veruntamen in hoc eximio & miſerabili ſanctiſsimi uiri exemplo coniectare libet, illud idem aliquando inter perfectiſsimos quoq; contigiſſe, contingereq; nonnunq; homines. Quamobrẽ colligendus eſt animus, ſi noſtrã interdum accidit labefactari uirtutẽ, pronamq; ad caſus infirmitatem, ſimulac cernimus primos illos patres, tam Deo charos, in nefandiſsimos prolapſos errores & peccata. Quàm porrò execrandum fuerit Moſis delictũ, ex uerbis Dei comprehendi poteſt, qui iratus cõtra illum ac fratrem, iſtiuſmodi promulgauit ſententiam: Quia nõ credidiſtis mihi (ecce infidelitas) & ſanctificaſtis me coram filijs Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Deum igitur ad iram concitauerunt murmuratores illi iuxta aquas contradictionis ac iurgij: nomen nimirũ aquis illis impoſitum à rei euentu, ubi male habitus fuit Moſes illorum cauſa, turbatusq; ſpiritu de Dei promiſsis hæſitauit. Vnde additur: Quia exacerbauerunt ſpiritum eius,

Et diſtinxit in labijs ſuis.

Planè, inquit, perturbauerunt illius animum, idcirco dubijs uerbis loquutus eſt dicens: Audite increduli & rebelles, num de petra hac uobis aquã poterimus elicere? In mentem tam pijs fratribus tunc uenit populi perfidia, crebręq; in Deũ iniuriæ, & offenſiones. Ideo ueriti ne ipſe populi impietate laceſsitus negaret aquas, nutanti tum fide, tum ſermone, uerba illa indignabundi protulere. Cuius quidem rei illud fuit indicio, quòd bis, anteaquã exirent aquæ, ſatisq; populo faceret, icta fuit ſilex. Eam ob rem à promiſſæ terræ ingreſſu prohibiti fuere. Atqui maximũ illorũ fuiſſe delictũ, penè ratio demonſtrat: ſiquidẽ nihil illis contingere potuiſſet acerbius. Spe igitur illa fruſtrati, unà cum cæteris diffidentiæ filijs,

Non diſperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.

Imò ipſi diſperſi ſunt, atq; ab alijs captiui abducti. Vide quid illis per angelũ cõmina-

A cõminatur Deus. Noluiſtis, inquit, audire uocem meam, ut non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorũ ſubuerteretis, quamobrem nolui delere eos à facie ueſtra, ut habeatis hoſtes, & dij eorũ ſint uobis in ruinam. Mirum quanta animi leuitate affecti fuerint Iſraëlitæ, qui una ferè hora & Deo immenſo & dæmoni turpiſsimo nomina dederint: fracto quippe fœdere cum Deo, aliam ſua ſibi ſponte aſciuere religionem.

Et cõmixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum. Et immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs.

Id ſcandalum fuit, atq; in quod, ut meriti fuerant, impingerent offendiculum, quod cõminatus eſt Deus dicens: Et dij eorum erunt uobis in ruinam. Cæterùm liberorum ſacrificiũ Moloch à gentibus illis turpiſsimo celebrabatur ritu: quod execrãs dominus in ſuis, ſic lege ſanciuit: Si quis dederit de ſemine ſuo Moloch, morte moriatur. Hunc putant nonnulli Saturnũ fuiſſe. Nefandiſsimũ ſanè & crudele illud fuit ſacrificij genus, in quo pater liberos, & hos quidem reluctantes, cœlumq; ipſum clamoribus implentes, excutientesq; à collo ui multa gladiũ aut ſecurim, ad cruentas idolorum aras immolarent: atq; ita iugulatis filijs, in chariſſima inuenti ſunt deſæuiſſe pignora, belluis ipſis immaniores.

Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan.

Iſtuc impietatis cõmentum in terra Chanaan ortum habuit, quo Dei populus miſerandum in modum oblectatus, ad tantam animi crudelitatem prolapſus eſt, ut teneros, uagientesq; in cunis filios, iugulauerit, terramq; innoxio cruentauerit ſanguine. Vnde additur:

Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum, & fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis.

Quòd ex noſtris quidam legunt, Et interfecta eſt terra, error eſt propter litera
B rum uicinitatem ortus. Nam de pollutione terræ è ſanguine oborta ſermo hîc fit, non de illius interfectione. Viſa tunc eſt tellus, illam execrata abominationem, purum illum cruorem infantium ingratis hauiſſe. Senſit quodammodo tam dirum factũ, ſceluſq; tum uix auditũ in terris, inuita, quaſiq; ingemiſcẽs abſorbuit. Et fornicati ſunt, inquit, tanq; adulterę legitimo cõtempto uiro, ſuis in operationib. ſtudijſq;, ac ad ſuam ipſorũ perniciẽ adinuentis cõſilijs. Plebs quidẽ illa Deo uno ueluti marito ſuam ſponderat religionẽ, ſed poſtea alios nacta amatores, Deo puriſsimo derelicto, ſpurciſsimũ idololatrarum ſequuta eſt cultum, & amorem. Sanguinibus, ex hebræo uerti poterat, ſanguine: niſi malis, ſanguinib. pro frequentibus ſanguinis effuſionibus intelligi. Quocirca excanduit ſupra modũ,

Et iratus eſt furore Dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam. Et tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum qui oderũt eos. Et tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati ſunt ſub manibus eorum.

Miſeranda ea fuit rerum mutatio, qui nuper à Deo protecti uicinas ferè omnes debellauerant nationes, mox ſua ipſorũ culpa à Deo proiecti, illis parêre coacti ſunt, qui capitali eos odio perſequebant. Execratus itaq; dominus populi ſui mores, quem ſuam olim eſſe hæreditatẽ, & hanc chariſsimã, quamq; præter cæteras adamaret nationes, iam ab æterno delegerat, mirũ in modum in tam turpem atq; impiã illius conſuetudinẽ exarſit, abegitq; à ſeſe. Traditi proinde ſunt in manus hoſtium, ſub quorũ imperio afflicti, miſerè illorum ſubiecti fuere tyrannidi. Ergo maximæ iræ Dei in populos indicium erit à tyrannis ſubigi. Siquidem ubi tyrannus eſt, ac regnat, ibi omnem malorum cumulũ ineſſe cogita. Atqui ut maiorem populi illius ingratitudinẽ exprimeret, facilitatẽ Dei parentis oſtendit.

Sæpe, inquit, liberauit eos, ipſi autem exacerbauerunt eum in conſilio ſuo, & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis.

Innumeris enim tum locis, tum uicibus liberati, ad ingeniũ ſtatim rediere, atq; adeò ſæpe, ut penè impietate, Dei clementiã uoluiſſe ſuperare uiſi ſint. Ille qui-

C dem,ut antea promiſerat,continuis illos fouebat auxilijs ac beneficijs: hi contrà ſempiternũ numinis conſiliũ interturbare conati ſunt.Exacerbauerũt,Hebreifere omnes legũt,rebelles facti ſunt.Sic Felix:Ipſi uerò rebelles facti ſunt in cõſilijs ſuis.quorũ uerborũ ſenſum ſic reddit Paraphraſtes:Sua potius ꝙ̃ diuina cõſilia ſecuti ſunt.En rebellionis à Deo cauſa,atq; origo:nẽpe hominẽ ſuos ſibi natura ingeneratos uelle ſequi motus & cõſilia,ſpretis interim Dei cõſilijs,quę in eo uerſanť ut hominẽ uel reluctantẽ querat.Verbũ porrò,humiliati ſunt,nõ ad uirtutẽ referas,ſed ad turpiſsimã,in quã peccando ceciderant,depreſsionẽ & infamiã. Depreſsi ſunt,inquit,propter ſua ſcelera,atq; impiam de Deo perſuaſionem. At Deus tamen(prò genus pietatis inauditum)adhuc placatur,adhuc miſeretur.

Et vidit cùm tribularentur,& audiuit orationem eorum:& memor fuit teſtamenti ſui,& pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ.

Et audiuit lamentationem eorum,ex hebræo uertunt.Campenſis autem,eiulatus,ſeu querimonias.Certè pater,ſi uerus pater eſt,non tam unquam obſtinatè inexorabiliterꝙ̃ in filios excandeſcit,quin ſtatim rogatus parcat.Secus uerò illos agere cernimus,qui uitrici magis dicendi ſunt et mercenarij,quàm patres aut paſtores,qui ut dij interdum maximis interpellati uotis ac ſupplicationibus,in leuioribus etiam culpis,placari uix poſſunt.Indicium id ſanè ſuperbiſsimi eſt animi,ac tyranici.Vidit,inquit,ſuorum afflictionem,ſuſpiriaq; pientiſsimis hauſit auribus,ut pij ſolent patres & paſtores:memorq; fuit fœderis cum illis icti,licet illi immemores extiterint & ingrati.Pœnitentia igitur affectus eſt,ſe ſuos in anguſtijs deſeruiſſe:& id quidem,non quòd ullam in eis inuenerit iuſtitiã,ſed quia ipſe copioſe miſericors eſt,effecitq; ut gratiam cum illis inirent,qui eos captiuos abduxerant.Vnde ſequitur:

Et dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium,qui ceperant eos.

Fecit,inquit,quæ ſua eſt inexhauſta clementia,ut illis hi miſericordiam præ-
D ſtarent,qui eos in miſeriã coniecerãt.Non eſt quidẽ mediocre id Dei beneficiũ, captiuum quempiam,ſeu aliquo alio miſeriæ genere oppreſſum,habere conſolatorem,præſertim illum,ſub cuius cuſtodia retineri contingat.Sed duriores nunc ſunt homines,quàm ut hiſce pijs cõmolleſcere poſsint exemplis:quammaximis enim nũc extollunť laudib.qui efferatiores ſunt in miſeros.Sunť ne hi cuſtodes, an carnifices?Quoniã igitur ſurdi facti ſunt iſtiuſmodi miſerorũ oppreſſores,tu

Saluos fac nos domine Deus noſter,& congrega nos de nationib. Vt confiteamur nomini ſancto tuo,& gloriemur in laude tua.

Hi duo uerſus ui fidei graues,his optimè quę in ſuperioribus cùm iudicia tum beneficia ſunt enarrata,conueniunt,oſtenduntq; nullam poſſe eſſe ærumnam ac aduerſitatẽ tam acerbam,quin toleranter ferri queat,addita firma in Deum ſpe, & fiducia.Firmã dico propterea,ob quorundã animi leuitatem,qui tametſi nonnihil in Deum ſperare uideantur,tamẽ eouſq; ſperant,quoad eius refrigeriũ ſentiunt & leuamen:cæterũ in palæſtra uix horulã derelicti,deſpondent actutũ animum,queruntúrq; ſe à Deo neglectos.Salubre haudquaq; id genus eſt fidei,in quod tamẽ turpiſsimè dilabunť homines.Collatis itaq; ſimul in hoc pſalmo Dei donis & flagellis,in ſpem totũ iſtud ſoluiť negociũ,aitq; ſuo more Vates:Serua nos mi domine,qui Deus es noſter,nosq; uarijs moleſtisq; à nationib.inter quas iuſtiſsimo tuo diſsipati fueramus iudicio,collige,ſecerneq; ab illis,ut ullo abſq; impedimento,aut nota infidelitatis,tuũ ſanctiſsimũ laudare poſsimus nomen: atq; præterea tua in religione occupati,te laudib.ut par eſt,& quæ noſtra eſt gloria,efferre ualeamus.Huc quicquid conditũ eſt conueniat,mecumq; exclamet:

Benedictus dominus Deus Iſraël à ſeculo,& vſq; in ſeculum,& dicet omnis populus,fiat,fiat.

Ex hebræo ſic:Et dicat omnis populus,Amen.Halleluia.Omnis itaq; populus generatim laudet Deum,qui omni laude maior eſt ab æterno & uſq; in ſempiternum:dicatq; cum Iſraële,nempe electorum cœtu,quæ eſt Eccleſia in Chriſto,Amen.Halleluia.

Pſalmus

A PSALMVS CVII.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Nobiliſsimum id genus eſt odarum, quod à diuinis laudibus ſuum habet exordiũ, ut hæc omnino eſt, quam in præſentia tractare intendimus, cœleſtem illam quidem & admirabilem, utpote uario ſacramentorum ornatu, tanquam gemmata chlamyde ueſtitam: tota enim Chriſto grauida eſt, idcirco Dei bonitate atq; miſericordia. Hinćq; reiecto prorſus ſuis cum ſuperſtitionibus Iudæo, gens ſponſæ ueſtimento aſſuit̃, fiunt́q; aquarum dulciũ ſcaturigines, ubi nullum antea uel tenue quidem humoris fuerat indiciũ. Ponã, inquit, deſertum in ſtagna aquarũ, & terram inuiam in riuos aquarũ. Felix ſanè noſtra ętas ob Chriſti præſentiam, niſi homines natura ingratiſsimi, gratiarum copiam peccando intercluſiſſent. Penè enim occluſus eſt fons, aut ſaltem ſuperſtitionum rudere atq; excrementis uitiorũ interturbatus. Vix certè an ſit ſpiritus non neſcimus. Poſſumus quidem die noctúq; in Dei laudibus occupari, oréq; ac cantu, ut nunc eſt uſus, uociferari, cor uerò noſtrum quò abijt? quò mens diuinæ lucis capax atq; altrix auolauit? Equidem animus natura cœleſtis, niſi prorſus candidus ſit, libeŕq; à carnis contagione in ſuam feratur originem, laudes, quę omnino turpes nõ ſint, Deo canere nõ poteſt, licet ſanctiſsimæ appareant & euangelicę. Proinde uagationes illæ mentis ultroneæ, atq; cũm rem ſacrã facis more uelitũ incurſiones, à choris penitus laudantium Deum expellendæ ſunt, aſſuefaciendaq; eſt mens ad quietem illam, quæ nunquam requieſcit, donec in Chriſti ſinum, ubi amor uiuit, demigret. Hæc ferè ſumma eſt pſalmi, qui quemadmodũ occultiſsimo myſterio intercalaribus uidetur ludere uerſibus, ita res maiorũ ueteres carptim libans, totam Chriſtianorũ Eccleſiã effigiat. Ad hęc eodem utitur in hoc pſalmo exordio Vates quo in ſuperiori, dicens: Confitemini domino, quoniam bonus, quoniã in ſeculũ miſericordia eius. Pluribus omiſsis, quæ in alio dicta ſunt eiuſ-
B dem principij pſalmo, id ſolùm dicam, immenſam Dei eſſe miſericordiã, illiuſq; bonitatem adeò effuſè ſparſiḿq; omnibus in rebus diſſeminatam, ut in nihilum penitus, niſi illius fotæ eſſent calore, relaberentur. Vis ea quidem eſt numinis, ut cuncta ſuo in ſtatu conſeruet, augeat, animéq; in ſeſe, modò uitæ capacia ſint, ac rationis in primis, ut humana eſt natura, quæ quòd eſt, quòd uiuit, quòd redemptionem eſt nacta, ac uitam in Deo, illius debet bonitati, non propriæ iuſtitiæ, quæ nulla tunc erat: modò aliqua eſt per Chriſtum, qui ſuos redemit, & proprio purificauit ſanguine. Eapropter

Dicant qui redempti ſunt à domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos, à ſolis ortu vſq; ad occaſum, ab aquilone & mari.

Verbo, dicant, addendũ eſt, hymnum, ſeu laudem. & eſt ſenſus: Hi dicant laudem Deo, qui redempti ſunt ab ipſo. Quidam uertit: Agant gratias Deo redempti. ut expreſſam hîc eſſe Eccleſię imaginem non dubitemus, quam Deus à quatuor mundi partibus euocatam, ſegregatamq; à gentium cæterarum perfidia, in unum collegit ouile. Mare hîc poſitum pro meridie, ut aliàs quoque, clarum eſt: quanquã interdum pro occiduis partibus uſurpatur, ſed tunc pro mediterraneo accipitur, quod eſt Iudææ ad occidentem. Verùm de mari rubro, qui ſinus eſt Arabicus, hîc intelligi uolunt, quod ad meridiem eſt Iudææ. Vnde ex hebræo uertunt quidam, ab Aquilone & Auſtro, qui uentus meridionalis eſt. Felix autem apertè, à meridie uertit. Ait itaq; Sponſam Chriſti è uarijs ſelectam regionibus, nempe orientalibus, occiduis, meridionalib. atq; ſeptentrionalibus idcirco congregatam eſſe, ut diuinis uacet laudibus, pręludium nimirum patriæ cœleſtis, & beatitudinis. Hi tandem confidenter diuinas celebrant laudes, qui id gratis habent, quòd ex eorum numero ſunt, qui redempti ſunt à domino. Anteaquàm enim uocarentur, unà cum cæteris

Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo, viam ciuitatis habitaculi nõ inuenerunt, eſurientes & ſitientes anima eorum in ipſis defecit.

C Vide impij cordis inanitatem: nullo etenim affectũ ſpiritus refrigerio, perlan gueſcit, fitq; tanquam ager ſiticuloſus ac ſterilis. In inaquoſo, transferunt, in uia inculta, nempe dumis obſita, atq; interrupta. Incõmodorum quidem, quibus ma xime affliguntur hi, qui uaſtas peragrant ſolitudines, meminit Vates, quò perſpi cuum magis ſit, quanta teneantur rerum ſpiritualium inopia, qui à Deo alienati ſuo feruntur arbitrio, errabundo quidem & uano, dum ſuum eſt. Eos itaq; erra re neceſſe eſt, eſurire, ſitire, ac nulli affixos domicilio, temere, atq; ulla abſq; un quã peruenienti ſpe ubi animus eſt, uagari. Solent enim qui in deſertis locis iter habent, ſumma affici deſperatione & mœrore, ſi aberrare contigerit. quocirca ut anxium iſtiuſmodi exprimeret affectũ, illud intulit, quòd uiam ciuitatis habita culi non inuenerunt: quare anima eorum in ipſis defecit. Verùm non omnino ue cordes facti, tantillum collegerunt halitum,

Et clamauerunt ad dominum cùm tribularentur, & ex neceſsitatibus eorum liberauit eos, & eduxit eos in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis.

Immenſæ id eſt conſolationis plenum, cùm recolit anima, ſe à ſuo non poſſe genitore diutius deſeri, modò ſe errantem agnoſcat, atq; illius imploret auxiliũ, qui ſemper inſtructiſsimis præſtò eſt copijs. Clamantes igitur, ut olim ueteres illi in ſolitudine actitarunt Hebręi, benigniſsimus exaudit dominus, illosq; de an guſtijs ereptos fouet, conſolat̃, in ciuitatemq; habitationis, locũ uidelicet tutum, à quo tam imprudenter deerrauerant, inducit. Quid tum ab hoſpite liberali, du ctoreq; fidiſsimo putas agi? Menſa ſui uerbi cibo, potuq; Euangelico perornat̃, qua famẽ illam & ſitim, arenti in ſolitudine contractã, ſedare queant. quæ ſanè ſo litudo inuia atq; inhoſpita, erat mundus, qui fame, ſitiq; iuſtitiæ cõtabeſcens, iter quod ad ciuitatem, quam Dei gratiam eſſe arbitror, perducit, ignorabat. Viator erat anima, dux Chriſtus, ad quem quidem nemo unquam acceſsit, quem patris gratia prius non attraxerit. Quapropter

D *Confiteantur domino miſericordiæ eius, et mirabilia eius filijs hominum. Quia ſatiauit animã inanem, & animam eſurientem ſatiauit bonis.*

Intercalaris is primus eſt uerſus, qui quartò repetit̃ in hoc pſalmo, more ſan̄ eorum, qui iſtiuſmodi metri generi ad flagrantẽ mentis ęſtum atq; ardorem com monſtrandũ utuntur. Vide pium animę motum in Deum. Gratias, inquit, agant domino illius miſericordiæ. Felicisſimũ profectò ſtudium. Vin̄ ſcire quales ſint Dei miſericordiæ? Sunt publicani, ſunt meretrices, ſunt id genus alij, qui Dei cle mentia ſeruati, ſuum laudant ſeruatorem, colunt ex animo, ueneranturq;, atq; illi gratias referunt. Hîc locus hypocritis eſt nullus, qui ſuo ſeruari ſe poſſe marte nõ tantum ducunt, quantum alijs perſuadere contendunt, atq; uſq; ad ſudorem di gladiantur. In illis quidem non laudat Deum illius miſericordia, qua ſeruari re nuunt, ſed opera, quibus abſq; fide laudari poſſe Deum ſomniãt. Fides quidem, qua potiſsimũ ſeruantur homines, nulla eſt, ſi deſit miſericordiæ Dei perſuaſio. Ad hæc, opera tanto ſanctiora ſunt, ac Dei ſpiritu digniora, quãto à fide certius, quod Dei donum eſt, proficiſcuntur. Hæc igitur laudare Deum poſſunt, cætera uerò uituperant, atq; ad iracundiam prouocant: quæ etſi mirabilia forſan uulgò apparent, tenuia tamen ſunt ac nihili, quia in peccatis acta: noſtra autem, hoc eſt, ſyncerè Deum colentiũ, mirabilia prorſus & ſtupenda, quęq; filijs, ut inquit Va tes, hominũ narrari debeant, quia ſancta ſunt & ſalutaria: his enim nititur iuſti ui ri anima, in his uiuit, in his ſeſe oblectat. Cæterũ mirabilia Dei ſunt quęcunq; ille in ſuorũ gratiã operatus eſt, creando, redimendo, ſeruando, glorificando. Quæ omnia filijs hominũ, qui humanis etiamnũ regunt̃ affectibus, quòd in diuinũ inar deſcant amorẽ, inculcanda ſunt (non ea, quæ niſi ieiunitatẽ ſpiritus afferunt, licet ſanctiſsima uideantur) ut & ipſi laudare queant Deũ, quia ſatiauit animã inanem Dei guſtu ac fide, illamq; fame periclitantẽ impleuit bonis illis, quę fures non fu rantur, neq; tineæ blattæq; ignauæ demoliuntur. Atq; hæc quidem omnia à Dei manant miſericordia, quæ, ut eſt benigniſsima illius natura, ſubleuat refocillatq;

Sedentes

A *Sedentes in tenebris, & Vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro.*

In mendicitate, nonnulli uertunt, in afflictione. Vnde ſic quidam: Cùm uincti & afflicti eſſent ferro, nempe ferreis catenis ac repagulis. Certè de peccatorũ catenis hîc dici puto, ex his quæ præceſſerunt. Siquidem nullum tam ſæuum eſſe tenebrarum genus & catenarum iudico, quod cum peccatis, obſcurioribus natura quàm ipſa ſit nox, conferri queat. Sed & peccatũ mortem ipſam, ueluti umbra corpus, ſequitur. Vmbra igitur mortis ipſum eſt peccatũ, ſub qua ſanè umbra ſedere hos dicit Vates, qui longo peccandi uſu & conſuetudine, tanquam angues udo in loco, cõmarceſcunt, proprioq; enutriuntur ſucco & ueneno, quæ ſunt malæ appetentiæ, prauaq; deſideria, ac cõſpurcata mens. Cauſa uerò ea eſſe uidetur,

Quia exacerbauerunt eloquia Dei, & conſilium altiſſimi irritauerunt.

Apertius ex hebræo uerti poterat: Quia abiecerunt ſermones Dei, & conſiliũ altiſſimi contempſerunt. Atqui malorum omniũ origo indubitata hæc eſt, Dei uerbi contemptus, atq; ſapientiſſimi illius conſilij, quo gratis omnibus ſalutem impartiri pollicitus eſt, neglectus. Etenim in Dei uerbo uita eſt animæ: eo abiecto, quò ſe cõferat infelix? Quoquouerſum ſe uertit, tenebræ ſtatim apparent denſiſſimæ, atq; umbra mortis. Proinde ſiti acerbiſſima torqueri illum neceſſe eſt, ac tandem emori, qui ex ſe ſeruari poſſe opinatur, cuiq; nihil omnino ſuffragari poteſt diuina lex, quæ eſt lex uitæ in Chriſto Ieſu, qui in ſe noſtram ponendã eſſe ſalutẽ, ac uitam, æterno decreuit conſilio. Sine me, inquit, nihil poteſtis facere. Quòd ſi tamen noſtrũ nonnihil quoq; poſſe in re ſalutis arbitriũ per gratiã ſanatum contendunt homines, illud ne negabunt, uim illam à Deo eſſe, atq; ut aliquid ualeat ab ipſo iuuari? Ergo per gratiã & ſumus, & ad ſalutem, quæ in Chriſto ſita eſt, erigimur, nanciſcimurq; tandem per ipſum illud, ad quod aſſequendũ noſtra omnino tarda eſt uoluntas, in qua tota uis eſt arbitrij collocata, uel potius relicta: qua qui plus quàm par eſt nituntur, Dei uerbum, conſiliumq; paruipendũt, atq; ideo
B in cæco errant labyrintho, ſemper uagi, inſtabiles, atq; ad lapſus procliuiſſimi. Tantæ quidem impietatis ſignum eſt, nimia de nobis confidentia, qua qui affecti ſunt, uiciniori imminent ruinæ, quàm alius quiuis maximo in uitæ diſcrimine conſtitutus. Ac de illis quidem, quæ mox ſequuntur, dici puto:

Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum, infirmati ſunt, nec fuit qui adiuuaret.

Horrendum id eſt periculi genus, cùm quis ſupra uires afflictus, opem implorat, nec inuenitur qui manum porrigat. Actum de illo prorſus eſſe conclamant omnes. Ita olim murmuratori populo in ſolitudine contigiſſe legimus. Clamauerunt, inquit, ad dominum, nec exaudiuit eos. A Deo quidem ſua ſponte alienati, quem alium finem ſuis ærumnis expectare potuerunt? In omnem certè uitæ confuſionem proruere illos, qui huiuſmodi ſunt, neceſſarium eſſe cernimus, uel eos in primis, quibus rerum ſumma credita eſt in rebuſpub. ac regnis. Hincq; ortum habere credimus iudicia illa infinita impietatis, conſiliaq; nefanda, conciliabula, ac iniquiſſimas in inſontes conſpirationes, proſcriptionesq; morte ipſa acerbiores: addo & uim illam intolerandam, non ſolùm in fortunas miſerorum ac facultates illatam, uerumetiam (nefas) in infelices ipſorũ uxores, atq; ob id marito rum occiſiones, & id genus alia propter Dei neglectum cõtingentia in mundo. Verè hi, ut inquit Vates, infirmi erant, morboq; ægrotarunt inſanabili, nec fuit qui iret ſuppetias. Cæterũ quem ſenſum afferant uerba illa, Et humiliatũ eſt in laborib. cor eorũ, ex Paraphraſte intelligi poteſt. Afflixit, inquit, moleſtiſſimis curis animas eorũ. Aeſtuans quoddam mare eſt cor impij ac procelloſum. Verùm quoad uiuitur in hoc mundo, de diuina nunquã deſperandum eſt miſericordia, quæ etiam fugientes ſequitur, retrahitq; à fuga, & ſeruat. Idcirco additur:

Et clamauerunt ad dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.

Is alius intercalaris uerſus eſt, miro diuini amoris erga animam ardore accenſus. Tametſi, inquit, illorum res peſsimo eſſent loco, ipſe tamen animarum aman

c tiſsimus, è malis eos omnibus atq; anguſtijs, quas hîc neceſsitates uocat, dicto citius exemit, in tutoq; collocauit.

Et eduxit eos de tenebris & vmbra mortis, & vincula eorum dirupit.

Obſerua hîc iterum, tenebrarũ, mortisq; umbrę, & catenarũ fieri mentionem. Clamantes, ait, opemq; implorantes exaudiuit, atq; de nigra inferorũ nocte, umbraq; mortis, & catenarum nodis penè indiſſolubilibus eripuit. Propterea

Confiteantur domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum, quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

Quæ ſint portæ ex ære fabrefactæ, quarũ uectes ac peſſuli ferrei ſint, quibusq; miſerrimæ detinentur animæ, mox aperit, dicens:

Suſcepit eos de via iniquitatis eorum, propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt.

In dictione, iniquitatis, omniũ, ut ita dicã, maſſam uitiorũ intelligi oportet: ſiquidem hominẽ nequã mala cũcta tanq; ſatellites comitant. Sed peſsimũ id omniũ eſſe ſolet ſatellitij genus, à nefarijs conſtipari hominib. nempe ab hypocritis & adulatoribus. ab illisq;, quib. iam manus ob frequentes occalluere prehenſationes, quę haud multò pridem ob raſtra. Iam illud nõ omittendũ, literã hanc paulò ſecus Hebręis eſſe. Sic Felix: Inſipientes à uia tranſgreſsionis eorũ, & à delictis ſuis afflicti fuerũt. Alius rurſum: Stulti propter uiã flagitij ſui, & propter iniquitates ſuas affligunt. Quæ & tandem unica eſt cauſa & ratio, quamobrẽ tot in orbẽ inuecta ſunt mala. Et ut quidẽ innumerabilia ea ſint, illud tamẽ omnẽ ſuperat calamitatẽ, augetq; pijs animis dolorẽ & cruciatũ, quòd omnes ferè Chriſtiani in Ieſu Chriſti fide infirmi ſunt, ac planè elumbes. Vtinã falſus ſim, coniectarẽq; dubius, quod uel ipſi cæci intueri poſſent. Vtinã, inquã, qui opulentiores ſunt in regno Chriſti, diuites magis eſſent fide ac religione, q̃ huius mundi bonis: melius res noſtrę, nempe Chriſtianorũ, quę propémodũ cũ infideliũ moríb. conueniũt,
D ſeſe haberẽt. Mirũ ne igit̃ erit cuipiã, nulla extare mala, quin illis potiſsimũ obnoxij ſint homines? Verius igit̃ illud eſt, q̃ quod multis probari debeat argumẽtis, q̃ ſtulti (ſic uerſum transferũt ex hebręo) propter uiã flagitij ſui, & propter iniquitates ſuas affligunt. Noſter uerò, propter iniuſtitias ſuas humiliati ſunt. Inſuper

Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſq; ad portas mortis.

Grauiter enim ægrotantis id propriũ eſt, ut cibum omnem, pręter illum, qui illius morbo officit, aut nihil omnino prodeſt, faſtidiat. quod ſanè male affectæ ualetudinis, mortisq; proximæ eſt ſignum. Quare ſimul ut dixit, omnem eſcam illis nauſeæ extitiſſe, mox intulit: Et appropinquauerunt uſq; ad portas mortis. quò quidem cùm peruentũ eſt, nil uetat quo minus extremũ efflet halitum ægrotus: abiectis enim his quæ ſalutem afferunt, mors illicò, quæ omnibus, tanq; leo prædæ, inhiat, uitam intercipit. Conſimilem in modũ ſe habet anima in fide Chriſti infirma, atq; propterea multis interſperſa uitiorum notis, & ſcabie. Cęterùm animæ ſtomachũ, illius eſſe mentem atq; intellectum diffiniunt: quo corrupto, hoc eſt, in rebus nihili contemplandis occupato, cibus omnis ſpiritualis nauſeæ illi eſt: indeq; ex malè concocto, tanquã cibo, Dei uerbo, letali afficitur ualetudine: cui niſi Deus, in cuius manu uita ac mors poſita eſt mortaliũ, opituletur, illiusq; medeatur languori, interit, ferturq; ad perpetuas inferorum tenebras, ubi uæ eſt ęternum, dolorq; inconſolabilis, atq; atra nox. In iſtiuſmodi enim labe humana olim uerſabatur malitia: in his hominum erat ſtudium & cura. Verùm ſuo edocti malo (ferreus ille eſt, quem non emolliunt aduerſa) ſeſe paululũ collegere,

Et clamauerunt ad dominum cùm tribularentur, & de neceſsitatibus eorum liberauit eos. Miſit verbum ſuum & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.

Miſit iuſtum, uertunt nonnulli ex hebræo. Attamen ſiue iuſtum, ſiue uerbum legere libet, Chriſtum hîc mihi Vatem præſagiſſe iudico, à quo ſanè languor omnis animarũ ſanandus erat, reſtituendusq; uel ipſis prorſus exanimatis, & uigor, & uita. Miſſo proinde ab æterno patre unigenito, noſtris obducta eſt caro uu'neribus, erepta eſt anima, atq; ab interitu aſſerta. Quare

Confi-

A *Confiteantur domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Et ſacrificent ſacrificium laudis, & annuncient opera eius in exultatione.*

En illud uenerandum, in quod reliqua omnia deſiere, ſacrificium, nempe laudis, quo anima delectata, tota amore comburitur, fitq; ebria, ac penè furens. Ex quo dici non poteſt, quanto cum gaudio atq; exultatione, Dei opera immenſa & admiranda non ſolùm libenter memorat, uerumetiam palàm omnibus inuulgat. In his itaq; occupata ſtudijs, non poteſt non uerè abſq; errore Dei operationes agnoſcere. Agnoſcunt & improbi eruditi, ſed non uerè, non ſyncerè, non medullitus, quia abſq; ſpiritus guſtu eò ſua dirigunt tum ſtudia tum operationes, tum uim ingenij, ubi maior ſperatur ambitionis fructus. Agnoſcunt & dæmones, credunt quoq; & contremiſcunt. Etiam

Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis, ipſi uiderunt opera domini, & mirabilia eius in profundo.

In, anteponendum erat mare, ad hunc modum: Qui deſcendunt in mare nauibus. Cæterùm facientes operationes in aquis multis, uaſtis nimirũ, atq; infinito recluſis littore & interuallo, uolunt mercatores, atq; iſtiuſmodi alios eſſe audaculos, qui mare ſulcant. Hi quidem optimè Dei opera, ac portenta illa immania, tum rerum, tum animantiũ, quæ in mari degunt, diſquirunt, intelliguntq;, atq; alijs ſumma cum admiratione audientium enarrant. Norunt hi, inquam, plura in mari eſſe naturæ miracula, quàm in terra: theſauros item precioſiſsimos undis coopertos, gemmas, lapillos, uel in primis coralliorũ fruticem, ut mollia ſcilicet ſub undis innaſcantur, exempta uerò durentur illicò, atq; uti corna rubeſcant. Innumerabiles porrò piſcium eſſe ſpecies deprehendunt, monſtra item, conchylia, cetosq; illos adeò ingentes, ut non piſces aut belluas per mare ferri dicas, ſed inſulas arboribus conſitas & herboſas. Quid? nullus eſt numerus phocis, uitulis, ca
B nibus, lupis, equis, atq; omnis generis fructibus ſapore penè ueris ſimilibus. In illis itaque marinis oblectantur rebus negociatores, quiq; maria ſulcare conſueſcunt, adiutiq; à rerum illarum opifice, in tam periculoſo aquarũ procellarumq; traiectu ſecuri negociantur. Qui quidem opifex adeò potens eſt, ut eo iubente mare ipſum terrificè intumeſcat, æſtumq; unà cum undarum fragore commiſceat. Etenim

Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendunt uſq; ad cœlos, & deſcendunt uſq; ad abyſſos. Anima eorum in malis tabeſcebat, turbati ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.

Sapientia eorũ deprimetur, uertit Felix: ſeu, ut alius, ceſſat. & refertur ad nautarum peritiã, quę in immenſa uentorũ procella, & confuſa aëris cõmotione illa, qua ſol etiam in meridie aufertur, propè eſt nulla. Doctiſsima hæc eſt tempeſtatis maritimæ deſcriptio. Motus enim illi maris tametſi à naturalibus proficiſci uidentur cauſis, cauſarum tamẽ earum Deus, ut illius in omnibus cognoſcatur uirtus & potentia, eos prouocat, ſedatq; cùm uult. Dixit igitur, hoc eſt, quoties libitum fuerit ingentem illam procellarum uim & ſęuitiam uento excitat, idcirco uaſti tollunt̃ ad ſydera fluctus. Viſu horrendũ, nauem onerariã æſtu cernere circunferri, in gyroq; uentorũ impetu rotari, ac modò ſummo in fluctu pendêre, modò refuſo uado iactari, atq; ad ima arenæ non abſq; gemitu, rudentumq; ſtridore ferri, & undas ſpondis fatiſcentibus excipere. Tum metu exanimant̃ uectores, nautæq; dubij quid opus ſit facto, ad Deum ſupplices ſua nuncupant uota. Cùm certè mortẽ intentent omnia, tetraq; obducat̃ cœlũ caligine, ac magis in horas conualeſcat turbo, æſtusq; efferatius incrudeſcat, quod aliud implorarent numen? Quòd enim ait, animã illorũ, nempe uectorũ in malis cõtabuiſſe, aptè illo principis poëtarũ exponi poſſet: Tum ſubitò Aeneæ ſoluunt̃ frigore membra. Animi, inquit Campenſis, illorũ præ metu uident̃ ſolui. Ad hæc aliud infert̃ nauigantiũ incõmodum, cùm illos ebrio, qui nutabundus ſua omnia factitat, elegantiſsimè cõparat. Ita eos metu illo extremo, ac nauſea affectos agere neceſſe eſt. Siquidẽ

C ab illa moleſtiſsima undarũ iactatione, appulſuq; inæquali, oriri ſolet in meticuloſis maximè, tum capitis, tum animi uertigo, permotioq; adeò infeſta, ut pedes nuſquã conſiſtere permittat. Turbati ſunt, inquit, & moti ſunt ſicut ebrius. Verũ

Clamauerunt ad dominum cùm tribularentur, & ex neceſsitatibus eorum eduxit eos. Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius.

Ars illa nautica tam admirabilis, nulla planè eſt, niſi Deo nixa res ſuas omnes moderatiſsimè, atq; in Dei timore exerceat. Alioqui mare fragili ſulcare ligno, ac tam certa excipere pericula ſine Deo, quem portum unquam, qui confragoſus non ſit, ſubibit nauita de more blaſphemus & deſperatus? En igitur quomodo una fidei uoce, pluſquàm Cynoſuræ beneficio, placantur uenti, mareq; ſine undarum ſtrepitu placido fertur murmure ad littus. Clarius ex hebræo hunclegunt uerſum. Sic Felix: Locauit turbinem in tranquillitatem, & ſiluerunt undæ eorum. In auram, inquit, tenuem & ſuauem, ferox conuerſus eſt Eurus, procelloſusq; Aphricus iram depoſuit, atq; frenatis fluctibus ſubſedit tempeſtas, ac ſiluit. Non huc certè opus eſt, ut nouum aliud inducas numen: Dei iſtuc eſt opus, atq; ſanctiſsimę illius uoluntatis effectio: quocirca grato illi animo ſuum illud cecine re ob redditam ſerenitatem celeuma:

Et lætati ſunt quia ſiluerunt.

Venti ſcilicet ac fluctus.

Et quia deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Permagnum id eſt Dei munus, cùm quis Caietę portum capere expetit conaturq;, in Syrtes latentesq; ſcopulos non relabitur, aut miſerando curſu, quò uenti impellunt, per altum ad Sicula reuehitur littora. Deduxit, inquit, eos è periculis illis immenſis in portum, quem concupierunt. Portum, inquam, deſideratum plenis ſubierunt uelis. Ergo etiam atq; etiam

Confiteantur domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum, & exaltent eum in ec
D *cleſia plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eum.*

Iam illud addam, quod nondum dixi, uerſum hunc intercalarem parum aliter Hebræis eſſe. Sic illi: Celebrent dominũ ob bonitatẽ ſuam: ſeu, ut interpretatur Paraphraſtes, fateant dominũ eſſe clementiſsimũ. Cæterùm obſerua noſtræ religionis grauitatem. In cathedra, inquit, ſeu in conſeſſu ſenũ laudent eum. Non ſenes tamen ſtupidos, ac longo turpiſsimoq; uſu libidinoſos intellĩgas, quorum moribus nihil fœdius inueniri poteſt. Atqui lucidiſsimũ ueluti ſydus eſt in terris bene moratus ſenex in iuuenum grege & multitudine. Contrà uerò nihil obſcurius, quodq; magis ſtomachũ moueat, ſene moroſo, loquace, ſordido, & (quod etiam nos aliquando experti ſumus) oblocutore, ac patinis dedito. Eia itaq; qui diuino dignati eſtis fauore, Deo id totum, quicquid eſt, referatis acceptum, atq; in populi corona, ſenumq; frequentia & conſeſſu, in quo grauiſsima tractari ſolent, illum laudibus efferte. Ille quippe eſt,

Qui poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim.

Quis hîc ſtupendam Dei potentiam non uenereturꝰ Heu tardas animas. Non eſt quidem tam aridus ſquallensq; ager, nõ uinea, nõ olea, nõ pratum, non quicquid illud tandem ſit quod fructus afferat, tam infelix & infœcundum, quin gignendi propagandiq; prolem uim nanciſcatur ſubitò, ſi Deus iuſſerit. quod ſanè quoq; de animę ſterilitate dici poſſet. Sicca per ſe admodum anima eſt & ieiuna, abſq; Dei rore, quæ inæſtimabilis illius eſt gratia. Vide igitur quid hac de re aſſerat ſpiritus, ſed prius cõtrario argumento. Poteſt is, inquit, flumina in ſiccitatem uertere, atq; eo modo terram propter ſterilitatem deſertam facere, uenasq; aquarum intercidere, ac propterea cuncta ſiti enecare. Poteſt, inquam, uertere

Terram in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea.

Hæc omnis cauſa eſt inediæ, atq; penuriæ annonæ, noſtra uidelicet improbitas, & in Deum perfidia, malitia item, peruerſitas, ac ſordida uitæ ratio: ex quo tanta iam orta eſt in agris ſterilitas, ut penè fruges omnes letalem in ſalſuginem & ſqual-

A & ſquallorem abierint: & id quidem propter malitiam inhabitantiũ in ea. Hæc ſunt uerba ſpiritus, ne tu cauſas neſcio quas ſterilitatis agrorum, ineptè huc affe-ras. Regiones, inquit, feraces, camposq; fœcundos ac bene cultos, ob ſcelera illorum, qui terram incolunt, infructuoſos, immiſſa lue ſalſuginis, facere potis eſt. E contrario autem,

Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum.

Non diu patitur pientiſsimus dominus ſuos à mala exagitari fortuna, modò in flagella non inſurgant, indignabundiq; obluctentur: ob id enim data eſt homini aduerſitas, ut candorẽ contrahat, non rubiginem. Expende itaq; quid bonorum placatum afferat numen. Terram enim illam, quam prius iratum ſterileſcere, fontesq; uiuos (hos exitus aquarum uocat propheta) exiccari iuſſerat, mox placatũ in optatam erumpere facit tum frugum, tum aquarũ copiam, ut iam uidere libeat germina cuncta reuireſcere, fruges è campis atq; arboribus ubertim, carris uehiculisq; ob onera ſtridentib. conuehi: atq; id propterea, ob imbriũ, fontiumq; amœnitatem, & ſcaturigines, quæ ſalſuginẽ illam noxiam à culmis atq; ariſtis abluũt.

Et collocauit illic eſurientes, & conſtituerunt ciuitatem habitationis.

De iſtiuſmodi hominũ multitudine, de qua hîc loquitur Vates, in ſuperioribus eſt dictum, quòd eſurientes & ſitientes uiam ciuitatis habitaculi non inuenerunt: modò uerò felicisſima hi cõmutatione, in terra feraci & amœna, quò ſuam ſedare queant famem ac ſitim, collocati, locum ſibi in ea tutũ, atq; ad habitandũ idoneum condere ſtatuerunt, ibiq; cõmodis erectis ædibus reſpirare cœperunt:

Et ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuitatis.

Contigit nonnunq;, quòd regio ab incolis propter famẽ deſeritur, aliusq; incultus eligitur locus, quem ipſi colere incipiant, atq; uictum ſibi ex Dei benignitate, qui rerum omniũ bonarũ autor eſt, ubertim comparent. Rurſusq; accidit, ut
B loca etiam culta, propter peruerſum quorundam dominium, atq; malitiam inhabitantium, deſerant homines: & ſic regio ſatis per ſe fœcunda & felix, in ſolitudinem paulatim redigatur. Fructum natiuitatis, clarius ex hebræo uertũt, fructum annuum, ſeu fructum & fruges, ut reddit Felix. Mandarũt, inquit, agris illis innouatis ſemina, plantaruntq; uineas, quæ fructum redderent annuum, multiplicatum nimirum, ac felicisſimum in modum auctum.

Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis, & iumenta eorum non minorauit.

Copiam quidem illam frugum & fructuum à diuina prouenire benedictione fatetur Vates. Fatemur & nos, qui hæc quotidie in noſtris tum animi, tum corporis fieri rebus experimur. Subtracta quidem à nobis Dei benignitate, quid miſeriarũ non incurrimus? quid calamitatũ non nanciſcimur? A Dei itaq; liberalitate prouenit, quòd liberi noſtri, quòd fructus, quòd noſtra omnia, quę ad uitę uſum faciunt, augentur: quòd pecora nõ minuuntur, & intereunt, ſed copioſa ſemper multiplicantur ſucceſsione. Nuper enim in hac regione, in qua hæc nunc cõmentor, cuncta ferè interierũt animalia. Aiunt incolę, ab inuſitato id frigore contigiſſe. Ego uerò, ab illorũ profectũ eſſe malitia, ac parum firma in Deum fide, reſpondeo, eisq; inculco, ac uſq; ad faſtidium replico. Idcirco mali,

Et pauci facti ſunt, & uexati ſunt à tribulatione malorum & dolore. Effuſa eſt contentio ſuper principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via.

Contemptio, ſeu contemptus, uertendũ fuerat, nõ contentio, ut nos legimus. (quanq; & contentio ſuum habet ſenſum, qui ad illorũ diſcordias, quæ maximæ nunc ſunt, refertur.) Verùm de ludibrio, quibus noſtri interdum habentur principes & ſuperiores, hîc loquitur: qui ſanè contemptus ab illorum ne oriatur ignauia & auaritia, aut potius à ſubditorum ſuperbia atq; improbitate, non dico: etſi quid ſit in cauſa, nõ me clàm eſt: non omnia literis mandanda ſunt. Tantum illud nõ ſilebo, noſtram adeò corruptã eſſe uiuendi conſuetudinẽ, ut nullus omnino inueniatur uitæ ſtatus, qui corruptiſsimus idem nõ ſit, & perditus. Sed, ut dicere incœperamus, de abiectis, in ordinemq; redactis, regionũ rerumq; publicarum

c miníſtris & magíſtratibus, hîc fit mentio, quos per incertas ſedes, locaq́; inuia & deſerta, propter pœnarũ metũ, oberraturos prædicit Vates. Contemptui ſemel habiti atq; irriſioni, nulla illis poteſt eſſe requies, nullaq́; quæ uera ſit, ſubditorũ reuerentia. Maximum id quidem eſt futuri exitŋ locorum argumentũ, cùm nullo habentur reſpectu atq; honore magiſtratus: ſed irriſi, inuiſiq́; ſuo in faſtu permanent. Pauci hí itaq́; facti ſunt, qui uero utuntur iudicio: qui malo, adeò in immenſum creuerunt, ut locuſtas diceres, planeq́; ſubditorum non tantùm æquare numerum, uerumetiam ſuperare iurares. Vtcunq́; excedant numero, ſemper diro uexantur malè affecti animí eſtu atq; indignatione. His itaq́; multis numero, paucis uirtute ac prudentía, prætermiſsis, ille (qui eſt clemẽtiſsimí principis mos & natura) opem his, qui mitiori ſunt mente, ſemper attulit,

Et adiuuit pauperem de inopia, & poſuit ſicut oues familias.

Exemit, inquit, afflictũ à uexatione, atq; ab inedía, illiusq́; in tantũ multiplicauit líberos, ut grex ouium fœcundus appareret. Suſpirant hîc diuites, quibus nulli ſunt filíj: ſuſpirant & pauperes, quibus octauo quoq́; menſe naſcitur filius. Verùm Dei id eſt conſilium, mortalibus omnino incognitum. Qui enim effrænato ſunt animo, atq; immoderato, peruerſa iſtiuſmodi rerum prouidentiam accipiũt mente: qui uerò míti ac pío, lætanter, quæcunq́; accidant, amplectuntur, Deoq́; gratias agunt. Quare à ſpíritu infertur:

Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.

Has, inquit, rerum mutationes, eo quo conuenit animo, recto nimirum ac puro, conſiderabunt ſancti: reprobi autem ne mutire quidem, ut ſolent peſsimè ſibi conſcíj malefici, audebunt. Eſt ſanè quoddam impudentiſsimum hominum genus, qui uel tenuem nacti fortunæ capillum, ſupremum in modum inſoleſcunt, ridentq́; ſi quid bonis aduerſi contigerit. Verùm diuinis aliquando perſpectis iudicijs, ſuaq́; cum illis, qui ſyncero in Deum feruntur affectu, collibrata tum uita,
D tum autoritate, muſſant attoniti, peneq́; prę triſtitia exanimantur. Sed felix omnino is erit, ac planè beatus, cui hæc Deus mundo penitus ignota detexerit ſecreta. Diuina certè hîc opus eſt mente. Quocirca

Quis ſapiens & cuſtodiet hæc? & intelliget miſericordias domini?

Miratur Vates, an inter colluuiem iſtam impurorum hominum quiſpiam, qui rectè de Dei prouidentia ſentire queat, inueniatur. Atqui ſummam eam eſſe hominis felicitatem arbitror, quæcunq́; obueníant, ſedato ferre animo, tandemq́; ad Dei illa referre conſilium. Secus uerò qui agunt, nulla, quæ homine digna ſit, afficiuntur cognitione: ſed, uti bruta ſolent, naturalibus duntaxat raptantur affectibus, uiuuntq́; omnibus moleſti. Contrà uerò, qui ſapientiæ, cuius ea uis eſt in primis, ut ſuperfluis abiectis mundanarum rerum curis atque uſu, in cœleſtibus tantummodo conſiderandis occupentur, dant operam, hí abſq́; errore, Dei intelligunt miſerationes: hoc eſt, Deum multifariam benigniſsimum eſſe, atq́; res omnes uti uariè, ſic optimè in ſuorum gratiam inſtituere. Cui laus ſit & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. CVIII. Carmen odæ Dauid.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

Ex duobus alíjs pſalmis, nempe LVII & LX, liquet hanc odam excerptam eſſe: quare, quæ in illis ſunt dicta, ſuperuacaneum eſſet repetere. Illud tantummodo obſeruandum, pſalmum ſexageſimum, quod Hebræorum doctiores aſſerunt, de regno, quod primùm Dauidi contigit, compoſitum fuiſſe: hunc uerò de inſtaurando poſt exílium Babylonicum ipſius regni ſtatu: quæ ſanè inſtauratio innouandí regni Chriſti, quod planè ſub dira dæmonum tyrannide exoleuerat, typus fuit. Siquidem exílij illius acerbitas, quo propemodum extincta fuit Dei religio, noſtri generis captiuitatem per Chriſti tandem cruorem uindicandã adumbrauit. Vnde aptiſsimè de noſtro dictum fuit liberatore, quòd

captiuam

A captiuam duxit captiuitatem. At illud ſeriò conſiderandũ, an in uetus illud à nobis relapſum ſit exiliũ: num adhuc ſuper flumina Babylonis noſtra ſuſpenſa ſint organa. Cùm quidem horrenda mortalium facinora mihi in memoriam ueniũt, penè adducor, ut noſtram ſuſpicer miſerabiliorem eſſe conditionem, quàm tum fuit illa ſub iugo Aſſyriaco Iudæorum. Dempta enim à mundo Chriſti ſanguinis efficacia, quam attenuant hypocritæ, nulli dubium quòd noſtra acerbior eſſet calamitas, quàm illa. Siquidem nulla amplius pro noſtris diluendis peccatis relinqueretur hoſtia, cùm illis ſexcentæ uel uno die ſuppeterent. Verùm id fide ſolida tenendum, illas omnes, præ noſtra, ſordidas fuiſſe, atq; nullius omnino roboris ac uirtutis. Illis quidem caro in primis purificabatur: noſtra uerò & cor & anima. Tantum illud exoptandum, ut homines iam demum oculos aperiant, cernantq;, quàm periculoſus is ſit uitæ ſtatus, in quo peccandi modus ſtatuitur nullus, nulla q; habetur ſalutis ratio. Cenſendum' ne eſt animas, cùm è corporibus exierint, in uentos abituras? intermorituras q; cum brutis hiſce artubus? O cæcum noſtrũ genus. Aut certè exciſa eſt à mundo Dei religio, aut nefanda docuit Chriſtus, quod ſanè impiiſſimũ eſſet credere. Mens itaq; in alijs, quàm ſint ſenſuum oblectamenta occupata, ea eſt, quæ cum ſanctiſſima hîc Vatis anima ſuam teſtatur in Deum fidem, ardens q; à duriſſimo peccati dominio liberandi deſiderium, clamat: Paratum cor meum Deus, paratũ cor meum. Sunt qui ex Hebræo, paratum cor meum, nõ replicãt. Verũ id aptè, ad exprimendũ magis animæ affectũ, promptum q; deſideriũ, atq; in rem ſpiritus conatũ, poſitũ eſſe iudico. Mirum q; continuis ſpiritus incendijs conflagret ſuo in poëmate Dauid. Nouerat enim Deum ignem eſſe: idcirco quæ de Deo tum ſciri, tum foris exprimi debuerant, ignea eſſe oportere. Quare inquit, Paratum eſt cor meum: atq; iterũ quò tua adimpleat iuſſa paratũ eſt. Recrudeſcãt in me, ut lubet, innumeræ illæ mentis permotiones, appetentiæ q; effrænes, paratũ eſt cor meũ. Nullum mihi poſthac cum mundo ſit
B fœdus, nulla pactio, nulla concordia: ſiquidẽ tuas ad amabiles admittendas inſpirationes, quæ purgatiſsimã requirũt animã, paratũ eſt cor meũ. En cor igitur, en mens, en uoluntas, en arbitriũ: tua hæc omnia ſint, tuum q; ad obſequium parata. O ſi me totum, quantuſquantus ſim, pro te contingat comburi. Tunc certè

Cantabo & pſallam in gloria mea.

In gloria mea, uertũt, ex animo: ſeu, pro uirili mea. Non deſunt etiã qui, in lingua mea, transferunt. Attamen non me præterit, quæ à nobis, quæ Dei laudes referant, peragunt, noſtram in gloriam cedere: nec; aliud quicquã eſſe, quo magis gloriari nos deceat, quã cùm in his, quæ ad diuinũ attinent honorẽ, occupamur. Reliquæ omnes uanæ ſunt occupationes, uana ſtudia, uanus uitæ curſus: quæ tamen uita proinde data eſt homini, ut ſuum agnoſcat creatorem, cognitum q; diligat, atq; ſubinde, rebus cęteris omiſsis, & quęrat, & ſeſe illi totum conſecret. Nulla quippe in nobis pars eſſe debet, quin tota illius ſit, qui æquè nos diligit, ac ſi abſq; nobis ſuum illi regnum graue eſſet ac moleſtum: adeò animarum amantiſsimus eſt æternus pater. Cui honor ſit & benedictio in ſeculorum ſecula. Amen.

PSALMVS CIX. Vincenti Dauid pſalmus.

Deus laudem meam ne tacueris.

Aliàs diximus, diras huiuſcemodi, quæ interſperſę ſunt pſalmis, ab animo diuini honoris ſtudioſo prodire ſolitas in prophetis: quocirca eo, quo prolatæ ſunt candore ac ſanctitate, accipiendæ ſunt. Nihil enim carnale aut humile ſentire poteſt anima in his quæ ſpiritus ſunt edocta. Sordidi quippe homines & impuri, quicquid altius obſtruſiusq; in ſcripturis dici audiunt, ad ſuum transferunt ſenſum, brutum nimirum & craſſum. Quòd ſi affectus illos prophetarum reconditos intelligere haudquaq; idonei ſunt, id ſaltem non neſcire contenti ſint, quòd Dei filius, qui ſumma eſt ueritas, plerunq; is eſt, qui iſtiuſmodi inuehitur ratione in improbos ſuæ ſponſæ perſequutores, ut in hoc pſalmo uidere licet, quem de ipſius tum in uita, tum in morte cruciatibus ſcriptum eſſe illud eſt

C teſtimonio, quòd Petrus uerba facturus Iudęis, hemiſtichium illum, Et epiſcopatum eius accipiat alter, in Iudæ proditoris infamiam, unà cum alia alterius pſalmi particula citauit, dicens: Viri fratres oportet impleri ſcripturam, quam prædixit ſpiritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Ieſum. atq; ſubinde haud multò pòſt addidit: Scriptũ eſt enim in libro Pſalmorum: Fiat cõmoratio eorum deſerta, & non ſit qui habitet in ea: & epiſcopatum eius accipiat alter. En uides quid uterq; ſpectarit pſalmus, nempe Chriſtũ, qui totius uoluminis pſalmorum ut eſt ſubiectũ, ita & recitator & interpres. Ait itaq; amantiſsimus noſtrî Chriſtus: Deus laudem meam ne tacueris. Dilucidius ex hebræo: Deus laudis meæ (autor ſcilicet) ne taceas, nec quæ mihi meis ab aduerſarijs irrogantur mala diſsimules:

Quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.

Quemadmodum enim de Doëg, atq; cæteris id tunc dici potuit Vatis perſecutoribus, ita de unoquoq; nunc innocentiæ inſidiatore dici poſſe non dubitemus. Inter quos primum ſibi uindicat locum Iudas Iſcariota, typus nimirũ perfidioſorum hominum ac delatorum, & quem hîc uocat ſpiritus per antonomaſiam, peccatorem, cùm proprium nihilominus illius ſit nomen, doloſus, & proditor. Quiſquis igitur dolis inſidijsq; humanam peruertere nititur conſuetudinẽ, proborumq; conturbat tranquillitatem, Iudam imitatur. Cuius ſanè animum ad lædendum anxium uolens oſtendere propheta, eum facit os, tanquam leonem in prædam, in proborum famam ac uitam aperire. Quid autem fœdiſsimum doloſorum os apertum afferat, mox intulit:

Loquuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis.

Quid è malè olenti ſepulchro prodire poſſe arbitraris odoramenti, niſi peſtiferi ac letalis? Sermonibus, inquit, odioſis, ab amariſsimoq; animo profectis, un-
D diq; me obſederunt, falſaq; moliti ac doloſa, me abſq; cauſa oppugnarunt. Hæc tota uniuerſalis exterminij ſumma eſt, cùm ſceleroſi malorũ inuentores in bene inſtitutis hominũ cœtibus locum habent, libenterq; audiuntur à magiſtratibus. Certè niſi ſynagogæ antiſtites, uel Iudam, uel delatores alios ac proditores audiuiſſent, illisq; libenter auſcultaſſent, nõ tam dirè eſſet habitus Dei filius à ſuis. A leuitate fermè principum tota illa manauit perſequutio, ut in præſentia noſtra quoque ætate manare conſpicimus. Verùm tu cogita, quàm iuſtæ fuerint Domini Ieſu querelæ.

Pro eo, inquit, vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.

Hoc eſt, pro eo quòd me dilígere debuerant, odium, obtrectationemq; rependerunt. Ex hebræo ſic uertunt quidam: Pro amore, quo illos proſequutus ſum, aduerſantur mihi: ego uerò ad orationem (miſerorum ſanè refugium) me conuerti. Nulla quidem tam acerba poteſt eſſe calamitas, quin ſubito precationis auxilio uel omnino euaneſcat, uel ſaltem noſtram ad imbecillitatem attemperet: ſed aſsidua eſſe debet. Vnde non abſq; cauſa à ſcriba illo ſanctiſsimo fuit dictum de Chriſto, quòd erat pernoctans in oratione Dei: Ego, ait, ad orationem recurri, cùm interim me illi maledictis inceſſerent, doloſisq; illa queare ſermonibus perueſtigarent. Vide illorum audaciam: Magiſter, inquiunt, ſcimus, quia à Deo ueniſti: dic, licét ne cenſum dari Cæſari, uel ne? Cernis tenerum hîc canes, ſed prudentiſsimum circunſediſſe cuniculum? Heu peſsimum in noſtram quoq; ętatem deriuatum exemplum. Dura profectò conditio, cùm charitas odio compenſatur, proq; gratia redditur obtrectatio. Quocirca non ſemel queſtus eſt Chriſtus, ſe à ſuis ingratiſsimè acceptum. Sed illud in primis: Multa, inquit, bona opera oſtendi uobis ex patre meo, propter quod horũ uultis me occidere? Clarius adhuc illorum exprimit ingratitudinem, dicens:

Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.

Damnũ (prò ſcelus) iniurias, maledicta, contumelias q; pro beneficijs, pro uita mor-

A ta mortem, pro amore odium retulere. At tu pater, quando quidem ſic expetunt, ſuauiſsimumq; amoris detrectant iugum,

Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris eius.

Diabolus ſeu ſatanas, impudentẽ hîc ſignat aduerſariũ, quem illi, populo nimirum ingrato, infeſtum eſſe precatur ſpiritus. Aduerſariũ, inquit, continuum, ſemperq; aſtantem habeat, à quo multifariam iniurijs atteratur: ſitq; illi hoſtis dominus, & is crudeliſsimus, qui mala illi inferre & uelit & poſsit. Intoleranda penitus ea uidetur ſeruitus, cùm à crudeli ſitibundoq; cruoris ciuium tyranno reguntur populi. Sed de diabolo ſpiritu neq; hæc dici quoq; arbitror, cuius dominio hi meritò traduntur, qui Deum negant, quiq; ſpurciſsimum illum ſpiritum ſibi à dextris, qui proprius Dei locus eſt, collocant. De Deo autem ſic loquitur ſponſa: Dominus à dextris eſt mihi, ne commouear. Adhuc uerò aliud pœnarum genus de illo, qui diabolum, eiecto Deo, ſibi ad dexteram aſciſcit, in ſequentibus obſerua.

Cùm iudicatur exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum.

Cùm iudicio, inquit hebræus, ſiſtitur, damneẽ, & defenſio eius degrauet crimen. Quare ſic Paraphraſtes: Cùm cauſa illius tractata fuerit in iudicio, non abeat illinc, donec impietatis condemnatus, & precatio illius exaſperet iudicem, & augeat peccatũ magis, q; remiſsionẽ impetret. Quid iſtiuſmodi repulſa calamitoſius? Atqui ſuperbarum ea eſt conditio atq; arrogantia mentium, ut ne tantillum quidem ſe agnoſcentes, cum Deo ferè audent in iudicio, ut ſic dicam, rixari, uerùm reiecte atq; exploſæ, mulcta aliqua inſigni afficiunt. Interim uerò quęcunq; agunt, nedum orant, peccatum eſt grauiſsimum, licet illis ob duritatem ex peccandi licentia contractam, occultum. Quare

Fiant dies eius pauci, & epiſcopatum eius accipiat alter.

B Præfecturam eius accipiat alter, uertit quidam. De dignitatis ablatione loquitur Vates, ne tibi Iudam, cuius mentio hîc fit, Epiſcopũ fuiſſe, ut nunc ſunt, imagineris: licet Apoſtolus fuerit, cui dignitati aut officio potius, Epiſcopi (gradus nimirũ omniũ in Dei Eccleſia excellentiſsimus) ſuccedunt. Alij etiã ex hebræo uertunt, munus, idcirco quòd id officij genus neceſſariò ab illo, qui iubendi poteſtatem habet, demandatũ ſubimus, quoq; qui ſpoliatur ſe affici ignominia arbitratur. Duas hîc igitur imprecatur tum Iudæ, tum Iudæ ſimili, calamitates, uitę nimirum, ac dignitatis abſciſionem. Breues, inquit, ſint eius uitæ dies, atq; in illius prefecturam alius illo dignior ſubrogetur. In ordinem quidem redactus uiuat in glorius, imò ignominioſam quamprimum obeat mortem. Inſuper

Fiant filij eius orphani, & Vxor eius Vidua.

Argumentũ hinc ſumunt nonnulli, Iudam uxorem habuiſſe: non eſt, credo, qui id neget. Verùm diræ iſtiuſmodi non ſolùm ad Iudam attinent, ſed etiam generatim ad omnes, qui illius imitantur perfidiam. Nam qui innocuum traducit hominem, uenditq; mendacijs, fit par Iudæ. Ad hæc

Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, & eijciantur de habitationibus ſuis.

Orat Iudæ filios, hoc eſt, proditorũ liberos patrijs à ſedibus depelli, incertoq; uagari uitæ genere, & ſic paterna ab hæreditate excluſos, mendicitati fore obnoxios. Ex hebręo ſic ferè: Inſtabiles uagentur filij eius, & mendicent, & inquirant de uaſtationibus ſuis. hoc eſt, ubi omnia quæ illorum erãt, deuaſtata fuerint, præ inopia inquirant, num ex ipſa rerum ſuarum ruina aliquid quo queant uiuere, reſiduí ſit: atq; hoc modo, & domi & foris, mendicatò uiuere cogãtur. Cauſam ſub inde huiuſce calamitoſæ inopiæ addit:

Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius, & diripiant alieni labores eius.

Irretiat, aut, ut uult Campenſis, perdat fœnerator, exactorq;, quæcunq; illorũ ſunt, ac (quod maiorem illis excitet dolorem) quæ labore illorum immenſo & ſudore ſunt parta, deprædentur alieni. Corradant penitus quicquid poſsident fœneratores, exactoresq; uiolentiſsimi, atq; labore congeſta ui rapiant extranei.

C Quid infelicius, cùm res noſtræ integræ à fœneratoribus deglutiuntur, raptanturq́; ab inexorabilibus decimarum, uectigalium, donorum quoque (noua lex) ac mutuorũ exactoribus? Quis unquam donauit inuitus? donant nihilominus nunc homines, atq; ea dant mutuò, quorum nulla ſperatur reſtitutio. Deeſt'ne ſuus tantæ calamitati cumulus? Audi:

Non ſit illi adiutor, nec ſit qui miſereatur pupillis eius.

Certè quòd inops pater à ditioribus ſpernatur, nec ſit inter eiues qui illius ſub ueniat miſeriæ, ferri utcunq; poteſt: at filios, & hos interdũ teneros, præ fameq́; ingemiſcentes, uidere uitæ ſubſidium magis lachrymis & nuditate quàm uoce à prætereuntibus rogare, ab omnibus tamen ſurdis auribus præteriri & contemni, quis tam durus pater eſt, qui totus præ dolore non rumpatur, fateaturq́; ſe propter liberorũ magis calamitatẽ angi, afflígiq́; acerbius, quàm ob propriam? Vnde nõ id mirum eſſe debet, ſi inter acerbiſsimas Dei ultionis pœnas, hanc quoq; connumerari uides, in qua rogat Vates, ut nõ ſit quem, uel ante patris oculos, illius miſereat prolis. Omnẽ id quidem dolorem ſuperat. Quid adhuc addi poſſet? Eſt'ne aliquid dirius, quod non ſit dictum? Eſt ſanè. quid oro?

Fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius.

Sit, ait, finis illius poſteritatis interitus, in ſecundamq́; non tranſeat generationem, ſed unica tantummodo conſumpti, unà cum patris memoria aboleantur filij. Quid ultrà?

In memoriã redeat iniquitas patrũ eius in conſpectu domini, et peccatũ matris eius nõ deleatur.

Longa hîc eſſet diſputatio, niſi aliud agerem: quî fit ſcilicet, quòd patrũ peccata ferant poſteri, cùm alio tamen loco aſſerat Deus, filium nõ laturũ iniquitatem patris. Verũ quod ad ſenſum pſalmi attinet, eſt dicendum, improbos filios adeò acerbè à Deo puniri, ut penè uideantur patrum errata plerunq; Dei iudicio æquiſsimo nõ animaduerſa, ferre, pro illisq; puniri. Siquidem quandiu mali ſunt
D filij, atq; à malis exorti parentibus, illorum meritò dicuntur perferre iniquitates, quippe qui à corrupta producti radice, corrupti & ipſi ſunt. Quòd ſi tamen à parentum prauitate abhorrent, illorumq; abominantur uitam, tum quidem Dei filij efficiuntur, non hominum: idcirco de his illud dici poteſt elogium, quòd filius non portabit iniquitatem patris. De illis uerò, quòd eos Deus puniet in tertiam & quartam generationẽ. Illud quoq;, Reddam peccata patrum in filios, eo quidem modo uidetur maiorum ſcelera maximopere deteſtari Deus, dum ſic in longum mulctas protrahit. De matris poſtea peccato ſpecialis fit mentio, propter ſordidum hominis conceptum, ortumq; immundum, ac, propter innatam illi uoluptatem in coitu, peccato obnoxium. Illud tamen non ignorandum, peccata illa parentum, pro quibus filij dant pœnas, ad præſentem duntaxat ſpectare uitã. Cæterùm ſuum quilibet onus in futuro ſeculo ferre cogetur. Quicunq; enim peccauerit, ipſe, non filius, aut quilibet alius, luet pœnas. At ne citius, quàm illorum fert improbitas, conſumantur,

Fiant contra dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum.

Iugi, inquit, ultione, qui huiuſmodi ſunt, puniantur, ut & ipſi, & qui ad illos attinent, penitus exterminentur, adeoq́; in nihilum abeant, ut nulla illorum amplius ſuperſit memoria. Interminabilis ſit illorum mulcta coram domino. Paulò ſecus detorquet ſenſum Paraphraſtes: Sint hæc, inquit, ueluti ob oculos poſita domino, ſed in obliuionem ueniat apud homines qui terram incolunt, ſi quid geſsit unquam memoratu dignum.

Pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiam, & perſecutus eſt hominẽ inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare.

Apertius ex hebræo: Vt interficeret contritum corde. ſeu, ut alius legit: Perſequutus eſt hominem afflictũ & inopem, & contritũ corde, ut occideret. Quid uerò ſit contritum corde, alius item ex hebræo aperit: Perſecutus eſt hominẽ deiectum, & ex corde mœrentem, ad occidendum eum. Verùm utut legas, uoces eæ omnes,

A omnes, inops, afflictus, deiectus, ex corde mœrens, triſtis, maximam præ ſe ferunt miſeriam & calamitatem. Quocirca quid atrocius excogitari unquam potuit, quàm fractum denuò frangere, canemq; excoriatum, ut eſt adagium, excoriare? Tam quidem graue eſt ſcelus, quòd primum illud poſuit Vates inter illa, propter quæ diræ illæ factæ ſunt in ſuperioribus imprecationes. Propterea, inquit, ea quæ imprecatus ſum, contingent omnia, quòd ne ſemel quidem in mentem illi uenit clementiæ exercendæ in proximũ. Imò (prò Dei fidem) ipſum fractum, quò eum penitus extingueret, atrociſsimo inſectatus eſt odio, lingua, manu, ferro, ueneno tandem.

Et dilexit maledictionem, & ueniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Nihil enim tam exactè ab homine æternus requirit genitor, quàm miſericordiam & charitatem: quibus ſanè pernicibus tanquam alis, anima ad propriam tranſuolat originem, qui Deus eſt, in quo præcipuæ iſtæ inſunt partes, amor & clementia: imò amor ipſe ſolus, cuius ſtimulus eſt clementia. Alioqui niſi ſumma in Deo eſſet miſericordia & clementia, quid in nobis eſſet quamobrem tam charè nos, ut facit, adamaret? Cæterùm maledictionem hîc uocat Dauid Dei execrationem & uindictam, qua hi in primis, qui in innocuos crudeles ſunt & duri, impetuntur: unde cæcitas promanat animæ, peruerſaq; conſilia, uecordia, ac exitialis illa religionis lues, ſuperſtitio. A benedictione uerò, quam illius eſſe beneficentiam aſſerunt & miſericordiam, mens uegeta, ad diuinaq; perueſtiganda ſolers & acuta. Maluit igitur immanis is latro execrationem & maledictum, quàm gratiam: ideo quicquid optauit, integrè eſt aſſequutus. Qui

Et induit maledictionem ſicut ueſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius.

Cur nõ, in oſſa eius, uertit interpres? quemadmodũ uertit, in interiora eius. Vi
B de an quicquam miſeriæ cumulo atq; execrationis, addi poſſet. Ipſum illum, ait, totum obruat calamitas, occupet, premat, cingat, penetret. Eæ quidem proprietates ſunt aquę, olei, ac ueſtis. Obruimur certè aquis & ſuffocamur, illis maximè quæ internè perfluunt. Olei uerò unctio mirum quàm penitus, uel uſq; ad oſſa, penetret. Cæterum ueſte tegimur, occupamur q;. Hiſce quidem uocibus uult Vates exprimere, quàm hi deplorati ſint & perditi, qui abiecta humanitate ferinos eligunt mores, duros nimirum, & in quemuis difficiles atq; iniurioſos. Quare ſic rem, ut uides, exaggerat, diraſq; diris accumulat.

Fiat ſicut ueſtimentum quo operitur, & ſicut zona qua ſemper præcingitur.

Ad ſignificandam rei alicuius perpetuitatẽ & cognationẽ, nulla efficacior potuit afferri ſimilitudo, quàm ueſtis illius, qua toti ambimur, aut balthei, quo cingimur: utraq; enim res totum colligit hominẽ, cõtinetq; in ſeſe. Ita agit impietas, ſi quem ſemel adorta fuerit, eum quippe totum, ut ſolet corpus tunica aut cingulum, cõuoluit, atq; adeò ſtrictim coarctat, ut uix illum reſpirare ſinat. En tandem

Hoc opus eorũ qui detrahunt mihi apud dominũ, & qui loquũtur mala aduerſus animã meam.

Opus pro mercede hîc poni uolunt doctiores. quare ſic Paraphraſtes: Hæc ſit merces eorũ à domino, qui mala uolunt mihi. Detrahunt item uerbum, Hebræis eſt, aduerſantur. Sed neq; detractionis uox ſuo caret ſenſu: ſolet enim id uitij genus ab immanitate, de qua tam multa conqueſtus eſt dominus, enaſci. Quid non molitur malorum crudelis animus? Aduerſus animam meam, uel uitam meam, expone: uel ſimpliciter, me, ut ex hebræo redditur. quanq; etiam animam meam, nonnihil horroris in ſe habet: nanq; ad occultas dęmonũ ſuggeſtiones referri id poſſe iudico: ad eos quoq;, qui blandis nos ad malum prouocant lenocinijs, perſuaſionibuſq; mellitis ac uafris, ut ſunt de more libidinoſi, atq; hi, qui quoquo modo uiuas, laudant tamen, atq; aſſentantur.

Et tu domine, domine, fac mecũ propter nomẽ tuum, quia ſuauis eſt miſericordia tua, libera me.

Is unus uerſus eſt. Sitibundã auxilij animã demonſtrat repetita uox, Domine, domine: quanq; Hebręis eſt, Deus domine: ſed idẽ ſenſus. Petit hîc Dei filius pa

C trem, ut ſibi tot in ærumnis, importunisq; adulatorũ oblocutorumq; inſidijs opitu-
letur: & id quidem, quoniã ſuauis illius eſt miſericordia, & pluſquàm dici po-
teſt, iucunda. Ait itaque: Mi pater, nullum huc affero hominũ meritum ac uirtu-
tem, qua tu illectus ſuppetias illi ferre debeas: ſed tuam imploro miſericordiam,
tuamq; ad opitulandum miſeris facilitatem appello. Agè, fac ut tuo reſpondeat
nomini clementia: nomẽ quippe tuum, Amor eſt. Et ut quidem unico duntaxat
uerbo quæ uolo dicam, libera me:

Quia egenus & pauper ſum ego, & cor meum conturbatum eſt intra me.

Quò enim maiorem excitet cõmiſerationem, ſuam exaggerat miſeriam: Ege-
nus, inquit, ego ſum, deſpectus, auxilio omni humano uacuus, calamitoſus. quò
me uertam? ad homines? quid homine uenalius? quid minus in fide conſtans?
Cor certè meum intra me totum mœrore contabuit. Quid? Heu domine,

Sicut ὑmbra cùm declinat ablatus ſum, & excuſſus ſum ſicut locuſtæ.

Sole quidem ad occaſum properante adeò prolixè augentur umbræ, ut cum
diei interitu in noctem abeãt. Sic uita eſt hominis, cita nimirũ ad occaſum: quem
admodũ umbra declinante luce conſumitur, in nihilumq; tandem reſoluitur. Vn
de ex hebræo ſic quidam transferunt: Incedo uelut umbra ſerotina. Quòd uerò
ait ſe inſtar locuſtæ fuiſſe excuſſum, ad morem huiuſce animantis alludens, uage
ſuæ uitæ motum exprimere uoluit, ut planè uagi ſunt, qui à tyrannis acti, nulli
certæ ſe dedunt ſedi, ſed modò huc, modò illuc tranſmigrãtes, locuſtarũ morem
imitari uidentur, quæ de loco in locum paſsim, ſparſimq;, quò ſuus ille naturalis
fert motus, ſubſiliunt. Horum depinxit faciem Apoſtolus, cùm ait: In ſolitudini-
bus errantes, & in montibus, & in ſpeluncis, & in cauernis terræ. Vidiſti ne un-
quam locuſtarum agmen tam uario circunferri ſaltu, ut hi agunt, qui à perſequu-
toribus acti, uarias mutant ſedes? Penè hunc morem imitantur noſtri temporis
religioſi, in ſuis illis de loco ad locum mutationibus. Mallem certè id uagationis
D genus moderatius præcipi, ne quod ſanctè à maioribus ob animarũ ſalutem ex-
cogitatum fuit, id odio fieri uideatur: ac iam profuſiores in huiuſmodi pagatim re
gionatimq; uagandi occaſionẽ, ne dicam ludibrium, fiant, cùm animarum, tum
rerum damno, & iactura ſumptus, quàm in accerſendis uirtutibus, aut ſubuenien
da pauperum inopia ac miſeria.

Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleum.

Sic Felix: Genua mea corruerunt. Alius item: Genua mea uacillant præ ieiu-
nio, & caro mea exaruit à pinguedine. Solebãt enim antiqui feruidis quę fiebant
Deo precationibus ieiunia copulare, ut nunc quoq; ab illis agitur, quibus quis
uerus orandi ſit modus perſpectum eſt. Raro enim à uentre ſaturo & pingui ſub
limia illa, quæ in puriſsima cernuntur oratione, comprehendi poſſunt. quem qui
dem morem in ſanctiſsima Vatis anima fuiſſe id eſt argumento, quòd ſua nutaſ-
ſe præ ieiunio genua fatetur: indicium nimirũ ſummæ debilitatis, atq; à cibo ab-
ſtinentię: quod & clarius in ultima uerſus particula exprimere nititur. Caro mea,
inquit, tota, ſubtracto cibo, ex quo oriri ſolet pinguedo, exaruit. Quare ſic uertit
quidam: Caro mea emarcuit, propter deficientem pinguedinem. Hæc ſanè om-
nia maximum in Vate, imò in Chriſto fuiſſe mœrorem indicant. Verùm ſi uox
olei non diſplicet, illud uidetur dicendum, Vatem ad domini mentem aſpexiſſe,
qui, quò ieiunium diſsimularetur, præcepturus erat ieiunantis caput ungi, fa-
ciemq; lauari. Sed prior ſenſus ad ea quæ ſequuntur quadrare magis uidetur.

Et factus ſum opprobrium illis, ὑiderunt me, & mouerunt capita ſua.

De iſtiuſmodi irriſionis genere in uigeſimo ſecundo dictum eſt pſalmo. Solet
illa eſſe irriſoribus conſuetudo, ut in deriſum caput atq; os moueant, fœdeq; diſ-
torqueant. Sic Paraphraſtes: Quicquid facio ludibrio ſum illis: quoties uident
me, moto capite rident me. Turpiſsimus ſanè is eſt mos, atq; impius omnino: à li
uore quidem atq; animi petulantia oriri ſolet. Vnde de ſeruatore noſtro Chriſto
Ieſu, in quem omne conuiciorum genus proiecerunt Iudæi, legimus, quòd præ-

tereuntes

A tereuntes blaſphemabant eum, mouentes capita ſua. Ita Dei electi in hoc mundo haberi ſolent, quò in omnibus ſuo ſint haudquaquã diſsimiles domino, qui hîc noſtræ conſulens indigentiæ clamat:

Adiuua me domine Deus meus, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Quemadmodum enim Chriſtus, ut inquit Paulus, tentatus eſt ut nos, ita & patrem, quò à malis eximeretur, rogauit. Nulla quippe in re, quò noſtram à peccati catenis aſſereret libertatem, defuit benigniſsimus dominus. Fer, inquit, opem ô Deus, meæ ſeruæ: non propterea quòd id meruerit hominum genus, ſed quia miſericors es, atq; ad condonandas noxas pronus.

Et ſciant quia manus tua hæc, & tu domine feciſti ea.

Feciſti illud, uertunt plerique. Sentiant, inquit, hoſtes tuam hanc fuiſſe potentiam, quæ iſtuc operata eſt miraculũ. Quis unquam putaſſet hominem deriſum, fereq; ab omnibus conſputum, tam ſubitò ereptum eſſe, reuixiſſe, ac uniuerſorũ dominum conſtitutũ? Tu certè domine, non alius quamuis ſublimis ac potens, tam arduum exequutus es negocium. Et quidem

Maledicent illi, & tu benedices: qui inſurgũt in me confundantur, ſeruus autem tuus lætabitur.

Aptius forſan (quod quidam uolunt) totus is uerſus optandi affectu legi poſſet, ad hunc modum: Maledicant illi ut lubet, tu autem benedicas. ſeu, ut habet Paraphraſtes: Execrentur & malè uelint mihi, modò tu faueas, nihil poterũt. Poterunt quidem (ut eſt illorum poteruitas atq; arrogantia) in me & lingua & manu furere, uerùm in medio ipſo perſecutionum æſtu & conatu deficient confuſi. Quid tum ſeruus tuus? lætabitur quidem in te, tibiq; ſalutis ſuæ uirtutem, ac ſummam acceptam referet. Abeant igitur illi ut meriti ſunt, &

Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua.

Tametſi enim diplois ueſtis ſit, ex hebræo tamen, quò ſenſus clarior reddatur,
B pallium uertunt. Rurſus uerbum, detrahunt, ut ſuperius annotauimus, Hebræis eſt, aduerſantur. Et eſt perinde atq; toti ignominia cooperiantur mei iſti aduerſarij, ſicut ſolent pallio homines cooperiri. Idem enim planè eſt quempiam pudore indui, ac tanquam pallio confuſione contegi. Illi ſic: ego autem

Confitebor domino nimis in ore meo, in medio multorum laudabo eum, quoniam aſtitit à dextris pauperis, vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.

Rident hîc noſtri temporis irriſores, quippe qui inſigni cùm præditi ſint potentia atq; hominũ fauore, nullũ unquã ſuæ fore terminũ felicitati opinantur. Idcirco tumidiores facti, quid non audent malorũ? cui non detrahunt? quem non adlatrant? Vide quomodo temerarij & impudentes Dei abutuntur patientia. Illi, inquit Chriſtus, maledicunt, blaſphemant, in Deumq; ipſum, nedum in homines, impudentiſsimè obganniunt: ego interim confitebor domino, illiq; gratias agam, atque id quidem nimis, hoc eſt, totis meis tum animi, tum corporis uiribus, totoq; affectu, atq; religionis, non queſtus, aut auræ popularis gratia in medio ipſo hominũ conuentu & multitudine eum laudabo, dicamq; intrepidè, quòd inopi, atq; ab omnibus derelicto, ad dexteram, ne in aduerſis labaſcat, nutetq;, tanquã fidiſsimus comes adſtat, illiq;, quò tandem illius uitã à callidis eripiat inſidiatoribus, iudicibusq; iniquis, quibus plenus eſt orbis, auxiliatur. Cui laus ſit in ſeculorum ſecula. Amen.

PSALMVS Dauid. CX.

Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis.

Altiſsimis is eſt grauidus myſterijs pſalmus, quippe qui de utraq; in Chriſto natura ediſſerat, obſcurè tamen, atq; in inuolucro. Huc mihi nonnihil lucis attulere feliciſsima quorundã ſcholia: quanquã, ut uerũ fatear, tardis, ut meũ eſt, ingenijs non plenè ſatisfaciunt quãuis acutè elaborata ſcholia, quę interdũ quę luce egent omittũt, dicuntq; quę omitti poſſent. Quòd ſint porrò, qui illa, quæ de ſolo Chriſto hîc dici debent, ad Dauidẽ ipſum pſalmi

C autorem referre nitantur, ſuperfluus labor eſt: quare omiſsis illorum rationibus, coactis ſanè & frigidis, de Chriſto ſolummodo hæc omnia ſcripta eſſe dicamus. Conſtat enim non ſolùm ex Euangelio, uerumetiam ex Hebræorũ doctioribus, totum hunc pſalmum intelligendũ eſſe de ipſo Dei filio, atq; eius regno, quod in Sion cœpit, atq; inde latè propagatum tandiu ſtabit, quoadeius quicquid conditum eſt, illum adoret, fiantq; illius hoſtes tanquã ſcabellum pedum eius, hoc eſt, penitus ei fiant ſubiecti. Vt Deo quidem, omnia illi ab ęterno ſubdita ſunt: ut homini uerò, in tempore id factum eſt, ſeruaturq; ad illud omnino tempus, cùm nouiſsimus deſtruetur inimicus mors. Hanc itaque filij Dei ſublimitatem prænoſcens Dauid, ſic ſecum: Dixit dominus domino meo. Dominus quidem eſt pater, dominus & filius: idem porrò uterq; eſt Deus. Atqui non prætereundum uerbum, dixit, ob id prolatũ, quòd filius eſt uerbum patris: quod etiam ex antiquis Hebræorum Rabbinis nonnulli faſsi ſunt. Sic quidam: Dixit dominus, nempe pater, uerbo ſuo. Quid dixit? quid ab æterno diffiniuit? Sede à dextris meis: hoc eſt, eſto omnium rex, primaq; fruere potentia. Solent enim principes, qui ſuam ad dexteram quempiam ſedere faciunt, omni illum ornare autoritate atq; dominio. Ita hîc de Chriſto ad dexteram patris aſcito intelligendum erit: & eſt perinde atq;, regna, ut ego, ſuper omnia. Huiuſce quidem ſublimitatis tum cœpta eſt reuelari magnitudo, cùm cœlos mortis ſpolijs onuſtus conſcendit, ſeditq;, ut inquit Marcus, ad dexterã Dei. De quo ſanè myſterio Paulus Epheſijs ſcribens fuſe admodũ ediſſerit, nempe Chriſtum quatenus hominem ad dexteram patris in cœleſtibus collocatũ, conſtitutumq; ſupra omnem principatũ, & poteſtatem, & uirtutem, & dominationẽ, atq; omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro.

Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

Deinde, inquit Paulus, finis: nanq; omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum
D dedit caput ſupra omnem Eccleſiã, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet. Per omnia quidem membra adimpleť, perficiturq; corpus Chriſti, qui omnia in omnibus, dum ipſe agit in omnibus, implet. Cęterũ Chriſti hoſtes illos eſſe diffiniũt, qui ex Deo nati minimè ſunt. Hos, inquit, tam tibi ſubiectos faciã, ut illos nõ ſecus, q; ſolet ſcabellũ, conculcare queas pedibus: illos tibi penitus ſubſternã. Donec ponam, nõ propterea dictum eſſe puta, quòd hoſtibus illius ſubiugatis, ad dexteram Dei ſedere deſinet Chriſtus. In huiuſmodi locutionis genere animaduertenda eſt ſermonis hebraici proprietas, qui nonnunquam quod ad terminatũ refertur tempus, ad interminatũ referunt, ut in Donec uidere licet, quod Latinis diffinitũ ſignat tempus, his indiffinitum: ut ſit ſenſus, tunc magis Chriſtũ regnaturũ, cùm pater hoſtes filij pedibus tanq; ſcabellũ calcandos præbuerit. Ad hunc ferè modum de coruo ex arca emiſſo legimus, qui egrediebatur, & nõ reuertebatur donec ſiccarentur aquæ ſuper terram: nunquã tamen reuerſus eſt, licet aquæ exaruerint è terra. Quid illud? Et non cognouit eam donec peperit filium ſuum primogenitũ. Vides ad quantam prolaberemur impietatem, ſi, donec, ut ferè accipiunt Latini, interpretaremur?

Virgam uirtutis tuæ emittet dominus ex Sion.

En Chriſti meritum, propter quod ad Dei patris dexteram aſſumptus eſt, regnatq; beatus. Vis, inquit, tuæ uirtutis, potentiæ nimirum, ac ſignorum, quibus planè uniuerſus deuictus eſt orbis, ex Sion primùm & Hieruſalem, Dei iuſſione prodibit, cuiq; pater dicet:

Dominare in medio inimicorum tuorum.

Hoc eſt, de illis tuo ſtatue arbitratu, poteſtatemq; in eos uel reluctantes exerce. Caue putes de regno hîc Chriſti dici, quo æqualis ſemper eſt patri: ſiquidem de illo nunc fit ſermo, quo in tempore ſanctiſsima illius in crucis ara exuſta pro nobis carne, rerum omnium dominiũ adeptus eſt. Atq; hoc prorſus modo oportuit Chriſtum pati, & ita intrare regnum Dei. Nos plumbeos, qui regnum crucis

Chriſti

A Chriſti in pluma atq; inerti ocio uerſari ſomniamus: idcirco noſtris cupiditatib. atq; ambitioni, quæ ex immoderato mundi amore naſci ſolet, finis ſtatuitur nullus. Sed ad Chriſtum redeo, quem ſic pater alloquitur:

Tecum principiũ in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorũ ex vtero ante luciferum genui te.

Mirum quantũ à noſtra uariet ædítione Hebræorũ litera huius uerſus. Verũ quò noſtra etiã mollius redderet, príncipatus, non príncipium, uertendum fuerat. Nam cùm ἀρχὴ utrunq; ſignificet, mallem uertiſſet príncipatus, quò eſſet ſenſus: Tecũ, ô fili, hoc eſt, in te, neq; aliunde proueniens erit príncipatus: regnum q; omniũ uniuerſale in die erit uirtutis tuę, eo nimirũ tempore, quo glorioſus potentia q; æterna inſignis, Deus abſq; umbra in fulgentiſsimis ſanctorũ ſplendoribus apparebis, cùm haud ita pridem ſeruus in terris uiſus ſis, & is quidẽ omniũ deſpectiſsimus. Verùm qui hebraícæ non prorſus ignari ſunt línguæ, díuerſam ex hac quoq; língua afferũt líteram, ſenſusq; uarios & obſcuros: quibus quidẽ omiſsis, unam tantũ ponere decreuímus, quã ſic reddũt: Populus tuus ſpontaneus eſt in die exercítus tui in magnificentijs ſanctítatis: ab utero auroræ eſt tíbi ros natiuitatis tuæ. hîc enim apertè de Eccleſia gentiũ loquit pater, quam populũ appellat ſpontaneũ, idcirco quòd futuri in ea erant homines, qui nõ tantũ res ſuas ac fortunas, uerumetiã propria ipſa corpora, atq; animas ſuapte ſponte pro Chriſto offerrent. Et id quidẽ in die exercitus tui, hoc eſt, tempore Chriſtianę milítię, quæ propter magnifica præclara q; ſpíritus dona, unde omnis emanat ſanctítas, cunctis fortior ſplendidiora q; facta eſt poteſtatib. Nam quemadmodũ tui tibi ſubiecti erunt, uel inuíti, hoſtes, ita tuorũ ultronea erit ſeruitus, multa q; ſanctítatis magnificentia inſignis & conſpicua. neq; iſtuc ſanè mirũ: ſiquidẽ ab utero auroræ, id eſt, ante mundi ortũ, rerũq; omniũ effectionẽ, tua, ueluti à rore flos, fœcũda erit à meo ſpíritu natiuítas. Huc quidẽ ſpectare uideret, quod quidam Rabbí Izaacanti quus Iudęorũ interpres in hunc attulit locũ: Ante, inquit, ſolem propagat nomẽ
B eius: hoc eſt, antequ crearetur ſol, ſubſiſtens & firmum erat nomẽ Meſsiæ noſtri, fuitq; ſedens ad dexterã Dei. Cæterùm qui noſtræ innitunt ædítioni, nefaſq; putant ab illa uel latũ dígitũ díſſentire, ſic hunc locum exponũt, ut uterus Dei ſit occulta illíus penitusq; incognita ſubſtãtia: ex qua quidẽ ante lucis huius uiſibilis ortũ, nempe abſq; príncipio, genitus ſit filius patri ęqualis, atq; eadẽ cum illo ędítus natura, uírtute, eſſentia, poteſtate. Non nouũ eſt in ſcripturis, uterũ pro arcano ſubſtãtiæ Dei ac deitate, metaphoricè uſurpari. Vnde illud eſt in Eſaía: Audite me, inquit, domus Iacob, qui portamini à meo utero, qui geſtamini à mea uulua. Sed illud ſubobſcurũ, quomodo ex illíus utero exierit glacies, ut inquit Iob.

Iurauit dominus, et non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternũ ſecundũ ordinem Melchiſedech.

Iam de filij ſacerdotio loquitur pater, ſimul ut de illíus regno in ſuperiorib. eſt locutus. Iurauit ítaq; pater, & nõ pœnitebit: hoc eſt, promiſit, factum q; nõ mutabit, dícens: Tu es ſacerdos in æternũ ſecundũ morem ritum q; præſcriptũ Melchiſedech: qui quidem ut rex erat in Salem, quæ nũc eſt Hieruſalem, ita & ſacerdos: cuius ſanè officium fuit populum docere, pro eo q; orare, ac ſacrificiũ offerre. Sic Chriſtus rex noſter, non tantùm in Hieruſalẽ, ſed etiã in omni omnino orbis regione, ſacerdotio pro humano functus eſt genere, cùm ſe obtulit Deo pro omniũ ſalute in ara crucis: atq; id in æternũ, quoniã ipſe eſt credentiũ omniũ, quotquot fuere, ſuntq; impræſentiarũ, atq; in poſterũ erũt, & ſacerdos, & hoſtia, ſeipſum offerens, mactansq;, ac ſuper altare ſui inæſtimabilis amoris incendens. Adde quòd ex ipſa nominis Melchiſedech interpretatione, Chriſti dignitas magis quàm ipſius regis, exprimit. Iuſtitiæ regem interpretantur. Pacis item ex Salem, in qua regnauit. Ecquis unquã efficacius Chriſto, regnũ iuſtitiæ, pacisq; tum in cœlis, tum in terris, in fidelíũ animis ſtabiliuit? Cæterùm de Melchiſedech nulla in ſcripturis fit mentio, quòd patrẽ habuerit & matrẽ, aut genealogiã, cùm tamẽ habuerit. At Chriſtus uerò nec patrem habuit in terris, nec eo modo, quo cæteri matrẽ: cuiusq; generationẽ quis enarrabit? nanq; illíus genealogiã nullus homi-

C num effari poteſt, quippe qui nec eſſe cœperit, nec eſſe deſinet. Eam ob rem illius ſacerdotium, ut diximus, æternum eſt, æternaq; illius uirtus & efficacia. Ieſus enim Chriſtus heri & hodie. Iam illud dubiũ: quid, cùm per ſacerdotiũ Leuiticũ, ut inquit Paulus, cõſummatio fieret (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid inquã neceſſariũ fuit ſecundũ ordinem Melchiſedech aliũ ſurgere ſacerdotẽ, & nõ ſecundũ ordinẽ Aaron, qui fuit de tribu Leui? Mutatio quidẽ ſacerdotij, mutandã eſſe legem demonſtrauit. Quocirca reiecto ſacerdotio illo cruento, in quo pecoribus litare conſueuerant, reiecta eſt & lex craſſa, ſtupido nimirũ præſcripta populo. Cui ſanè lex ſpiritus ſucceſsit, lex amoris, lex totius puritatis, in qua non iam pecora immunda, ſed noſtras offerri animas edocuit Chriſtus uerior altiſsimi ſacerdos, qui fuit Melchiſedech, aut Aaron. Vt enim Aaron nõ manſit in æternum, itaq; neq; eius ſacerdotiũ. Contrà uerò dictũ eſt de Melchiſedech Chriſti typo, quod manet in æternũ: atq; ita de illius ſacerdotio dici neceſſariũ erit. Verũ hæc omnia Chriſto potius, quàm alijs, cõpetere, myſticus iſte declarat pſalmus, cùm ait: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ reges.

Paulò antè filiũ ſeſſurũ ad dexteram patris aſſeruit Vates: modò uerò patrem ipſum ad filij dexterã adſtare memorat. De illa quidẽ ſeſsione diximus, omnem tum filio datam fuiſſe regnandi poteſtatem: de hac uerò dicendũ erit, quod aliàs quoq; diximus, continuũ patris auxiliũ in filij ærumnis intelligi oportere: exinde omnes illius quãlibet potentes deijciendos eſſe hoſtes. Et eſt ac ſi diceret: Dominus adſtans tibi à dextris, atque omnia quæ ad bellum faciunt expediens, reges, nedum hoſtes alios, proſternet in die iræ ſuę, id eſt, cùm ſæuire dignum duxerit, uolueritq; pro te iraſci. Ad hæc,

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum. Inſuper, *De torrente in uia bibit, propterea exaltauit caput.*

D Expreſsius ex hebræo duos hos uertunt uerſus. Sic Felix: Iudicabit in gentibus, congregauit cadauera: ſeu, ut alius, implebit cadaueribus, locũ ſcilicet præli, quo hîc maximã animaduertas hoſtiũ profligationem, quam ſubinde horribiliori quodam rurſus modo in ultimo expreſsit uerſu, dicens adeò crudele Chriſti hoſtium fore exterminium, ut ipſe, ſi uolet, ab exundanti occiſorum ſanguine, tanquã è torrente, in tranſitu poſſet bibere: quibus quidem uerbis perfectã conſummatamq; Chriſti uictoriã fore, prædicit ſpiritus: ut in illa quoq; coacta Balaam benedictione uidere licet, qui de Iſraëlitis loquens inter cætera illud addidit: Ecce populus ut leæna conſurget, & quaſi leo erigetur, non accubabit donec deuoret prædam, & occiſorũ ſanguinẽ bibat. Hoc igitur ſchemate ſignat Vates tantum ſanguinis effundendũ, ut è flumine ex hoſtiũ cruore facto rex hic bibiturus ſit. Propterea, inquit, exaltabit caput: hoc eſt, alacriter, ob rem feliciter geſtã, ſuum exercebit imperium, factus nimirum omnibus ſuperior. Poſtremò, quod in ſuperiori dictum eſt uerſu, conquaſſabit, ſeu uulnerabit capita in terra multorũ, de tyrãnis, ſuperbisq; magiſtratib. liquet dici, qui cùm in terra multorũ regnent, multisq; præpoſiti ſint populis, ferino ſe habent more, ne dicam impetu, crudeli nimirũ & furioſo: quiq; haud ſecus ſuos ſibi ſubditos tractant, atq; ſi canes eſſent aut feræ. Quem ſanè morẽ nõ ſolũ in rebuſpub. urbibusq; nõnullis locũ habuiſſe uidimus & experti ſumus, uerumetiã in ſacris interdũ ædibus, diuisq; ipſis conſecratis maximo conſpeximus dolore. Hos itaq; tanq; multorũ capita, ſed dira & inhumana, iri contritum prædicit Vates. Iam illud quoq; non ſilebo, me minimè præterire, quid piarũ huc afferant meditationũ expoſitores: quas quidem ut ſum miſſe ueneror & exoſculor, ita, ne nimius eſſem, omittere illas malui, q̃ meo ab inſtituto diſcedere: quod ſanè ſtrictius forſan, quàm tanta poſtulat rei maieſtas, nonnunq; exprimere conſueſco. Faſtidio certè lectoris obtemperandũ ſemper eſſe cenſui. Sed & illud, anteq; pſalmũ claudã, nõ prętermittã, quod in ultimo deprehenderũt uerſu nõnulli, ſanctiſsimè id quidẽ & ueriſsimè: nempe ornatũ illũ

omnem

A omnem uirtutis, poteſtatiſq; regiæ & ſacerdotij, quo totum pſalmum interſperſum uidimus, Dei filio idcirco contigiſſe, quoniam de torrente, hoc eſt, de crucis amaritudine, deq; perſecutionum amne ac fluuio, in hoc arduo uitę tranſitu acerbiſsimè bibit, bibetq; in ſuis quoad uita hæc durabit. Certè ſi rem expendimus diligenter, nulla, quæ nobis magis utilis ſit, oſtenſa eſt uia, quàm illa quæ ad crucem ducit. Id ſanè durũ atq; amarũ uitæ genus noſter elegit dux Chriſtus, quem quotidie audire mihi uideor clamantem, meq; ſeuerè increpantem: Piger quid dormis? an te clàm eſt, quòd per multas tribulationes, hoc eſt, per crucis tolerantiam, te oportet intrare regnum Dei? Cui ego: Id ſcio domine: ſed mea me fallit teneritudo ac mollities, cui libentius, quàm crucis aſperitati, aſſentiri ſoleo. Mea igitur ſit miſeria, tua autem clementia, ac, qua ſuſtentor, miſericordia, ô clementiſsime. Cui & honor ſit in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. CXI. Halleluia.

Confitebor tibi domine in toto corde meo, in conſilio iuſtorum & congregatione.

In aliquibus ex ſuperioribus pſalmis idem ferè eſt argumentũ, quod in hoc quoq;, cuius titulus penè quid ſibi uelit exprimit. Quemadmodum enim à laude magnificentiæq; diuinæ ordiri confeſsione, ſic agit in enarratione ac fine tandem, dicens: Laudatio eius manet in ſeculum ſeculi. Iucundiſsimum id eſt argumenti genus, quo Deus laudatur: nos uerò, ut meriti ſumus, reprehendimur, contra nimirum hypocritarũ morem, qui tametſi Deum, aut Dei amicos forſan laudari libenter audiunt, ſe tamen reprehendi ęgrè ferunt, imò ingerunt ſeſe, ac quodam ſe occultiſsimo inſinuãt modo in celebritatem illam laudum, quæ Deo debetur. Peſsimum quidem iſtuc eſt hominum genus, quoq; uniuerſus corruptus eſt orbis. Vis' ne, inquit ſenex ille, mundo hoc in pace frui? Lauda omnes, uel eos maximè, qui præſunt cæteris. Equidem (ut quod ſentiam loB quar) huiuſmodi non mihi ſatisfaciunt paradoxa, utpote à Chriſti lege diſſona, atq; omnino aliena ab eorum inſtituto, qui Dei ſpiritu afflati nequeunt, quantũ ſat eſt, tum in ſe, tum in alijs, malefacta deprimere. Inter quos quidem ſanctiſsimum fuiſſe prophetam arbitror, qui dulciſsimã ſuam à Dei laude exorſus odam, ſic ſuum teſtatur affectum: Confitebor tibi domine in toto corde meo, in conſilio iuſtorũ & congregatione. De iſtiuſmodi confeſsionis genere ſic ſentit Auguſtinus: Non eſt hîc, inquit, confeſsio peccatorũ, ſed laudis. Illa luget, hæc gaudet: illa uulnus medico oſtendit: hæc de ſanitate gratias agit. Ait itaq;: Celebrabo te, ô domine, laudibusq; te efferam ex animo tantulo hoc meo, quantuſquantus ille ſit, cùm priuatim quidem in conſilio ſanctorũ, tum palàm publico in cœtu hominum & conuentu. Sunt qui hîc legunt, in concilio. quam literam ſequutus Paraphraſtes ſic reddidit: Omnia mea Deo accepta referam ex toto pectore palàm in cœtu & congregatione iuſtorũ. Illud aduertendũ, ſolos iuſtos, eos utiq;, qui Dei laudem in primis expetunt, ea libenter quæ eò tendunt, audire, fructumq; inde uenari. Eapropter inter hos ſolummodo ſe Dei laudes celebraturum teſtatur Vates. Quæ uerò illa ſint, quæ de Deo laudare inſtituit, mox intulit:

Magna opera domini, exquiſita in omnes voluntates eius.

Forſan dilucidior eſſet litera, ſi ſic cum Hebræis uertiſſet interpres: Magna opera domini, & exquiſitè facta iuxta omnia deſideria, ſeu beneplacita eorum. ut eſſet ſenſus: Quàm modis omnibus eximia, planeq; omnem ſuperantia ſublimitatem ſunt, quęcũq; operatus eſt dominus: quæ certè exquiſita, diligenterq; perueſtigata, adeò perfecta uidentur, ut qui illa, eo quo cõuenit animi candore contemplatus fuerit, tantam in illis deprehendet ſapientiã, atq; erga homines charitatem, ut nihil amplius optare queat: quippe quæ omnia omniũ uota excedant, uincantq; mortalium omniũ ſpem, atq; expectationem. Illa tum demũ uera eſſe uidetur cognitio de Deo, cùm illum noſtrũ omnem excedere intellectũ & comprehenſionem non ignoramus. Interpretis litera, etſi obſcura eſt, in eundem ta-

C men ſenſum cum illa, quæ eſt Hebręis, recidit. quanquã non me latet, uoluntates eius ad Deum referri à nonnullis. ut ſit ſenſus: Dei opera diligentiſsimè conſiderata, probos incitant ad amplexandas illius uoluntates, nempe illius mandata. Alij rurſus alios ſimiles afferunt ſenſus, quare cuilibet ſuum ſit iudicium & guſtus. Cæterũ ſenſus illos libenter audio, qui meum ſedant animũ, nõ inquietant. Per allegorias uerò, atq; iſtiuſmodi luſus uagari, ut quidem non uitupero, ita, quia meum non eſt inſtitutũ, non facilè amplector. Scio equidem, ut ad propoſitum reuertar, immenſa eſſe, atqueadeo omni magnificentia ac ſplendore prędita Dei opera. Scio & illud, noſtrum intellectũ ad ea plenè cõtemplanda cæcutire. Scio rurſus, ita ſapientia, prouidentiaq;, & erga homines bonitate grauida eſſe, ut nihil in eis, quod pleniſsimè noſtram impleat mentem, excitetq; ad noua ſem per inquirenda, deſideretur. Scio tandem, quòd

Confeßio & magnificentia opus eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.

Vis ne, inquit, breuiter quale ſit Dei opus audire? Non iam laude dignũ eſt ali qua, ſed ipſamet eſt laus, ipſamet gloria, ipſamet celebritas ac magnificentia. Hincq; perfectiſsima illius exoritur iuſtitia, qua nimirũ undequaq; bonus eſt, ac ſummè, etiam in hoſtes, beneficus, & quæ, ut omnibus perfecta ſit numeris, manet in perpetuum. Quocirca

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator dominus.

Vltra non procedit uerſus Hebręis. Ne quidem nimium in diſcernendo inter miſericordem & miſeratorẽ, quam ſanè uocẽ uix accipiunt Latini, diſcruciemur, conſulendi ſunt Hebræorũ interpretes, qui aut pium & miſericordẽ transferunt, aut mitẽ & clementẽ. & eſt ſenſus: Cùm ſit pius dominus & miſericors, effecit ne unquã (ſic reddit Campenſis) ut perire poſsit memoria operũ ſuorũ tam mirabilium? Etenim mirificis illã inſculpſit modis in electorum mente, ut tabulæ propé modum facti ſint, in quibus diuinæ conſcriptæ operationes uulgò omnibus con
D templandæ exponantur. Quid? nõnne ipſa quoq; ex ſe Dei opera, quædam ueluti memoria, quam fecit dominus, quò perpetuò memores illius eſſemus, dici poſſunt? Nam (ut cætera ſuæ benignitatis indicia prætream) cùm populus acerbè nimium tum ab Aegyptijs, tum à finitimis in deſerto uexaretur hoſtibus, fameq; non ſemel periclitaretur,

Eſcam dedit timentibus ſe, memor erit in ſeculum teſtamenti ſui.

Sunt qui hunc locum de diuitijs ex Aegypto per Hebræos corraſis exponũt, nixi nimirũ uocis hebraicæ, quã noſter uertit interpres eſcam, ſignificantia: quæ tametſi prædam ui correptã, utpote à feris, ſignificat, nihilominus & ad facultatum prædam, quinetiam ad uictum non raptũ transferri poteſt. Vnde in prouerbijs de muliere prudente loquens Salomon, illud inter cæteras illius, quæ à prudentia proficiſcunt, actiones attexuit, quòd ſurgens de nocte dedit prædam domeſticis ſuis. Tareph uox, quę tum hîc, tum eo in loco ponitur, & prædã & uictũ ſignificat: uerũ interpres prædã maluit uertere, quàm uictũ: quàm uerò aptè, iudicet lector. Ancillis enim, ac cæteris qui domi res exequunt operoſas, parabilem de more dant cibũ, nõ prædam aut carnes à feris occiſas. Eo igitur modo hunc intelligunt locũ nonnulli, quo illud alterius pſalmi: Eduxit eos cum argento & auro. unde adiectũ putant, Memor erit in ſeculum teſtamenti ſui ſeu fœderis, quòd multis ſanè antea annis cũ Abrahã percuſſerat, dicens: Gentẽ cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo: & poſt hæc egredient cũ magna ſubſtãtia. In hanc quoq; pedibus ueniſſe ſententiã Paraphraſten uideo, qui ſic uerſum reddidit: Spolia hoſtiũ diui ſit cultoribus ſuis. Verũ quod quidam huc de ſacroſancto euchariſtiæ cibo & potu afferunt, libentiſsimè audio: cui & ego ſuauiſsimũ addo Dei uerbi ſympoſiũ. Vtraq; menſa ad Dei fœdus cum hominibus initum pertinet. Pollicitus quidem iam prima à rerum conditarum origine fuerat Deus, ſuos puriſsimo tum ſuę carnis & ſanguinis, tum Euangelij edulio nutriendos, illorumq; alimento ita robuſtè corroborandos, ut ex homínib. dij efficerent. Feliciſsima ſanè paſtio, qua exa

turata

A turata anima in diuinã penè transmigrat naturã, fide id operante, atq; amore illo, qui naturaliter igneus est, incendente, exurentéue, si quid in ea terrenæ inuenerit contagionis. Atqui fides illam in primis operat excellentiã, ne dicã diuinitatem, quam animę, ob dignam carnis cruorisq; Christi Iesu perceptionẽ cõtingere diximus. Amor postea igneã illam totam reddit, leuemq; adeò efficit ac cœlestem, ut se in corpore hoc graui atq; inerti uix esse deprehendat. Sed hęc tardis uidentur animis obscura, quia intentata: siquidem excellentiam duntaxat, ac

Virtutem operum suorum annunciabit populo suo, vt det illis hæreditatem gentium.

Vt enim de populo illo Iudaico olim Dei, nunc satanæ, hæc uerè dicta uideantur, quòd fuerint illi gentiũ fortunæ traditæ: ita, ut nostræ religionis umbella, de nobis quoq;, & uerius dici possunt, quibus uis illa pręclarissima operationũ Dei per Christum tam aperta facta est ac lucida, ut indubitanter nostram Ecclesiam spectasse censendus sit Vates, non synagogam Iudæorum tantùm: in qua licet fides, quam uirtutem operum Dei esse ducimus, magis exigeretur, quàm cultus exterus, id tamen nisi à paucis pręstari potuit. Nondum enim erat spiritus datus, nondumq; cruor Christi cunctas sibi uindicauerat iustitiæ partes. Vim igitur, roburq; diuinarũ operationũ, quæ tunc sub uelo atq; in caligine cerni poterant in Aegypto, in mari Rubro, in deserto, atq; in primis in lapideis illis, in quibus conscripta fuit lex, tabellis, modò uerò quæ palàm aperteq; in eius Ecclesia, in baptismo, in fidelium conuentu, in Euangelij prędicatione, imò in lege alia, alioq; stylo, nempe spiritus sancti, scripta exarataq; in electorũ animis, non tantùm cerni possunt, uerumetiam pergustari, atq; ad medullas usq; animæ trajici, deglutiriq;, suo solummodo reuelauit populo, qui sumus nos: modò hi simus qui dicimur, nempe Christiani: hoc est, tum moribus, tum uitæ conuersatione & charitate, Christum referentes: atq; id propterea, ut det nobis hæreditatẽ gentium, quibus sanè cœlestis promissa est, exclusa Iudæorũ turba, beatitudo. Non iam hîc terram
B Chanaan adire libeat, non Ammorræorũ, non Hiericontinorum, non cæterarũ nationũ agros ac uineas pollicetur nobis Deus pro hęreditate, quæ propria fuit Iudæorum: sed spiritum, sed gratiam, sed misericordiam, sed remissionem peccatorum, sed cœlum ipsum tandem. Hæc sanè hæreditas est gentium, de qua illud Dei est ad Abrahã: In semine tuo benedicent cunctæ cognationes terræ. Nam

Opera manuum eius veritas & iudicium, fidelia omnia mandata eius.

Quæ enim cunq; egit olim Deus, quæ ue agit in præsentia, aut aget unquam in posterum, ueritatis, iudiciiq;, & æquitatis plena sunt: nanq; quod pollicetur præstat, similiterq; cuncta iustissimo ponderat ęquilibrio. Quocirca fidelia, suiq; semper similia sunt illius præcepta ac iussiones. Vide in diuinis rebus constantiam & rectitudinem. Aequa enim præcipit Deus, & quæ ab omni horrent fuco & simulatione: quoniam quæcunq; aut agit aut cogitat, ueritate nituntur atq; æquitate. Quare solida esse debent, ac iusta, quę statuunt hi qui Dei uices in terris agitant. Aliud quidem est elephantibus aut ursis non prorsus disciplinæ expertibus imperare, aliud homini natura docili, freno tamen reluctanti, si qui imperant stolidi sunt & inepti. Nullum quippe infortuniũ molestius experimur in hac uita, quàm si ab iniquis aut stupidis contingit nos, non dico gubernari, sed confundi magistratib. Proinde istiusmodi (si Deo placet) dynastis sorte potius humana, q; uirtute ad dignitates obtrusis, & die & nocte inculcandum erit, clauisq;, si uerba non suppetunt, infigendum ferreis, Fidelia omnia mandata eius: hoc est, fide plenæ sunt Dei præceptiones, ideo ratæ & iustæ sunt. Mites insuper, ueræ, moderatæ, summoq; expensę iudicio: ut planè sunt ea omnia, quib. formata est meę professionis lex ac regula, ab euangelica nimirũ dependens suauitate ac dulcedine. Idcirco illam discretione præcipuam diuus appellauit Gregorius: quam quidem laudem meruit, opinor, quoniam ne digitum quidem à suauissimis Christi, qui mitissimus omnium fuit, declinat mandatis, quæ fidelia sunt ac salutaria, ideoq;

Confirmata in seculum seculi, facta in veritate, & æquitate.

C Citius enim cœlum & terra tranſibunt, quàm uel unus è lege ſacra expungi queat apex: nanq; cùm pura contineat mandata, æternamq; bene uiuendi præcipiat rationem ac uiam, ęterno & illa fulcitur fundamento. Verba, inquit, mea nõ tranſibunt, licet condita omnia tranſeant, & curſim dilabantur. Siquidem quæ, ut dixi, ueritate & rectitudine connituntur, utpote quæ à Deo, qui ſumma eſt ueritas & iuſtitia, dependent, æterna illa omnino eſſe neceſſe eſt. Quamobrem non abſq; ſpiritus conſilio eſt dictum, Dei præceptiones confirmatas eſſe in ſeculum ſeculi. Cuius porrò firmitatis illud maximè fuit indicium, quòd illam, quam toties ſuo in fœdere promiſerat,

Redemptionem miſit dominus populo ſuo, mandauit in æternum teſtamentum ſuum.

Hîc iam apertè de Euangelij perpetuitate ac Chriſti, qui humanæ redemptionis autor fuit ac nuncius, fit ſermo: quare non ſemel Paulus illum noſtram appellat redemptionem. Ipſeq; de ſe olim teſtatus eſt, ſe à patre idcirco miſſum, ut prædicaret captiuis redemptionẽ. Quomodo uerò id aut actum ſit, aut agi potuerit, non dicam modò, aliorũ is eſto labor: mihi ſat fuit myſteriũ indicaſſe, quod ſanè primũ in admiranda illa Iudæorũ ex Aegypto liberatione uelatũ, per Chriſtum tandem, quid lucis in ſe haberet, innotuit. quam quidem lucem Euangelium eſſe credimus, quod pater, tanquã pacis atq; reconciliationis fœdus cum homine, æternum eſſe decreuit. Dabo, inquit, uobis teſtamentũ æternũ. Semper enim uſq; ad mundi conflagrationem dominus Ieſus ſuos à peccatis aſſerit, purgat, uitaq; illa animat, quæ abſcondita eſt in Deo. Quapropter

Sanctum & terribile nomen eius.

Cur non ſanctum? cur nõ terribile & uenerandũ, ſimulac tam ſtupenda, tamq; inſolita mundo, in electorũ gratiam operatus eſt, operaturq; continuò? Nónne in nomine Ieſu omne genu flectitur? Quid illud? In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquent nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferũ quid biberint, non
D eis nocebit. O certè nomen amabile: nomen, quo inuocato ſeruantur quotquot fideles illi ſunt. Flagrantiſsimũ nomen atq; ignitum, quo autore ipſa etiã glacies incenditur, ęquéue exuritur, atq; ſolet ſtipula aut ſulphur uix tacta flamma. Quis hoc audito, medullitusq; intellecto amore non emoritur? non colliquitur? non totus præ dulcedine exhauritur? Iſtiuſmodi credo accenſus affectu ac deſiderio Theophilus frater, ſic ſuum hendecaſyllabo ſolatur æſtum, Ieſum alloquens:

Flagrantiſsime Ieſu amoris ardor,
Et repleta ſitis, repletioq;
Diuinæ ſitiens perennitatis.
Flagrantiſsime Ieſu odoris arbor,
Miſcens nectareum croco liquorem,
Spirans ambroſium roſis odorem.
Amantiſsime Ieſu honoris autor,
Qui nos degeneres, diuq; Lethes
Sopitos fluuio Vocas ad aſtra.
Pientiſsime Ieſu amaror & fel,
Dum clauos crucis horridos amaræ
In te Vltro rapis, Vtq; dulcor, Vt mel,
Vt ſis ſimul mihi miſello.
Quid tibi referam tot ob dolores
Clementiſsime Ieſu? an appetis cor?
An cor appetis iſtud aridum? Ecce,
Qualecunq; habeas, ferasq; tecum.

In nomine igitur tuo, ô benigniſsime, ſeruant electi. Et quidẽ nomen tuũ, ut ait Vates ille, nominabit tibi à Deo in ſempiternũ, pax iuſtitiæ, atq; honor pietatis. Verùm illud cauendũ, ne tam uenerandũ, atqueadeo, ut inquit Malachias, horribile inter gentes nomen ſuperbè contemnamus, deſidiaq; auerſemur. Siquidem

Initium ſapientiæ, timor domini.

Hoc eſt, ueræ cognitionis Dei exordium eſt, timor domini, quò ad illius trepident iudicia homines, atq; ad eius uerba & pollicitationes moueãtur. Nam quidem Deum, ut conuenit, metuere, illumq; reiectis ſuperſtitionibus, ſcrupiſq; ſuperuacaneis eliminatis, ſyncerè atq; animoſe colere, totius religionis fons eſt, ac radix. Inſuper

Intellectus bonus omnibus facientibus eum.

Qui tali, ut diximus, affecti ſunt metu & reuerentia, quiq; ea faciũt, Dei ſcilicet mandata

A mandata, aut opera illa quidē, quæ in ueritate, uerōq; iudicio fieri ſolent (eum ad timorem referunt) his bonum impartitur animum, rectumq; in rimandis cœleſtibus, ne errent, intellectum, Dei bonitas. Ac, ne quid illius deeſſe poſsit felicitati,

Laudatio eius manet in ſeculum ſeculi.

Tametſi enim hæc ultima pſalmi pars de homine dici queat, qui timet Deum, quòd illius ſcilicet ſit laus perpetuò duratura, ut ex Hebræo facilè poteſt colligi, tamen & ad Deum ſi referatur non erit inconueniens. Imò etiam, ut mea eſt opinio, is germanus uidetur ſenſus, ſi ſic rem abſoluas: Intellectus bonus certè illis eſt ac perſpicax, qui ea operatur quæ iuſsit Deus. Verùm ne laudem illam, quæ ſanctis debetur actionibus, homini, non Deo, noſtra tribueret infidelitas, mox ueluti abſolutiſsimum undequaq; additū eſt à ſpiritu ἀξίωμα: Laudatio eius, nempe Dei, manet in ſeculum ſeculi. Amen.

PSAL. CXII. Halleluia.

Beatus uir qui timet dominum, in mandatis eius cupit nimis.

Nulli dubium eſſe debet, ueram illam tandem eſſe hominis tum hîc in præſenti uita, tum in futura, beatitudinem, quæ in Dei cognitione poſita, à doctioribus ſapientia appellari ſolita eſt: cuius originem Dei timorem illum eſſe exiſtimant, qui à caſto trepidaq; affecto ueneratione dimanat corde, ut ferè ſolent affici erga parentes filij. Hanc quidem à ſtultis contemni, deriderіq; ſuis in Prouerbijs queritur Salomon. A timore igitur, quo uenerabundi in Deum ferimur, in illius cognitione, ſi non multum adeò in hoc mundo proficimus, exardeſcimus tamen & delectamur. Et hæc quidem uera eſt ſapientia, ex qua beatitudo. Nam quo alio medio è ſenſibus hiſce brutis exire queat homo adhuc uiuens, præterquàm diuinæ puriſsimæq; Dei notionis, unde amor exoritur, non uideo. Itaq; Vates tantarum rerum neutiquam ignarus, in hanc planè diuinam, ſed ſtu-
B poris plenam prorupit uocem: Beatus uir qui timet dominum, in mandatis eius cupit nimis. Vide operum delectationē diuino copulatam timori: id enim ſignificat, cupit nimis, & eſt ſenſus: O beatum uirum illum, qui Deum timet: nanq; ut cætera, quæ illi contingent, bona ſileam, in illius præceptis ſupra omnia delectabitur: & legem, & legis datorē ardentiſsimè diligens, in illis, quibus ſe mirandū in modū oblectare poſsit, inueniet. Vis ne, mi lector, quò ſe extendat aliquando mandatorū Dei cōcepta in corde delectatio, audire? Nō ſolùm enim, qui illo affecti ſunt dono, amicos diligunt, eisq; faciunt bene, ſed etiam hoſtes ipſos nō minori, quid minori? maiori ſæpenumero charitatis nota, nempe beneficijs proſequuntur, q; proprios familiares, neceſsitudineq; cōiunctiſsimos. Exceſſus is quidem diuinus eſt, atq; illis inſolitus, qui quoſdam indoctos, ne dicam abſurdos, in Dei obſequio & amore conſtituūt gradus: cū ea uera ſit in Dei amore inſtructio, nullum ſeruare modū aut gradum, ſed illò abſq; ordine ferri, quò ab igne raptamur. Scilicet incendijs præſcribi poteſt modus aut terminus. Voluntas quidem in negocio ſpiritus non poteſt eſſe nimia. At tu, qui hæc, quæ dico, experiris, uide inquieti huiuſce amantis è cœlo compenſationem.

Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur.

Qui externis opibus & fortunis, & non his, quæ in animo inſunt, bonis, uim potentiæ metiri conſueſcunt, id refugiunt audire, quòd filij timentiū Deū ut plurimum in hoc mundo debiles & contempti, potentia aliqua prediti ſint: ſecus hi, quibus robur perſpectū eſt fidei, cenſent. Siquidem nullam eam eſſe potentiam arbitrantur in homine quamlibet amplo inſigni dominio & diuitijs, ſi Dei timore uacuus ſit. Contrà uerò eum potentiſsimū omnium appellare non dubitant, qui Deum timet. In rebus quidem corporeis, atq; ad uitæ uſum neceſſarijs, quantum ſat eſt appetit, abundat etiam: in ſpiritualibus autem, uel cùm non aduertit, exuberat. Quî non illum fortiſsimum, mundoq; formidabilem dicam, qui inferiora hæc omnia ſuo ſubiecit imperio, magnitudineq; animi contempſit? Si cur-

C ta domi eſt ſuppellex, ſi tenuis uictus, ſi in agris ſterilitas, bona huiuſmodi fortunæ, prout ſunt, uaria ſcilicet, inconſtantia, perfidiæq; obnoxia, & plerunq; in immeritos contingentia, nunquámue animum explentia, reputat. Vnde iſtiuſmodi, quæ ſors iſta fallax producit, rebus cõtentus, maximas deridet fortunas, quas qui poſsident, raro explentur: raro, ſat eſt, dicunt: raro, quæ ea ſint, quæ uere ſatiant animum, ne per tranſennam quidem intuentur. Agè dic, uter horum potentior tibi uidetur? rex ne, qui nullis quãuis copioſis expletur diuitijs: an ciuis, cui uix cibarius ſuppetit panis, ſed quieto uiuit animo? Vide tranquillum cor in ſene illo, qui ſic ſuum hortatur filium: Pauperem quidem uitam gerimus, ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deũ, & receſſerimus à peccato, & fecerimus bene. En quomodo bona multa Deum timentibus obueniunt: quos ſanè generationem rectorum appellat ſpiritus, quam feliciſsimam fore uaticinatur. Semen itaq; ac poſteritas illius, qui Deum metuit, utpote à parente in eadem inſtructa religione & timore, quicquid tenuitatis occurrerit, potens erit, ac diues, etiam in terra hac infelici, ubi plerunq; qui Deum timet abijcitur, calcatur, à uitæq; commodis, nedum honoribus & dignitatibus, in quibus maxima ſolet eſſe potentia, excluditur. Veruntamen

Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.

Vide prudentiam Vatis. Ne putes, inquit, mundi huius diuites ea ſe habere ratione cum his, qui ſpiritu pauperes ſunt, hoc eſt, in immenſum ditiſsimi. Rari quidem ex illis inueniunt, qui à recto nõ exorbitent, propterea quòd ea ſit diuitiarum natura, ut facilè, etiam ſapientiores, à iuſtitiæ itinere deturbent: horum uerò iuſtitia æterna eſt, quippe quæ illorũ ſtrictim adeò adhæſit animis, ut è corpore demigrantes illam quoq; ſecum ferant, Deoq;, à quo illa proceſsit, offerant. In erogatorem igitur ſuum refundunt donum. Cęterũ tametſi pro gloria in hebręo legimus, opes, ſeu opulentiam, tamen glorię uocem mirabiliter ad huiuſmodi ti-
D mentẽ Deũ pertinere iudico, ſi illa ad exiſtimationẽ, bonumq; nomen referatur. Suauiſsimus is odor eſt, gloriaq; ita celebris & inſignis, cui nullæ, ne regiæ quidem, ęquiparari queant opulentiſsimorũ hominũ diuitię. Malo quidem bonum nomẽ in paupere, quàm infamem uitijsq; inquinatũ ſatrapam, aut regem quamuis diuitem & potentem. Sed quid ſi à turpiſsimis nonnunquã fœdari contingit delatoribus atq; maledicis proborũ hominũ uitam? Quid id refert, ſimulatq; illorum nomina ſcripta eſſe in cœlis ſapientiſsimus affirmat magiſter? In cœlis igitur bona ſua omnia, diuitias, gloriam, ſplendorem, lautitiamq; eſſe uolunt & cognoſcunt pauperes ſpiritu. Quocirca nõ iniuria dictum eſt, quòd iuſtitia illorum manet in ſeculum ſeculi: & quòd

Exortum eſt in tenebris lumen rectis, miſericors & miſerator & iuſtus.

Rurſus, ut in ſuperioribus egit, Deum timentes rectos appellat: quibus tandem cœleſtis cognitionis lumen, ex quo maxima animæ exoritur conſolatio, in tenebris interlucere aſſerit. Tenebras hîc uocat propheta aduerſa, nempe paupertatem, morbos, perſecutiones, atq; id genus alia crucis præludia: lumen uerò conſolationẽ, quæ, ut dixi, ex Dei cognitione oriri ſolet. Fitq; ex eo lumine ac face ſpiritus, totus cœleſtis homo & deiformis. Quare à ſe exiens, quicquid lucis in ſe eſſe pernoſcit, in alios transfundere conatur: adeò benignus iam factus eſt, miſericors & iuſtus: hoc eſt, omni uirtutum, cœleſtiumq; bonorũ cumulo ditatus. Quòd porrò has uoces, miſerator, miſericors, & iuſtus, ad hominẽ Deũ timentẽ retulerim, me admonuit Paraphraſtes, qui ſic uerſum tranſtulit: Exoriet, alijs de ſidentibus in tenebris, lux rectis, clementi ſcilicet, pio & iuſto. Vnde mox addit:

Iucundus homo qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio.

Vltra non procedit uerſus Hebræis: cuius is ſenſus erit: Ter felix quidem eſt uir ille, ac mundo commodus, cuius mouentur uiſcera in egenos, datq; illis mutuò. Is certè quæcunq; aget, loquetur ue, recto diſpenſabit iudicio: nihil temerè, aut inconſultò proferet. Non te moueat, quòd ad actiones quoq;, diſponet ſermones

A mones ſuos, referre libuit: Symmachus enim ui uerbi gręci, non ſermones, ſed rationes, tranſtulit: ut ſit ſenſus, quem etiam ex Hebræo reddidit Campenſis: Dabit, inquit, illi dominus eam prudentiam, ut diſpenſare ſciat reliqua, quæ tractanda illi erunt, cum iudicio, hoc eſt, conſueto bonis delectu, qui is eſt, ut proſint omnibus, officiant nemini. Cæterùm iucundus, mirum quàm aptè huic quadret loco: ſiquidem uiro ab anguſtijs preſſo, cum malaq; conflictanti fortuna, nihil iucundius accidere poteſt, quàm ſi de improuiſo quis ferat ſuppetias. De iſtiuſmodi hominum genere, qui miſerentur & cõmodant, illud uerè dici poteſt alterius pſalmi elogium, quòd tota die miſerentur, & cõmodant: contra nimirum peruerſam quorundam conſuetudinem, qui tota die nefandiſsimis affligunt populos oppreſsionibus & uſuris. Reſonat iam cœlum ipſum ex mœſtiſsimis oppreſſorũ ſuſpirijs atq; eiulatibus, nedum montes, aut in quibus deliteſcũt, ſolitudines, propter inſaturabilem illorum famem, qui deuorant plebem Dei ſicut eſcam panis. Hos tamen certiſsimus (non inſoleſcant) citiſsimusq;, ſimul cum illorum nomine acre, manet interitus. Contrà autem,

Quia in æternum non commouebitur, in memoria æterna erit iuſtus.

Vide iucundiſsimã antitheſin. Illi quamprimũ ſuæ crudelitatis luent pœnas: iuſtus uerò, ille, dico, de quo aſſeritur, recto eum ſua omnia diſpenſaturũ iudicio & delectu, perpetua uigebit in ore hominũ memoria & celebritate, idcirco, quoniam ſuo nunquã dimouebitur loco, ac firmo erga Deum propoſito. Et quidem in Deo, qui uita eſt omnium, poſitum, cur cum impijs, quorũ finis mors eſt, exoleſcere, atq; cum illis interire timebimus? Etenim

Ab auditione mala non timebit, paratum cor eius ſperare in domino.

Hoc eſt, ſi quid malorũ ſibi à mundo intentari audierit, iam fidei umbone protectus, non timebit, non à concepta de Deo fiducia dilabetur, tantum abeſt ut à
B pugna meticuloſus excedat. Siquidem cor habet uirile, atq; ad ſpem ſalutis, utcunq; res accidant, paratiſsimum. Vnde

Confirmatum eſt cor eius, non commouebitur donec deſpiciat inimicos ſuos.

Firmũ, inquit, eſt cor eius, uiuitq; animo præſenti ac uegeto, non cõmouebiturq;, quoad uiderit in aduerſarijs ſuis, ultionem ſcilicet. Phraſis eſt hebræa, de qua aliàs nõnihil diximus: & eſt ac ſi dixiſſet, uſquedum uiderit ſuorum hoſtium interitum, qualem quiuis alius uidere uellet in ſuis hoſtibus. Id enim optandi tyrannorũ interitum genus, ad eos tantũmodo pertinet, qui à Deo, tanq; æternas bene uiuendi ideas, ſuæ omnes uitæ rationes excerpunt. Et ut tandem excellentiſsimũ ſanctitatis gradum in uiro iſto beato, de quo pulcherrimus hic factus eſt pſalmus, ineſſe intelligamus, à Vate commodùm infertur:

Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi, cornu eius exaltabitur in gloria.

Aptum ſanè uerbum, diſperſit, quo donantis expreſſa eſt liberalitas. Notat Felix, uim illam hebręæ eſſe uoci in hoc loco, ut, ſi id latinę admitterent aures, transferri poſſet, ſumptuauit, hoc eſt, expenſas elargitus eſt. Id uellem perpenderent ditiores, qui auaritiæ ueneno infecti obcæcatiq;, aut nõ ſubueniunt omnino egenis, aut tenuiſsimè id quidem. Ingratiſsimũ certè genus hominum, qui tam crudeles ſunt in Chriſtum. Diſperſit igitur uir ſanctus res ſuas adeò copioſe in alendo Chriſto in pauperibus, ut integrum illis præbuerit uictum, atq; ad alendam familiam expenſas. Nonnulli ſuas, quò alant canes, ſcorta, moriones, & paraſitos, diſpergunt facultates: Chriſtus uerò, quantum in illis eſt, fame periclitatur. Diſpergendæ quidẽ ſunt diuitiæ, ut hîc admonet ſpiritus, ſed in uſus uitæ honeſtos tum ſuæ, ſuorumq;, tum pauperũ, illorum maximè, quibus uirgines maturæ uiro ſunt domi. Nulla certè tam tenax in nobis debet eſſe cupiditas, quo minus in ſuppeditandis ſuis rebus inopi profuſiores potius ſimus, quàm auari. Quod ſanè hîc annuiſſe Vatem arbitror cùm ait: Iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi: hoc eſt, illius iuſtitiam, promptamq; erga Chriſti egenos liberalitatem, perſeuerantem eſſe & continuam uidebimus. Quocirca cornu eius, uirtus ſcilicet, fama, no-

C men,poteſtaſq; illa,de qua ſuperius eſt dictũ,Potens in terra erit ſemen eius,exal tabitur in gloria:id eſt,à cunctis celebrabitur,in eoq; diuina laudabitur bonitas, cuius imitator is factus ſit.Sed & beatius in Deo poſt hanc uitã,gloria atq; hono re,quemadmodũ ſolent triumphatores,coronabitur. Verùm dignitatem,ſplen doremq; iſtiuſmodi,cui comes eſt gloria,

Peccator videbit & iraſcetur,dentibus ſuis fremet & tabeſcet,deſiderium peccatorum peribit.

Clamat Salomon,deſideriũ iuſtorũ omne bonũ eſſe:pręſtolationẽ impiorum furorem.Atqui ea eſt inuidorũ maximè natura,ut aliena perſpecta celebritate in gemiſcant,acerbeq; perturbentur:unde odia plerunq; ortũ habent,diſsidia,per ſecutiones,exilia,ac quibus maximè afficitur probitas,oblocutiones. Ille itaq; qui iſtiuſmodi liuido laborat morbo,ea uidens,quæ naturaliter inuidus uidere refugit,alienã nimirũ gloriam & ſplendorẽ,rumpitur,turpiſsimũq; in modum tabidus factus & cadaueroſus,rabie corroditur & inſanit. Verùm necquicquã: nam uota eiuſcemodi effrẽata,machinationesq; turbulentæ,finem ſortientur nullum.Hîc cernis,opinor,noſtrum ob ſtudiũ erga uirtutes,atq; diuinarũ præce ptionũ obſeruationẽ,quod merũ Dei eſt donum,æternũ patrem in nobis lauda ri:nos uerò illius uiciſsim gratia euehi,perornariq; dignitate,atq; aliquid tandem in terris etiam (quis id credat?) apparere,indeq; maleuolorũ animos miſerabili ter torqueri,atq; ob inuidiã gratis emori:proin elumbes illorũ conatus,atq; effe ratum ad nocendũ ſtudiũ & deſideriũ,in auras reſolui. Et id quidem Seruatoris noſtri benignitate & gratia.Cui laus ſit æterna.Amen.

PSAL. CXIII. Halleluia.

D  *Audate pueri dominum,laudate nomen domini.*

Idem fermè huius pſalmi cum ſuperiori eſt argumentum:nempe De um cuncta,quæ hîc fiunt,intueri,regere,proq; ſuo mutare arbitrio,ac demum reiecta perfidorũ cura,miſeros fouere & reſtituere. Equidem uniuerſum adhuc in tenebris uerſari mundũ arbitror,ſi quis uerus laudandi Dei ſit modus ignoretur.Subtracto quidem huiuſcemodi ab Eccleſia fidei lumine at que ornamento,denſiſsimæ undecunq; conſpirant tenebræ. Etenim à puro, caſtoq; duntaxat,ac cœleſti animato ſpiritus ardore,animo,tanta hęc res oriri con ſueſcit. Nihil ſanè dico: pura ipſa mens, quæ puro unita eſt corpori, ea tandem eſt, quæ non ſolùm ad celebrandas Dei laudes idonea cenſetur, uerumetiã ipſa met laus efficitur.Quamobrẽ quicquid agit,cogitat,loquitur,eò nimirũ ſpectat, ut Deo honor ſit,proximo cõmodum,ſibi uerò ignominia. In id enim enixiſsi me incumbens,in eo,pluſquã in ſe,& eſt,& uiuit,delectaturq;,atque felicitatem omnem ſuam,quæcunque obtingant, collocauit.Idcirco ipſiſsima, ut ſic dicam, propemodũ res eſt, quam tam cupidè deamat. Qui igitur iſtiuſmodi affecti ſunt animo,pueri,ſeruiq; Dei,atq; amici,ab omnibus meritò appellari debent: cæteri uerò uix eo dignari poſſunt nomine,quandoquidem nemo unquã ad tam altum ſeruitutis gradum aſciri potuit,quin candidiſsimis perornatus eſſet moribus:ani mo inſuper in his quę ad ſui domini pertinerent honorem,flagrantiſsimo.Quod ſanè à me dictum eſſe propterea uelim, quòd multi huiuſcemodi ſeruitutis ima gine neſcio qua decepti, ſe Dei tum ſeruos appellari meritò debere exiſtimant, cùm ſemiraſum circunferunt uerticem, aut mitra obtegunt. Ab animo quidem primũ metiri iſtuc ſeruitutis genus ſolet altiſsimus, à candore poſtea uitæ & reli gione. Ignauum porrò id genus hominũ, quod ſibi hoc nomen, ullo abſque bo norũ morum,aut ſanctæ mentis indicio,impudentiſsimè arrogat,mallem à pro borum contubernio eliminari,frænoq; diſciplinæ arceri, quàm illam paſsim cer nere ſacroſanctam ab omnibus uſurpari appellationem,hinc illorum culpa fie ri, quòd & ueri Dei ſerui & ſubreptitij, uno ueluti facto uolumine ludibrio ha bentur,ac uulgò irriſioni. Nulla quidem in terris tam ſyncera inſtituitur res, cui ſubitò aliqua non fiat impoſtura. Hos itaque, qui Deo, ut tanta poſtulat maie

ſtas,

A ſtas, ſuum impendunt obſequium, pueros Dei appellat Vates, atque ad exhibendam puram Deo ſeruitutem, quæ potiſsimum laude conſtat, hortatur hoc modo, dicens: Laudate pueri dominũ, laudate nomen domini. Vt nihil turpiter, nihil indecorè aut ambitioſe operentur Dei ſerui, ſed ad diuinam omnia bene ſancteq; uiuendi legem ac rationẽ inſtituant, purgentq; ſeipſos in Deo, in quo fons omnis ineſt puritatis ac ſanctimoniæ, iſtiuſmodi ſuæ odæ fecit exordium Vates: O pueri, ô ſerui, ô quibus Dei peculiariter laus eſt cordi, atq; honor, laudate dominum, atq; illius lætanter efferte nomen: ſanctum certè eſt & terribile, idcirco laudabile eſt, planeq; adorandum, atque omni perſequendum religionis cultu & pietate. Itaque

Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & vſq; in ſeculum.

Ab hoc, inquit, tempore uſq; in ſempiternũ, nomen domini tremendum exiſtimetur, celebreturq; à cunctis paſsim nationibus. Siquidem

A ſolis ortu vſq; ad occaſum, laudabile nomen domini.

In ſuperioribus enim uerſibus, tempora omnino omnia in extollendo Dei nomine expendi conſumiq; debere admonuit Vates. In hoc uerò, atq; in ſequenti, loca orbis cuncta & hortatur, & anxiè id adeò inculcat, ut propè nihil aliud à nobis cœlitus exigi præ ſe ferat, q; ut Dei nomen ſemper, omniq; in loco atq; hominum gradu celebre fiat & notum. Et ut ſanè nemo eſt, qui ſe abſcondat à calore eius, ita ab orientalibus ad occiduas uſq; plagas nemo ſit, qui Dei nomẽ, quo inuocato ſeruantur quotquot ſeruari cupiunt, non ſummis euehat laudibus. Etenim

Excelſus ſuper omnes gentes dominus, & ſuper cœlos gloria eius.

Quid ni nomen Dei ſanctum, atque alios, qui nota aliqua ſanctitatis inſigniti ſunt, ſanctificans, appellabimus, cùm illius nomen ſit, qui ſuper omnes ſublimis eſt gentes? ſed nec id quidem ſolum, uerumetiam cœlos quoq; ipſos gloria ſupe
B ret & maieſtate? Ergo

Quis ſicut dominus deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra?

Hem quanta diuinæ erga homines charitatis uis eſt ac magnitudo. Quis, inquit, noſtro ſimilis eſt domino? qui cùm ſupremũ inhabitet locum, rebusq; omnibus tum quæ in cœlis ſunt, tum quæ in terris, præſtet, nihil tamen eſt tam humile & abiectũ in mundo, quin ipſe uideat & moderetur. quid mundum? in cœlis, dico, ipſis diuina in primis ſuum habet locũ prouidentia. Id dicit Vates, quò Deum mentibus illis angelicis infinito (ut ſic loquar) interſtitio altiorem eſſe minimè ignoretur. Ex hebræo ſic uertunt quidam: Quis ſicut dominus Deus noſter, qui ſublimat ſe in habitatione? hoc eſt, ut interpretatur Paraphraſtes, qui ſeipſum in altum erigit, ut ſedeat quocunq; loco libitũ fuerit illi: rurſusq; ſeipſum conuertit ad contemplanda quæcũq; fiant uel in cœlo, uel in terra. Vellem mundi proceres huiuſcemodi inſtructi eſſent ſpiritus doctrina: illos dico, qui altiores nacti ſedes uſqueadeo interdũ ſuæ obliuiſcuntur ſortis, ut nec quæ in cœlis ſunt, nec quæ in terris honeſtè peraguntur, uidere, ex animoq; expendere dignentur. Tam cæci quidem nonnunquã ſunt, atq; in ambitionis fumo prorſus obtenebrati. Viuunt enim ut propriæ ſuggerunt cupiditates, non ut Dei eſt lex, non ut uult ſpiritus, non ut ſubditorũ expetit indigentia: hinc q; nullum in eis, ne per umbrã quidem, cerni poteſt in rebus agendis, aut diffiniendis, prouidentiæ ſignum. Semel quippe à uera moderandarũ rerum ratione ac norma, qui Deus eſt, ſemoti, atque amentes effecti, ut res corporeas ineptiſsimè gubernant & ſæuè, ita cœleſtia, tanquam res prorſus incognitas, aut paruipendunt, aut ſcire diſsimulant. Eam ob rem, nihil illis in ſuo illo ſic malè moderato imperio antiquius eſt, quàm ut probos opprimant, feſſos atterant, fractosque perfringant, contra nimirum Dei morem, qui

Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.

Rerũ uiciſsitudines mutare poteſt. Clarius forſan ex hebræo per tempus præſens uertiſſet interpres, ſuſcitat, & erigit: ſeu, ut quidã uertit, ſublimat pauperem,

C *Vt collo cet eum cum principibus, cum principibus populi ſui.*

Quòd humília, prorſuſq; profligata intueatur Deus ac reſtituat, híſce ultimis pſalmi uerſíbus enarrat Vates, probatq; idcirco, quòd pauperes, abiectos, uulgóq; ob probitatẽ irríſos, ex contemptíſsima rerum ſorte non ſolùm eximat, uerumetiã inter primarios populi Dei homines collocet, alíjsq; præeſſe faciat. Vís ea quídem diuína eſt, non humana, cùm quis probus ex humíli ad altíorem euehitur fortunam: ílla uerò humana omníno, cùm ſcelerati è ſordíbus uí ſumma extracti, natíq; è terra, hoc eſt, ipſa contradícente natura, populis pręponunt. Quíd hac peſte exítialius? quíd turpius unquã uíſum eſt? Tantùm uerò abeſt, ut à Deo íſtiuſmodí proueníat humanarum rerum corruptela & calamitas, ut etiam ſummopere íllam deteſtetur.

Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

Volunt Hebræorũ interpretes domum hîc poni pro família eo modo, quo de obſtetrícibus íllis dictum fuit, quòd fecit íllis Deus domos, hoc eſt, numeroſam cõmodamq; dedit íllis famíliam. Vnde ſic uertit quídam: Ipſe ponit ſterílem in famíliam, & in matrem ob fílios lætantem. quare is erit ſenſus, quòd ad diuínam pertíneat prouidentiam, ſteríliſsímas quaſque adeò abundè fœcundare, ut domum prole ímpleant: & quę antea naturaliter fuerat ſterílis, fíat mater íllícò, propter líberorum copíam lętítia geſtiens. Hîc abſq; dubío de gentiũ Eccleſia eſt uaticíniũ, de qua ſic Eſaías: Lauda ſterílis quæ non paris, decanta laudem & hínni quæ non pariebas, quoníam multi fílij deſertæ, magís quàm eius quæ habet uírum. Miſera hæc, atq; ad punctũ in modico derelícta, ínquit Deus, in fructus demum uberes erupit, atq; adeò largè effudit, ut orbem repleuerit uniuerſum. Ideo non abſq; profundíſsimo myſterio íllud canitur de ſpíritu elogium: Spíritus domíni repleuit orbem terrarum. Síquidem aliud níhil Chriſti Eccleſiam eſſe diffiD níunt, quàm ímmenſam æterni patris charitatem, largamq; íllius ſpírítus effuſionem in electorum cordíbus díſſemínatam: cuius uírtute acti, uel ea quæ corporeis cerní nequeunt oculís, captuq; humano comprehendí, credunt, fideq; aſſequunt: quæ ſumma eſt ſalutis in Chriſto Ieſu domíno noſtro. Cui honor ſit in ſecula. Amen. Halleluía.

PSALMVS CXIIII.

INexitu Iſraël de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſraël poteſtas eius.

Non ab re quídem uídetur, ſi nonnullorũ huc ſententiam affero, qua aſſerunt ſuperiorem pſalmũ cum quínq; ſequentibus, Halleluía magnũ, hoc eſt, hymnum magnũ ab Hebræis appellari, íllumq; in tríbus præcípuis feſtis díebus decantarí ſolitũ, ſed ſolennius poſt agni eſum in Paſcha. Vnde íllud de hoc hymno intelligi uolunt, quod refert Euangeliſta de Chriſto, quí hymno dícto poſt cœnam exíuit domũ. Verùm ut ís Iudæis fuerit mos, aliud hunc pſalmum pręſagíſſe arbítror, quàm quod nunc ſomníat íllorũ ſynagoga. Illud ínterím non ígnorandum, híſtoriæ celebris ac famoſę Aegypti, marísq; in Hebręorũ gratíam exíccati, frequentem ídcírco in lege ſacra fieri mentionem, ne non ínſcíj ſímus, quòd terram potíus ac cœlum moueri oporteat, mareq; exíccarí, montes ítem unà cum elementís omnibus peſſum íre, quàm ne unus quídem de hís, quí Deo, íllíusq; promíſsionibus fídunt, ínteréat. Summa enim fide fretum íllud falſum tranſierunt Hebræi. Ita nos turbas has mundi moleſtíſsímas, in fide Ieſu Chriſti uíncere, aut ſaltem demulcere poſſe confidímus. Vates ítaque, quí ex umbrís íllís obſcuríſsimís, quæ poſtea in Chriſti Eccleſia detecto Moſis uultu contigere, elíciens, ſic rei ſeriem ordítur: In exitu Iſraël de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſraël poteſtas eius. Hebræí hunc pſalmum in duos díuídunt, quod & nos, illorum ordínem ſequuti, obſeruabímus Iſraël & Iacob ídem eſt populus, quemadmodum Aegyptus in hoc loco, & p o

pulus

A pulus barbarus, eandem prę ſe ferunt gentem, nempe Aegyptiam. Mos quidem fuit Iudæis, omnem linguam, quæ ſua non erat, barbarã appellare ac peregrinã. Cæterũ Iudæam ſeu Iudam, ſanctificationẽ Dei factã fuiſſe, Iſraëlemq; illius poteſtatem propterea dictum putãt, quòd in Iuda ſiue Iſraële, tanq; in populo ſibi grato & chariſsimo, ſuã eſſe religionẽ ac peculiare imperiũ, uoluit Deus. Hanc ſanè gentem inter cæteras orbis nationes ſanctam eſſe decreuit: proinde illi data eſt lex & cęremoniæ, quibus Dei cultum teſtari poterat. Ad hæc, è Iuda natus eſt Chriſtus ſecundum carnem: quocirca tribum illam ſecretiſsima quadam ratione iam inde à principio ſanctificatam fuiſſe nõ abſurdum eſt credere. Neq; abſq; myſterio fuiſſe dicunt, quòd cæteris metuentibus, reiq; miraculum ſummo animi ſtupore admirantibus, Iudæ tribus animoſiſsimè Moſen in maris tranſitu prima ſequuta eſt. Is itaq; ſenſus eſto: Cùm exiret Iſraël de Aegypto, poſteriq; Iacob peregrinæ linguæ homines relinquerent, tunc Iudas diuinæ religionis particeps factus eſt, atq; Iſraël Dei imperio ac ditioni præ cæteris orbis nationibus parêre occepit. Vtrunq; enim expreſsit Deus cùm inquit: Vos eritis mihi in peculium de cunctis populis, & eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Atqui, ne in re ulla ſpiritus innaſcatur confuſio, errare non poterunt rudiores, ſi Iudam, Iſraël & Iacob, in hoc loco pro eodem acceperint populo. Sic aliàs quoq; una tribus pro reliquis ſumi ſolet in ſcripturis. Sciant & illud de nobis quoq; dictũ eſſe, quòd facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, & Iſraël (nempe idem populus per confeſsionẽ fidei ſanctificatus) poteſtas eius. Dedit quippe nobis poteſtatem filios Dei fieri. Verùm, ut ad hiſtoriam reuertamur,

Mare vidit & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum.

Per proſopopœiam facit hîc Vates inanima uidere, atq; ob metũ fugere. Rem enim tropo huiuſcemodi uehementi exaggerat. Pauefactum, inquit, mare uiſo Dei exercitu fugit: hoc eſt, ceſsit, liberumq; iter præbuit populo exiccatum. Ita
B & Iordanis, qui cùm primũ ferentes Dei arcam ſacerdotes cum populo ſenſit, reſiluit ſubitò. Sic enim in Ioſue libro legimus, quòd ingreſsis ſacerdotibus flumẽ, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, ſteterunt aquæ deſcendentes in locum unum: quę autem inferiores erant, in mare ſolitudinis, quod nunc uocatur Mortuum, deſcenderunt uſquequo omnino deficerent. Mare itaq; Deum præſentem eſſe ſentiens fugit, ceſsitq; pauidum: Iordanis item retrò abijt. Quid? ipſi quoq;, alioquin inertiſsimi & rudes,

Montes exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium.

Exilierunt ſeu ſubſilierunt ut arietes, uertunt Hebræi. Præ metu id factum uolunt. Nanq; arietes, capreæ, agniq;, cuniculi, atq; id genus animantes, cùm currunt, ſubſiliunt. Ad montem Sinai alluſit Vates, quem tremuiſſe, mirandumq; in modum concuſſum fuiſſe legimus, quando data fuit lex populo. quod & de cęteris circumiacentibus montibus ac collibus intelligere nõ inconueniens erit. Siquidem montem omnem terribilem, hoc eſt, mirè exagitatum tunc fuiſſe ſcribit Moſes. Verùm, ô rem inſolitam,

Quid eſt tibi mare quod fugiſti? & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum? Montes exultaſtis vt arietes? & colles ſicut agni ouium?

Vnde id quæſo? unde hæc tanta in rebus quoq; inanimis cõmotio? Vnde is timor, quòd tu mare exterrefactũ fuga tibi proſpexeris? & tu Iordanis curſu alioqui libero & expedito, cõuerſus es retrorſum? Vos montes, uos colles, uos inculti aggeres, inſtar arietum atq; agnorum in fugam uerſi, præ metuq; exanimati facti eſtis? Tanti ne fuit populus ille imbellis, aut ſacerdotes de more inermes, ut uixdum primo conſpectu illorum acceſſu, retrò ceſsiſtis? Certè uim aliquam diuinam in illis fuiſſe ſenſiſtis, itaq;

A facie domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob, qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

Præſentia, inquit, numinis in cauſa fuit, quòd ipſa tota contremuerit tellus,

C præſentia dico illius, qui Deus eſt Iacob: hoc eſt, qui illius populi curã habuit, is fuit qui tam mirifica perfecit, nõ alius quiſpiã quamuis terribilis ac potens. Alia quidem uis eſt diuina, alia humana. Illa quidem eſt quæ præter naturam ſaxi effecit, ut è ſicca rupe, copioſiſsimæ dimanarent aquarum ſcaturigines, ſtagnarentq; in deſerto. Poſſet ne id efficere uirtus hominis natura uitrei & imbecillis? Amens eſt ſi quis id dicat. Quare,

PSAL. CXV. *ſecundum Hebræos.*

NOn nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriã, ſuper miſericordia tua et ϒeritate tua. Is unus eſt uerſus, cuius ultimã particulã clarius hac exprimũt uerſione: Nomini tuo da gloriam, propter miſericordiã tuam & ueritatẽ tuam, nobis nimirum præſtitã. Ait itaq;: Non certè, ô domine, quaſi ſic meruimus: nõ, inquã, quaſi id meruimus, ſed tuum ne nomen ſua fraudetur gloria atq; honore, pro tua miſericordia, ac, qua tute nobis affuturũ aſtrinxiſti fide, nos libera. Periculũ quidem eſt non leue, quòd improbi tuã in opitulando miſeris intuentes morã, te carpant, dicantq; te tuorũ omnino immemorẽ eſſe & contemptorẽ. Periculũ, inquã, eſt,

Ne quando dicant gentes, ϒbi eſt Deus eorum?

Vrit mirũ in modũ uiri ſancti animũ improborũ petulantia, atq; in Dei religionem irriſio. Per ironiã hęc dicta ſunt omnia: Vbi eſt Deus eorũ? quaſi dicãt: Dormit ne illorũ Deus? num quæ hîc agunt in ſuorũ exitiũ, nõ curat? debilior is qui dem eſt, & qui illos noſtris è manibus queat eximere. At ego uos omniũ ſtultiſsimos meritò appellauerim, qui de omnipotentiſsimo id Deo dicere audetis,

Deus autem noſter in cœlo omnia quæcunq; ϒoluit fecit.

Pulcherrima Dei diffinitio: facit quæ libet. Inter cætera, quæ in deriſionem fidelium iactitabant idololatrę, illud erat, quòd abſq; ſimulachris Deum colerent: id enim in lege cautum fuit. Irrepſit tamen is uſus in Eccleſiam ob rudiorũ documentũ: modò documenti rationẽ nõ excedens, in ſuperſtitionem dilabatur. Tan
D tùm illud cauendũ, ne in iſtiuſmodi ſtatuarũ, pictarum q; tabularum genere, ſumptus fiant adeò intemperati, ut Chriſtus ſe ſuo fraudari uictu in egenis queratur. Verùm ad inſulſa oblocutorũ dicteria & irriſionẽ, hæc ferè erat reſponſio: Tametſi quidem nulla nos manufacta colimus ſimulachra, ut uos, Deũ tamen illum, qui cuncta implet numine, ſedens q; quietus in cœlis, quicquid illi unquam libitum fuit, facit, adoramus. At uos cuius diuinitatis Deum colitis? Simulachra nimirũ uitæ omnis (ridiculũ) expertia, muta, ex auro aut ære fabrefacta, tanquã rem numen aliquod in ſe habentem, pro Deo ueſtris in templis erigitis. Certè

Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuũ hominũ. Os habent & non loquentur, oculos habent & non ϒidebunt. Aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt. Manus habent et nõ palpabũt, pedes habent & nõ ambulabũt, nõ clamabũt in gutture ſuo.

Deridet uir ſanctus ſtatuarũ culturã, quæ nihil aliud erat q; ex craſſa materia, ut eſt aurũ, argentũ, ęs, aut rude ſaxũ, manu hominis in animantiũ effigiẽ expreſſa: nihil deinde. Vis ne, inquit, illorũ uanitatẽ uidere, ac deridere ſimul? Formam certè hominis, aut belluę, aut aſparagi quoq;, ſi libet & cucurbitę, homo inducere potuit: ſed uſum, ſed uitã, ſed motũ, neutiquã. Siquidẽ ueſtræ iſtæ ſtatuæ, quas pro diis haberi uultis, cùm ora habeant, aures item, oculos, nares, pedes, manus, & guttur tandẽ, num uident propterea? num loqui poſſunt? num audiunt? num olfaciunt? num palpandi, incedendi q; uſum habent? num è gutture illo informi uel ſoni quidẽ tantillũ ædere poterũt? Stultiſsimũ ſanè id eſt cõmentũ, pro Deo uiuo mortuas colere ſtatuas: reiq; illi diuinitatẽ uelle tribui, quę merũ ſit hominis artificiũ atq; opus. Vt quidẽ ab hoc turpi idolorũ cultu, fœda q; ſimulachrorũ religione abhorrẽtes ſunt omnes omnino Chriſtiani, ita in aliud turpius forſan cultura genus proruũt nõnulli, qui ſuas adeò efflictim deamãt cupiditates, ut planè Deũ optimũ maximũ, ac ſupra uitã omnẽ uiuentẽ, deſerãt & contemnãt. Hi qui dem imaginarios ſibi effingũt deos, illi uerò è re aliqua omnino, quæ licet ſenſu careat, ſenſibus tamen inſeruit. Quocirca hęc fortaſsis & illa, turpis minus uideri poſſet. Aes quidẽ aut lapidẽ è terra erutũ, quis malũ dicat? uitiũ uerò quis bonũ?

Falſa

A Falſa enim religionis perſuaſio ſemper per ſe mala eſt & deteſtabilis: quod & de nimio erga tabulas & parietes, immẽſo elaboratos artificio, amore, dictũ eſſe uolo. Mirũ ꝙ in his colẽdis, quę maximo depictę ſunt ſumptu, inſaniãt nõnulli. Sed

Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

Quæ ſint ea, quibus perſimiles illorũ cupiat eſſe artifices & cultores, aperit Paraphraſtes: Similes, inquit, his fiant ſtatuis, & qui faciunt eas, & quotquot ſpem ſuam ponunt in eis. hoc eſt, cæci hi fiant, ſurdíq́, ac abſq́ omnino intellectu. Periculoſiſsima ſanè hæc eſt ſpiritus imprecatio, in quã tamen quamplurimos impegiſſe iam uidimus, uidemus quoq́ quotidie. Sua quidẽ ſponte à uera adorãdi ratione alienati, quid non errorũ amplexanť? Etenim turpiſsimis irretiti cupiditatibus, fumoq́ ſuperbiæ obcæcati, in lumen fidei, qui uerus eſt Dei cultus, lippoſos ſuos illos mentis oculos figere nequaquã ualidi ſunt, ideo ullo abſq́ ſpiritus ſenſu hanc miſeram traducunt uitam, in omnibus errantes, nihilq́ prorſus, quod ueram referat religionem, ne ſomniantes quidem. E contrario autem

Domus Iſraël ſperauit in domino: adiutor eorum, & protector eorum eſt. Domus Aaron ſperauit in domino: adiutor eorum, & protector eorum eſt. Qui timent dominum ſperauerunt in domino: adiutor eorum & protector eorum eſt.

Pulchra admodũ hæc eſt auxilij, protectionisq́ diuinæ inculcatio. Siue enim è domo ſis Iſraël, ſiue Aaron, hoc eſt, ſi modis omnibus, in quacunq́ natus ſis regione, tuam in Deo (ut illi) poſuiſti fiduciã, atq́ proinde in illorũ ſortem, qui Deũ timent, te inſertũ uideris, ne dubita Deũ continuè tibi, quæcunq́ agere inſtitueris, affuturũ. Semper enim benigniſsimus præſtò adeſt dominus his, qui abiectis ſuperſtitionũ ſimulachris, in illo ſolo ſperare didicerint. Cæterũ domus hîc Iſraël meminit propter inſignem uiri illius ſanctitatem: unde credentes Iſraëlitæ dicti ſunt. Domus rurſum Aaron, propterea quòd præcipuo ea cultu diuinæ conſecra
B ta fuerat religioni: ex illa enim Leuitæ, qui ſacras exercebãt cęremonias, originẽ habuere. Vide auxeſim. Primũ quidẽ populũ illũ duntaxat tantillũ Iudæorũ ſpectaſſe uideť, cùm ait, domus Iſraël. Poſtea uerò ſacerdotes generatim omnes, dicens: Domus Aaron. Poſtremò autẽ mortaliũ omniũ nationes, cùm inquit: Qui timent dominũ. Ergo qui timent dominũ, ubicũq́ terrarũ degãt, hi in Deũ ſperare, hoc eſt, uerã apprehendiſſe religionẽ cenſendi ſunt. Cõtrà uerò, illos qui Deũ non uerentur, etiã ſi centies ſacris initiati ſint, religioniq́ addicti, atq́ in meditullio ipſo templorũ fundati, ad Dei religionẽ nunq́ pertinere dicã. Syncerũ enim cultũ à ſuis requirit Deus, nõ falſum, nõ fucatũ, non uitijs atq́ erroribus inquinatum. At nos, ſi ſpiritu attacti diuino, atq́ idcirco in aliã transformati effigiem, nouam ſcilicet in Chriſto, aliquid quod Dei ſapiat religionem præſtiterimus, id quidem nobis minimè imputandum erit, ſed Dei omnino benignitati. Nam

Dominus memor fuit noſtrî, et benedixit nobis. Benedixit domui Iſraël, benedixit domui Aaron. Benedixit omnibus qui timent dominum, puſillis cum maioribus.

Sanctús ne es? id Deo refer acceptũ, qui memor fuit tui, & benedixit tibi. Tu quidẽ tui prius immemor, imò Dei, in arenoſis aberrabas locis, uiceq́ ſapientiæ, quæ in timore ſita eſt diuino, ſtercora amplexabaris. Sentiebás ne tum, obſecro, quòd tuũ te traheret arbitriũ? Verũ ſuũ miſeratus figmentũ Deus, memor fuit tui. quam ſanè memoriã, alioquin æternã in Deo, tunc quidẽ renouari opinor, cùm gratiam impartiť. Memor igitur fuit tui, cùm recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: benedixitq́ nõ ſolũ Aaron domui, aut Iſraëlis, uerumetiã omnibus (modò timeant dominũ) ſiue puſilli hi fuerint & plebei, ſiue natu grandiores & dynaſtę. Etenim nulla illi diſtinctio, nullus delectus, pauper ne ſis, an diues, glorioſus ne, an inglorius, religioni ne alicui deſtinatus, an ſeculo familiarib. negocijs diſtentus. Deũ time, & omnium te maximum appellabo, licet preſſam degas uitam atq́ ærumnoſam: teq́ in illorum numerum cenſebo, quos hîc alloquitur Vates, dicens:

Adijciat dominus ſuper vos: ſuper vos, & ſuper filios veſtros.

Exclamatio hęc eſt mirè ardens, ex cõſideratione diuinę liberalitatis, quę tam

C profusa in erogandis donis esse consueuit: sed his tantummodo qui ueri Israëlitæ sunt, ueri sacerdotes, ueri Dei cultores. & est sensus, quem per futurũ reddit Paraphrastes: Addet uobis dominus, accumulabitq; noua ueterib. beneficia: uobis dico, & filijs uestris. Hîc sanè quãmaxima inijcit futuræ felicitatis spes patribus familiâs qui Deum timent, quiq; nil tam curant in hoc mundo, quàm ut uera, non tantum in se, quantũ in liberis, in uxore, in tota omnino familia, reluceat religionis imago, atq; eam omnes apprehendant uitæ rationẽ, quæ Christi mores referat, in quo nulla fuit lasciuia, nulla proteruitas, nulla habendi rabies, nulla morũ dissolutio, ambitio nulla, nullumq; auaritiæ aut effrænatæ cupiditatis, elatiue animi signũ. Perfectissimus fuit Christus, sed eousq; tamẽ, ut nemini quantumlibet occupato, uitæ illius obstrusum sit iter: neq; perfectionis nomẽ adeò extimescendum est, quo minus sanctissimæ illius uitæ uestigia cunctis obuia queant esse: alioquin uniuersalis non esset Deus, frustraq; uitæ huius ærumnas ultrò subijsset. Quòd si nihilominus adhuc, ô uos, qui uario fortunæ ludibrio propter infinitas uitæ occupationes expositi estis, rem tam arduam ut uita est Christi, assequi posse dubitatis, illud saltem offerre non pigeat, promptum uidelicet animum ad assequendum, fidemq; inuariabilem atq; inconcussam: quod uerò supereſt Deo committite. Cæterùm id uobis summæ debet esse consolationi, quòd

Benedicti vos à domino, qui fecit cœlum & terram.

Id est, qui omnipotentissimus omnium est, atq; optimus. Illi, inquit, curæ estis (quid uereminí?) qui rerum omnium conditarum autor fuit. Attamen

Cœlum cœli domino, terram autem dedit filijs hominum.

Vertunt nonnulli: Cœli, cœli, inquam, domini sunt. Obserua hîc pactum Dei æternum cum Adæ posteris. Cœlos, ait, illos sublimes & beatos, suam esse habitationem uoluit altissimus: hominibus autem terram hanc infimam concessit ad habitandũ, in qua uiuerent, subindeq; illius agnoscentes effectorẽ, illũ colerent,
D dilígerent, atq; super omnia uenerarentẽ. Hæc condendi uniuersi tota fuit ratio, ut homines in eo tanquam in uirtutũ theatro sese exercerent, ex hisq;, quæ in illo pulcherrima uidentur, quàm sublimia sint futuræ uitæ bona, quæ illis, qui in præsenti uita synceram amplectuntur religionem, promittuntur, contemplarentur, quærereq; non desisterent. Animæ igitur, quæ in hoc mundi domicilio Deum nanciscí, quantumq; illi permittit, posside re dat operam, sedes ipsa Dei, nedum mundus iste uisibilis, continget aliquando. Tantum illud caueat, ne mundum tanquam patriam incolat, illoq; ueluti re propria & diuturna perfruí conetur. Hanc certè habuere mentem antiqui Iudæorum patres, quòd uita hæc idcirco homini data esset, ut Deum pulcherrimarum rerum opificem laudaret, alterq; alterum ueræ admoneret religionis, quæ multiplicata ambitiosorum illuuie penè interierat, interituramq; funditus diuinabant, nisi ex proborũ numero extremæ ueluti quædam superfuissent reliquiæ, quæ non tantũ religionẽ, religionúmue multitudinem instituerent, quantum institutam conseruarent. Eam ob rem uitæ huius amantissimi extitere, sanctissimi illi quidẽ uiri, atq; diuini honoris flagrãtissimum in modũ appetentissimi. Quod sanè desideriũ in psalmi fine sic exprimit:

Non mortui laudabunt te domine, neq; omnes qui descendunt in infernum. Sed nos qui vivimus benedicimus domino, ex hoc nunc & vsq; in seculum.

Ne quæ aliàs alijs in psalmis hac de re diximus, replicemus, illud tantummodo iam pluries dictum, dicam iterum: infernum uocem, Hebræis esse sepulchrũ: seu, ut uertit Felix, silentium: quod quidem de hac uita defunctis intelligi oportet. Scio tamen de cruciatibus inferorũ, atqueadeo de mortuis Deo ob peccatũ, totum hunc uersum à nonnullis exponi: quem sanè sensum ut libenter audio, ita alium, quem uerum esse arbitrati sunt Hebræorum interpretes, afferre non inconueniens duxi. Aiunt enim ad hunc ferè modum: Quando quidẽ terram hanc inferiorem, ô Deus, homini ad habitandum concessisti, in qua ob stupendam rerum molitionem, multa ineſt tui nominis laudandi materia & occasio, illud potissimum

A mum occurrit conſiderandũ, tam nobile animal, ut eſt homo, aliam ob rationem ad hunc mundum incolendum abs te deſtinatum fuiſſe, quàm ut ſolummodo illius bonis uteretur, ſed ut ex rerum conditarum pulchritudine & ſtupore, in creatoris amorẽ inardeſceret, quæreretq; quo illum poſſet teſtimonio, ut uerũ Deum ac patrem, cæteris inuulgare rudioribus, atq; in his quæ ad religionem attinent, tardis, parũq; inſtructis. Quæ quidẽ religio idcirco inuenta eſt, ſeu potius à Deo humanis inſpirata mentibus, ut modus quidam adorandi Deum inter homines conſtitueretur, incrementumq; per homines id ad electos ſumeret, atq; ſubinde hominem propter terrenæ habitationis contagionem inertem factum, in Deum raperet. Verùm illud ſemper tam ſanctis cœptis fuit impedimento, ut nunc quoque eſt, quòd probis aut uita defunctis, aut ab improborũ uiolentia oppreſsis reiectisq;, religio in nefandorũ manibus derelicta nutaret, ſenſimq; in ſuperſtitionem atq; impietatem dilaberetur. Quo quidem periculo à religioſiſsimis illis ſenibus animaduerſo, mortem alioquin omnibus debitã penè detrectabant. Quid hinc, aiunt, nos domine tam immaturè reuocas? Si piĳ hinc omnes abeunt, ſolicq; impiĳ remanent, quis in terris tuum laudabit nomen? Serua nos igitur aliquantiſper in uita, ut ſaltem aliqui ſint, qui tuam fulciant religionem. Non mortuorum id munus eſt, ſed uiuorũ. En res tuas nefandiſsimus quiſq; occupat, uſurpat, depopulatur. Dormiſne? Aut tu per te rei tuę ſubueni, aut qui tui uice ſubueniant, ſuſtine. Mori quidem nõ recuſamus: imò ſuauior nobis eſſet mors quàm uita. Verùm tui honoris potius, quàm noſtri cõmodi habenda eſt ratio. Sine itaq; ut uiuamus. Quid laudis? quid religionis inſtaurandæ à mortuis expectari poteſt? Non hi certè laudare te poterunt, ſed nos quoad uixerimus te dominum laudabimus amodò & uſq; in ſeculum. Amen. Halleluia.

PSALMVS CXVI.

B *Dilexi, quoniam exaudiet dominus vocem orationis meæ.*

Hunc compoſitũ fuiſſe pſalmum aſſerunt ferè omnes, cùm Dauid in deſerto Maon à Saulis exercitu obſeſſus capite periclitaretur. Et quidem ea ultima illius uitæ fuiſſet dies, niſi Saul à ſuis admonitus Philiſtæos in regnum irrupiſſe, ceſſaſſet ab obſidione. Sic enim in Regnorum libro legimus: Nuncius uenit ad Saul, dicens: Feſtina & ueni, quoniã infuderunt ſe Philiſtæi ſuper terrã. Reuerſus eſt ergo Saul, deſiſtens perſequi Dauid. Præter ſpem igitur omnium liberatus Dauid carmen iſtud compoſuit, in quo diuinæ erga ſe bonitatis immenſitatem memorans, gratiſsimum amoris debitum, poſtquàm aliud nequit, pollicetur. Atqui gratus ſuum in benefactorem animus non poteſt non aſsiduè beneficĳ memoriã retinere: ingratus uerò ne ſemel quidem ſyncerè. Eſt quoddam hominum genus adeò beneficiorũ obliuioſum, ut quicquid in illorum gratiam egeris, id pro debito accipiunt obſequio: quare nullam unquã referunt gratiam, neque habent quidem. Quod ſanè uitium in tumidis ſuperbiſq; magiſtratibus locum habere frequenter experiuntur homines. Ingratiſsimi hi ſunt, atq; ab humanis prorſus affectibus alieni. Quocirca ſpinoſis iſtiuſmodi moribus omiſsis, manſuetiſsimũ conſideremus Vatis animũ, qui ab amore è collatis in ſe beneficĳs exorto, ſic ſuum orditur carmen:

Dilexi, quoniam exaudiet dominus vocem orationis meæ.

Dilexi, cur nõ, diligo? Ita mos eſt ſcripturis, ut ſi fixam perſeuerantemq; ſignificare cupiunt actionẽ, præterito utantur tempore, ut hîc uidere licet. Nam uox iſta quam noſter uertit interpres, dilexi: Hebræis perinde eſt atq;, dilectio Dei uindicauit ſibi cor meum. Me totum, inquit, occupauit diuinus amor, propterea quòd me ſummo in periculo poſitũ exaudiuit. Siue enim, exaudiet, cum noſtro legas, ſiue exaudiuit, cum Hebræis, utrunq; ad fidei perfectionem attinet. Stulta planè eſt anima, atq; omnino attonita, cui iam nõ compertũ eſt à quantis erepta ſit tum mortis, tum inferorũ periculis per Chriſtũ. Proinde, poterit ne ſaltẽ ingentẽ illũ

C donorũ cumulũ, uel tantilla nõ cõpenſare dilectione? ceſſare ne, quin ſeduló in iſtud amabile prorumpet amoris uerbum, diligo? quoniam qui toties me ex anguſtijs aſſeruit, exaudiuitq́, exaudiet iterum gemebundã meæ orationis uocem.

Quia inclinauit aurem ſuam mihi, & in diebus meis inuocabo.

In diebus meis, quoad uixero, intelligas. Quoadeius, inquit, uixero, illius nomen inuocabo. quæ ſanè inuocatio non tantũ illius eſt in ęrumnis implorare auxilium, uerumetiã illũ, quæcũq; contingant, ex animo amare, atq; illis, qui nõ ita affecti ſunt, perſuadere. Et id quidẽ propterea, quoniã cùm ſupra omnẽ celſitudinem excelſus ſit, ego uerò omniũ minimus, aurem tamen ſuã illã ſublimẽ mihi puſillæ ſtaturæ homini, atq; uirtutis, inclinauit. O certè ineffabilem Dei erga miſeros facilitatem. Niſi enim miſericordiſsimus eſſet dominus, impoſsibile planè foret tam exilem uocem ac tenuem, ut eſt hominis, à tam excelſa exaudiri mente, qualis eſt Deus. Exaudit tamen, adeò maximus omnium noſtræ ſeſe attemperat puſillitati. Vis'ne modò audire miſerabilem animæ conditionem, atq; ad implorandam dei opem neceſsitatem?

Circundederunt me, ait, dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me: tribulationem & dolorem inueni.

Is unus integer eſt uerſus Hebræis. Querens Vates ſe à periculis inuentũ, hoc eſt, undequaq; occupatũ, ſeq; tribulationẽ & dolorem inueniſſe, extremã ſuam exprimere uoluit calamitatẽ. De qua quidem ſic legimus. Dauid deſperabat ſe poſſe euadere à facie Saul, quocirca ſe mortis doloribus hîc cinctũ queritur, atq; ab inferorũ, ſepulchri ſcilicet, periculis inuentũ, direq; exagitatum dolet. Dolent & qui malè anteactæ uitæ meminerunt. De iſtiuſmodi genere dicendi aliàs annotauimus. Cęterum nondum ſe uerè nouit, qui ſibi timere deſijt. Siquidem non minori hoſtium numero ſe cinctã eſſe anima ſalutis ſuæ cupida conſiderat, quàm
D Dauid fuit in Ceila urbe obſeſſus: tunc dico, quando Ephod applicato per ſacerdotem conſuluit dominum, indeq; aufugit. Non ſolũ enim illa ſepulchri periculum extimeſcit, mortem nimirũ omnib. naturaliter odioſam, uerumetiã interminabiles inferorũ cruciatus. Interim uerò ſuum illi enarrat infortuniũ, quem abſq; dubio ſuis affuturũ ærumnis, & credit, &, ut poteſt in mœrore & luctu, gaudet. Tribulationem, inquit, & dolorem inueni,

Et nomen domini inuocaui. O domine, libera animam meam, miſericors dominus & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.

O domine, ô cui piorum animæ ſunt curæ, libera animam meam à peruerſorũ hominũ perfidia, à dæmone, à mundo, à periculis penè uitæ infinitis, quæ inuenerunt nos nimis: tu miſericors, tu iuſtus, tu ille, qui à miſeris inuocatus miſericordiam exhibes,

Cuſtodiens paruulos dominus: humiliatus ſum & liberauit me.

Miſericors dicit Deus, quia noſtrę condolens miſerię ſubuenit. Iuſtus autem, quoniã ab improborũ iniurijs tutat innocentiã. Penè dixi inutilem illum omni no eſſe principẽ ac iudicem, in quibus hæ duæ non inſunt partes. Monſtrũ id eſt ingens, ſi quem uideris ſuis in diffiniendis cauſis crudelitatẽ iniquitatemq; præ ſe ferre. Attamen utcunq; ſæuè iniuſteq; ſeſe habeant homines, dominus eſt, qui citra omnẽ animi ęgritudinẽ perturbationẽq;, paruulos, nempe ſimplicis uitę homines, qui de ſe nihil omnino, de Deo autẽ, cui res omnes ſuas cõmendarũt, plurimũ exiſtimãtes, quietiſsimã agunt uitã. Cuius ſanè quietis ea uidet ratio, quòd ſe (utut res cadant) Deo reſignarũt. Feliciſsimũ quidem id eſt uitæ genus, ſed paucis cognitũ: idcirco turbulentiſsimis bellorũ diſsidijs repletus eſt orbis. Etenim cùm negocioſiſsimã uitã potius, quàm ſimplicẽ & tranquillã ſectamur, illa etiam quæ dudũ altiſsimo ſepulta erant ſilentio, obliteratáq; omnino, reuiuiſcere facimus, in mutuasq; proinde increſcentes ſimultates, atq; ſine fine odia, unà noſtris cum diſcordijs atq; inexorabilib. animorũ permotionib. ad mortẽ uno facto omniũ globo pręcipitamur. At illi, ut lubet: ego autẽ humiliatus ſum, & liberauit me (at-

A me(attenuatus ſum, uertit Felix) hoc eſt, cùm acerbiſsimè diuexarer, conſiliſq; ex pers penitus eſſem, tũc me liberauit, tũc manũ porrexit, tunc dixit, ſat eſt. Quare

Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi.

Reuertere anima mea, ſeu redi, uertendũ erat. & eſt ſenſus: Ad ueterem illam tuam redi tranquillitatẽ & quietẽ, ô anima mea. A mœrore quippe ac turbis tere uocans uires accipe ac ſpiritũ. Dominus quidẽ pro te, ſi quid debebas, perſoluit. Dici facilè nõ poſſet, q̃ ſit grata homini probo quies in Deo, tranſacto negociorũ oppreſsionumq; tumultu & ſæuitia: nec minus quidem ſedata à peccatis conſcientia, per Dei lumen, quo irradiata tota recreatur, uimq; reſumit in illo, qui lumen attulit. Quapropter in ſpiritu exultans nõ poteſt non palàm fateri, quia ipſe eſt dominus miſericors & iuſtus. Et

Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu.

Summã propè totam noſtræ expreſsit miſeriæ propheta in hoc uerſu, à qua tamen ſe Dei manu exolutum confitetur. Mors in primis ea eſt, mœror deinceps, à quo lachrymæ oriri ſolent: poſtremò lapſus: quæ tamen uox neſcio quid efficacius in hebræo demonſtrat, lapſum utiq; illũ, qui ex aliena fit impulſione. Vnde quidã ſic uertit: Pedes meos ab impactione. Senſus igitur is erit: nam poſtquam Deũ ſibi feciſſe bene faſſus eſt, mox beneficij rationẽ ac modum intulit: Quia dominus, inquit, meã aſſeruit uitã alio modo debilem, à morte: neq; id ſatis, ab oculis quoq; lachrymas, ſeu potius lachrymarũ originẽ abegit, pedesq; tandẽ meos, affectus ſcilicet natura effrænes, ab antiquis ſuis illis lapſibus reparauit. Quare

Placebo domino in regione viuorum.

Id eſt, uerſabor, ut uertũt ex hebræo: ſeu, ut ex græco, delectabor coram domino inter uiuos. Nulli dubium eſſe debet de regione hîc mundi dici: niſi mauis de puro Eccleſiæ ſtatu intelligere, in qua iuſti ſolummodo uerè uiuunt: ſiquidem iuſtus ex fide uiuet: improbi uerò ſemper mortui ſunt, quia alieni à Deo, qui uita
B eſt animę, mortẽ cõtinuò obire illos neceſſe eſt. Cum iſtiuſmodi quidẽ hominib. qui mundo uiui, Deo mortui ſunt, conuerſari cupere, atq; illis adblandiri, proximi interitus, atq; animæ exitij prę ludium eſt. Quis bonus improbis placere appetit? Aut quis unquam uiuus cum mortuis conſuetudinẽ habere uoluit? Horrendum uiſu id eſſet ſpectaculum, ſi uiuos homines cum mortuis è tumulo excitatis congredi, aut neceſsitudinẽ contrahere, paciſciq; mutuò non ſolùm cerneres, ue rumetiã inter illos unà uiuere cogereris. Non nouũ id eſt mundo, non inſolitum, & tamen non eſt qui horreat, aut tantam rerum confuſionem dirimat. Videant igitur quid agant, quoq; uiuant uitæ genere hi, qui mortui uideri uolunt: qui tamen nihil aliud in uita hac mortali quęrere uidentur, niſi ut carnem alant, & ſpiritũ extinguant. Iſtiuſmodi quidem uitæ ratio Epicurea potius, quàm Chriſtiana appellãda erit, atq; illa omnino, quæ ſuinos mores referat. In Chriſtiano quidem homine nitida omnia eſſe debent, uiua, pacifica, temperata, purgatiſsimaq; in Deo. Cui honos ſit ac laus in ſecula ſeculorum. Amen. Halleluia.

Diuiſio ſecundum Latinos.

C *Redidi, propter quod loquutus ſum.*

Is pſalmus cum ſuperiori unus eſt Hebræis: quorũ ordinẽ ſequuti, hunc abſq; numero ſuo capiti attexere uoluimus, diſtinctè tamen, ne Latini ſua fraudentur in pſalmis cõcinnitate. Alius enim uideẽ, quia ſeparatus: unus uerò, quia abſq; numeri annotatione. Senſum igitur à ſuperioribus pendêre uolunt, aſſeruntq;, credidi uerbũ, eodem dictũ eſſe modo, quo ſuperius uſus eſt, dicens, Dilexi. Illic enim ſuæ in Deũ dilectionis dedit ſpecimen, hîc fidei. Et eſt ac ſi dixiſſet: Meis in oppreſsionibus & anguſtijs ſpem ſemper firmã ac fidem in Deo habui: & ut quidem credidi & ſperaui, ſic egit mecum benigniſsimus dominus: quare id loquar, dicamq; omnibus, quanta fecit Deus animæ meæ. Quis, modò ſit mediocritate ſpiritus affectus, tam immenſum erga ſe beneuolentiæ ſignum prætexire poterit, quin id omnibus inuulgari cupiat? Valde quidem, inquit, afflictus

C eram, atq; adeò acerbè, ut penè animo deſtituerer. Eripuit tamen me, ut credidi, ideo hanc meam uolo omnibus teſtatam eſſe fidem, cuius uirtute diuinis propémodum obrutus ſum beneficijs. Verùm illud non diffiteor, quòd

Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax.

In præcipitatione mea, ſeu præcipitata fuga aut trepidatione, reddunt ex hebræo. quod ſi ad hiſtoriã referas, ut par eſt referri, is erit ſenſus ac ſumma. Dauid enim cùm fuga, & illa quidẽ trepida ac præcipiti ſibi conſuleret, ſic ſecũ: Promiſſum mihi eſſe regnũ à Deo per Samuelẽ certò ſcio: unde igitur ſæuiſsima iſtiuſmodi perſecutio, in qua mihi iam uideor moriendũ eſſe? Certè penè adducor ut ſuſpicer Samuelẽ in illis pollicitationib. falli potuiſſe, ſimulac omnẽ hominẽ falli poſſe nõ ambigo. Tametſi enim propheta ſit altiſsimi, decipi tamẽ, quia homo eſt, potuit. Impoſsibile quidem uideẽ, me unquã regnũ iſtuc aſſecuturũ, cuius ne umbram quidem uidere ſinor. Adeò quidem ſeuè ab hoſtibus coarctor, ut morti magis proximus factus ſim, q̃ uitæ. Verùm non quieto id animo ſuſpicatus ſum, ſed in metu, hoc eſt, mei parum compos, potius adlatraui, q̃ dixi, Omnis homo mendax. Non illud ſanè ſerió, atq; ex animo loquutus ſum, tantũ abeſt, ut de diuinis quicquã pollicitationib. addubitauerim. Ingratiſsimus quippe omniũ eſſem, ſi quantũ meo debeam benefactori ignorarem, aut ſcire diſsimularẽ. Idcirco

Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

Vt aliàs annotauimus, retribuere poni pro ſimpliciter dare, frequens uſus eſt in ſcripturis. Vtrunq; enim ſignificatũ in hoc uerſu uidere licet: & eſt perinde atque, quid rependam domino, cuius tam magnifica extãt in me beneficia? Vides hîc, puto, proſtratam propémodum in aduerſis fidem, ſed actutũ reuiuiſcentẽ illius afflatu, qui deducit ad inferos, & reducit. In electis quidem poteſt utcunque nutare, ut in Chriſti diſcipulis contigit: labefactari uerò omnino & extingui,
D neutiquam, quia ex Deo nati ſunt. Sed quid gratiſsima Vatis anima pro beneficiorum compenſatione ſpondeat, uideamus.

Calicem ſalutaris accipiam, & nomen domini inuocabo: Vota mea domino reddam coram omni populo eius.

Calicem ſaluationũ, uertit Felix: ſeu, ſalutum, ut alij. Sacra olim inſtituta erant conuiuia, in quibus ſolennes Deo pro maximis illius beneficijs, gratiæ agebantur. Illic lęta omnia & feſtiua apparebant. Vnde eo ex ritu Kimhi Hebræorũ doctiſsimus ita hunc exponit locũ: Quando conuiuiũ lætus extruxero, leuabo calicem uino plenũ, & gratias agam domino propter hanc ſalutẽ mihi conceſſam in conſpectu multorũ aſſidentiũ. Sunt ne noſtratia iſtiuſmodi formata inſtitutione cõuiuia? Heu mores corruptiſsimos. Qui morſus etiã in diuos audiunt? qui riſus pluſquã impudentiſsimi? Quæ (malũ) etiã in uirgines iactata dicteria? Quantus horror minarũ, iactationũ, laſciuiſsimorumq; ſermonũ, atq; inter pocula blaſphemiarũ? Tot interdũ Sardanapalos diceres, quot ſunt cõuiuæ. Et ne quid amœnitatis deſit conuictoribus, en qui conuiuatorẽ iſtiuſmodi ſalutet elegantia: Ede, bibe, lude, poſt mortẽ nulla uoluptas. Ita ſunt ſanè noſtræ ætatis ſodalitates, ita ornata conuiuia, ita malè habita pudicitia. Cæterũ ut ad pſalmũ, à quo me aliquantulum tranſuerſum egit dolor, redeam, illud non ignorandũ, typum quendã morem illũ fuiſſe conuiuiorũ & conſuetudinẽ, qua crucis adumbrabat imago: quam grataner pro Chriſto amplecti conſueſcũt hi, quos frequenter cum ſponſo conuiuari contingit. Qui uerò cõuiuij eiuſcemodi apparatus eſſe debeat, aut qui conuiuę, ſponſus ipſe in cœna illa ultima cum diſcipulis ſobriè admodũ comeſta edocuit, cùm longũ cum ſuis habiturus ſermonẽ, ſic orſus eſt: Scitis quid fecerim uobis? totus enim ſermo ille, aut potius teſtamentũ, ſuauiſsimis redundat epulis, ſed quæ filijs tantũmodo ſponſi atq; amicis ſunt expoſitæ. Menſa igit Chriſti, illius eſt doctrina, calix, paſsio: amariſsima quidem primo hauſtu, ſed quæ ligno tanq̃ Marath aquę immiſſo cõdulceſcit. Vide quid Chriſtus Petro nondũ tam neceſſario calici aſſueto reſponderit: Calicem, quem dedit mihi pater, non uis ut bibam illum?

A illũ? Verũ noſtra hæc ætas, omiſſo ligneo ſalutis poculo, è quo formata eſt crux, aureo ſe tota proluit babylonico. Calicem, ait Vates, non mortiferũ heluonum, non ſcelerũ cicuta permixtum accipiam, ſed ſalutis, ſed uitæ, ſed Dei. Hincq; ebrius factus, nõ turpiſsimi ſcorti nomen, aut adulteræ, ut ſolent in comeſſationibus combibones, quibus catamiti plerunq; pocillatores ſunt, ſed nomen domini inuocabo, atq; illius tum re, tum ore, referam religionem: prętereaq; uota mea omnia & deſideria, conatuſue inſuper animi mei omnes in eo erunt, ut illum frequenti conuentu, quantis potero laudibus extollã. Nec eſt quidem, quòd tam anxiè quis tyrannorum perſecutiones timeat aut mortem: fidei quippe armatura tecti, haud inſciſ ſumus, quòd

Precioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius.

Non ſinit cœleſtis pater facilè, ut putant, tyrannos aut auaros magiſtratus in ſuos graſſari: ſed eos, uti res ſolent precioſæ ſeruari, ſumma conſeruat uigilantia, illosq; quando opus eſt, à mundi, atqueadeo mortis iniurijs eximere conſueſcit. Si quidem res ab hominibus contemnuntur precioſę, ita Deus quoq; ſuorũ mortem negligit, quæ longè precioſior illi eſt, quàm ſit homini unio, aut carbunculus. Intelligit autem ita magni haberi & eſſe domino mortem ſuorũ, ut non temerè patiatur eam illis inferri: quòd ſi patitur, illam æterna compenſat uita in cœlis.

O domine, quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ, dirupiſti vincula mea.

Perpende quanti illos faciat Deus, qui ſe totos conſecrant numini, atq; illius delectantur ſeruitute: hos ſanè (cætera propémodum infinita illius amoris argumenta tantiſper omittamus) à mundi laqueis præſeruat: quòd ſi nihilominus in eos, quæ ſors eſt humana, nonnunq; impingere, illisq; irretiri contigerit, non indiſſolubiliter propterea obſtringuntur, ſed ui tandem exoluunt diuina. Verùm frigidos diſsipatosq; in ſuis ſeruis animos auerſat cœleſtis ignis, ſed ardentes, pa
B ratosq; requirit: quẽ utiq; ardorẽ in ſe fuiſſe Vates aſſerit, cùm trina ſe ſeruũ domini appellat nomenclatione. Quia, inquit, ego ſeruus tuus: ego, inquam, nõ uulgari modo ſeruus tuus, imò filius ancillę tuæ ſum, nodos illos humana exiſtimatione indiſſolubiles, quibus, ne rectà incederẽ, ſtrictim admodũ detinebar, perfregiſti. Ardens ualde hæc eſt ſeruitutis geminatio, qua non ſolùm ſuam uoluit exprimere humilitatem, quæ in Vate maxima ſemper extitit, uerumetiam promptiſsimum ad ſeruitutem animũ. Illud obſeruãt nõnulli, ô domine, nõ obſecrantis, ſed confitentis interiectionẽ eſſe. quare ſic hunc uerſum ordiẽ Paraphraſtes: Meritò te amo, benigniſsime domine. Porrò qui ancillam, Eccleſiam interpretantur, uideant quo nixi id dicant teſtimonio. Vult diuus Auguſtinus, Eccleſiam ancillam eſſe iuſtitiæ. Sed illud forſan uero propius, ſe ideo ancillæ filiũ nuncupaſſe, quòd ſuam uel ab ipſis progenitoribus argueret ſeruitutẽ. Fractis igitur uinculis, apertoq; incedendi campo, uide quid agere debeat liber:

Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen domini inuocabo. Vota mea domino reddam in conſpectu omnis populi eius, in atrijs domus domini, in medio tui Hieruſalem.

Quàm propenſum ad diuinas habuerit laudes animũ, ex repetitis uotis pollicitationibusq; demonſtrat Vates. Aliàs admonuimus, uota ferè in pſalmis pro gratiarũ actione, laudumq; exhibitione uſurpari, ut hîc uides. De alio uotorũ genere non loquiẽ propheta, ait itaq;: Hoſtias, quas tibi fore gratiſsimas arbitratus ſum, laudum nimirũ, atq; gratiarũ actionũ, tibi meam ob liberationem offeram, interimq; ab implorando domini auxilio non deſiſtã. En igitur uota mea domino palàm, inſpectante multitudine uniuerſa, in atrijs ipſis ædium Dei, in medio, inquã, tui, ô ſancta ciuitas, perſoluã. Nos hîc ſpectans Vates, ad morem laudandi Dei antiquũ alludere uoluit. Templũ enim ob id conſtructũ fuerat. Modò uerò quis ſit uerus adorandi ritus, & locus, Chriſtũ uideo ad puteũ cum muliere ſedentẽ, rem profundiſsimè diſſerere apud Samaritas. Verũ enimuero à ſanctis laudari ſolent mentibus & arę & fana, in quibus ſacra peragi debeant: ſed cor in primis, in quo ſedet ad puteũ anima cum Chriſto, purũ requiri dicũt. Vera illa ſedes

c est numinis. Cui laus sit atq; honos in secula seculorum. Amen. Halleluia.

PSALMVS CXVII.

Laudate dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas domini manet in æternum.

Diuus Paulus uolens tum Iudęos tum gentes mutuæ admonere concordiæ, in enarrandis utriusq; gentis priuilegijs, longa Romanis scribens utitur oratione, gentesq; tandem ad gratiã adscitas per Dei misericordiã affirmat: Iudęos uerò per promissiones factas illorũ patrib. Dico, inquit (quasi innuat, in uestris resarciendis dissidijs iam fessus concludo) Christũ Iesum ministrũ fuisse circũcisionis (familiare fuit Apostolo Iudæos circuncisionẽ appellare) propter ueritatẽ Dei, ad confirmandas promissiones patrũ. Gentes autẽ super misericordia, honorare Deũ, sicut scriptũ est: Propterea cõfitebor tibi in gentibus domine. Et iterũ: Laudate omnes gentes dominũ, & magnificate eum omnes populi. Vtrũq; igitur sapientissimus architectus connexuit in Ecclesiæ ædificio partem, quorũ alterũ gentes appellauit, alterum uerò populos. Rumor tunc fuit uulgò dissipatus, Iudæorũ populũ duntaxat diuinæ capacem fuisse religionis, quare in scripturis præ cæteris nationibus populi nomen sibi arrogarunt. Hoc itaq; argumento utitur Vates, quo usus est Paulus ad describendã Ecclesiæ fabricam, quæ tota ex gentib. & Iudæis constructa, tam altè euecta est, ut iam cœlestis nuncupet: quippe quæ fide illa fulcitur, quæ sperandarũ rerum substantia, argumentumq; non apparentiũ definitur esse. Hæc igitur fuit mens Vatis in hoc psalmo, gentes Dei populo, quò simul Dei laudes concinerent, unire: quæ apertissima fuit imago Ecclesiæ. nisi malis potiorẽ ædificij partem asserere è gentibus, exclusis Iudæis, emersisse. Verùm qui prima illius fundarunt exordia, Iudæi fuere: restant & reliquiæ in fine temporũ seruandæ. Iam illud animaduertendũ in psalmi
D dilucidatione, quòd singula singulis ad hunc ferè modum reddi debent: Laudate dominũ omnes gentes, quoniã confirmata est super nos misericordia eius. Se quidem inter gentes annumerat Vates dicens, super nos, quò arctam demõstret Ecclesiæ unitatẽ, ad quam utrunq; adhortat populum Paulus cùm ait, ut unanimes, uno ore, honorificent Deũ, & patrẽ domini nostri Iesu Christi, qui lapis sanè ille est, qui factus est in caput anguli. Aliud deinde sequit psalmi membrum: Laudate eum omnes populi, nam ueritas domini manet in æternum. Siquidem promissiones Dei æternæ sunt, ueraxq; Deus, qui quæcunq; pollicitus est, inuiolabiliter seruat. Cui laus sit in secula seculorum. Amen. Halleluia.

PSAL. CXVIII.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

Variant interpretes in diffiniendo, quo potissimũ tempore is à Dauide fuerit æditus psalmus. Nonnulli putãt illis compositũ fuisse diebus, cùm Arca insigni pompa in urbẽ inuecta populus in delicijs esset. Alij item tum, cùm ab Israële in regem inaugurareť. Alij autẽ aliud, ut suspicantur, afferunt. Re igitur incerta omissa, quæ explorata sunt sequamur. Compertũ igitur habemus tum è Christi testimonio in Euangelio, tum Petri in Actis, de ipso Dei filio conscriptum fuisse. Verùm suo more Vates res tum gestas enarrans, in Messiam rei finem direxit, in quem umbræ illæ ueteres, tanq; fine inuento desiere. Hunc itaq; in primis à bonitate laudat, deinde à misericordia: quas quidẽ partes in Deo mirum quàm eleganti, uarioq; poëmatis decore perornet disertissimus Vates. Fingamus igitur Vatem ad regnũ ab uniuerso Israële uocatum, iucundissimaq; deductum acclamatione, atq; ipsum Christi imaginem repræsentantẽ, in Dei tabernaculo ingenti omniũ stupore Deo ipsi gratias agere, in hunc modum: Confitemini domino quoniã bonus, quoniã in seculũ misericordia eius. Primũ enim ad celebrandas Dei laudes omnes generaliter inuitat homines: deinde nominatim, à quo unctus fuerat, Israëlem. Aaron deinceps, cunctũ nimirũ sacerdotũ ordinẽ: atq;

A atq; poſtremò omnes, ſiue gentes eæ fuerint ſiue Iudæi, qui timore affecti erant domini. Celebrate, inquit, mecum, adeſte ô qui ueſtrum nõ ignoratis benefacto rem, canite, mecum q; laudibus efferte dominum, quoniam bonus eſt, cuius q; miſericordia in æternum durat æuum.

Dicat nunc Iſraël quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicat nunc domus Aaron, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicant nunc qui timent dominum, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Vide ſuauiſsimum Vatis luſum in uerſibus eiuſdem omnino deſinentiæ. Dícant igitur hí omnes, ex animó q; fateantur, quòd bonus ſit dominus, quòd pius, quòd miſericors: & id quidem in æternum. Qua de re edoctus,

De tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine dominus.

Maximã quidem fert ſecũ animí anguſtiã tribulatio, mœror, dolor, atq; íd genus alia. Verũ ſi Dei ſuperant auxílio, aut ſaltem modũ capiunt, attemperantur q; imbecíllitatí humanæ, mox animus exhílareſcit, dílatat, ac reſpírare incípit. Poſt multas, inquit, tribulationes, atq; animí anxietudines, in quibus uix reſpírare licuit (adeò arcta erant omnia & importuna) dedit tandem Deus quietem, dedit pacem, dedit ſereníora tempora inuocatus. O certè felicíſsimum íllum, quí Dei præſídio niſus, humanas deridet íniurias. Itaq;

Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.

Felix hunc uerſum legit per interrogatíonem, hoc modo: Domínus pro me, non timebo: quid faciet mihí homo? Veríſsimũ illud eſt: Sí Deus pro nobís, quís contra nos? Poſſunt quídem hoſtes ac tyranni proborũ tranquillitatem intertur bare, remoraríq; aliquantulum, auferre autem penitus nequeunt. Ratío ſanè eſt, quòd hí ſummã felicitatís in animo per fidem purificato, in quem ius tyrãní non habent, ſtatuentes, tum ardentíorí in Deum feruntur affectu & deſiderío, cùm a-
B trocius uexantur. Hę propríę ſunt uítę huius dotes, ſexcentís íllam uel una hora, obnoxíam eſſe ęrumnís. Dominus ígitur mecum ſit, ut ſemper eſſe confido: quíc quíd in me molítur inuídus, quícquid maledícus, quícquid ueterator, quícquid ſubdolus & perfidioſus, quícquid orbís ípſe tandem uniuerſus natura probís infeſtus, ne hílum quídem faciam, tantùm abeſt ut íllud timeam. Et quídem

Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos.

Hîc Hebræís eſt, ut ſuprà alío in pſalmo annotauímus, Ego uídebo in ínimícis meís, ultionem ſcílicet díuinam. Vnde ſic Paraphraſtes: Vídebo euenire hoſtíbus meís, qualía quíſq; optaret ſuís. De hoc quíppe loquendí genere non raró díximus. Quanquã & uerbum deſpício, non ab re poſítum poſſet uideri. Nanq; íllam pœnarũ maximã arbítrantur tyranní, ſí ab hís, quíbus male uolunt, contemnuntur. Vide, inquíunt, quomodo ab homuncíone deſpecto, ſemíuiro, fracto, níhílíq; omníno, noſtra contemnitur autorítas. O ſtulti, num íd uos fugit, quòd

Bonum eſt confidere in domino, quàm confidere in homine. Bonũ eſt ſperare in domino, quàm ſperare in principibus.

Per comparatíuum hos legunt uerſus Hebręi, & aptè meo íudício, quò ſua ſit comparatíoní uís atq; energia. Melíus, inquíunt, eſt confidere in domíno, quàm in homíne. Cur ſic obſecro? quía nihíl homíne mutabílius: quía níl in rebus conditís tam uaríabíle & ínfidũ, quàm eſt fauor príncipũ. Hodie enim te ueſtít príneeps, cras ueró, uel ad ſummum perendie, te expoliat, atq; una eadem q; hora te amplectítur & obtruncat. Rídículum, íllí obſequí tyrãno, quí me & Craſſum, & Irum, ut lubet, faciat. Propter ínconſtantíã ígitur, addo & ímbecíllitatẽ humanã, níhíl prorſus ínnítendũ eſt homíní: ſed Deo tantummodo, quí quemadmodum potentíſsimus eſt, íta ſuí ſemper eſt ſímílís, atque ad opítulandum pronus. Ergo uaníſsimo hominum fauore deríſo, ín benígníſsimo domíno tota collocanda eſt uís ſubſídíj. Sæpe quídem deluduntur, quí ín homíne quamuís opulento ſperant. De Deo autem quís íd unquam díxerít? De qua quídem re cùm quandoq;

C periculum feciſſet Dauid, in iſtiuſmodi tandem, tanquã piſcator ictus, prorupit uerba: Melius eſt confidere in domino, quàm confidere in homine. Atqui unde Dei fauorẽ, cõtra morem hominũ, conſtantiſsimũ expertus fuerit, aperit dicens:

Omnes gentes circuierunt me, & in nomine domini, quia Vltus ſum in eos.

Vidiſti ne unquã hominẽ ſumma oppreſſum miſeria? omnia mala (clamat) in me conſpirauerunt, ab omnibus opprimor, omnes me affligunt. Ita ſanè Vatino ſtro accidit, qui innumeris aggrauatus ærumnis, ſe ab omnibus circumuentum gentibus querebatur. Omnes, inquit, gentes circuierunt me. Sed necid quidem ſuperfluũ omnino: à propriis enim fugatus ciuibus, Philiſtæorũ ſubitò, Amalechitarumq́, atq́ cæterorum id genus hoſtium finitimorum iniuriis obnoxius uixit. Verùm diuino fultus præſidio, cunctos illos ſubiugauit barbaros. Vltus ſum in eos, ex hebræo uertunt, perimam illos: ſed idem ſenſus: factum' ne illud ſit, an faciendum, haud multum intereſt, modò id totum diuinæ referatur acceptum bonitati. Quam quidem rem uberius in ſequentibus ediſſerit.

Circundantes circundederunt me, & in nomine domini, quia Vltus ſum in eos. Circundederũt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & in nomine domini, quia Vltus ſum in eos.

Pulchra profectò ſimilitudine ad cõmonſtrandum hoſtiũ ſuorũ cùm odium, tum ſubitũ in inferendo malo tranſitum, uſus eſt Vates: apum ſcilicet, atq́ ignis in ſpinas debacchantis. Tam, inquit, copioſi, támue mordaces me circunquaq́ obſederunt inimici, ut apum examen dixiſſes. Verùm quamprimũ extincti ſunt, perinde atq́ ſpinarũ ſolet ignis, qui tanto exortus fragore & ſtrepitu, ac ſi omnia conſumpturus eſſet, citò tamen reſoluitur, atq́ in fumũ abit. Optandi tempore hunc reddit ſenſum, quem diximus, Paraphraſtes: Extinguantur, inquit, tam ſubitò, quàm ignis per ſtipulas uolitans. Iam illud notandum, quoniam bonus, Hebræis tantummodo in primo eſſe pſalmi uerſu. A pio aliquo interprete additum in aliis uidet. Cæterũ, & in nomine domini quia ultus ſum in eos, nihil aliud
D uult, q́, ut diximus, in nomine domini ullo abſq́ negocio interimã illos. quò hinc cernere liceat, cuius efficaciæ ſit Dei nomen: non illud quidem charta, ut uocant, uirgine ſcriptum, colloq́ ſicariorũ aut furum ſuperſtitioſe appenſum, ſed quod fidelium impreſſum ſit menti, ſcriptumq́ fidei atramento, ac ſtylo ſpiritus.

Impulſus, euerſus ſum, Vt caderem, & dominus ſuſcepit me.

Vide uim nominis Dei, ut decet ſanctos, inuocati. A deò, inquit, præcipitanter ab hoſtibus impulſus fui, ut cadere omnino debuiſſem, domini tamen manus ſuffulſit me. Ex hebræo ferè ſic uertunt: Impellendo impuliſti me ut caderem, dominus autem adiuuit me. Videtur Vates Saulem, aut autorem alium ſuæ proſcriptionis atq́ exilij peculiariter notaſſe. Quid non malorum, inquit, ô perfide, in me es machinatus? omnem quippe uim, ſtudium, artemq́ adhibuiſti, quò me impellendo cadere faceres: & certè cadere debueram, ſed Deus me à caſu reparauit. Quocirca exclamare libeat,

Fortitudo mea, & laus mea dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.

Ecce non ſolũ memoris, uerumetiã grati animi ſignũ. Si uici, inquit: ſi hoſtes, cùm nihil minus opinarentur, proſtraui: ſi ducem illorũ contempſi, id Dei fuit munus, non mea prudentia aut uirtus. Quare illũ (ut alij ſuum iactitent animi uigorem atq́ arbitriũ, non quæro) illũ, inquam, meam ſemper appellauero fortitudinem, uirtutem, atq́ proinde laudem: hoc eſt, argumentũ & materiã, tam inſperatum laudandi beneficiũ. Hebræi reddunt, carmen meũ: ſeu canticũ, ut Felix. Conſidera, mi lector, ſi uel tantillũ ſaltem hauſiſti ſpiritus guſtũ, quomodo ſecretiſsimo quodam coloris genere ſuum adumbrat Meſsiam Vates. Intellige, uel ſerò, quis tuus ſit adiutor, quis fortitudo, quis laus, quis carmen: hoc eſt, quem corde geſtari par ſit, quem inuocari, de quo aut meditari, aut ſcribere debeas, quò te tuæ iam demum pudeat, pigeatq́ leuitatis. En Chriſtus quemadmodum noſtri omnis amoris ſubiectum eſt ac finis, ita ſtudiorum uigiliarumq́ noſtrarum ſcopus eſſe debet. Verùm impurus animus, atque in docendo ambitioſus, quid

quod

A quod grauitatem ſapiat, aut quod ſtimulos amoris infigat, uel ſcribere, uel edoce
re de Chriſto, re ſcilicet tam graui & diuina, unquam poterit? Nam quidem

Vox exultationis & ſalutis, in tabernaculis iuſtorum.

Non in tabernaculis impiorum, non in ędibus facinoroſis, milleq; libidinum, odiorumq; inquinamentis conſpurcatis, uox poteſt eſſe huiuſcemodi, atq; exultatio, quæ Dei ſit. Poteſt quidem animus turpis canere, ſed nō in domino: poteſt exultare, ſed nō in domino. Id propriū candidę eſt mentis, atq; illius, quę ſalutem ſibi prędſtitam à Deo, & cognoſcit, & grato complectitur affectu. Sic dictionem, ſalutis, interpretantur. Et ne à quoquam unde tam fortis emanauerit humani animi uirtus neſciretur, ſtatim intulit:

Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me, dextera domini fecit virtutem.

Tametſi enim, exaltauit me, opportuna eſt lectio, & aptè huc quadrans: nihilominus, exaltauit ſe, uertunt Hebręi, ſeu exaltabit, ut reddit Paraphraſtes. Idem Felix. Alius uerò, altiſsima eſt. quod ſic exponunt: Domini manus in ferenda mihi afflicto ope, potentiſsima uiſa eſt atque excelſa: idcirco fecit uirtutem, triumphumq; parauit. Huc, ni fallor, diuum reſpexiſſe Petrum arbitror, cùm prohibitus à magiſtratu ne quid in nomine Ieſu doceret, reſpondit, Chriſtū digito penè demonſtrans: Hunc principem & ſaluatorē Deus exaltauit dextera ſua ad dandam pœnitentiā Iſraël, & remiſsionē peccatorum. Quid tali opere excellentius? quid magis Dei dexteræ conueniens? quid decentius, quàm peccata, quæ uirtute planè humana facta erant indelebilia, expunxiſſe, condonaſſeq; noxas miſeris, atq; ex hominibus, nempe ærumnoſis & afflictis, deos feciſſe? Quàm diligenter quidem literis in Eccleſiæ, templorumq; parietibus, imprimendum eſſet aureis: Dextera Domini facit uirtutē, dextera Domini exaltat nos. Ipſa etenim uis ea eſt ſublimis, quæ in nobis, ſi quid unquā, quod pietatem referat, operamur, & mouet, & operatur, paratq; ob uictoriā haud ſecus, atq; ſi noſtra eſſet uirtus, non
B ſua, triumphum. O ſi nō moriar, ſed uiuam, ut celebrem opera domini. Sic ex hebræo uertunt nonnulli ſequentem uerſum, quem ita noſter tranſtulit:

Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera domini.

Is uerſus ad deſideriū manendi in uita, ut alios nonnullos expoſuimus in pſalmis, referri nequaq; debet, ſed ad inſultantem in hoſtes animū, ad hunc ferè modum: Illi enim omnem, quò me interimerent, uoluerūt lapidem, uerū ego adhuc illis inuitis uiuo, uiuāq; diutius, quàm illi uolent: atq; ita Dei per me celebrabunt operationes. Siquidem in ipſis meis infortunijs, quæ ad meum excogitata ſunt profectum atq; exercitium,

Caſtigans caſtigauit me dominus, & morti non tradidit me.

Caſtigans caſtigauit, hebraiſmus eſt, & eſt perinde ac, diligentiſsimè erudiuit me. Norma hæc eſt ſpiritus, ut crux piis uita ſit animis, impijs autē mors. Si quid igitur nobis aduerſi irrogari cōtingat ab improbis, id ea recipiendum eſt animi pace, qua ſalutaria recipi debēt monita & reprehenſiones, quæ à benigniſsimo permittuntur domino, idcirco, ut mirandos in nobis pariant iuſtitiæ fructus, nō animæ ſterilitatem ac mortem. Idem planè de morbis dicendū erit, de filiorū orbitate, uxoreq; moroſa, aut parum pudica, atq; de innumeris iſtiuſmodi mundanarum rerum damnis & incōmodis. Noui, inquit, ſalutiferam mihi Dei fuiſſe caſtigationem, quæ mihi uitam attulerit, haud mortem. Quare

Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor domino: hæc porta domini, iuſti intrabunt in eam.

Iuſtitiæ portas, aditū peruenienti ad ſacros cœtus, feſtosq; dies, à quibus propter exiliū aberat, intelligit. Facultatem igitur eò adeundi, ubi religionis celebratur cultus, è quo iuſtitiam oriri ſibi perſuaſerat, deprecatur, quaſi diceret: Reuocatum ab exilio, ô ſancti cœtus, ô qui religioni operam datis, ueſtrum in conſortium admittite. Per hunc quidem aditum fit iter ad iuſtitiam: quod tamen nemo unquā, niſi iuſtus, pureq; defæcatus, aggredi audeat. Ab iſtiuſmodi quidem

C iuſtitiæ portis inquinati arceri debent. Volũt ex noſtris nonnulli, cœtus illos ſacros, chorosq́, eccleſiam præſagiſſe: alij doctrinam euangelicam: ego Chriſtum, qui dixit: Ego ſum oſtium, ſi quis per me introierit, ſeruabitur. quanquam unum planè eſt, eccleſia, euangelium, Chriſtus. Nouerat enim Propheta, ex ritibus illis antiquis quamlibet candidis & religioſis, non iuſtum effici potuiſſe hominem, ſed Dei iuſtitiam eſſe, ut inquit Paulus, per fidem Ieſu Chriſti. Idcirco portam ad iuſtitiam introducentẽ, fidem fore per Chriſtum, perſuaſum habebat. Hanc itaq́ ſibi reſerari, ſub uelo typoq́ portarum tabernaculi illius informis, orat. Ingreſſus, inquit, eas confitebor domino. En pura fidei Eccleſiæ confeſsio, quã hîc pollicetur Vates. Vnde ſubdidit: Hæc porta domini. Neq́ hoc ſatis uiſum: Iuſti, inquit, intrabunt in eam. Hinc clamat Paulus: Iuſtificati eſtis in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſpiritu Dei. Porta itaq́ Dei eſt Chriſtus, per quẽ acceſſum habemus ad patrem. Nemo, ait, uenit ad patrem niſi per me. Mirum certè ſi de alia intellexiſſe porta Vatem opineris: aut aliũ ſibi propoſuiſſe ſuæ quietis terminũ, quàm Chriſti patrem, quem fruſtra appeti quæriq́ citra Chriſtum intelligebat, ſuſpiceris: quod tandem expreſsius in ſequentibus commonſtrauit, cùm ipſum Dei filium lapidem à fabricatoribus reiectum appellauit. Sed prius quid feliciſsimas illas tum fidei, tum charitatis portas ingreſſus polliceatur, audiamus.

Confitebor tibi quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.

De confeſsionis uoce iam centies diximus. Hîc pro gratiarũ actione ſumitur. Introì, inquit, admiſſus nõ ero ingratus, ſed gratias tibi agam, te laudabo, te meam opem, meamq́ ſalutem extitiſſe palàm atteſtabor.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.

Se uocat lapidem Vates ab ædificatoribus, tanquam nulli ædificij loco quadrantem, reiectũ. A patria quidem & regno expulſus, conatusq́ haud rarò cum
D ſuis in gratiam redire, ne minimũ quidem in plebe locum inuenit. Poſtea uerò reſtitutus, atq́ ad regni ſedem euectus, conſpicuus omnibus & honoratiſsimus apparuit eo modo, quo apparere ſolent lapides illi angulares in inſigniori loco fabricæ coaptati: quod quidem pro miraculo tum habitum fuit. Quapropter dixit:

A domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Hæc dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea.

Semel dominus Ieſus à Phariſæis prouocatus, multis prius propoſitis, quæ ad futuram eorum à Dei regno eiectionẽ pertinebant, ſimilitudinibus, quò ſe illorum peruerſitate atq́ inuidia damnandũ, mortemq́ obiturũ ignominioſiſsimã, ſed mox è tumulo reuicturũ, atq́ ſubinde ab omnibus adorandum ſubindicaret, dixit: Nunquam ne legiſtis in ſcripturis, Lapidem quem reprobauerũt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: à domino factũ eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? Nulli igitur dubium eſſe debet, tunc Vatem, cùm hæc ſcriberet & pateretur, typum geſsiſſe Chriſti, qui lapis ille eſt, de quo ſic Deus in Eſaia: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, precioſum, in fundamento fundatum. Etenim quia cuncti eo nituntur electi, in fundamento fundatũ illum appellat ſpiritus. quia uerò duos maximè inter ſe diſsidentes populos in unam coagmentauit Eccleſiã, angularem. Nõ modò id noſtri eſt ocij diffinire, quò referenda ſit uox illa, Mirabile: ſiue enim ad lapidem referre libeat, ut ſit lapis admirabilis, ſiue ad caput, ſiue ad angulum, ſiue etiam ad illud omne, quod in pſalmo præceſsit, idem eſt ſenſus, ad Chriſtumq́ attinet: atque eò ſpectarunt interpretes, licet nonnihil in lectione uarient. Certè mirabilis is fuit lapis atq́ immenſus, qui utrunq́ parietem tam longè ab inuicem diuulſum coniunxit, unumq́ effecit, aliter una non eſſet Eccleſia. Quis id opus non miretur, clametq́ attonitus? A domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Conati ſunt quidem ludæi neſcio quid architectari religionis abſq́ Chriſto: errauerunt miſeri: deerat enim lapis ille, qui ſublimi è monte reciſus abſque manibus, primas ſibi partes ædificij uindicaturus eſſet. Reiectus itaq́ à ſapientiſsimis,

ſi Deo

A ſi Deo placet, ædificantibus, creuit, ut inquit ille, in montem excelſum: hoc eſt, adeò cunctis, per poteſtatem illi traditam à patre, conſpicuus atq; admirandus factus eſt, ut meritò illi tanquã angulari ſaxo, totus Eccleſiæ connexus, compagoq; inniteretur. Dies igitur ſalutis, dies pacis, dies tripudij, dies iſta eſt, quam fecit dominus: ſiquidem in ea apparuit Chriſtus, ſol nimirum iuſtitiæ, amorq; uniuerſi ac deliciæ, felix ætas, felix hominũ ſors. Quid ultrà mœrendum eſt? exultemus, lætemurq; in eo, nempe lapide precioſiſsimo, angulari, fundamentario, ac iuncturarũ omniũ ædificij conciliatori, qui à Iudæorũ perfidia neglectus & fractus, reuixit tamen immortalis, atq; ad Dei dexterã aſcitus, rex factus eſt uniuerſorum. Ad quem quidem nos, qui ad illius ſtructurã pertinere confidimus, ſupplices noſtris in ærumnis, quibus tota hæc reſperſa eſt uita, confugiamus, clame musq; tanquam unus omnium animus & cor:

O domine ſaluum me fac, ô domine bene proſperare. Benedictus qui ϒenit in nomine domini.

Hoc ferè modo, nouo acclamauit regi populus in Hebron. Hoc item Chriſto Eccleſia in hoc mundo. Cui quidem religioni præluſerunt olim turbæ illæ, quæ Chriſto Hieroſolymas intranti, cum ramis palmarumq; frondibus occurrerunt ouantes, clamantesq;: Oſianna filio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini, oſianna in excelſis. quam uocem ſic interpretatur Symmachus: Obſecro domine, ſaluũ me fac obſecro. Neq; eſt quòd nos moueat, Euangeliſtas parum ſecus, atq; habet pſalmus, citaſſe literam: ea quippe memorant, quæ tunc in uſu erant in ore populi, qui ex patrũ ritu conſueuerat in die octaua feſti tabernaculorum, in qua de more ramos, frondiumq; faſciculos geſtare iuſſus per urbem, ita precabatur: Propter te Deus deorum ſalua nos, propter te domine dominorum ſalua nos. ut non quidem temerè à Iudæis factum exiſtimemus, quòd pompa illa ramorum ſolenni, Chriſto obuiam ierint clamantes, Oſianna ſerua nos fili Dauid. Longius non eſt protrahendum myſterium. Id ſolum dixiſſe ſufficiat, quod
B ad inſtitutũ noſtrum facere uidebatur. Cæterùm, bene proſperare, perinde eſt ac ſi dicas, felicem dona ſucceſſum: uel, ut reddit Felix, Da proſperitatẽ, ferq; opem ô qui habitas in excelſis, liber nimirum à noſtris hiſce inquinatis iuſtitiæ ſemitis. Sit itaq; laudatus qui uenit in nomine domini. Is quidem à patre miſſus, non potuit ſua ſynceriſsimè non fungi legatione, qua mirandũ in modum uniuerſus ſeruatus eſt orbis. Ideo omni laude ſuperior eſt legatus noſter. Aliunde porrò accedentes, fures ſunt, ac piratæ. Vnde illa eſt domini Ieſu expoſtulatio apud Ioannem: Ego ueni in nomine patris mei, & non accepiſtis me. Si alius uenerit in nomine ſuo, illum accipietis. Ergo, inquit Auguſtinus, maledictus qui uenit in nomine ſuo. Putásne, mi lector, etiam in noſtra ætate, alioqui ad terendas iuſtitiæ ſemitas animata, deeſſe, qui non miſsi à cœleſti patre, non uocati à ſpiritu ſancto, non imbuti doctrina uerbi, ſeſe in euangelicũ obtrudunt miniſteriũ, gradusq; illos ſibi aſſumunt & uenantur, quos non Dei ſpiritus, ſed ambitio ſuggerit & amor prorius? Maledicti hi certè à domino ſunt, cùm is ſolus, uereq; benedictus ſit, qui uenit in nomine domini: hoc eſt, qui Dei gloriam, non ſuam in edocendo Dei uerbo, quod ſanè munus ad omnes attinet animarũ præſules, quærit. Aliter uerò quomodo poterunt credere, atqueadeo Dei gloriæ ſuis illis in dignitatibus ac gradibus ſtudere, qui gloriam, ut inquit Chriſtus, ad inuicem aucupantur? O certè præpoſterũ rerum ordinem. Iam uerò quid ſuæ profeſsionis hominibus precentur hi benedicti, miſsiq; à domino, ſubinfert Vates: Et nos, inquiunt, benedicti, delegatiq; à benedicto,

Benediximus ϒobis de domo domini,

Beneq; precamur. Quis, quæſo, alijs benedictionẽ impartiri auderet, quin eſſet ille prius benedictione ornatus? Non quidẽ obuia cuiq; eſt doctrina ſpiritus. Proinde non inconſultò nos admonet Paulus, probandos eſſe ſpiritus. Mirum quàm turpiter hac in re labamur, propterea, quòd noſtro nimiũ tribuentes iudicio, ac corporis cõmodo, in his, quibus fulciri debet pietas, Deiq; religio ſuſten-

C tari, infeliciſsimè cæcutimus, appellamuſq; lucem tenebras, & tenebras lucem. Sed iſtuc fortaſsis tolerandũ eſſet inter rudes uulgi homines, atq; apud illos, quibus lux fidei nondũ ob Chriſtianorũ ignauiã innotuit. Verũ cum infidelibus, & nos quoq;, qui mundo impoſuiſſe ſomniamus, uno, ne dicã deteriori, conuolui impietatis errore, omnẽ ſuperat turpitudinẽ. Quid, oro, faceremus, ſi nullũ omni no apparuiſſet lumen? Quid ſacri in nobis promouerunt ordines? quid literæ? quid maiorũ præceptiones? quid fides tandem, ac Chriſtus? Nos ignauiſsimos, qui in meridiana ipſa luce hallucinantes, tenebras neſcio quas interlucentes, facemq; adulterinã ac ſubreptitiam, pro uera luce admittimus: & tamen nos Chriſtianos eſſe, negato Chriſto, uideri uolumus. Luce igitur noua hîc erit opus? nouo item Chriſto? quaſi id quidem optare uidemur, cùm tam obnixè exorto reluctamur lumini. Ah pudeat Chriſtianum de Chriſto ſuæ ſalutis autore (ſcelus id ingens) uel leuiter quidem ſuſpicari. Siquidem ipſe eſt, non alius,

Deus dominus, qui & illuxit nobis.

Itaq; alium inquirere Deum, aliudq; opperiri lumen, impium omnino id eſſet uotum & uanum. Ipſe enim per ſe lumen præbet, imò uerò ipſe lux ea eſt, præter quam nulla. Sol quippe iſte uiſibilis, prę illo denſiſsima eſt caligo, utpote cui corpora duntaxat illuſtrare uis data ſit ab illo, qui mentes permeans humanas, in ipſas animæ medullas feliciſsimos ſuæ cognitionis, addo & amoris, immittit radios. Quocirca

Conſtituite diem ſolennem in condenſis vſq; ad cornu altaris.

Tametſi enim ſecundum ſimplicem ſenſum ea uidetur literæ huius expoſitio, quã afferunt hi, qui planitie cõtenti difficiles montiũ aſcenſus refugiunt, quæ huiuſmodi eſt: Conſtituite diem lætitię ad celebrandam Dei ſolennitatẽ in condenſis, populo nimirũ denſo, & frequenti in templo, ut uel ipſius cornua altaris, cui ſacerdotes tantũmodo adſtare debent, occupet (utrunq; enim altaris caput, cor-
D nua appellabãt ueteres:) attamẽ diuerſa cùm ſit litera etiã inter Hebręos, diuerſi emergunt ſenſus. Sic ex illis quidã tranſtulit: Redimite feſtũ diem frondib. uſq; ad aræ cornua. quam literã ſecutus Paraphraſtes, ſic fuſius rem exequitur: Colligite ſub diem feſtũ ramos, & templũ ornate uſq; ad cornu altaris. Hunc morem quoq; etiamnũ ſeruant templorũ curatores, quò ex his innuant ritibus, maximũ ineſſe populis interioris feſtiuitatis, quę in ſpiritu fit, gaudiũ. de quo illud: Exultemus & lætemur in eo. Felix uerò reddit: Vincîte agnum funibus uſq; ad cornu altaris. Idem ferè Chaldæus: Ligate, inquit, agnos ad diem feſtũ. Ad antiquũ enim morem ſacrificandi aſpexit Vates, in quo hoſtiæ Deo immolandę cornib. altaris alligari conſueuerant. Vnde ex hebræo ſic transferunt cæteri: Ligate hoſtiã funibus ad cornua altaris: hoc eſt, hoſtijs Deo litate. Diuus tamẽ Hieronymus aliam approbaſſe lectionẽ uidetur, qui ſic tranſtulit: Colligate ſub diem feſtum ramos, & templum ornate. Hæc omnia ſanè populos ad animi lætitiã, cultumq; religionis feſtiuũ adhortant. Verùm aliud modò quęrendum eſt nobis hoſtiarũ genus, aliud altare, ritus alius, quàm ille fuit Iudæorũ cruentus. Noſtræ quidẽ uictimæ, ne ab armentis uitulum aut buculã extrahi debere opineris, nos ipſi ſumus. Altare, crux Chriſti, ignis, amor, gladius, fides. Sacerdos autem, qui & ara ſimul eſt & gladius, & ignis, Chriſtus Ieſus. Quæ porrò ſint, quæ cani debeant in frondoſo iſto ſacrificandi more cantiones, in ſequentibus edocet ſpiritus.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Hîc propémodũ mihi illa eſſe uidet fidei confeſsio, quam apud Ioannẽ ſubdubius antè diſcipulus profitet, manumq; Chriſti uulneribus admouens exclamat: Dominus meus & Deus meus. Qui ſic de Deo ſentiunt, ipſum uenerant, colunt, cæterisq; omiſsis hominũ præſidijs, quæ nutantia ſunt atq; infida, ſuis in aduerſis inuocant, ad ipſumq; tanquam ad tutiſsimum aſylum ac portum confugiunt. Iam illud poſtremò notandum, uerſum illum intercalarem, quem poſt hunc noſtra habet ęditio, in hebręo non inueniri: eum nempe, Confitebor tibi, quoniam exaudiſti

A exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. ſed oſtenſa ſui animi erga Deum conſtantia & fide, iterum eadem confeſsionis uoce, atq; eodem omnino uerſu, quo pſalmum incœpit, claudit, dicens:

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Cui honor ſit & benedictio in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. CXIX. Aleph.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini.

Totius humanæ conuerſationis perfectio hunc totum, modo occultiſsimo ac ratione, ſibi uindicat pſalmum. Quocirca ſi purificatum inuenerit lectorem, mirabili illum afficit ardore, atq; ad res animi peruestigandas incendio. Tantum uerò abeſt, ut in illo quidpiam offendat non neceſſariò poſitum concinneq; repetitũ, ut nihil concinnius dici queat: quod uix aduertũt qui hebetiori ſunt ingenio ac ſpiritu, quibus perſuaſum eſt uoces illas frequentes, legem, mandatum, iudicium, eloquium, præceptũ, atq; alias in hunc modum dictiones redundare. Falluntur hi dubio procul: ſiquidem iſtiuſmodi uoces nõ ſecus pernornant pſalmum, ac cœlum ipſum fulgentiſsima ſydera: quas tamen omnes unicam præferre legem affirmant doctiores, qui ſecundum uarias illius operationes atq; effectus, uarijs illam appellari nominibus à Propheta notarunt. Rationem uerò quamobrem octauo cuiq; uerſiculo literam unam alphabeti Hebræorum, ab Aleph incipiendo, attexerit Vates, fatentur ſe ignorare. Puto equidem luſum fuiſſe poëticum, non tamen ſuperuacaneũ, ſed admirabili obtectum myſterio, ut ferè omnia ſunt prophetica. Lex itaq; quæ Thorah Hebræis eſt, non minus doctè, quàm candidè & ſanctè, per membra hîc deſcribitur. De cuius quidem appellationibus, cur ſcilicet hoc uel illo nuncupet nomine, in pſalmo decimonono, quantum ſatis tunc uiſum fuit, explicuimus. Haud ſanè res admodũ difficilis
B eſt purgato, ut dixi, animo, quid uoces ſibi uelint illę crebræ, ſuo loco diſcernere. Iam illud dicendum uidetur, Prophetam in hoc pſalmo flagrantem piorum animum erga Dei legem uoluiſſe exprimere, ſubindeq; ingenti illos excruciari dolore, cùm ab improbis eam cernunt contemni, ludibrioq; haberi, ac ſub religionis prætextu uenum exponi. Illud quoq; admirandum, quomodo in tam uniformi uerſuum concinnitate atq; enarratione, noua ſemper, quæ Dei laudes referant, adducat Vates: ut mirum id omnino uideri queat, quomodo idem ſæpenumero eiſdem penitus repetitis fomentis, excitari faciat incendium, nomen nimirũ tam aptum diuinæ legi, quàm quod aliud aptiſsimũ. Cæterũ nulla in homine poteſt eſſe tam digna Deo laudatio, quàm eſt inculpatus uitæ tenor, hoc eſt, ad Dei legem apprimè informatus. Qui talis eſt, à Vate meritò cùm hîc, tum aliàs, beatus, atque in conſuetudine uitę, quam uiam appellare libuit, immaculatus nuncupatur: quippe qui in Dei lege enutritus, nullo alio afficitur oblectamento, nullaue alia tenetur cura, quàm ut ſecundũ Dei præceptiones ſuam inſtituat uitam, omiſſis interim curis illis omnibus, quibus tam nobile impediri poſsit ædificium. Ait itaq;: Beati immaculati in uia, qui ambulant in lege domini. hoc eſt, beati hi ſunt omnino, ac ter felices, qui inculpatè uiuentes, ſecundum Dei legem & doctrinã id uitę iter peragunt: nullo enim remorati obice, uitę ſtadium expeditiſsimo conficiunt curſu. Dei quippe legem ac uerbum, pro ſcopo ſui laboris & curſus ſibi iampridem ſtatuêre. Vnde

Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt ea.

Teſtimonia, illius ſunt præcepta, quibus ſuam nobis patefacit, teſtaturq; uoluntatem. Vnde uertit quidam, cõteſtationes. Hi igitur felices, qui diligenter affabreq; Dei obſeruant iuſsiones, quiq; illum haud ore ſolùm, qui hypocritarum mos eſt, ſed toto omnino corde, ſyncero q; affectu inquirunt, illiq; ſuum probari curſum modis omnibus contendunt.

Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt.

C Fieri haud quidē poteſt uirū illum, qui per amœnas fidei ſemitas libenter incedit, poſſe longius errare. Indicium ſanè id eſt certiſsimū, quempiā penitus exorbitare, cùm in fœdas ultrò impingit peccatorū ſalebras, erratq; prudens. Felix hunc uerſum ad beatos illos ſuperius deſcriptos retulit, ut ſit ratio, cur beatitudinis nomine cœlitus donati ſint. Non enim, ait, operati ſunt iniquitatē, imò uerò potius in uijs eius ambulauerunt, nempe dei. Planæ quidem ſunt uiæ domini, atque, ut ait Salomon, pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ, quocirca amanti, atq; adeò ſolerti opus eſt animo ad peragendum præceptorum Dei curſum, alioquin & lucidum, & apertum.

Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.

Torporem quidem omnem ſuo in obſequio faſtidit Deus. Vnde non iniuria in fine uerſus additum eſt, nimis: hoc eſt, diligenter, indefeſſeq;. Vt enim ſancta, nobisq; ſalutaria præcepit Deus, ita ſummū nobis ad illorum obſeruationem adhibendum eſt ſtudium, excitandusq; animus, atq; elaborandū, ne ſurdis aliquando præcepiſſe uideatur tam potens dominus.

Vtinam dirigantur uiæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.

Hæc eſt uis fidei in diuina lege incluſa, impiū gratis iuſtum effici, ac Deo charum. Vocat hîc igitur iuſtificationes, Dei promiſsiones à legis oraculo, tanq; ab arce propitiatorio auditas: quibus ſanè qui fidunt, iuſti actutùm efficiuntur. Verùm quoniā ad obtinendā huiuſcemodi animi excellentiā impares prorſus ſunt uires humanæ (Dei enim donū eſt, qui noſtrā ſuſtentat imbecillitatem, purgatq; arbitriū & uoluntatem) idcirco exclamat Vates: O utinam mei cordis affectus, uitæq; conuerſatio, qua ætatis huius hippodromus utcunq; tranſcurritur, adeò à recto non exorbitet itinere, ut tuis poſsim parêre mandatis. Et certè

Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis.

D Sentit uir ſanctus ſe nunq; ſuis in conſilijs, quæ à ſpe æternæ uitæ proficiſcuntur, atqueadeo in adipiſcenda mentis integritate, quæ in ſedula præceptorū Dei meditatione ſita eſt, iri fraudatū. Tunc, inquit, cùm perſpexero, hoc eſt, cùm quæ tuis in iuſsionib. ab homine efflagites conſiderauero, eaq; re præſtitero, nō confundar, meaq; non fruſtrabor, quā de te concepi, fiducia & perſuaſione. Fruſtrantur ſanè, qui te amare ſimulantes, ne digitū quidem ad ea quæ præcepiſti promouent, ſcilicet amore iſtiuſmodi pigro inertiq;, qui fide neſcio qua cōtentus, nihil antiquius habet, q; ut nihil omnino operetur, delectaris. Chriſtus, aiunt, pro nobis operatur. Fateor equidem id amoris genus ac fidei, quod libenter ociatur, me penitus non intelligere. A te enim audio, ô uniuerſorū Deus, mortaliū erga te dilectionē ex præceptorū tuorum obſeruatione comprehendi debere: alioquin amor non eſt, ſed falſa religionis perſuaſio. Quod uerò ad me attinet, illud abs te exorare contendam, ut te duce, mea ita rectè ordinetur uitæ ratio, quò quæ ſint operationes illæ, quas tu à nobis requiris, non ignoremus, ne ſtadij curſum metam appellemus. Felices quidem illas eſſe actiones ſemper exiſtimaui ac perfectas, quæ, tanq; uites arbori, innixæ fidei, nullum in ſe ſtatuerent meritum, ſed in Deo, qui, quòd alicuius ſint momenti, autor eſt, atq; ne in actionū delectu hallucinemur, lux uniuerſalis. Hoc proinde impetrato,

Confitebor tibi in directione cordis, in eo quòd didici iudicia iuſtitiæ tuæ.

Iudicia iuſtitiæ Dei, ſunt illius decreta æquiſsima, ſolida, perfecta, quib. ſancta maximè conſtat lex. Cæterùm Dei iuſtitiam aliàs diximus illius eſſe conſummatiſsimā undequaq; naturā ac bonitatē, quę in legis cognitione æquè relucet, atq; ſol ipſe in ſuo cœlo. Vide igitur quid bonorū nanciſcamur ex aſsidua in diuina lege exercitatione: conſiliorū nimirū æternorū Dei notionem. Ait ergo: Te, ô domine, celebrabo, ac te ſyncerè, ſimplicíq; uitæ inſtituto ac ratione, quod rectum eſt, quoq; itur ad te, conſilium, laudibus meritò efferam, ubi ſecretiſsimā me docueris tuæ legis uirtutem atq; efficaciam. Iudicia quidem humana falſa plerunq; ſunt & iniqua, tua uerò æqua, ac te digna. Ideo

Iuſtifica-

A *Iuſtificationes tuas cuſtodiam, non me derelinquas vſquequaq;.*

Vſquequaq;, ubiq; eſt, ſeu quocunq; tempore. Vocat iterum Dei legem, lætasq; legis promiſsiones, quod eſſe Euangelium definiunt, iuſtificationes. Tuas, inquit, iuſtificationes ſeruabo. uerùm tu interim ne me deſeras: ſiquidem te iuuante, ſeruabo, deſerente autem non ſeruabo. Imbecille ualde arbitrium eſt humanum ſi ſe nititur, fortiſsimum ſi Deo.

Beth.

In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.

Natura humana cùm omni planè ætate ad uitia procliuis ſit, tum id potiſsimũ in adoleſcentia uidere eſt. Tum quidem efferatius ætas illa, ut leuis & incõſtans, ita æquè ad uitia atq; ad uirtutes flexibilis, in uarias continuò fertur cupiditates, raroq; uirtutũ iter, uel centies intermiſſum, niſi ui maxima adhibita animi ac conatu, repetere potis eſt. Carnis quidem æſtu incenſa, difficillimè in uno perſeuerat conſilio. Vnde non immeritò adoleſcentiæ hîc fit mentio. Verùm illud tam petulanti ætati conuenientiſsimũ erit frænum, ſi omiſsis laſciuijs, cor iuuenis in Dei ſe lege oblectauerit, illamq; amauerit doctrinã: qua adepta alio omnino deflagrabit incendio, quàm illud ſit, quo hi perpetuis aduruntur flammis, qui aut ſenſuum oblectamenta porcorũ more amplexantur, aut ab humanis ſeducuntur erroribus. Vtrunq; enim hominũ genus ſemper inquietum eſt. Da igitur mihi adoleſcentem, da iuuenem, da ſenem, da totum orbem Dei uerba auidius, quàm adulationes, falſasq; fortunę pollicitationes audire, en Deus, en pax, en charitas, quæ iam nulla eſt, ſuam recuperabit ſedem. Qua itaq; re potiſsimũ adoleſcens natura mollis ac diſſolutus, ſuam poterit emendare uitam? quo remedio? nullo certè efficacius, quàm ſi ſalutaria ſeruauerit Dei uerba, illiusq; libentius inhæſerit monitis, quàm mundi blanditijs ac lenocinijs. Dic princeps (te nunc alloquor,
B quiſquis es, qui ad principatum uocaris) quanam putas ratione tuas te aures, adhuc forſan tenellas, à turpiſsimis aſſentatorũ delatorumq; artibus poſſe auertere? nónne Dei uerbo? nónne ſacroſanctæ legis auxilio? Quid animum? quid cor piè adeò informabit ad clementiam, ad grauitatem, ad ſapientiam? nihil ſanè prętèrquàm Dei doctrina, à qua inſtituendorũ populorũ forma extrahitur. Si quidem conſtituendi per prouinciã erunt magiſtratus, ſi imponenda uectigalia, ſi ciues ornandi honoribus, ſi tuis fortunis augendi, ſi fauore, ſi gratia, ſi contubernio honeſtandi, en lex diuina, quę te id pulchrè doceat. Et demũ nullo alio itinere ſplendorem illum ac gloriam, ad quam tum probitate, tum literis, tum armis illis, quæ Chriſtianum principem decent, te aſpirare par eſt, aſſequêre, niſi in cuſtodiendo ſermones Dei. Omitto prudens ad uoluptates ſuaſores, qui auaritiæ facibus inſtincti, te ad exactiones principe indignas, ad depeculationes, ad ludos illiberales, ad ſæuitiam, tyrannidemq; inſtigaturi ſunt. Quæ ſanè hominum colluuies adeò ex ſeſe odioſa eſt omnibus, atq; ipſo ſuo horrore deteſtabilis, ut propémodũ ſuperuacaneũ ſit te admonere. Quare ſic te inſtructo, atq; proinde ad tuorum ciuiũ ſalutem, orbisq; terrarũ ornamentũ ædito, paululũ omiſſo, ad Vatem redeo, qui ſuum erga Dei legem cupiens teſtatũ eſſe omnibus animũ, ita de ſe loquitur:

In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis.

Summa hæc eſt perfectionis Chriſtianæ, Deũ ita obnixè quærere, ut aſſequatur. Id enim eſt Deum toto corde inquirere. Aliter autem ad cœleſtium rerum cognitionem cùm nati, tum poſt primã illam miſerrimi Adę ruinam denuò accerſiti, ſed lumini ultrò obluctantes, ſponte nos noſtra Dei uocatũ auerſari, quo uelo, quo ſuffugio noſtram inumbrabimus oſcitantiam? Periculoſiſsimũ ſanè illud genus eſt uitę, cùm quis cœlitus uocatus illud reſpondet comicũ, Vocata eſt opera. Corde itaq; toto inquirendus eſt Deus, ne indignabũdè nos ſuo ab obſequio propellat, ac tanquam inertes aluos ſua à religione, quæ ab ardentiſsimis duntaxat animis apprehenditur, abigat, conſpuatq; irriſos. Ne ſinas, inquit, me tuis à mandatis aberrare. Nam

C *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.*

Aurea cùm ſint diuina eloquia, ac gemmis ipſis precioſiora, in ſecreto recondenda ſunt animæ repoſitorio, ne à furacibus auferantur ſeruis, palamq; fiant uulgo natura leuiſsimo, atq; alieni appetentiſsimo, quę ſobriè impartienda ſunt multitudini, ac cum delectu. Eloquia uocat Dei mandata, ſeu legem, quę frenũ quoddam noſtræ eſt ad peccata procliuitati. In animo, inquit, meo, in cordisq; medullis, tuos, ne aliquando laberer, repoſui ſermones, ſeruoq; perinde, ac ſolent homines fœneratitias pecunias ad lucrum: pro tutela illos habui. Et quidem

Benedictus es domine, doce me facere iuſtificationes tuas.

Cùm docet Deus, planũ fit illius religionis iter: alioquí ſine Deo ſenticoſum, ſyluaticum, inacceſſum. Eam ob rem hîc anima mirè anxia ſibi doctrinã ſpiritus ſuppeditari rogitat, qua operante nihil nõ facilè atq; amœnum in ſeruandis Dei præceptis apparet. Ex hebræo uertunt quidam, doce me ceremonias tuas: & per ceremonias, certas intelligunt leges ac ritus. Vult Kimhi præcepta illa eſſe, quorum tecta eſt ratio, atq; obſcura: ut ferè erant ceremoniæ templi, antea autem tabernaculi. Kukim Hebræis eſt. Laude igitur omni præſtantiores, mi Deus, quo autore audax factus, in corde meo abſcondi eloquia tua, illa ſcilicet aſsiduè ruminans, ut non peccem tibi. Verùm tu interim me tuas edoce prę ceptiones. Siquidem alia res eſt, tua audire uerba, aut in auratis lectitare codicibus cum uanitate, alia à ſpiritu tuo edoceri. Quare ne quod mei eſt muneris omnino denegem, infectumq; deſeram,

In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.

Vide quid boni ſecũ afferat præſentia ſpiritus, quidúe tandem pariat Dei uerbum in corde abſconditum. Labijs, inquit, meis, ac lingua, iudicia cuncta ab ore tuo profecta, hoc eſt, edicta, oracula q;, legem nimirum ſanctam, qua tua nota facta eſt mundo uoluntas, enunciaui, palamq;, cùm tibi uiſum fuit, patefe-
D ci. Id dicit Vates, quò quàm libenter ſolicitéq; de Dei lege loqueretur, oſtendat. Ideo ſubdidit:

In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum ſicut in omnibus diuitijs.

Teſtimonia, ſeu uiam teſtimoniorũ appellat, ut iam diximus, Dei legem, quòd de ipſius legislatoris uoluntate conteſtetur. Nonnulli uertunt, oracula. Prædictus uerò doctor præcepta illa eſſe exiſtimat, quibus aliqua ad refricandam diuinæ beneficentiæ memoriam præcipiuntur. Verumenimuero mens ea eſt prophetæ, ut ſuum erga Dei uerbum, ac legem, tum ſtudium, tum amorem prę ferat, cùm ait ſe æquè ex ordine, modo, ſapientiaq;, quæ ſunt uiæ eius, mandatorum Dei oblectamenta ſumpſiſſe, ac ſolent alij ex diuitiarum copia & luxu. Alio in pſalmo teſtimonia Dei deſiderabilia eſſe aſſerit ſuper mel & fauum: hoc eſt, ſuper omnẽ mundi ſuauitatem & delectationem. Sic ſunt affectus ſpiritus, ſic amor, ſic guſtus. Quocirca

In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas.

Quòd enim ſecundum Dei legem quis uiuere poſsit, frequens id agit exercitatio, atq; aſsidua in illius doctrina meditatio. Secus enim nulla in terris certa eſſet de Deo notitia. Nam à lege, Dei uoluntas intelligitur. Quid ſi intellecta ſpernitur? Scelus id uidetur inexpiabile. Spernitur tamẽ etiam ab his interdum, qui illius profitentur cognitionem, ac religionis effigiem. Obſecro, unde is uaniſsimus cœleſtium donorũ uſus? Puto equidem ab infecto mundi amore animo, fideiq; debilitate, ne dicam abſentia, originem habere. Qui ita affecti ſunt homines, in diuulganda Dei lege exercentur quidem, ſed ad quęſtum, ad gloriam, ad uulgi plauſum: uiasq; domini conſiderant, non quò illas terant, atq; in ſalutis ſibi uſum uertant, ſed ut inde nomen ſibi cõparent, aut illas prorſus diruant: quod proprium hæreticorum eſt, atq; illorum affinium hypocritarum. Quanquam certè mallem patentem hæreticum in domo Dei tolerari, quàm hypocritã, qui ſuauiſsimo ſuo illo exiſtimationis propriæ ueneno imbutus, quicquid agit, quic-

quid

A quid turpiſsimo cõmentatur animo, id totum in ſuum pertrahit colorem, tetrum nimirum, fucatum, pallidum, horrendum, exitialem, odioſum, Deoq; infenſum, tantùm abeſt ut quod ſequitur illi probetur.

In iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos.

Sanctiſsimum id pij animi eſt uotum. Die, inquit, ac nocte, tuis in præceptis meme exercebo, in illisq; delectabor: neq; ulla unquã erit hora, quin tuos in mente habeam ſermones, mandata, præceptiones, iudiciaq; oris tui.

Gimel.

Retribue ſeruo tuo, viuifica me, & cuſtodiam ſermones tuos.

Iam illud compertũ, ex præceptorum Dei obſeruatione uitam oriri animæ, ex neglectu mortem. Retribuere uerbum (quod aliquando annotauimus) Hebræis eſt non ſolùm pro beneficijs beneficia reddere, aut pro benefactis præmiũ, ſed etiam ſimpliciter beneficiũ præſtare, ut hîc uides. niſi malis de incomprehenſibili id Dei benignitate exponere, qui etiã laceſsitus iniurijs, pro offenſionib. gratiam referre ſolitus eſt. Hebræi optandi affectu hunc legũt uerſum: Viuam, hoc eſt, ut interpretatur Paraphraſtes, mihi uiuere liceat, & parêre mandatis tuis. Præſta id igitur ſeruo tuo ut uiuã, uiresq; in uita, quò tuis obſequi poſsim mandatis, ſuppedita. Extra illa quidem nulla eſt uita, nullaq; conſcientiæ pax, & quies. Ideo

Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.

Preſsis quidem animis ac tardis, preſſa Dei lex uidetur & uilis. Sublimiori autem qui præditi ſunt mente, admirandam illam eſſe, captumq; humanũ excedere fatentur. Et quidem, quid non excelſum? quid non mirabile è Dei ore prodire poſſet? Eſt ne paruo id ſtupore dignũ, hominẽ facinoroſum, atq; ſubinde Dei hoſtem factum, legis beneficio æterni patris filium effici? Quid illud? Nonne ſtulta mundi elegit Chriſtus? nonne infirma? nonne crucem autor uitæ? nonne, quò
B mundi ſapientiam debellaret, æternumq; ſuis ab ignominia auſpicaretẽ regnum, uitam uixiſſe penè infamem uiſus eſt uulgò? Quis unquã putaſſet hominem (res mira) crucì latronũ ſcilicet ſupplicio affixum, deriſum, pro inſano habitum, conſputum, atq; ab ipſis religionis primatibus è templo eiectum, ad tantam prouehi potuiſſe gloriam, ut mundo uniuerſo frænum poneret? Hæc ſanè omnia à cœleſti doctrina Euangelij hauſimus, haurimusq; perpetuis ueluti aquarum dulciũ uenis. Verùm cognitu difficilia ualdè ſunt, idcirco admiranda, atq; animo digna in primis nitido ac fideli. Quare diuina hîc opus eſt luce, illiq; cõtinuè ſupplicandum, uociferandumq;, quò noſtros ad ſtupenda illa legis myſteria, ſecretaq; ineffabilia, ob deſidiam graues aperiat mentis oculos. Reuela, inquit, aperi, qui turpi cataclyſi, lippitudineq; ignorantiæ hebeſcunt, oculos meos, illorumq; purgãs aciem lumen admoue, ut ſic abs te illuſtrati, quæ tua in doctrina occulta ſunt, intueri poſsint.

Incola ego ſum in terra, non abſcondas à me mandata tua.

Cognoſcit ſe uir ſanctus peregrinum, nõ ciuem eſſe huius mundi, proinde clara illa, qua in patria fruunt beati, carere luce: cuius tamen participem fieri, ne in re ſalutis hallucinetur, exoptat. Aduena, inquit, ego ſum in hoc mundo, non angelus, non indigena, non ciuis, ſed homo uagus, rudis, impurus, exul: & qui hodie ſum, cras uerò, aut plurimùm perendie, non reuerſurus hinc abeo. Quare tua ne me celes mandata, quorum ſanè uim quis, niſi tu edocueris, aſſequi unquã poterit? Quod uerò ad me pertinet,

Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.

Ex hebræo uertũt, confracta eſt, ſeu, rumpit præ deſiderio anima mea cognoſcendi iudicia tua. Hebraiſmus eſt, quo maximum deſiderantis oſtenditur incendium. Vnde illud eſt Chriſti: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare uobiſcum antequã patiar. Concupiuit, inquit, nõ ſimpliciter quidẽ, anima mea tuas intelligere iuſsiones, ſed adeò ardenter & cõtinuò cõcupiuit, ut unum aliud in infinitum traheret deſideriũ. Idem etiam denotat uerbum, rumpitur. Hinc ſanè ani

C maduertendum quanto proſequenda ſint ſtudio, atq; animi intentione Dei eloquia, quę de more ignauiam omnẽ refugit & auerſatur. Hęc quidem quotidie in templis ore proferimus, quò uerò diuagẽt mens, quí due deſideriorũ admittat, nouit Deus. Putant nõnulli peracto utcunq; diuino, ut uocant, officio, omnia in tuto eſſe: quocirca quid non audent improbitatis illo tecti umbone? Tu tamen, ô excelſe, ne ad omnia conniuere uidereris,

Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Puto hîc hypocritas taxari, illos maximè, qui cùm externo ritu, legisq; eruditione ſancti appareant, nihil tamen minus quàm legem uita referũt. Se quidem magis quàm Dei honorem diligunt: idcirco illo contempto, atq; illius poſthabitis mandatis, ſuperbiſſimi omniũ ſunt: quos tamen, ſi uultum, grauesq; mores inſpicias, modeſtiam ipſam cute pallida, ac macie indutam eſſe affirmes, homines certè dignos quorum frons tali inuratur cauterio. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Id proprium hypocritarum eſt elogium, qui à puro Dei itinere ultrò aberrantes, fœdiſsimè peneq; irreuocabiliter labuntur. Deteſtabile omnino genus id eſt hominum, quibus meritò radij ipſi Solis interdici poſſent. Hos igitur à Deo increpitos, maleq; habitos affirmat ſpiritus. cauſam uerò addit: Maledicti, ait, qui declinant, aberrantq; prudenter à lege domini. Illi ſic: tu autem, ô Domine,

Aufer à me opprobrium & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui.

Neceſsitudinem & conuictum cum ſuperbis, atq; à Dei ore execratis, opprobrium uocat ac contemptum, ſeu, ut alij uertunt, ignominiam. & optimè quidem: nam quid infamius, magisq; uitandum, quàm contubernium eſt ſuperborum? Sunt qui has uoces ad probrũ, quo quis afficitur à ſuperbis, referant, & erit ſenſus: Me uindica ab irriſione atq; opprobrio illo, quo me uexant ſuperbiſsimi
D iſti ueteratores. Cauſa uerò? quoniam tua ſeruaui monita, quoniam tua mihi cordi fuit lex, quoniam à mandatis tuis non declinaui, quoniam in corde meo abſcondi eloquia tua.

Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur, ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.

In throno, inquit, ſuo illo tumido atq; arroganti ſederunt primarij plebis homines. Quid putas? In me, alioqui tuæ religioni conſecratũ, falſa promulgarunt iudicia, deteſtandasq; protulere ſententias, à corruptiſsimo nimirum animo profectas. Ego tamẽ ſeruus tuus neq; ſic deterritus ſuccubui, ſed, ut prius, nihil aliud quàm exercebar in mandatis tuis, quæ ut conuenit ſeruata, iuſtum reddunt hominem, atq; ad capeſſenda cœleſtia idoneum.

Nam teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ.

Vide perfectã legis Dei cognitionẽ in anima, quæ ſuam appellat uoluptatem, ſuam exercitationem: ſuosq; conſiliarios, atq; à ſecretis aſſeſſores, Dei præcepta. Sic hunc uerſum tranſtulit Felix: Etiam teſtimonia tua delectationes meæ, uiri conſilij mei. hoc eſt, mei conſultores, ac familiares, quibus cum uiuo, quorumq; congreſſu delector, tuæ ſunt conſtitutiones. Adeò fulgentiſsima lux Dei eſt lex.

Daleth.

Adhæſit pauimento anima mea, Viuifica me ſecundum Verbum tuum.

Adhæſit puluери, uertũt nõnulli, ſeu limo. Extremã his uerbis oſtendere uoluit ſui animi cõſternationẽ: & eſt idem atq; morti proximus factus ſum. Cenſeo quidem huiuſcemodi Vatis deiectionẽ ab aſsiduis hoſtium ſuorũ iniurijs, atq; in religionem inſultatione prouenisſe. Cæterũ, uiuifica, uerbum frequens in hoc pſalmo, pollet perinde quaſi dicas, reſtitue, refocilla, recrea. Ait igitur: Adhæſit penitus uita mea ſepulchro: ſed tu me priſtinæ reſtitue felicitati, ut es pollicitus, ac me recrea. Ab æterno quidem firmiſsimũ emanarat cœlitus decretum & promiſsio, qua ſe Deus ſuis non defuturum amicis aſtrinxerat, modò hi ſuas non celarent plagas. Ideò infertur:

Vias

A *Vias meas enunciaui, & exaudisti me, doce me iustificationes tuas.*

Viæ enim domini, uiæ rectæ sunt & salutares: uiæ hominis obliquæ, inquinatæ, atq; ad interitum pertrahentes. Cùm itaq; suas se Deo patefacturum uias pollicetur, aut patefactas asserit Propheta, uitæ suę modũ, rationemq; intelligit: hisce enim, quasi uijs quibusdam, uitæ huius regionem peragramus. Vitæ, inquit, meæ rationem omnino totam non dissimulanter tibi exposui: quare tu huiusce modi mea placatus fide, me clamantẽ, ad teq; tot in periculis, quibus tota hæc respersa est uita, confugientẽ, admitte, exaudiq;. Exaudisti, respondisti uertunt, seu responde, quod magis placet. ut sit sensus: Tu responde mihi, ut solent qui libenter audiunt, ac tuas me edoce præceptiones. In omnibus enim arbitrij humani uim extenuat propheta, non tamen aufert omnino, ne tam insigni dono animã dispoliare uideatur. Dat quidem suas arbitrio partes, sed secundas: gratiæ uerò Dei primas, ut qui gloriatur, in domino glorietur. Vnde clamat:

Viam iustificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.

Rogat ueram sibi aperiri legis Dei cognitionẽ, qua intellecta, ex admirandis, quæ in ea latent, mysterijs animatus, respirare, atq; animũ penè propter infortunia dissipatum, posset colligere. Sensum, inquit, germanũ sanctissimæ tuæ legis me assequi facito: quo sanè impetrato, tunc liberè tuis in mirabilibus, quæ modò strictim tanquam per transennam intueor, memet exercitabo. Atqui ut ingenuè meam confitear ignorantiam,

Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in Verbis tuis.

Liquefacta est anima mea præ anxietate: siue, illachrymaui, distillauiq;, uertũt quidã. Stillatim, inquit, effluxit anima mea præ ægritudine, atq; anxijs, quæ me arctarũt, cogitationib. Hinc mea me premebãt scelera, illinc pœnarũ metus, atq; superbissima quorundã natura, qui tuæ prępositi erant religioni. Quòd si tamen
B mihi, etiam irreuocabiliter, pereundũ erit, tua saltem inuiolata perstet religio, & felix sum, etiã abs te refutatus. Verũ id interim mihi quãmaximę erit consolationi ac fiduciæ, si me, ut es pollicitus, erexeris, meamq; planè nutantem firmaueris de tuis promissis fidem. quam sanè rem quò facilius assequar,

Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere mei.

Nullus, quòd sciam, ex Hebræorũ interpretib. legit, iniquitatis: sed aut mendacij, aut, ut Felix, falsitatis. Videt etiam, de, in nostro interprete superesse. Quid sibi porrò uelit uox mendacij, ita aperit Paraph. Studiũ mendacij, seu mentiendi, fucateq; uiuendi, auferà me. qui tamẽ sensus ad dictionẽ quoq; iniquitatis referri potest. Vide pręsentaneũ tam periculoso morbo, uti est fucata uita, remediũ à Dei lege perdiscendũ. Et de lege, inquit, tua miserere mei. hoc est, tua ipsius motus clementia, uerã mihi impartire ex lege cognitionẽ, frænũ nimirũ meæ necessarium petulantiæ ac temeritati. nam, ut quod est non dissimulem, te opitulante,

Viam Veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus.

Viam ueritatis opponit uiæ falsitatis, quæ propria uia est simulatorum: illa uerò ad synceros pertinet animos. Viam fidei, uertunt quidam. Nam fides iter illud est, quòrectà ad Deum itur. Vnde in fine octonarij clamat: Viam mandatorum tuorum cucurri. modò autem: Iudicia tua, nempe mandata legis fidei, non abieci, tantum abest ut illorum immemor uixerim. Imò uerò

Adhæsi testimonijs tuis domine, noli me confundere.

Purgatissimis id solet esse animis perfugiũ, cũ tentatione aliqua molesta, aut persecutionũ acerbitate afficiunt, fidissimo Dei uerbo & promissioni, non mendacissimis hominũ pollicitationibus, fidere, illiq; adhęrescere. Ex quo fit, ut quæ cunq; aut dicunt, aut faciunt, aut cogitant etiam, illa omnia ad æquissimã Dei legis regulam componi exoptent, req; ipsa perficiant. Idcirco nihil minus uerendũ est, cũ ob malè factum aliquod, aut dictum, tanquã actum turpiter in scena ostentum, exibilent, ac, cum ignominia & probro uulgi, conspuantur. Ne sinas me, inquit, spe illa, qua tibi adhęrens tuis dedi operã mandatis, frustrari: quandoquidẽ

C *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.*

Ex hebræo, curram, uertunt: & dilatabis. & eſt ſenſus: Cùm cor meum per gratiam, quod modo ſuo merito anxiatur, interq; ſacrum & ſaxum poſitũ uix palpitat, dilataueris, ſpaciumq; reſpirãdi feceris, tum uiam mandatorũ tuorum alacriter percurram, qui nunc ſubtimidus ac mœſtus, uix ui illi adhæreo.

He.

Legem pone mihi domine viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.

Diximus aliquando, nihil aliud eſſe in pſalmis, legem ponere, ſtatuereq;, & ſimilia, quàm legem docere. Vnde ſic uerſum transferũt quidã: Doce me domine uiam ſtatutorũ tuorũ. hoc eſt, uiam illam diuinam, atq; intelligentiam, quæ tuis deliteſcit in mandatis, me doce, ô domine, ut ad ea ſeruanda, uſquedum uixero, memet accommodem. Vertunt nonnulli pro Semper, propter mercedem.

Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.

Litera enim illa, qua lex domini palàm fit omnibus, manet litera, & ea interdũ, quæ infert mortẽ, niſi unctio doceat, moueatq; mentem ad ea perſcrutanda, quæ cognitu neceſſaria ſunt in lege ſpiritus, qui uita eſt legis. Da itaq; tu domine, cor docile, da lumen, da uim intelligendi quæ præcipis, ut ſic re queam exequi, quæ intellexero, atq; ea cuſtodire in toto corde meo. Vult igitur totum cor noſtrum, atq; animam, lex Dei: alioqui diſſipatis peruerſtigata affectibus, nihil aliud afferre ſolet legenti, præter ſpiritus ariditatem, atq; animi deſperationem. Ne id quidem mihi contingat,

Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.

Deduc uerbo aptiſsimè uſus eſt interpres, & eſt ſenſus: A fallacib. erratorũ diuerticulis, inanibusq; hominũ perſuaſionibus, ad ueram regiamq; mandatorum tuorum ſemitam deduc me: id enim ſemper ex animo concupiui. quare durum,

D planeq; indomitum

Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam.

Non ad lucrũ, uertunt, ſeu ad quęſtum. Mirũ q; indignabundè (ut ſic loquar) propria auerſetur cõmoda uir ſanctus. Quę enim cunq; agit, ad Dei honorẽ, conſeruiq; ſui cõmodum, hòc facilius reuocat, quò æquè atq; propriã, aliorũ deamat ſalutẽ. Cùm quis igitur ſuã cumprimis in rebus agendis, cauſis ue finiendis, utilitatem, ac Deo poſthabito, qui præcipuus ambitioſorũ mos eſt, neglectaq; proximi cura, gloriam uenatur, is auaritiæ aut lucri ſordidi rabie imbutus meritò cenſebitur. Quid porrò de illis opinandum, qui cùm donis ſpiritus ubertim affluant, ſeipſis tantũmodo contenti, quicquid cœlitus acceperũt alijs inuident: nõne auaritiæ ſimul & ingratitudinis infamia notãdi erũt? Petit itaq; ſanctiſsima Vatis anima, ſe præceptorũ Dei ſenſu diuitẽ effici, atq; in alios liberalẽ. Clamat inſuper,

Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.

Rurſus uiuifica poſuit pro recrea. Cæterũ uidere uanitatẽ, ſeu uanũ, idem eſt quod uana pro ueris amplecti, atq; in illis oblectamenta capere. Et quia impoſsibile ferè uidetur res uanas, quæ aſsiduè nobis, uel nolentibus, in hac uita obuiæ fiunt, non aliquando cernere, illud à Deo rogandum, ne affectu illis hęreamus. Quare ſic uerſum interpretat Campenſis: Auerte oculos meos ne capiant amore rerum uaniſsimarũ, quin potius tuis admonitionibus ad uitam perduc me. Porrò uanus is eſt affectus ac deſideriũ, cùm quis alienam aut rem, aut uxorem deperit. Vanus item rerum etiam propriarum uſus, ſi immodicus eſt ac ſordidus. Verùm tu domine, quandoquidem ad uanitatem amplexandam tam præcipites ſumus atq; inconſiderati,

Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo.

Quod in timore tuo, uertit Felix: hoc eſt, ut ipſe ſe interpretatur, quod permanet in timore tuo: ſeu ut alius, qui (nempe ſeruus) timori tuo, ſe addixit ſcilicet. quanquam ſimpliciter ſic litera reddi poſſet, ac ſenſus: Præfige ſeruo tuo uerbum tuum quò te timeam. Secus uerò Dei timore abiecto quid nõ malorũ incurritur?

Amputa

A *Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum, quia iudicia tua iucunda.*

Opprobriũ uocat legis tranſgreſsionẽ, peccatiq; turpitudinẽ, qua nil fœdius. Poſſumus quidem, imò, ut audacter quod eſt fatear, cogimur à nobis (egregiũ arbitrij humani pedamentũ) in peccata corruere, fouereq; in nobis peccati radices: at uerò ſurgere, ſtareq;, atq; ſubinde luxuriem affectuum, tanquã pampinos è uinea, frondare, id alienæ eſt uirtutis, nempe Dei, cuius mandata iucunda ſunt ac leuia. Tu, inquit, amputa, præcideq; peccati occaſiones, quod æternũ animarum opprobrium eſt ac mors. Hanc ſanè timeo infamiam, culpamq; execror. Iudicia enim tua clementiæ temperamento ornata ſunt. Quid igitur uereor? an me ſaluum nolis? nihil ſanè minus.

Ecce concupiui mandata tua, in æquitate tua ℣iuifica me.

Ex hebræo, in iuſtitia tua, transferũt. Et, ut aliàs annotauimus, Dei iuſtitia perfecta illius eſt bonitas, è qua, tanquam à mari aliquo immenſo, riui dimanant gratiarum ad animam. In hac igitur iuſtitia, non in ſua, petit refocillari uir ſanctus, omiſsis interim lacunis auxilij humani, turbidis nimirum ac limoſis. En, inquit, uerba tua ſuper omnem ſuauitatem ſuauiſsima concupiui, dilexi, in meq; tranſfundere elaboraui. Tu tuum in me recognoſcens donum, pro tua bonitate ac clementia, me in uita ſerua.

Vau.

Et ℣eniat ſuper me miſericordia tua domine, ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum.

Suo more Propheta in hoc pſalmo, quemadmodũ in cæteris huiuſcemodi, tertio ferè quoq; uerbo Dei miſericordiam interſerit. Nouerat quidẽ originẽ illam eſſe fidei, è qua ſalus. Idcirco poſt miſericordię uocẽ, ſalutis mox addidit. Salutare, ſuo more, pro ſalute tranſtulit interpres. & eſt ſenſus: Mihi obueniat medela illa tua erga afflictos conſueta, nempe miſericordia, ac, quam ſemper pollicitus es, ſalus. Etenim cùm ab ęterno ſalutem, clementiamq; mortalibus impartire decre-
B ueris, promiſeriſq;, nunc da, ne tuis in pollicitationibus uarius inconſtansq; ab improbis iudiceris. Atq; hunc in modum imperterritus uiuam,

Et reſpondebo exprobrantibus mihi uerbum, quia ſperaui in ſermonibus tuis.

Non in ſermonibus hominũ, qui plerunq;, quæ in mente non habent, loquuntur, ſimulateq; pollicentur. Vide morem ſimulatorũ: Exprobrant, inquit, mihi, quòd dicere ſoleam me tuis fidere promiſsis, non illorum. Hi quidem ut dij in terris haberi uolunt, quod ſi abnuo, refugioq;, quas excitant tragœdias? quas cient turbas? Illi, qua ſunt infecti crudelitate, tuos improperant electos: tu illorum cauſam defendens præſtò illis adſis,

Et ne auferas de ore meo ℣erbum ℣eritatis ℣ſquequaq;, quia in iudicijs tuis ſuperſperaui.

Videre hîc licet nullã omnino improborũ uim eſſe, quo minus quod uerũ eſt proferamus, niſi Deus ipſe à nobis offenſus, uerbũ elabi ſinat fictũ & meticuloſum. Id ueritus Propheta, utpote ſortis humanæ peritiſsimus, ita orat: Tametſi, inquit, hi, qui tuã impugnãt religionẽ, ut ſunt hypocritæ, uerbũ alioqui tuum ad honorẽ prolatũ inuertere connituntur, ueritatemq; audire refugiunt, tu tamen ne inuertas, ne quod omnino ſanctũ nõ ſit ex me uerbũ prodire ſinas, neq; ulla unquam ratione uelis me hominũ metu deterritũ mentiri, fucateq; in ſanctorũ cœtu conuerſari: quandoquidẽ tua cupidiſsimè expecto iudicia, quibus meá ne, an ſuperborũ hoſtium meorũ cauſa æquior ſit, appareat. Videtur interpres, uſquequaq;, poſuiſſe pro quacũq; ratione: aliter dictio eſt, quę aſsiduè, paſsim, aut ſemper ſignificat. Item, ſuperſperaui, ex hebræo uertunt ſimpliciter, ſperaui, uel expectaui. Expectaui, inquit, iudicia tua,

Et cuſtodiam legem tuam ſemper in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Toties repetitæ uoces ſeculi, nihil aliud q; ſemper præferũt. Conſtantiam hîc anima profitetur perpetuã, quæ ſanè res in academia ſpiritus apprimè eſt neceſſaria. Nam hodie diuinę legis ſtudio obnixè operam nauare, deierareq;, quęcunq; occurrãt, ne digitum quidem à firmo illo propoſito trabalibus etiam (ut nobis ui

C detur) clauis confixo diſcedere, cras uerò promiſsi nos pœnitere, atque proinde curam illam digniſsimam, addo & facilem, molliter conſultoq; relaxare & omittere, nonne animi à Deo alieniſsimi indicium erit? Vide quid dicat: Cuſtodiam, inquit, legem tuam in perpetuum, & ſi quid ultra eſt:

Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui.

Ambulabã uerbũ, cum cæteris quæ ſequunt in hoc octonario, per futurũ tempus legunt ex hebræo. Cęterũ ex frequenti exercitatione in Dei lege, quidam alacer ac iucundus exoritur uſus atq; habitus, nõ tam quidem facilis, quàm ipſi omnino legi adeò arctè agglutinatus, ut niſi ingenti queat ui abſtrahi, quo minus re ipſa quicquid ea imperat, præſtet. Id ſanè opus atq; exercitiũ uocat Propheta latam patentemq; ambulationem, hoc eſt, quæ nihil anguſti in ſe habeat ac periculi. Ambulabo, inquit, ſecurè, tranquillèq; ſtadium iſtuc uitæ percurrã, quoniam tua mihi ſunt cordi præcepta. Et quidem ubi ſpirituales iſtiuſmodi inueniunt animæ appetentiæ, ibi ſancta eſt libertas, ibi conſcientiarũ pax, ibi curſus expeditus atq; intrepidus. Quocirca infertur:

Et loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum, & non confundebar.

Ea uirtus eſt fidei, atq; moderati in promulganda ueritate conatus, ut quamuis confuſe rem turbent homines, uel hi maximè qui rerum potiuntur in rebuſ. pub. ac regnis, nihil indecorum, falſumq;, aut minus nobis Chriſtiq; maieſtate dignum proferamus. Loquar, ait, audacter quæcunq; tuum ad honorem facere uidero, etiam ſi mihi coram regibus concionandum fuerit.

Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

Nulli dubiũ, ex amore, ex quo actio oritur uoluntaria, atq; in actione ipſa delectatio, prouenire quòd aſsiduè in meditanda Dei lege uerſantur pij. Alioquin etiã atq; etiã Dei mandata uerſare animo, abſq; fide, ac erga legislatorẽ dilectio-
D ne, ipſa ex ſe meditatio moleſtiſsima eſt & terrifica. Non modò, inquit, æternam tuam uoluntatem, quæ ex tuis deprehenditur mandatis, potentiſsimis expoſui regibus ac magiſtratibus, uerumetiã mandata ipſa tua, quę uehementiſsimè amaui, continuis tanquam excubijs poſthac uoluam, reuoluamq; animo:

Et leuabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & exercebor in iuſtificationibus tuis.

Clamat Salomon, ſtultũ illũ omnino eſſe qui manũ abſcondit ſub axilla. quo adagio taxantur ocioſi illi, qui nihil nõ agunt, quò nihil prorſus agant. Periculoſiſsima ea eſt perſuaſio, qua nunc ferè uniuerſus infectus eſt orbis. Operatur, inquiunt, pro nobis Chriſtus. Quid uos interim? Perbellũ profectò dogma, te tuo à negocio manũ ſubtrahere, atq; aliũ qui pro te agat, ſubrogare. Tu quidẽ, ſi neſcis, ad actiones illas, quibus perficitur fides, accerſitus es: uim uerò meriti ac prę mij, Chriſto, qui quo minus tuę à Deo reijciantur operationes, autor eſt, acceptã refer. Non quidem pro te idcirco agit Chriſtus, ut tu omnino feriatus paſcaris fide neſcio qua interdum imaginaria potius, quàm ſolida & certa. Obſerua quid de ſe hîc teſtetur Vates: Attollam, inquit, manus meas, ad opera nimirũ fidei, ut illa re exequar, quæ tu tuis in præceptionibus nos exequi, effectuq; præſtare uoluiſti. Illa enim ualde diligo, proinde in illis perpetuò memet exercebo.

Zain.

Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.

Iam pluries diximus, ex pollicitationibus Dei æternis fidem in anima concipi, & coaleſcere. Verũ earundẽ pollicitationũ uidet nonnunq; immemor Deus, cùm inuocatus non æquè ac noſtra præpropera requirit uoluntas, ſubuenit: memor uerò, cùm ſtatim uenit ſuppetias. Ideo hîc clamat Vates: Haud immemor tui eſto uerbi, promiſſorúmue, quibus ego ſeruus tuus nixus, quæcunq; es pollicitus ſperare audeo. Promiſsio quidem tua

Hæc me conſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificauit me.

Sic Fel. Hæc eſt cõſolatio mea in afflictione mea. non eſt enim tam dira aduerſitas ac tentatio, quin anima promiſsionib. Dei fulta ſuperet. Cùm quidem illi in

mentem

A mentē uenit, cuius uirtutis & conſtantiæ is ſit, qui ſalutē in rebus quoq; difficillimis adportaturū ſe eſt pollicitus, nō poteſt nō animoſe infortunijs reſiſtere. Etenim Dei eloquio tanq; parmula aurea obtecta, nullorū bellorū genus cum mundo, cum ipſisq; perfidioſis quibus cum uiuere cogitur, detrectat. Eloquiū, inquit, tuum me refocillauit, & uitam penè mihi ereptam reſtituit. Interim autem

Superbi iniquè agebant vſquequaq;, à lege autem tua non declinaui.

Superbi irriſerunt me nimiū, uertit Fel. Paraphraſtes uerò: Inſultauerunt mihi miris modis. Faſtus enim & arrogantia, Deo ullo abſq; medio opponunt. Tantū illud expetit ſpiritus, ne propter perſecutionū acerbitatē à dei lege deſciſcamus. Id propriū eſt Moab, belluæ nimirū ſuperbiſsimæ, probos odio, ac ſi datur, tum ueneno, tum ferro, aut ſaltem linguæ amarulentia perſequi. Illi tamen ne parum quidem ab inſtituto iam cœpto deflectunt, tantùm abeſt ut conuiciū pro conuicio regerant. Talis fuit Vates, qui de ſe ita profiteri meritò poterat:

Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo domine, & conſolatus ſum.

Idem fermè repetit quod ſuprà, cùm ait: Hæc me conſolata eſt in humilitate mea. Recordabat tum quidem Vates, quanta olim in ſui populi gratiā cōtra hoſtes conterminos exercuiſſet iudicia Deus, quantas clades, q; immenſa inieciſſet in gentes illas barbaras nonnunq; incendia, direptiones, excidia, ulcera q; inſanabilia, atq; alias propè infinitas calamitates. Quapropter animatus, ſperansq; fore aliquando quòd eadem in præſentes uteretur hoſtes ultione, ſeſe admirandū in modū conſolabat, dicens: In meis ſemper quālibet acerbis aduerſitatib. quid tua poſſent iudicia, quidue præſe tulerint ſeueritatis in hoſtes, haud fui immemor: quare incredibili affectus ſum conſolatione. Verùm ut quod res habet eloquar,

Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Horror inuaſit me, ſiue, me apprehendit tabes, uertunt. Vnde ſic quidam: To
B tus horreo ſceleratos iſtos, qui deſerūt legem tuam. Vt enim proborū uita ſeipſa contenta, in illo, qui ut probi eſſent conceſsit, mirabiliter lętatur, ita illorū mores qui ſecus agunt, tam fert moleſtè, ut luem ipſam exitialē minori toleret incōmodo. Quare non iniuria queritur Vates, ſeſe horrore ſimul & dolore affectū ob uoluntariam quorundam à Dei lege defectionē. At hi ſuis in affectibus, falſa q; cæcutiuerint perſuaſione ut libuit,

Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.

Solent uiatores & peregrini, ſi quo uię longioris tædio afficiuntur, cantu ſuum ſolari laborē, qui ſi pio ſunt animo, aut pſalmis, aut poëmate alio iſtiuſmodi ſeſe recreant: ſi impuro, laſciuis ſuā leuare miſeriā conantur carminibus. Adeó ne ætatis huiuſce noſtræ iuuenes, iuuenes quidē? imò ſenes quoq; ipſi interdum graues & uenerandi, non ſolū in itineribus (id forſan tolerandū) ſed in medio ipſo foro, in hoſpitijs, in delubris, ac propriis ædibus, præſente uxore, præſente nuru, præſentibus liberis, tota denicq; audiente familia, ſalibus obſcœnis, impudiciſsimisq; tum metris tum dicterijs uti magis conſueſcunt, quàm caſtis facetijs, metriſq; illis ac cantibus, quorū auditione exhilarantur in Deo animæ, geſtiuntq; Dei ſpiritu, non Venerē cōciunt? At tu, cui plectrū magis Dauidicū, aut Euangelij lepor placet, q; Cupidinis pharetra atq; arcus, quid de ſe noſter teſtetur poëta, audi. Procarminibus, inquit, ac ſolatio moleſtiſsimæ peregrinationis uitæ huius, tua mihi fuit lex. Cùm ſanè permulta ſint, quæ iter hoc uitæ, per ſe ſatis ſalebroſum & difficile, uarijs interturbent obicibus, ſolamen id unum mihi eſt, tuum uerbum: id cano, de illo meme oblecto, in illo lætor, per illud abſq; labore curſum hunc uitæ perago. Quid? Etiam

Memor fui nocte nominis tui domine, & cuſtodiui legem tuam.

Quando, inquit, homines crapula, uinoq; diſtenti, proinde tui immemores in utrunq; obdormiſcunt oculum: tunc dico, quando abſq; uerecundia ferarum more in libidines ruitur, tuum ego nomē in memoria habui, idcirco quidem, ut tuas ſeruarem iuſsiones. Et certè

C *Hæc facta eſt mihi, quia iuſtificationes tuas exquiſiui.*

Felix: Hoc fuit mihi, quoniam mandata tua cuſtodiui. ut cauſa omnino tantæ quietis extiterit Dei mandatorũ obſeruatio. Verùm alium affert ſenſum Paraph. qui ſic reddit: Hoc mihi ſummopere fuit curę, ut mandata tua ſeruarem. Vtrunq; fidei Prophetæ conuenit. Sunt qui etiam, hæc, ad memoriam referant. Sed ex hebræo ferè, hoc, transferunt, ſeu iſtud. quare ſic uertunt quidam: Iſtud inde mihi contigit, quòd mandata tua obſeruaui. Vide uim obedientiæ.

Heth.

Portio mea domine, dixi cuſtodire legem tuam.

Quoniam quidem bona omnia ſua in Deo repoſita habent electi, ideo illum ſuã eſſe portionẽ atq; hæreditatẽ prædicant, ut hîc prędicare audis Prophetã, qui ſic ſuum erga Dei legem exponit ſtudium: Te, ô domine, meam eſſe portionem, ac ſortem, inuito etiã mundo, decreui. Eam ob rem ſic mecũ: Tua certè mandata, uti res ſolent chariſsimæ ſeruari, diligentiſsimè ſeruabo, cuſtodiamq; continuè. En me (num id te latet?) tuæ à puero conſecratum religioni. Quare te meum omne bonum, meam pacem, meam etiam in hac uita felicitatem, perfectumq; uitę ſtatum tum ſenſi, tum cæteris ita eſſe alacriter diuulgaui. Ideo

Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo, miſerere mei ſecundum eloquium tuum.

Id uult Vates: In tuam aſpicio faciem, uti hi conſueſcunt, qui ab aliquo quidpiam, quod maximopere cupiunt, petunt. unde ait: Mei te miſereat, ut es pollicitus. Tuam hîc imploro fidem. Verùm, ne ego quidem meis omnino partibus deeſſe uidear,

Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.

Vocat totum uitæ ſuæ filum uias: nam uaria admodum ſunt uitæ noſtræ inſtituta, uaria conſilia, uarij affectus, quibus ueluti quibuſdam uiarũ compendijs ad
D finem, quem maximè quærimus, aſſequendũ utimur. Ait itaque: Vias meas, hoc eſt, totius uitæ meæ rationes non diſsimulanter expendi: quam malam eſſe aduertens correxi, pedesq; ſtatim ad ea quæ mihi præſcripſiſti, retuli. Et quidem

Paratus ſum, & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua.

Felix uertit: Feſtinaui, & non diſtuli cuſtodire præcepta tua. Alius item: Propero, & non moror. Vide quomodo cùm hîc tum aliàs ſæpe ſuas execretur uias tam ſanctus uir, cœlitus uerò oſtenſas approbet. Et certè uiæ hominis, uiæ obliquæ ſunt & aſperæ: uiæ Dei, regiæ, & in quibus nullus poteſt eſſe error aut duritas: quæ tamen neutiquã uulgari arripiendę ſunt modo, ſed auido & propero, ut ſe egiſſe hîc memorat Vates. Optimæ igitur fidei indicium erit, cùm quis diuinis abſq; cunctatione obtẽperauerit mandatis: alioqui rem differre quotidie, atq; ad perendinũ diem reijcere, quod hodie crásue ad ſummũ debet effici, animũ præ ſe fert ignauum ac nequam. Quàm uerò periculoſa ſit tarditas in Dei obſequio, ex his quæ ſequuntur, comprehendi datur.

Funes peccatorum circumplexi ſunt me, & legem tuam non ſum oblitus.

Conuentus impiorum uaſtauerũt me, transferunt ex hebræo. Quamlibet, inquit, immenſa emergant in dies pericula, doctrinæ tamen tuæ, è qua lumen oritur uitæ, non ſum oblitus. Cæterũ funes peccatorũ, perſuaſiones ſunt impiæ, illecebrę, conſilia à religione abhorrentia, adulatoria, crudelia, funeſta: addo iras, iniurias, perſecutiones, dolos, fallacias, falſasq; delationes, ac cætera id genus alia corrupti animi indicia: hiſce enim tanq; pedicis, illaqueatur mens parum cauta & ſimplex. Qui uerò firmiori ſunt fide, & qui perſpicaciori ſunt cognitione, atq; in Deum affectu, à doctrina ſpiritus, unde perfecta deriuatur uitæ inſtructio, ne pedem quidem dimouent. Vnde ſequitur:

Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

Obſerua hîc ſedulũ atq; ardens Vatis pectus ad Dei legem, qui ne in profundo quidem noctis concubio à laudando Dei nomine deſtiterit. Quod quidem

temporis

A temporis quàm cõmodum ſit illis, qui Deum quærunt, quíq; diurnos exhorreſcunt ſtrepitus ac, tanquam rem mirabiliter altiſsimis aduerſantem contemplationibus, turbas, aliàs indicauimus. Surgendum quidem de nocte eſt, nõ tamen ad furta, ad inceſtus, ad ludos, ad homicidia: uerùm ad laudandum Deum, ad diluendumq; lachrymis, ſi quid interdiu peccatum eſt. Et id nimirum propter iudícia iuſtitiæ Dei: hoc eſt, propter illius iudicia, quorum miniſterio ſumma ſemper oſtenſa fuit iuſtitia à Deo. Cæterùm iudicia iuſtitiæ Dei, æquiſsima illius eſt lex: cuius amore illectus uir ſanctus, non modò perdiu ſedulam in adipiſcenda illius cognitione nauat operam, uerumetiam cùm uigilantius, tum libentius id agit noctu, tempore nimirũ quietiſsimo, atq; ad cõmiſcenda cum Deo colloquia aptiſsimo. Hinc clamat:

Particeps ſum ego omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

Solet enim is, qui in inquirendo ſponſo occupatus, poſtq; fruſtra ſeſe id tentaſſe aduertit, in illudq; penè indignabundus prorupit, Quæſiui eum, & nõ inueni: uocaui, & non reſpondit mihi: aliam inquirendi rationẽ, quam facilem ſuo fore deſiderio ſperat, ordiri, quæ eſt aſsidua cum his, quibus uenerandus quidã ſanctusq; iniectus eſt erga Deum timor, conſuetudo, hoc eſt, cum cõſummatæ uitæ hominibus in hoc mundo. Non eſt quidem tam obduratũ in peccatis cor, quin ex longa cum illis conuerſatione cõmolleſcat, multò uerò magis, ſi iam à ſpiritu cultum ſit. Quantũ, Deus bone, lucis, quanta ex iſtiuſmodi exoritur familiaritate in Dei obſequio iucunditas. Cum his itaq;, quos Dei timore affectos nouerat, ſua ſe cõmunicaſſe conſilia, uitæq; rationes, fatetur Vates. Hos quidem Hieruſalem filias ſuis in Canticis appellat ſponſa, dicens: Adiuro uos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis dilectũ meum, ut nuncietis ei, quia amore langueo. Socius, inquit, ſum factus, atq; illorum particeps, qui te, ô domine, uenerantur, ac tuas ſeruant præceptiones. Verùm neq; hi ſine te aliquid ſunt, à te enim ſuas illas, tanquam à

B uaſto mari, hauſere gratiarum fluxiones. Nam

Miſericordia tua domine plena eſt terra, iuſtificationes tuas doce me.

Poſſunt certè nonnihil in doctrina ſpiritus eruditiores: ueruntamen quicquid iuſtitiæ nanciſcimur, tibi cũ primis, tuæq; miſericordiæ, cuius influxu terra redundat uniuerſa, referri acceptũ par eſt. Quare tu me tuas edoce conſtitutiones, quibus lex conſtat uitæ.

Teth.

Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine, ſecundum verbum tuum.

Fatetur Vates, ſi quid unquam dignum laude peregiſſet, id totum à Dei benignitate promanaſſe: eam idcirco denuò, crebroq;, ne in reliquo uitæ curſu aberrare contingat, ſibi auxilio eſſe efflagitat, aitq;: Tu domine, qui benignitate tua illa infinita in me hactenus uſus es, atq; illa, tanquam ęreo clypeo, me, ut promiſeras, obtexiſti, etiam atq; etiam

Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.

Optat ſe ſuo ſimilem eſſe domino in elargiendis beneficijs. Siquidem bonitatẽ eiuſcemodi interpretantur quidã beneficentiã illã eſſe, qua illos, quibus cum uiuimus, honeſtamus. Vnde Symmachus ſic principiũ uerſus trãſtulit: Beneficio afeciſti ſeruũ tuũ domine. Diſciplinã poſtea uolũt eſſe temperamentũ, ac in rebus gerendis decorẽ. Scientiã uerò ad rerum cœleſtiũ cognitionẽ pertinere opinantur. Ex hebræo tamen ferè uertunt: Bonum ſenſum, ſeu bonam ordinationẽ, atq; intelligentiam doce me. Paraphraſtes autem utilitatem, quę in cognitione legis ſita eſt, interpretatur. Orat igitur uirtutem ſibi legis reuelari, quæ ut doctrina plena eſt ac ſcientia, ita Dei benignitate erga omnes, & munificentia redundat. Maximam, inquit, uirtutem tuis ineſſe mandatis credidi. Verùm

Priuſquàm humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum cuſtodiui.

Tametſi uerbũ, humiliarer, quidpiam aliud ſignet Hebræis, q; affligi, proinde uariè enarratur: in id tamen conſentiunt doctiores, ut de ipſa Dei correctione,

C qua,ne peccent,atteruntur nonnunquam electi,exponant. Mirum quàm facile absq; aduersitatum cruce relabantur etiam perfectissimi Dei uiri. Sunt & qui uerba hæc omnia ad inquisitionem legis referãt,polletq; perinde quasi, anteaquàm ad tuas attenderem animum præceptiones erraui stolidus: modò uerò experrectior factus tuis parebo monitis. Siquidem

Bonus es tu,& in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

Natura,inquit,bonus es,ac mirabiliter ad benefaciendum pronus & liberalis: ideo te per huiuscemodi obtestor erga mortales dilectionem,ut ueram,ne errem iterũ,impartias tuæ legis intelligentiã. Nec frustra id quidẽ à te contendo: nanq;

Multiplicata est super me iniquitas superborũ, ego aũt in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Non raro diximus,Dei uerbum illud unicũ esse remedium ac fulcrum,quo in atrocioribus quoq; aduersis perstamus intrepidi. Nullo quidem sauciari possunt fortunæ uulnere,qui pro scuto Dei uerbum illius opponũt telis. Multæ, inquit, creuerunt aduersum me superborum iniuriæ, ego è regione in illo totus fui,quò tuas seruarẽ iussiones. Iniquitas, uertunt fallaciæ seu mendaciũ: uerùm in idem recidit sensus. Etenim cùm superbum hominem uideris,illum uitiorũ omniũ cumulo coopertũ affirmato. Non est quidem tam horrendum scelus,quo non infectum sit cor arrogãs & superbum. Obsecro, unde tanta quorundam processit uecordia, atq; in peccatis durities? unde tam rigens in Deum contumacia, ac iuncta cum proborum contemptu superbia? Inde,opinor,quòd

Coagulatum est sicut lac cor eorum,ego verò legem tuam meditatus sum.

Impinguatũ est uelut adeps cor eorũ,uertunt. Solenne est in scripturis, quod aliàs annotauimus,adipem pro rerum affluentia ac luxurie usurpari, ut hîc uidere licet. Alij uertunt, aruina. Vtut uerteris,stupidũ animum quorundam propter nimiam rerum lautitiã,quæ animi cæcitatẽ afferre solet,digito quodammodo de
D signat. Crassum,inquit,ac tanquã lactis coagulum,aut adeps omentata,stupidũ factũ est cor eorũ, nempe superborũ, qui in fortunæ sinu lasciuientes, nihil non agunt,quò ut dij in terris adorentur. Ego interim,ut meus est mos,tua in lege me exercui,deq; tuis meum oblectaui animum præceptionibus. Et certè

Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Bonum mihi lex oris tui,super millia auri & argenti.

Id cõtra auarorũ est institutũ, qui aurũ colunt. Quamlibet, inquit, mihi obueniat maxima precioſarũ rerũ uis, etiã si mille excedat auri pondo, his tamen omnibus tua mihi gratior erit lex. Grata & tantundem tua mihi erit correctio, qua urgente tuas optimè perdidici iustificationes, hoc est, præcepta, quibus seruatis iusti efficiunt quotquot in te credunt. Bona igitur, desiderabilis,salutarisq;, imò uerò etiam necessaria tua est crux, ô domine, ex qua uitam olim omniũ pendêre uidimus. Tu illo fac nos animo ac fide, tam salubre nostræ superbiæ ac petulantiæ medicamentũ amplecti, quo eos decet, qui ut tua digni sint subire imperia, nihil prius habent, quàm ut te uitæ asperitate imitentur, tantùm abest ut delicias mundi tuæ legis notioni anteponant.

Iod.

Manus tuæ fecerunt me,& plasmauerunt me,da mihi intellectum, vt discam mandata tua.

Cogit penè Deum Vates ad ferendas sibi suppetias ex eo, quòd illius plasma sit. Poterit ne unquã plastes suos odisse typos, aut ipsam omnino proplasticen? Esto hi possint, in Deo certè nulla istiusmodi inuenitur maleuolentia, aut erga suum figmentũ odium. Tu,inquit,quoniã tuis illis omnipotentissimis manibus, quibus etiã uniuersalẽ architectatus es orbis machinã,me ista, qua nũc appareo, figurasti forma,da ut tuam intelligam ex lege uoluntatem. Hoc sanè impetrato,

Qui timent te videbunt me,& lætabuntur,quia in verba tua supersperaui.

En quomodo sanctissimo quodã sese mutuo scalpunt ungue uiri sancti, alterq; alterius deamãt uirtutẽ,nõ secusq; de alieno atq; de proprio cõgaudent bono: cõtra nimirũ inuidorũ naturã, qui tanta interdũ afficiunt ob aliorũ cõmodum tristitia,

A tia,ut ne ob propriũ quidem lętari queant. Cernent me,ait,ita ut dixi affectũ mei haud abſimiles,& gaudebunt,quia tuis confiſus ſum promiſsionibus. Equidem

Cognoui domine quia æquitas iudicia tua,& in veritate tua humiliaſti me.

Vide fructũ cognitionis legis Dei. Quemadmodũ enim cordi ſtupido occulta omnino ſunt myſteria legis, ita expeditis animis ac liberis, aperta undequaq; fiunt. Abſcondiſti,inquit Chriſtus ad patrẽ,ſapientib. hæc mundi huius hominib. & reuelaſti ea paruulis. De quorũ felici numero cùm eſſet propheta, ſic ſuum teſtabatur ad Dei gloriam profectũ: Bene noui, inquit, quòd æquiſsima tua fuere iudicia,quodq; meritò me ęrumnis affeceris. Veritatem ſuo more pro fide uertit interpres: hoc eſt,me afflígi,ut tuos afflictum iri promiſiſti in hoc mundo, uoluiſti: ſeruasq; promiſſa non modò cùm me finis cum mala conflictare fortuna,atq; interdum ſuccumbere,uerumetiam cùm me eximis,atq;,ne prorſus atterar,ſalutiferam ſupponis manum. Quare

Fiat miſericordia tua,vt conſoletur me,ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo.

Sit tandem,quæſo,malorum meorum finis,ſit modus. Et quemadmodũ in ueritate tua humiliaſti me,ita me tua conſoletur clementia. Id enim tuo proprio ore pollicitus es huic tantillo ſeruo tuo. Atqui eloquia tua,eloquia caſta ſunt,ueridica, quibusq; omnis præſtanda ſit fides, cùm ſemper eadem ſint, ac ſui ſimilia. Id mihi igitur,ut ſunt pollicita,contingat,ac

Veniant mihi miſerationes tuæ,& viuam,quia lex tua meditatio mea eſt.

Quæcunq; enim agere inſtituero, tuæ ſemper mihi obuiæ fiant miſerationes, quò uiuam, quò in te maneã, quò mortem illam, quam ſecum letalis de me fert cogitatio, qua urgente me,aliquid ex me eſſe,multumq; poſſe nonnunquã mihi perſuadeo, uitare queam. Etenim uim omnem conſolationum, oblectamentorumq; meorum, in tua lege eſſe uolui. Contrà uerò, ſimulac peruerſa illorum ſic

B exigit natura,

Confundantur ſuperbi, quia iniuſtè iniquitatẽ fecerũt in me, ego aũt exercebor in mandatis tuis.

Aliàs diximus, rationemq; attulimus, quamobrem tam ardenter interdum in ſuos hoſtes inuehuntur ſancti Dei uiri. Et ut nulla alia ſit, ea ſufficere poteſt, pacem ſcilicet ob perfidioſorum quorundam inquietudinem,ſuperbamq; uitę conſuetudinem perturbari, litesq; etiam in pacificis proborum conuentibus creari, ac peſsimo omnium exemplo illos malè audire, qui propter autoritatem magis conſpicui ſunt, ac noti. Hos igitur peſsimè de religione meritos, ne diutius in Dei gregem bacchentẽ,petit Propheta confundi,infamesq; fieri. Abſq; cauſa,inquit,falſa in me moliti ſunt. Quid porrò ego? Tuis certè mandatis tanq; ſacrę anchoræ inhęrebo,meq; in illis,ut in paleſtra fit,animoſiſsimè exercitabo. Proinde

Conuertantur mihi timentes te,& qui nouerunt teſtimonia tua,

Redeant ad me,uertunt. Paraphraſtes uerò, conueniant ad me. Solent enim qui ſimpliciori ſunt fide, labaſcere interdum, atq; ab amicitia proborũ deficere, cùm illos cernunt adeò acerbè ab improbis uexari, neq; eſſe interim qui cauſam innoxiorũ ſuſcipiat,ut fermè ſibi perſuaderi patiantur, aſtutos illos delatores uera attuliſſe, uulneraq; meritò inflixiſſe. Vide quò aliquando adigitur miſerię proborum uita. At tandem luce aliqua cœlitus inter turbidas illas uulgi permotiones apparente, ut faciles ad defectionẽ fuere, ita perſpecta ueritate facilè amicis reconciliantur,fateriq; coguntur ęterni patris gratiam nunquam non præſtò adeſſe innocentiæ, quam penè ſuccubuiſſe ad tempus propterea perſpexere, quòd in rebus iſtiuſmodi iniquis, acutiore ſunt ingenio atq; arte improbi, quàm probi,quibus ipſa ſatis eſt probitas etiam indefenſa,neq; ultrà quærunt,cùm illis interea nullus ſit finis mendaciorũ,delationum,atq;,quò efficacius rem peragant, huc & illuc more uelitum cataphractariorumq;,excurſionum. Vecordes hi natura ſunt,idcirco inquietiſsimi,atq; ad turbas cõciendas aſtutiſsimi. Redeant itaq; ad me ſimplices illi transfugæ,alioqui tuæ religionis ſtudioſi,quibusq; tua nota eſt ex legis notitia uoluntas. Cæterum

C *Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis, Vt non confundar.*

Pulcherrima antitheſi octonariũ iſtum mirabilem claudit Propheta: Superbi, inquit, illi uitilitigatores, plagiariíq; acuti, à ſua illa in me ferocia reprimant, confundanturq; ſuo in ſcelere deprehenſi. Ego autem corde abs te ſyncero, nempe abſq; odio atq; ultionis affectu uacuo, donatus, non confundar, non meis in petitionibus repulſam feram.

Caph.

Defecit in ſalutare tuum anima mea, & in Verbum tuum ſuperſperaui.

Non poteſt flagrans in anima deſiderium non ſuam præferre anxietatem, uel id maximè adeò, ſi circa diuina ſit. Fatetur hîc igitur Vates ſuam prorſus præ deſiderio ſalutis contabuiſſe animam. Languorem ſanè iſtum ab amore proficiſci non ignorant hi, qui aſſiduè in ſecreto cordis ſilentio ſic ſponſum alloqui conſueſcunt. Abis ne tam citò? reuertere actutũ, ſimilisq; eſto, ô dilecte, capreæ, hinnuloq; ceruorum ſuper montem Bethel. En lectulus noſter floridus. quò abis? Cui ſponſus: Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt. Verùm raræ iam factæ ſunt, atq; in oculis domini precioſæ merces huiuſmodi: idcirco deriſæ, quia incognitæ. Iam mundi amor ſedem diuini amoris in terris occupauit, deſijt calor, exceſitq; ab humanis, penè dixi, Deus. Ideo ad aſſequendos tam neceſſarios animę ardores ac raptus, peruigili inflammatoq; opus eſt corde, atque in inquiſitione ſponſi planè cõmolito & attenuato. Vide quanta ecſtaſi & defectione ſui hæc dicat Vates: Defecit, inquit, prorſusq; elanguit anima mea præ deſiderio, non illo quidem adipiſcendi diuitias aut dignitates, quod ſuos de more exangues reddit appetitores, ſed ſalutis, ſed liberationis, ſed tot in periculis, atq; aduerſis auxilij. Nam tuis ſemper confiſus ſum pollicitationibus. Falli ne potero? Quid? Ipſi etiam

D *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando conſolaberis me?*

Clarius forſan uertiſſet interpres, dicendo. quod ad Vatem referri eſt neceſſarium, non ad oculos. & erit ſenſus: Peranxiè mei cõcupierunt oculi iam tandem cernere quæ promiſiſti, dicebamq; apud me, quando demũ me conſolaberis? aſſequár ne aliquando quæ tanto præſtolor ſtudio ac cura animi? Pertinacem oculorum extollentiã ad Deum, addo & præ longa expectatione ac tædio lachrymas, quæ oculos plerunq; reddunt hallucinantes & luſcioſos, uult hîc intelligi. Rurſus ſui languoris, maleq; affectæ habitudinis formam, metaphora utris in pruina ſeu fumo ſuſpenſi, exprimere intendit, cùm ait:

Quia factus ſum ſicut Vter in pruina, iuſtificationes tuas non ſum oblitus.

In fumo, uertunt quidam. Vter enim adhuc uiridis, aut ex humore præterito, quo recens imbutus fuerat, humefactus, ſi ad fumũ pruinámue ſuſpendatur, conſtringitur, rugisq; contractis rumpitur, ac prorſus inutilis efficitur. Ad eum omnino modũ ſe deueniſſe ob longiorẽ prę anxietate mœrorem fatetur uir ſanctus: uerùm non propterea tam deſperatè oppreſſum fuiſſe, ut diuinorũ penitus abiecerit memoriã præceptorũ. Quid autem in primis expetierit, mox aperit, dicens:

Quot ſunt dies ſerui tui? quando facies de perſequentibus me iudicium?

Serui tui, maximam præ ſe fert animi fiduciam, polletq; perinde atq; tantilli huiuſce homunculi, qui tibi iure omni mancipatus eſt. Reſtánt ne, inquit, adhuc ſatis dierum, quibus mihi in his acerbiſsimis meorum aduerſariorum iniurijs uiuendum ſit? quandiu illorum differs ultionem? quandiu pœnas? Ridiculus ſanè garritus: ſiquidem

Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.

Tametſi enim dictionẽ, fabulationes, ſeu garrulitates, nõ abſq; ratione hîc poſitam eſſe iudicẽ, quippe qui nõ ignorẽ nænias plerunq;, ac fabulas etiã à doctioribus in uulgus pro uera ſolidaq; ſpiritus doctrina interſpergi, quæ adeò ſimpliciũ fidem non fulciunt, ut etiã profligent, tamen Hebræi foueam, ſeu foueas legunt. nec habent, narrauerunt, ſed foderunt. Sic illi: Foderunt mihi flagitioſi foueas,

quæ

A quæ non fuerunt ſecundum legem tuam. Lex enim præcipit pietatem, iuſtitiam, manſuetudinem, lenitatem: illi è contrario nugamenta nobis quędam, nugiuenduli ipſi uaniſsimi, ac fabulas adeò mellitas obtrudunt, ut niſi aduertas, in errores penè inextricabiles, tanquã in altiſsimas prolabaris foueas. Hîc quidem illos qui doctoris ſibi arrogant cathedram, taxari arbitror. Non paruæ id eſt doctrinę officium, non paruus labor, non parua cura. Vide, te obſecro, ne pro tritico lappæ, aut infelix ſeratur lolium. Nam

Omnia mandata tua Veritas.

O excelſe, non res friuolæ, non ſuperſtitioſę, nõ adulatoriæ perſuaſiones, atq; abſq; ordine ordinationes, aut falſa dogmata, quod proprium hęreticorũ eſt, illorumq; qui uel rerum ignoratione, quas nunquam didicere, uel data opera, ea inſtruũt doctrina auditores ac diſcipulos, quæ humana potius dici debet & ſuperſtitioſa, quàm diuina & ſpiritualis. Ex quo ſanè fit, ut adoleſcentes malis imbuti exordijs, peſsimum ſortiantur finem in ſchola domini. Hæc uera illa eſt perſecutio, qua noſtris interdum afficimur ab inſtitutoribus, ne dicam inſtitoribus, de qua ſic queritur Vates:

Iniqui perſequuti ſunt me, adiuua me.

Falſa quidem pro ueris, aut mundana pro cœleſtibus noſtris ediſſerentibus præceptoribus, à quo alio uera erit eruditio? Non immeritò igitur additũ eſt, adiuua me. Etenim

Paulominus conſummauerunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.

Tantum, inquit, non proſtrauerunt me in terram. Illud quidem eſt inſtitutum inuiolabileq; propoſitum in ſanctis Dei, ut ad extremũ uſq; ſpiritum legem Dei ſeruent. Poſſunt utiq; falſæ illicio doctrinæ hæretici, atq; paſtores indocti, illorũ quaſſare animum, ſubuertere uerò omnino non poſſunt. Nam Dei luce adiuti il
B luſtratiq;, radios tandem ſolis à caligine, noctéue obſcura ſecernunt, ut hîc Vates ſecreuiſſe ſeſe fatetur. Illis, inquit, me illaqueare conantibus, humiq; ſternere ui maxima adnitentibus, ego à tuæ legis præſcripto ne unguem quidem tranſuerſum diſceſsi. Quare

Secundum miſericordiam tuam Viuifica me, & cuſtodiam teſtimonia oris tui.

En quàm ſedulò miſericordiã Dei implorat uir Deo plenus, quæ eſt unica legis intelligendæ ratio. Etenim qui ſe ex ſe nihil, à Deo autem plurimũ poſſe perſuaſum habet, quomodo non continuò, cùm continuũ requirat operatorem lex ſacra, ad Deũ, quò ſibi re in tanta præſertim opitulet, uociferabit? Viua igitur ut tua ſit operatio, hoc eſt, in fide acta, diuina opus eſt miſericordia: quocirca poſt miſericordiæ inuocationẽ mox intulit, uiuifica me. Atq; in hunc animatus modum, tua cuſtodiam, ô immenſe, teſtimonia, nempe omnia, quæ de tua nobis teſtantur uoluntate.

Lamed.

In æternum domine Verbum tuum permanet in cœlo.

Iam Dei uerbi perpetuitatẽ celebrat Vates, clamatq; condita omnia ſiue in cœlis ſiue in terris, illius parêre dicto. Vis, inquit, tui ſanctiſsimi uerbi, quo condita ſuo in eſſe perſtant, perennem præ ſe fert in cœlis primùm conſtantiam. Etenim

In generatione & generatione Veritas tua, fundaſti terram, & permanet.

A mundi quidẽ primaria molitione uſq; ad illius occaſum, fides tui uerbi, qua maximè ſtabilis, atq; adeò tui ſemper ſimilis appares, quò omni prorſus fuco aut incõſtantia uacuus iudiceris, æterna permanet memoria. Tu certè inter alia, quę tuam teſtantur cùm fidem, tum potentiam, iuſsiſti terram hanc inertem ſtabiliri, & ſtabilis actutùm facta eſt. Ad hæc,

Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.

Etſi quidem dierum ſucceſsiones, qui perſeueranti, quemadmodũ ab opifice formati ſunt, perdurãt ordine, nõ parum afferre uidentur laudis ſuo ipſi conditori, ut hîc cõprehendi poteſt, nihilominus litera Hebræorũ alium præfert ſenſum.

C Sic illi: Iudicijs tuis permanſerunt hodie. & ad ſuperiora referunt, quæ uſq; in hodiernum diem, ſecundū quod illis ab æterno præſcriptū fuit, durant, atq; ad Dei iudicia ac uoluntatem ſuum diſponūt curſum. Omnia, inquit, tuo parent uerbo. Felix: Verbū, quod tam firmis nititur in Deo radicibus, ut ſempiternū omnino ſit, atq; ita ſtabile, ut ipſa potius cœlorū moles ad terram ferri poſſe cenſenda ſit, quàm ipſum immutari. Et certè,

Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè perijſſem in humilitate mea.

Paſsim pro afflictione, humilitatē uertit interpres. Porrò ex rebus cōditis Dei uerbi perennitatē eliciens ſimul & admirans Propheta, in illo tanq; in unico ſuarum afflictionū refocillatore ſeſe oblectat, clamatq; : O iam uideo quò mihi confugiendum deinceps ſit. Etenim, niſi tua à doctrina reſpiraſſem, ô Deus, ab illaq; uirtutem meæ imbecillitati impetraſſem, tum abſq; dubio funditus occidiſſem. Dici non poſſet quàm dirè me afflixerant improborū iniuriæ, uerùm tua eueſtigiò me recreauit lex, uitamq; penè extinctam reſtituit. Quare

In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis ℣iuificaſti me.

Obſerua hîc gratum animū, qui ſuam minimè ignorans liberationē, liberatoris manum oſculatur. Aeternum, inquit, tuum eſt uerbum, æternę promiſsiones, æterna lex, æterna erga homines benignitas: cuius beneficio tot à periculis ereptus, num ero ingratus? num tam præclari doni uiuam immemor? num tuæ legis, à qua uitam adeptus ſum, non recordabor? Diſcerpar potius quàm tam horrendæ aſſentiar impietati: nanq; illius uſquedum uixero adhærebo præceptionibus, quia in ipſis uiuificaſti me. Proinde nihil in me, quod meū ſit, ſeruans, totus

Tuus ſum ego, ſaluum me fac, quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui.

Poterit ne dominus ſeruum, & illum quidem frugi, & carè emptum, à ſeſe abigere? oppreſſum auerſari? Iſtiuſmodi forſan moris uſus apud homines locum habet: in Deo autē iſtud uel tenuè quidem imaginari, omne exuperat ſcelus. Cùm
D itaq; totus tuæ ſim mācipatus religioni ac legi, ſerua me obſecro, ô benigniſsime: nā tua diligentiſsimè præcepta ſemperq; & quæſiui, & perſcrutatus ſum. Idcirco

Me expectauerunt peccatores ℣t perderent me, teſtimonia tua intellexi.

Teſtimonijs tuis, inquit Felix, prudens fui. hoc eſt, cùm mei mihi inſidiarentur aduerſarij, caſumq; meum auidè opperirentur, è lege tua, tanq; tui oris oraculo, quæ illis reſpondere poſſem perdidici. In illa enim uti in politiſsimo ſpeculo, quæ quemlibet ſua ſors maneat, quidue firmitatis terrenæ huiuſce felicitatis umbra afferat, conſpexi, ac tandem

Omnis conſummationis ℣idi finem, latum mandatum tuum nimis.

Non eſt quidem res, inquit, in hoc mundo tam ad amuſsim abſoluta conſummataq;, cuius finis nō uideatur aliquando. Verùm mandatum tuum, hoc eſt, lex ſancta, ac uerbum, latè abſq; fine protenditur. Condita omnia, quæ humano ſub iecta ſunt aſpectui, interire aliquando neceſſe erit: ſed Dei ſermo nullo temporū occaſu intercipitur, aut præſcripto terminatur.

Mem.

Quomodo dilexi legem tuam domine, tota die meditatio mea eſt.

Suum hîc erga Dei legem animum, quàm ardens uidelicet fuerit ac ſedulus, oſtendit Vates, uimq; in ſe diuinam ad id peragendum miratur. Omnes, quos ſciam, tum ex græco, tum ex hebræo uertunt, quàm dilexi, cum admiratione: & eſt ſenſus: Mirum in modum tuam adamaui legem, in illaq; contemplanda totus fui. Illa unica mihi ſemper fuit occupatio ac cura, ut tuam intelligerem ex lege uoluntatem. Ex qua quidem exercitatione haud parum mihi acceſsit cōmodi, ſed illud in primis, quòd

Super omnes inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt. Super omnes docentes me intellexi, quia mandata tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui.

Vide quid bonorum afferat iugis diuinæ legis meditatio, ex qua tanta anima interdum

A interdum perfunditur luce & cognitione, ut non modò hoſtes ipſa ſuos quālibet peritos, prudentia, cœleſtium q̃ rerum notitia ſuperet, uerumetiã ſenes ipſos ac patres eruditiſsimos, præceptores quoque multa imbutos literatura, antecellat. Viuax igit̃ ex lege fit anima, ingenioſa, erudita, prudens, diuina tandem & beata. Semper, inquit, mecum illa eſt. Atqui nõ perfunctoria rerum ſpiritualium debet eſſet meditatio, non ſubita, non frigida, non ieiuna, ſed frequens, ſed continua, ſed ardens, ſed ſucci plena: alioqui nõ ſolùm ſapientioribus in doctrina ſpiritus non præſtabimus, uerumetiam ipſis mulierculis ac pueris inferiores euademus, uulgo q̃, ut nunc fieri uideo, deriſi monſtrabimur digito: nos, dico, quibus etſi lex Dei nõ diſplicet, diſplicet tamen continuus illius uſus. Proinde id neceſſariò contingere cernimus, noſtra q̃ ætate admirando intuemur ſpectaculo, tam alta affici interdum ſecretorũ cœleſtium cognitione uel mulieres, ſexum nimirum ad uanitatem magis quàm ad eruditionem natum, uel idiotas prorſus uiros, aut milites, ut ſi quid iam quod perfectionẽ uitæ referat auditur, ab ipſis audiatur. O certè ſeculum aureũ. In Campania, in qua nunc hæc meditor, non eſt tam impenſè doctus concionator, quin ex unica cum mulieribus quibuſdam confabulatione, peritiſsimo q̃ congreſſu, tum doctior, tum ſanctior euadat. In mea quoq̃ patria, quod ego aliquando maxima animi uoluptate expertus ſum, niſi aliud agerem, poſſem effari. Quanta, Deus bone, uidi afflatam ſpiritus immenſitate: quanto in ſororũ ſodalitio conflagraſſe incendio, quod uix inter eruditiſsimos meæ profeſsionis homines mihi uidere contigit, coronã illam auream, gemmeã, Chriſtiq̃ manibus contextã, & ſenſi, & fructum inde non mediocrẽ attuli. Paſsim audio per ciuitates ſecretiſsimo tum habitu, tum inceſſu, ad pias circumcurſare ſpiritus officinas, ad hoſpitalia, ad puellas impetigine ſcabieq̃ ac lepra infectas inuiſendas curandas q̃, uiduas nõnullas nobiles abſq̃ horrore accedere, ſaniem q̃ uulnerũ non ſecus contrectare & abſtergere, ac quondã uittas maritales odora-
B mentis, ſuffitibus q̃ precioſiſsimis aſperſas contrectare conſueuerant. Totus ſanè horreo cùm hæc cõmentor, pauidus q̃ quem finem tandem iſtiuſmodi ſortiri uelit nouitas expecto. Interim uerò cum propheta, imò uerò potius cum prophetę Deo, qui pro me hîc loquitur, tentabo dicere:

Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam verba tua.

Per imperatiuũ reddit Campenſis uerſum, Auerte pedes meos: atq̃ in hunc modum diuinæ ſuus erit honos gratiæ. Cæterùm pedes uocat animę affectiones ac deſideria, quibus tanquam pedibus & uehiculis, ad ea quæ ardentius expetimus, ferimur. Reflecte, inquit, ab improbitatis itinere ad iuſtitiæ ſemitã greſſus meos, affectus uti q̃ animæ uarios & uagos. Siquidem, quòd ſciam,

A iudicijs tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi.

En iterum, ponere legem, pro edocere. Doctrina certè ſpiritus nõ ſinit animã à diuinis diutius aberrare conſtitutionibus: ab his enim prudentiam edocta, factaq̃ conſideratior, rectà facillimè graditur. Atqui ea omnino eſt, quæ ut uerè, ſic eruditè, id quod ſequitur, proferre poteſt:

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.

Miratur Vates unde tãta dimanet è Dei uerbo ſuauitas. Mel, quod nonnunq̃ diximus, pro ſuauitate eduliorũ in ſcripturis ſumitur. Quàm ſuauem, inquit, guſtum meo afferunt palato uerba tua: certè ſuauior is eſt, q̃ quem mel ullum ęquare poſsit. hæc ſponſa. Sponſus uerò amoris uices rependens, ita in Canticis amatoriis reſpondet: Vitta coccinea labia tua, & eloquiũ tuũ dulce. Quid, mi lector, ſuauitates haſce amplius Circæas à ſenſibus uenaris? quid aliam, quæ Dei nõ ſit, aut ad Deum dirigat, doctrinam appetis? A ſacra quippe lege, à Dei uerbo, à ſpiritus ſcriptura ac influxu, delectamenta illa oriri ſolent: quorũ guſtum qui ſemel hauſere, quicquid uoluptatũ formare poteſt mundus, faſtidiunt. Ideo eiuſcemodi ſanctiſsimo allectus ineſcatus q̃ lenocinio (liceat hîc dolum ſanctum, non ſanctis uocibus exprimere)

C *A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem ῾viam iniquitatis.*

Solent hîc queri mei ſimiles, lamentaríq́, quòd in eo uixerint uitæ ſtatu, quo perdiſcendi literas tum græcas, tum hebraicas, quarũ peritia legis potiſsimũ arcana reuelari opinantur, ſibi minus integrũ fuerit. Scilicet germanã diuinæ legis cognitionem non magis ab animo apprimè candido, Deoq́ per amorem copulato, haberi poſſe cenſebimus, quàm à literato ſolùm? Certè ſi rem attentius expendimus, linguarum notitiam ſplendidiſsimũ quoddam in Dei Eccleſia ſydus eſſe non ambigimus: ſed eouſq́ tamen, ut Solem ipſum nihilo ſecius abſq́ ſyderum adminiculo inferiora hæc omnia irradiare fateamur. Nam cùm totum robur fidei atque Euangelij à Dei præceptionibus pendeat, mirum ſi Chriſtianus quæ ſint illiuſmodi præcepta, quibus lex nititur, etiã abſq́ literis ſe ignorare dicat. Ad hæc, quę efficacior lex unquam fuit, aut eſſe poteſt ad uim ſpiritus aſſequendam, ſeruandasq́ diuinæ legis iuſsiones, quàm uita eſt Chriſti? Putandúmne erit ſimplicioris fidei homines nequaquã poſſe crucis amplexus attingere, hoc eſt, crucifixũ Chriſtũ, nempe legis conſummationẽ aſſequi, niſi Hebræos Chriſti crucifixores conſulant? Abſurda profectò hæc eſt perſuaſio, ſimulac compertũ habemus numen ſecretiſsimo ueluti ſuſurro unicuiq́ ſalutis doctrinã inſtillare, modò homines cor porrigant atq́ aſſenſum. Illud quoq́ periculoſum, fideiq́ Chriſtianæ non parum detrahens, doctores illos conſulere, è quorũ animis antiquũ nondum deferbuerit in Chriſti nomen ac religionẽ odium. Quod quidem non ideo dico, quò iuuenes à diſcendis literis abſterreã, ſed ut adhorter, moneamq́, res ſuſpectas cum delectu perdiſcendas eſſe, atq́ ab illis quidem pręceptoribus qui hoſtes nõ ſint. At tu uide quo ſuam fulcimento muniuerit legis cognitionẽ Prophe ta. A mandatis, inquit, tuis, quæ facilè intelliguntᷣ, omnẽ hauſi bene ſancteq́ uiuendi rationẽ: quare ullo abſq́ negocio iter illud, q̃d tuis à ſemitis abhorret, caui.

Nun.

D *Lucerna pedibus meis ῾verbum tuum, & lumen ſemitis meis.*

Diuus Petrus ad Dei nos ſermonẽ, tanq́ ad lucernã lucentem in caliginoſo loco, animũ intendere ſuis in Epiſtolis hortatᷣ. Sanctiſsima ſanè apoſtolorũ principis admonitio. Nã quemadmodũ hi, qui in labyrintho aliquo diuagantᷣ, fruſtra exitum ſperant abſq́ lumine: ita in infinitos, prorſusq́ inextricabiles impingere peccatorũ męandros illos neceſſe eſt, qui uitam hanc ęrumnoſam ſine uerbi Dei luce poſſe uiuere ſomniant. Quod quidem bene noſcens tam ſcitus uir exclamat: Pro lucerna, faceq́ lucidiſsima per id uaſtiſsimũ errorũ mare cæcutienti mihi fuit uerbum tuum, lumenq́ præbuit ſemitis hiſce parum tutis tua ſancta lex. Cui ſanè beneficio reſpondens,

Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.

Id propriũ bene inſtitutarũ mentium eſt, nouis ſeſe quotidie excitari ſtimulis, nouaq́ uitæ innouandæ Deo uota nuncupare. nam cùm ſe cernunt nullo poſſe unquam, quãuis firmato, tam obnixè conari ſtudio, ut (quod maximè cupiunt) ea qua conuenit animi integritate Dei legem ſeruent, ſtomachantur ferè ſecum, reprehenduntq́ ſuam tarditatẽ, atq́ proinde recentioribus ſeſe in dies macerantes deſiderijs, nouam Deo promittunt quotidie uitæ formam. Iuraui, inquit, & quod iuraui re præſtabo, efficiamq́ ne in his ſeruandis, quæ tu iuſtiſsimo ſeruari præcepiſti iudicio, periurus uidear. Noui enim quantę ſit efficacię tuis à mandatis non deficere. Fateor enim quòd

Humiliatus ſum ῾vſquequaq; domine, tu interim, quæ tua eſt fides, *῾viuifica me ſecundum ῾verbum tuum.*

Iterum, humiliatus ſum, pro afflictus ſum, uertit interpres. Valde, ait, afflictus ſum, ualde exagitatus, ualde, imò uerò potius ſupra uires oppreſſus. Verùm tu, quemadmodum es pollicitus, me in uita conſerua, ſubindeq́

Voluntaria oris mei beneplacita fac domine, & iudicia tua doce me.

Voluntaria oris, uocat gratiarũ actiones, quas tanq́ hoſtias, nõ pro reatu qui dem

A dem aliquo, aut legis præſcripto, ſed uoluntario ſacrificandi ritu oblatas offerre conſueuerat, ut nõnullæ erant uictimæ in lege ueteri. Sunt tamẽ qui uoluntarias iſtiuſmodi oblationes ad fidei doctrinã, cõfeſsionemq; referant, quę nõ ſolũ libero uoluntarioq; proferri debet ſpiritu, aut edoceri, uerumetiã auditores liberos, nulli ſcilicet ſuperſtitioni addictos, reddere. Pię igitur eæ meę, inquit, tibi gratę ſint preces, gratiarũq; actiones, ac iudicia tua mox mihi per te innoteſcãt. Siquidem

Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus.

Scema id eſt hebraicũ: nam nihil aliud eſſe, animam in manu ferre, ſeu habere, aſſerũt, q; in periculis uerſari. & eſt perinde, quaſi id diceret Vates, quotidie periclitor. unde mox intulit: Poſuerũt peccatores laqueũ mihi. Ita igitur animã in manu portare, uaria uitæ diſcrimina ſubire exponũt, citantes illud Iob: Quare, inquit, lacero carnes meas dentibus meis, & animã meã porto in manib. meis. hoc eſt, omniũ iniurijs obuiã, expoſitãq; periculis. (Liceat obiter hæc annotare. Carnes noſtras dentib. lacerare dicimur, cum dolore aliquo immenſi affecti miſeranda in modũ excruciamur.) Sic quoq; de Pythoniſſa illa legimus, quæ Sauli dixit: Ecce obediuit ancilla tua uocituę, & poſui animã meã in manu mea. Ait itaq; uir ſanctus: Vitam meã omniũ libidini obnoxiã porto, ueruntamen neq; ſic tuæ legis memoriã abijcio. Sunt & qui hunc uerſum de arbitrio interpretant humano: uerũ uideãt qua id ſcripturarũ autoritate fulciant. De periculis his quidẽ, quibus mortales in dies magis fiunt obnoxij, loquit Vates, quocirca ſtatim addidit:

Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erraui.

Errant enim à diuinis mandatis, qui uarijs improborum iniurijs laceſsiti, afflictiq; calumnijs, adeò exanimant, ut animũ, ſpe interim diuinarum pollicitationũ abiecta, deſpondeant. Id certè non docet lex Dei, ſed illud potius, ne in periculis maliſq; irrogatis, à fidei doctrina ſecedamus, cuius ea in primis eſt inſtructio, ut,

B quæcunq; emergant incõmoda, eo feramus animi robore, perſuaſioneq;, quòd Deus ſuis deeſſe nõ poſsit, licet noſtras nonnunq; oppreſsiones uidere diſsimulet. Paſsim, inquit, dolos, inſidias, fictasq; delationes, atq; artes id genus alias ſub dolas & acutas, tanquam laqueos mihi obiecere nefarij iſti perſecutores, à tua tamen lege ne pedem quidem dimoui. Etenim

Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt.

Oro, quid gratius nobis in humanis, caduciſq; fortunæ bonis obtingere poteſt, q; bona ſunt hæreditaria? Quòigitur ſuũ erga diuinã legem patefaceret affectũ, ait illã ſibi uice hæreditatis extitiſſe, hoc eſt, unicè dilectã, exin oblectamẽta cordis ingentia ſumpſiſſe. Teſtimonia, inquit, tua meæ fuerunt deliciæ. Idcirco

Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.

Seruile fermè id uidet, Dei legẽ amplecti, atq; illius inhęrere decretis, ſpe tantũ præmij. Quare aut omnino particula hæc eſt eradenda ſecundũ Hebræos, aut mitius reddenda, ut ſic reddũt quidã: Accõmodaui cor meũ ad facienda ſtatuta tua, in æternũ, uſq; in finẽ. Indicat Felix poſſe etiã legi, uſq; in præmiũ, hoc eſt, donec appareat quid pietas receptura ſit: uel, ut ipſe interpretat, Præmiũ eſt facientib. ea. Alij etiã uertunt, nõ ſine cauſa. Et ego puto cauſam iſtiuſmodi ad id impellentẽ eſſe, noſtrã erga Deũ atq; illius præcepta dilectionẽ, quę propria filiorũ eſt uirtus, qua legis onus leue fit & ſuaue, alioqui grauiſsimũ ſeruis ac mercenarijs. Amor igitur perfectio eſt legis. *Samech.*

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.

Alio in pſalmo clamat Vates, perfecto ſeſe odio odiſſe impios. Vertũt nõnulli, iniquitatẽ execratus ſum: ſed idem ſenſus: nanq; in homine, nõ ipſe homo habendus eſt ſtomacho atq; abominationi, ſed ſcelera, ſed uitia ipſa hærentia animo. unde additũ eſt, Et legem tuã dilexi. ſemper enim amandus eſt homo, quãlibet ſceleratus, quatenus homo eſt, proinde ad capeſſenda cœleſtia idoneus: uerùm ipſa animi improbitas, factaq; à Dei lege abhorrentia, deteſtanda. Sed quoniam ita in immenſum huiuſcemodi accreuit hominũ lues ac uis, ut penè ipſi etiã

C perfectiſsimi uiri ab illorum obruantur impreſsione atq; impetu, ideo adiunxit:

Adiutor & ſuſceptor meus es tu, & in Verbum tuum ſuperſperaui.

Sic Felix: Latibulũ & ſcutum meũ tu. Hęc omnia tutũ Dei eſſe præſidiũ deno tant. Si quidem ab ineuitabili fortunæ uulnere ac telis impetimur, fugamurq; tre pidi tanq; diſpalati milites ex acie, inuenit in deo perfugiũ, inuenit uallus, arxq; hinc inde abrupta, atq; idcirco hoſtibus inacceſſa, ac tandem genera omnia armo rum abundè ſuppeditant, modò non frigeat in nobis fiducia ac ſpes, qua tota re-ſperſa eſt Dei lex. Quoniã, inquit alio in pſalmo, in me ſperauit, liberabo eum: hîc uerò, in uerbo tuo ſpem omnẽ meam eſſe uolui, quia ſanctiſsimo firmatũ eſt amoris clauo: uerba autem hominũ fallacia plerunq; ſunt atq; odioſa. Quocirca

Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.

Maximo ſemper fuit tranquillis animis impedimento facinoroſorum homi-num inquietudo, ac, quo ſurſum deorſum agitari ſolent legis Dei ſtudioſi, odiũ, iunctaq; cum poteſtate maleuolentia. Quò igitur liberius, tranquilliusq; diuinis nauare queat operam conſtitutionibus uir pius, orat è medio tolli quęcunq; tam ſancto aduerſantur ſtudio & conatui. Faceſsite, inquit, procul q; abite, ô maligni, ô pacis oſores, ô quibus pro ludo eſt alienam turbare tranquillitatem ac requie-tem, ne mihi mandata Dei mei ſeruare efflagitanti intertrimento ſitis. Tu uerò domine ſublatis prorſus obicibus,

Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & Viuam, & non confundas me ab expectatione mea.

Dilucidior eſſet litera ſi, ſuſtenta me, uertiſſet interpres, aut, ut reddit Paraph. conforta me. hoc eſt, me in hac cruenta ac laborioſa uitæ harena, in qua penè pro pter hoſtiũ atrocitatẽ uidere mihi uideor iamiam periclitandũ eſſe, fulci, recrea, tuiq; uerbi cõſolatione refocillans, me, ne omnino ſuccumbã, ſerua: atq; ad hunc modum mea nõ fruſtrabor, quam in te habeo, expectatione ac fiducia. Obſerua,

D quod ſæpe replico, unde uires iſtiuſmodi cum mundo pugnæ ſuppeditent, unde fauor, unde uictoriæ ſpes, nempe à Deo. Proinde ſanctiſsimũ hunc ſeruant morẽ meæ profeſsionis tyrunculi, qui poſteaq; uota illa ſua corã Deo, teſteq; Eccleſia nuncuparũt, tanq; cum acerrimis hoſtibus præliaturi, hæc eadem ſupplicabundi proferũt uerba: quibus de more pronunciatis, cruceq; prius uice nimirũ iuſiuran di impreſſa arę, uitę tandem obitũ profitent: hoc eſt, ſe inutiles prorſus mũdi ne-gocijs fore deierant, idcirco ſe ſuas æquè deinceps inſtituturos uitæ actiones, ac pij ſolent mortui, qui tumulis conditi, in Deo tamen uiuunt. Quare ubi Benedi-cti monachum curas mundi auidè libenterq; admittere, atq; inde gloriam uena-ri cõſpexeris, mortuũ negociari dicas: quare quid monſtroſius? Memini equidẽ Proſperũ Fauentinũ primariũ meę religionis uirum, ex me adhuc iuuene, ſed ſtu dioſo, ſciſcitatũ fuiſſe: Ecquod unquam legiſſem deformius in libris monſtrum? Ego, qui fabulis legendis nonnihil horarum aliquando impendiſſem, reſpondi, Chimæram id eſſe, aut Hippocentaurũ, aut, ſi hæc non ſatisfacerent, biformem nefandæ Veneris monumenta Minotaurũ, Cerberúmue triſaucem. Et cùm alia item connumerare uellem monſtra, ſermonẽ intercepit: Erras, inquit, monachus id eſt ambitioſus. Exhorrui fateor. Sed ad inſtitutum reuerto, meiq; non omnino immemor periculi, cum Vate clamo:

Adiuua me, & ſaluus ero, & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.

Rurſus conforta me, aut ſuſtenta, aut conſolida, uertũt ex hebræo. Vnde ſic Pa raphraſtes: Suſtenta me, & ſaluus ero, & oblectabo me tuis mandatis quoad ui-xero. Cùm hæc, atq; horum ſimilia mihi legere contingit, occurrit ſtatim animo, imò uerò interdum oculis, cùm uinearium huius mei ſeceſſus cliuum animi cau-ſa peragro, quomodo uitis per ſe nonnunquã luxurians proſerpat humi, atque hinc inde diffundatur, ſylueſcatq; omnino, abſq; arbore, aut pedamento, quo ſe fulcire queat, alio. Quo quidem ſpectaculo uires humani arbitrij tunc mihi affa-brè muſiceq; depingi coniecto, quod abſque Deo poſſe ſe aliquid ſibi perſuadet. Id ſanè in frondes abſq; fructu abire neceſſe erit. Vnde non ab re eſt, quòd Va-

tes tam

A tes tam anxiè legis Dei notionem ſibi impartiri poſtulat. Siquidem ex illius neglectu, illud etiam quod ſequitur neceſſariò contingere oportet. Quid illud?

Spreuiſti omnes diſcedentes à iudicijs tuis, quia iniuſta cogitatio eorum.

Spretis quidem legislatoris cuiuſpiã præceptionibus, ſpernitur & legislator: qua propterea laceſsitus iniuria, quid putas? adeò infelici cõtemptores iſtiuſmodi afficit compenſatione, ut illos uiciſsim ſpernat, ac, uti res ſolent nihili, proijciat. Eam ob rem à Vate ſecundum literam Hebræorum additur: Velut ſcoriam deleſti omnes impios terræ. Noſter uerò,

Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ, ideo dilexi teſtimonia tua.

Iam illud non prætereundũ, quòd in ſuperiori uerſu noſtra habet æditio, Iniuſta cogitatio eorum, Hebræis eſſe, falſitas, ſeu dolus cogitatio eorum. Et ad eos refertur, qui cùm multis ſeſe obligauerint nominibus ad Dei legem ſeruandam, nihil minus tamen animo cogitant, quàm quod ore pollicíti ſunt, re præſtent. Hypocritæ hi uocantur, quibus ea in primis mens eſt, ut boni uulgò appareant: lues nimirum totius orbis tam pernicioſa, quàm quæ alia pernicioſiſsima. Velut ſcoriam, inquit, à nitido ſecretã argento illos reijcies, pro nihiloq; habebis. Vtcunq; callidè ſimplicioribus imponere conſueſcant, mihi nõ imponent: ſiquidem tranſgreſſores illos ſemper tuæ eſſe legis exiſtimaui, idcirco peſsimos cùm terræ, tum tuæ potiſsimũ religionis corruptores arbitratus ſum. Verùm equidem non propterea à tuis diſceſsi admonitionibus, ſed illas dilexi, ac, ut res ſolent charæ, diligentiſsimè conſeruaui. Tu interim

Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui.

Tametſi enim precatio illiuſcemodi pia admodũ ſit, qua petímus carnẽ hanc noſtrã petulantẽ, rebellemq; ſpiritui, ac undequaq; efferam, coërceri, Deiq; timoris clauo tranſuerberari, ut hîc rogari uides: at ea tamen nõ uidet modò eſſe mens
B Vatis, ſed illa, quò oſtendat miſerandũ ſe in modũ uiſa improborũ ultione conſternatũ. Ait igitur: Adeò ſeuerè, mi Deus, improbos iſtos tuæ religionis irriſores attriuiſti conculcaſtiq;, ut præ metu totus obriguerim, atq; à iudicijs tuis, ſecundũ quæ pœnas illos dare coëgiſti, exterritus, penè inſaniuerim. Sic Fel. Conſternata eſt, ſeu exhorruit præ timore tui caro mea, & à iudicijs tuis expaui. Hinc clamat Salomon: Peſtilente flagellato ſapientior erit paruulus.

Ain.

Feci iudicium & iuſtitiam, non tradas me calumniantibus me.

Paraphraſtes, feci, uerbũ ad Deum refert. Facere, inquit, ſoles quod iuſtum eſt & æquum, quare nõ me relinques tyrannidi opprimentiũ me. Alius uerò faciam uertit. Cæteri cum noſtro legunt, feci. Verùm illud adnotandum, Prophetã quid in re agi debeat ſpíritus, aut in cõmuni ciuium conuictu ſeruari oporteat, nos admonere, cùm ait, illud ſeſe iam, quicquid illud fuerit, egiſſe, ne iactantiæ tam ſanctum uirum inſimulandũ ducas. Porrò iuſtitiã ad fidem pertinere non raro alibi diximus, iudiciũ uerò ad mores. Quare cùm quempiã uideris Dei religioni fauere, atq; inter ciues populariter adeoq; prudenter ſuas inſtituere actiones, ut nemini grauis ſit, quamplurimis autem cõmodus, hunc ad iuſtitiæ iudicíjq; regulam ſuam direxiſſe uitam, calculis omnibus aſſeuerato. Feci, inquit, iudiciũ, feci iuſtitiam, feci quæcunq; tibi grata fore mihi perſuaſi, unde maxima mihi conflata eſt apud improbos inuidia. Tu tamẽ (quid illi ex ſe poſſunt?) ne meam ſinas illorum libidini obnoxiam eſſe innocentiam, ſed potius

Suſcipe ſeruum tuum in bonum, non calumnientur me ſuperbi.

Nonnulli uertũt, ſponde pro ſeruo tuo in bono: hoc eſt, pro tuo eſto ſeruulo uas ac præs in tui gloriã. Alij uerò, oblecta ſeruũ tuum bono: quod bonũ ſanctã eſſe legem, quietãq; cum cæteris conſuetudinẽ, interpretant. Paraphraſtes autẽ: Inſtiga ſeruũ tuum ad bonũ, ne opprimant me ſuperbi. Sed neq;, ſuſcipe, uerbũ ſuo caret myſterio, eſtq; ea prolatũ ratione, qua ſuperius cùm dixit: Suſcipe me ſecundum eloquium tuum & uiuam, quod ſanè unicũ bonũ eſt animæ, ita à cœ-

C leſti patre ſuſcipi, atque, uti conſueſcunt pueri inter ulnas nutricis, foueri, ut tuta omnino ſit, adoleſcatq; in Deo. Mirum ſi ſic protecta anima, nefandorũ hominũ iniurias, addo & dæmonum irritamenta, multifaciat. Ita abſq; dubio affectus fuit Dauid, ſed ſublimiori ratione Chriſtus, qui extra hanc uixit aleam: & tamen mihi ad lapſus prono ſubtimens, meq; quid opus ſit factu in re præſertim tam ſeria admonens, pro me hîc clamat:

Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ.

In expectando, inquit, ſalutem mihi abs te iuſtitię uerbo promiſſam, penè diu nimium ſuſpicientes luſcioſi facti ſunt oculi, atq; hallucinantes. Quòd enim oculos præ diuturna ſalutis expectatione, atq; ſubinde ad Dei eloquiũ caligaſſe fatetur, ob id dicit, quoniam quicquid ſpei ſalutis concipiunt electi, id omne Dei uerbis ac pollicitationibus referunt acceptum. Verùm multo ad illud aſſequendum peropus eſt ſtudio ac labore. Cunctando ferè laborandoq; cœleſtia nanciſcimur dona. Cùm itaq; res ſpiritus ita, ut dixi, ſe habeant,

Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me.

Agedum, inquit, fac, quid me præſtolari cogitas? quid conari tanto maximè in negocio? an meã interim ut ſactitem uirtutem? arbitriũ? bonam mentem? Minimè id quidem omnium, ſed tuam hîc imploro miſericordiam. Secundum igitur illius ſuauitatem meas dirigi uitæ rationes uehementer cupio, petoq; ut tu, non ficti iſti præceptores, me tuas condocefacias conſtitutiones, præcepta nimirum uitæ ac ſalutis. Nam

Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua.

Vide effectũ diuinæ clementiæ, cùm mens ad cœleſtes peragendas iuſſiones illuſtratur. Eam mihi, inquit, elargire lucem, quò tua intelligere queam præcepta. Atqui in præceptis, Dei intelligitur uoluntas: qua deinde perſpecta, ſed remiſſe, conſultoq; atque de induſtria contempta, ſeruus qui id agit, uerberibus, ut ait Chriſtus, uapulabit multis. Ceremonias tuas, reddit Campenſis. Nam ueteres quæcunq; ad diuinum pertinebant cultum, ceremonias appellabant. D

Tempus faciendi domine, diſſipauerunt legem tuam.

Res iſta eſt propter quã maximo afficiũtur dolore electi, cùm cernunt ſcelera tos quoſdã non legem modò tranſgredi, uerumetiã alios ad id impietatis genus tum hortari, tum cogere. Tempus faciendi, ad tempus quo puniendi eſſent legis tranſgreſſores, referunt nonnulli, inter quos eſt Paraphraſtes, qui ſic uerſum interpretatẽ: Tempus appetit, quo ſumpturus es de impijs ſupplicium domine: nihil enim fecerũt doctrinã tuam. Alij uerò tempus id eſſe aſſerunt, quod ad Dei iuſſa facienda idoneũ ſit, & quod tempus gratiæ nuncupant, ſeu, ut alijs uiſum eſt, ſenectutis. Nec diſplicet interim quod ſubindicat Felix, ut ſit ſenſus: Tempus mihi eſt faciendi domino: hoc eſt, ut ſeruiam domino, atq; illius paream præceptionibus, uel eo maximè, quòd alij diſſipauerũt legem tuam. atq; is ſenſus ad ea quę dicta ſunt, conuenire uidetur. Idcirco etiam ſubnectit Vates:

Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.

Illi, inquit, tuas nefandiſsimis dehoneſtarunt auſib. ordinationes, ſuas interim ſubrogantes: ego uerò tuæ legi addictus, quæcunq; præcipis auro omni antepono ac topazio, gemmę nimirũ elegantiſsimi coloris ac uirtutis. Aiunt enim inter cætera uim topazio ineſſe præcipuam, quòd laſciuos motus, atq; appetentias uenereas reſtinguat, ſi quis illum gerat collo alligatum, aut in anulo. Vt uera hæc ſint, celebrius remediũ eſt aſsidua in Dei lege meditatio, &, ut inquit Vates, dilectio. Sunt tamen qui pro topazio, gemmam ſimpliciter transferunt, ſeu obryzum, nempe aurum purgatiſsimũ. Vult hîc Vates Dei legem rei cuilibet precioſæ præponderare, infertq;:

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.

Scitum id eſt omnino ac ſalubre, quicquid egeris, ad diuinarũ præceptionum regulam ac perpendiculũ aptare & dirigere, ut hîc ſe egiſſe fateẽ Vates. Ad hoc enim

A enim conditæ ſunt leges, potiſsimũ diuinæ, quò homo natura uagus, atq; ad uitæ diſſolutionem pronus, habeat quibus ſeſe præceptis, tanquã lupatis ac fræno, coërceat, contineatq; in officio. Nihil diuinius ſanè in terris eſſe iudico lege optimè inſtituta, ac rationis temperamẽto ſancita, nihilq; à religione abhorrente, docta, graui, & quæ laudem pariat conditori, non contemptum ac deriſionem. Vide quid hîc de Dei lege ſentiat Propheta: Mandata, inquit, tua (ſic reddit Campenſis) iuſtiſsima eſſe iudicaui: hoc eſt, undequaq; abſolutiſsima. quare omne genus uitæ fucatum odio habui.

Phe.

Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt ea anima mea.

Admiratur uir ſanctus reconditam ſapientiam in lege Dei, ita tamen contemperatam, ut paruulis etiam obuia ſit: imò uerò magis illis facilis, qui ſimpliciori uitæ genere atq; appetentiarũ munditiæ cœleſti fidem habent doctori, quàm ſapientioribus huius mundi dynaſtis, qui plerũq; proprio confiſi ingenio nihil approbant, niſi quod intellectu percipi poſſe opinantur: atq; hoc modo ſummam ſalutis animarũ, nempe fidem, ſubuertũt. His quidem diuinæ legis myſteria admirationi nequaq; eſſe poſſunt, cùm illo ſita ſint loco, cuius aditus fidei magis, q; ratiocinationi humanæ panditur. Cæterũ de mirabilibus, quæ in Dei lege deliteſcunt, myſteriis, in tertio dictum eſt pſalmi huius octonario. Reuela, inquit, oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Hîc uerò, digna admiratione tua ſunt teſtimonia, ô Deus: ea nimirum omnia, quæ de ſuauiſsima tua nobis teſtantur uoluntate. Quare illa, ut potui, perſcrutatus ſum, in illisq; perueſtigandis totus fui. Cuſtodiui ea, uertunt quidam. Paraphraſtes uerò: Obſeruauit eas, ſcilicet cęremonias, anima mea. hoc eſt, ex animo, non fucatè, non inconſtanter, non meticuloſe, tuam ſeruaui legem. Nec fruſtra quidem: nam

B *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.*

Hoc eſt, cumprimùm tuæ legis aperiuntur ſenſa, en lumen, en ſimplices faciléq; ſuaſibiles illa apprehendunt fide homines, quæ ingenio nequeunt doctiores. Eam ob rem

Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam.

Anxiũ hæc uerba præ ſe ferunt ad percipiendã Dei ſapientiã in lege animum. Habitũ fermè præ nimio rei cuiuſpiam deſiderio anhelantis, crebroq; ſpiritum trahentis remittentisq;, expreſsit Vates. Haud ſecus, inquit, anxiè tua intelligere præcepta deſideraui, quàm anxiè ſpiritũ anhelus trahere cõſueſco. Ore meo, ait Paraphraſtes, ueluti hiabam, ut aſſequerer prudentiam. Ite nunc, quibus adhuc perſuaſum eſt, habitu neſcio quo inerti mentis atq; ſupino, poſſe hominem ſatis Dei legi facere. Solicita ſanè, ut hîc uides, atq; flagranti opus eſt cura ac ſtudio, ad illud adipiſcendum, quod totum animæ conatũ expetit, quodq; mediocritatem ferè auerſatur, nedum inanitatẽ, ac confuſum in re tam neceſſaria principium. Verùm tu domine

Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.

Miſerere mei, inquit, ut eorũ conſueſcis, qui tuũ diligunt nomẽ: hoc eſt, te, nullamq; ſuis in benefactis uulgò aucupantes gloriã, quicquid in ſe habent, quod laude dignum ſit, tuum ad honorem referunt. Id igitur iudicium illorum eſt, quibus Dei honor magis cordi eſſe ſolet, quàm proprius: idcirco illum ſupra omnia tum quærunt, tum diligunt, cùm interim cæterorum iudicium ſit, Deo poſthabito, ſe tantummodo ſpectare, ac propriis inſeruire commodis. Modò regnemus, inquiunt, quid ultrà? Penè definiunt animas eundem cum corporibus nanciſci finem. Tu

Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia.

Quò enim aliquando ad eum iudicij nitorem perueniat, quem Dei amatoribus conuenire aſſeruit Propheta, rogat ſuos, prout ſuggerũt Dei eloquia, firmari greſſus, nempe ſtudia, atq; affectus animi: qua quidem re impetrata, facilè & il

C lius quod ſequitur compos ſit uoti. Non dominetur, inquit, imperiúmue habeat in me improbitas aliqua. Tametſi enim nonnunquã, quæ eſt conditio mortaliũ, contingat hominem errare, labíq́, non eouſq́ tamen lapſibus delectetur, ut illis, tanq́ dominis, dicto pareat, libenterq́ neglecto Dei timore, inhæreat. Hac, credo, motus doctrina Paulus clamabat: Non regnet peccatũ in ueſtro mortali corpore. Verùm quò id expeditius aſſequar,

Redime me à calumnijs hominum, vt cuſtodiam mandata tua.

Calumniam definit Hieronymus eſſe accuſationem uafrè doloſéq́ confictam in aliquem: quam ſanè uir probus tam horret, timetq́ interdum, quàm quiduis aliud maximè horrendum, atqueadeo id potiſsimum, ſi iudices uenales ſunt, ac ſpiritu Dei uacui. Aſſere, inquit, me à fucoſorum hominum calumnijs, quò liberè tuas ſeruare poſsim inſtitutiones. Inſuper

Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas.

Fauorem diuinũ, quem uultus Dei illuminationẽ appellare libuit, implorat. Sentiant, inquit, calumniatores mei, quàm libenter oppreſſæ fauere ſoleas innocentiæ. Tuos exere tandem radios, ô ſol, ô paraclete, ô ſalutaris fax mentium ac flamma, & me tua edoce decreta. Nam hi ignari ſunt atq́ indocti, quos eruditiſsimos ob demandatum illis officium eſſe oportuerat. Quocirca

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.

Dum, inquit, non ades, non illuminas, non redimis, non cuſtodis, à calumniatoribus autem malè audio, uideoq́ commutato rerum legumq́ ordine, probos atteri, improbos exaltari, en interim totus in lachrymas colliqueſco. Quid lachrymas? Riuos quidem, & hos interminabiles, hiſce ab oculis erumpere cerneres: quia tuam ſpreuerunt legem hi, nempe nefarij homines. Pius profectò is eſt fletus, cùm quis ob deſertã Dei legem à quamplurimis, flet, mœretq́ inconſolabiliter, atq́ is proprius eſt ſanctorũ hominum fletus, ac lachrymarum ratio & cauſa,

D

Zadik.

Iuſtus es domine, & rectum iudicium tuum.

A iuſtitia atq́ æquitate laudat Dei legem Propheta, aitq́: Quicquid ſanxiſti, quod ſiue ad religionem, ſiue ad politicen attinet, æquum eſt, iuſteq́ ſancitum. ob quam rem

Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis.

Interpres ferè pro ualde uehementerq́, nimis tranſtulit: quod æquè pollet, atque, mandaſti iuſtitiã ac fidem tuis coniunctas ualde eſſe mandatis. Etenim quæcunq́ præcepiſti, iuſtitia ſunt ac fides. Iuſtitia quidem, quoniam propria motus bonitate, nihil non bonorum mortalibus promiſiſti. Fides uerò, quòd quæ promiſiſti, nulla noſtra irritatus perfidia, aut illectus merito, re præſtas. Hinc porrò

Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei.

Fermè idem eſt, quod in ſuperiori proximè dixit octonario: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. ut cuſtodierũt ad Dei hoſtes referas, nõ ad oculos. Cęterùm zelus, laudabilis illa eſt animi paſsio in ſcripturis, qua pro re uehementer amata excandeſcimus. Sic Chriſtũ ob domum patris, flagitijs, emptionibus, uenditionibusq́, atq́ propterea callidis doloſisq́ licitationibus conſpurcatã à ſacerdotibus, zelaſſe olim legimus. Vocat igitur ſuum zelum propheta permotionem illam animi, qua non niſi immenſa cum moleſtia uidere poterat Dei legem, etiam à legis peritis, peſsimo multitudinis exemplo, peſſundari. Me prorſus tabidum, inquit, reddidit ob mœrorẽ zelus, iraq́ ab amore tuæ religionis excitata, quòd tuarum obliti fuere præceptionũ hoſtes mei. Et quidem mirum haudquaq́ eſſe debet, ſi ob tuam turpificatam legem, fœdataſq́ conſtitutiones exarſi: nam

Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud.

Aptiſsimũ profectò diuini eloquij ἐπίθετον, ignis. quanquã non ignitũ, ſed aut purum, aut, ut uertit Felix, examinatum, reddunt ex hebræo: hoc eſt, tanquã aurum

A rum igne depuratum, excoctumq; pluries. Alio in pſalmo Dei eloquia comparat argento igne examinato, purgatoq; ſepties, hoc eſt, perfectè. Quis tantã non amaret in auro perfectionẽ? nihil tamen præ Dei uerbo, quo abundè ditantur animæ, illo uerò abſq; ſatietate corpora ſolummodo, ut eſt aurum, argentũ, aut quiduis aliud è terra erutũ precioſum. His itaq; rebus fortunæ ſtolidiſsimæ ludibrio expoſitis, ab animo reiectis, in his quę Dei ſunt, nempe æternis, noſter figendus eſt amor atq; intellectus. Quam ſanè rem optimè intellexiſſe Prophetã hîc uideo. Seruus, inquit, tuus dilexit illud, uerbum ſcilicet tuum ſuper omnia deſiderabilia expetendum.

Adoleſcentulus, fateor, ſum ego, & contemptus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus.

Hîc mihi Vatis manſuetudinẽ, ſimul & extremũ ſui neglectũ conſidera. Paruulus, inquit, ego ſum, atq; contemptui habitus: tamen neq; propterea tua aſpernatus ſum præcepta. Id dixiſſe idcirco Vatem aſſerunt, quòd diuinarũ promiſſionum, addo & legis beneficio, è ſtatu illo abiecto paſtorali, ad regiam inſperatò euectus fuerat dignitatem. Suæ enim priſtinæ conditionis haud immemor tantus rex, adeò contemptim res haſce mundi inſtabiles tolerauit, ut ſe pluries nihil omnino eſſe in oculis domini, faſſus fuerit. Quid noſtri ex ſeſe nati? Deus bone, quis tumor? Talpas diceres è terra exire elaborantes. Aurum certè, honores, magiſtratus, plauſus uulgi, contrario penitus Vatis, imò uerò Chriſti inſtituto, anteponuntur Dei uerbo: cuius iuſtitia, bonitas nimirum, atque æqua tum pœnarum, tum præmiorum ponderatio, æterna eſt, iuſtitia uerò hominum citò deſitura. Ideo infert ſpiritus:

Iuſtitia tua iuſtitia in æternum, & lex tua veritas.

Hoc eſt, quicquid de tua iuſtitia loquitur lex ſacra, uerum eſt: quicquid promittit, firmum ratumq;, quæcunq; occurrant aduerſa, perſeuerat. Quare ſi nonnun-
B quam angore aliquo animi intolerando affectus, deficere, planeq; interire uiſus ſum, ad tuæ ſtatim legis conſolationẽ recurri. Si morbo attritus, ſi improborum iniurijs atq; odio obnoxius fui, ſi à regno, ſi à patria, ſi à propriis eiectus laribus, ſi male mihi audire etiam ab ipſis meis familiariſsimis amicis contigit, ſi proinde maxima aliqua, atq; adeò iniquiſsima

Tribulatio & anguſtia inuenerunt me, tunc ſanè, mandata tua meditatio mea eſt.

Ex hebræo: Mandata tua delectationes meæ. Quoties, inquit Campenſis, ad uerſi aliquid, & quod me premeret, accidiſſet, mandatis tuis cõſolabar me. Nam

Aequitas teſtimonia tua in æternum, intellectum da mihi & viuam.

Idem repetit, quod in alio dixit uerſu: Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua. Modò uerò, æquitas ſeu iuſtitia ſunt teſtimonia tua: hoc eſt, iuſtitiã cum tuis coniunctam eſſe præceptionibus uoluiſti. Cęterùm id ita eſſe fac me plenius intelligere, quò uiuam. Siquidem è rerum eiuſmodi ſcientia ac doctrina, uita animæ oriri ſolet, quemadmodum ab illarum ignoratione error omnis atque ſuperſtitio, è qua mors, ſuum habent exordium.

Koph.

Clamaui in toto corde meo, exaudi me domine, iuſtificationes tuas requiram.

Quid neceſsitudine aliqua coactus Vates egerit, quidue nos agere oporteat, ut in alijs pleriſq; pſalmis, ita in hoc oſtendit octonario planè diuino. Clamaui, inquit, toto pectore. Quid illud? Præuenerunt oculi mei ad te diluculo. Ita ſanè perpetua tenentur cura erga Dei legem, reſq; omnino ſpiritus, ſancti Dei uiri. Et certè ſimulac adeò in immenſum percrebuere in mundo ſcelera, uariaq; crucis genera, oblata nimirum ſponſæ à cœleſti parente, quò antiquũ dediſcat peccandi uſum, in dies emergunt, paſsimq; non modò ab ipſo inuiſibili exagitamur hoſte, ſed etiam à uiſibilibus, illicio ſcilicet uoluptatũ, cupiditatumq; irritamento, corrupto in moribus, in iudicijs, in imperijs orbe terrarũ uniuerſo, ad Deum, ad patrem noſtrî amantiſsimũ uociferandum erit, & id quidem toto corde noſtro, toto affectu, totis animæ, ut ſic loquar, interaneis. Clamant non nunquã homi-

C nes quà cantu, quà luctu: uerùm illis æneum factum eſt cœlum, quia corde neutiquam toto clamant, quia affectu prauo imbuti clamant, quia animo adhærent mundo, natura Dei beneficentiæ ingrato, hoſticq; acerrimo. Ita nunc ferè ſunt res ſpiritus. At quæ ſit tandem uera clamandi ad Deũ ratio, breuiſsima cõmonſtrat uia Propheta, dicens: Iuſtificationes tuas requiram, ſeu cuſtodiã, ut uertit Felix. In ſolerti igitur, uoluntariaq; mandatorum Dei cuſtodia, obſeruationeq;, qua noſtra maximè conſtat religio, ſitus eſt uerus deprecãdi numinis cultus ac modus. Cæterùm quid ſuo in clamore ſpectarit Vates, mox intulit, dicens:

Clamaui ad te, ſaluum me fac, vt cuſtodiam mandata tua.

Equidem difficultatẽ illam, quam in ſeruanda Dei lege nobis effingimus, magis noſtrę adſcribendam eſſe ignauiæ, ac turpi ocio, arbitror, quàm legi ipſi, alioqui uel ipſis pueris obuiæ ac facili: ſed quæ tamen gnauum, continuumq; efflagitat operatorem, non ceſſatorem, ignauumq;, qui intercalaribus (ut ſic dicam) quibuſdam litare ſoleat Deo, tum uotis, tum actionibus, obſeruatorẽ. Et tamen præceptum illud extat Dei inuiolabile: Non recedet, inquit, uolumen legis ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus. Quare Dei lex naturaliter factu neq; difficilis, ſit ardua, ac planè abſq; Dei ope inacceſſa. Idcirco mihi, quantum maximè potero, clamandũ erit: Saluum me fac domine: hoc eſt, à letali hoc meo me aſſerens torpore, atq; animi incogitantia, da uires, quò tuas poſsim cuſtodire conſtitutiones. Quod uerò ad me attinet,

Præueni in maturitate, & clamaui, quia in verba tua ſuperſperaui.

Præueni ante tempus, uertit Euthymij interpres: quod ex hebræo reddi poſſet, maturè. hoc eſt, ante diluculum euigilaui, præueniq; crepuſculum. Verùm unde tam anxia è cubili ſurrectio? quoniã, inquit, ſpes mihi omnis tuis eſſet in polliciti onibus, quas quidem totas noctes ſtertentibus, effœminateue ociantibus,

D nunquam obuenire ſat ſcio. Ad hæc

Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.

Hîc illos admoneri à ſpiritu arbitror, qui etſi noctis uigilias, quę apud Hebræos quadrifariè diuidebantur, anteuertere conſueſcunt, nõ id tamen actitant, quò Dei legi quietius incumbãt, ſed ut ſcelera occultius tenebris obtecti perpetrent, aut ſtudio neſcio quo uano literarũ ſcriptionibus uacent inutilibus omnino, aut etiam, ut ait quidam, rem ſpe lucri auarè admodũ diarijs conduplicent papyris. Præuenerunt, inquit, excuſſo penitus ſomno, mei oculi noctis uigilias (eo tempore conticeſcunt omnia, carnisq; arrogantia acrius refrueſcit, oppugnatq; ſpiritum) ut legis intelligendæ ſtudio nauarem operã, in illaq; intellecta me oblectarem. Igitur quando ſic tua à gratia experrectus clamo & uigilo, tu

Vocem meã audi ſecundũ miſericordiã tuam domine, & ſecundũ iudicium tuum viuifica me.

Valde dubię res ſe noſtrę haberẽt, ſi ex qualitate affectuũ, noſtrũ metiretẽ erga ſe animũ Deus. Ideo cõuenientiſsimũ humanę inuentũ eſt imbecillitati temperamentũ, Dei miſericordia: cuius uirtute ac fauore, noſtrę aliàs reijciẽdę, exaudiunt deprecationes, gratęq; Deo fiũt. Id ſenſit Vates, ubi ſuã audiri uocẽ miſericordię Dei mẽtione facta, orauit dicẽs: Vocẽ meã pro tua exaudi miſericordia, ac ſecundum q tuo ſanxiſti fœdere, ſentẽtiaq; inuariabili pronũciaſti, me recrea. Siquidẽ

Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati, à lege autem tua longè facti ſunt.

Id eſt connaturale nefarijs hominib. ut hoc propius ad ſceleſtas accedant actiones, prauisq; inhæreſcant conſilijs, quò longius à Deo fiunt. Hi legis Dei deſertores appellant, qui adeò interdũ probis infeſti ſunt, ut penè illos capite periclitari uideas. Quod ſanè periculi genus animaduertens Propheta, ſic querit: Mihi, inquit, aduerſantes, nempe homini, ſi non omnino iuſto, at iuſtitiæ nihilominus percupido, quò me ſuis irretiant fraudulentijs, doloſisq; inuoluant machinationibus, propè fiunt. Id' ne mirum? à lege enim tua, quæ ſecus, atque hi agunt, edocet, longiſsimo ſecreti ſunt interuallo. Verùm

Propè es tu domine, & omnes viæ tuæ veritas.

Illi,

A Illi, inquit, tua à lege iandudũ procul abiere, tu uerò prestò illi ades, numine sanè illo efficacissimo, quo animante semper uiuax est ac firma. Nam uiæ tuæ, consilia uidelicet, atq; æternæ tuæ prouidentiæ deliberationes, æquæ omnino sunt, ac ueræ. Compendiũ id quidem est facillimũ inueniendi Dei, illius lex & uerbũ. Haud certè remotissimæ peragrandæ sunt regiones, religionesq; penè innumeræ sparsim per orbem dissemínatæ adeundæ. Siquidem, ut inquit Moses, iuxta te est sermo ualde in ore tuo, & in corde tuo. En domicilium ubi inuenitur Deus, en uerum templum, en fidei doctrina, in qua delitescit spiritus. Et quidem

Initio cognoui de testimonijs tuis, quia in æternum fundasti ea.

Pridem, ait, mihi persuasum fuit de testimonijs tuis, quòd æterno illa stabilita sint abs te consilio. Obserua hîc diuinæ religionis exordiũ, quod est, credere Dei uerbum perpetuò mansurũ: quæ ueræ summa est fidei, qua nixi nullo adeò impetuoso concuti possumus aduersitatũ doctrinarumq; flatu, quin in Dei amore intrepidè perstemus.

Res.

Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.

Suo more interpres humilitatẽ pro afflictione transtulit. Certè, inquit, non est animus tua à religione descíscere. Tu tamen (quis tutus in hoc mũdo?) quę tua est ęqua de omnib. curatio, perpende quomodo periculosissimũ in modũ affligor: uerũ ad tuam iugiter aspicio doctrinã, tantũ abest ut illius immemor uiuã, Ideo

Iudica iudicium meum, & redime me, propter eloquium tuum viuifica me.

Vacillantia plerunq; iudicia sunt hominũ, uiolentęq; suspiciones, ac humanorum affectuũ plenissimæ sententiæ: idcirco de me, ut ab intemperata adigunt infecti cordis libidine, statuunt, sententiasq; pronunciant. Tu, simulatq; ab illorũ tam malè habeor iudicio, meã assere causam, patrocinijq; sume, ac quemadmodum es pollicitus, me in uita serua, tuoq; recrea spiritu. Atqui

B *Longè à peccatoribus salus, quia iustificationes tuas non exquisierunt.*

Ergo sedula, doctaq; legis inquisitio in causa est, quãobrem saluti, uitæq; cœlesti proximiores, q̃ illi, efficimur, qui nunquã, ne per somniũ quidẽ, illius peruestigant mentem, sed uagi semper, atq; ad omnẽ doctrinæ uentũ nutãtes, infirmiori tandem adhærent parti: ut nuper nõnullos ex doctioribus (heu sortem parum fidam hominũ) egisse & uidimus & expauimus. Quid malorũ nostra hæc nõ cernit ætas? quid nõ experitur infortuniorũ? Itaq; in multiplices corruunt errores, labunturq; plerique in turpissimas superstitiones, quòd nõ exquisierũt, aut minus piè Dei iustitiã & religionẽ coluere, ex his etiam qui in suggestis nõ mediocrem sibi compararunt gloriam ac nomen. Procul igitur à peccatoribus semota est salus, quia Dei legem haud perscrutati sunt. Et tamen

Misericordiæ tuæ multæ domine, secundum iudicium tuum viuifica me.

Alibi annotauimus, misericordias in Deo, uarias illius esse miserendi rationes, cùm una tamen sit misericordia. Vnde Paraph. Infinitis, inquit, modis misericors es dñe. Porrò Dei iudiciũ in illius lege cõmendatũ istiusmodi est effectus, ut bonis misericordiã impartiat, ab improbis uerò suaq; sponte malis auferat. Proinde secundũ id rogat se dijudicari iudiciũ, à quo misericordia, unde orit uita animæ, proficiscit. Secundũ, inquit, iustissimũ tuũ iudiciũ uitam mihi elargire. Nam sunt

Multi qui persequuntur me, & tribulant me, à testimonijs tuis non declinaui.

Ex hebræo ferè omnes interponunt, sunt, in hunc modum: Multi sunt qui persequuntur me, & coarctant. Idem Paraphrastes. In alio psalmo sic suum exprimit tum mœrorem, tum periculum: Multi sunt qui tribulant me. Atqui multos istos, quorum iniurijs obnoxia est innocentia, puto illos esse, de quibus sic Salomon: Multi tyranni sederunt in throno. Ait itaq;: Multi omnino sunt, qui me intolerandis propémodũ afficiunt incõmodis, affligunt̃q; supra uires: à tuis tamẽ præceptionib. adeò non discessi, ut in illis quoq; obseruandis totus fuerim. Equidẽ

Vidi præuaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.

C Longè maior eſt dolor, quo afficiuntur electi propter deſertam Dei religionẽ, legemq; contemptã, q̃ quo ipſi particularibus exagitanť malis. Cùm Deum præ omnibus diligant, quomodo ſuper omnia illius non diligent honorẽ? non tutabuntur gloriam? non uel centies pro ipſo occumbent, ſi opus fuerit? Eſto, inquit, irrequietis ueluti gyris in me mala redeant, recrudeſcantq; continuè, quid tum? ſufferenda utcunq; erunt. At cùm uidero præuaricatores iſtos impudentiſsimos tuis aduerſarí monitis, legem abrogare, palamq; perfricata fronte, ſe tuæ religionis hoſtes profiteri, ac tandẽ quęcũq; olim nobis pollicitus es deridere, tunc non ſufferã, ſed doloris immenſitate oppreſſus, reiq; horrore exanímatus, concidam. Idem fermè in ſuperioribus queſtus eſt, dicens: Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt uerba tua inimici mei. Verũ tu tua in me recognoſcens munera,

Vide quoniam mandata tua dilexi domine, in miſericordia tua viuifica me.

En quomodo non líbenter à Dei miſericordía cõſideranda recedit Vates. More, inquit, patrís ſuę prolis amantiſsimi, expectantisq; filij cum hoſte congredientis uictoriã, me aſpice. Vide filij uirtutem, quomodo à præſcripto tuarũ admonitionum non diſcedens, manũ cum truculento animoſiſsimè conſerit inimico. Verùm quò bellum ex animi ſententía finem nanciſcatur, tua mihi præſtò adſit clementia, quæ me recreet, atq; à telis hoſtilibus intactũ ſeruet. Id quidem fore tam perſuaſum habeo, quàm quiduis aliud perſuaſiſsimum. Siquidem

Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.

Caput, inquit, ac ſumma uerborũ tuorũ eſt ueritas: nam quæcunq; promiſiſti, cõſtantiſsimè re præſtãs, pollicitationib. uel ruat æther, felici reſpondes ſucceſſu. In perpetuũ igitur, quemadmodũ ęterno ſancita ſunt tuę prouidentiæ cõſilio, firmataq; iuramento, ita æquiſsimo ponderata iuſtitiæ æquilíbrio perſeuerant. Cæterùm quæ ſint iudicia iuſtitię Dei, in ſuperiorib. expoſuimus: nunc ad reliqua.

D *Schin.*

Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum.

Iam demum cuiuſmodi debeat eſſe timor, quo nonnunq; cõturbarí illos cernímus, qui, quoniã innocui ſunt, improborũ iniurías ſubeunt, aperit Vates. Tametſi, inquit, príncipes, magiſtratus, atq; id genus alij orbis optimates, me uarijs affligant modis, nõ illorũ tamen tam timeo perſequutiones & odia, quàm ne malorum mole oppreſſus à tuis ſecedam uerbis, deficiamq; à fide. Gratis, in hoc loco perinde pollet, atq;, ſine cauſa, nulloq; meo merito. Quæ ſanè dictio magnam præfert in perſecutore malitiã, tum in illo qui patitur conſolationem, cùm abſq; culpa maledictis improborum, principumq; uiolentiæ obnoxius fit, unde infert:

Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa.

A uictore enim multa ui ſpoliorũ impedimentorúmue ab hoſtium caſtris aut arcibus expugnatis direptorũ onuſto lætanteq;, metaphorã eo penè modo, quo Eſaías poſtea, deſumpſit Dauid. Sic ille: Sicut exultãt uictores capta pręda quando diuidũt ſpolia. hic uerò: Aeque enim oblector tuis eloquijs, ac ſolent hi, qui prædam nacti opimã mirum in modum lætitia geſtiunt. Theſaurũ, uertit Campenſis. Sicut, inquit, qui inuenit theſaurũ maximum, ſic ex tuis capio uerbis uoluptatem. Signum porrò id eſt meæ iſtiuſmodi in te obſeruantiæ, quòd

Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum, legem autem tuam dilexi.

Idem planè in alio expreſsit octonario, inquiens: Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Verùm hîc ardentiori uidetur cõmoueri affectu, cùm addit, abominatus ſum, quod idem eſt atq;, faſtidiui ex animo, proq; infauſto habui omine iniquitatem, ſeu falſitatem, ut uertunt nonnulli. Etenim quæcunq; Dei religioni aduerſantur, uana omnino ſunt ac falſa: quæ tamẽ omnia quamlibet difficilia unus deuincit amor, atq; propenſa ad Dei legem uoluntas & ſtudiũ. Quod ex ſequentibus innoteſcit clarius.

Septies, inquit, in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

Septenarius numerus admodum frequens in ſcripturis, Hebræis eſt numerus perfectio-

A perfectionis: hoc enim indefinitã intelligũt multitudinẽ. Quare cùm ſepties hîc dixit ſe laudes Deo celebraſſe, perfectam animi deliberationem, curamq; laudandi Deum præ ſe tulit. Quem ſanè morem, ſanctiſsimũ illum quidem & antiquũ, ſeruant noſtrates clerici, illo oſtendentes numero, ſeſe penitus diuino conſecratos eſſe cultui. Sors enim domini ſunt, non mundi. Quos proinde ſi mundo addictos, libidinibus, uenationibus atq; auaritiæ obtemperare, ut obtemperant multi, uideris, quo appellabis nomine? Illorum horæ, ut uocant, canonicæ, Dei ne erunt laudes? Putant enim penſionẽ illas eſſe pro beneficio, atq; ordine accepto. Vt ita ſit, myſterium tamen non fuit ignorandũ. Vide, te obſecro, quo fine diuinum peragendum ſit officium. Super iudicia, inquit, iuſtitiæ tuæ: hoc eſt, quò æquiſsima iudicia tua, promiſsionesq; in lege factæ, quibus conſtat fides, recentiori ſemper refricentur memoria & cultu, præq; nobis feramus gratum animum atq; coniunctum cum mundanarum rerum deſpicientia obſequium. Nam

Pax multa diligentibus nomen tuum, & non eſt illis ſcandalum.

En finis amoris in Deũ, mentis quies à turbis, ac pax. Certè nõ eſt pax impijs, dicit dominus. Perfectiſsimus is eſt animarũ ſtatus, nihil iam ſentire quod non ſit Deus. Proin clamabat Paulus: Iuſtificati per fidem pacẽ habemus ad Deũ. hoc eſt: Iam noſtræ ſedati ſunt carnis motus illi effrenes, quorũ incendio exeſtuat conſcientia, mens frangit, ac cor multiplicib. dilaniat morſib. Pax igit multa amplaq; illis eſt, qui tuã legem, ut cõuenit, diligũt: hi profectò nullibi impingẽt, uiuentq; tutiſsimi ab offendiculis: nanq; Dei ſemẽ habẽt in ſe inſitũ & inſeparabile. Quòd ſi tamen labi interdũ illos contingat, aut ceſpitare, reuocant illicò: ſiquidẽ peccare neutiq; ſinunt ad mortem, tantũ non longioríb. deſpondeãt animũ periculis, ſed toleranter quicquid ſors tulerit ferant, dicatq; illorũ quilibet cum propheta

Expectabam ſalutare tuum domine, & mandata tua dilexi.

Clamat Paulus à patientia probationẽ gigni, à probatione ſpem, qua nixi, ni-
B hil eſt tam arduum in mundo, quin ob amorem, firmamq; æternorum expectationem, uincamus. Spes, inquit idem, non confundit. Salutare pro ſalute, ſuo more tranſtulit. niſi malis intelligere, ſalutare ad futurum tum quidem Meſsiam retuliſſe prophetam. Sed hæc alij uideant, nos ad inſtitutũ. Tuam, inquit, contentè præſtolabar ſalutem ô domine, utcunq; in longum protraherent improborum iniuriæ, atq; artes dæmonum. Interim uerò à fide iampridem apprehenſa haudquaquã deficiens, tuas ſeruaui præceptiones: &

Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea uehementer.

Anima mea, pro ex animo, diligentiſsimeq; ac conſultò, poſuit. Vnde ſtatim addidit: Et dilexit ea uehementer, nempe teſtimonia ac Dei iuſſa. Idcirco idem fermè replicat, atque quò tam ſalutaris nos moneat doctrinæ, impingit penè nobis, dicens:

Seruaui mandata tua & teſtimonia tua, quia omnes uiæ meæ in conſpectu tuo.

Sanctiſsima profectò Vatis confeſsio, ac laude digna: quandoquidẽ Dei donа conniuenti minimè iudicio in ſe conſpiciens, omniũ actionum ſuarũ notionẽ illum habere confitetur. Omnes, inquit, uitæ meæ rationes tibi ſunt notæ. Et eſt idem ac ſi diceret: Quoniam id mihi ſemper perſuaſum fuit, te præſente, intuentеq;, me omnia, quæ ago, agere: ideo ſeruaui mandata tua, metu nimirum ac reuerentia illa motus, qua erga parentes filios decet permoueri.

Thau.

Appropinquet deprecatio mea in cõſpectu tuo domine, iuxta eloquiũ tuum da mihi intellectũ.

Orat hîc rurſum Vates legis ſibi cognitionem impartiri, ſubindeq; ſe ab improborum iniurijs, quò liberè in celebrandũ ipſum benefactorẽ poſſet incumbere, liberari. Arctatur utique anima modo neſcio quo infelici, cùm in dæmonum, nefandorumq; hominum inſidias, uel inuita reluctansq; inciderit, delabiturq; imprudens quotidie. Quàm uellet in illum, quem unicè deamat, ullo abſque impedimento poſſe auolare: quàm ardenter id optat. Verùm ſuo plerunque fru-

C ſtratur tum nixu, tum deſiderio, cùm illud noſtris omnino ingeneratum ſit ſenſibus, ut perpetuò ſpiritui contradicant, impediantq́ quantum poſſunt, uirtutum iter. Hinc ideo crudeliſsima illa inter humanã rationem ac mentem, portionem utiq́ diuinã, exoritur pugna, itaq́ pertinaciter inter ſeſe confligũt, ut cui interdũ is det palmam, qui iſtiuſmodi miſerabilem experitur congreſſum, ignoret omnino. Tamen id iucundiſsimum diuinis eſſe ſolet oculis ſpectaculum ac certamen, ſuosq́ hiſce indurare conſueſcit milites controuerſijs æternus pater. Tantùm illud ſuo à milite expetit, ne à fidei monitis, à quibus tota victorię dependet ratio, etiam cùm ſuccumbere uideatur, mentem auocet. Atq́ ea eſt cauſa, quamobrem toties in hoc pſalmo de Dei lege mentionem facit Propheta, qui periculoſiſsimi nequaquã immemor huiuſce generis certaminis, in quo animæ, nõ corpora, uulnerantur: non immemor, inquã, quàm impares omnino ſimus uiribus, uelle cum tam diro hoſte, ut noſmet ſumus, cõgredi, ad ſolitum ſemper recurrit ſuffugium, nempe ad Deum, qui pro agonotheta harenæ præſidet, ut in huius ſtatim octonarij exordio uidere licet. Clamor, inquit, meus, & deprecatio, ſeu, ut uertunt, lamentatio mea, alioquin tua indigna auditione, coram te fauorem nanciſcatur: ne illam quidem refutes, obſecro, auerſerisq́, ſed tibi tanq́ res non omnino odioſa, fiat proxima, admittaturq́ abs te ô clementiſsime: nanq́ illius id eſt conſilium, ut uerborum tuorum intelligentiam aſſequatur. Quocirca

Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo, ſecundum eloquium tuum eripe me.

Vide quomodo ſuis in petitionibus Propheta ferè Deum à pollicitationibus in lege factis urgeat, cogatq́ penè ad ferendas ſibi ſuppetias. Penetret, inquit, ad te mea uſq́ deprecatio, atq́, ut non ſemel pollicitus es, me à malis hiſce innumeris aſſere. Tunc quidem

Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me iuſtificationes tuas.

Commodo ualde uſus eſt uerbo, Eructabũt: hoc eſt, etiam nolens in tuas pro-
D rumpam laudes. Labia mea, ſchemate hebræo, pro ore uſurpauit. Paraphraſtes ſimpliciter reddit, Loquentur labia mea laudes tuas. Idem Felix. Obſeruandum hîc eſſe arbitror, quomodo ad diuinas proferendas laudes, quæ uerę laudes ſint, neceſſaria omnino uideatur ſacrę legis doctrina. Vbi, inquit, tu uim legis aperueris, edocueriſq́ omnia illa, quæ tuis in prȩceptis inquirenda ſunt, tunc labia mea hymnum, ſacrumq́ tuo depromentnomini panegyricum. Tunc, dico,

Pronunciabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas.

Expende ut intellectis uerbi Dei myſterijs, perſpectaq́ Dei uoluntate in lege, tota exhilareſcit anima, geſtitq́ tripudio in Deo. Non contenta enim dixiſſe, Eructabunt labia mea hymnum, mox addidit, Pronunciabit, hoc eſt, ut interpretatur Paraphraſtes, cantabit lingua mea uerba tua. Imò uerò etiam alijs, quò tua ſublimius extollatur gloria, quod mens tuo à ſpiritu hauſit, pronũciabit, diuulgabitq́ omnibus. Siquidem iudicia tua, quorum moderationi dicto parent uniuerſa, iuſtiſsima ſunt. Non ſanè mediocre id eſt donum Dei, cùm de lege quis interrogatus, aptè, cõmodè, doctèq́, ac cum percunctantis utilitate, Deiq́ honore, quæ uera ſunt legis ſenſa, tanquam ſcriba in regno Dei doctus, proferre nouit.

Fiat manus tua vt ſaluet me, quoniam mandata tua elegi.

Manus domini in ſcripturis prȩterquã quòd robur ſignat, auxilium quoq́, fortitudinem, autoritatem, maieſtatem, ut hîc mihi uidetur, denotat. Et eſt perinde quaſi, autoritas tua illa, maieſtasq́, qua cuncta perterrefacis condita, auxilio mihi ſit ut ſaluus ſim. Mandata quippe tua, poſthabitis mundi curis, elegi, utq́ meæ ſint, uſquedum uixero, delicię decreui. Ego quidem

Concupiui ſalutare tuum domine, & lex tua meditatio mea eſt.

Et lex tua delectationes meæ, uertit Felix. Vtraq́ lectio legis Dei ſtudioſis mirificè conuenit. Nam nõ tantùm continuam à nobis poſtulat exercitationem lex Dei, quantum in exercitatione uoluptatem ac mentis gaudium, quod ab amore proficiſci non neſcimus. Deſiderio, inquit, mirabili tuam nanciſcendi ſalutem,

A tem, affectus fui, ſubindeq; lex tua ingenti mihi fuit uoluptati. Hanc ſanè plus quàm delicias mundi uniuerſas, uel à puero concupiui. Ergo

Viuet anima mea & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.

Omnes ferè ex hebræo uertunt, Viuat anima mea. Vnde ſic Paraphraſtes: Viuat anima mea, ut laudibus extollere poſsit te. Id dicit Vates, quoniam maximũ præſe antè tulerat deſiderium ſalutis: & ne appetentia illa manendi in uita ſuperuacanea, parumq; firma de cœleſtium rerum ſtatu perſuaſio uideretur, cauſam at texuit, dicens, ſè in uita manere idcirco optaſſe, quò diutius Dei nomen laudare ſibi integrum eſſet. Quod quidem contingere poſſe minimè addubitabat, ſimul ac Dei iudicia in lege condita ſibi fore præſidio non diffidebat. Iudicia, inquit, tua, quibus uniuerſa tuis affatim exornantur beneficijs, mihi robur addent. Mihi, inquam, qui

Erraui ſicut ouis quæ perijt: quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.

Is error, ut eſt doctiorũ ſententia, etiam in optimis inuenitur animis, qui cùm nonnihil interdum à propriis raptentur affectibus, quibus impellentibus labuntur ſæpenumero, ipſa quoq; contradicente mentis lege, errare ſine dubio dicunt à Deo, nõ ſecus ac ſolent oues à grege, remiſſa parumper cuſtodis curatione & ſedulitate. Verùm ab illorum memoria, quæ in Dei mandatis continentur, nõ procul errant: imò uerò ipſis obiurgantibus, aſsidueq; ob oculos uerſantibus, retrahentibusq; uoluntatẽ ab obfirmato mentis propoſito, peccant. Proprium id eſt hominis iuſti, ui inuita animi peccare. Quocirca in pſalmi fine, quaſi omnium quæ hactenus in toto pſalmo dicta erant, epiphonema ſubnectens, ait: Et legem tuam non ſum oblitus, etſi toties, tanquam ouicula errabunda, uiſus ſim à paſtore negligi, atq; propterea interire. Quod ne accidat, tu per loca deuia & ſolitaria deerrantem ſeruum tuum require, repertumq; ad gregem reliquum, quæ tua eſt
B æterna erga errantes uigilantia, mina. Cui laus ſit in ſecula ſeculorum. Amen.

Canticum graduum. PSALMVS CXX.

AD Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me.

Si uellem quidem cunctas omnium opiniones interpretum, ne dicam commenta, recenſere, quibus pſalmi huius, cæterorumq; ſequentium titulum enodare conantur, non ſufficeret ætas, adeò multa ſunt, uaria, planeq; incerta. Quare, ne in dubijs immoremur, ſimpliciter fatendum eſſe arbitror, ſingulos hoſce pſalmos, gradus eſſe ſingulos, quibus facilè uir ita, ut hi docent, affectus, ad æternum Dei templum aſcendere eſt potis: quanquam Abram Ezra modum in huiuſmodi, ut ſic dicam, climactericis pſalmis canendis, quendam fuiſſe autumet, quò uox gradatim à cantoribus eleuabatur. Res enim prorſus latentes in interpretandis rebus ſacris omittendæ ſunt, ne dum ſcientiam in omnibus oſtentare cupimus, ignorantiam noſtra ipſa præſumptione prætendamus, atque è bonorum interpretum theatro ac cœtu explodamur irriſi. Plena prima in hoc gradu ſcalari anxietatis eſt querimonia, qua uir ſanctus, ab improbis ui omnia atque aſtu conuolui expoſtulat, nec niſi maximo cum mœrore à cœleſti patria exilium tolerat. Cùm ualde, inquit, tribularer, clamaui ad Dominum. Cur non ad homines, quæſo? quia imbecilles, quia uana ſalus hominis, quia facilè à promiſsis cadunt. Verùm alij interim innumeras ſuorum ciuium tribulationes defleant, uel quibus inuerſa iam temporum uiciſsitudine atque ordine, atteruntur fata, deuaſtanturq; uineæ, ac ui imbrium & tempeſtatum, frondibus denudantur ſyluæ: uel eis quidem, quarum atrocitate adeò exactionibus, decimis, grauiſsimisq; affliguntur uectigalibus, & ciues & clerici, ut uix reſpirare liceat. At ego illas ipſas profundiori cogitatione uerſare animo ſoleo, quæ à nobis potius fidem, iuſtitiamq; & charitatem, longè perpulerunt & abiecerunt. Hæ ſunt ſanè tribulationes, hi ictus, hæc uulnera, quæ mi-

C ſerandum in modum animas diuini honoris ſtudioſas exulcerare ſolent. Felix ſic reddit: Ad Dominum in tribulatione mea clamaui, & reſpondit mihi. hoc eſt, uotis meis annuit. Non poteſt enim anima diuinę beneficentię haud immemor, nō tota fide ac ſpe clamare ad Dominum, ſimulac nouit ſe aſsiduis monitis à cœleſti patre ad huiuſce generis clamorē excitari. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Idcirco uates quidā ardens ſic orat: Domine Deus Iſraël, anima in anguſtijs, & ſpiritus anxius clamat ad te: et exaudiuit me, ait. Hoc grati animi in Deum proprium eſt, ut in mediſs ipſis quoq; doloribus & cruciatibus Dei beneficia cognoſcat, & fateatur. Nec ſanè mirum: nam cùm nobiſcū in tribulationibus ſe fore pollicitus eſt Deus, quæ tam uehemens dolorū, aut anguſtiarum procella nos à recto probatæ uitæ ſtatu deijcere iam erit ualida? Cū ipſo, inquit, ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.

Hîc mihi uates eorum morem ſeruare uidetur, qui cùm anguſtiarum & uulnerum quoq; aceruum, uniuerſali quodam modo enarrare occeperint, ea tandem quæ magis premunt, & quę maiorem cōmiſerationem mouere poſſunt, per partes cōnumerant. Inter cætera enim, quę ualde hominum tranquillitati officiunt, ciuesq; mutuis inter ſe odijs deſæuire faciūt, id unum potiſsimum eſſe iudico, atque, ut quod ſentiam eloquar, experior, cùm linguis peruerſorum ciuium à principe potius, & magiſtratibus, quàm bonorū integritati ac candori præbeē fides. Solent enim illi, ſi quos cernunt ſuas ſecū res agere, atq; in his uerſari, quæ ad pacem, ad modeſtiā, ad religionem attinent, mordere, carpere, adlatrare, quantūq; in ſe eſt, à propoſito retrahere: quo quidem malo, aliud' ne uiro optimè inſtituto grauius accidere queat, neſcio. Porrò à labijs iniquis, linguaq; doloſa ſe eximiro gat uates, pro ab hominib. iniquis, blaſphemis, malorumq; inuentoríb. & delato
D ribus, atq; ab ijs quidē, quos duplices & ſimulatores appellare ſoliti ſumus: hos enim ab apoſtolo importunos dici legimus. Orate, inquit, ut liberemur ab importunis hominibus.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs.

Felix ſic: Quid dabit tibi, aut quid addet tibi lingua fraudis? Paſsim enim à ſanctiſsimo uate uirtutum emanare exempla cernimus. Poſtquam à labijs ſeſe malignis & mendacibus liberari petierat, oblocutores ad ipſos ſermonē uertit, eosq; amantiſsimo hortatur affectu hoc modo: Quam tua tibi utilitatem afferre poteſt ô maligne, peruerſitas? quid fraus? quid mendacia illa, uenenataq; linguæ iacula, quæ in ciues innocentiſsimos intorques, utilitatis & cōmodi ſecū ferunt? nullum enim cum hoc comparandum tormentum: ſunt ſanè, ut cętera eorū incommoda omittam, ſicut ſagittæ acutæ à ualidiſsimo uiro cōtortæ. Memini equidem hominem admodum mihi neceſsitudine familiari coniunctū, à nonnullis obtrectatoribus ualde exagitatū, peneq; à probitatis itinere, propter calumniarū acerbitatē delapſum: quem quidem cùm ad ferendas huiuſmodi impudentes beluas æquo animo adhortari uellem, reſpondit: O amice, quod maius, periculoſiúsue malum ad iſtud, quod à doloſis linguis patior, addi poteſt? quid tantū meam cordis tranquillitatem perturbat? quæ res alia tam dira? tam ſæua? tam mundo inſolens, atq; monſtroſa, quæ ſic meum intercipere curſum ſit ualida, uti ſunt fraudulentorum linguarum & tela, & ſpicula? Sagittæ ſunt nimirū acutiſsimæ, quæ eo uulnus altius infigunt, quo à ualidiſsimo fortiſsimi uiri brachio iaciuntur. Quid? ſunt ſanè ueluti carbones ignei, cuncta circumiacentia perurentes ac deuaſtātes. Ad hanc enim, fateor, amici querimoniā, ego qui cum illo eadem in naui me tūc eſſe non ignorabam, prorſus obmutui. Ex hebręo pro, cum carbonibus deſolatoríjs, ut carbones iuniperorū legunt: & eſt ſenſus, quòd lingua fraude ac dolis inſtructa, ſagittę comparabitur acutiſsimę, necnon ardentibus iuniperorum carbonibus omnia peruaſtantibus, & quidē diutiſsimè. Aiunt enim eiuſmodi ligni prunas

A nas uehementius q̃ cæterę, tum urere, tum ignem cinere contectas diutius ſerua re. Mirum quam magnam ſyluam, ut diuus ait Iacobus, incendit linguæ ignis. In ipſa enim, inquit, eſt uniuerſitas iniquitatis, quæ inflammat rotam natiuitatis no ſtræ. Verùm ſi ſapimus, ſimul ut uirum doloſum, ut alio in pſalmo legimus, abominatur Dominus, haudquaquam deſperandum erit.

Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Kedar.

Felix, atq; adeò cęteri Hebræorũ interpretes ſic reddũt: Hei mihi quia incola fui Hetruriæ, ſeu quòd uerſor apud Meſech, habito cũ tabernaculis Kedar, uel, cum tentoriis Scytharum. Nec ſanè mirũ eſſe debet, ſi unus Hetruriæ, alius uerò Meſech meminit. Is enim filius Iaphet Noæ filij fuit, à quo quidẽ Tuſcos originem traxiſſe affirmãt. Kedar aũt Iſmaëlis filius fuit, Abrahæ nimirũ ex Agar filij, à quo Agareni, ſeu, ut nos appellamus, Saraceni, gens quidẽ fera, ac nemini amica, ortum habent. Cæterũ Tuſcorũ gentem, barbarã, truculentiſq; Arabibus ac Scythis perſimilem moribus, Dauidis tempore fuiſſe iudico, modò uerò aliter. Vult igitur uates, fraudulentos homines & bilingues, exilio illi ſimiles eſſe, quo à dulci patria quis extorris, inter Iſmaëlitas, hoc eſt, inter barbaros, & hos quidẽ immanes, inhoſpitæq; conſuetudinis homines uiuere cogit. Atqui mos idem fermè nunc eſt, ut ſi quãdo inter perfidos, nulliusq; religionis uiros uitã degere contingat, nos inter Arabes & Turcas eſſe, & cõuerſari queramur. Quanq; eos ipſos barbaros atq; infideles, ſuum interdũ ſanctius Mahumetẽ colere, eiusq; legem, quãuis impiã & ſceleſtã, magis ad amuſsim ſeruare conſpicimus, q̃ nos ſanctiſsima noſtra inſtituta, ac religionis plena. Agedũ ubi iam, aut in qua orbis ſede & regno tam à nobis remoto aut ſecreto, nõ purius, ſynceriusq; interdũ pacta inter ciues, cõuentaq; ac fœdera ſeruari uidentur, q̃ in quibuſdam rebuſpub. atq; urbibus ex noſtris? A quo enim Getulo, aut Garamante minor interdũ expectanda eſt charitas & dilectio? quis tam ſæuus? tam barbarus? tam inhumanitatis expers
B Arabs eſt, qui adeò ardenter ſuorum ciuium ſanguinẽ, fortunasq; ſitiat & deprædetur, quemadmodum nos noſtrorum fratrum, & eorum quidem, qui nobiſcum unà è cruento Chriſti latere epotantur, cruorem, famam, honorem, facultates, uitam deniq;, & ſitimus, & crudeliſsimè depopulamur? Audiſtine unquã ab ipſis immaniſsimis Anthropophagorũ antris tam impia aliquando prodijſſe iudicia, aut pœnas, ut à quorundam iudicum roſtris, aut rotis interdum Chriſtianorum & prodeunt, &, ui legibus iniecta, erumpunt? Quid igitur eiuſmodi uiuendi mores pluſquam Kedarinos & barbaros appellare nos uetat?

Multum incola fuit anima mea.

Conqueritur uir iuſtus in hoc hemiſtichio ſeſe diutius elongari à Domino, fateturq; ſe hoſpitẽ ac peregrinũ eſſe ſuper terram: quemadmodũ de priſcis illis Iudæorũ patribus aſſerebat Paul. qui ad Hebr. ſcribẽs, ſic ait: Promiſsiones à longè aſpicientes & ſalutãtes, confitebant quia peregrini ac hoſpites eſſent ſuper terrã. Vide q̃ diſpari uolũtate, noſtra cum ſanctiſsimis illis uiris conueniãt & ſtudia & deſideria. Illis enim nihil optabilius in primis uidebat, q̃ diſſolui & eſſe cũ Deo: nos contrà lamentamur tam breuẽ hanc eſſe uitã, quã quidẽ, ob fidei carentiã, nõ peregrinationẽ aut incolatũ, ut illi, nuncupandã ducimus, ſed patriã, ſed domũ, ſed certã ſedẽ, ſed regnũ. Quomodo, quæſo, cœleſtis patriæ amantiores nos eſſe iactabimus, cũ interim uita ipſam & moribus, ne aſſequamur, cõtendimus? Certè ciues, ſi uerè ciues ſunt, ac dici uolunt, nil tam optãt, quàm ut uiuant in patria.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.

Felix ſic hunc legit uerſum cum ſuperiori: Quamplurimum habitauit anima mea cum odio habente pacem. Et mox alium reddit hoc modo: Ego pax, & cùm loquar, ipſi ad bellum. Anima enim tranquillitatis appetentiſsima, ſe nimiũ diu inter doloſos, atq; eos quidem qui pacis bono aduerſantur, detentam queritur. Nihil, ait, unquam tam anxiè deſideraui, quàm cum omnibus pacem habere: uerùm non ſic ab alijs mihi eſt repenſum. Siquidem cum diſsidiorum concinnato-

C res ad pacem animare ſatagerẽ, illi è contrario magis ad bellum incitabant. Ego pax, hoc eſt, ego totus paci addictus, cùm ea quę ad pacem faciunt loquor, illi ad bellum ſtatim, ad ingenium, ad antiquas rixas, ad diſcordias redeunt. Quem ſanè ſenſum ita exprimit Paraphraſtes: Longa, inquit, uidetur animæ meæ mora, quia inuitus detineor inter eos, qui pacis ſunt oſores, adeò ut cùm paci totus ſtudeo, & quæcunq; ad pacem faciunt loquor, illi hoc ipſo ad bellum excitantur. At que hic tandem unum huius uariæ lectionis ſenſum atq; intelligentiam habes: qua quidem deſcribitur, quamplurimos eſſe diſcordiarũ fabricatores, pacis uerò perpaucos, & hos deriſos, prorſuſq; inauditos. Verùm an aliud tam euidens perfectionis ſignum in uiro iuſtitiæ illius ſtudioſo, quam diffiniunt eſſe totius bonitatis cumulum, uideri queat, neſcio, cùm plurimis laceſsitus iniurijs, ac, ut ſic dicam, obrutus multorum calumnijs & inimicitijs, perſtat immotus, nec à pacis ſtudio, ne tantillum quidem, aberrat. Sed illos mortalium omnium miſerrimos eſſe iudico, qui non ſolùm perpetuo uitæ tenore pacis oſores ſunt, uerùm propterea, atque ob id potiſsimum hoſtes ſe eſſe pacis profitentur, quia qui eos ad pacem ſe ctandam admonent, atque exhortantur, minimè deſunt: maliq; omnino ſunt, quia alij boni.

Canticum graduum. PSAL. CXXI.

Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.

Vnus is eſt præcipuus conſolationis neruus ac robur, animam cum tribulationum aceruo conflictantem, ſeſe totam, humano quantum licuit pertentato ſolatio, ad diuinã implorandã opem conuertere. Cum ignoremus, inquit rex ille, quid facere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te Domine. Data eſt enim homini ratio atq; intellectus, ut eorum ui & perſpicacitate inſtructus, illa facilè, quę ſibi in pertractandis
D rebus corporeis aduerſantur, præuidere antequam accidãt, ualeat: ſubindeq; terrenis adminiculis ac preſidijs, aut fortiter tolerare poſtquam acciderint, aut ſuperare omnino. Quòd ſi tamen adeò acerba ſunt, ut in illis ſubiugandis nulla ſuppetat aut ratio, aut conſilium, ut nunc pleraq; in mundo fieri cernimus, ad diuinum confugiendum eſt auxiliũ: quanquã ne in illis quidem humanæ induſtriæ conatibus, flectendi ſint à cœlis oculi, ne abſq; ſuperna luce noſtram eſſe aliquid uel artem, uel induſtriã arbitremur. Montes cœlos dicit, quos alio in pſalmo clarius nominat, cùm ait: Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis. Non mediocre enim deuoti animi indiciũ eſt, non paruumq; mentis illuc trahi cupidæ, quò totum cordis affectum & deſiderium direxit, argumentũ, corporeos quoq; in cœlos attollere oculos, nedum gemitus & ſuſpiria. Quare ſummæ deuotionis ac fidei uerba hæc eſſe exiſtimo. Verùm Paraphraſtæ litera me alium, ab hoc quem diximus, ſenſum intelligi admonet. Circumferebã, inquit, oculos meos ueluti ſtans in monte, ſicunde forſan uiderem ferri mihi ſuppetias: ſed deprehendi nullum mihi ſperandũ eſſe auxiliũ niſi à ſolo Domino. Idcirco à uate id puto additũ: Auxilium meum à Domino. Sumpta nimirum ſimilitudo ab illis uidetur, qui auxilia expectantes, è locis æditioribus, ut ſolent exercituũ excubitores, an iam demum aduenient, ſpeculant. Hiſce enim uerbis uoluit Pſaltes ignauæ animæ oſci tantiam pungere, quò, quàm anxiè petendũ ſit à cœleſti patre auxilium, nõ ignoret. Alioqui aut raro, aut nunquam, ſtertenti animæ atq; ſupinæ, diuinas gratias contingere credimus.

Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.

Vide uirum undequaq; ad amuſsim compoſitum, atq; in negocio ſpiritus probè eruditũ. Vide, inquã, quomodo ſeipſum, pro ſe, in propria cauſa, uas, fideiq; iuſſor factus, conſolatur dicens: Auxilium meum à Domino, id certò ſcio mihi non defuturũ. Fallat me homo, ut natura eſt fallax: mihi imponat, meisq;, quod aiunt, in manibus inuertat aleas, nõ multũ moror, poſtquã perſuaſiſsimũ habeo,

auxilium

A auxilium omne meum à Domino, haud illo ſanè debili atq; inerti, ſed potentiſsimo, & eo quidem qui cœlum terramq; condidit, breui affuturum. Non abre certè uates in hoc loco tam nobilis, atq; adeò potentiſsimi opificis & cõditoris mentionem facit: nam diuinę potentię memoria ſępius refricata, in ſpe firmius ſolidamur, nec facile ad adorandam, ut nonnullos facere uidemus, humanam opem, infidelem ſcilicet, ſuiq; diſsimilem, & nutantẽ, deſcendimus. & eſt perinde ac ſi dicat: Ille qui tam mirabile fabrefecit ædificium, idemq; ſapientiſsimè gubernat & moderatur, mé ne minimã mundi portionem ac uilem, nõ poterit à periculis eximere? Cæterũ per cœlum & terram, cõdita omnia, ſiue cœleſtia, ſiue terrena ſint, intelligi oportet, quemadmodũ illud in Geneſis exordio ſancti Dei uiri interpretati ſunt: In principio, inquit Moſes, creauit Deus cœlum & terram. Quocirca ô tu qui in arduo uirtutũ exercitio uerſaris & ſudas, ne animum deſpondeas: nam is tam potens Dominus,

Non dabit in commotionem pedem tuum, neq; dormitabit qui cuſtodit te.

Hoc eſt, nõ dabit ad lapſus, non permittet tuos affectus, tua uota, tua conſilia labi: nõ ſinet te in iuſtitię ſemitis uacillare aut deficere. Non ſanè putes aſpernandi eſſe periculi, uel parum in ſalutis itinere lapſare, pedemq; à loco mouere. Pes enim noſter, aut affectus, aut ſtudium, aut conatus, ni ui ſumma ad anteriora nitatur, facilè relabitur, atq; à iuſtitiæ theatro turpius diſcedit, quàm ſi tam altam prouinciam nunquã pertentaſſet. Tantum enim abeſſe debet, ut perfectionis apex ac culmen ſomniculoſis, tardisq; in uirtutũ adeptione dari exiſtimetur, ut etiam datum adimatur. Non dat igitur Deus, nec ſinit ſuorũ pedes, hoc eſt, animæ motus, atq; appetentias & affectus in bonitatis ſtudio labaſcere, modò ipſi ſibi non deſint, modò præparatam ſibi ab æterno prędeſtinationem, ſanctiſsimis ſtudijs, atq;, ut diuus admonet Auguſtinus, orationibus adiuuent. Nõ dormiet certè qui cuſtodit te, modò tu nõ dormias, modò tu te cõtinuò excites, atq; ad capeſſendũ
B quod reſtat itineris, recentiori ſemper exercitio & labore nitaris. Quid dubitas?

Ecce non dormitabit, neq; dormiet, qui cuſtodit Iſraël.

Amplificatio hæc eſt, cuius is erit ſenſus: Dominus enim qui populum ſuum uigilantiſsimè tutatur, non dormitabit: hoc eſt, ne leuiter quidem ſoporabit, multo minus ſomno detinebit profundo. Quanq; paraphraſtes inuerſa litera ſic reddit: Profectò, inquit, neq; dormiet unquam, neq; uel leuiter obdormiſcet, qui curat Iſraëlem. Deus enim ſe amãtes, ea ſolet diligentia cuſtodire, perindeq; tutari, nulla ac ſi alia detineretur cura. Certè cùm hominis ad præcipitia procliuitatem, properantiamq; conſidero, contrà uerò continuam diuinę bonitatis cùm cogito protectionẽ, atq; à lapſibus reparationẽ & tutelam, phreneticis ſtatim mihi occurrit ſpectaculum, in quo miſerum illum uidere uideor modis omnibus ſeſe à rupe aliqua æditiori, aut ripa, in amnem profundiſsimum præcipitare conantem, à tergo aũt parentẽ, uel amicũ aliquẽ ui ſumma, curáue difficili & nixu illum retrahere, rogare, cogere tandẽ, atq; in tutiori ſede locare. Quare hîc Deum totũ in curandis ſuis intentũ eſſe, puto uatem huiuſmodi uerborũ ardore uoluiſſe exprimere:

Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam.

Ex hebręo enim ſic poteſt legi: Dominus cuſtos tuus, Dominus umbra tua, ſuper manum dexteræ tuæ. Quocirca ſic reddit Campenſis: Bono animo ſis, Dominus curat te, & tua: erit inſtar umbraculi tibi, ad dexterã manum adſtans aſsiduè. Mos eſt enim inter homines, ut ſi quãdo rem aliquã præſentẽ dicere uelint, ad manũ eam eſſe dicant. Quo quidem uerborũ tropo, diuinũ uult uates intelligi patrocinium ſemper, atq; adeò ſuis præſens, uti res illæ ſolent, quæ nobis præſtò ſunt, ac ad manus. Verùm cùm hæc ſcribo, alius mihi occurrit ſenſus, ut ſit Dominus noſtri haud uulgaris & cuſtos, & tutor, qui nedum quidem uniuerſali quadam cuſtodia ac tutela, ſed ſpeciali prerogatiua & cura, ſuper manum ſuorũ dexteram conquieſcat: hoc eſt, ne uulneretur protegat, atque inſtar umbraculi refrigeret. Hincq; illud hîc fingi poſſe arbitror, ut ſint qui ſpirituali in acie dimicãtes,

C mutuis ſeſe ad Deo fidendum, alter alterum, uel ſeipſos etiam moneant adhortationibus, hoc modo: O anima quæ in belli æſtu ac feruore periclitaris, deq; tua ſalute trepidas, ne time: Dominus enim, ne tua lædatur dextera, hoc eſt, ne tuę deficiant uires, atq; in labore prælij nimiũ defatigeris, & pereas, præſtò ad tutelã aderit. Ipſe quidem & ictus, & uulnera pro te, tanquã ſocius latus tuum dexterum cingens, quò prior ſe periculo obijciat, ſuſcipiet. Nam certè pugilis dextera in duello uulnerata, ut olim Venerem à Diomede uulneratam fabuloſus refert Homerus, certiſsimũ mortis indiciũ eſt. Quo enim alio ſe membro tutabitur pugil, aut miles? quo'q; alio uibrabit enſem, aut iaculum intorquebit, dextera ipſa ad huiuſcemodi uſus inſtructa, hoſtili uulnere ſauciata? Vide igitur quàm flagranti affectu diuinam opem nunquam ſuis, eo maximè tempore & loco, quando maximè opus eſt, defuturã, enarrat Pſaltes. Quid, oro, timendum, cùm ipſe Dominus pro nobis in acie dimicans, primas ſibi belli partes uendicat, nos'q; à telis hoſtiũ certius protegit, atq; umbra ſuæ ſanctiſsimæ conſolationis refrigerat & refocillat, quàm nos ſolet dextera, quamuis prompta atq; agilis, tegere & tutari?

Per diem ſol non vret te, neq; luna per noctem.

Sub nomine diei, noctis, ſolis, lunę, atq; exuſtionis, narrat uates Deum, quem in ſuperioribus cuſtodem, protectoremq; nuncupauit, mala omnia futura à ſuis depulſurum, quocunq; tempore accidant. Verùm quia lunam urere non facilè admodũ dicimus, litera quæ eſt Hebræis aptius hîc poni uidetur. Die, inquit, ſol non percutiet te, & luna nocte. Quorum quidem uerborũ ſenſum ſic à paraphraſte accepimus: Hoc umbraculo fiet, ne ardor interdiu lædat te, neq; luna frigore noctu. Non ſemel enim in ſcripturis, perſecutionum tempus ac rabiem, æſtu meridiano, aut frigidis lunæ radijs, deſcribi legimus. Ni quidem obice aliquo intermedio, uel huius algorem, uel illius peruſtionem deuitauerint, utrunq; tempus aſſerunt mortalibus ualde noxium eſſe ac periculoſum. Hoc ferè modo ad res no
D ſtras ſe habet diuina bonitas. Ipſa enim miſeris, atq; ærumnoſis, nõ minus cùm in perſecutionum igne, aut miſeriarum frigore uolutantur, eſt refrigerium ac medela, quàm olim fuit Hebræis in ſolitudine peragrantibus columna nubis interdiu, atq; ignis noctu. Porrò ſi quem diuinæ conſolationis luce afflari contigerit, ne nimiũ, ſi ſapit, inſoleſcat, tutúmue ſe exiſtimet, dicens: In abundantia mea non mouebor in æternum. Rurſus uerò ſi nox perturbationum obſcura, tetra'q; aduenerit, aut luna radijs illis ſuis malignis infidelitatis eum attigerit, ne, quęſo, à fiducia in Deũ cadat omnino, aut deſperet: ſed magis, Deo ipſo cuſtode, atq; amico, neq; tentationum ardorem, neq; diffidentiæ frigus & algorem ſibi officere poſſe arbitretur. Eſt & alius ſolis ardor eo nocentior, quo temperatus magis apparet. Perfuſa enim interdum anima luce quadam inſueta, cõſolationis'q; guſtu ac ſuauitate affecta, ni prudens ſit, & grata, facile in id impietatis corruit, quòd cœleſtes illiuſmodi afflatus ſibi, propter ſuam iuſtitiã, &, ut uocant, deuotionẽ tribui opinetur, uel eò maximè, ſi in aduerſitatũ acerbitate poſita, lunam perſpicuè per noctem lucere, hoc eſt, ſi ſe ſentit uiuidã, robuſtam'q;, ac planè non aliter in afflictionibus & uiuere, & lætari, quàm ſolet in igne Salamandra. Quæ quidem omnia periculorum genera iuſtiſsimus ille Iob aduertens, de ſeſe hoc modo teſtabatur: Si uidi, inquit, ſolem cùm fulgeret, & lunam incedentẽ clarè, & lætatũ eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manũ meam ore meo, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſsimum: hoc eſt, ſumma omnium iniquitatum ea eſt, ſibi aliquem, ſuis'q; operationib. quod ſolius Dei eſt, impendere, atq; adblandiri. Ab hoc igitur periculoſiſsimo omniũ naufragio, ni ſeruet Deus, aut tum æſtum illum refrigeſcere, tum frigus incaleſcere faciat, tuti eſſe omnino nequeunt uel ſanctiſsimi quidem uiri. Idcirco à propheta neceſſaria admodum ſcitu infertur aſſertio, atq; oratio.

Dominus, inquit, *cuſtodit te ab omni malo, cuſtodit animam tuam Dominus. Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vſq; in ſeculum.*

A Vide quomodo dulciſsimum cuſtodię nomẽ dulciſsimus inculcat uates, quò tandem tua bona omnia diuinæ bonitati referre perdiſcas: ſiquidẽ, ut alio in pſalmo aſſerit, Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilat qui cuſtodit eam. Dominus igitur eſt qui cuſtodit te. Dominus, inquam, eſt (quid uereris?) qui cuſtodit animã tuam, ſeu uitam tuam, ne carni inſeruiens, unà cum carne intereat. Per futurum enim legunt Hebræi, cuſtodiet. Cæterùm ex interpretibus hebræis, aliquibus uiſum eſt in hoc loco, per introitum atq; exitum negocia, actionesq; uitæ humanæ ſignificari, quorum quidem nullus aut modus, aut ordo, niſi turpis & confuſus eſſe poteſt, ni Dominus ipſe cõſilia moueat, ac ne erret animus, peruigil ſemper cuſtos exiſtat. Neſcit porrò homo, prorſusq; in deligendis ſecernendisq; rebus illis, quæ magis, quæue minus ſibi conducant, hallucinatur. Quare olim Solomon à Domino, ut quicquid uellet peteret, prouocatus, reſpondit: Ego ſum puer paruulus, & ignorans egreſſum & introitũ meum. hoc eſt, nec quid incœptem, nec quid perficiam, quid omittam, quidue inſtituam, aut ordiar, quę rurſus fugiam, aut quæ ſequar, neſcio. Conſuetudinem quoq; huiuſmodi uulgò eſſe cernimus, ut eum ipſum hominem, qui in pertractãdis ſuis rebus & negocijs inutilis prorſus ſit atq; infans, dicant ingreſſum exitumq; ignorare: quod quidem uitium ab animi ſtupiditate prouenire affirmãt. Eſt & alius ingreſſus, egreſſusq;, qui periculoſiſsimè ignoratur, utpote qui maximè ad animũ pertineat: ille uerò ad corpus. De ijs quidem olim concionabatur Dominus inquiens: Si quis introiuerit per me, ſaluabitur: is enim ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Vide quàm paucis ſanctorũ eccleſiam effinxit. Ingreſsio quidem in Domini ouile fit per fidem, amoremq;, ac cœleſtium rerũ cognitionẽ & diſciplinam: egreſsio uerò, per operationes illas, quæ à charitate proficiſcunt. Idcirco paſcua, & ea quidem pinguia & opima, poſt hanc uitam nanciſcent. Legimus enim ſub antiqua Iudæorum lege complures ingreſſos eſſe, atq; in hoc mundo quoq; per propheta
B rum, aut legis etiã ipſius campos inueniſſe paſcua: ab iſta tamẽ uita egreſſos, clauſo adhuc cœlo, nondũq; cœleſti reſerata beatitudine, atq; æterna requie, paſcua uera nõ inueniſſe. Ita modò (heu noſtram ignauiam) ad ſacras paſsim undas concurritur, fidésue in Dei domum infertur. Hinc feruor, hinc lachrymæ, hinc cætera reconciliationis diuinæ ſigna atq; argumenta conſpiciunt. Quid? Ad tantum nonnulli interdum deueniunt ſpiritus feruorem atq; ignem, ut dulciſsimorum parentum contempta cura & conuictu, ſpreta patria, relictisq; amicis, ac rebus omnibus huius mundi, uel ad uitæ ſuſtentationẽ neceſſarijs, ſeſe in ſolitudinẽ aliquam uaſtam atq; inhoſpitam conijciant, aut (quod animoſius forſan eſt uiſum) in cœnobio ſe aliquo concludant. Vides ne feliciſsimum horum in Domini academiam ingreſſum? Verùm tam ardentẽ in multis flammarũ cumulum in aërem reſolui, atq; in carnem, qui antea ſpiritu cœperat, ut conqueritur Paulus, deſijſſe uidimus: ſcilicet qui tam beato ingreſſu rem ſpiritus attentauerãt, infelici poſtea euentu à priſtino ardore deſciſcentes, paſcuaq; ſolida ignorantes, abierunt, ut dicit Solomon. Quid tam leni utor uocabulo? peruolarũt potius, ac præcipitanter accelerauerunt poſt ueſtigia gregum ſuorum, paſcentes nimirum ſenſus, eaq; oblectamenta, curásue illas ſectantes, quas uel mundus ipſe, alioqui curis innumeris inuolutus, execratur. Hi enim haud modo uno ingrediuntur, & egrediuntur. Quare illud unum potiſsimè tremendũ illius generis hominibus contingere eſt neceſſariũ, quòd ne poſt hanc uitam quidem ſolùm, ſed nec dum hîc uiuitur in hoc mundo, paſcua inueniant: niſi forte è ſiliquis porcorũ enutriri, animæ pabulum dici uelint. Et ego quoq; qui in eorum numero cenſeor, qui fide tantula, aut ſpiritus feruore aliquo, deſiderioq; non prorſus uano, in ædes Domini ingreſſus ſum, cùm qualem finem & egreſſum conſequi debeã me penitus lateat, illud interim unum meam admonitã animã uolo, atq; ei imprecari non ceſſo, iterũ atq; iterum repetens: O anima mea, quid iam pertimeſcis? quò tua te trahunt conſilia? ſimulac Dominus is ſolus eſt, qui cuſtodit introitum tuum, ac exitũ tuum, ex hoc nunc, hac in mortali ſcilicet uita, quò probè, quæ ea ſint, quæ fugere debeas

C quæúe amplecti ac ſectari, pernoſcas: & uſq; in ſeculum, hoc eſt, tranſacto uitæ curſu, te in æternis ſuis bonis, in loco ſcilicet paſcuæ, ubi immota ſua prædeſtinatione atq; propoſito, ſuos ab ęterno collocauit, ſtatuat. Huic igitur ſoli gloria, honorq; & imperium ſit in ſecula ſeculorum. Amen.

Canticum graduum. PSAL. CXXII.

Aetatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.

Cum aliàs propheta tropis elegantiſsimis mutuę charitatis, quam in Dei Eccleſia eſſe neceſſe eſt, effigiem deſcribit, tum in hoc pſalmo maximè illam ſub terreſtris Hieruſalem umbra & typo, propémodum ante oculos ponit. Quanta putandus eſt affici iucunditate uir diuinarum rerum ſtudioſus, cùm audit eſſe qui ardentiſsimis conatibus ad cœleſtem patriam properant, relictis interim toto affectu atq; animo, tricis illis omnib. quæ opus tam nobile impedire queant? Certè, ſi uel raro ſaltem, à fidelib. ad quid nati ſunt, ad quid uocati, ad quid uncti, ſacroq; regenerationis lauacro innouati, conſideraret, nõ tam facilè ſua ſe ſponte à fine proprio, qui Deus eſt, hoc eſt, ſumma felicitas, æternumq; bonũ, ac beatitudo, alienarent. Quotus enim quiſq; eſt, uel ex ipſis quidem, qui ideo ad ſublimiorẽ aliquem gradũ euecti ſunt, ut cæteris benè beateq; uiuendi regulas præbeant, atq; illa ſolũmodo & uita, & eruditione edoceãt, quæ futuræ uitæ ſtatum præ ſe ferant, qui non libentius corporearũ rerũ affectibus inhient, atq; eas ipſas perinde ament & ſectent, ac ſi tantũmodo ad fouendam carnis naturam geniti eſſent? Nec eſt quòd quis hîc mihi dicat, ut paſsim dici audio, religioſiſsimos illos eſſe hominũ conuentus, qui ab aliena aut re, aut uxore uſurpanda, abſtinent: qui publicas libidines auerſentur: qui uſuras, qui cætera uulgò patentia non exercent flagitia: ſi interiores illos maculas prauarum cupiditatũ, inuidentiæ, ſimultatis, ambitionis, à corde longè proĳcere non uideo. An non-
D dum cunctis iam innotuit quanto ſapientiſsimus magiſter ſtomacho dealbata ſepulchra, hoc eſt, mores hominum undequaq; pictos, & candidos, internos uerò affectus corruptiſsimos, tabeq; ipſa cadaueroſa putridiores, deteſtari ſoleat? Nego igitur uirum illum religioſum eſſe, Chriſtianęq; legis ſectatorem, qui licet corpore abſtineat, animo tamen mundanarum rerum cupiditatibus inſeruit. Hîc igitur, ut dicere inceperamus, ſub manufactæ ciuitatis nomine, cœleſtem patriam depingit uates, ſibiq; ſe ab alĳs eiuſdem ſecum animi ardoris uiris ad tantæ urbis acceſſum inuitari gratulatur, quam quidem Hieruſalem ſanctam, matremq; noſtram, ſeu requiem, ab Apoſtolo appellari legimus. Ingrediemur, inquit, in illam requiem nos qui credidimus. Olim enim à uiginti annis uiri omnes, hoc eſt, tribus Domini, ut in Deuteronomĳ libro uidere eſt, ad locum in quo Dei erat templum, ex diuina iuſsione, ter annis ſingulis conueniebant, ibiq; præter religionis cultum & ſacrificia, quibus Dei populus purificabatur, de ĳs quidem rebus iudicia, quæ alĳs in locis tractari nequierãt, habebantur. Ab illo igitur umbratili more & conſuetudine, ex qua nimirum Hebræorum multitudo ſe ad cõuentus illos feſtiuos adornans, uicinos, eiuſdemq; tribus uiros ad ſecum eundum adhortabatur, ut nunc quoq; à pleriſq; uulgò fit, qui cùm aliquò, ubi feſti dies celebrantur, ſint profecturi, familiariſsimos quoſq; ad cõmunem inuitant lætitiã, rem ſeriam enarrans propheta, cœleſtis Hieruſalem ſtatum elegantiſsimo troporum inuolucro oſtendere intendit. Ait ergo: Lætor admodũ equidem cùm dicunt mihi, Eamus in domum Domini, ad eumq; properemus. Quid moramur? Non nos aut uxor, aut nimia rei familiaris retardare debet cura & ſolicitudo. Ea, ea, inquam, ciuitas eſt, quæ totos animæ affectus, totumq; amorem noſtrum, tum ſtudium, omnémue conatum expoſtulat, ac uult.

Stantes erant pedes noſtri in atrĳs tuis Hieruſalem.

Omnes fermè Hebræorum interpretes, in portis reddunt, non in atrĳs: ſed parum refert. Quamlibet enim, ob carnis ſarcinam, longè à cœleſti patria peregrinamur, affectibus tamen ac deſideriĳs, qui ſanè pedes animę ſunt, tantę nobis ciuita-

tis

A tis aditus eſt occupandus: nanq; noſter in cœlis cùm ſit municipatus, quandiu ui
tam hanc ærumnarum plenam uiuimus, longè à diuina abſumus hæreditate. Ve
rùm interim quo expeditè abſq; corporearũ rerum impedimẽto in interiora uela
minis, ut uocat Paulus, introducamur, pedibus, hoc eſt, uotis, ſuſpirijsq; ab amo
re profectis, poſtibus illis aureis portarũ, quę, ut canit eccleſia, nitent margaritis,
inſiſtendum erit. Illud uerò admodũ uerendum, ne illotis pedibus accedamus.
poſtquam in uate illo eximio legimus, quòd inquinati nõ intrabũt in eam. O igi-
tur ſancta ciuitas, ô manſio, ô ſedes luce ipſa ſolis ſplendidior, ac Deo digna, pe-
des noſtri, motus ſcilicet animæ atq; affectus, in atrijs iam tuis, licet graui curarũ
onere defatigati ac preſsi, ſtant fixi atq; immobiles. Iam una illa omniũ maximè
in ſpiritus negocio norma eſt ſeruanda, ut homo, quãdiu in hoc ſeculo uerſatur,
necnon cum carnis moleſtijs & curis die noctuq; conflictatur, nunquã ſe ad tan-
tam perfectionis ſublimitatẽ peruenisſe exiſtimet, quò ſe putet abſq; aliqua ani-
mi perturbatione poſſe uiuere. Hoc enim animorum illorum proprium eſt, qui
iam prorſus à mundanarum rerum uinculis liberi, defunctiue corpore, ad illam,
quam ſemper, etiam cùm in carne eſſent, ardentiſsimè concupierunt, diuinam ui
ſionem atq; aſpectum euolarunt. Quem iam lateat terrenam hanc, ut eam appel-
lat Apoſtolus, habitationẽ, intellectui humano haud parum officere, à ueri con-
templatione, & intuitu auertere? intercipere? uariarúmue rerũ unioni illi, quam
cum Deo haberi oportet, diuerſitatẽ obijcere? Hęc enim omnia cùm mortalibus
omnibus communia ſint, ſtultum ualde eſſet, id à carne cupere alienũ, quod car-
ni natura ingenitum eſſe uoluit ſummus opifex. Tantum uerò ab ingrediendi ſtu
dio & conatu, noſtri nõ ceſſent affectus ac deſideria, quod eſt de die in diẽ magis
in Dei obſequio incaleſcere: alioqui in iuſtitiæ ſemitis nõ progredi, regredi erit.

Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum.

Aperit iam uates quæ ſit illa, de qua loquitur, Hieruſalem: né illam Iudęorum
B ab impijs ſcribis & Phariſæis habitatã, & quæ Dominum uitæ interemit, imagi-
nemur. Hæc enim ſectis atq; hæreſibus, cùm in ſe admodũ diuiſa ſit ac lacera: illa
uni ſolũmodo fini, & bono nixa, integra prorſus, utpote cuius participatio eius
in idipſum, atq; à diuiſione omni immunis, permanet. In idipſum.) Simul, uel
una reddunt Heb. Felix ſic: Quę coniuncta eſt ipſi ſimul: hoc eſt, cum Deo unum
effecta, cuius conſortiũ ſimul eſt. Ciues enim ſanctæ huius urbis, unius eiuſdẽq;
animi ſunt, idem participant bonum, eandemq; felicitatem ac præmiũ. Interim
autem, quod hîc doctrinę limula expolitur, ſi unum gaudere cõtigerit membrũ,
congaudent & cætera: ſi mœrore afficiantur & reliqua, mutuis ſibi inſeruiũt
obſequijs, mutuas ferunt neceſsitates, infirmitates tolerant, curãt, medentur, adeò
ut nõ tam ſuus unuſquiſq; exiſtimari queat, quàm aliorum omnino. Verùm qui
diſcordi animo atq; irrequieto, ſuis ſcilicet tantummodo obſequens cõmodis, ne
mini utilis, compluribus grauis & moroſus, ſe ad terrenam huiuſmodi ciuitatem
pertinere aſſerat toto, ut aiunt, errat cœlo: proinde ad futuram multò minus, ubi
omnium bonum æquè ſingulorum eſt, uti omnium. Cùm enim amor ſit ſui pro-
digus, naturaq; in aliorum cõmoda permeans & diffuſus, quemadmodum in æ-
terna patria perfectiſsimus eſt, ita undequaq; abſolutiſsima ſingulorum eſt boni
cõmunio, & unitas: perindeq; de alterius bono atq; felicitate unuſquiſq; lætatur, ſibiq; applaudit ac gratulatur, uti de ſuomet bono, & beatitudine ſolet pro-
pria. Idcirco de perfectionibus ſibi datis, ut ſcribit Dionyſius, inferioribus, hi qui
in ſublimiori gradu poſiti ſunt, continuò tradunt. Sanctiſsimũ igitur illud anima
rum domicilíũ nõ ciuitas eſt terrena, neq; cæmentitia materia, ſaxiſq; inertibus,
aut lateritijs parietibus ad amuſsim correctis fabrefacta, ſed cœleſtis eſt, atq; ani
morum numero & ordine conſtructa, cuius ciues animę ſunt, ciuitas uerò ipſa ac
ciuium bonum, Deus: id eſt, perfectiſsima quies & pax.

Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini teſtimoniũ Iſraël, ad confitendũ nomini Domini.

Hîc tandem uates qui ſint uiui lapides, hoc eſt, cœleſtis Hieruſalem ciues, atq;
ædificium, aperit: tribus ſcilicet, nõ quælibet, ſed tribus Domini, gensq; illa, quæ

C ad Dominũ, haud mundum, pertinet. Hanc itaq; ciuitatem, has ædes, hóstiæ cœtus & multitudinem, non iam ter in anno, aut ex more, ſed continuò, fide, ſanctiſq; operationibus ac perpetuo placendi Deo, & uoto, & deſiderio, ui ſpiritus acti, electi omnes adeunt, ſummóue nixu & conatu aſcendunt, neq; aliò unquã diuertũt, quoad eius portarũ aditum occupent, pedesq; in ipſo primo limine ſtabili infigãt propoſito atq; inſtituto. Hæ quidem tribus teſtimoniũ ſunt Domini: hoc eſt, fide atq; operibus, ſe ex Deo natas eſſe, diuinũq; ſemen in ſe ineſſe teſtantur. Iſraël enim, uidentẽ Deum interpretant. Itaq; ſe ſemen eſſe Iſraëlis teſtificant, hoc eſt, ad Deũ pertinere. Verùm quo teſtimonio? fidei nimirũ, ſpiritusq; feruore, gaudio, patientia, manſuetudine, ac, qua mirum in modum diuinã ſibi gratiã conciliant, humilitate, rerumq; humanarũ contemptione, ac deſpicientia. Nam quemadmodũ quæ à uirtute atq; animi candore proficiſcunt actiones, teſtimoniũ nos Dei eſſe filios præ ſe ferunt ac reddunt: ita illæ, quæ à cõſcientiæ impuritate, & turpitudine emanãt, nos ex patre diabolo eſſe teſtantur. Tribus igit ſola illa, quę in dominica ſorte cenſetur, ea eſt quę teſtimoniũ perhibet de bono: atq; ob id quidem, ut ſanctũ Dei nomen, nõ ſuum, illuſtret, ac celebre fiat. Sunt ſanè multi, qui idcirco aſcendũt, teſtimoniũq; fide, neſcio qua, ſe è Domini ſorte eſſe, reddunt, quò ſeſe uulgo oſtentent, ſe celebrent, ſibiq;, nõ Deo, aut eius eccleſiæ ſanctitatis nomen aſciſcant: ſecus uerò tribus illę Domini, Dei utiq; populus, ac ſors, quæ propterea ſibi aſcendendũ eſſe exiſtimant, ut tum fide, tum actionibus diuinã teſtificentur bonitatẽ, Deusq; ipſe, non homo, laudet, colatur, ſpargatúrue illius nomen & fama per anguſtiſsimos quoſq; orbis angulos, nedũ per templa, ſacrasq; ædes atq; aras. Qui enim aliud quicq; ſuis in actionib. ac ſtudijs, aut quęrit aut agit, q; ut Dei nomen ab omnib. quibus cum uiuit, ſanctificet, is ſanè turpiſsimè à uero aberrat ſcopo, nec tantillum quidem ad æternã Hieruſalem attinet, in qua rectũ duntaxat, ut bona cætera omittam, perpetuò audiri contingit
D iudicium. Quare à Pſalte conuenientiſsimè infertur:

Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid.

Cauſam reddit uates, quam ob rem à ſanctis tribubus ad diuinũ celebrandum nomen in eccleſiam conuenitur: etenim in ea, cœleſtia, hoc eſt, uera, recta, ſyncera, quas ſedes uocat propheta, ſunt tribunalia: nec mirum quidem, nam numen ipſum quod mundum iudicare dicitur, hîc præſens eſt, hîc ſedem habet, hîc iudicat, hîc non ſolum illa quæ humano patent aſpectui, ſed & reconditos cordis receſſus & cogitatus, diſquirit & examinat. Nuſquã enim uerum eſſe tribunal ac iudicium affirmauerim, ac rectum, niſi inter ciues de ſanctiſsima iſtiuſmodi ciuitate, quæ Dei ſpiritu & informatur & regitur, optimè meritos. An neſcitis, aiebat Paulus, quod & angelos iudicabimus? Soli quidem iuſtiſsimo cuiq; cætera dijudicandi, probeq; dignoſcendi ius tributum eſt, atq; facultas: ſed in primis ſeipſum, ne cum mundo reliquo, ut idem admonet, iudicetur. Hanc tandem, ait uates, optimè eſſe ędificatam urbem aſſero, ubi una ciuium omnium concordia eſt, ubi recta ſunt iudicia, ubi tribunalia iuſta: hoc eſt, ubi iudices integri, equitatisq; ac probitatis magis, quàm pecuniarum, aut munerum ſectatores conſpiciuntur. Alioqui iudice uel auaro, uel ciuilis ſanguinis ſitibundo atq; epotatore, quomodo ciuitas Dei illa erit, cuius roſtra æquiſsima ſunt, ac à diuino ſpiritu illuſtrata? Cæterùm hîc Dei familiam, Dauidis domum appellat uates, quod aliàs quoque admonuimus.

Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & abundantia diligentibus te.

Clarius hunc reddunt uerſum Hebræi hoc modo: Precemini ſalutem Hieroſolymis, felices ſint, qui diligunt eam. Quare ſic habet Campenſis: Optate pacem ipſi Hieruſalẽ, feliciter eueniant omnia illis, qui bene uolunt & amant eam. Vis ne quid in Dei ciuitate boni agant ciues audire? Perpetua enim ſeſe mutuò ad orandũ Deũ pro pace, id eſt, pro perfectiſsimo eccleſiæ ſtatu & trãquillitate, excitãt adhortatione, à qua quidem eo diſtat longius, quo terrenarũ rerum cupiditatibus propius inhiat, & accedit. Male enim cum Dei eccleſia agi arbitror, ſi

tam

A tam tumultuoſe res eius internas exagitari contingat, quemadmodum externas eius facultates paſsim, atq; ab omnibus diripi cernimus. Olim enim perpaucis quibuſdam principibus, eccleſiarum, ut uocant, bona, pro reipub. ac regni ſui defenſione uſurpare fas forſan fuit: at nunc à minutiſsimis quibuſq; magiſtratibus ea ipſa pro libidine, atq; impune depopulari, moresq; in fœdiſsmos, atq; uſus uitæ nefarios transferri uidere, quis æui huiuſce noſtri ſtatum miſerrimũ & lachrymabilem non fateatur? Verùm quia in dies magis ſæuam hanc erinnym increſcere, uiresq; ſumere conſpicimus, hoc unum extat confugium, ut mutuis noſmet exhortationibus ad exorandam plebi Dei pacem incitemus. O uos igitur tribus, tribus (inquam) Domini, ô uos lapides uiui, ô uos ciues, ac domeſtici Dei, ô uos ſanctæ animæ, quæ idcirco ad eccleſiarum bona, & dignitates aſcenditis, ut Dei nomen per uos, nõ ueſtrum, aut ueſtrorum cognatorũ, exaltetur, & celebre fiat, rogate, bene precamini, optate quę ad pacem ſpectant: hoc eſt, ea omnia quę ad ſuæ cœleſtis Hieruſalem ædificium, ſtructuramq; attinent, orate. Cætera enim, quæ tam charæ patriæ fabricam aut morantur, aut intercipiũt, à ueſtris cœtibus, à ueſtris rebuſpub. à ueſtris regnis procul exterminanda ſunt. Verùm abundantia, atq; proſperitas illis omnibus, qui te diligunt, ô beata ciuitas, eueniant. Illis porrò omnibus qui te uaſtant & affligunt, contritio & infelicitas, ſimulac uiam pacis non agnouerunt.

Fiat pax in uirtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Felix: Erit pax in antemurali tuo, & abundantia in palatijs tuis. Non ſurdis enim ſuprà cecinit uates, cùm optimum quenq; admonuit, atq; ad impetrandam cœlitus pacem animauit. Hi quidem audita ſacra adhortatione, ſe ſtatim ad exequendam ſpiritus iuſsionem permouent, uerſiq; ad eccleſiam, quãto poſſunt ſpiritu exclamãt: Fiat pax in uirtute tua, hoc eſt, in munitiſsimis locis tuis det Deus robur & uires. & eſt perinde ac ſi dicat, intra mœnia tua, atq; in palatijs tuis, ſeu B domibus ſingulis, ſit pax & tranquillitas. Nemo te, propugnaculaue tua, & uallа, licet uaſtiſsima adhibeat tormenta ac milites, infeſtet. Adeat iam tandem ad tui cuſtodiam ſpiritus robur & uirtus: paxq; illa, quæ exuperat omnem ſenſum, te cingat & tutetur, quò populus, ut imprecatur Eſaias, ſedere poſsit in pulchritudine pacis. Fiat, fiat non tantùm corporearum rerum copia ac luxuries, quantum diuinarum gratiarum, cœleſtiumq; donorũ abundantia & uis. Creſcat, abundet, augeaturq; ſpiritus, adeò quòd hoſtes ad ciuitatis muros ac turres accedentes, nihil aliud præterquàm inacceſſa propugnacula & mœnia, quæ ſunt ſanctorum orationes ac uota, uidere queant. Cæterùm ſicut cœleſtis ciuitatis (cùm cœleſtem ciuitatem dico, eccleſiam Dei intelligi cupio) robur ac fortitudinem, credentium corda eſſe arbitramur: ita terrenarũ urbium præſidium, & illud quidem eximium & præcipuum, ualla rurſus fortiſsima, ueraq; mœnia eſſe non ambigimus, ciuium corda, atq; in ſuum principem optimè affectos animos. Exaſperati enim plerunq; ciues, crudeliſsimoue depreſsi exactionum onere & mole, indefenſam ſæpenumero reddunt ciuitatem, alioqui munitiſsimis muris cinctam, circumuallatamq; propugnaculis pauperum labore atq; inedia cõfectis. Vis ne princeps tutiſsimè tuo regno conſulere, atque illud telis hoſtilibus haudquaquã peruiũ facere? tuos benuolentia & benignitate ciues arma. Hoc ſanè modo formidabilior hoſtibus eris, quàm ſi triplicem foſſam, murumq;, & eum quidem æneum, tuæ urbi circumieceris.

Propter fratres meos & proximos meos loquebar pacem de te.

Cauſam dicit, cur ſanctæ Hieruſalẽ ciues, ſuæ patriæ tam ſalutaria bene precati ſint. Ea enim charitatis natura eſt ac uis, ut quæcunq; aut agit, aut loquitur uir probus, ea omnia in fratris ſalutẽ cedere exoptet & quærat. Feliciter, inquit, omnia tibi contingere rogaui, ô ſancta ciuitas, pacemq; tibi æternam precatus ſum, non ob aliud quidem, quàm ut fratribus meis ac proximis, eodem ſcilicet fontis ſacramento & ſpiritu mecũ regeneratis, pax animę obueniat ac ſalus. Illud idem porrò alijs uerbis utens replicat uates, atq; ait:

C *Propter domum Domini Dei noſtri quæſiui bona tibi.*

Vide an hoc quoq; idem ſit, quod ſuperius dixit: Tribus uidelicet Domini illuc, quò Dei nomẽ ab omnib. laudaretur, aſcendere: modò uerò ſe bona illa quæ ſuperioribus expreſsit, quęſiſſe aſſerit, propter nomẽ Domini celebrandũ: quanquam nihil officit, fratres & proximos uno eiuſdẽ uitæ inſtituto ac ſpiritu uiuentes, domum Domini nuncupare, cùm paſsim in ſcripturis cor iuſti, Dei eſſe templum ac domum aſſeri legimus. Sancta enim Hieruſalem, domus Dei, iuſtiq; animus ac mens, idem fermè ſunt. Quare is erit ſenſus: Propter electos, qui ſunt fratres mei, Deiq; templum & domus, imprecatus ſum, & quęſiui bona tibi ô Hieruſalem. Mirũ ſi à prophetis pacem eccleſię rogari ob id potiſsimũ cenſeas, quò fruges in agris uberiores creſcant, aut uineę copioſiorem in luxum alantur, tutáue à Cimbrico milite uina ad futurũ hyemis ocium ſeruentur. Hunc certè finem Chriſtianę pacis in primis eſſe nõ arbitror. Proinde cùm hęc omnia terrę naſcentia ad humanos uſus ab uniuerſorũ conditore producta ideo amanda ſint, atq; ab ipſo Deo petenda, quatenus uitæ neceſsitatib. ſubueniunt, ac utilia ſunt: altior tamen Chriſtianorũ ratio in aſſequendę pacis deſiderio eſſe debet, quàm ut mundo tranquillius utantur: uerùm quò tutius, pacatiúsue diuinę iuſtitię, ſanctiſq; operationibus, ac mutuis inter nos alter alteri inſeruire poſsimus obſequijs. Nullus enim glorioſior pacis poteſt eſſe finis & terminus, quàm ut trãquillis animis, pacataq; religione, & aucto magis diuino cultu & nomine, Dei uirtus in terris propagetur, laudeturq;, qui ſaluat gratis omnes ſperantes in ſe.

Canticum graduum. PSAL. CXXIII.

D *Te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis.*

Serui enim atq; ancillæ, utpote qui dominorum ſuorum imperio toti addicti ſunt, quibusq; nulla eſt rerum poſſeſsio, nec ius etiam acquirendi, & libertas, ſi aliqua re indigent, is à domino, illa ab hera, quicquid illud ſit, & pręſtolant, & petũt. Hoc idem quoq; in iniurijs & cõtumelijs ab aliquo acceptis, agi ab illis cernimus, ueluti quibus nullum aliud in illis ſuis afflictionibus atq; periculis extet confugium, præterquã illorum, quorum iuris ſunt. Quis unquam alienos ſeruos ab huiuſmodi iniurijs, quibus tum ab homine, tum à rerum indigentia premuntur, uendicabit? Hoc enim proprium eorum munus eſt, ſub quorum dominio hi uiuunt. Itaq; elegantiſsima hac uſus ſimilitudine propheta, electos Dei ſeruos, ita ſe in neceſsitatibus, quæ cùm ad corpus, tum ad animum ſpectant, erga Deũ haberi aſſerit, quemadmodũ illi ſe habent, qui toti mortalium dominorum iuri atq; obſequio obnoxij ſunt. Qui enim uel parum ſaltem in rebus quę ad ſpiritum attinent, fuerit eruditus, non ignorabit certè quàm non aliunde, nec à proprio quidem arbitrio & uoluntate, multò minus ab aliena & ope, & manu, prętерquã diuina, ſi quid aut ab inexorabili dęmone, aut ab improbis eius miniſtris, ærumnarum patitur, expectandũ erit auxilium. Proinde ſi quis aſpera aliqua perſecutionũ moleſtia, ab his præſertim, quos hîc in inuolucro deſcribit uates, tumidos ſcilicet, elatosq;, ac ob felices terrenarum rerum ſucceſſus turgidos & ſuperbos, impetitur, ad Dominũ illicò, & eum quidem qui habitat in cœlis, attollat oculos, atq; ab ipſo ueniam, ſi quid deliquerit, req; aliqua indiguerit, aut iniuria exagitari contigerit, & ſperet, & imploret. Clamet igitur: O tu qui lucem habitas inacceſsibilem, cuiusq; ſedes cœli, atq; electorum ſunt corda, me audi: nam ad te oculos meos ſubleuo. hoc eſt, quicquid in me, quod luce aliqua cœleſti & diuina illuſtrari uideatur, apparet, id totum ad te refero, atq; in te, tuamq; parum ingratiſsimis mortalibus notam miſericordiam refundo. Non ſanè attollerem, nõ leuarem, niſi tu mecum & attolleres, & leuares: quin potius, niſi in me magis tu, quàm egomet in meipſo, eſſes. Votis enim, ac ſanctis, ut ait Auguſtinus, deſiderijs homo ad cœlum ſuſtollitur, quemadmodũ malis & impijs ad ima deijcitur, ac præcipitatur. Nunquam porrò illum oculos uerè ad Deum leuare dixero, qui licet uel ultra empyreã regionem, in diuinæ naturæ contempla-

tionem

A tionem totum immerſerit intellectũ, cognouerítq; quæcunq; de Deo, ut ait Paulus, cognoſci poſſunt: in ſe tamen aliud oculorum genus, hoc eſt, mundanæ gloriæ, propríjq; amoris & cõmodi plauſum reflectens, tam altæ indagationis fructum prorſus amittit. Quod quidem uitium, illud idem eſſe exiſtimo, in quod illos proruiſſe aſſerebat Paulus, qui cùm cognouiſſent Deum, nõ ſicut Deum glorificauerunt. Noxiam enim illam ſemper arbitratus ſum ſcientiã & cognitionem, quamuis ſublimem, & diuinarũ rerum indagatricem, quæ ſe magis, quàm ipſum cœleſtium donorũ erogatorem, admiraretur & coleret. Ex qua quidem turpiſſima quorundam improbitate & ingratitudine illud in primis oritur, quòd cùm nimium ambitioſe ſuæ illi naturalium ſupernaturaliumq; rerum aut linguarum peritiæ tribuunt, nihil nõ agunt, quò lux ea, alioqui felix & diuina, ſua, non Dei appareat, uulgoq; reputetur. Quod ſanè fit, cùm carnis cõmodis, atq; ambitioni ardentius hos inhiare conſpicis, quàm ut cor habeant in ſpiritus ſuauitate ac dulcedine, quam deuotionem appellamus, experrectum. Hi certè in Domini ſui manibus fixos haudquaq; habent oculos, ſed in ſe potius, aut in ſtudijs illis ſuis algidis & ieiunis. A Domini igitur uirtute ac manu, hoc eſt, à fortiſsima eius prouidentia, qua omnia condita in ſuo eſſe conſeruat, fouet, tutatur, & uiuere facit, noſtrorum omnium, qui à rerum fæce & humilitate cœlitus euocamur, oculi minimè, ne pilum quidem, ſunt auertendi. Quo, quæſo, reſpectu? quo fine? noſtri ut nimirum tandem miſereatur. Huc totius uitæ noſtræ labores, ſtudia, conatus, conſilia, curæ, leges, inſtituta, iura, & diuina, &, quæ uocant, poſitiua atq; humana, ſpectare debent. Quare

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione.

Neſcio enim an ulla alia res ſit in hoc noſtro infelici ſeculo tam fletu digna, atq; cõmiſeratione, quemadmodũ ea eſt, qua nos repletos uulgò deſpectione & cernimus, & altiſsimis ſuſpirijs ingemiſcimus. Si quidẽ uatem hîc ſuas dũtaxat con-
B tumelias, & non potius diuini cultus atq; honoris neglectũ conqueri opinaris, longò à pſalmi ſpiritu ac mente aberras interuallo. Non hæc ſanè ſolet eſſe cõſuetudo animæ ſe nihil prorſus attendentis, diuinũq; nomen ſolummodo extolli efflagitantis, ut ſui deſpicientiã aut contemptũ multifaciat: uerùm illam, qua Dei religio & pietas habetur ludibrio atq; irriſioni. Cùm enim diuinũ nomen perfectiſsimi quiq; uiri ante omnia illuſtrari & cupiant & quærant, nihil eſt quod eos magis excruciet, quàm ipſiſsimis propríjs oculis cernere ad tantum quoſdã, uel ipſiuſmet religionis myſtas, uitæ faſtum aſcendere, atq; inſoleſcere, ut ſimplicitatem illam, candoremue eum morum, quo fidei maximè cõſiſtit iuſtitia acuis, contemnant, affligant, irrideant, atq; uſq; ad ſpectantiũ nauſeam ac ſtomachũ ſubſannent. Quid iam in terris tam eſt uulgò contemptui, &, ut ſcribit Pſaltes, deſpectioni habitũ, quàm probitatis inſtituta ac leges? Vbi iam antiqua illa erga uiros eccleſiaſticos obſeruatio & reuerentia? Quô iam (malùm) noſtra deuenit ſublimitas? ſunt ne hæc corruptiſsimi uulgi uitia, an clericorum potius, cæterorumq; religioſorũ ignaui mores & deteſtandi, qui eiuſmodi diuini cultus exibilationem & neglectũ in orbem induxerunt? Quàm uereor ne nos potius quàm illi, in cauſa ſimus, quia multum repleti ſumus deſpectione.

Quia multum repleta eſt anima noſtra opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.

Equidem nollem ex his quę dicta ſunt, quorundam inſolentiam foueri, qui in inſpiciendis aliorum peccatis, carpendisq; moribus, ac uita ſacerdotum, atq; eorum quidem omnium, qui ſeſe priuatis legibus, ſub cœnobiorũ diſciplina & iugo manciparũt, tam uigiles ſunt & acuti. Quòd ſi certè hi, quemadmodum cætera omnia cõdita, iam conſenuere, atq; à priſtino uitę ſtudio & feruore deſierunt, quò putas à cæteris peruentũ eſſe? Cenſendum ne erit reges, principes, magiſtratus, ſuum integrum munus, ſeruata in rebus gerendis iuſtitia & æquitate, obire? quò quæſo uulgi proteruitas, atq; impudentia proceſsit? quò ciuiliũ? quò forenſium curarum peruenit curſus? aut à quo gradu tandem patritiorum dignitas, totiusq; orbis maieſtas & celſitudo prolapſa eſt? Vnuſquiſq; igitur ſuum in ſe ha-

C bet quod defleat uitium ac reprehendat. Hoc unum ſcio, quòd eo ardentius ab abundantibus & ſuperbis, hoc eſt, ab huius mundi locupletioríb. & faſtuoſis, uita noſtra, noſterq; cultus & religio irridetur, premit̃, deſpicabilisq; habetur, quo pertinacius diuinis curis, ſanctæq; legi & doctrinæ, operam nauamus. Quare clamandum, atq; repetitis gemitibus cum Pſalte uociferandũ erit: Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri, quia uſq; ad faſtidium contumelijs repleti ſumus. Repleta eſt, inquam, anima noſtra, periculoſiſsimumq; in modum ignominia, contemptioneq; & deriſione affecta. Facta eſt nimirũ apud huius ſeculi potentiores & diuites ludibrium, illuſio, riſus, opprobriũ. Volunt quidam, uel in primis Auguſtinus, hîc repetitam eſſe ſententiam, ut idem ſit opprobrium abundantibus, quod eſt deſpectio ſuperbis: ut uel hinc perdiſcere queas, quàm difficile ſit diuitem non eſſe ſuperbum: & cùm diuitem dico, non tantum illum dico, cui infinita agrorum iugera atq; armenta, diuitias ſuppeditant, quantũ illum qui iuſtitia, ut ſibi uidetur, meritorumq; cumulo, & gratiarũ, ſe magnũ reputat. Certè quidem cùm hanc uatis querimoniã lego, audire uideor uiduarũ, cæteræq; turbæ miſeræ multitudinem ſuam ſortem lamentantẽ, poſtquã adeò inhumaniter illud hominum genus ab illis ipſis, qui propterea ad altiorem aliquem gradũ, aut principatus, aut magiſtratus, aut etiã eccleſiaſticæ dignitatis aſciti ſunt, quò in primis miſerorũ curã habeant, exagitari, boniſq; prorſus denudari, tum ab alijs audio, tum à memetipſo quidem coniecturã facio, ubi res ſacras eccleſiarũ, cœnobiorumq; fortunas, alioqui in pios uſus erogari ſolitas, quaſi publico edicto diripi, paſsimq; ab omnib. aſportari, propríjs intueor oculis. Illud adnotandũ, opprobrio legi, & deſpectione, nõ opprobriũ & deſpectio: niſi fortè hãc malis eſſe in faſtuoſorũ hominũ ſuperbiã, imprecationẽ: ut ſit ſenſus: Miſerere noſtri Dñe, miſerere, inquã, noſtri. Opprobriũ uerò, deſpectioq; & cõfuſio ſit ſuperbis, atq; infelici huius ſeculi euentu turgidis & abundantib. ut ſuo malo tandem, cũ nõ impunè tuã inſecten
D tur religionẽ, perdiſcãt. Illis igitur mala hæc omnia à tuo æquiſsimo iudicio proueniant, tibi uerò gloria, honor, uirtus, & imperiũ ſit in ſeculorum ſecula. Amen.

Canticum graduum. PSAL. CXXIIII.

Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſraël, niſi quia Dominus erat in nobis.

NVates, atq; is quoq;, qui eodem cum uate ſpiritu, non mundi affectíbus agitur, ſeſe à grauioríbus tentationibus, morteq; æterna Dei beneficio ſeruatum, & ipſe prædicat, & alios ad idem faciendũ prouocat, ſuoq; exemplo adhortatur. Videtur enim Pſaltes ad antiquam illam Chaldæorum in Babylonico exilio crudelitatem alluſiſſe, in qua, ardenti in Iudęorum populum cõmotione, atq; ira concitati, ſacrum Dei fanum combuſſerunt, ciuitatẽ funditus exciderunt, quamplurimosq; promiſcuæ multitudinis uiros ac fœminas obtruncauerunt. Tum enim cuncti ad unum Iudæi ab hoſtibus abſumi poſſe uidebantur, ni Dominus ſui populi partem ſeruare decreuiſſet. Quid illos, quos ab Aegyptiacę ſeruitutis iugo, dirǫue Pharaonis imperio ereptos legimus, tũ dixiſſe credimus, cùm ſiccis traiecto pelago ueſtigijs, inſequẽtes hoſtes ab illis ipſis undis, quæ ſibi tutũ præbuerãt iter, obrui & ſuffocari cernerent? Nónne illud: totum profectò genus noſtrũ in tetris illis undis deperijſſet, niſi Dominus iamiã preſenti periculo affuiſſet, ſeruaſſetq; ab interitu illo horrendo, quo propríjs oculis noſtros interijſſe hoſtes uidimus. Verũ umbra hæc omnia futurorũ. Nos uerò quib. nõ tantũ aquarũ Aegypti tranſitus, quantũ è fonte ſacro regeneratio ac gratiarũ copia eſt tradita, alium Pharaonẽ, alios Aegyptios, aliaq; pericula cogitare conſueuimus. Vt enim ea omnia illa, quæ ex ueneranda ueteriq; hiſtoria accepimus, uera ſint: illud tamen ante omnia aſſerendum, Pharaonẽ, ducémue Chaldæorũ, ac regem, Satanã infenſiſsimũ Dei eccleſiæ hoſtem cum impijſsimis ſuis miniſtris, qui iam mundũ ferè totum occupant, grauiſsimo q; tum priuatarũ legum, tum publicarũ oppreſsionũ iugo atq; imperio opprimũt, præmonſtraſſe. Quid innumeras concupiſcentiarum flammas à mortis autore, in ipſis animæ medullis exuſcitatas memorem?

A morem? quid nexus? quid pedicas tanti aucupis ad perniciē nostram undiq; tensas recenseā? Certè nisi Dominus nobis affuisset, in nobisq;, quę est eius bonitas, mansisset (dicat nunc Israël, fateatur, non dissimulet donum Dei) nisi, inquā, nobis affuisset, suoq; beneficio seruasset,

Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos.

Sæuitiā hostiū his uerbis aperit, seq; ad consuetū inter homines morē transfertuates. Sic enim in atrocioribus acceptis iniurijs dicere solemus: Adeò me ille uehementi insequit̄ odio, ut me uiuum absorbere uelle uideatur. Ita sanè impudentissimi homines probis, eorumq; rebus ac fortunis inhiāt: ita dæmones, ita tetri illi omnes inferorum spiritus, diuinæ iustitiæ studiosos, mansuetos, à libidinib. abhorrentes, simplices, publicarúmue rerū, nō priuatarū amantiores: eos dico qui uerè, hoc est, iustitię illius quę à fide est, uita uiui sunt, deglutire satagunt. Quanti, proh Dei fidē, laquei uiro illi, qui spretis cæteris, toto anhelitu, totis insuper animi uiribus atq; intentione, tenuem saltem ueritatis portionē attingere contendit, sunt positi? Non tam sanè uolubili gyro atq; impulsu, à pueris solet turbo exagitari ludicrus, q̄ hinc atq; hinc ab appetentijs uarijs, à motibus animæ effręnib. ab ægritudinibus, formisq; uarijs continuò impetuntur bonarum rerum studiosi & cupidi. Contra hos quidem condita omnia (de cœlestibus animus id dicere est nefas) conspirasse uidentur. In tot igitur rerum difficultatibus & periculis, quomodo de nobis actum iam esse non asseremus? quomodo non prorsus nos perijsse, nisi nos Deus seruasset, sanctissimoq; suo patrocinio muniuisset? Miraculo omnino persimile uidetur, tam uastæ angustiarum moli interdum non succubuisse.

Cùm irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.

Furor, atq; in peruersis hominibus, à recto scilicet iustitię itinere auersis, ardor
B & rabies, non tantum ira est, atq; excandescentia in optimos quosq;, quantū uariarum cupiditatum, auaritię, ambitionisq; æstus & inquietudo: quibus maximè beluis cùm quempiam exagitari contigerit, unà illicò secum, nedum sui persimiles, uerum & modestissimos interdū, atq; innocentissimos uiros, eodem procellarum tumultu & impetu, si non eodem peccati genere, & trahit, & miserrimum in modum conuoluit. Hebræis enim huius uersus initiū, cum superioris fine connectitur hoc modo: Tunc uiuos deglutissent nos, cùm incensa esset eorum ira in nos. quorum quidem uerborū sensum sic reddit Paraphrastes: Tunc uiuos deglutissent nos: erāt enim furiosissimi, & ira maximè accensi in nos. Solent equidem hi, qui molestissimo aut libidinis, aut inuidentiæ, & ambitionis perurgent̄ œstro ac stimulo, impotentia quadam animi, atq; ardore in illos, quos sibi in amoribus uel honoribus præferri aut uident, aut suspicantur, mirabiliter insanire: quòd si ferro nequeunt, linguæ saltem maledicentia suo infelici morbo & languori, mederi quęrūt. Hinc suspiciones, hinc in moribus, in actionibus, in colloquijs acerbitas: hinc oblocutiones potissimum, cæteræq;, quibus mirum in modū distorquentur, uenenati cordis ęgritudines exordium habent. Hęc enim uitiorum profluuia, aquarum inundationes appellat propheta: à quibus quidem ni Dei ope seruemur, facilè nostra superatur imbecillitas, ipsarumq; obruitur impetu, atque exundatione.

Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Non possum equidem non in dies magis prophetæ copiam admirari. Hic enim alia translatione hostiles impetus describens utitur: quos sanè nemo homo est adeò uel in terrenarum rerum abundantia, uel diuinarum quoque, & diues, & copiosus, qui cùm aliàs, tum nostris pręsertim temporibus effugere ualeat, nisi Dominus adsit fautor, & tutelaris. Nota porrò est trāslatio, ualdeq; in uatibus familiaris, qua ad uim hostium subitam, atq; inopinatam exprimendam, rapidissima flumina, subitasq; amniū inundationes, eo maximè tempore, quo eliquentibus niuibus, saxa, mixtasq; campis arbores & segetes, uel cū stabulis armenta tra

C hunt, mirabili artificio transferũt. Ecce, ait Dominus in Esaia, adducet super eos aquas fluminis fortes & multas. Sensus igit is erit: Nisi nos seruasset Dominus, in aquis malorum perijssemus, transijsset q̃ per animas nostras, id est, per nos, torrens angustiarum uiolentissimus atq; inopinatus: seu, ut legit Hebræus, aqua petulantiarum: qua uoce idcirco usus est uates, ut eorum uim exprimat, qui in cæteros, sola libidine ac petulantia moti, ferocire soliti sunt. quanquã aquam intolerabilem, aquam elatam uertat Felix, sed cõtrario à nostro sensu, hoc modo: Tunc, id est, nisi nos Dominus conseruasset, transijssent super animam nostram aquę elatę, turgidę scilicet, ac ruptis aggeribus, per campos latè exundantes. Vel, quod magis placet, ad Rubri maris fluctus alluſit. Quòd uerò per aquas, aquarũmue inundationes insperatas ac subitas, tentationes & aduersitates, quib. Dei populus à cœlesti patre erudiri soleat significent, nõ semel à nobis est dictũ. Quis tam ergo audax, tamq; sibi fidens, ac de sese, suaq; ope securus est, qui improborũ hominum, nequissimorũmue spirituum, quibus, ut inquit Iob, non est potestas super terram quæ comparetur, dolis atq; insidijs se posse reluctari autumet, absque diuino fauore ac patrocinio? Quare

Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Seu, ut legunt Hebręi: Qui non dedit nos prædam dentibus eorum. Hostium feritatem ante oculos ponit uates, cùm illos beluis prædã dentibus dilaniantibus comparat. Laudandus, ait, Dominus, qui nõ permittit nos prędam dentibus eorum esse. quorum eorum? dæmonum scilicet, curarũmue cor nostrum miserabiliter discerpentium: ad hæc crudelium tyrannorũ, parricidarum, fœneratorumq;, ac reliquæ eiusmodi ciuitatum pestilentiæ atq; exitij. Nullum enim, quod sciam, beluarum genus est, quod in suam speciem, nec in alienam quidem, ita sæuire audeat, quantum homo in hominem. Quis iam tener cuniculus, aut lepus timidus, tam uel à canibus, uel à fera aliqua syluestri discerpi unquam uisa est, quemadmo
D dum Dei plebem, hoc est, pauperes, orphanos, uiduas, ciuesq; res suas secũ agentes, à malis rerumpub. ministris, à fœneratoribus, ab auarissimisq; magistratibus & principibus, passim per urbes, per oppida, per uillas quoq;, ac solitarias amniũ ripas, dilaniari, atq; ulla absq; cõmiseratione funditus à propris laribus, à patria, à uita tandem conuelli atq; extirpari quotidie cernimus? Veruntamẽ, quod prorsus atq; in primis exoptandum erit, animus in Dei lege apprimè eruditus & firmus, etsi in ea parte, quæ ad carnem spectat & mundũ, excruciari contingat, illa tamen, qua Deo propior est, & similis, mundanarũ rerum euentus omnes perinde contemnere consueuit, uti solet minutissimas atomorum in aëre incursiones, uel gigas uel elephas. Nouit enim uir iustus, quàm nihili æstimãda sit huius mundi instabilitas: quamq; ex animo paruipendendi sint hi, qui nihil in uita adeò curare præ se ferunt, quàm ut deuorent Dei plebem sicut escam panis. Tantũ enim abest ut subacto corpore, amissisq; facultatibus, & rebus quoq; ipsis quæ uitæ usui sunt, ab aliena ingluuie & crudelitate raptis, mens hominis suæ cœlestis originis oblita nimium turpiter, aut in curãdis rebus humanis, aut in deflenda earum amissione atq; inopia angatur, ut etiam exultet, illò sua dirigens cõsilia, ubi firma sunt omnia, & æterna: quę solummodo, cùm uera bona sint, & quę minimè à uiolentissimis possessorib. occupari possint, amanda sunt, studioq; omni & diligentia quærenda: cætera uerò umbræ somniũ. Benedictus igitur Dominus, hoc est, laudibus omnibus efferendus, postquam nos tali insigniuit spiritu, eaq; uita animauit, ut nihil nobis minus timendum sit, quàm ut in prædam eorum dentibus faucibusq; cruentis tradamur. Potior enim pars nostri intacta, uiuax, telisq; fortunę impenetrabilis, atq; inaccessa perstat in sua origine, in Deo scilicet, summo, stabili, perfectoq; bono fixa & immobilis.

Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.

Cum Psaltes bonis ciuibus aduersantiũ ferociã, per dentes, truculentiamq; illorum inexorabilẽ, omnia pro libidine pertrahentẽ, significasset: per laqueos, occultas rursum eorũ machinationes atq; insidias detegit: periculorumue magnitu

dine

A dine expreſſa, diuini auxilij magnitudinem in ſequentibus, ardenti, ut ſolet, affectu celebrat. Omnis enim tentatio laqueus eſt, ſiue carnis, ſiue ſpiritus ſit. Laqueus exiliũ eſt, cruciatus, calumnia, perſecutio: addo & his morbos, infirmitates uarias corporis & ægritudines: quæ quidem omnia cùm ad exercendã animi fortitudinem ac fidem, à Deo permittunt, tum quoq; ab inuiſibilium inimicorũ aſtu & ſagacitate inferri ſolent, quò à recto mentis ſtatu deiecti homines, infidelitatisq; aut deſperationis inſidias nõ aduertentes, in æternæ mortis laqueos impingant. Quod quidem periculi genus conſiderans Paulus ita orat: Det illis Deus pœnitentiã ad cognoſcendã ueritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis. An uerò laquei, ineuitabiles q; tendiculæ ſint, honor, dignitas, pecunia, formaq;, ut appellat Lactan. irritabilis, ac bonum ipſum tandem in ipſo cordis arcano delitescens, & ſe amans, innumerabilis hominum multitudo, uel eorum quidem qui excellentioris uitæ ſtatum profitentur, per orbem undiq; uniuerſum capta teſtari poteſt. Verùm ab huiuſmodi deceptionib. ſe Dei ope, nõ propria, extractũ prædicat uir ille, qui affectus omnes ſuos ad diuina ſolummodo peruestiganda erectos habet, ſeq; timidiſsimæ & ſalaciſsimę, atq; adeò fugaci auiculæ comparat. Ita enim homo eſt in ſe manens, ſibiq; fidens. Nec ab re quidem: nam ſi ſuam cum improborum hominũ potentia, aut dæmonum ferocia, uirtutem equiparare uelit, quid eo timidius, ac magis debile? Si carnis rurſus fomitem, atq; irritamenta conſideras, quod animal homine ſalacius? quod impudentius? quod magis ab honeſto connubio, toroq;, ut illum appellat apoſtolus, caſto, & immaculato, alienũ? Porrò ſi cõtingat ipſum aliquando intrare in iudiciũ cum Deo, fugacior quidem eſt, quàm ipſe unquam fuit aut Cain, aut eius parens Adam. Similem igitur humanã naturam timidiſsimo paſſeri & laſciuo eſſe affirmat uates, ereptã tamen Dei beneficio & dono, & uenatorum laqueis atq; inſidijs. Fracto enim rete, aut laqueo, ille, cùm nec ſperaret quidem, actutũ euolat. Ita & nos, ait uates, contrito laqueo,
B liberati ſumus. A quo quidem? à nobis? à noſtra induſtria, noſtroq; conatu & uoluntate? neutiq; certè. Nam ſi nos exactè conſideremus, nihil nos aliud eſſe fatebimur, præterquàm paſſerem ad minimũ foliorum motum perterrefactũ, atq; in fuga præcipitem. An ab hominibus cæteris? an ab amicis? Minimè quidem omnium: nam uana eſt ſalus hominis. Proinde quî eruet homo hominẽ de laqueis, deq; occultiſsimis animæ erratis ac lapſibus, cùm uir, ut ait Michæas, fratrem ſuũ uenatur ad mortem? Omnia igitur cùm fraudibus, doloſisq; artibus, atq; impoſturis plena ſint, præſidiaq; humana infirma, & temporaria,

Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

Vide quomodo uir iuſtus, quiq; ſpiritu nõ huius mundi, ut inquit Paulus, ſed diuino ducitur, omnia bona ſua cœleſti patri fert accepta. Non in rerum humanarum, inquit, aut principum, cæterorumq; ſuperiorum gratia & fauore, ſed in nomine Domini, & eius quidem qui cœlum & terram condidit, noſtrum ſit adiutoriũ. De immenſa enim Dei potentia, gloriatio hæc eſt. Cùm profectò multa ſint proborum fidei argumenta, quibus in anguſtijs tum animi, tum corporis poſiti, ſe prorſus à Dei ope & auxilio pendêre uideri uolunt, id in primis nobile, ac laude dignum, cùm quis ea quidem ipſa, quæ ab humano præſidio atq; arte ſunt adminicula non contemnens, præcipuã tamen ſuę ſalutis uim in Deo poſitam eſſe, & credit, & prædicat. Inconſtãtis igitur animi, parumq; creduli & fidelis, uocem illam cuiuſdã noſtri ordinis uiri fuiſſe iudico, qui cùm ab atrociori lecto cubans angina propémodum ſuffocaretur, ad chirurgũ, qui multis ſuę artis admotis præſidijs de ſalute tandem ęgroti deſperabat, conuerſus inquit: Me adiuua, me adiuua ô chirurge: in multis enim tibi benefaciam. Cæterũ de cœleſti implorando auxilio nulla mentio. Hanc tantam animi conſternationem, quæ ab ægrotante pectore diuinæ beneficentiæ memoriã omnino excutiat, quis laudare audeat? Suæ enim fidei, hoc eſt, quàm imbecillis fuerit uir ille cùm ſanus eſſet, tunc in extremo ſuæ ſcenæ actu dedit ſpecimen. Quàm porrò periculoſa ſit, ac metu plena, ea quę in animarum perniciem fit per dæmones uenatio, ſic refert Hugo: Inuadunt, in-

C quit, primùm animas per ſuggeſtionẽ, tangunt per malas cogitationes, mordent per prauam delectationem, maſticant per deliberationem, tranſglutiunt per conſenſum, traijciunt in ſtomachum per operationem, decoquunt per conſuetudinem, egerunt per damnationem.

Canticum graduum. PSAL. CXXV.



Vi confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem.

Non ſemel enim in ſuperioribus pſalmis eſt dictum, confidentiã in Deo uim eam eſſe, quæ ſola Dei filios in huius mundi cõmotionibus & fluctibus, ſtabiles atq; inconcuſſos reddit. Quod quidem cum alijs in pſalmis uates & dicat, & ut rem ſcitu neceſſariam ſæpiſsimè inculcet, tum in hoc maximè adeò manifeſtè aperit, ut nuſquã aliàs huiuſce beatiſsimæ operationis facies tam perſpicuè uideri queat. Comparat enim hominem ſic affectum ſolidiſsimo monti, fortiſsimæq; ciuitati, cui undequaq; circumiaceant montes, atq; ait, quòd illi, qui in Domino fiduciam omnem ſuam collocauerunt, nõ, uel in mediis ipſis tentationum fluctibus ac procellis, nutare poterunt: quemadmodũ impoſsibile eſt Sion montem nutare poſſe, aut à propriis ſedibus trãsferri. Dicet aliquis forſan, quî nõ potius Pſaltes uirum in fide ſolidũ, aut Caucaſo, aut Atlanti, utpote montibus propter illorum uaſtitatẽ immotis magis, comparauit? Familiarem quidem admodum in prophetis eſſe mentionẽ ciuitatis Hieruſalem, atq; eius montis in quo ſita eſt, & regionis, ſciunt in rebus ſacris eruditi. Eiuſmodi enim elocutionum genere ſupernam patriam, quam alio loco ueluti ciuitatem ædificari aſſeruit uates, appellare conſueuerunt, quippe quæ reconditiorẽ ſignificantiã præ ſe ferrent, quàm quod dicebantur. Ad hæc Pſaltes ea quę magis Iudæis nota erant, in quibus q; illorũ religio apud exteros etiã ſanctior habebatur, cultusq; melior,
D prudentiſsimè in medium afferebat, quò plebs illa corporeis ritibus, & cæremonijs ſuperſtitioſe nimium addicta, perdiſceret tandem rerum umbras aliquando aduentante ueritate deſituras, eaq; ipſa & amaret, & ſtudio omni perquireret, quę tam nobilis ciuitas, ac mons, occultiſsimo præſagirent myſterio, Permanent illa ſanè indiffinito æuo, atq; hi cum illis, qui eius ciuitatis ciues ſunt. Siquidem cuius ciuitas æterna eſt, ciuem item æternum eſſe oportet. Quemadmodum igitur mons Sion ſtabilis eſt atq; immobilis, ita uir ille, qui in Deo, non in ſe, ſuaq; ope & iuſtitia, nõ in rebus caducis, ac, ut ſunt fermè mortalia omnia, uanis, quotidieq; in interitum properantibus, fiduciam ponit, non cõmouebitur in æternum, non nutabit, non ab intuitu diuini aſpectus, ſanctæq; Hieruſalem amouebitur unquam, quin potius ſtantes erunt pedes eius in atrijs tuis, ô beata ciuitas. Viſa eſt aliquibus huius primi uerſus litera aptari poſſe, ut ille non labare greſsibus dicatur, qui ſpem ſuam omnem collocauit in Domino illo, qui habitat in Hieruſalem. Sed ex hebræo alia eſt, ſenſusq; alius. Sic enim illi: Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commouebitur: in æternum habitabit. ut ex numero ſingulari pro plurali hebraiſmũ notes. Poſtea uerò ſic ſequentem incœptant uerſum: Hieruſalem, montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui ex nunc & uſq; in æternum. Nos uerò,

Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & Vſq; in ſeculum.

Si in ſuperiori uerſu hebraiſmũ, alioqui in hoc uate frequentiſsimũ, uitare effla gitas, ſic interim illum proferre poteris: Qui confidunt in Dño, ſimiles ſunt monti Sion, qui non mouetur loco, ſed in perpetuũ ſidit. Vtcunq; iſta accipias, æternũ Dei auxilium hîc enarrat uates. De terrena enim Hieruſalem tam nobile cani elogium, quòd ex nunc & uſq; in ſeculũ montes habeat in circuitu, defenſionẽ ſcilicet æternã, abſurdiſsimũ eſt opinari: cùm legimus haud ſemel illam motã, depopulatamq;, ac tandem à Babylonijs, & Tito poſtea funditus euerſam. Non relinquetur, ut ait uatum Dñs, in te lapis ſuper lapidem. Itaq; de alia hîc dici Hieruſalẽ eſt arbitrandũ, quæ, ut puto, ea eſt, cuius participatio eius in idipſum: hoc eſt, cuius

A ius animus unus, cor unum, mens una, propoſitum unum. Verùm cùm impoſsibile ſit aliquam ſaltem, ſi nõ perfectam, Eccleſiam in terris non eſſe, ſimulatq; no biſcum conuerſari uſq; ad mundi finem pollicitus eſt autor uitę, hanc canit uates cœleſtibus ſpiritibus ueluti muris ac montibus circunſeptam. Hi enim, ut aſſerit Paulus, mittuntur in miniſterium eorum qui regnum capiunt ſalutis. O tutam cuſtodiã. Ponetur, clamat Eſaias, in ea murus, & antemurale. Ecce mons, ait, plenus equorũ, & curruum igneorũ in circuitu Eliſæi. Vide, te oro, quomodo cuncta in hac cuſtodia, concita, preſentia, atq; ardentia ſint, cùm eam equis curribus igneis circumcurrentibus comparat. Sicut igitur montes in circuitu ſunt terrenę Hieruſalem, quæ occîdit Dominum, ita ipſe Dominus humani generis amantiſſimus eſt in circuitu populi ſui. Quod quidem additum puto, ne nobis in montibus alioqui ad cuſtodiam noſtrã intentis, manendũ eſſe cogitaremus. Nam quidem in montibus, hoc eſt, in angelicis ſolũmodo ſpiritibus, aut alijs quãuis ſub limibus beatis animis, aut etiã in excellentiſsimis noſtris uel uirtutibus, uel actionibus ſperare nõ tutum eſt: uerùm in uertice montium, qui Chriſtus eſt, & ſperare, & bonum omne noſtrum ſtatuere, tutiſsimum. Etenim ad eum, ut uaticinatur Eſaias, nõ ad eos, fluent omnes gentes. Cæterũ quemadmodum aduerſarius noſter, ut diuus refert Petrus, in circuitu obambulat quęrens quem deuoret: ita Dominus peruigil cuſtos non dormit neq; dormitat, ut cuſtodiat Iſraëlem, hoc eſt, illos omnes, quos ab æterno ſuos eſſe decreuit.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.

Dura nimirũ in rebus humanis uidetur cõditio, cùm adeò & ſæuè, & diu quorundam improbitas in rebuſpub. imperiũ, quod uirgam uocat propheta, tenet. Nulla enim nocẽtior hac poteſt eſſe in uita ciuili peſtis ac pernicies. Proinde portenti ſimillimum eſſe arbitror, bonorum innocentiã in tam ampla ſuperiorũ ne-
B quitia & ambitione illæſam ſeruari poſſe. Eſt profectò aliquid fidei puritati non parum officiens, debiles ferè omnes uulgò in iuſtitæ ſemitis, & eſſe, & uiuere: at ipſa capita ipſoſq; paſtores & patres, in ſubditorũ perniciem (ut ſic dicam) conſpirare, fœdiſsimamq; uitã (bonos ſemper excipio) uiuere, quis nõ inconſolabiliter defleat? quis non interdum in bonarum inſtitutionũ propoſito & uoluntate uacillet? Cui nõ aliquando in mentẽ ueniat, quò nobis aliquis tranquillius uiuendi locus relinquatur, ſatius eſſe turpiſsimis quorundam potentiorũ moribus aſſentiri, atq; cum illis unà in uariarum libidinũ ac cupiditatũ cœno uolutari, homicidijs quoq;, rapinisq; tum publicis tum priuatis conſpurcari, q; in uitę puritate & candore perſtãtes quotidie affligi, deglubi, emungi, ac uita tandẽ unà cum patria & fortunis millies in die una exui? Cõſiderãs enim uir iuſtus (iuſtũ ſcriptura ſępenumero nõ perfectè iuſtũ, ſed iuſtitiæ amantẽ, & ſtudioſum appellare cõſueuit) malos plerũq; in cœtu hominũ potentiſsimos eſſe, cũctaq; pro libidine, abiectis interim legibus, calcatoue pudore atq; honeſto, exequi, bonos uerò intolerabili iugo premi & uexari, eò penè adducit ut deſperet omnino, decernatq; nuſq; pacatã uitã inueniri, prætercq; in illis, qui ideo felices uidentur, quia impij & ſceleratí. Sed quoniã, ut inquit Auguſt. Dei ſapientię, quæ omnia bene facit, etſi nõ uidea mus quomodo, eſt credendũ, ſperat fore ut aliquãdo auferat opprobriũ ab Iſraële, atq; à tritico zizania auferant, ac ſpinæ: cõpertiſsimũ iam eſſe debet, neq; omnino in dubiũ trahendũ, quòd nõ relinquet Dominus uirgã peccatorũ ſuper ſortem iuſtorũ: hoc eſt, nõ diutius patiet, licet ad tempus ita noſtris exigentib. peccatis cõniueat, potentiorũ ſæuitiã adeò ſuper Dei populũ, quem ſortem Domini appellat Pſaltes, efferri, quo minus faciat, ut inquit Paulus, cum tentatione prouentũ. Tantũ porrò abeſſe debet, ut extendat manus ſuas uir probus & cãdidus, ad operanda ſcelera, per quancunq; obuiã occaſionẽ, & peſsimũ aliorum exemplum, ut etiã ex tam mala cauſa optimã ſibi uiuendi perſtruat rationẽ. Viuant igitur hi ut lubet, utq; uenter atq; ocium in plumis cõquieſcens ſuggerit: nobis aũt, quibus ipſe Dominus ſeſe in circuitu populi, in munitiſsimã ſcilicet tutelam eſſe

C eſt pollicitus ex nunc & uſq; in æternũ, aliud uitæ genus eſt quærendũ, æterna uidelicet requies ac manſio, in quã non intrant, ut ait uates ille eximius, polluti. Interim uerò, ut à ſanctiſsimis uiris admonemur, cauendũ nobis erit, ne à potentiſſima mundi huius, aut dæmonũ tyrannide, uel parũ deterriti, à rectitudinis ſtudio atq; amore, animũ relaxemus. Perſtandũ quippe eſt, ac ui omni contendendum, ne à iam concepta ſalutis opinione, & fide relabamur. Quid ſi illud interim Eſaiæ noſtris hiſce in exulceratis temporib. nos qui uiuimus, qui reſidui ſumus, adimpleri cernamus? Reſtituã, inquit Dominus, iudices tuos, quemadmodum olim fuerunt, & ſenatores tuos ſicut antiquitus. Verùm ne in hoc quidem tanto negocio ſpes deſit certa, animuſq; penitus defatigetur ac deſperet, uide quid pro nobis beatiſsimus oret ſpiritus:

Benefac Domine bonis, & rectis corde.

Orat hîc uates, ſeu potius uatis ſpiritus, hoc eſt, diuinus ignis, quò piis populis piĳ cõtingant principes. Principib. enim bonis orbi conceſsis, quę iam plebs, aut reſpub. aut ciuitas, aut regio quoq; nõ ęquitatis ſtudioſa erit? Ab illa ſanè dignitate tanq; à cœleſti idea & forma, minutioris gregis qui ſunt, totam uiuendi normã deſumere ſoliti ſunt. Cęterũ quis iam tam fracto eſt animo, quin ex hac ſancti ſpiritus ſupplicatione animatus, futurã à tot malis liberationem ſperare audeat? Benignus eſto, inquit, tuis, ac beneficus ô Domine: hos adiuua, hos, ne à te ad hoſtes deficiant, muro tuo inexpugnabili, hoc eſt, cura tua indeficiente, cœleſtiũq; ſpirituum ac doctorum prophetarum, legisq; tuæ ſcribarum & interpretũ uallo ac propugnaculo circũcinge. Boni quidem ideo ſunt, & recti, quia tu eos, & bonos, & rectos eſſe uoluiſti. Tua itaq; defende munera.

Declinantes autem in obligationes, adducet dominus cum operantibus iniquitatem.

Improbas actiones prauosq; animi affectus, ac motus cõſultò immundos, ob-
D ligationes hîc uocat Pſaltes. Et quidem nullum in rebus humanis nodũ eſſe opinor, qui tam arctè res queat corporeas perſtringere, quàm arctè deuincit ac ligat animam peruerſa mens, corq; à pietate alienum, atq; ad humanitatis opera prorſus plumbeum. Poſtquã igitur omnia beneficè bonis euenire oratum eſt, in obligationes impietatis proruentibus hoc imprecatur modo: Illi qui à rectitudinis uia, hoc eſt, à te, tuisq; ſuauiſsimis afflatib. & iuſſionib. in improbitatis laqueos, atq; obligationes ſua ſe ſponte dedũt, adducet Dominus: hoc eſt, ab ſe abĳciens, in tenebras proĳciet exteriores cũ deditis iniquitati, id eſt, ex profeſſo malis, planeq; perditis ac deploratis, quãdo ſcilicet cõſtitutis ad ęquã hędis, agnisq; ad dexteram, immenſus clamabit iudex: Diſcedite à me omnes operarĳ iniquitatis, neſcio uos. Ite, quid eſt in moram ite in ignẽ ęternũ. Hæ ſunt quidẽ obligationes, hi laquei, hæc uincula, à quib. ſuos liberãdos Dominus in Euang. prædicat, cùm dicit: Si uos filius liberauerit, uerè liberi eritis. Mirũ ſi in Chriſtiana religione iam ſit, qui ſe medio alio, quàm Dei filĳ, ab impietatis nexibus, quib. irretitur, eximi uel putat, uel quærit: ubi iam innumerabilibus, ſed miſerandis exemplis notiſsimum ſit, animum illum qui ex ſeſe, aut proprio arbitrio, bonisq; naturę, à ſcelerũ nodis, quorũ ui arctaẽ, ſe excutere cogitet, implicari magis, magisq; in noua quotidie peccatorũ monſtra conĳci. Soli enim Chriſto Deo homini, homines uiuiſſi candi, atq; à ſuis illis uitiorũ obligationib. eximendi, data eſt à cœleſti patre uirtus, ius, poteſtas, imperiũ, non nobis, quanq; & nobis quoq;, quos ſuos in ſalutis noſtrę negocio cooperatores eſſe uoluit. Quod nos legimus, in obligationes, Hebręis eſt ſimpliciter, ad prauitates. quãuis ex illis ſint qui hunc uerſum ſic reddãt: Extẽdentes lubrica, ſeu faciẽtes declinare. hoc eſt, alios faciẽtes cadere, atq; à uia iuſtitię declinare, deduci ſinet cũ operarĳs iniquitatis in ęternã mortẽ. Hũc enim ſenſum ſecutus Paraphraſtes cùm ſuperiorẽ uerſum ita reddidiſſet: Benefac Dñe bonis, & his qui candido ſunt pectore, mox adiecit: Illos uerò qui alĳs pręcipitia parãt, ire ipſos per pręceps coge, quẽadmodũ ſceleratos homines ęquũ eſt. Verũ

A Id tandem illud eſt præmiũ, mercesq; infinita, quam ſummus pater in ſe confidentibus pollicitus eſt dare. & eſt perinde ac ſi dicat: Cũ ſceleratos homines, atq; eos quidem qui à uia iuſtitiæ in impias declinãt obligationes, ſtatus ille futurus, quem illis qui ſponte ſua ſunt mali, atq; alijs infeſti, præparaſti, maneat: quis illos, quorũ uitam tu tibi, quæ tua eſt incõprehenſibilis prouidentia aç bonitas, ad ueram colendã pietatẽ formaſti? quod bonũ? quis finis? Pax ſcilicet, & trãquillitas. Vno enim uerbo noſtrã expreſsit hæreditatẽ, quę Chriſtus eſt: nam ipſe quidem qui fecit, ut inquit Paul. utraq; unũ, hoc eſt, & animã & corpus, alioqui Deo rebelle, ad diuinũ obſequiũ una concordes, pax noſtra eſt ac requies, cùm interim non ſit pax impijs, dicit Dominus. Porrò Iſraël, ut quidã interpretantur, directus Dei dicitur, hoc eſt, qui recto itinere à ſolo Deo ducitur. Nam poſtq; facie ad faciem Deum uidit Iacob, mutato ſtatim nomine uocatus eſt cœlitus Iſraël, fidelis ſcilicet, atq; à pietiſsimo patre Deo directus: unde Iſraëlitæ dicti ſunt fideles, & grex Domini, qui à uero tantũmodo paſtore ducuntur, in rectaq; ſtatuunt uia. Ipſe igitur ſolus eſt, qui noſtra ſtudia, noſtras operationes, noſtrum arbitriũ, noſtram uoluntatem, atq; cæteros animæ & motus & affectus ſedat, ac dirigit. Cæteri uerò quibus noſtri cura eſt demandata, niſi propterea ſeſe præferri alijs appetant, ut nos à diſſolutis uitæ greſsibus reuocent, in rectáue collocent uia, inſtruant, &, ut ſic dicam, in erroribus mortuos animent ac uiuificent, fures ſunt, &, ut Domini uerbis utar, latrones. Magna equidem debet eſſe apud homines ſuperiorũ ſuorum autoritas, ſed maior Dei. Diuina enim maieſtas imperatoriæ, ut ait Ambroſius, non eſt ſubiecta, multò minus autoritati, qui idcirco libenter cæteris pręponi ambiũt & quęrunt, ut ex aliorum ſolummodo ſubiectione atq; humilitate grandes appareant. His nulla, nec in terris quidem: illis ampliſsima atq; æterna, etiam in cœlis pax erit ac quies.

Canticum graduum. PSAL. CXXVI.

B

IN conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati.

Diuinũ hunc pſalmũ alij, ut lubet, de Aegyptiaca ſeruitute, aut cùm reduces è Babylone Iudæi à uicinis hoſtibus, ne ſanctam inſtaurarent ciuitatem, impedirentur, exponant: nos altiori ſenſu ſpirituq; propiori, rem tantam indaganda eſſe arbitramur: & dicimus humani hîc generis captiuitatem à peccato, à lege, à morte per Chriſtum, qui captiuã duxit captiuitatem, ſolutam recenſeri, atq; ab animo tanti beneficij haud immemore ſub typo celebrari. Verùm (ut nunq; aliàs fuerit ſatis mundo nota felicisſima hęc liberatio) modò tam repentino euentu, mirandũ quendam in modum, cunctisq; ſeculis ſtupendũ apparuit, ut fermè uideamur non rem ipſam, ſed ſpectrum ac ſomnium intueri. Dici quidem facilè non poteſt in quàm horrendis ignorantiæ tenebris hucuſq; à multis annis antea uolutatum ſit. Quid nunc? ô felicem ætatem. Vnde tam inſperatum, támue inexpectatum effulſit lumen? Proh Dei pietatem. Quis unquam antea in ſuperioribus ætatibus, populos, urbesq; integras & regiones aut legit, aut oculis propriis uidit adeò certatim ad audiendũ Dei uerbum ac legem concurriſſe? Non iam fabulas indoctas ſecuti, ut olim, noſtri doctores illectant uulgum, ſed Dei præſentiã, uirtutemq; infinitã, & bonitatẽ ſimpliciſsimè, quæ natura eſt ueritatis, diuulgant. Iam quidem fidelium corda in perſuaſionibus parum caſtis inueterata repueraſcunt tandem, nouamq; formã induentia, pro falſis ab impijſsimis temporibus, ne dicam hominibus, aduectis, uera, ſolida, puraq; deguſtare incipiũt. Quid mercatorũ? quid militũ, quorum ſalus aliquibus uiſa eſt impoſsibilis, pœnitentiæ lachrymas, & gemitus memorem? quid uitæ puritatem? quid illud unum, in illo uno ducum omniũ facilè principe perfectiſsimæ iuſtitiæ exemplũ referam? In huiuſmodi igitur à peccato & morte conuerſionem accíti, non gaudebimus? non erimus ſicut conſolati? Hebræi ſic habent hunc uerſum: Cùm reduceret nos Dominus captiuos ex Sion, eramus ceu ſomniantes. Olim enim, ut de priſcis illis umbris aliquid loquamur, Iudæorũ populus in Babylone

C captiuus, ſuper flumina illic ſedens, in memoriaq; charæ patriæ flens, & ſe excrucians, in ſalicibus in medio eius ſuſpenderat organa, ſignũ nimirũ extremi mœroris & luctus. Poſtea uerò liber factus, de exilij ſolutione Deo opt. & maximo gratias agit, & dicit, ſe adeò ob captiuitatis liberationẽ ex Sion lætatũ eſſe, quòd factus ſit ſicut conſolati: hoc eſt, quemadmodũ illi, qui conſolationẽ aliquã inſperatã accipientes obſtupeſcũt, atq; attoniti fiunt: ut olim Petro accidit, qui è carcere ac bois, miniſterio angeli ſolutus, præ gaudio ſtupidus factus, putabat, ut in Apoſtolorũ Actis ſcribit Lucas, ſe uiſum uidere, cùm tamẽ à carcere uerè educeretur. Quare nõ indoctè Hebræorũ interpretes, eramus ceu ſomniãtes, reddiderunt. Solent enim homines felicitatẽ aliquã inopinatã adepti, præ gaudij magnitudine uideri ſibi ſomniare, non rem ipſam cernere. Vnde Paraphraſtes: Præ gaudio, inquit, uiſi ſumus nõ aſſequuti tantum bonũ, ſed ſomniare. Atqui hîc ex his uerborum tropis uides, quanta fuerit olim, ut nunc quoq;, diuinorũ beneficiorũ magnitudo, poſtquã ex animo cõſiderata reddit homines planè ſtupidos, ac ueluti ſomniantes. Et quidem ego, alioqui in rebus cæteris nõ prorſus amens, cùm hæc quę quotidie fieri uideo, contemplor, non poſſum non ſummopere gaudio, quod me occupat, efferri, ac planè ineptire. Quî nõ uſq; adeò geſtiam, atq; ex me prorſus exeam, ut præ lætitia, ex conſideratione tam immenſæ largitatis nuper mundo cœlitus factæ, dementer, atq; inſaniam? cùm uideo Dei gloriam hactenus à noſtra præſumptione, temeritateq; & impudentia obſcuratam illuſtrariſque rum iuſtitiæ ſolem, non mentitum, exeriſ hominem uerò per uitiorum deuia iam diu aberrantem, ad patriã, ad uitam, ad lumen, ad Deum reſtituiſ? Vix enim, etiã cùm uideam, ea fieri credo. Tam quidem immenſa in tam perdita ætate nunquã auſus eſſem optare. De improuiſo igitur lux hæc effulſit, atque ſubitis ſeſe in hoc noſtro caliginoſo radijs inſinuauit ſeculo, quò gratia maior eſſet, magiſq; noſter excitaretur torpor ad retinendas iuſtitiæ ſemitas, à quibus ſuperioribus ſeculis
D tam turpiter erratum eſt. Modò eiuſcemodi libertatis cognitio nõ rectè accepta, illuc noſtram non impellat arrogantiam, ut & prædicatores in temerariã uerborum, ut à nonnullis fieri audio, prorumpant audaciam atq; impudentiam: & hi qui audiunt, periculoſiores contrahant errores, ob auditam tam inſolenti modo euangelicã libertatem, quàm prius unquam, quando orbis fermè uniuerſus profundo detineretur ignorantiæ ſomno.

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.

Homo enim in conſiderandis diuinis beneficijs ſedulus & uigilans, atq; illo maximè, quo de ignorantiæ nube per ſanctum Dei uerbum ſe ſentit ereptũ, non poteſt non ſumma cum iucunditate lætari animo, ac per exteriores quidem ſenſus, atq; indicia forinſeca exprimere, præq; ſe ferre, quanta intus conſolatione afficiatur. Ignauia enim torpentes, inq; Dei obſequio tardi atq; inertes, raro huiuſmodi ſcintillas ſpirituales & ignem experientes, quicquid cogitant, quicquid loquuntur, quicquid demum agunt, frigidum eſt, inane, inconſtans, ieiunum, inutile, licet interdũ à corde puro, atq; ore diſerto & docto, proficiſci uideatur. Ardens enim ſemper eſſe debet id illud omne, quod diuino numini ſemel addictũ eſt, ac conſecratũ. Os in hoc loco ad interiores affectus attinet: nam & animę ſua habent ora, quemadmodum & cætera per tranſumptionem, membra: alioqui & os & lingua hîc idem referre arbitror. Eſt igitur in homine corporeũ os, eſt & ad intellectum pertinens: nam per illud primũ quidẽ quæcunq; ingrediuntur non coinquinant hominẽ: quod exit uerò, ut ſunt malæ appetentiæ, homicidia, adulteria, furta, & multa his ſimilia, quę ore cordis proferunt, non ſolũ cõmaculat animam, ſed & occîdit. Ab ore enim cordis, ut ait Auguſtinus, malũ & bonum emanans, hominẽ uel mundat, uel fœdat. Proinde furtũ, aut meretricia oblectamẽta, uel uſuras ore corporeo dicere, & nominare, malum eſſe nõ eſt cenſendũ: uerùm dum ea uoluntario motu atq; affectu cogitas, uoluptatemq; inde uenaris, pernicioſum, etiam ſi ſileas. Ab iſto igitur interno ore illud maximè uim atq; efficaciã ſumit. Quare hîc uates os cordis primùm, in quo ſcilicet gaudium potiſsimè con

cipi

A cipi ſolet, nominat, alterũ uerò poſtea. Nam ut dolor ille qui cordis penetralib. inſidet, non poteſt non interdũ ſeſe per os corporeũ, ſuſpirijs, gemebundiſq; uocibus atq; eiulatibus manifeſtare, ita quæ in interioribus animæ receſsibus cõcipiuntur gaudia, lingua animi interprete & nuncio, uti ſolent ad ea detegenda, quę corporeos ſenſus omnino fugiunt. Ait igit̃: Facta abs te, ô Domine, à peccatorũ uinculis liberatione, ſolutáue ignorationis captiuitate, ac fracto mortis imperio, & legis, tunc gaudio atq; exultatione tui ſancti nominis, tuæq; miſericordiæ & pietatis præconio impletum eſt cor noſtrum, os, lingua, guttur, & quicquid tandem in nobis, aut extra nos eſt. Verùm ſceleratorũ quorundã mores hîc recenſere exhorreo, qui ob infinita Dei dona mortalibus collata, blaſphemias impijſsimas, & maledicta, tam bono Domino rependere non uerent̃. Veſtra enim res agitur, ô principes, ſi in tanta Dei iniuria conniuetis.

Tunc dicent inter gentes, magnificauit Dominus facere cum eis.

Felix ſic: Magnificauit Dominus facere cum iſtis. Non contentus uir ſanctus ſuo proprio paſci gaudio, ex alieno rurſus ſe admodũ lætari aſſerit. Tanta eſt, inquit, noſtrę liberationis gratia & donũ, ut uel inter publicanos & peccatores, nomen ſanctũ Dei celebret̃, ab illiſq;, qui hactenus à Dei regno uiſi ſunt extorres, dicat̃: Quàm magna profectò ſunt ea, atq; ſtupenda, quæ in ſuorũ gratiã Deus operat̃: uera enim (quod hucuſq; ignorauimus) ac uti tantæ conuenit maieſtati, dilectione, in populũ iſtum afficit̃ Deus. Magna quidẽ, quis iam hoc ambigat? & magnifica inter ſuos agere ſolet diuina bonitas. Sic itaq; de Dei beneficentia die noctuq; aſsiduis laudibus, etiã in ipſis uulgò triuijs & plateis cani audio. Sic meretrices, ſic peccatores, ſic impura uulgi turba iam demum propalata gratia, ſi nõ ore pleno, ut queunt tamen, hoc eſt, rudi adhuc balbutie ac ſaliua, tam ſublimem gratiam & liberationem prædicant. Gratiæ porrò diuinæ haud immemor deipara uirgo, hoc ferè idem, quod hîc à uate dicitur, ſummo mentis tripudio, in ſacro-
B ſancto ſuo cantico celebrauit. Quia fecit, inquit, mihi magna. Cur ſancta uirgo? quia nimirũ potens eſt. Sed & forſan quia tu ſancta? Minimè id quidem, uerùm quia ſanctum nomẽ eius. An tua ad hoc illum impulere merita? nihil minus, ait: ſed quia miſericordia eius à progenie in progenies timẽtib. eum. Vides ne quomodo in ſcripturis noſtra undiq; cadit iuſtitia & uirtus? Ipſe enim, nõ homo, non ars, non ingenium humanum: ipſe, inquam,

Magnificauit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes.

Repetit ijſdem propémodum uerbis quæ ſuperiori uerſu dixerat, diuinam ſcilicet bonitatẽ in ſuos etiã ab his qui longè à ſalutis ſcopo aberant (ſic gentes ante filij Dei aduentũ erant) cognitam & prędicatam. Adeò, inquit, admiranda ſunt illa quæ noſtris temporibus in electorũ gratiã fieri uideo, ut uel athei quidẽ homines eorũ magnitudine moti, uelutiq; extra ſe poſiti, illa hoc modo fateri cogant̃: Magnificauit Dominus, hoc eſt, magna ſunt & ſtupenda omnino, quæ circa bonorũ uitam & tutelam, à Deo optimo, ſummo & maximo peragunt̃. Haud certè generis huiuſmodi illa erãt, quæ Iudæorũ populus, licet electus, licet peculiaris, ſors Dei, hæreditas, uinea electa, & filius dilectus, & eſſet, & ab omnib. diceret̃, inſignis ac portentis expertus eſt. Verè hi dicunt, quòd magnificauit Dñs facere nobiſcũ, unde quidẽ noſtra omnis orit̃ lætitia. Magnũ nónne illud fuit, ſtupendum, prorſusq; intellectũ humanũ, quid humanũ dico? ipſam quoq; angelicæ naturę excellentiã & altitudinẽ tranſcendens, Deũ ſcilicet ipſummet immortalem, impaſsibilem, humaniſq; oculis omnino inuiſibilem, in ſuorum gratiam mortalem factum, ærumnoſum, uiſibilem, ſexcentiſq;, & eo amplius, anguſtijs, contumelijs, iniurijs, cruciatibus, &, ut ſic dicam, mortibus obnoxiũ? Quę alia, oro, magna, admirationeq; digna dici poſſunt, ſi hæc non poſſunt? Quid porrò aliud in terris, ullàue in regione, ac mundi climate, tam unquã miraculo ſimile eſt iudicatum, quàm ea quæ nunc (ô ætatẽ auream, ſi cœptis conſentiat finis) ipſiſsimis noſtris oculis cernimus, manuq; contrectamus, in electorũ gratiam & ſalutem fieri? Fuit̃ ne unquã orbis adeò in denſioribus tenebris obuolutus? Fuerẽ ne unquã

C præteritis ſeculis homines tam longè aberrantes à ueritate, à Deo, à uita, à ſalute? Legeram equidem, at nunquã uideram, factum repentè de cœlo ſonitũ tanq̃ aduenientis ſpiritus uehementis, excutientis, excitantisq̃, ac ineffabilibus deitatis ſuæ radijs ſuos illuſtrantis, replentisq̃ totam domum, ubi erant ſedentes in regione umbræ mortis. Sed illud ſuper omnia admirabile, ex parua unius ſcilicet hæretici ſcintilla, peſsima ſanè & deteſtanda, tam uaſtum inquirendæ ueritatis corda ferè omniũ hominũ peruaſiſſe incendiũ atq̃ ardorem. Adeò ex mala re cœleſtis pater bonũ elici uoluit: quemadmodũ è rudi ſaxo, & informi plerunq̃, mirandum illud diuinæ potentiæ indicium, ignem ſcilicet excuti cernimus. Verùm quoniam duo nunc extrema inter ſeſe ualde pugnantia, longiſsimoq̃ interuallo ab ſe diuulſa, tanquam duos inexorabiles hoſtes, & eorum unum quenq̃ potentiſsimum, per orbem uniuerſum peruagari conſpicimus, malum uidelicet animũ in multis ſectæ eiuſmodi ſtudioſe fauentibus: in alijs uerò bonum, diuinæq̃ gloriæ percupidũ: timendum ſanè eſt, utri eorum potius à quamplurimis acclametur. Tenera enim adhuc res eſt, & quæ facilè ad illorũ utrumlibet inflecti queat: in meliorem tamen partem caſura, ſi Concilij uniuerſalis medela adhibeatur. Expectatur adhuc, utinam non incaſſum. Proinde quoniam inter ſacrum & ſaxum iacere mundus penè totus conſpicitur, uerendum admodum eſt, orandumq̃, ac lachrymis & ſuſpirijs, armis ſcilicet purgatiſsimarũ mentium, inſiſtendum, dieq̃ noctuq̃ ingeminandum,

Conuerte Domine captiuitatem noſtram ſicut torrens in Auſtro.

Perge, ait, Domine, à dira nos, ſicut cœpiſti, captiuitate educere. Parum enim mortalium ſaluti profuiſſe arbitror, ab inanimatarum illos rerum atq̃ idolorum cultura ſuperioribus ſeculis ereptos eſſe, ſi ijſdem modò rebus inſeruiant, atq̃ in eandem ſimulachrorũ impietatem relabantur: niſi fortè turpius, atq̃ adeò periculoſius à nobis poſt agnitam ueritatem peccetur, q̃ ab impijs olim gentibus, quí-
D bus nondum æquè ut nobis iuſtitiæ ſol effulſerat. Hîc itaq̃ à ſanctiſsimo petitur uiro, electas Dei animas, atq̃ animato illi æternæ prædeſtinationis libro adſcriptas, ab impietatis, ignorãtiæq̃, & ęternę mortis captiuitate, cuius quidẽ laqueis miſerandum in modum hucuſq̃ deuinciebant, ad ueritatis lumen, ad fidem, ad pietatem, æternamq̃ uitam, ac Deum conuerti. Etenim ueram hanc ſolummodo eſſe liberationẽ iudico, à uitiorũ laqueis abſolui. Alioquí à carceris ſqualore eximi, aut à tyrannorum ſceptro atq̃ imperio in liberiorem uitæ ſtatum reponi, nihil propémodũ eſt, ſi turpiſsimis cupiditatibus conſpurcatus, uiolentiſsimo ambitionis domino atq̃ auaritiæ pareas. Ab hiſce enim crudelibus manicis ac boís, petenda eſt primũ ſolutio, ab illis poſtea. Et quanquã ingenuis animis illud quidem iugum graue eſt, iſtuc tamen in primis grauiſsimum, atq̃ propterea quamprimum excutiendum, quod ſanè fit pœnitentiæ cruce, hoc eſt, uoluntaria in ad uerſis tolerãtia, precibus ſedulis, lachrymis, eleemoſynis, atq̃ illis quidem animi affectibus, quibus maximè nobis diuinam cõciliamus gratiam ac miſericordiã, humilitate ſcilicet, rerumq̃ humanarum contemptu, ac deſpicientia illa, quæ nõ ab elato animo, ſed quæ à cõtrito atq̃ humili corde proficiſcatur. Quanta porrò lætitia ac gaudio animus ſic liber afficiatur, ex his quæ ſequunt facilè coniectare poſſumus, cùm illum homini in uaſtiſsima & ſiticuloſa ſolitudine, quam hîc, ut cenſet Felinus, torrentẽ appellat uates, cõmoranti, cuiq̃ ſubiti atq̃ inopinati de improuiſo erumpant aquarum dulcium riuuli, ſuo more comparat. An uerò ſic repentina aquarum ſcaturigo ſitienti ſit grata, tute qui legis iudica. Diſsimili tamen aliquantiſper ſenſu hunc uerſum interpretatur Campenſis: Reuoca, inquit, nos è captiuitate cũ eo gaudio & fructu, quo terra ſitiẽs excipit fluentes per eam riuulos aqua plenos. Vides ne hîc quàm graphicè noſtrę ætatis imago & facies, ſpiritus ſancti penicillo efficta ſit? Quæ iam ſolitudo tam arida, támue zonæ illi torridæ coniũcta, aut ſuppoſita eſt, quæ tam ſitiat, atq̃ aquarum appetat fluenta, & ſcaturigines, quàm noſtris temporib. uidimus à populis appeti, ſitiriq̃ Dei uerbi latices: neq̃ eſſe tamen, qui ne per cuniculos quidem occultos, ab ſubterra-

neos

A neos canales, quantũ ſat eſſet aquarũ educeret? Ex doctioribus enim unuſquiſq; ſuis contentus fontibus (penè dixi lacunis) aut nihil purarũ aquarum tradere poterãt: aut ſi poterãt, utpote in Eccleſia Dei autoritate ſumma ac dignitate conſpicui, ex longa tamen deſuetudine temporũ & corruptione torpentes, uel modum ignorabant, uel rem inſolitam afferre pertimeſcebant. Ex quo quidem illud in re Chriſtiana ſubrepſerat malũ, quòd pro uera ſolidaq; pietate, acceptæ iam eſſent uulgò quædam mentitæ iuſtitiæ, ac bonitatis umbræ, & ſomnia, cùm homines, ut queritur Dominus, tenebras magis quàm lucẽ adamarent. Proinde ſimulatq; ex alto lux iam oriri cœpta eſt, fontiumq; uiuorũ copia iam ſatis ampla emanare cernitur, optandus is quidẽ fructus eſt, atq; ubertas in populis, alioqui ſiccis & arenoſis, quæ arenti agro & ſolitudini, ob aquarũ fœcunditatẽ obuenire ſolet. Auſtrum dicit (quanquã non me latet ab aliquibus Hebræorũ interpretibus pro auſtro aridum poni) quoniam in meridionali plaga, in qua ſolitaria admodum ſunt loca atq; inhoſpita, ſpirans è circumiacentibus proximè, longo tamẽ interuallo, montibus eliquat niues, unde fertilitas etiam in locis rudibus & incultis ſæpenumero prouenire ſolet. Is enim uentus ab hauriendis aquis auſter dictus, Græcis eſt Notus, quę ſanè dictio humorẽ ſignificat: ac apud ſacros præſertim autores diuini ſpiritus gratiam atq; abundantiam præ ſe fert. Nam mortalium uita torrenti, præcipitiq; fluuio comparatur: quæ tamen propter ingenitã nobis, ſeu potius ex longo uſu contractam ignauiã, neſcientiæ gelu, atq; incredulitatis frigore, & bruma remorata, in iuſtitiæ curſu torpeſcit, & penè in medio ipſo ſanctarũ actionum profluuio immoritur, niſi auſter ille diuinus, quem ad ſui horti fœcunditatem, fugato prius aquilone, in Canticis illis ſuis amatorijs inuitat ſponſa, dicens: Surge Aquilo, ueni Auſter, perfla hortũ meum: & afflet, & teporem euehat. Vt enim, quemadmodum diximus, auſter per meridionalem plagam tranſiens, tepidus redditur, atq; porrò ob ſui naturam humore calido uiuidus, ſolet flumina tar
B do gelu & frigore conſtricta, atq; à defluuio & curſu retardata ſoluere, ad pronio remq; fluxum, ut rurſus fluant, cõcinnare: ita infidelitatis glacie ac gelu perſtricta anima, à ſalutis q; curſu ob ſuperuacanearũ curarum frigus ac torporem uti à remora ſiſti ſolent nauigia, præpedita, per ſanctiſsimi ſpiritus auſtrum, hoc eſt, diuinis afflatibus atq; aſpirationibus adiuta, in interceptũ iuſtitiæ curſum redire incipit: ſuumq; periculum aduertens, clamorẽ huiuſcemodi cum Pſalte ingeminare non ceſſat, quò ſuam Deus tandem captiuitatem rumpere, atq; in tutiori portu res ſuas collocare uelit. Perſtringunt enim animam infeliciſsimis nodis, uaſtum ueluti Laocoontẽ fatales illi colubri, malus mos, mala in peccatis conſuetudo, peruerſa item ſtudia, fraudulentiæ, ſimulationes, ſimultatesq;, turpia ocia, illecebræ, & cupiditates: quæ omnia adeò tenaciter noſtris iam adhæſerũt uiſceribus, ut penè connaturalia nobis, nobiſcumq; nata appareant. Quare tam inſolubiles propémodum nexus, támue induratũ noſtræ infelicis naturæ, turpiſsimæq; conſuetudinis, & frigus, & gelu, ex nobis diſſoluere aut eliquare non ualentes, ad te ô Domine, qui noſtræ ariditati, noſtræúe ſolitudini & deſerto, auſter es, atq; humor uiuidus & ſalutaris, confugimus, noſtroſq; laqueos & catenas expaueſcentes, ſi non palàm, quia non audemus, at ſaltem in occultis animę anxietatibus clamamus, uociferamurq;: Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut conuerti ſolent in liberiorẽ curſum torrentes niuibus pleni, geluq; conſtricti, ſed ſuauiſsimo auſtri flatu reſoluti. Vides hîc, credo, quomodo peccata nos ligant ac ſtringunt, quemadmodũ aquã, ne fluat, frigus, ac gelu: quo tamẽ auſtri flatu reſoluto, ad ſuum illum naturalem illapſum reuertitur fons, per amœnasq; herbidi aluei ſpondas ruptis algidis illis obicibus properat. Ita ſanè ſpirante ſancti ſpiritus auſtro, à peccatorum glacie ſoluitur anima, atq; ad cœleſtem patriam per apricas diuinorum præceptorũ ripas ſua ſponte accelerans, hoſtibus ſuis formidabilis incedit. Verùm quia in eiuſmodi curſu labor eſt: & cùm maximè in hiſce caducis labantibusq; tranquillitatis humanæ ſucceſsibus ſpereẽ quies & pax, tum paſsim apparet crux, ac undequaq; emergunt difficultates, & hę quidẽ uariæ, ac ſui diſ-

c ſimíles: non propterea tamen abíjciendus eſt animus, neq; à uia iuſtitiæ, uel parũ quidem, declinandus, quoniam

Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.

Eſt terrena profectò, ut in agris atq; agellis uidemus, ſatio: eſt etiam ſpiritualis, quę, ut diuus inquit Auguſtinus, in lachrymis fit. Quare beatos illos fore aſſeruit Dominus, qui in luctu uitam ducere inſtituiſſent. Beati, inquit, qui lugent, quoniam conſolabunt: quod idem fermè eſt, quod hîc dicit, illos uidelicet in exultatione poſtea metituros, quod prius in lachrymis ſeminarunt: hoc eſt, qui in cruce ob Chriſti amorem totam uitam egerunt, carnem q; cum eius concupiſcentijs, ut inquit Paulus, cruci affixerunt. Infeliciſsimum enim illud hominum genus eſſe arbitror, qui cùm in carne ſeminãt, id eſt, cũ omnia bona ſua in corporeis cõmodis & uoluptatibus (uelut ſemina in campis iaciunt) & ponant, & ſtatuant, ſeſe in perpetuo quodã uitæ gaudio fore opinantur, cùm tamen interim huiuſce mundanæ lętitiæ extrema, ut clamat Salomon, luctum occupare nõ ignorent. Senſus igitur: Illi, cui iam libertas ea, quæ per ſancti ſpiritus auſtrũ fit, cõtigit, ſummoperè curandũ erit, ne diſſoluta geſticulatione, leuiq; lætitia ac euanida, ineptiat, ſed in lachrymis potius, ſingultibus, atq; amaritudine annos traducat. Quis, oro, uel ex ijs maximè qui ſponte iam ſua boni ſunt, à lachrymis temperare poterit, cùm q; longè à recto iuſtitiæ itinere peccando aberrauerit, cogitat? Quis abſq; horrore, luctuq; animi ignem illum tetrũ ac mirè ardentẽ inferorũ, plagasq; & cruciatus, quos breuiſsimis ſibi aſciuit uoluptatibus, ac planè commeruit, animo recenſere poterit? Quomodo is miſerandæ atq; ærũnoſæ omnino huius uitæ peregrinationem & incolatũ, quo uelimus nolimus, habitare cum habitantibus in tabernaculis Kedar cogimur, ſiccis oculis uerſabit animo? Saxeus enim ille eſt, ac durior ſilice, qui, cùm flagitia illa intuetur, quorũ turpitudine quotidie ab ipſis domeſticis fidei, uel in ipſo ſecretiſsimo eccleſiæ gremio, diuinã offendi maieſtatem
D conſpicit, non effuſe lugeat, ac cum propheta illo, ſuis dari oculis lachrymarum fontem exoptet. Peccat anima, & ea quidem quæ non corruptibilibus auro atq; argento, ut inquit Petrus, ſed precioſo ſanguine agni immaculati, filij Dei, eſt acquiſita, & ego à lachrymis ceſſabo? Rideant, rideant alij, proximorũq; ſuorũ peccata aclapſus ludibrio, ut lubet, habeãt, & deriſioni: mihi certè huiuſmodi uiuendi mos & modus, nunq; Chriſtianus uiſus eſt, ſed Getulus potius, atq; omnino impius. Contrà uerò, qui ſeminant in benedictionibus, de benedictionibus quidem metent æternam pacem, æternam requiem, æternam lætitiam. hoc eſt quod hîc dicit, in exultatione metent, perenne ſcilicet bonũ, prętereà quòd in hoc quoque ſeculo reſtitutæ religionis optatam uidebunt meſſem.

Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua.

Deſcribit hîc uates illos, qui in lachrymis ſeminantes, atq; ſuſpirijs, gaudiũ poſtea, &, ut pollicitus eſt dominus, exultationẽ obtinebunt. Hi quidem ignauiam horrentes ibant ſolliciti, accelerantes nimirũ tanquam peregrini ad patriam, flentesq; portabant ſemina ſua: uel ut legit Abram Ezra, uas ſeminariũ, quod eſt corpus humanũ, quo ueluti quodam animæ uehiculo noſtræ feruntur operationes, atq; ante nos ad iudicium præmittuntur. Quis enim ex ſemine prodire fructum non fateatur? Ita ex actionibus à fide, atq; amore proficiſcentib. æterna ſolet prouenire felicitas ac beatitudo, nobis alioqui per fidem Ieſu Chriſti, atq; eius cruorem & necem cõciliata: ne glorietur homo, ut inquit Paulus, quaſi ex operibus. Peragunt itaq; ſanctiſsimi Dei uiri ſuæ uitæ curſum non abſq; ſummo animi dolore, & mœrore, propter ea, quæ quotidie in honoris diuini cõtumeliam fieri intuentur, non deficientes tamen interim à cœleſtium admonitionum, atq; exemplorum ſatione & cultura. Hos quidem ſic admonet Paulus: Nolite deficere benefacientes, tempore enim ſuo metemus non deficientes. Etenim illud in primis in diuino obſequio requiri aſſerunt, in uirtutũ ſcilicet itinere ſatis per ſe laborioſo atq; inamœno perſtare, nec ab extero quopiã quamuis uiolento ac concitato motu, à propoſito dimoueri. Nam licet animæ illæ, quæ iam propter laborũ aſſi-

duitatem

A duitatẽ in ſpiritus agone, & bello indurueruũt, callúmue obduxerunt, ac ueluti irreuocabili quodã greſſu maiorẽ ſui itineris peregerunt partem, non poſsint tum ſuam tum cęterorũ non incuſare tarditatẽ ac moram, atq; propterea & dolere & ingemiſcere: poſtea tamen in futura atq; expectata retributione & præmio,

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

Et eſt ſenſus, quaſi ſi quis id dicat, aut cogitet: Quid ſpei illis erit, qui euntes eunt ac flent mittentes ſemina ſua? Reſpondet ſpiritus: Venientes autẽ uenient cum exultatione, portantes manipulos ſuos: manipulos ſanè gaudij, & iucunditatis pleniſsimos, confertósue exultatione, ac tripudio: haud illos quidem myrrhę amplius inſuaues, de quib. ſponſa ſic in Canticis: Faſciculus myrrhę dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Mos enim uniuerſalis fermè omniũ eſt, ut peractis agrorum laboribus, collectísue frugibus atq; hordeis, nihil ſeſe feciſſe exiſtiment, niſi minima quoq; rerum fragmenta, ut ſunt arborum, uitiumq; purgamenta, ſtipulas, malleolos, ſarmenta, atq; huiuſmodi alia, in faſciculos iunco aut uimine conſtricta, ad locupletiorẽ uſum domum referant. Sic ſanè beatæ animæ cum corporibus adhuc ſuis colluctantes, uberiores prius ſanctarum operationũ fructus ante ſe mittunt. Cæteras uerò fidei reliquias poſtea cum è corpore migrare cõtigerit, uno confecto manipulo ac faſce, ſecum deferũt. Et hoc quidem idcirco dictũ puta, ne dum qui nuncij tibi ad tumulũ pręmittendi ſunt ſcirę diſsimulas, aut recuſas, faſciculos neſcio quos operationũ, ne dicam confuſionũ poſt mortem iubeas per hæredes exequi, ac tanquam legatos, rerum uerſo ordine, aut oratores poſt te mitti. Perſuaſum'ne habes tuos liberos, aut uxorẽ, aut nepotes, etiam ſi teſtamento uel codicillo, iuſiurando quoq; addito, illos tibi deuinxeris, tuam magis quàm tu ſalutem curaturos? Vis'ne igitur uiuidos, atq; amplos, nunquamq; deſituros offerre actionũ bonarũ manipulos? illos ipſos, dum

B in corpore hoc mortali uiuitur, hoc eſt, dum agrorum labor nos ad aratrũ, ad falcem, ad cylindrũ prouocat, colligamus, ſanctęq; ſpei uimine ac uirgulto conſtringamus, pręmittamusq;, ſi ſapimus, ante nos. Alioqui certè bona illa omnia, quæ ſaluti noſtrę utilia eſſe & uolumus & deſideramus, poſt pompam funebrem, amicorumq; lachrymas & dolorem, per hæredes plerunq; ingratos fieri, ac poſt nos mitti, cùm per nos exequi poſſumus, iubere, extremæ dementię eſt atq; ignorantiæ. Sunt tamen quædam, quę cum laude à nobis in uita ordiri cœpta, poſt mortem quoq; nos, uti umbra ſolet corpus, ſequi, circumq; ſepulchrum ac cineres uerſare expetimus, dignitatem ſcilicet, honorem, nomen, famam, autoritatem, liberalitatemq;, & id genus alia, quę extincta etiam corporis præſentia, permanere poſt nos, in rebus maximè pub. optimè per nos adminiſtratis, efflagitamus, & quærimus. Marmorea aũt monumenta in uita, aut ſtatuas, & ſacella precioſo emblemate, atq; aſſentatorio epitaphio perornata, propterea erigere, ut inde nomẽ poſt mortem ſanctiſsimũ, quod in uita turpiſsimum fuit, adipiſcamur, ſuperflua cura eſt: ſed ea tamen, quæ famã noſtram, ac nomen maculis uitiorũ infinitis conſperſum, immortale reddat uulgò, alioqui citò, ob anteactæ uitæ rationem, atq; odium, deſiturum. Vide igitur quid de te tuum iſtud monumentum moneat.

Canticum graduum. PSAL. CXXVII.

Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Abſq; diuino præſidio atq; ope, conatus omnes noſtros, ingenium, artem, induſtriam, uires, ſtudia, prouidentiam, fruſtra eſſe, in hoc Pſalmo à ſpiritu ſancto admonemur. Atqui illud potiſsimũ cum à patreſamiliàs exoptandũ ſit, ut cõmodus familiæ ſtatus obueniat, id primũ in ipſo Pſalmi exordio tractari arbitror, cùm ipſum cõmodum uitæ ſtatũ, domũ appellat uates: quam quidẽ, non tantum corporeã illam ſpeciem quã oculis cernimus, & habitationẽ, eſſe credimus, quantũ dignitatem ipſam in liberis, in uxore pudicitiã, fidem, rectitudinem, cęteraq; familię & ubertatẽ, & pacem. Huiuſmodi enim domorum ædificia à Deo Iudæorũ obſtetricibus data, ut in Exodi libro legimus, à

C doctiſsimis Hebræorũ uiris accepimus, ſtabilem ſcilicet, cõmodam, ac numero ſam familiam. Eò enim mortalium omnium conatus & labor ſpectare uidentur, ut ſit ubi habitent, facultatibus interim, dignitate, honore, atq; honeſta familia perornatis. Hæc igitur domus eſt, quam hîc pſaltes aſſerit fruſtra à patrefamilias conſtrui, ni dominus ipſe cõſtruat: quanq;, quod poſtea dicemus, mens hominis domus ea uera ſit, quæ cura ſolertiori ac ſtudio ædificari debeat, quàm hę noſtrę manufactę, quæ corporibus ſolummodo inſeruiunt, idcirco cum corporibus bre ui interiturę: illa uerò æterna, ac Deo ſimilis. Vanæ ſunt igitur uires ueſtræ, ô mortales, uanę prouidentię, uana cõſilia, uana artificia, niſi dominus prouideat, pro uobisq; uigilet, & ueſtras formet cogitationes. Et quidem

Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.

Et hoc ueriſsimum eſt, parum ad urbium tutelam, uel excubias, uel foſſas, uel propugnacula cætera, & munitiones facere, ſi dominus pro mœnibus ſtare, eaq; tutari, & ſeruare noluerit & ciuitatẽ, & ciues. Vidimus enim aliquando per ualla, & foſſas, pauperũ agmina abſq; cõmiſeratione in inſupportabiles detrudi labores, atq; in mediis ipſis luti aggeribus inedia potius, quàm labore (ſpectaculũ horrendũ) conſumi, & expirare. Quid ſacrarũ ædium parietes atq; aras, in muro rum ædificia coniectas memorẽ? quid ſacroſancta templorũ ueſtibula? quid columnas? quid ipſa profanis inacceſſa ſanctuaria ui erepta, ac nefandiſsima metamorphoſi in propugnacula, in arces, in mœnia transformata? Putásne huiuſmodi impietate munitas urbes diutius perſtare poſſe? Quî, quæſo, diuinum numen hoſtilibus tuæ ciuitatis & regni obſidionibus affuturũ ſperare audes, quod uitæ prorſus impuritate, & tyrannide, à tuarum rerum tutela abieciſti? Vin' tu, ô princeps, Deum ipſum omnipotentiſsimũ ad tui cuſtodiam prouocare? Prouoca tu prius, atq; intra urbis mœnia ad habitandũ eos ipſos ciues, ſi ſapis, reuoca, quos à terris iam diu propulſos, ad cœlum Deus aſciuit, iuſtitiam ſcilicet, religionem,
D æquitatem, in ciues amorem, temperantiã, diuinumq; timorẽ, & reuerentiã: alioqui nihil eſt, quòd tu tam anxiè in cõparandis claſsibus, muniendisq; muris atq; arcibus, te torques & affligis, ſi Deum ad rerum tuarũ exitium præſtolaris. Sed ad propoſitum reuertamur. Cùm enim duplex ſit in eccleſiæ ſinu populus conſti tutus, alter qui uetus dicitur, alter uerò nouus: de primo quidem prius, qui carnis cõmodis tantummodo ſeruiens, humanamq; rationem ſequens, nihil non proprio ingenio tribuit, atq; induſtriæ, forſan etiam ſanctitati, &, ut ſibi uidetur, perfectioni, à propheta fit mentio, de altero poſtea. Nondũ enim ille ad meliora experrectus, quippe qui iuſtitiam ſuam uolens conſtituere, Dei iuſtitiæ, ut inquit Paulus, nõ eſt ſubiectus, ea quę ſint opera, quæ in nobis cœleſtis pater operatur, ne per tenues quidem rimulas comprehendere eſt potis. Cupida enim eſt admodum natura humana, atq; maiorem in modum propriæ excellentiæ & uirtutis amatrix. In hoc quidẽ genere, ut Cicer. uerbis de poëtis utar, neſcio quo pacto, ſuum cuiq; pulchrũ eſt. Huic itaq; ueteri, atq; in uia iuſtitiæ prorſus decrepito, & oſcitanti, à ſpiritu dicit: Quid tentas inſane? niſi enim Dominus tua conſilia, tuos conceptus, tuas operationes, mentisq; domiciliũ, ac conſcientiæ domũ, & ciuitatem ædificauerit, cuſtodieritue, fruſtra in uirtutũ exercitio & labore defatigaris.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris.

Parum ſecus Hebræi. Fruſtra, inquiũt, uobis eſt, quòd acceleratis mane ſurgere, quòd differtis rurſus ſedere ueſcentes cibo ærumnoſo. Monet hîc ſpiritus, ab uno illo benigniſsimo, in donisq; profuſiſsimo Domino, qui dedit uitã, domũq; ad habitandũ, dari etiam abſq; tanto noſtro negocio & anxietate, uictum. & eſt perinde ac ſi dicat: Fruſtraneum eſt, & nihil omnino, quòd tanta anxietudine & labore ad operas ſurgitis, tantóue negocio ueſtras uos uobis res paratis, ô mortales. Quinetiã illud uanum, tam ſolicitè diem ipſum, alioqui ad actiones aptum, præuenire, ſeroq; ad ocium & quietẽ reſidere, niſi Dominus affuerit, uobiſcumq; ſimul & ſurrexerit, & laborauerit. Hunc ſenſum ſecutus paraphraſtes ſic reddit: Nihil, inquit, ſuccedet uobis, etiã ſi ſummo mane ſurrexeritis, & ſurſum & deorſum

A ſum curſitantes ſedere recuſaueritis, ſicut hi, qui ſummis laboribus uictũ parant. Nónne tibi uidetur hîc ſuperuacaneam quorundam in comparandis ſibi aut rebus, aut honoribus, curam deſcribi, & tolli etiam? Nec quidem interim de rerum ciuilium miniſtris, aut mercatoribus, aut fabris, aut quorundam patrumfamiliâs more mihi dicendum arbitror, qui ſanè interdum forenſiũ munerum onere, aut filiorum grege & multitudine oppreſsi, huiuſmodi iure omni ſolicitudinẽ & anxiam ſibi uendicant curam. Verùm quid de illorum in tractandis ſuorum beneficiorũ prouentibus, accumulandaq; ſuppellectili, & calore, & auaritia dicendũ? qui ex tenuiori aliquando fortuna, ut uocant, ſeculari, ad Eccleſiæ opulentiã accíti, illud in primis profiteri uidentur, ut auari ſint, planeq; iniuſti, atq; omnibus infenſi. Horum itaq; huiuſmodi admonitione uellendæ ſunt aures: Quô fruſtra ueſtræ uos trahunt cupiditates? ſuntne hæc bona tanti æſtimanda, ut pro illis tutandis, aut potius, tanto cum iuſtitiæ damno atq; iniuria, amplificandis, nomen ueſtrum religioſum, famam, honorem, dignitatem, uenum exponere non uereamini? Niſi enim Dominus uobis meliorem conceſſerit mentem atq; animum, ad ea magis quærenda quæ ſurſum ſunt, non quę ſuper terram, actum de uobis eſſe, & dicam, & iurabo. Non mirum quidem, ſimulatq; primos ad Eccleſiarum gradus & adminiſtrationes, illos nonnunq; aſciſci uidemus, qui in conficiendis contractibus, concinnandis ue ratiocinationibus, &, ut uocant, computis, & litibus, acutiores ſunt, licet in ſpiritualibus negocijs tardi atque hebetes. Cæterùm cum noſtro interprete fermè conuenit græcus: ſic enim habet: Vanum eſt uobis ante lucem uigilare: uanum ſurgere poſtquam ſediſtis, qui manducatis panem doloris. & erit ſenſus: O uos qui manducatis panem doloris, panem ſcilicet ærumnarum, ut uertunt Hebręi, tinctumq; amaritudine, & luctu: hoc eſt, ô uos qui uitam in miſeria & periculis ducitis, id à uobis fruſtra fieri moneo, quòd ſummo mane antelucanis operibus tam anxia cura incumbitis, & poſtquã quieuiſtis, iterũ ad
B reaſſumendũ opus intermiſſum ſurgitis: hoc eſt, qui nec noctu quidẽ uobis parcitis: Niſi Dominus ædificauerit, cuſtodierit ue res ueſtras, inane eſt ac caſſum quicquid agitis. Sunt & qui piam quandam ſuam in hoc loco formare ſolent meditationem, quam ſanè breui quodãmodo epilogo recenſere nõ grauabor, nec ab re quidem ac propoſito. Volunt enim in hoc pſalmo ciuitatem, aut domũ, animam eſſe: ædificatores uerò præſules, atq; antiſtites, quibus quidem inanẽ eſſe laborem omnẽ aſſerunt, niſi ipſe ęternus purgatiſsimarũ mentiũ habitator ſuã ipſe met ſibi uel ædificet uel tutet, & domũ & ciuitatẽ: & quibus ſubinde à ſpiritu dicitur, Vanũ eſt uobis ante lucẽ gratiæ, atq; inſtinctũ ſpiritus, ad animarũ ædificiũ ſurgere, niſi Dominus uos ad tam nobilem, omniumq; difficillimam ſtructurã, ad quã erigendã ſumma opus eſt doctrina & ſanctitate, tum uocauerit, tum inſtituerit. Retunditur in hoc loco (ni fallor) quorundã ſuperiorũ temeritas, atq; inconſiderata parũ ue prudens in ſuſcipiẽda animarũ cura facilitas. Semper enim, cùm in perdiſcenda rerum humanarũ arte aliqua adhibendus eſt delectus, ne inuitis, quòd aiunt, dijs rem prorſus inutilem, noſtræq; naturæ repugnantẽ aggrediamur, tum in hac maximè, quæ ob ſui difficultatem atq; excellentiã, ars artium appellatur, adhibendus eſt. Quare illum, cui eius generis ſarcina eſt imponenda, cuiusq; animus titillatione, neſcio qua, prępondi ſe cęteris afficitur ac pungit, rem ipſam haud diſſimulanter diſcutere oportet, quo uidelicet animo, quo fine, qua meritorũ opulentia, cuiúsue ſpiritus incendio ad illud appetendum, quęrendumq; inflammetur. Accidit enim aliquando ut animi leuitate magis, quàm diuini ſpiritus aut uocatione, aut ductu, moti quidam, rem tantam non ſolũ obuiam, atq; ab alijs ueluti offam Cerbero obiectam acceptent, ſed & impudentiſsimè uenant & emũt. quos ſanè, ſpiritus ſequẽti hemiſtichio admonitos eſſe uoluit: Surgite, inquit, poſtq; ſederitis, qui manducatis panẽ doloris. Longa, ait, uobis prius opus eſt ſeſsione, hoc eſt, ſancto ocio, atq; animi pace, & quiete: à cuius quidem ſuauitate diutius remorati, ea in ſilentio, ad pedes ſcilicet domini Ieſu ſedẽtes perdiſcatis, quæ poſtea in cæterorũ cõmodũ & ſalutẽ, iam ebrij facti, in cellamq; ui-

C nariam introducti, effundere ualeatis. Alioqui ante hanc lucem atq; inſpirationẽ uelle ad alienam uitam informandã ſurgere, & ſeſe ingerere, animi parũ penſi habentis eſt, ne dicam ſtolidi. Neq; illud rurſus abre dictum putant, quòd animarũ moderatores doloris panem edere affirmat uates: ſiquidem ad illorum maximè officiũ pertinere uolunt, non ſua ſolummodo, ſed & ſubditorũ peccata ac lapſus deflere, expiareq; lachrymis, & pœnitentia: alioqui non paſtores, non Dei uicarios, non patres, ſed mercenarios, ac deriſores, ſimul & irriſos animarũ aucupes, illos appellandos cenſent. Flebam, aiebat Iob iuſtus, ſuper eo qui afflictus erat.

Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum.

Iam alter hîc populus à ſpiritu in mediũ ducitur. Illo enim, qui ſuæ iuſtitiæ nimium fidens eſt, deſcripto, ad alterum illum qui bona ſua omnia haud ſibi, ſuæq; iuſtitiæ tribuit, ſed Deo potius, atq; eius bonitati & potentiæ, & quem hîc dilectũ ſuum appellat Deus, effigiandũ tranſit. Felix principium huius uerſus cum ſuperiori conuenire opinatur, hoc modo: Vanũ eſt uobis diluculo præuenientibus ſurgere, retardantib. ſedere, comedentib. panẽ dolorũ: ſic dabit dilecto ſuo ſomnum: uel, certè dabit ſomnũ: hoc eſt, requiẽ & quietẽ à laboribus ſuis dilectis abſq; negocio dabit, quã uos tanto ſtudio, atq; tum animi, tum corporis defatigatione à uobiſmetipſis ſcilicet, nõ à Deo, habere contenditis. Solet enim diuina bonitas ſuis charis ac dilectis omnia, ne petentibus quidẽ, uerũ in utranq; aurem dormientibus, ut eſt prouerbium, abundanter ſuppeditare. & eſt perinde atque dicat: Quid eſt quòd tanta animi anxietate & labore horſum ſurſum curſitantes curam uentris quæritis? Sinite iam tandẽ ô curuę terris animę, Dei prouidentiã ſuas partes agere: nam quemadmodũ ſine ipſo factum eſt nihil, ita nihil omnino ducendum, quod uos ueſtro tam anxio ſtudio & labore agere molimini, niſi ipſe egerit, actúmue ſeruare decreuerit. Vides ne quam de ſuis curã habeat Deus? quantíq; eos faciat? cùm ne cogitantes quidẽ, aut multũ elaborantes, donorũ cumulo dita
D re ſoleat? ad illos uerò, qui proiecto pudore atq; æquitate, toti ſui ſunt, uel in ipſis immenſis ſuis laboribus uitã efflantes, ne oculum quidem uertere? Nihil ſoliciti ſitis, inquit, dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? Scit enim pater ueſter cœleſtis quid opus ſit uobis. Verumenimuero oſcitantiã aut torporẽ hîc à ſpiritu probari haudquaq; ducimus: nam ſui perſimiles cœleſtis ille opifex expetit, ſuaq; dignat beneuolentia: qui licet die ſeptimo ab omni opere quod patrauerat requieuerit, uſq; modò tamẽ, ut diuinus ſcribit Ioannes, operatur: neq;, uel tantillum temporis (ſi fas eſt temporis nomine in illa æterna natura uti) à ſui opificij cura & moderatione ceſſat. Iuſti enim quanq; perpetuò, etiam in hoc mundo alioqui ſolicitudinũ pleniſſimo, ſuperuacuas non admittant curas, ex quibus inquietũ omnino eorũ cor reddi poſſit atq; intellectus, in negocioſiſſimo tamẽ uerſant ſabbato. Non quidẽ torpens eſt diuinus ſpiritus, ſed uiuax: quíq; cœleſtes, uiuas, ac cõcitas, in corda uegeta, atq; in Dei amore flagrantia iaculari ſoleat & faces & flãmas. Quarũ quidem peruſtione excitati ſanctiſſimi uiri, nõ poſſunt nõ uicem diuino amori rependere, proq; igne ignem in operationib. referre. Requieſcũt ſanè ſemper ab omni opere ſuo, quod ſapiat ſcilicet amorẽ propriũ, quodq; ſibi adblandiat, manúmue propriã, ut ait Iob, exoſculet: uerùm ardenti quodam ac miro, planeq; diuino inſtinctu atq; impulſu, patris opus cũ ipſo patre ſimul operant. Quicquid enim fidei illius, è cuius radice optimę tantũmodo erũpere ſolent, uti è uite gemmæ aut fructus, operationes, in ſe eſſe cognoſcũt, id totũ libentiſſimè Deo acceptũ referũt, fatentes quidẽ, q̃ neq; qui plantat, neq; qui rigat, aliquid eſt, ſed qui incrementũ dat Deus. Sic itaq; dabit Deus dilectis ſuis bonorũ ſatietatẽ cũ quiete, & facilitate ea, ut illa dormientib. obuenire uideant: laboresq; illorũ non labores, ſed ſomnus potius ac ſopor, & is ſanè quietiſſimus cenſeant.

Ecce hæreditas Domini filij, merces fructus ventris.

Canit hîc pſaltes, ac docet, qui ſint dilecti illi, quibus ſomni metaphora ſuperius cuncta cum quiete ceſſura aſſeruit, Domini ſcilicet filij, quos tam charos habet, quàm bona hęreditaria inter homines haberi ſolent. Maximę enim curę ſem

per

A per fuit apud homines patria hæreditas, quæ quidem, niſi in extrema rerum inopia, ab hæredibus, abſq; turpi infamia atq; ignominia, à paterna domo abaliena ri poteſt: quò uel hinc perdiſcamus, quàm nõ libenter à patre optimo atq; amantiſsimo noſtrî Deo, abdicemur. Ius enim illud in noſtra iam factum eſt poteſtate, ubi in domo filiũ manere in æternũ à ſanctiſsimo accepimus Euãgelio, ſeruũ uerò nõ ita. Atq; illi quidẽ ſunt uentris, Eccleſię ſcilicet ac fidei fructus. Hunc enim uentrem meliorib. bonis, quàm ſint terrenarũ rerum facultates, grauem, ac fœtũ, ob morũ candorẽ, doctrinæq; puritatẽ, eburneũ uocat ſponſus in Canticis. Quis hîc malus ſuam nõ defleat ingratitudinẽ, qui poſtquam tam amantiſsimis appellationibus atq; elogijs, dilecti ſcilicet, hæreditatis, filij, fructus, à cœleſti patre eſt dictus, peccando tamen ſeſe ingratiſsimis auſibus, ab ipſo patre, à uita, à Deo, uel inuito, ut ſic per exceſſum dicam, diuino propoſito & uoluntate, euellere conatur? Merces enim in hoc loco Hebræis eſt potius donum liberum, atq; ingenuũ, quàm merces debita: & eſt ferè idem ſignificans repetitio cum ſuperiori, ut idem ſit filium eſſe, ac uentris fructum: rurſus hæreditatem idem cum mercede. Quare optimè à Paraphraſte eſt redditum hoc modo: Ecce, inquit, hęreditas quam Dominus dat, filij ſunt, & præmium præcipuum, fructus uentris. An uerò donum præcipuum ſit, apud homines præſertim qui rei uacant uxoriæ, honeſtoq;, & ut uocat Paulus, immaculato toro dant operam, habere liberos (de liberorum gregibus per clericorum aut ſacerdotum cellulas uagientium, aut in ſuæ pellicis gremio uidente quoq; uxore ludentium, negarem hîc à ſpiritu dici, niſi huiuſce fœturæ homines, uel uſq; ad ſummum totius orbis apicem euectos, & uidiſſem, &, uti maximum fortunæ ludibrium exhorruiſſem) hi ſcire poſſunt, qui hæredem alienum, & quem fortè rerum ſuarum ingenti cum periculo, & tum animæ tum corporis iactura comparatarum, prodigum, ſubitumq; decoctorem præuident.

Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.

B Suo more uates ſimilitudine utens, filios affabrè gnauos, optimeq; inſtitutos & morigeros, ſagittæ à ualida potentiſsimi uiri manu è neruo emiſſæ, ob illorum agilitatem, atq; in feriendo certitudinem, comparat. Excuſſorum nomine in metaphora perſeuerans utitur. Sagittas enim ab arcu eiectas excuti, ſeu excuſſas dicimus. Ita filij olim ex Iudæis incredulis credentes, atq; ex ſpiritu & aqua renati, à reprobis parentibus, à diuina ſcilicet luce abiectis excuſsisq;, ui quadam in naturã ipſam ſæuiente amoti atq; euulſi, citiſsima celeritate atq; impetu, tanquam ſcintillæ in harundineto diſcurrentes, hoſtium fidei corda alto uulnere ſauciarunt, hos quidem ad internecionem, illos uerò ad uitam. Non defuere tum planè, ut nunc etiam non deſunt, uel ex excellentioribus ingenijs, qui audita ab ipſis idiotis uiris, prorſusq; infantibus ac rudibus ueritate, indignati magis in antiqua perfidia induruerunt. Fuerunt etiam quorum mentibus alterius generis uulnus infixum, contra naturam uulnerum, ab antiquis illos uitiorum plagis ac putore ſanaret, uiuidamq; conualeſcentiam, hoc eſt, ſpiritus libertatem, reclamantibus quoq; excuſsis illis ſcribarum ac phariſęorum turbis & monſtris, obduceret. Deo, inquit Paulus, gratia, qui ſemper per nos triumphum agit in Chriſto Ieſu, ut odoriſimus alijs quidem mortis ad mortem, alijs uerò ad uitam. Vides, ni fallor, ex his unius excuſſorum filij non prorſus idiotæ uerbis, duplex, ſed longè diuerſum ab ſeſe uulnus. Ex Hebræis tamen quidam pro filijs excuſſorum, filij iuuentutis reddunt, ſeu filij adoleſcentiarum, ut uult Fel. Nam uetuſtate, ſenectuteq; legis à ceruicibus noſtris per robuſtiſsimos in ſpiritu iuuenes, licet mundo debiles atq; imbecilles, Chriſti diſcipulos, excuſſa, longeq; proiecta, nihil iam in religione atq; academia Chriſtiana & doctrina, uetus eſt, ac ſenio affectum, ſed uegeta omnia, uiuida, robuſtaq; ſunt, ac ſucci pleniſsima. Quam ob rem pro populo ueteri nouus ſubrogatus eſt, qui ſeneſcere non nouit, ſed quotidie magis in ſpiritus adoleſcentia repueraſcit, atq; de die in diem, ut inquit Paulus, renouatur. Ecce, ait Dominus, noua facio omnia. Nec ſatis quidem fuit olim nobis alioqui natura ad malum pronis, antiquum illud oneris, ut uocat Eſaias, iugum, aut ſce-

C ptrum exactoris superasse in die Madian, nisi & quotidie nostra, ueluti aquilę innouetur iuuēta, in diesq́ magis paruulus ille qui natus est nobis, in mortaliū animis reformetur, crescatq́, ut monet Paulus, in uirum perfectum: hoc est, in perfectiorem, quàm hucusq́ actum est, uitæ statū, deposito peruersę consuetudinis senio, & uetustate: seu serpentium more, antiquo abiecto cortice, ac pelle, noua in Christo, ut ait Paulus, simus creatura. cui quidē innouationi nostra hæc uidet̄ ætas ab æterno illo diuinæ prouidentiæ decreto destinata. Tantū illi, quibus cura hæc incumbit, non torpescant, ac leporem, quod aiunt, experrectū insequi nō recusent. Videor enim uidere omnium animos ad ueritatis amissæ recuperationē intentos, modò non desit, qui uiam præmonstret.

Beatus vir qui impleuit desideriū suū ex ipsis, nō confundetur cū loquetur inimicis suis in porta.

Hebræi, quò sagittarum metaphoram seruarent, pro desiderio, pharetram interpretati sunt. Sic Fel. sic cæteri Hebręorum interpretes. & est ac si dicat: Beatus planè uir ille erit, cuius domum talibus filijs, robustis scilicet, moratisúe, ac mira dexteritate prudentiáq́ præditis, impleri cōtigerit. Summā in terris hanc esse felicitatem opinantur homines. Qui enim huiusce generis atq́ excellentiæ habuerit filios, quomodo pudefiet, aut pertimescet, cùm loquetur, contendetq́ cum hostibus suis in porta, hoc est, in iudicio? Conuentus enim atq́ iudicia, in portis per antiquos patres haberi consueuerant. Quare portas, quod aliàs me admonuisse recolo, pro iudicijs, comitijsq́ forensibus in scripturis haud raró accipi legimus. Euthymius monachus super hunc locū interrogat. Ex ipsis? quæ ipsa? quæ superius, inquit, memorata sunt, quòd sanctæ ciuitatis constructio perficiatur, quòd ab omni perturbatione requies detur ac pax, quòd multā prolem suscipiat Ecclesia, quodq́ alia dona recipiat. Vides quæ desideria in fideliū animis inesse oporteat? Qui enim eiusmodi curis ac uotis sua impleuerit desideria, cordisq́ abdita castissimis occupauerit appetentijs, non confundetur sanè, non repulsam, cùm

D negociū illi fuerit cum hostib. in porta referet: hoc est, in iudicio illo uniuersali, uel in priuato quoq́ uniuscuiusq́ obitu, per quem ueluti per portam ad immortalem statum transitur, constans, atq́ ad hostium accusationes intrepidus perstabit, quippe qui rationes suas omnes iam antea, cùm sanus esset, uitamq́ in uirtutum adeptione laborans sudansq́ exercuerit, optimè cum Deo uirtutū omnium erogatore instituerit. Is itaq́ cùm caducis hisce rebus corporeis per mortē concedere iubet̄, non potest nō sanctissimè, cùm in sanctissimis uixerit desiderijs, è uita emigrare. Iam primum quidem conceperat animo, nihil in re præsertim salutis humanas uires, ingeniū, conatus, studia, quamuis sublimia, uulgaresq́ doctrinas excedentia, subsidij afferre posse, nisi Dominus ædificauerit, custodieritúe dona sua, ac beneficia. Deinceps à spiritu eruditus iam probè nouerat uanam quietem nostram esse, uanum ocium, uanum item laborem, uanas curas, uanum quicquid agimus, quicquid cogitamus, quicquid animo molimur, nisi dominus nobiscum fuerit, nobiscūq́ illud, utpote qui omnibus animæ motibus atq́ actionibus uelle perficereq́ instillare non cessat, & egerit, & perfecerit. Neq́ id quidem postremò sic affectam animā latêre potuit, quòd cùm dilectis suis dederit somnū Deus, requiemq́ à curis omnibus humanis & solicitudinibus præstiterit, pręstò aderit hæreditas Domini, hoc est, ipse filius Dei, qui nostra est hæreditas, nosq́ ipsius: qui quidem in porta, iudicioq́ illo supremo, iudex omnium factus, molestissimo imperabit hosti, Sile tu perfide: uos autem hæreditas mea mihi, percipite regnū uobis ab origine mundi decretum, atq́ à cœlesti patre pręparatū. Est qui pro uobis exactè soluit, postquam uos non eratis soluendo, filius Dei uiui, qui cum patre ipso, ac utriusq́ spiritu regnat Deus in secula seculorum. Amen.

Canticum graduum. PSAL. CXXVIII.

Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.

Bona profectò corporea, quę media appellamus, idcirco mortalibus à cœlesti parente elargiuntur, ut omni superuacua ex animo reiecta cura &

A rá, & ſolicitudine, quietius ad ea contemplanda quæ uera bona ſunt, atq; expeditius parati ſint: quanquam, neſcio qua ſorte id accidat, quòd ea in primis & quærimus & amamus, quæ iure omni, tum humano, tum diuino, in ſecundis haberi oportuerat. Quotus enim quiſq; eſt, & ex illis quoque qui eccleſiaſtici, ſingulari quadam religione appellantur, & ſe uideri cupiunt, cui non magis uitæ cõmoda, atq; deliciæ curæ ſint, quàm quomodo paucis, minimisq; contentus, illam in terris degat uitam, quæ angelica potius quàm humana dici queat? Eò enim iam noſtra paulò antè deuenerat religio, ut is ſolus in rebuſpub. in regnis, in urbibus, in ædibus etiam ſacris, & felix, & beatus uulgò cenſeretur, atq; propterea magis honoraretur, cui ampliores erant fundi, maior armentorũ numerus, ædificia editiora, precioſior ſuppellex, ærarium copioſius, atq; animus ad appetenda illa quæ nunquam ſatiant, ardentior, & ſagax magis. Ex quo illud potiſsimum Chriſtiana in re ortum habet uitium, atq; error, quòd aut nulli, aut pauci ex his, qui hoc mundo utuntur, ut monet Paulus, tanq; non utentes, ſapientes ſcilicet qui ſunt, aut, ut uult Plato, ſapientiæ ſtudent, ad magiſtratus, curamq; animarũ aſciſcant: uerùm illi magis, qui aut ſeſe totos quicquid ſunt, abiecto pudore, ſalutemq; animę neglecta, ac plenis, ut aiũt, uelis, in ſui principis gratiã & cõmodum, æternis cruciatibus deuouẽt (ut olim Decij illi, fortiſsimi quidẽ uiri, pro ſuæ reipub. ſalute egêre: quanquã hi melius atq; honeſtius occubuere, utpote qui pro omniũ ciuiũ ſuorũ ſalute propriã deuouerunt: noſtrates uerò quid? pudet literis ea mandare quæ æterna noſtram religionem forſan afficient ignominia, & cõtumelia: dicam tamẽ ex noſtris multos haud iam in ancipitẽ terræ hiatũ, ut quondã Q. ille Curtius, ſed in certiſsimam atq; æternã mortem, & ſuam, & cæterorũ ciuium, quantũ in illis fuit, ſalutẽ deiecíſſe, ob rem quidem nihili, quam ſanè impręſentiarũ ſilentio præterire malui, quàm rem unam tam crebrò inculcare) aut nihil non agunt, quò ex alienis incõmodis ac damno, ſuas res, aut liberorũ augeant. Vnde lachry
B mabiles illi infelicis turbæ à propriis laribus, à focis, à tectis, ab agris etiam ipſis paternis ui eiectę, per urbiũ triuia audiuntur ululatus, ac gemitus. Ex qua quidẽ crudelitate illud maximè contingere eſt neceſſariũ, quòd ciues aut ſedes alias extra patriã ſibi parandas cogitabunt, aut perpetua ærumna miſeri intra ipſiſsimos ſuæ patriæ terminos incertis ſedibus & domicilijs peragrabunt. Verũ hæc, dum aliud agimus, per exceſſum ſunt dicta. Impoſsibile enim eſt aliquãdo ſatyras nõ ſcribi, ab ingenijs præſertim illis, qui nihil in uita tam auidè cupiunt, quàm quòd orbis uniuerſus flamma, non iam cupiditatũ atq; auaritiæ, ſed mutuæ charitatis, beneuolentiæq; principũ in ciues, uiciſsimq; in principes ciuium deflagret, quò elogium iſtuc prophetícũ de cunctis in Eccleſiæ ſinu cõmorantibus dici poſsit: Beati omnes qui timent dominũ. uel, ut reddit Hebræus interpres: O beatos omnes qui dominũ colunt: non aurum, non ſcortum, non ſe tandem. Et in uijs eius ambulant. In alio enim pſalmo initium ſapientiæ, hoc eſt, ueræ cognitionis exordium eſſe aſſerit timorem diuinum, quo homo, animal alioqui durum atq; arrogans, ad eius opera & iudicia trepidet, ac moueatur. Sanctum quippe eſt, terribile q; ac uenerandum nomen eius, quocirca metuendum. Senſus igitur: Alij eos beatos appellare ſoliti ſunt, quibus amplæ diuitiæ, forma, dignitas, honor, pulchritudo, humanarum diuinarumq; rerum ſcientia ac notio, principum fauor, magiſtratus, ſublimesq; & primi in rebuſpub. gradus, atq; eius generis alia, quæ nobilitatem quandam pluſquam humanã præ ſe ferre uidentur, cumulatiſsimè inſunt. Nos, ait uates, illum ſolum, licet mundo deſpectum, ab illoq; male habitum, uerè felicem ac beatum eſſe ducimus, qui timet dominum, atq; in iuſtitiæ ſemitis, quæ ſunt uię eius, graditur. Et quia, ſicut ſcribit Lucas, non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi, propterea in ipſa ſtatim fronte pſalmi atq; exordio, uniuerſalem affixit dictionem, omnes ſcilicet: ne hîc nobis perſuaderi patiamur, particularium duntaxat hominum Deum eſſe, & non omnium. quod ſanè contra illos uidetur eſſe, qui ex ſolo Dei propoſito & uoluntate, abſq; humano aliquo arbitrij ſubſi-

C dio atq; ope, electos ſaluari diſputãt. Verùm aliud nunc agimus: id quidẽ, quòd beatos illos omnes eſſe affirmamus, qui plus quàm humanam, diuinam timent, ac uenerantur præſentiã: & qui nec in ſuperiorũ ſuorum gratiam, quamuis potentium ac formidabilium, eò uecordiæ deueniunt, ut à iuſtitiæ itinere uel tantillum quidem declinent. Quare nunquã bonis illa uiſa eſt ingenuo digna animo uox, qua quis turpiter atq; iniuſtè magiſtratum ſibi aut à principe, aut à repub. aut etiam à neſcio quo euentu & caſu demandatum exercet, quo ſcuto utitur, dicens: Sic iuſsit princeps, ſic rex, ſic præſul. Diuina enim maieſtas, quod aliàs quoq; diximus, imperatoriæ non eſt ſubiecta, multò uerò minus tyrannicæ. Cæterùm ambulare in uijs domini, nihil aliud eſſe ſcribunt patres, quàm in cunctis noſtris & cogitationibus & actionibus ſeruare iuſtitiã, quam perfectam mandatorũ Dei obſeruantiam, & cultum eſſe diffiniunt. Tantum enim porrò abeſſe debet ut pro prij amoris uiſco impediti, non in uijs Domini, ſed in noſtris potius, quæ prauæ ſunt, atq; ad interitum pertrahentes, libenter ambulemus, ut etiam quicquid in nobis eſt, quod noſtrũ uidetur, abijciamus, nedum uias noſtras, quæ multarum cupiditatum ſpinis obſitæ ſunt. Abijt uagus, inquit Eſaias, in uia cordis ſui. Et, Quàm uilis facta es iterans uias tuas.

Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.

Pulcherrima, ut ſic dicam, deductione utens propheta, tota animi fiducia illũ aſſerit, qui timet Dominum, atq; in uijs eius ambulat, beatum in primis eſſe, æternæq; uitæ ſecurum. Deinde nec corporea hæc quidem bona illi deeſſe poſſe. Laborabis, inquit, manibus, ô tu quiſquis es talis, uti ſanctos decet: cæterũ uerò tui curam Deo relinquas uelim. Laborant alij, ſed fruſtra ſæpenumero, partisq; non abſq; maxima animi moleſtia atq; ærumna utuntur. Hi ſunt enim quibus ne diuitiarum quidem oceanus ſedaret habendi ſitim. Soli igitur qui timent Deum præſentibus cõtenti ſunt, ſummaq; animi trãquillitate ac quiete, rebus obuijs, quan-
D tumcũq; dederit Deus, uti ſolent. Semper enim illis bene, beateq; & feliciter omnia euenient: quia quicquid ſors rerum attulerit, illud omne in ſuum pertrahunt guſtum & commodum. Quomodo, quæſo, ſui curam Deum nõ habere expoſtulabunt, cùm ſibi à diuino ſpiritu præceptum illud eſſe non ignorent: Timete, inquit, Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum. A timore igitur hoc caſto ac uenerando, omnis mortalium omnium felicitas ac beatitudo, hoc eſt, tranquilla perturbationũ appetentiarumq; ſedatio emanat, pignus ſcilicet atque arrhabo futuræ uitæ, quæ ſanè abſcondita eſt, ut inquit Paulus, in Chriſto Ieſu: quo adepto anima ueluti in fine proprio conquieſcit omnino, neq; aliud ultra quærere aut uult, aut poteſt. Proinde haud mihi quis hîc dicat, beatitudinem quidem in Chriſto nobis promiſſam, ad futurum uitæ ſtatum pertinere ſolummodo, non ad præſentem, cùm impoſsibile iam factũ ſit ob aſsiduas affectuũ cõmotiones ac tumultus, animã prorſus cõquieſcere, ſedariq; omnino. Non inficior equidem illic perfectiſsimã eſſe beatitudinem: hîc uerò in perfectionis deſiderio atq; conatu ſudare animam, niti, inſtare: quod quidem exercitiũ, aut laborem, beatitudinis nomine dignari non inconueniens erit. Quare non immeritò uirum ſic affectum alloquitur Pſaltes: Beatus es, inquit. poſtea uerò, bene tibi erit: hoc eſt, in utroq; uitæ ſtatu, licet nõ æquo gradu, felix eris, ac beatus. O beatũ, ait Campenſis, & felicem te: ſic enim quæ labore manuũ tuarum paraueris, frueris: quanquã præſens hæc ætas ad exercendas ſolũmodo uires animi apta uideatur, atq; ob id potiſsimũ à Deo opifice maximo mortalibus conceſſa, ut in ſudore uultus ueſcamur pane: futura uerò huc ſpectare uidetur, ut ea quæ hîc maximo cum labore acquirunt, æterna pace, in Deo ſummo rerũ conditarũ bono ac fine, perenniq; felicitate, ac beato gaudio poſsideamus.

Vxor tua ſicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.

Illud enim quod maximè in uxore expetũt uiri, fœcunditas eſt: quam quidem feliciſsimè marito illi, qui timet Dominum, contingere promittit uates. Verùm quid interim de illis cenſendũ, qui, cũ in timoris diuini ſtudio atq; exercitio die noctuq;

A noctuq́ uiuunt, uxorem tamen interdum ſterilem, &, quo magis ſeſe excruciant miſeri, impudicã, rixoſam, atq; adeò immorigerã, ut Xantippem dicas, in patrijs domibus alere coguntur? Ex duobus enim, alterum diffiniendum eſſe arbitror: aut illud quidem, quòd non timore eo, quem uiro perfecto conuenire par eſt, affi ciuntur: aut, quod magis placet, de alia uxore, quàm quę mortales pariat liberos, intelligi oportet. Sapientiam hanc uolunt eſſe, de qua quidem legimus: Ama ſapientiam tanquam ſponſam, & ipſa amplexabitur te. Illa uerò: Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos. Sed quemadmodum uitis, quæ natura caduca eſt, niſi alieno adminiculo, quod clauiculis illis ſuis cõplexa quaſi manib. ſerpit, fulta ſit, ad terram fertur, atq; propterea ſterilibus malleolis, ſarmentiſq; luxurians ſyl ueſcit facilè, ac per omnes partes nimium ſui prodiga funditur: ita huius effigiem rerum diuinarum cognitionem, quam ſapientiam appellamus, ſecum ferre arbitror: quæ niſi à timore, ueluti ab ulmo uitis, aut fraxino, ſubfulciatur, in aridos ſæpe pampinos leuitatis atq; arrogantiæ deſinit. Huic uerò nixa, atq; appoſita, fit ſicut uxor uberrima coniũcta uiro, aut ſicut uitis arbori innixa. Diuus enim Auguſtinus, uxorem hanc feracem, eccleſiam uult eſſe. Alij animam, quæ timori diuino, tanquam uiro nupta, uberrimos ex ſeſe ſanctorum deſideriorum atq; affectuum emittit fructus. Non diſplicet tamen, quò ad aſſequendam huiuſce timoris gratiam magis accendantur mariti, uxorem illam in hoc loco intelligi, cui in ſui peccati mulctam, ſub execratione eſt dictum: In ærumna & dolore paries: ut uel hinc quàm longe à Dei timore abſint, perdiſcant, poſtquã fertilitas illa in ſua uxore deſideratur, quam timentium Deum uxoribus dari non dubitant. In lateribus domus addit, quò liberorum copiam in lateribus omnibus, atq; angulis ædium undiq; uerſari ſentias. Quid ſi uideas huiuſmodi fœcunditatem liberorum in uxoribus Deũ haud quaq; metuentiũ? num ob id reprehendendus eſt Deus? num donorũ liberalitatem, uel in immeritos, in liberaliſsimo Domino carpere
B audes? num quod ſe timentium uxoribus pollicitus eſt dare, non timentiũ negabit? Tu enim, ſi ſapis, Deum time, atq; eius uoluntati pare, & obſecunda. Cætera uerò quæ tibi eſt pollicitus, ſi ex uſu tibi erunt, dabit, tantum non Dei iudicia nimio feſtino appetitu noſtro anteuertere cupiamus.

Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.

Solent enim parentes, poſt anxiam rerum uel domeſticarũ uel publicarum curam, è foro domum redeuntes, extra limẽ ad tempus negocia omnia relinquere, quò tranquilliori cõſuetudine atq; ocio, curis uacui, cum reliqua familia cibum ſumant. Accurrit primùm uxor, ſi non greſſu, animo ſaltem: ſerui, ancillæq; feſtinant, lectos ſternunt, apparant cibum, & pro ſe quiſq; ſedulò facit, quò Domino fiat ſatis. Verũ pater nulla alia à domeſticis tam afficiẽ conſolatione, quàm ſi numeroſa liberorum copia menſæ, dum paſcitur, circũſtet. In his enim (modò pater ſit) oculos, mentem, animum, affectum deniq; omnem atq; amorẽ, fixum habet. Putás ne mediocre hoc donum eſſe dei? Aiunt enim patres hanc omnium maximam eſſe conſolationẽ, ueram, & quæ inter alias cor magis tangat, atq; afficiat. opinor equidem: ſed eam omnium maximam in homine illo, qui ob liberorum cõmodum atq; amorẽ, timorem Dei omnem abiecit, eſſe non iudico. Impoſſibile enim omnino eſt, cor illud, quod prius æquitate, iuſtitia, timoreq; illo, de quo nunc loquimur, non affectum ſit, uero ac ſolido affici gaudio. Non (crede mihi) animũ impium, uel ipſa tota, quãtaue ſit fortuna & fautrix, & prompta, cum cornu illo ſuo rerum omnium bonarum copia referto, atq; ſi lubet exundanti, ſedare poteſt, ueraq; oblectare lętitia & conſolatione. Cùm recolit animo quã periculoſa res ſit, quámue odioſa aliena rapere, filijſq;, ex aliorũ fundis atq; agris, diuitias parare, non poteſt non miſerrimè uiuere: ex præteritiſq; periculis edoctus non poteſt, nedum capiti proprio, uerumetiã filiorũ, totiuſq; poſteritatis ſaluti non maximopere timere. Hunc igitur nunq; dixero felicem, ſed miſerrimum, miſeriamq; ſuis poſteris comparantẽ. Huic ne dicam aſtare poſſe filios tanq; nouellas oliuarum plantas, uirentes ſcilicet atq; intuentiũ mirè oblectantes aſpectũ? Ve-

C rùm, ut ad ſapientiã reuertamur, ea eſt uxor, quæ in lateribus domus noſtræ, hoc eſt, in omni parte animę elegantiſsimos effundit fœtus, ac liberos, qui ſunt, honeſti motus, caſtæq; appetentiæ, atq; undequaq; ad iuſtitiæ librã ponderata cõſilia. Hac enim ſimilitudine mirabilem exprimere uoluit Pſaltes delectationem, qua maximè ex actibus à ſapientia profectis afficitur uir ſapiens. Circumſtant igitur, atq; immenſo oblectãt gaudio, ueluti lautè inſtructã menſam, cor ſanctiſsimi illi affectus, ac motus fidei, qui à ſapientia producuntur: nam abſq; ſapientiæ dono, legitimi filij, ſancta ſcilicet opera, atq;, uti in oliueto plantę ſunt ſemper uirides & aſpectu gratiſsimæ, uſq; uirentia, oblectamentumq; præſtãtia, à fide exire neque unt: ita neq; à ſapientia, abſq; fide. V traq; enim, & menſæ, & uxoris nomen ſibi uendicat. Quid ergo?

Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum.

Ad hunc, ait, modum, ut dixi, uir ille qui Dominũ reueretur, ditabitur. Quòd ſi porrò mortaliũ liberorũ grege, aut fœcunda uxore toroq; nuptiali carere ſeſe uiderit, uti carent (modò careant) cõplures templis ſacriſq; ædibus inſeruientes, eò quidẽ ſanctiſsimæ huiuſmodi beneficentiæ pollicitationẽ, alia in re, alioq; in loco, q̃ ſint mortales amplexus, aut ſecreta conclauiũ, ſibi dandã eſſe exiſtimet. Intus enim in anima eiuſmodi canitur hymenæus, ubi immortalis eſt uxor, immortales liberi, immortales oliuarum ſurculi, immortalis cibus ac menſa. Non timentibus quidẽ Deũ, dura hæc omnia uideri ſolent: illa uerò mollia, utpote quę in carnis laſciuia, ocio ac mollitudine ſolũmodo uerſanť: hęc aſpera atq; dumoſa, uti cętera illa ſunt, quę, niſi ſummo nixu & labore, uigiliſq; aſſiduis, ac perpetua carnis afflictione & morte, uel intelligi uel adipiſci poſſunt. Cæterùm cùm nihil æquè animã à Deo tam longè abijciat, q̃ peccatũ: nihilq; tantum diuinas gratiarum infuſiones, ne cor noſtrũ, alioqui ſiccum & aridum, ſcatebris ſpiritus & temperent & fœcundent, ſiſtere ſoleat, quantũ torpor & ignauia: timor ipſe diuinæ
D preſentię, eò quòd torporem omnẽ deſidiamq; à ſomniculoſo pectore excutiat, ipſumq; à uitijs, libidinoſis uę affectib. & retrahat & repurget, atq; ad aſſequendum omne bonũ præparet, uidetur quodammodo totius bonitatis adipiſcendæ origo & fons eſſe, à quo quidem uirtutum omnium deducuntur riuuli.

Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſraël.

Verendum enim nequaquã eſt, ne firma nos maneat de promiſſa benedictione certitudo, ſimulatq; ſpiritus ille, qui patris iram in nos meritò accenſam, quæ eſt eius ſuauiſsima natura, reſtinguere ſolitus eſt: nobis alioqui ſtupidis, atq; ad intelligendũ tam amplũ beneficiũ prorſus plumbeis ac tardis, bene precatur hoc modo: Beatũ te faciat, ô tu quiſquis es, qui times eum: teq; in bonis tam mentis, q̃ corporis feliciſsimè augeat, ac tibi res omnes tuas ſecundet Dominus ille, qui habitat non in opacis nemoribus, in excelſis, aut in ſtatuis, idoliſq; manu factis, ſed in loco Sion ſancto, quæ eſt Eccleſia, quam fidelium conuentum, & communionem eſſe diffiniunt ſancti Dei interpretes. Quid poſtea? Videbis filios filiorum tuorum: hoc eſt, longæuus adeò eris ſuper tetram, ut auus de nepotibus gaudere poſsis, cernesq; poſteros poſteris longa annorum ſerie ſuccedere. Sed interim bona alia uerſare animo recuſabis, illa nimirum, quæ neq; oculus uidit, neque auris audiuit, neq; in cor hominis aſcenderunt? Nam cùm terreſtris Hieruſalem bona corporea ſint, quippe quæ in diuitijs, opibus, potentia, corporisq; pulchritudine, & cæteris huius generis rebus, quæ fortunæ ludibrio expoſitæ ſunt, conſiſtunt: illa cœleſtis, quæ ſurſum eſt, mater noſtra, ut inquit Paulus, in immortalitate, æterniſq; ſeculis, atque indiffinito æuo ac beatitudine fundata ſunt: illa, inquam, quæ neque tineis, neque furibus, neque cruentæ prædonum ſiti obnoxia ſunt. Dies enim uitæ huius cùm finem habeant, illorum etiam bona finem habere neceſſe eſt. Cæterùm quis ambigat an futuræ uitæ bona æterna ſint, cùm Deus ipſe illorum dator æternus ſit, qui eſt tota felicitas noſtra, merces, uita &

pax?

A pax? Est & alia filiorũ soboles & posteritas nobilior, quàm ea quidem est, quam crebris quotidie exemplis funditus excîdi conspicimus. Quod ne longius in recensendis antiquis familijs, hisq; nobilissimis ac potentissimis, euagemur, duas recentiores breuiter è memoria penè hominũ abolitas, excitemus. Sfortiadum prima est, quæ toti olim Italię, Gallię, ac duabus Hispanijs formidabilis, tandem in Franciscum ultimum Insubriæ ducem, qui decessit absq; liberis, desijt. Altera est, quam cum Alexandro Medice turpissimo mortis genere interempto, penè interijsse uidimus. O uanas hominum de comparanda posteris felicitate curas. Is qui modò à Clemente patruo, unà cum Hippolyto altero eius nepote, ad tam ardentem dominandi cupiditatem iniectus fuerat, ut iam alius quærendus esset ob bis, cùm hic tantæ duorum adolescentium siti non satisfaceret, subito tamen fato è medio sublatus est: quem Hippolytus ueneno oppressus, paulò anteceſſerat. Alia igitur posteritas concipienda est animo, cuius quidem fœcunditate hoc magis diuturna, quo ab omni corruptione immuni, utpote quæ ad animum, qui æternus est, attinet, sancti Dei uiri ecclesiam augeri & coalescere, miro afficiuntur gaudio. Maximum enim illud in primis gaudium his è uita decedentibus solet esse, si in Christi religione ac fide, hæredes & successores, antequã demigrent, optimos fore conspiciunt. De procurando uerò hærede, successoreq; plerunq; facinoroso in bonis Ecclesię, cura est impia omnino. Verùm ne diutius in peruesti ganda huiusmodi felicissima hæreditate torqueamur, à Psalte est additũ, pacem illam esse, quam super Dei populum, quem Israëlem uocat, sese in diuino timore perseuerantes conspecturos pollicetur. Et uideas, inquit, filios filiorum tuorum, pacem super Israël. Nam summa ea est filiorum Dei felicitas in terris, sedato animo, pacataq; conscientia ac mente, diuinis frui contemplationibus. Alioqui cor nouis quotidie uitiorum monstris exagitatum, impossibile est nõ continuis conscientiæ morsibus exedi ac perrodi: unde pugnaces illi animi motus oriri solent,
B quibus inter sese conflictantibus, humanam mentem haud amplius fanum Dei, sed theatrum cruentissimum, atq; omnium teterrimum nuncupari par est. Sic ædes cæteras, sic respub. sic urbes, sic religiosa domicilia ac templa, in quibus nulla est pax & concordia, appellare placitum erit.

Canticum graduum. PSAL. CXXIX.

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israël. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.

Improbos homines, etsi diu multumq; Dei ecclesiam, sanctorum scilicet conuentum ac cœtum affligant, haud tamen plus quàm opus est, aut quàm hi sufferre possunt acerbius, præualituros, in hoc decimo graduum canit Psaltes. In hac enim parte non possum non aliquando nostram detestari mollitiem atq; ignauiam, quòd in tam antiqua, utpote à rerum exordio incepta, consuetudine, eadem illa pertimescamus, ac uti insolita, & noua ueluti quædam monstra exhorreamus, quæ iustissimi uiri, ut hîc queruntur, uel ab ipsis mundi incunabulis perpessi sunt. Nonne ab ipso saltem præteritorum temporum more perdiscendum fuit, nusquam non uiris probis afflictiones deesse non posse? Scilicet nostrorum nunc Deo magis placet morum corruptio, quàm olim patrum æquitas, uitæq; innocentia ac fides placuit. Id quidem illud est, quod in hoc psalmo sancta expostulat Ecclesia: O filij, ait, quid ista quasi noua miramini? quid tam perfractè in aduersis doletis? nonne hæc eadem ipsa, & sæuiora quoq;, ab ipsa mea prima ætate & iuuentute toleraui? Quid aliud sanè illud fuit, quando ab impio fratre, iustus occisus est Abel, nisi, cùm adhuc tenera essem, primum atque atrox illud quidem ac sæuum uulnus in iuueníli pectore? Quid tam altis gemitibus considerandum, deflendumq; est, quàm casus ille primi hominis miserrimus? num tanti uulneris absq; acerbissimo dolore refricanda est memoria? Sæpe igitur præteritis seculis improbi me expugnauerunt, expugnantq; etiamnum sedulò homines, turpesq; concupiscentiæ, auaritia, ira, libido, ambitio,

C inediaq́, ac ipſa omniũ miſerrima ægritudo, ſui amor. Expugnauerunt, inquam, me matrem: quid ergo mirum, ſi uobis imbecillioris uirtutis filijs non parcunt? Bellum enim huiuſmodi cum mundo cœptum, nõ niſi cum mundo finiri poteſt, quando quidẽ Deus ſuos in delicijs non alere decreuit. Omniũ, ut diuus inquit Gregorius, electorũ, qui à principio mundi fuerunt, & uſq́ ad ſeculi conſummationem futuri ſunt, eſt una eccleſia, cuius caput Chriſtus eſt: ſemper autem in ipſa peruerſi ſunt moleſti, ut ſemper fuere, electis: nec unquam defuit, non deeſt, non deerit malignitas perſequens, & æquitas patiens. Hæc Greg. Præterea uide quid ſanctiſsima concionat̃ Iudith: Abraã, inquit, pater noſter tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moſes, & omnes qui placuerũt Deo, per multas tribulationes tranſierũt fideles. Tranſierãt̃ ne aliter Petrus? Paulus? Andreas, ac cęteri Dei electi? Quid cruenta illa martyrũ multitudo? quid integræ cruciatarũ uirginũ legiones? quid pater meus, meiq́ ordinis autor Benedictus? quid Maurus? quid Placidus? quid reliquus grex Caſinas? Num ſtertentibus illis atq́ ocioſis æterna bona contigiſſe arbitramur, an laborantibus? an in cruce attritis? an perpetuo, ſub anguſtiarũ malleo atque incude, propoſito deſudantibus? Dicat igitur mecũ Iſraël, fateat̃ ingenuè, nõ diſſimulet, nõ ceſſet, quò alijs ſciant prædicare: Sæpe expugnauerũt me à iuuentute mea. Verũ una extat ſalutis ſpes, quòd non potuerũt mihi. Multis enim, ait, modis ut me funditus euerterent, elaborarunt: ſed nõ potuerũt, quin potius mea in aduerſis excreuit uirtus. Atqui illud in primis in pugna ſpiritus haud quaq́ eſt ignorandum, ſed diligentiſsimè diſquirendum, quî fit, quòd tam crebrò ſanctiſsimos uiros à malo dæmone oppugnari cernimus? Ea ſanè eſt ratio, quòd hi non tam facilè, quàm plericq́ alij, nequiſsimo ſuaſori aſſentiuntur: alij uerò, qui unico, & hoc leui, occumbunt uulnere, ab hoſte, uti uicti ſolent, turpiſsimè deſeruntur. Fortis uerò animus, ne repetitis quidẽ uulneribus, pedem mouet. Quare diuinę

D uirtutis conſcius clamat: Non potuerũt ſuis frequentiſsimis ictibus me ſubuertere. hoc eſt, tantum abfuit ut perterrefactus peccato conſentirẽ, ut etiam ex ijſdem ipſis uulneribus ſanior euaderem. Verùm illud interim periculo obnoxiũ, quòd licet peccato ut aſſentirer facere nequiuerint, fecerunt tamen ut portem illos, & quidem diutius. Nam

Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitates ſuas.

Felix ſic: Supra dorſum meum arauerunt arantes, prolongauerũt ſulcum ſuũ: hoc eſt, diutino uulnere meum proſciderũt dorſum, miris ſcilicet modis oppreſſerunt me, milléq́ obiecerunt periculis. Illa enim dictio, iniquitates, Hebręis eſt iugera, ſiue ſulcũ. Etenim cupiens uates, quàm diuturna ſit apud ſanctos tentatio, quámue aſpera & dura, non neſciri, huiuſmodi uerborum utitur amplificatione, ediſſerens longa illos iugera, quibus nimirũ ſupra ſuum dorſum ararent, produxiſſe. quẽ ſanè ſenſum ſic reddit Paraphraſtes: Dorſo meo tantũ oneris impoſuerunt, ut ſigna in eo apparuerint, qualia aratores agris imprimere ſolent, & ueluti ſulcos longos induxerint. Et uerè prolongauerũt: nam momentaneæ hoſtiũ inſidiæ non ſunt, ſed longę, ſed diuturnæ, ſed in infinitum quodammodo protractę, & quemadmodum crebrò mortalibus infeſti ſunt, ita diu. Quamuis enim huiuſ uitæ tentatio ac pugna, æternæ felicitati comparata, momentaneum quiddã ſit & leue, ut inquit Paulus, animæ tamen Dei ſapientiã contemplanti, peruеſtigartíq́ æterna, quæcunq́ altiſsimę eiuſcemodi indagationi uidentur poſſe officere atq́ illius candorẽ deturpare, longa nimium uidentur, atq́ diuturna. Quare alio loco conqueritur dicens: Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Quid? ipſa etiam uita, alioqui deſiderabilis, atq́ omnibus iucunda, nimis in longũ protrahi uidetur cœleſtia contemplantibus.

Dominus iuſtus concîdet ceruices peccatorum.

Vide quomodo aſſiduis ſpei ſtimulis ſuos ſæpe reuiſit Deus. Quis, oro, actutùm non deſperaret audiens, quòd continuis atq́ ijs longiſsimis tentationũ ſulcis noſtram proſcindãt mentem atq́ animũ, uti aratores ſolent agros, impudentes

A tes dæmones? quid tam graue, támue intolerabile effingi poteſt? Verũ diutius in ſuos hoſtium ſæuitiam debacchari diuina non ſinit bonitas, niſi quatenus noſtrę ſufficiant uires. Amat tamen milites Deus audaces, robuſtos, & qui in pectore ac fronte uulnera oſtentare ualeant: non deſides, effœminatosq́, palantes, atq́ ad minimas hoſtium minas exterrefactos. Felix ſic: Dominus concîdit iugum impiorum, periit ſpes eorũ. Arbitror equidem tunc hominis ſpem interire, cùm illud quod quærit minimè aſſequitur, fruſtráue conat̃. Alia litera: Dominus conſcidit, ſeu rupit funes improborum, quibus adſtrinxerant me. Porrò ceruix in impio, ſuperbia eſt: iugum, imperium: funis, aſtus, dolus, inſidiæ. Hæc ſanè omnia noſtro labore atq́ ingenio ſuperari poſſe, arduum: uerùm à Deo bonorum omnium erogatore, tam moleſtiſsimorũ hoſtium uictoria expectãda erit. Ipſe quippe eſt, qui impedimenta illa omnia diruit, frangitq́ improborum faſtum, atq́ eorum funes, dolos ſcilicet, fraudulentias, oppreſsionésue atterit, & cõminuit. Ipſe, inquam, eſt, qui, ut ait Eſaias, marcere facit à facie iugi ceruices peccatorum, ſuperbiam ſcilicet, tyrannidemq́ peccati, quò electi tandem à nodis illis periculoſiſsimis, quibus ueluti plauſtri funes, quemadmodum ipſe aſſerit uates, ab hoſte pertrahuntur, enodati reſpirare queãt, qui nunc mille mortis generibus obnoxij ſunt. Verùm quid tandiu ſuperſunt? Iam demum

Confundantur, & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion.

In fugam, ait, uertantur, quotquot odio habent Sion, ſanctas uidelicet animas, atq́ eorũ inſtituta. Frendãt, ut lubet, dentibus, oppugnentq́: tantum abeſt ut expugnare ualeant, ſimulatq́ in hoc mundo abſq́ cruce uiui nequeat. An ignoramus uirtutem, quod ait Paulus, in infirmitatibus perfici, circaq́ ardua uerſari?

Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit.

Non paruipendendæ quidem ſunt huiuſcemodi ſeruorũ Dei imprecationes. Nam cùm ex aſſiduo cœleſtium contemplationũ uſu ac ſtudio, toti in diuinum
B transfuſi ſint amorem, unumq́ cum ipſo iam cognito bono effecti, non poſſunt, nec uolunt quidem aliud uelle, quàm quod à diuina uolũtate, cuius cognitionẽ adepti ſunt, emanare compertũ habent. Idcirco non ſecus æſtimandę ſunt, quàm ſi ex ipſo Dei ore, ac uerbo prolatæ eſſent. Spiritus enim cœleſtis amor, non odiũ atq́ iræ ardor, ſanctiſsimos uiros ad ea mortalibus imprecanda, quæ certò ſciunt uentura, & mouet & impellit. Cæterũ è Paleſtinę tectis hanc deſumptam eſſe metaphoram arbitror, è quorũ rimulis ac fixuris, cùm plana ſint, gramẽ neſcio quod erumpere conſueuit, ſed quod tamen, cùm ſolo cõmodo atq́ humore illo careat, qui herbarũ radices alere per ſe poſsit, diuturnũ neutiquam eſt. Exareſcat itaq́, anteq́ euellatur aut reſecetur, neceſſe eſt. Ex quo, eo, ut inquit Paraphraſtes, non implet manũ ſuam metens, nec ſinũ is qui precariò manipulos à meſſoribus præteritos colligere ſolet pauper. Ita igitur fiant hi, qui Dei eccleſiã inſectantur odio & ſimultate. Improbi enim in aperto ſuperbiæ culmine ac tecto plãtati, cum pingui humo, humoreq́ uiuido ſpiritus & amico ſint deſtituti, è fixuris latibuliſue petrarũ, ipſi petris aridiores emergentes, facile, ut diuus ait Auguſt. exiccantur, ac anteq́ è uita abeant, diſsipantur. His quidem uerbis, improborũ ab humanis celerem atq́ à diuino aſpectu euulſionẽ exprimere mens eſt prophetæ. Et quia meſsis, ut inquit Dominus, conſummatio ſeculi eſt, meſſores angeli: tunc enim (ne quis uiliſsimum illud gramẽ finis maneat, te ſcire diſsimules) mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis. Vides ne infructiferæ plantę deſcriptionẽ? Næ abſq́ periphraſi & circũlocutione res uti eſt, à Domino eſt expreſſa. Cùm itaq́ cœleſtes illi ſpiritus meſſorum munus obeant, neq́ operationes, quæ per manus hîc dici iudico, neq́ cogitationes, quæ per ſinum, quæ bonitatem referant, ab arido illo gramine atq́ herba colligere poterunt, quare à uate additur,

De quo non implebit manum ſuam qui metet, & ſinum ſuum qui manipulos colliget.

Solet enim planta aut gramen à ſubterraneo humore, aut rore, aut riuulo deſtitutum perlangueſcere, prorſusq́ collabi, atq́ in nihilum fermè reſolui, propterea

C nulli uſui aptum eſſe. Ita mens hominis à ſpiritus pinguedine atq; imbre derelicta, eò interdum miſeriæ & calamitatis deuenit, ut nulli omnino uſui, neq; ſuo quidem proprio commoda ſit. Et cùm in eiuſcemodi ærumnoſam deiectionem perditiſsimus quiſq; facilè prolabatur, ad faſtuoſos tamen potiſsimum atq; elatos hæc attinet miſeria. Et quemadmodum quidem lætioribus in campis meſſores non ſolùm plena, quod aiunt, manu, graues, quos ex ordine per ſulcos diſponant faſciculos manipulosq; conſtringunt, ſed & ſpicarũ culmos ponè ſequentibus adeò abundãter relinquũt, ut duplici ratione felices mihi uideantur: una, quòd depoſitam apud omnium matrem tellurem, ſationem multo recipiãt fœnore: altera uerò, quòd complures ab eſe iuuari cernãt: quod quidem conſolationis genus ego in aliis admirari ſoleo, in me autem, ob ſortem illam, quę maiorem in rebus humanis interdum ſibi uendicat partem, quàm uirtus aut bonitas, nõ eſſe doleo: Ita ſanè ea à fertiliſsimis ſanctiſsimorum hominum agellis ubertas prouenire ſolet, quæ non tantum ſibijpſi, quantum cęteris ut conſultũ ſit, dat operã. Contrariæ uerò qui ſunt diſciplinæ & profeſsionis, nec ſibi, nec cæteris utiles ſunt.

Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini ſuper uos: benediximus uobis in nomine Domini.

Mos erat olim in Iudæa, ut diui referunt autores, quòd prætereuntes in agris operantibus felicia imprecarentur, quemadmodũ in ſecundo Ruth capite eſt uidere. Booz enim cũ ſuos inuiſeret meſſores, illos hoc modo ſalutauit: Dominus uobiſcũ. illi uerò gratæ reſpondentes imprecationi dixerunt: Benedicat tibi Dominus. Eundem etiã morẽ apud noſtros ſeruari cernimus, quibus ea eſt conſuetudo, ut ſi fortè per opimas meſſes ſuũ habere iter contingat, ad meſſores in æſtu illo meridiano ſudantes cõuerſi dicant: O meſſores, felicem uobis optamus meſſem, ô beatam ſegetem: uide quàm longæ ſint ariſtæ, q̃ plenæ, quàm maturæ: ô felicem agrum. In ſterilibus autem campis, infœcundisq; ſatis, pigritantem agri-
D colã nemo ex prætereuntibus eſt qui ſic ſalutet. Itaq; cuncta apud improbos infructuoſa, ſteriliaq; eſſe, hîc dici arbitror, ut ab huius uitæ exiliũ prætereuntibus uiatoribus illis, qui non ſe mundi huius incolas, aut ciues profitentur, ſed aduenas ac peregrinos, nulla Domini benedictio cõprehendatur in eis, ſed cuncta deteſtanda, execranda, maledicta. Cui improborũ aliquando eſt dictum, Benedictio Domini ſuper caput tuum? Nonne illud magis, Benedictio Domini ſuper caput iuſti? Atq; hîc rurſus admonendi ſunt populi, ne motu animi potius effræni atq; inordinato, quàm publici cõmodi, diuiniq; honoris gratia atq; affectu permoti, Deum ad ſuorũ principum magiſtratuum q; perniciem obſecrare audeãt. Quòd ſi iura tamẽ omnia, tam diuina, quàm humana, fas, leges, ciuilesq; ſanctiones, atque ſtatuta id expetere uideantur, tolli ſcilicet debere è medio ſeditioſos ciues ac magiſtratus, hæc tamen optio ac deſideriũ ad eos ſolummodo pertinet, qui cùm iam omni ſedata mentis perturbatione atque ira, toti in diuinã transformati ſint uoluntatem, eadem illa tunc uelle incipiunt, cùm ſic Deum uelle non ignorant. Alioqui diuina cupere ab humanis præuerti iudicia & decreta, animi parum ſui compotis eſt, ſtultiq; omnino.

Canticum graduum. PSAL. CXXX.

E profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi uocem meam.

Narrat hîc uates modũ, quem ipſe tenuit, quando in ærumnis & tentationib. cõſtitutus ad Deũ clamauit. Hinc docemur, ait Euthymius, ex profundo cordis clamandum eſſe ad Dominum, nedum ex ſummis labijs. Alter, inquit, clamor ardentiſsimus eſt, alter frigidiſsimus: cùm hîc quidẽ ſupernè ab ore remiſſus ſit, ac maxima cũ facilitate: ille uerò inferne intenſus ex intimo corde aſcendat, & cum labore. Ille etiam orantem prorſus trahit ad Deã, alter autem ſola uocis organa cõmouet. Hæc Euthymius. Per clamorẽ igitur uocẽ illam à cordis radicibus euulſam intelligit uates, qua mens in Deũ toto affectu dirigitur: ne tibi clamorem, neſcio quem, imagineris, uocaliſsimũ quidem, ſed ſpiritu

A ritu illo uacuum, quem Paulus aſſerit gemitibus inenarrabilibus pro nobis inter pellare. Cùm enim noſtra cum Deo tractanꝫ colloquia, ardere debent omnia in nobis. Nam cùm ipſe ignis conſumens ſit, ut inquit Paulus, idcirco accenſa in nobis eſſe cupit omnia, ac uult. Vide igiꝫ in ſanctiſsimo hoc uate, an in lingua ſolùm fuerit eius clamor ac dolor, cùm ſuas calamitates & tentationes profunda appellauerit. Hoc itaq; ſtimulo excitus ego aliquãdo, non tantũ pro me fœdiſsimis alioquí peccatis ſordido, quantum pro toto populo Dei, de miſeranda lachrymarum ualle, de corpore iſto mortali infinitis miſeriis obnoxio, de tribulationibus multis, quas ſecum fert mundus, de immenſa uitiorũ uoragine, de periculis illis horrendis, in quæ quotidie cùm ab hæreticis, tum à nõnullis gregis dominici cuſtodib. conñcimur, clamare ad Dominũ decreui eodem ferè modo, quo præteritis annis in Surrentinis latitans agellis, pro mei ordinis congregatione multorũ inſidiis circumuenta, uel uſq; ad raucedinẽ clamaui, dicens: De profundis ęrumnarũ calamitatibus, populus tuus pater pientiſsime, atq; idem iuſtiſsime arbiter, ad te incircumſcriptũ totius pietatis pelagum ſuſpirans clamat. Is eſt enim quem ſynceriſsimus ille tuus, inſcrutabili celſitudini æqualis filius, multorũ transfugarum uix reſiduũ, in unum congeſsit faſciculũ: faſciculum, inquam, amariſsimi fellis, & inſuauis abſynthij. Erubeſcimus enim, confundimurq; ſuſpicere. Quo quidem auſu, corda, haud cor unum, multimoda flagitiorũ labe impura, ad te puriſsimum illibatiſsimũq; ſanctitatis fontem, aliquando excitabimus? qua fronte? qua impudentia? En hoſtes acclamantes quotidie aduerſus nos, & aduerſus Chriſtũ tuum, inſultant cuneatim. Vbi eſt Deus tuus ô inſulſe grex? ubi paſtor? ubi dux? Hinc ſunt nobis panes lachrymæ die ac nocte, dum tam acerbè oblatrãt. Ecquid Cerbereas inter fauces, ouis pauida reſpondeat? Facti ſumus elingues, quorũ in ore non ſunt redargutiones. Confuſi igiꝫ, diraq; acerbitate intus affecti, obmutescimus. O bone paſtor, qui tuas ab hœdis cognoſcis ac ſeuocas oues, uſquequo
B obliuiſceris nos in finem? uſquequo auertis faciem tuã? Peccauimus. Et quis nos ab inexorabili iræ tuæ ſeueritate abſcondet, tutabiturq;? Te percutiente quis ſanabit? Itaq; de inſupportabilíũ anxietatũ profundis, hinc indè conglomeratis malis, miſeriiſq;, clamamus ad te Domine: de profundis rerũ mortem intentantiũ peſsimarũ, ad te uitam noſtrã, ſpem noſtrã, ſydus noſtris tenebrarũ profundis gratiſsimũ, earúmue ſalutiferũ illuſtratorẽ, in puluere & cilicio poſiti confugimus. Quot ſiquidẽ ſunt uitia, tot ſunt profunda. O uerè inſomnis cuſtos, ſalua, nos perimus. Extincta eſt fides, ſpes facta eſt expes, amor inſuper confuſionis diploide circumamictus, obfuſcatur atq; alget. Væ nobis quòd à mandatis tuis declinauimus. Quô enim à facie tua, cuius ſicut tenebræ ſunt, ita & lumen, fugiemus? Ne quæſo pater, cuius miſerationis non eſt numerus, ſpiritus tuus maneat ſuper nos in æternum, quia caro ſumus. Ne, obſecro, nobis miſererearis, ut diſcamus facere iuſtitiam: ſed exaudi uoces noſtras, uoces gemebundas: quinimò in Rama ululatus, mœſtificaq; ſupplicia.

Fiant aures tuæ intendentes in ℣ocem deprecationum nõſtrarum.

Licet enim (tu ſcis Domine ſecretorũ inſpector, qui ſunt) hi tuã ad pietatẽ, ſanctumq; cultũ obtorpeant: licet huius tuæ ſemifractæ ac rimoſæ nauiculæ, uelum uoraci diroq; aquiloni explicare ſatagant: licet ſua, nõ quę Ieſu Chriſti unigeniti tui, quærant, atq; ob id, quot mala ſacris in ædibus recrudeſcant, quis haud ſciat? ſunt tamen quorum mentes in te, tantis in procellarũ nimbis deuolutę, ut ualent figuntur, nec niſi in te tutam à fluctibus ſtationem eſſe aduertunt. Horum igitur, licet paucorũ, deuota fidei & pietatis ſtudia, placatus reſpice, & illos in curribus, & in equis ferocientes diſijce. Quid contra Iſraëlem, ſi tu pro Iſraële? quid dicã? propè eſt ut fores confringant: inſtant, oppugnant, & niſi propugnes, expugnabunt. Ah rabidæ leenæ tantũ iam demũ uirus compeſcite. Iam, quæſo uos, obteſtorq;, rapaciſsimas in ſinũ ungulas conuertite. Reſipiſcite inuicẽ, atq; alta uiciſſim deponite ſupercilia: totum ſiquidem ędificiũ eo periculoſius labat, quo baſes pertinacius compage diſſoluunt. Eſto ô ęquiſsime arbiter, nulla eſt in nobis ſani

C tas, artus ægro ſub capite perlanguent: ſit an, ſiue à membris cæteris, ſiue à corde morbi origo, neſcio: hoc tamen ſcio, quòd ſi iniquitates obſeruaueris, nemo ſuſtinebit. Quis enim ſi miſericordiæ iudiciũ ſuperexaltaueris, ſufferet? quis ad hoc fortis? quis potis eſt? ubi inſuper Adam? ubi uir ille ſecundum cor tuum Dauid? ubi Solomon? ubi denique Petrus, ſi ultrici uindictæ mortaliũ ſeruas facinora? Omnes quippe peccauere, & egent gloria tua. Gratis ne homo tuus factus eſt filius? afflictus? irriſus? ac crudeli ligno affixus? quî nobis hæc proderũt? una poſtremo ſalus erit nullam ſperare ſalutem? nemo ne ſaluus? ergo tu mendax. Abſit pientiſſime pater, tua à plebe immanis hæc impietas, fides q; prophana, Scimus enim

Quia apud te propitiatio eſt.

Tuus quidẽ unigenitus, immitiſsima clauorũ uulnera coram te denudans adſtat, necnõ crudele lateris, ex quo tantus mortalib. emanauit dulcor, foramẽ detegens, pro tota eius plebe propitiat. Is eſt enim, quẽ tu clementiſsime Dñe, propitiationẽ poſuiſti in ſanguine ipſius. Ille, ille eſt, qui propitiat omnib. iniquitatib. noſtris, qui ſanat omnes infirmitates noſtras. Id eſt ſuper arcam propitiatoriũ illud aureũ, ex quo Moſis filij ſecundũ repromiſsionẽ, etiam nũc diuina tuæ maieſtatis oracula ſitibundè hauriũt, & de cuius plenitudine nos quoq; omnes accipimus. Timeamus ne filio tuo apud te propitiante? propitiante eius matre? propitiante innumerabilium cœlicolarũ conuentu? quorũ meritis ac ſuffragijs, ſi, prò dolor, ceciderimus, non collidemur, quia tu Domine manum ſuppones. Ideo

Propter legem tuam ſuſtinuimus te. Suſtinuerunt (inquam) animæ noſtræ in verbo tuo, ſperauerunt animæ noſtræ in te ô Domine.

O exoptabilem legẽ, ô uerbũ omni gladio ancipiti penetrabilius. Quàm ſuaue iugum, quàm leue onus, ſub quo etiam indomitæ tigres, & cruentæ incuruantur phocæ: hoc eſt enim ſalubre tum patientię, tum amoris præceptũ, quo qui, ut par eſt, bene utitur, ſuſtinet quidem in ſpe, & ſpes non confundit, propter ſpiritũ ſan

D ctum, qui datus eſt nobis. Igitur non diffidat, ſed

A cuſtodia matutina uſq; ad noctem, ſperet Iſraël in Domino.

Tu qui impleſti deſideriũ tuũ ex ipſis, ſi læta proſperitatis aura arriſerit, ſi gaudium & exultationẽ obtinueris, matutinam adeſſe cuſtodiam reris, ô quã tum leue eſt ſperare in Domino, & ponere in Domino Deo cor tuũ. Sed quid ſi inopinata Boreæ feritas ſuperuenerit? quid ſi Auſter noſtrã flatu aduerſo domunculã concuſſerit? En dicimus noctem inſtare, cõquerimur q; inuoluiſſe diem nimbos, ac noctem cœlũ humidam abſtuliſſe. Aduerſæ ſiquidem res obductæ ſunt tenebris multis. Quid enim? deſperandum ne eſt? haudquaq;: ſed in Domino à cuſtodia matutina uſq; ad noctẽ ſperet Iſraël. Indoctus quippe nauta, niſi ſedato freto clauũ agere nõ nouit: ſed peritus, cautus, prudẽs q; ligni magiſter, quicquid incle mens Notus, procelloſus ue Aphricus intorſerint, ſapientię clypeo repercutit, uanumq; reddit. Poſt nubes igitur ſperandus eſt ſol. Veniet profectò Dominus, & nõ tardabit, qui & diuidet lucem à tenebris, confuſo q; & effuſo paſsim Nembrotico auſu, diſperdet illos Dominus Deus noſter. Tunc enim ex tot cordibus, ex tot linguis, ex tot hæreſibus, fiet cor unum, lingua una, cultus unus.

Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.

Redemptio miſericordiã conſequit. Ipſe eſt miſericordia, ipſe eſt copioſa redemptio: ipſe eſt, inquã, qui miſeretur & commodat, qui & propitiat. Sed quid ego puluis & bulla? ad illum ne tuum altiſsimũ æternum atq; inacceſsibilem maieſtatis montẽ accedã? Non accedã pollutus, ne peream de uia iuſta. Quis nõ pauereat? Miſerebor, inquis, cui uoluero, & indurabo quẽ uoluero. Idcirco ad Pharium regem dixiſti ô Domine: Poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra: adhuc retines populum meum, & non uis eum dimittere? O rem infandam. Percutit Dominus, & induratur ſeruus. Flagellat Deus, & nõ ueretur homo, inſultat, reluctatur, & perinde ac ſi adamãtina cordis duritie Dei benignitatẽ ac patientiã expugnare credat, inſurgit demens. Sed mentita eſt iniquitas ſibi. Nam paulò poſt, q; fortis ſis atq; omnipotẽs, & ſua, &

ſuorum

A ſuorum pernicie ſenſit miſer. Legimus enim quòd interfeciſti exercitũ Aegyptiorum, & ſubuertiſti rotas curruũ, ferebantq; in profundũ, & liberaſti in die illa populum Iſraël de manu Aegyptiorũ. Sic & nunc hiſce in nouiſsimis diebus, ô clementiſsime, liberare potes Iſraël ex omnib. iniquitatib. eius: non quòd Iſraël iniquus ſit, ſed quòd iniqua ab iniquis patiat: de quorũ interitu quamprimũ ducent funera. Notandum uerſu quarto: Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine. Diuus Hieronymus ex hebræo legit: Quia apud te propitiatio eſt, cùm ſis terribilis. Felix uerò: Nam apud te propitiatio, ſeu uenia, ut timearis. Idem Paulus hebræus. Quorũ uerborũ is erit ſenſus: Apud te, ô Domine, propitiatio eſt ac uenia, quoniã à te ſolo culparũ omnium remiſsio eſt expectanda, ideo timendus es. Nam niſi tu remiſeris, quis alius remittere poterit? Timendæ igitur ſunt tuæ offenſiones, ne forſan aliquando nõ remittas. Cæterùm amandus es, quia bonus ſolus es, propitius, & cuius miſerationũ non eſt numerus. Sic itaq; dum nos noſtra nõ diſſimulamus peccata, ſed ea uerè agnoſcimus ac confitemur: te uerò redemptorẽ noſtrũ, atq; unicè colendũ & ſcimus, & inuocamus, remittis illicò, & ita uincis cùm iudicaris. Quare ſic reddit Paraphraſtes: Remitte miſericorditer peccata, ut omnes ad ueneratiõẽ tui inuites. Ideo quòd nos legimus, propter legem tuã ſuſtinui te Domine, Hebræis eſt ac Græcis, propter nomen tuum: uel, ad uerbum tuum ſuſpicio: hoc eſt, tuum ne nomen contemneretur, quaſiq; is eſſes, qui tuis ſuccurrere nõ poſſes, reprehendereris, te ſuſtinui, atq; expectaui. Simile huic fermè eſt quod apud Ezechielem legimus: Non propter uos, inquit, hoc facio, ſed propter nomen meum, ne deſpiciatur in gentibus. Expectaui igitur te, & ad uerbũ tuum aſpexi, quo tu te nobis affuturũ noſtris in miſeriis promiſiſti. Nunq; ſtaturus eſſes, dubitaui, ideo ſuſtinui te Dñe. Illud etiã in uerſu ſexto nõ omittendũ: quod nos legimus, A cuſtodia matutina uſq; ad noctem ſperet Iſraël in Domino: Hebræis eſt, Anima mea ſperauit
B in Domino ſupra obſeruantes mane. hoc eſt, plus quàm illi, qui manè obſeruant aliquam rem expectantes, quam cupiunt maximè, ne ab aliis ſcilicet intercipiatur. Aliis uerò alia magis probatur litera, qua legunt: Anima mea ad Dominum fertur manè antequã prodeant cuſtodes. Ita quòd ſæpe, antequã cuſtodes ſuas obeant uigilias, manè ſeſe anima ad orandum Deum conferat. Dum enim alij uino ſomnoq; ſepulti ſtertunt, Iſraël, populus ſcilicet Dei, uel ipſas noctis excubias, in uigiliis anteuertit, quippe qui probè nouit, quàm non ceſſetur ab hominib. in inferendis iniuriis Deo. Quocirca nullã temporis rationem in ſuis deflendis erratis habet. Semper enim opportunum eſſe tempus arbitratur, quo ſua defleat peccata, cùm ſe ſciat abſq; interuallo tẽporis peccare: & quod ex dierũ ſtrepitu perdiu aſſequi non poteſt, id in noctium ſilentio ac ſolitudine cõſequi nititur. Cæterùm noctem antiqui in quatuor diuidebant uigilias: quarũ ultimã, utpote proximam auroræ, quæ matuta dicitur, matutinã appellabant. Hinc illæ, credo, ortum habent uigiliæ, quarũ mentionẽ facit Chriſtus haud ſemel in Euangelio. Summa igitur hęc erit, quòd ſemper ab ipſis primis infantię annis uſq; ad decrepitam ætatem, ſperandũ eſt in Domino. Paraphraſtes autem ſecus reddit ſenſum: Anima mea, inquit, ardentius expectat aduentũ Domini, quàm uigiles nocturni tempus matutinum: uigiles, inquam, qui ſomno grauati matutinum expectant tempus, quò dormire liceat ipſis.

In ultimo quoq; uerſu illud notandum, quòd Iſraël ſe uendere poteſt, redimere autem minimè. Verùm ubi ſunt qui negant, ut penè ego in expoſitione huius uerſus negaui, in Dei populo iniquitates eſſe? Sunt profectò, alioqui non diceret uates Dñm redempturũ Iſraëlem ex cunctis iniquitatibus ſuis. Earũ enim abſentia mala omnia facile abſunt, præſentia uerò adſunt, nobiſcumq; commorantur.

Canticum graduum. PSAL. CXXXI.

Domine non eſt exaltatum cor meum, neq; elati ſunt oculi mei: neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus ſuper me.

Summæ eruditionis plenus hic pſalmus eſt, & ad illos maximè ſpe-

C ctat, qui excelſa nimium ſibi arrogantes, intolerandumq; cæteris præ ſe ferentes tumorem, primi illius ſuperbiſsimi angeli ueſtigia ſectant. Contrà uerò hi agũt, qui cùm ſibiipſis diuini ſpiritus radijs illuſtrati probè ſint noti, ſua omnia quamlibet alta, atq; ad regulam iuſtitiæ illius, quæ uirtutũ omnium perfectio dicitur, fabrefacta ſint, deijciunt, ac de ſeſe nihil aliud ſentiunt, præterquàm humilia, dignaq; quæ ab omnib. reprehendantur. Qui tamen, ne diuina in ſe obtegere beneficia uideantur, uerecunda, ut ſic dicã, iactatione audent cum Domino ſic colloqui: Domine non eſt exaltatum cor meum, neq; propterea elati ſunt oculi mei: indicium nimirum elati animi. Volubilitas enim, ac crebra oculorum excellentia, maximam indicant animi ſuperbiam. Certè, inquit, (utcunq; à populari pertenter gloria) cùm me exactè conſidero, omnis illicò cadit tumor. Tantum enim abeſt ut, ſi quid in me eſt, quod magnũ æſtimari queat, illud tanquã meum uenditem, ut etiam id totum Deo acceptũ referam, atq; in eundem fontem unde egreſſum eſt refundam. Non ambulaui, inquit, more ſuo: hoc eſt, non uerſatus ſum in maiori de me æſtimatione, quàm captus ferret humanus. Quid? Non ſolũ enim ſuperbiam omnem exhorrui, uerumetiam cum hominibus illis, qui huiuſmodi uitio laborarent, conſuetudinẽ non habui. Quòd ſi quoq; de diſciplinis aut ſcientijs dicendum eſt, quis me unquam uidit de tua illa imperſcrutabili, tibiq; ſoli cognita ſubſtantia perueſtigaſſe? Quis mihi unquã perſuaſit poſſe hominem abſq; arrogantiæ nota de æterna, aut temporaria quoq; Dei filij natiuitate quicquam, aut de ſpiritus emanatione, de libero arbitrio, de prædeſtinatione, aut de occultiſsimis diuinę prouidentię iudicijs, uel diſputare, uel alios docere? Hęc ſanè omnia humanum excedunt intellectum. Idcirco qui ab huiuſmodi indiffinitis, prorſusq; recõditis rebus putant ſe lucem illam excutere poſſe, quã ſuis tum ſcriptis, tum diſputationibus pollicent, hos dicas in magnis nimiũ, mirabilibus, ſuumq; excedentibus captum, ambulare ac uerſari. Non alta ſapientes, aiebat Paulus,
D ſed humilibus conſentientes. Quanquam & contra ignauos, ac ad cœleſtia inquirenda tardiores illud dicat: Creſcite in ſcientia Dei. Eſt & aliud genus hominum, res quoque huius mundi, ac negocia ſibi ob tarditatem ingenij admodum inæqualia, facile amplexantium, quærentiumq; boui, quod aiunt, clitellas apponi. Admonendi hi quidem ſunt, ut imparia ſuis uiribus onera quamprimũ è dorſo excutiant, ne farcina oppreſsi uulgò irrideantur, dicanturq; magna ſibi nimium ac mirabilia aſciuiſſe, impoſsibiliaq; attentaſſe.

Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animã meam. Sicut ablactatus ſuper matrem ſuam ita retributio in anima mea.

Diuus Hieronymus ex hebræo: Si non propoſui, & ſilere feci animam meam. Felix uerò: Si non poſui, & humiliaui, ſeu ſilere feci animam meam. Sicut ablactatus ſuper matrem ſuam, ſicut ablactatus ſuper me anima mea. Alius quoq; ex hebræo: Verè depreſsi, & muſſare feci animã meam, uti eſt ablactatus matri ſuæ: uerè inſtar ablactati habet mihi anima mea. Illud enim, Si non humiliter ſentiebam: ſeu, ſi non poſui animam meam, ut inquit Felix, forma eſt iurandi apud Hebræos, ut eò atrocius, magisq; horrendum id uideatur, quod ſiletur. & eſt idem penè iurãdi modus, qui in ſcripturis antiquis tam creber eſt: Hoc faciat mihi Dominus, inquit, & hoc addat. Cæterùm tam uariæ lectionis is erit ſenſus: Si non ſummiſsè de me ſenſi, atq; adlatrantes in me affectus non compeſcui, ſilereq; feci, tunc animæ meæ id accidat, quod puero ab ubere matris amoto accidere uidemus: is etſi doleat, uagiatq; ſe à conſueto lacte reuulſum eſſe, non flectitur tamen mater, neq; amplius illi mammas admouet. Ita, inquam, fiat animæ meæ, internoq; priuer conſolationis lacte ac ſuctu, licet clamem, & querar. Sæpe enim accidit, ut Deus ſuos, ſi, quia homines ſunt, ſeſe illos extollere uiderit, aduerſitatibus premat, eisq; neget quæcunque nouerit illis obeſſe poſſe, ut negato conſolationis lacte, grandeſcant in Deo: quod quidem fit crucis auxilio ac beneficio. Siquidem illum puerum exiſtimari poſſe arbitror, licet grandæuum, decrepitum, ac in omnifarijs ſpiritus conſolationibus enutritum, ſi deeſt crux & afflictio illa, per

quam

A quàm ad ſolidiorem contemplationis cibum aſciſcimur. Nam cùm Chriſtus ad ea aſſequenda, ad quę nati ſumus, nobis ſolus dux ſit & norma, non aliam ſuis in carne uiuens oſtendit uiam, quàm crucis, & quam ipſe à primo, ut ſic dicam, conceptu, uſq; ad ultimam ſuæ ętatis horam, ſecum adeò libenter tulit, ut nullum alium uitę modum adamaſſe uiſus ſit. Verùm ne crucis amaritudine ab incœpto ab ſterreatur curſu,

Speret Iſraël in Domino ex hóc nunc & vſq; in ſeculum.

Vide quantũ ualeat ad ſuperandas mundi aduerſitates, confringendasq; eius acies, ſpei telum. Sed quia in Deo, qui æternus eſt, fixa eſſe debet, idcirco in ſeculum & in ſeculum ſeculi, hoc eſt, æterno æuo protenditur & clauditur, alioqui tamen cum hoc mundo finienda. Quare à ſpiritu, quicunq; in Dei ſorte cenſetur, ad amplexandam firmam hanc ſpei anchoram, ut eam uocat Paulus, inuitatur. Spe res igitur in Domino ſemper, ô tu quiſquis es, qui ex aſſiduis cũ Deo colloquijs Iſraël uocaris. Vtcunq; enim tibi mater, hoc eſt, diuina gratia lacdeneget, & te abijcere uideatur, ne frangaris animo, ſed ętemo ſperato conſilio, certus quòd tibi ad ſalutem lac denegetur, cui ad ſalutem antea dabatur.

PSAL. CXXXII. Canticum graduum.

Memento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.

Haud dictu facilè eſt, quanto inſtaurando Dei religionis ſtudio ac deſiderio, rex conflagrauerit manſuetiſsimus, quam propè extinctam propter ſuum à patria exilium, aduerſamq; fortunam uiderat. Hinc q; inconſolabiliter, an digna tandem arcæ ſedes inueniri poſſet, quæ Deo grata eſſet, angebatur. Huiuſmodi itaq; ſui animi ęſtus in hoc planè toto oſtenditur cantico, rogatq; ut pollicitationes iam olim tum ſibi, tum patribus factæ, cœlitus exhibeantur, atque in Sion certam ſui numinis ſedem ſtabiliat altiſsimus, regnumq; poſteris uſ-

B que eò, quoad ueniat qui mundo ſalutem afferat, confirmet. Hæc ſumma eſt pſalmi: quem tamen in uerum Dauid, uerumq; illius regnum, nempe Eccleſiã, tranſferri debere uult ſpiritus. Dubitant nonnulli, an pſalmus iſte à Dauid æditus fuerit, propterea quòd in fine orationis filij in regnũ ſucceſſoris quædam ſunt, quæ in hoc quoq; leguntur pſalmo: illud etiam afferentes, abſurdum uideri poſſe, tam ſanctum regem ſuã iactare uoluiſſe manſuetudinẽ, quod ſanè filio potius quàm patri conuenire arbitrantur. Verùm ut rem breuiter expediamus, quid uetat credere filium ſua in oratione quædam à patre tam de Dei religione benemerito antea dicta, mutuatum fuiſſe? Nec rationi quidem ſpiritualium rerum repugnare uidetur, quòd duo eundem, ijſdemq; prorſus uerbis, in una ſimul re ſenſum proferant. Quòd uerò ſuam oſtentet manſuetudinem, atque præterea in tertia loquutus ſit perſona, dicens: Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius: præter illud, quòd ex hebræo afflictionem potius reddunt, quàm manſuetudinem, id carmen etiam loco precationis populo decantandum inſtituerat. Sed hîc non multum torqueor, cùm mihi perſuaſum ſit, quod aliàs teſtati ſumus, totum pſalmorum uolumen à Dauid, quem hymnorum autorem appellat Philo, compoſitum fuiſſe. Quare huc eum, qui ſuos erga Dei religionem exponat conceptus, introducamus. Mirum niſi hîc & tu ardeas, ſimulac omnia ardere conſpicis. Ardet ſanè in Vate noſtro animus, ardet fides, ardet religio, ardet ipſum demum poëma, quod non tantũ ſpiritu, atq; flagrante erga omnes charitate, quantum arte quoq;, copia, ac mirabili tum ſimilitudinũ, tum troporum ſtructura, & grauitate exuberat. Vt diximus, ex hebræo legunt, afflictionis eius. Vnde Paraphraſtes: Rationem habe domine, idq; in bonum, ipſius Dauid malorũ, quæ perpeſſus eſt plurima. Verùm neq; manſuetudinis uox ſuperuacanea uidetur, quę in ipſo tanta fuit, ut Dionyſius ad Demophilum monachum ſcribens, aſſerat Dauid merito ſuæ manſuetudinis maximam apud Deum gratiam nactum eſſe. Ergo manſuetiſsimè ſe ſemper habuit in tot ſuis aduerſis, etiam cum truculentiſsimis ſuæ ſalutis hoſtibus. proinde clamat: Memento domine tui Dauid,

c Dauid dico, quem tu ſecundum cor tuum inueniſſe teſtatus es. Memento illius manſuetudinis, memento afflictionis, memento miſeriæ, memento quoq; fidei, ac tua in reparanda religione ſtudij & laboris. Iſtiuſmodi animi affectionibus mirum in modum, donec uixit, affectus fuit Dauid: ſed ſanctioribus Chriſtus, cuius rex ille typus fuit, & de quo illud ſcriptum eſſe non ignoramus: Reuertent filij Iſraël, & quærent dominum ſuum, & Dauid regem ſuum. de Chriſto loquitur Oſeas, qui ætate poſt Dauid longiſsima (fuit enim ſynchronos Eſaiæ, ut diuus inquit Hieronymus) uixit.

Sicut iurauit domino, votum vouit Deo Iacob.

Aptius ex hebræo uerti poterat, qui iurauit, ut ſit ſenſus: Memento domine Dauid, qui iurauit, uotumq; nũcupauit Deo Iacob. Voti uerò ſummã mox addidit:

Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inueniam locum domino tabernaculum Deo Iacob.

Iuramento, inquit, ſe aſtrinxit Dauid, ſanctecq; promiſit, ſe ſuas nequaquam ingreſſurum ædes, quietémue capturum ullam, priuſquàm locum ſedemq; numini gratam nanciſceretur. Requiem temporibus meis, nõ eſt in hebræo, ſed à Græcis additum. Cuius tamen ſenſus cum ſuperioribus ualde conuenit, & eſt æquè ac ſi dixiſſet: Non dabo requiem capiti meo, nempe per ſomnum, donec aptam inueniam arcæ manſionem. Multa quidem periphraſi quietem, quæ fit per ſomnum, deſcribit. Cæterùm, ſi introiero, ſi aſcendero, ſi dedero, modus erat iurandi apud Iudæos. Vnde illud quoq; eſt: Si introibunt in requiem meam. Vide eſtum animæ Dei honorem ſimul & pacem propriam percupidè deſiderantis. Non requieſcam, inquit, non quamuis inacceſſum detrectabo laborem, donec inueniam locum in me dignum Deo. Porrò Iacob dicens, ſuo more ad Eccleſiæ contemplationem nos ſubleuat. Vir quidem ille ſanctiſsimum typum geſsit Eccleſiæ,
D quæ uera eſt ſedes, quam ſibi elegit Dei filius in Ephrata, campiſq; dumoſis nemorum. Dum hæc itaque ſecum commentatur Dauid, de improuiſo illi oſtenſus eſt locus:

Ecce, inquit, audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis ſyluæ.

Forſan, illum, uertendum erat, ut uertit Felix: nam de loco apto numini fit ſermo: Donec, inquit, inueniam locum. Putant hîc nonnulli Vatem de ædificatione templi prædixiſſe, quòd illi inuenerit locum in campis ſyluæ, hoc eſt, in tribu Beniamin, quæ ſyluis denſa prius fuerat, quàm in ea exędificaretur Hieruſalem, in qua templum. Alij de arca diutius per regiones translata exponunt, quæ in area tandem Aruenę Iebuſæi iuſſu angeli requieuit. Quòd autem in Ephrata dixerit, ſic exponit Rabbi quidam. Audiuimus, inquit, à ſenioribus Ephratæ, reuelandum adhuc locum, in quo Deus uellet arcam reponi, quem locum poſtea ab angelo didicit in area eſſe Aruenæ, propterea ceciniſſe: Inuenimus eam in campis ſyluæ. Hac enim circumlocutione putat à Vate aream Aruenæ deſignatam. Ephrata enim terram fertilem interpretantur, idcirco uoluntid prædij nomen Aruenæ propter fertilitatem fuiſſe. Eam ob rem aſſerunt & Ephratam, & campos ſyluæ, pro eodem omnino loco poſitum. Verùm inter hæc prorſus inexplorata illud exploratiſsimum, Vatem conſtructo altari in area ab Aruena ſeu Hornan ſiclis auri ſexcentis empta, oblatoq; ſacrificio, atque ab igne abſumpto, dixiſſe, Hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſraël. Sed longius proſpexit Vates, nempe Dei filium, quem uerum Dei tabernaculũ non manu factũ, neq; creationis huius mundi, ut inquit Paulus, in quo quidem omnis plenitudo diuinitatis habitauit corporaliter, uerè nimirũ abſq; uelo & umbra, fore ędificandum in Ephrata, Bethleem ſcilicet (id enim illi quoq; erat nomen.) Nulla igitur data fuit requies tum prophetis, tum legi etiam ueteri, donec in Bethleem natus eſt Chriſtus finis legis, & in quem cunctæ deſiere Vatum prædictiones. Audiuimus, inquit, à natu grandioribus, à prophetis, à lege, templũ illud ſanctiſsimũ diuinitatis in Bethleem Iudæ exordiũ auſpicaturũ, illicq; fundandũ. Verũ cùm res

poſtea,

A poſtea, myſteriumq; illud præteritis ſeculis incognitũ, manifeſtandũ tamen ſanctis eius, quibus, ut idem ait, uolet Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus, indagaretur, inuenimus illud in campis ſyluæ, reperieturq; refixum à ludæis, ad gentes denſitate uitiorum aſperas, incultas, prorſusq; ſenticoſas atq; inferaces demigraſſe. Agro itaq; illo legis cæremoniarumq; uomere culto, abiecto & derelicto, in nemoroſam ſeſe inſinuabit culturam Dei filius: hoc eſt, populo noſtro ingratiſsimo reiecto, exteram (prò dolor) immundamq; ſuam ad religionem accerſet gentem. Ergo umbratili cultu iſtiuſmodi noſtro omiſſo, temporarioq; illius abiecto uſu & frequentia,

Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.

Viſibiles quidem ritus deſcribens, ad inuiſibilia nos condocefacere nititur Propheta. Parato, inquit, loco, illius intrabimus templum, atq; ad arcam, ſcabellum ſanè pedum Dei proſtrati, uenerabundiq; illius adorabimus maieſtatem. Reor equidem hîc Vatem ſolito clariori diuinitatis perluſtratum radio uidiſſe, atque adeò humi pronum in ſpecu illo informi, duroq; cubili, puerum Ieſum modò natum à puriſsimo uirginis pectore pendentem, noſtramq; tum primum uagitibus conteſtantem miſeriam adoraſſe, exclamaſſeq; : Adorabimus tuæ ubi prima infantiæ ſteterunt ueſtigia, ô rex noſter. Quæ uerò fuerint perpetua Chriſti ueſtigia in terris, non ſolùm infantiæ, à nobis qui induere Chriſtum, ut nos hortatur Paulus, contendimus, haud ſecus amplexanda, atq; amœniſsimæ ſolent deliciæ, ſi interrogor: iſtiuſmodi fuere, fames, ſitis, frigus, nuditas, horror, fletus, atq; extrema cum matre inope pauperies. Hæc ſanè regia illa fuere noui partus crepundia. Idcirco obſeruandum, quòd quando Chriſtum nominari contingit, tunc caput Eccleſiæ illum eſſe non dubitemus: proinde à ſponſæ filijs, ne membra abſq; capite poſſe eſſe ſomnies, imitandum, uimq; ab illo uitę ſumendam. Vera hęc eſt in primis rimandarum cœleſtium rerum ratio atq; ordo. Pater enim ipſum dedit,

B ut inquit Paulus, caput eſſe ſupra omnem Eccleſiam, quę eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet: hoc eſt, qui in omnibus eſt, ac ſufficit pro omni bono, adimpletur, conſummaturq; in omnibus membris ſui corporis, quæ eſt Eccleſia. Siquidem caput, ut ait Oecumenius, corpore completur & perficitur, & ipſum etiam corpus capite. Vide igitur an factu poſsibile ſit electos à Chriſto diutius ſeparari poſſe: alioqui Chimæram quandam horrendam pro pura ſponſa in Eccleſiam introducimus, cùm perfectiſsimũ ſanctiſsimumq; caput turpiſsimis conueſtimus membris, aut ab illo excidimur. Caput igitur à membro hîc nobili atq; integro, ad nobiſcum habitandũ inuitari cernimus, quid ſi & à nobis? ô nos felices.

Surge domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.

Agedum expergiſcere, iam plus ſatis modò huc, modò illuc, peruagatus es. Quò non locorum te aſportarunt Philiſtæi? quò non tui ipſimet myſtę? quò non impuriſsimi tuę religionis hoſtes? En tandem locus, en ſedes. Agè, ſurge, atq; eadem qua tu, tuæ ſanctitatis arca requieſcat manſione. Puto hîc Deum, quò ad uiuificandam unà cum ſanctitatis ſuæ arca, quę eſt caro Chriſti, accedat Eccleſiam, rogari, puriſsimisq; ſponſæ blanditijs inuitari, ad hunc ferè modum: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, cõmoremur in uillis, manè ſurgamus ad uineas, uideamus ſi floruit uinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerũt mâla punica. Hîc obruor myſterijs, mi lector: ad altiorem adhuc perueſtigandum euehor ſenſum. Eſt uox patris, ô fili. Exantlatis mundi iſtius ingratiſsimi ærumnis, ad me ueni. Iam tua perfunctus es legatione, impletum eſt iuramentum, uotum abſolutum, ſedem inueniſti in Ephrata, fundaſti Eccleſiam, eamq;, quò uel ipſę mandragoræ ſuum affleret odorẽ, tuo irrigaſti cruore. Aſcita tecum eſt ſponſa. Quid reſtat, niſi ut ad me, unde nunq; diſceſsiſti, remigres? Quin tecum exurgat arca, nempe Eccleſia, à te è millibus electa, tuoq; ſanctificata ſpiritu atq; adeò tibi coniuncta, ut tu caput ſis, illa corpus. Quòd porrò Eccleſia facta ſit arca ſanctificationis, innuit Paulus, cùm inquit: Chriſtus dilexit Eccleſiã, & tradidit ſeipſum ut ſanctificaret

C illam. Verùm nõ omittendũ, dictionẽ ſanctificationis, Hebręis eſſe, fortitudinis hoc eſt, ut reddit Paraphr. Veni cum arca, per quã ſæpe omnipotentia tua apparuit. Ex eo quidem loco admiranda illa prodibant numinis oracula, minæq́, & terrores, quibus auditis rebellis ille populus exterrefactus in officio continebatur. Secus modò in Eccleſia fieri conſpicimus, quæ amoris clauo tranſuerberata, amore magis ſuos ac lenitate coërcet, perficitq́ in Deo, quàm formidine ac minis. Vnde errant hi, qui arcæ prędíti poteſtate nimiũ turgidè inſoleſcũt, putantq́ ſubditos ſibi homines feras eſſe cicurandas, uiq́ & uerbere in officio retinendas. Ab hoc prorſus more aliena eſt Eccleſiæ modeſtia & manſuetudo, quæ in Chriſto fundata nihil non agit, quò Chriſti uitam referat, qui ſic ſuos admonet diſcipulos: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Atq́ de his quidem id dictum eſſe non ambigimus, quod ſequitur:

Sacerdotes tui induantur iuſtitia, & ſancti tui exultent.

Luce hîc clarius apparet, quid ueſtes adumbrent ſacerdotales: nempe iuſtitiã, eam ſanè, qua per fidem ornantur ſancti Dei uiri. quocirca additum eſt, Et ſancti tui exultent. Nulla quippe poteſt eſſe uera animi exultatio in illo, in quo non eſt ſanctitas, uel ſaltem ad ſanctitatem aſſequendam ſtudium & conatus.

Propter Dauid ſeruum tuum non auertas faciem Chriſti tui.

Vncti tui, quò dilucidior ſit ſenſus, uertunt. quanq́ Chriſtus (ſic rudioríb. conſulendũ eſt) idem ſonat Græcis, quod Latinis unctus. Et eſt ac ſi diceret, propter promiſsiones Dauidi factas, ne reiícias illius preces, qui tuus unctus eſt, rex nimirum, qui de more ungi ſolet. Volunt enim iſtiuſmodi loquendi modũ, nõ auertas faciẽ, haud infrequentem eſſe in ſcripturis, ut ferè illud eſt, quo uſus Adonias ſic Bethſabee alloquit: Petitionẽ unam deprecor à te, ne confundas faciem meã. Ex hebręo uertunt, ne auertas faciem meam. Sed Paraphr. rem clarius exprimit,
D cùm ait, ne auertas faciẽ à Chriſto tuo. Alius adhuc apertius: Ne differas, inquit, aduentum Chriſti tui. Is quidem ad aduentum filij Dei in mundum reſpexit, de quo ſanè permultæ extant Dei pollicitationes Dauidi factæ: extantq́ frequẽtes ille in Salomonẽ minæ, ſed propter Dauid patrem temperatæ. Ait itaq́: Propter promiſsiones Dauidi factas te petimus, ne Chriſti præſentiam diutius deneges: ſed illum iam tandem nobis uidendum, ut toties pollicitus es, exhibe. Et quidem

Iurauit dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur illi.

Difficillimè nimirum noſtræ perſuaderi poterat imbecillitati, quòd Chriſtus noſtra futurus eſſet ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio. Idcirco Deus iuſiurandũ ſuis addidit pollicitationib. quò nihil de illius ambigeremus fide. Aſtrinxit itaq́ ſeſe Deus iuſiurando Dauidi, quod ſanè nunq́ uiolaturus eſſet, dicens:

De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Sic Deus in Regum ſecundo: Suſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum eius regni uſq́ in ſempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipſe mihi erit in filium. An certè iſtuc totum de Salomone interpretandũ ſit, tu qui legis, cuiq́ ſyncerus eſt animus, atq́ ad ſecernendas umbras à corpore acutus, iudica. de Chriſto hæc uerius dici poſſunt quàm de Salomone, qui omniũ ingratiſſimus Aſtarthen deum Sydoniorum, Chamoſq́ deum Moabitarum, turpiſsimè pro Deo uero coluit. De fructu igitur uentris tui, ne uerearis, tuo in ſolio collocabo.

Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos, & filij eorũ uſq; in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem tuam.

Quid ſi non cuſtodierint, peribit ne promiſsio? Minimè quidem: nam ſi filij erunt, cuſtodient: ſi non cuſtodient, filij neutiq́ erunt. Ceciderunt quidem olim à terrenarũ rerum dominio Iudæi, quia non ſeruata eſt fœderis conditio. Verùm Dei ſermo & promiſsio perſeuerat in Chriſto Dauidis ſemine, à quo propagati fideles, quæ pollicitus eſt Deus obtinent. Hi quidem, atq́ illorum poſteri, diuinas ad amuſſim ſeruant, ſeruabuntq́ præceptiones, ac uitæ inſtituta, non quæ ſi-

bi

A bi ſomniant & effingunt, ſed quæ præcepit altiſsimus. Atqui hîc mihi uidere uideor æternã promitti felicitatẽ his, qui pactũ cum Deo initum in baptiſmo, ac legis mandata ſeruant. quam quidem ob rem perpetuus id pijs deberet eſſe ſtimulus, quò periculi ab omnib. minimè præuiſi admonerent, quodq; marmoreis in ædium aditis inſcribi deberet literis: Qui bona egerunt, ibunt in uitam ęternam: qui mala, in ignem æternũ. Cæterũ ex hebræo uertunt: Fœdus meum, & teſtimonium meum. quæ duæ uoces Euangeliũ ſignant, ſi ad Eccleſiam eas referas. Si uerò ad Dauid atq; eius ſucceſſores in regnum, fœdus hîc erit priuatum, teſtimonium autem lex generalis. Et hæc omnia ad perfectionem attinent fidelium.

Quoniam elegit dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hîc habitabo quoniam elegi eam.

Perpendi quomodo paulatim Vates ad exprimendã Eccleſiæ tum electionẽ, tum perpetuitatẽ, deſcendit. De religione quidẽ illa ueteri ſynagogæ, minimè id dici poteſt, quòd in ſeculũ ſeculi in ea requieuerit Deus. Reiecta penitus ſuam ob impietatẽ, atq;, ut inquit Euſebius, ob ſacerdotũ auaritiã & ambitionẽ, Hieruſalem, reiectus eſt & illius cultus, nouaq; introducta eſt per Chriſtum religionis forma, pura ſcilicet, atq; illius ſanguine, tum nimia, qua occubuit, dilectione, conſecrata. atq; hæc quidẽ præter omniũ ſpem & expectationem. Nanq; ex Dei electione Chriſto cõiuncta eſt Eccleſia, ex quo ſuam ineffabilem cõmendauit in nobis Deus charitatẽ, ut inquit Paulus: quoniã cùm adhuc peccatores eſſemus ſecundũ tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Itaq; ex electione ac Dei charitate in immeritos, uocata eſt Eccleſia. Vnde non abſq; ingenti eſt myſterio, quod hîc ex hebræo uertunt: Quoniã elegit dominus Sion (en electio) cõcupiuit eam (ecce amor) in cathedram ſibi. Quare ſic Paraphraſtes: Elegit enim dñs Sion: ſic amauit eam, ut habitare conſtituerit in ea. Sed ornatum intueamur ſponſæ iſtiuſmodi gratuitò ad ſponſi amplexus admiſſæ: intueamur, inquã, ſponſi erga illam
B munificentiam, atq; profectam ab amore liberalitatem. In primis, inquit,

Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus.

Volunthi, qui interpretis lapſum nõ animaduertunt (θήρων pro χήρων legiſſe uidetur: prima enim uox uiduã ſignificat, altera uerò uenationẽ, ſeu, ut uertit Fel. cibum uiaticũ: ceda eſt Hebræis) uolunt hi, dico, pro uidua uiri ſubſidio deſtituta, animã intelligi, quæ abiecta lege, contemptoq; iuſtitiæ itinere, ſuo uiuit arbitratu. Verũ à Deo uocata ad uitã, ſe ſtatim numini cõſecrat: quę ſanè diuina eſt benedictio atq; amoris ſignũ. Quid, oro, tam inſperatũ, q; parricidã, adulterũ, auarũ, ſcortũq; infame, in puriſsimũ Eccleſiæ ſinũ introduci, membrumq; Chriſti efficiꝰ Verũ, ut dixi, uox hæc cibũ huiuſcemodi, quia uiatorib. ſuppeditat, ſignificat. Paraphr. annonã interpretat: quare uberem prouentũ rerũ, quæ ad ſuſtentandũ uitæ huius exiliũ & peregrinationẽ neceſſariæ ſunt, à Deo hîc promitti exponunt. Et certè legitimis Eccleſię filijs non poſſunt non copioſe res ad uitæ uſum neceſſariæ, à cœleſti patre ſuppeditari. Nunquam uidi, clamat Vates, iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panẽ. Ideo in ſponſi obſequio frigidiores, filioſq;, ut eos uocat Paulus, diffidentiæ, obiurgatos fuiſſe tunc arbitror, quando ſic ſuos admonuit diſcipulos Chriſtus: Et uos nolite quęrere quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in ſublime tolli. hoc eſt, ne preſentibus minimè contenti, copioſioribus, quę humanarum cupiditatum eſt natura, inhietis: hæc ſanè omnia gentes inquirunt: pater autem ueſter ſcit quoniam his indigetis. Vult igitur pater, ut nos, noſtraſq; indigentias in illum reijciamus, quippe qui maiori nos proſequitur charitate, quàm liberos nos noſtros, aut noſtram ipſi propriam ſalutem. Res, ait, illis ad uictum concernentes abundè ſuppetent, qui in me confidunt. Præterea

Sacerdotes eius induã ſalutari, & ſancti eius exultatione exultabunt.

Pulchrè is uerſus ſuperiori reſpondet, quo dictum eſt: Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent. Salutari, ſuo more uertit interpres, pro ſalu-

C te. De ſacerdotibus id nouæ legis cani non eſt qui ambigat. Cæterùm iſtiuſmodi præfert ſenſum, ſalutem induere ſacerdotem, quòd ita & doctrina & ſanctitate ornatus eſſe debeat, ut futurum beatitudinis ſtatum præ ſe ferat. Sacerdos quidem in terris imago quædam eſt bonorũ cœleſtium: neq; in illo pars ulla conſpici debet, quæ pietatem, quæ dilectionẽ, quæ Deum tandem, ſalutem nimirũ animarum non ſapiat. Secus uerò quomodo in illorũ numerũ cenſebitur, de quibus illud canitur ſpiritus elogium? Vos ſacerdotes domini uocabimini, miniſtri Dei noſtri. Nunquid de ſe illud ritè proferre poterit? Induit me dominus ueſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circundedit me. Sanctiſsimũ iſtud eſt oſtentationis genus, quod nõ tantum à ſuæ ſalutis cõmodo metiri quis ſolet, quantum ab illo, quod debet populis, impenſo. Ergo à ſacerdotibus, tanq; ab optimis bene uiuendi formis pendêre debent è uulgo cæteri, qui plerunq; in his quæ fidei ſunt, nutare conſueſcunt, ſi ſacerdotes, atq; alij uerbi Dei miniſtri non iuſtitia & ſalute, ſed turpiſsima uitæ conſuetudine induti ſunt. Eò quidem loci interdum iſtiuſmodi deueniſſe hominum ordinem & numerum uidimus, ut plures omnino eſſent, quàm ipſi in urbibus ciues, atq; in uillis agricolæ, & hi nonnunquam abſq; literis, ac ſpiritu. Ex quo (malùm) illud contingere non neſcij ſunt (modò ſcire uelint) epiſcopi, quòd in ædibus ipſis propriis ne ipſæ quidem conſanguineæ uirgines tutæ ſint. Quid in alijs porrò ædibus? Ad tantam enim impudentiam nonnullos proceſsiſſe ferunt parochos, ut hinc illos ſacra agere, illinc infantes in concubinæ gremio uagire audierint. Hos certè malæ fidei antiſtites & paſtores, iuſtitia nunquam indutos eſſe dixero & ſalute, è quorum moribus in greges mors ipſa deſæuiens haud ſecus exire ſolita eſt, atq; ex antro horrido in uiatores latro, aut è nemore in armenta lupus. Res tamen non prorſus deſperata uidetur, ſi dicæ ceſani, ut audio, præſules ad tam patentia templorum portenta non conniuent. Sed ad pſalmũ, ad puriores Dei adminiſtros, ad candorem Eccleſiæ reuertamur.

D *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo.*

Diuturnitatem uirtutem q; ſpiritus, quæ in Eccleſia per Chriſtum florere debet, oſtendit. Ibi florere faciam cornu Dauid, uertunt ex hebræo. Cęterùm cornu in ſcripturis, quod aliàs annotauimus, pro robore, uictoria nonnunquã, gloria, regno, amplitudine, potentia, maieſtate tandem ſumi ſolet. Sic Iob ſuum ſe cornu in puluerem deieciſſe dicit: hoc eſt, regium faſtum, atq; omnia quondam magnifica ſe abieciſſe fatetur. Hæc ſanè omnia, mirum quàm copioſe exuberent in Dei regno, ſi tamen in ſpiritu cerni datur. Gloria uerò illa, pompaq; & maieſtas, qua ſuperbiſsimum in modum inſoleſcimus in regnis ac rebuſpub. mundana omnino eſt, & periculoſa. De iſtiuſmodi nõ loquitur hîc Vates: ſed de illa, cuius uirtute animæ à mundo ſeparantur, cùm altera illa à Deo hominem facilè ſeparet, mundoq; fortiſsimis ambitionis atq; arrogantiæ clauis affigat. Augebo, inquit, prorogaboq; potentiã & dignitatẽ in regno Dauid. Quæ quidem dignitas tametſi in Ieſſe filio temporaria fuerit & caduca, in Chriſto tamen atque eius membris ſtat ſolida, renouaturq; de die in diem in ſpiritu. Stupidi nimiũ ſumus, ſi pulcherrimam Eccleſiæ uiriditatem, qua incomparabilẽ ſibi uindicat dignitatem & gloriam, non ſaltem fide comprehendimus, ſimulac nuſquam non delit fax ſpiritus, qua mens irradiata, nihil tam altum reconditum q; inuenitur, quod fide non aſſequaẽ. alioqui fruſtra illud addidiſſet Deus, Adornaui lucernã Chriſto meo. Verùm lucernam hîc poſitam alio ſenſu pro poſteritate arbitrantur, in qua progenitorum imagines, tanquam in lychnijs accenſę thryallides, uiuunt. Non ſanè infrequens eſt in ſcripturis, huiuſcemodi appellatione poſteros nuncupari. Vide an illud in cõminationibus Salomoni à Deo factis, ad hunc intelligi debeat modum: Auferam, inquit, regnum de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus, filio autem eius dabo tribum unam, ut remaneat lucerna Dauid ſeruo meo. Illud rurſus de impietate Hieroboã loquens: Propter Dauid dedit ei dominus Deus ſuus lucernã in Hieruſalem, ut ſuſcitaret filium eius poſt eum. Ergo lucerna Chriſti in Eccleſia ſunt illius poſteri, qui ex Deo nati ſunt, qui etiam quęcunq; agant,

aut

A aut cogitent, aut ſcribant, ſuum referunt progenitorem, feliciſsimamq́ illius repræſentãt imaginem. Parata quidem hæc fuit lucerna à patre ſuo unigenito ante orbis molitionẽ: quam ſanè propterea uſq; ad mundi ipſius occaſum lucere iuſſit, ut ſuo hîc in regno eſſent, qui filij ſui dilectiſsimi præſentiam uitæ ſanctitate referrent. Felicem illum, qui tali dignatus appellatione, nihil quod tenebras obducat, in ſe eſſe patitur. Is quidem iſtiuſmodi ſe habebit modo, ut dixi, uireſcetq; in dies magis, atq; in ædificium corporis Chriſti coaleſcet: lampades uerò fatuarum uirginum extinguentur. Ideo ſubinfertur:

Inimicos eius induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

Ex hebræo: Super ipſum autem florebit diadema, ſeu ornamentum. Vnde ſic Paraphraſtes: In capite illius fulgebit diadema. qua utique periphraſi ſplendorem regium perpetuò duraturum in Dauidis ſemine, qui Chriſtus eſt, innuere uoluit. Putant doctiores pro eodem accipi, & cornu Dauid, & lucernam, & diadema: nempe regiam poteſtatem atq; ſplendorem in Dauid poſteris nunquam deſiturũ. quod quidem uaticinium in Eccleſia quotidie perfici uidemus per Chriſti ſpiritum, qui noſtræ pignus eſt hæreditatis, ut inquit Paulus, in redemptionem acquiſitionis, in laudẽ gloriæ ipſius. Impijs uerò terror eſt & interitus. Quare non abſq; ratione dictum fuit ab eo: Inimicos eius (Chriſti uidelicet) induam confuſione. Poſſunt certè nonnihil in hoc mundo tyranni contra Eccleſiam, atq; proborum uitam: poſſunt hæretici, poſſunt obloquutores, inuidi, ſuperbiſsimiq; religionis miniſtri. Verùm iſtorũ minæ iniuriæq; temporariæ ſunt, ſomnoq; perſimiles aut fumo, idcirco à ſponſa ludibrio habitæ. Breui enim, cùm uiſum fuerit ſponſo, moleſtiſsima huiuſcemodi monſtra diſsipabit altiſsimus, pudoreq; ac confuſione, tanquam infamiæ lacerna & pallio circumamicta, interficiet ſpiritu oris ſui. Cui laus ſit æterna. Amen.

B

PSALMVS CXXXIII. Canticum graduum Dauid.

Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum.

Pacato regno, ſedatiſq; bellorum diſsidijs, atq; propterea accita inter ciues concordia, carmen hoc mutuis cecinerunt adhortationibus ſacerdotes inter ſeſe, canũtq; aſsiduè hi, qui Dei ſpiritu renati nihil antiquius habent & quærunt, quàm ut unum ſit cor, unaq; uoluntas, atq; unũ omni no ſtudium inter Dei filios, quos iſtiuſmodi hortatur uerbis Apoſtolus: Soliciti ſeruare unitatem ſpiritus in uinculo pacis, unum corpus, unus ſpiritus. O uerè aureum dogma & diuinum. Et ut ueriſsimum illud ſit, quod nec ethnicos quidem ipſos latuit autores, concordia ſcilicet res paruas creſcere, diſcordia etiam maximas collabi: iſtud non minus uerum quàm neceſſarium, membra unius corporis inter ſe diſsidentia quamprimùm interire. Ita ſunt ſanè omnes ſub Chriſto merentes, illiuſq; facti per fidem membra, qui caput eſt, ut inquit Paulus, ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcuiuſq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui charitate. Hanc quoq; ſpiritus doctrinam diuus non ignorans Benedictus, ſuam ita hac de re promulgauit legem: Infirmitates mutuas ſiue corporum, ſiue morum, patientiſſimè ferant. Obedientiam ſibi certatim impendant. Nullus, quod ſibi utile iudicat, ſequatur, ſed quod magis alteri. Poteſt'ne quicquam tam ſancto addi ſecreto? Hîc quidem (nec falſus ſum) totam naturæ legem innouari uideo. Quid illud? Deum, inquit, timeant, Chriſtoq; omnino nihil præponant. En Euangelicæ diſciplinæ ſumma & perfectio. Diuus etiam Bernardus non rarò res has tantas ſuo quoq; tempore in monaſterijs refrixiſſe queritur, atque adeò acerbè in tranſgreſſores inuehitur, ut maledicentiæ notam ab improbiſsimis mea etiam ætate hominibus non euaſerit. Sic ſemper in terris candor animi fuit inuiſus & odioſus. Quid de me dicerent homine omnium ignauiſsimo in Dei obſequio, ſi eadem, quæ tam ſanctus anti-

C ſtes de ſuæ ætatis monachis dentatus ſcripſit, ac queſtus eſt, ego de præſentibus & modicè & uerecundè mandarem literis? Verùm interim quòd turbæ ex Heli cacabo atq; olla deferueant, nos qui in cauſa ſumus, ſed liberari contendimus, uelimusq; nolimus rem optimã eſſe concordiam fatemur, unà cum puris illis animis, de quibus ille meritò celebratur uerſiculus, Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent, clamemus: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in unum. Quid bonum? quid iucundũ tantummodo? Iſtuc omnino optimũ eſt, atq; id quidem, quo uel ſolo ex hominibus diſ efficimur. Nam ſanè quidem nihil aliud æternas eſſe beatorum ſedes arbitror & domicilia, aut, ut illas uocat omniũ magiſter, manſiones, quàm cõmunis omnium in Deo conſenſio, unusq; animus, amor unus, ac pax. Sanctiſsimum id igitur eſt, cùm homines ſimul uno connexi charitatis nodo, uniformi uiuunt uitæ genere. Turpiſsimum uerò illud, cùm diſcordijs inter ſeſe obortis, diſſipato uiuunt animo. Non eſt, puto, tam nigra apud inferos regio, quæ queat cum huiuſcemodi uitæ caligine comparari. Ita nihil amœnius concordi fratrum uita & quiete. Quocirca unguento illam precioſiſsimo aſsimilat ſpiritus dicens:

Sicut Vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram Veſtimenti eius.

Is unus eſt uerſus Hebræis, alioqui interruptus eſſet ſenſus. Comparat igitur fraternam concordiam (fratres omnes ſumus quotquot credimus) unguento illi Aaronico, nempe ſacerdotali, cuius forma in Exodo diſertiſsimè deſcribitur à Moſe. Eo quidem nõ ſolùm ſacerdotes, atq; illorum liberi inungebantur, uerùm etiam tabernaculum, arcaq; teſtamenti, atq; uniuerſa omnino religionis uaſa & ſuppellex. Hoc oleũ, inquit, unctionis ſanctũ erit mihi in generationes ueſtras. Gratiarũ porrò cœleſtium id erat oleum, quo homo, ut in lege cauetur, haudqua
D quam ungi debet. Caro, inquit, hominis non ungetur ex eo, cuiusq; liquor in miſericordiæ pyxide ſeruatur in generationes prorſus uenturas abſq; fine in Deo. Illud itaq; effuſum ſuper caput Aaron, odoratiſsimo à uertice per frontem ac barbam demanans riuulo, ad extremam uſq; oram chlamydis deſcendebat: quo quidem pigmenti illius fluxu, mira paſsim ſentiebatur odoris fragrantia. Tota ipſa tum demum religio ſuauiſsimã quandam ſanctitatis maieſtatẽ ſpirare uidebat. Ita ſanè ſunt Chriſtianorũ cœtus, inter quos cor unum eſt atq; anima, in Dei cultu & religione. Ad hæc, capiti propiores qui ſunt, hi ad barbam attinent ſacerdotis. Siquidẽ ſpiritus oleum è regio ſacerdotaliq; Chriſti uertice defluens, barbam primùm occupat, pectus deinde, atq; ad ima ſenſim delabit. Nanq; uariĳ in Eccleſia conſtituti ſunt gradus, ipſeq;, ut impleret omnia, quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios uerò Euangeliſtas, alios aũt paſtores & doctores, ad cõſummationẽ ſanctorũ, in opus miniſterĳ, in ędificationẽ corporis Chriſti. Elegans profectò metaphora, atq; ad oſtendendũ uitę odorem in ſanctis Dei magnopere apta. Cui tamen alia ſubinde nõ minoris efficaciæ adiuncta eſt à Vate, adeò copioſiſsima penè obruimur myſteriorum ubertate.

Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

Eſt quidem, inquit, concors hominum conuictus gratijs æquè omnibus abundans, ac quauis ſpiritus pinguedine beatus, atq; ros eſt qui deſcendit in montem Hermon, atq; ille qui deſcendit in montem Sion, loca nimirũ ob feliciſsimũ, frequentemq; roris illapſum fœcundiſsima, proinde paſcuis cõmoda, atq; à gregibus frequentata. Cæterũ Hermon mons eſt ultra Iordanẽ poſitus, ſtatio, ut dixi, propter herbarũ copiam à paſtoribus frequentata. Sion uerò mons notus eſt, ad cuius radices ſita fuit Hieruſalem. Hiſce enim montibus propter fertilitatem abſimiles haudquaquã ſunt unanimes in Chriſto fideles: cùm Caucaſo porrò ſterili, aut Pyrenæo monti, niuoſoq; Atlanti, comparari poſsint diſſidiorum fautores, atq; inter ſeſe rixantes. Etſi enim quæ hîc dicuntur de concordia, ac unanimi fratrum conſenſione, à nonnullis ad monaſteria tum uirorum tum mulierũ duntaxat

A taxat referri uidentur, nihilominus ad omnes pertinere arbitror, qui in Eccleſia Chriſti uitam uiuere tranquillam modis omnibus inquirũt, ſiue monachi hi ſint, ſiue patresfamiliàs, ſiue in quouis alio uitæ genere occupati. Tam quidem in rebuſpub. Chriſtianorum, atq; in priuatis ciuium ædibus neceſſaria eſt pax & concordia, quàm in ipſis religioſorũ domicilijs. Nullo quippe pacto res ſpiritus uniuerſales ad has anguſtias obtrudi debent, ne homines, ut uocant, ſeculares ſe à ſuauitate Euangelica reiectos eſſe doleant: aut ubi uitæ perfectionem expectari par fuerat, nihil minus interdum cõſpici detur. Gratia quidem Chriſti res eſt uniuerſalis, omnes inuitat, omnes admonet, omnes trahit, omnes amplectitur.

Quia illic mandauit dominus benedictionem, & uitam uſq; in ſeculum.

Vbi pax eſt, atq; amor mutuus. Ab iſtiuſmodi quidem gratiarum copia atq; ubertate nemo excluditur, non rex, non princeps, non miles, non mercator, non ſutor, non faber, non ipſa demum paupercula ducens è colo ſtuppam anus. Illic, inquit, ubi iſtud uiuendi genus, nempe concors atq; uniforme cum Deo inuentum fuerit, ſuam præſtò adeſſe beneficentiam, uitamq; beatam, ac perpetuò duraturam, præcepit Deus. Cui laus ſit in ſecula. Amen.

PSAL. CXXXIIII. Canticum graduum.

Ecce nunc benedicite dominum omnes ſerui domini, qui ſtatis in domo domini, in atrijs domus Dei noſtri.

Inter Dei ordinationes, quas Aaron in functione ſacerdotij cœlitus audiuit, illa fuit: Sint tecũ Leuitę, & excubent in cuſtodijs tabernaculi, & in omnibus cęremonijs eius. Eam ob rem hunc pſalmũ ad eos noctis potiſſimum tempore exuſcitandos directũ eſſe cenſent quidã. Verùm cùm uocem hîc uniuerſalem poni uideo, de cunctis hîc dici arbitror, qui dies noctesq; quibuſdã maximè ſtatis diebus in templo morabant: quare prima uix facta omnibus ad-
B monitione, à Vate infertur: Qui ſtatis in domo domini, in atrijs domus Dei noſtri in noctibus. In atrijs domus Dei noſtri, nõ eſt in hebræo, ſed ſolummodo, qui ſtatis in domo domini in noctibus. Iam cunctis omnino, qui cœleſtibus die noctuq; dant operã contemplationibus, compertũ eſſe poteſt, quàm cõmodum ſit contemplationi ſilentiũ, atq; propterea nocturnũ tempus. Perdiu quidem raro eò ob ſtrepitus conſcendere apti ſunt, quò ſancto iam attriti uſu & cõſuetudine, facilè de nocte conſcendunt. Mirum quantum tranquillæ officiant uitæ diei turbæ. Ideo non nouum id eſſe debet ignauis atq; inſolitũ, ſi quando tum à Dauid, tum à cæteris quoq; ſpiritus ſancti uatibus ſe audiunt moneri, ne quietiſſimo noctis tempore abutantur, totumq; dedant ſomno, ne dicam ludis, iocisq; ſcurrilibus, ac iunctis cum libidine comeſſationibus. Paraſitorũ lenonumq; hæc eſt uitæ ratio, & meretricũ: haud illorũ quidem, quibus quanti ęſtimandũ ſit temporis beneficiũ, perſpectum eſt. Eia, inquit, ô uos qui ſerui Dei, quiq; illius religionis cultores uideri uultis, quid totas ſtertitis noctes? Vos, inquã, qui in domo Dei, ubi lux eſt fidei, excubias agere decreuiſtis, appello. En ſurgite, en laudibus Deum extollite. Si interdiu id integrè propter diei ſtrepitus peragi nequit, en nox ad illud aſſequendũ idonea. Paulò diuerſum hunc reddit ſenſum Paraphraſtes, pium tamen & ſanctum. Nunquã illum, inquit, ſatis laudare poteritis, etiam ſi totas noctes in templo domini laudantes perſtiteritis.

Extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite dominum.

Veterem adorandi morem Iudæorũ non omittens Propheta, ad ueriora nos ſancta ſanctorum introducit. Deprecaturi tum quidem, & manus, & oculos, & uocẽ quoq; illò ſupplicabundi dirigebant, unde diuina dari reſponſa arbitrabantur. Id loci ſancta erat arca & propitiatorium, quibus adumbrabatur Chriſtus & Eccleſia. Qui enim altiori prædi ti erant ſpiritu, neſcio quid ſanctius in manufacto illo cernebant opificio, fore aliquando, ut in Chriſto umbrarum ueterum termino orbis planè uniuerſus, nedum anguſtus terrarum angulus, ut erat Iudæa, aſpiceret, gratiasq; ab illo hauriret. Huc abſque dubio ſpectauit Vates, quando

C ſuos adhortabatur populos hoc modo, ut hîc uides: Suſtollite, inquit, manus, ut moris eſt, ad ſanctuarium, arcamq; fœderis, ac quanto poteſtis ſtudio & niſu, dominum laudibus efferte. E regione autem

Benedicat te dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

Quidam hîc uertit, uos. Ditabit uos, inquit, dominus de Sion. Siue te, ſiue uos legere libeat, idem omnino erit ſenſus. Etenim optat Vates, ut bene illis ſit à domino ex Sion (ea eſt Eccleſia) qui in illo toti ſunt, quomodo à mundi amore atq; occupatione alienati, arcæ illi cœleſti, non quæ olim in tabernaculo bracteolis contecta aureis uidebatur, ſed quæ in cœlis, opificio nimirum Dei, & creatione, templo ſanè nulla elaborato hominum arte, ad dexteram Dei patris ſuam nacta eſt ſedem, æternam nimirum, atq; hoſtibus Eccleſiæ formidabilem, quoniam illius manſio eſt qui fecit cœlum & terram, obſequi poſsint. Cui honos ſit perennis in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. CXXXV. Halleluia.

Laudate nomen domini, laudate ſerui dominum. Qui ſtatis in domo domini, in atrijs domus Dei noſtri. Laudate dominũ, quoniã bonus eſt dominus: pſallite nomini eius, quoniam ſuaue.

Quamobrem hunc pſalmũ compoſuerit Dauid, nulla certa eſt coniectura. Verùm quantũ ad inſcriptionem attinet, coniectare licet, uel hunc, uel cæteros huiuſcemodi notatos titulo, ad celebrandas Dei laudes, renouandamq; beneficiorum Dei memoriam, in populo illo ingratiſsimo, atq; adeò in deorum cultum mirum in modum prono, inſtitutos. Magnum id eſt improbitatis ſignum, beneficiarij animum in benefactorem obdureſcere: uitium ſanè haud raro ludęorum populo cùm à prophetis, tum à Deo ipſo obiectum. Quantum porrò nos Iudæis in hoc peccati genere præſtemus, maiora in nos, quàm in illos exhibita
D teſtari poſſunt Dei beneficia. Nos amentes, ſi nondum tantarum gratiarum cumulus, uel dormientibus innotuit: imò uerò notum auerſamur, diſsimulamusq; ingratiſsimi illius munera: hincq; ortum habet, quòd ad Dei laudes frigidi omni no ſumus, ad noſtras uerò igne ipſo flagrantiores. Quare non mirum eſſe debet, ſi nobis noſtris in ærumnis & miſerijs, non eſt, neq; in cœlis, neq; in terris, qui miſericordiam præſtet. Condita iam omnia in nos obduruere, quemadmodum nos in Deum. Exuendum itaq; iam tandem iſtuc eſt cor lapideum, atq; ad diuinum amorem, cuius uirtute etiam ipſæ manſuefieri poſſent Tigres natura duræ & intractabiles, aſſuefaciendum. Etenim à ſuauiſsimo cœleſtium rerum guſtu propulſi, quem alium cibum, quo noſtra hæc infelix ſuſtentari queat uita, opperiemur? Iam pro maximo erit lucro, ſi à ſpiritu ad laudandum Dei nomen inuitati, lenem ſaltem præbuerimus auditum. Laudate, inquit, nomen domini, laudate ſerui dominũ, qui ſtatis in domo domini, in atrijs domus Dei noſtri. Laudate dominum, quoniam bonus eſt dominus, pſallite nomini eius, quoniam ſuaue. Hęc ſunt quę potiſsimum in Deo laudanda uidentur: bonitas, ſeu clementia, & ſuauitas, qua etiam crucis amaritudo fit dulcis & delectabilis. Porrò ſerui Dei omnes generatim credentes intelliguntur. Qui uerò ſtant in domo domini, in atrijsq; illius perſeuerant, pro illis uſurpant, qui ſpeciali atq; adeò feruentiori cultu diuinę uacant religioni, ut olim erant ſacerdotes, leuitæ, quiq; in tabernaculo aſsiduis excubare conſueuerant uigilijs. Quem ſanè morem imitari uelle cernimus frequentia illa per orbem interſperſa cœnobia, ad tranquilliorem quidem uitæ uſum à maioribus inuenta, maximoq; erecta fidei feruore & diſciplina: in quibus ſi priſtinus candor animi, ac pax, in qua mutua neceſſariò ineſt charitas, ſeruatur, non eſt quamobrem angelorum deſideretur in terris uita & conuerſatio. Ait itaque: Vos omnes, ô qui diuina initiati eſtis religione, moneo, hortorq;, ut Deum, quanto ualetis ſtudio, laudibus efferatis: ſed uos in primis, quibus præcipua ſacrorum peragendorum concredita eſt cura, cultúsue purior. Agitedum, laudate Deum quotquot illi ueſtra dediſtis nomina: laudate, inquam, illius bonitatem,

prouiden-

A prouidentiam, facilitatem, in miſeroſq; clementiam. Siquidem bonus eſt dominus, ſuauis, atq; apprimè miſericors. Ab iſtiuſmodi enim irrigationibus, tanquã à feliciſsimis inexhauſti fontis riuulis, in nos natura ſteriles bona omnia deriuat tam bonus pater.

Quoniam Iacob elegit ſibi dominus, Iſraël in poſſeſſionem ſibi.

En quomodo crebrò in ſacra lege fit electionis mentio. Laudibus itaq; proſequendus eſt dominus ob id potiſsimum, quòd gratis Iſraëlem in peculiarem ſibi populũ, cuiq; infinita ſuæ benignitatis ſigna præbuit, elegit. Suapte, inquã, ſponte Iſraëlem (idem eſt qui & Iacob) populum nimirũ Iſraëliticum, ut eſſet illi ueluti ornatus quidam rarus, ac gemma, à cæteris ſecreuit: uoluit quidem eum ſuas eſſe diuitias, ſuam hæreditatem, ſuum patrimoniũ. Aliàs diximus non rarenter Iſraëlem populum credentium adumbraſſe, quem, ut hîc uides, ab inquinata profligatorum illuuie cœleſtis ab æterno delegit pater.

Quia ego cognoui quòd magnus eſt dominus, & Deus noſter præ omnibus diis.

Aliam adducit cauſam, cur laudandus ſit Deus. Quia, inquit, egomet noui, haud raroq; expertus ſum, quòd magnus eſt dominus, quodq; cæteros reliquarum nationum deos potentia ſua infinita ſuperat. Valet perinde atq;, quicquid potentiæ eſt rarioris infinitò antecellit: quandoquidem

Omnia quæcunq; voluit dominus fecit in cœlo & in terra, in mari, et in omnibus abyſſis. Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit, & producit uentos de theſauris ſuis.

Hîc cernis quomodo nequaquã ocioſum ſit uerbũ, cognoui. Etenim ex illius operibus Dei magnitudinẽ ſe comprehendiſſe aſſerit Propheta: fateturq; quòd ſolus is demum ſit, qui quæcunq; libet, ſiue in cœlis, ſiue in terris, ſiue in mari aut lacubus fluminibusq; altioribus, operatur. Abyſſos pro uortiginoſis, miræq; profunditatis aquarum alueis poſuiſſe uidetur. Quare ſic Paraphraſtes: Poteſtatem
B habet in uaſtiſsima illa maria, & in omnia quę uſquam obſtruſa latent, & in locis profundiſsimis. Diuus uerò Auguſt. cuncta hæc ſuo more ad allegorias pertrahens, abyſſos profundiſsimas humani cordis cogitationes interpretat, ſanctiſsimè id quidem. Cætera quoq; de ipſo, quid ſcilicet prę ſe ferat cœlum, quid tellus, quid mare, diligens poterit lector cognoſcere. Meum eſt inſtitutum à literæ ſerie nõ niſi coactus diſcedere. Iam quid è cœlorum influxu ac miniſterio proueniat, quò magis admiranda appareat Dei potentia, aperit. Educit, inquit, ſeu eleuat, ut ex hebræo transferunt, exhalationes & uapores ex abditis terræ uiſceribus, quæ longiſsimo diſsidet à cœlis interſtitio: cogitq; in nubes, unde ortum habent uenti, tonitrus, fulgura, fulgetraq;, & id genus alia, ut ſunt niues, grandines, roſq; illud herbis gratiſsimum, ac pluuiæ. Ab extremo terræ interpretantur, ut diximus modò, Hebræorũ doctiores. quanquam non me prẽterit ad mare illud referri ab aliis, eò quòd ex illo nubes oriri uideantur: nanq; ex mari cùm denſæ exeant, attollanturq; exhalationes, nimboſos illos, quos in aëre circunferri cernimus, procreant globos, è quibus præcipites erumpunt pluuiæ, caduntq; grandines, agrorum nimirum exitium & calamitas. Cæterũ fulmina pluuijs, ignemq; aquis commiſcet, quò rei miraculo haud diſsimilis admoneamur, ignem ſcilicet in tam uaſta aquarum mole non extingui, imò excitari. Nonne illud terrificũ, ſtuporemq; omnem mortalium ſuperans uidetur, ignem inter largiſsimos ſæpe nimbos emicare, fulguraq; latè omnia conflagrantia proſilire, ac tandem uentos alterno ueluti impetu è reconditiſsimis terræ locis, tanquam à Dei theſauris proruere, atq; horrendum in modum cuncta cõmiſcere murmure ac ſtridore? E theſauris Dei uentos afflare aſſerit idcirco, quia incerta omnino eſt illorum origo, ut ferè ſunt theſauri. Quocirca naturæ effector de uento ſimilitudinem afferens in Ioanne, ſic ait: Spiritus ubi uult ſpirat, & uocem eius audis, & neſcis unde ueniat, aut quò uadat. Proinde ſomnijs philoſophorũ omiſsis, hęc omnia à Dei potentia atq; arbitratu, cui ſoli rerum iſtiuſmodi notę ſunt origines & cauſę, proficiſci fateamur. Audi & alia ſummæ poteſtatis argumenta in Deo:

C *Qui percuſsit primogenita Aegypti vſq; ad pecus, & miſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypti, in Pharaonem & in omnes ſeruos eius.*

Summatim quæ geſsit Deus in gratiam populi illius ueteris perſtringit, quæ tamen aliàs copioſius ediſſerit, nempe inſigniora, in quibus q; ſummæ illius tum potentię, tum bonitatis reluxerunt indicia. Vſq; ad pecus, addidit, quò maiorem exprimeret calamitatem.

Et percuſsit gentes multas, & occîdit reges fortes. Seon regem Ammorrhæorum, & Og regem Baſſan, & omnia regna Chanaan. Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſraël populo ſuo.

Hic fuit Seon ille ferociſsimus, qui expulſo Moab illius regnum occupauit. Hinc q; illud iactari cœptum eſt uulgò prouerbij loco: Venite in Eſebon, ędificeť & conſtruatur ciuitas Seon. Qui tamẽ à Dei exercitu ſuperatus interijt. Og uerò Baſſan rex è Seon interitu perterrefactus, fortunam belli tentare uoluit, in quo & ipſe, & illius liberi, cum totis copijs infeliciſsimè occubuere. Verùm ne militũ robori, quod geſtum fuit, adſcriberet quiſpiam, uide quid Moſi Iſraëlitici exercitus imperatori dicat Deus: Ne timeas eum, quia in manum tuam tradidi illum, & omnem populum ac terram eius. Atqui robur id eſt in primis, quo armati noſtri debent eſſe principes, qui in Turcas expeditionem adornant, ne ſuis duntaxat fidentes claſsibus, aut uectigalibus ui exactis, & munitionib. littora illa crudelia Chriſtianorum ſanguine madere faciant. Vidi equidem reliquias illas miſeras militũ è fluctibus ſub Cirthæ (Argiriũ uocant) oppugnationem eiectas, oras has noſtras applicuiſſe, onuſtas quidem uotis, quibus ſeſe ſeruatas arbitrabanť. Cæterùm uerò nulla uitæ correctio, nulla religio, nulla exactionũ remiſsio: nam quas aduerſo Marte aut tempeſtate amiſere fortunas, furtis eas actutùm, latrocinijs, ac pauperũ bonis reſarcire adorti ſunt. Scilicet imminentem barbarorũ cla-
D dem ab armato impietate milite perfractũ iri noſtri opinantur principes. Superbiſsimis itaq; profligatis, duce Deo, à Moſe regibus, illorum regnum, ut fuerat pollicitus, ac terram dono dedit perinde atq; illius eſſet patrimonium, atq; ſperata à maioribus hæreditas, populo ſuo chariſsimo. Quapropter

Domine nomen tuum in æternum: domine memoriale tuum in generatione & generationem, quia iudicabit dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis deprecabitur.

Memoriale tuum: clarius ex hebræo, memoria tui, uertiſſet interpres. Rurſus, iudicabit populũ ſuum, pro populo ſuo. quare ſic Paraphraſtes: Suſcipiet dominus patrociniũ cauſæ populi ſui contra aduerſarios. Iudicabit igitur pro populo ſuo. Iam illud omnino malè uerſum uidetur: Et in ſeruis ſuis deprecabitur. Quòd ſi deprecationis uocem hîc locum habere exiſtimauit interpres, exorabiť potius, ut ex græco transferunt, uertendũ fuerat: hoc eſt, ad preces populi ſui facilis erit, ſineť q; ſe exorari. Ex hebræo tamen, conſolabitur, reddunt. Videtur id eum ad modum dictum, quo illud Dei in Eſaia: Eia, inquit, conſolabor me ſuper hoſtibus meis, & ulciſcar de inimicis meis. Apparet enim tum Deus affici conſolatione, cùm noſtra ulciſcitur ſcelera: quemadmodum dolore, cùm à nobis peccando irritatur. Anthropopathia eſt, quod aliàs admonuimus. Sumpta enim de illo, cui male uult, pœna, uolupe eſt homini irato ac ęuo. Intelligit igitur hîc Vates, Deũ tandem longis ſatiatũ ſuorum plagis, iri placatũ. Ideo ſic uertit quidam: Erga ſeruos ſuos placabilis erit. Itaq; propter immenſa illa, atq; adeò infinita tuę benignitatis ſigna in populũ tuum exhibita, propter portenta, propter ſummam in moderandis illorum rebus prouidentiã, tuum erit nomen æternum: memoriaq; rerum ſic per te in tuorũ gratiam geſtarũ, à generatione in generationem perpetua tranſibit ſucceſsione. Siquidem tuos ſemper ab impijs tutatus es idcirco, quòd cum illis in gratiam reuerſus, in clementiſsimo tuæ pietatis ſinu eos plagis diutius uexatos purgatosq;, tanquam rem tibi chariſsimam collocaſti. Cæterùm

Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuũ hominum. Os habent & nõ loquentur, oculos habent & non videbunt. Aures habent & non audient, neq; enim eſt ſpiritus in ore eorum.

A *eorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.*

Vates conſiderata Dei potentia, atq; erga omnes, qui ad illum confugiunt, di lectione, facilitateq; ad opitulandum illis qui ueram amplexantur religionem, uanitates deridet Gentium, quæ inanimos, nulliusq; omnino ſenſus ac uirtutis deos ſibi effingunt atq; adorant. Hæc planè ad uerbum in alio habentur pſalmo, ibiq; explicata ſunt.

Domus Iſraël benedicite domino, domus Aaron benedicite domino, domus Leui benedicite do mino. Qui timetis dominum benedicite domino.

Deriſo ſuperſtitioſo gentium cultu, hortatur quotquot ueræ addicti ſunt religioni, ut propter antedicta cœlitus beneficia Deum laudibus, ut meritus eſt, extollant: ſed primùm Iſraëlem, totum nempe populũ: ſacerdotes poſtea, quorum princeps fuit Aaron: Leuitas deinde, ac poſtremò cunctos Deũ timentes. Quòd Aaron primùm meminerit, Leui poſtea, qui eiuſdem erant tribus, id conſultò factum uidetur, quò quis autor fuerit tribus Leuiticæ innoteſceret. Is Leui fuit, nõ Aaron: ſed is dignior, ideo primùm à Vate ponit. Vos igitur poſteri Iacob, uos poſteri Aaron, uos poſteri Leui, uos quibus diuinus cordi eſt timor, laudate dominum, illiq; gratias agite. Siquidem

Benedictus dominus ex Sion, qui habitat in Hieruſalem, halleluia.

Vide quàm cautè Vates à more antiquo adorandi non diſcedens, Eccleſię dignitatem effigiat. In Sion quippe monte erat templum, in quo propitiatoriũ, ſedes utiq; Dei, mira ſeruabatur religione. Vnde hìc ex Sion, loco nimirũ unde cœleſtia audiebantur reſponſa, promiſſionesq; illę numinis frequentes, ac minę interdum uenerando quodam prodibant ſilentio, laudandũ eſſe Deum fatetur, cuius certa atq; adeò æterna futura eſſet manſio in Hieruſalem, quę Eccleſię fidei typus fuit ut ſacer, ita illis qui cęteris è uulgo hominibus uitę ſanctitate præſtabãt, exploratus. In qua quidem Eccleſia perpetuũ ſe fore ueluti ciuem, non ſemel te-
B ſtatus eſt benigniſsimus ſeruator. Cui laus ſit perennis. Amen.

PSALMVS CXXXVI.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Hæc laudis oda unà cum multis eiuſdem eſt argumenti, Deum ſcilicet quia bonus eſt & clemens, laudandũ eſſe. Et ut quidem omnes ad id muneris pertrahat prudentiſsimus Vates, nõnulla quę Deus in prima mundi effectione exhibuit beneficia, atq; mox alia, cõmemorat. Hoc idem prorſus precationis exordiũ ſuum edocuit exercitũ rex Ioſaphat, qui pugnaturus cum poſteris Moab & Amon, ſic ſuos hortatus eſt milites: Credite in domino Deo ueſtro, & ſecuri eritis. Credite prophetis, & cuncta euenient proſpera. Deditq; conſiliũ populo, & ſtatuit cantores domini, ut laudarent eum in turmis ſuis, & antecederent exercitũ, ac uoce conſona dicerent: Confitemini domino quoniã bonus, quoniã in ſeculum miſericordia eius. Vides ne quo in primis armorũ genere ſuos armari uoluit milites tam pius rex? fide nimirũ, ac prompto laudandi Dei ſtudio & affectu. Quò nõ irrumperet iſtiuſmodi inſtructus armis miles? Verùm alio ſe habet nunc modo diſciplina militaris. Vidi interdũ milites ad numerũ tuba accitos, uocatosq; centuriatim ad ſigna, uno inſediſſe equo cum ſcorto: nulla interim à ducibus reprehenſio, nulla ſeueritas, nulla omnino grauitas. Quò abijt ſyncera illa militiæ ratio ac diſciplina? O uos igitur, inquit Vates, qui diuinorũ haudquaquã immemores eſtis beneficiorũ, Confitemini domino quoniã bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Illud notandũ, cuilibet pſalmi huius uerſiculo addi ex hebræo, Quoniã in ſeculum miſericordia eius. Vnde mirũ uideri poſſet, quomodo tam ſancta, dicã quoq; neceſſaria, à pſalmo ſubtracta ſit particula. Tædio (opinor) pſallentiũ conſulere maluerũt, neſcio qui, choris præpoſiti, quàm rei diuinę integritati ac perfectioni. Nulla certè diſſimulãda eſſet ob torporem iniuria ſpiritus. Senſus igit is erit: Laudandus ab omnib. eſt Deus, celebrãdusq; tum ob multa, tum quoniã bonus, quoniã in ſeculum miſericordia eius. hoc eſt, ſicut omnia

C uirtute ſuperat & prouidentia, ita clementia & bonitate. Nanq; omnia hæc æterna ſunt in Deo, quocirca æterna illius in nobis debet eſſe laus & confeſsio. Ergo

Confitemini Deo deorum, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Confitemini domino dominorum, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Non id proinde dicit, ut deorũ numerũ eſſe opinemur, ſed ob id, quòd qui potentiores ſunt in mundo, neſcio quid diuinũ præ ſe ferre uideant. In ipſis enim uenranda quędã potentię plus quàm humanę relucet imago, atq; id adeò, ſi potentiæ coniuncta ſit probitas & clementia: alioqui furor eſt tyrannicus, ſi princeps exuta probitate quamplurimũ poteſt. Sub hæc Deum deorũ illum appellat etiã, quò nulla re alia nixi, in ipſo ſolo confidere perdiſcamus. Dominũ rurſus dominorum, ne quem alium præter eum timeamus. Iam quæ res in terris tam ualida erit, quæ mentem ſic à terræ craſſamento atq; ambitione liberam perterrefacere queat? Ille igitur ſolus, in cuius manu mors eſt & uita, timeri ſolet ab his, qui illũ ſuper omnia & amant, & uenerantur. Et

Qui fecit mirabilia magna ſolus, quoniam &c.

Mirabilia magna, auxeſis eſt. Stupendiſsima, inquit, operatus eſt Deus, atq; ea quidem ullo abſq; extero adminiculo ſolus.

Qui fecit cœlos in intellectu, quoniam &c.

Hoc eſt, non temerè aut inconſultò tam pulchram machinã molitus eſt cœlorum, ſed prudentiſsimè, exquiſitaq; arte & ingenio. Etenim ſumma in his potiſsimum deprehenditur ſapientia, uirtus, immortalitas illius.

Qui firmauit terram ſuper aquas, quoniam &c.

De fundamento terræ, quod Dei uoluntatem eſſe magnus aſſerit Baſilius, in quartodecimo dictum eſt pſalmo. Felix tamen, Extendit terrã ſuper aquas, uertit. Alius item, expandit. hoc eſt, terrã ab aquis denudans, ipſas ſeorſum in abyſſis contra eorum naturam ſtagnare fecit. Ad illud, opinor, reſpexit Vates, quo di
D ctum fuit à rerum omniũ opifice: Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, & appareat arida. quemadmodum & illud quod ſequitur:

Qui fecit luminaria magna, quoniam &c.

Quæ iſtiuſmodi fuerint luminaria, actutùm aperit.

Solem in poteſtatem diei, quoniam &c. Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis, quoniam &c.

Creauit, inquit Moſes, Deus duo luminaria magna, luminare maius, & luminare minus. Maius quidem, ut diei præeſſet negocijs, ipſumq; illuſtraret, & perficeret: minus uerò (ea eſt luna) ut cum ſtellis præeſſet nocti, illamq; mutuatis à ſole radijs, ut poſſent, irradiarent. Lunę quippe beneficiũ ac ſtellarũ, hi ſentiunt inter cæteros, qui noctu loca peragrant inuia & deſerta: hi quoq; qui nauigant, qui ſtellarum ſuffragio, uel potiſsimũ Cynoſuræ, uti conſueſcunt. Vnde nõ iniuria, à rerum effectore eſt dictũ, quòd erũt in ſigna, & tempora, & dies, & annos. quanquam horum alia omnino eſt ratio.

Qui percuſsit Aegyptum cum primogenitis eorum, quoniam &c. Qui eduxit Iſraël de medio eorum, quoniam &c. In manu potenti, & brachio excelſo, quoniam &c. Qui diuiſit mare Rubrum in diuiſiones, quoniam &c. Et eduxit Iſraël per medium eius, quoniam &c. Et excuſsit Pharaonem & uirtutem eius in mari Rubro, quoniam &c.

Nota eſt hiſtoria, quã nihilominus in ſuperioribus, pſalmis nonnunq; fuſius, q; hîc modò fit, tractauimus. Libenter enim à nimia earundẽ rerũ repetitione diuerto. Illud notandũ, in brachio excelſo, ſiue extento, inuictã Dei potentiã ſuo in aſſerẽdo populo ab Aegyptijs, oſtendi. Rurſum ex illo [in diuiſiones] nacti quidã occaſionẽ, illud quod afferunt Thalmudici, uerũ eſſe arbitrant. Scribũt enim mare in duodecim tunc ſectũ partes, quò unaquæq; tribus ſuam ſeorſim ab alijs haberet uiam. Sed id dictũ potius uidet ad exprimendã uaſtiſsimã aquarũ molem illius maris tam latè Dei imperio diſtracti. Cæterũ, excuſsit Pharaonem & uirtutem eius in mari, clarius ex hebræo ſic uertunt nonnulli: Et impulit Pharaonẽ & exercitũ eius in mare Rubrũ, ualetq; perinde ac ſi diceret: Ipſum etiã renitentem

coëgit

A coëgit unà cum exercitu mare ingredi. Tum quidẽ iſtud contigiſſe arbitror, quãdo rei miraculo exanimati clamarũt: Fugiamus Iſraëlẽ, dñs enim pugnat pro eo. Atq; illo ſanè modo, terrifico nimirũ & procelloſo, ſuos ſubmerſit hoſtes Deus.

Qui traduxit populum ſuum per deſertum, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Qui percuſſit reges magnos, quoniam &c. Et occîdit reges fortes, quoniam &c. Seon regem Amorrhæorum, quoniam &c. Et Og regem Baſſan, quoniã &c. Et dedit terram eorum hæreditatem, quoniam &c. Hæreditatem Iſraël ſeruo ſuo, quoniam &c.

Hæc eadem, atq; eodem omnino ſpiritus ardore, in ſuperiori cecinit pſalmo propheta. Traduxit, mitius uertiſſet, duxit, ſeu deduxit, ut uertit Felix. Cęterũ rerum ſpiritualiũ ea eſt uirtus, ut quibuſdã propoſitis, reuocatisq; ad memoriã, ſyluam illã ingentẽ beneficiorũ Dei conſiderandã latenti quadã ratione ac modo, perſpicaciorib. proponat ingeniis. Nam quòd canit populũ illũ Dei manu ex undis ereptũ, per ſolitudinemq; circumductũ, atq; potentiſsimis occiſis regibus, illorũ bona in hæreditatẽ Iſraël ceſsiſſe, maximã aperire uidetur rimam ad illa omnia, quæ tunc geſta fuere, perueſtigãda: quibus ſanè cognitis, mirũ quàm flagret animus tam potentẽ, copioſumq; in dona, amare benefactorẽ: qua luce inſolita perluſtratus, fateri cogit, idcirco admirandas illas in totius generis humani gratiam exhibuiſſe operationes altiſsimus, quoniã in ſeculum miſericordia eius: &

Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri, quoniam &c. Et redemit nos ab inimicis noſtris, quoniam &c. Qui dat eſcam omni carni, quoniam &c. Confitemini Deo cœli, quoniam &c.

Confitemini domino dominorũ, quod in fine pſalmi noſtra habet ęditio, non eſt in hebræo, ſed illud ſolũmodo, ut uertit Felix: Celebrate Deum cœlorũ, quoniam in æternum miſericordia eius. Vide igitur quam ob rem mota Dei clementia, tam largum gratiarum ſinum in iſtuc genus noſtrum cùm olim effudit, tum impræſentiarũ copioſiori quoq; effundit additamento. Quia, inquit, memor fuit noſtrî, & id ſanè in afflictione, deiectioneq; & miſeria. Sic hoc loco uox humilita
B tis interpretanda eſt, ne cùm illam uirtutem eſſe ſomnies, ſomnies & illud, propterea noſtrî miſertum eſſe numen, quòd illa prædîti fuerimus uirtute, atque hoc modo gratia amplius non ſit gratia, ſed merces: ut nõnullos de Chriſti matre interpretari uideo, quæ cùm ſuam exploratiſsimam haberet deiectionem, deſpectamq;, ſi cum Dei magnitudine conferas, naturam, illud candidiſsima protulit fide: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. qui ſanè ſenſus ex his quæ ſequuntur, deprehendi poteſt. Et redemit, inquit, nos ab inimicis noſtris: regibus nimirum illis fortiſsimis, qui dæmonum, atq; adeò ſeditionum, rixarumq; autorum imaginem adumbrarunt. Verùm illud conſolatorium in fine additur, quòd noſter Deus is ſit, qui perpetua ſuæ benignitatis ſerie quæcunq; in terris, quæ ſpirabilem ſaltem uiuunt uitam, alit, paſcitq; continuè. Vniuerſæ, inquit, carni cibum ſuppeditat. Res certè uel ſola, quæ noſtram ualida ſit emortuam ſuſcitare fidem. Quis talem non amaret dominum? Quis ſimilem unquam expertus eſt benefactorem? Itaque, confitemini Deo cœli, qui pulcherrimam hanc orbis regionem, cœlorumq; elegantiſsimam fabrefecit machinam, quoniam in æternum miſericordia eius. Siquidem ab illo dimanarunt fonte, manantq; quotidie inexhauſti gratiarum riui, quibus obrutæ electorum animæ inſaniunt propémodũ in Deo, uiuuntq; in illo magis quàm in ſe: cuius amore percitæ, atque in ſilentiſsima illa perpaucis cognita diuini amoris caligine immerſæ, ſopore profundiſsimo in ſponſi amplexu, ubi ſedes eſt amoris, atque ecſtaſis, emoriuntur. Cui laus ſit æterna. Amen.

PSALMVS CXXXVII.

Vper flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.

In hoc pſalmo Vates futuri excidij Hieroſolymorũ, atq; exilij illius famoſi Iudęorũ apud Babylonios ſub Ioachim rege prædicit calamitates. Nãq; rex ipſe cũ peccaſſet, diuina ſtatim deſtitutus fuit ope: quocirca à Nabuchodonoſor captus, unà cum primarijs urbis hominib. & ſacerdotib.

c abductus eſt captiuus, nihilq; relictum eſt in ciuitate, ut ſacra refert hiſtoria, exceptis pauperibus, qui tamen & ipſi non adeò multò poſt ſub Sedechia rege, cæteros ſequuti ſunt. Obtruncatis porrò filijs regis, atq; effoſsis ipſius oculis, incenſoq; templo, ac dirutis urbis mœnijs, luctuoſa facta ſunt omnia, & mœſta. Omnem, inquit, domum combuſsit igni, & muros Hieruſalem in circuitu deſtruxit omnis exercitus Chaldęorum. Reliquam autem partem populi quę remanſerat in ciuitate, & profugos qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum uulgus tranſtulit Nabuzardan princeps militiæ, & de pauperibus terræ reliquit uinitores & agricolas. Atq; hoc ſanè modo ſuperbiſsima cecidit Hieroſolyma. Vnde non immeritò miſerabilem illius flens caſum Hieremias, ſic queritur: Facta eſt quaſi uidua domina gentium. Sederunt in terra, conticuerũt ſenes. Filiæ Sion conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt cilicijs: abiecerunt in terram capita ſua uirgines Hieruſalem. Quid illud? Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per uiam. Sibilauerunt, & mouerunt capita ſua ſuper filiam Hieruſalem. Hæccine eſt urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium uniuerſæ terræ? Quid flebilius unquam auditum fuit? In Babylone igitur captiuus populus Dei, miſerandumq; in modum à uictore hoſte habitus, ſuas quotidie lamentabatur ęrumnas, atq; adeò id maximè, quòd deriſus à barbaris rogabatur, ut illa caneret carmina etiam in Babylone, quæ Hieroſolymis canere conſueuerat. Hiſce quidẽ lamentationibus & querimonijs totus is ſcatet pſalmus. Ex uulgo porrò homines ob propriam ſolummodo angebantur calamitatem, neq; ultra aliud. At qui altiori præditi erant mente, ut primates & ſacerdotes, non tam ipſas horrebant catenas & carceres, quàm Dei religionis interitum. Exciſo quippe templo, atq; urbe diruta, timebant ne & ipſa ſimul cum parietibus collaberetur religio, toleranter alioqui laturi exilium, & ſi quid acerbius obtruſiſſent uictores. Ad ripas itaq; fluminum Babylonis ſedentes deſolati, ſic ſuas exponebant querimonias. Super flumina
D Babylonis illic ſedimus, & fleuimus dum recordaremur tui Sion. Multis irrigari fluminibus Babylonem tradunt autores, quorũ notiſsima ſunt Tigris & Euphrates, qui mediam ipſam interſecans ciuitatem iucundiſsimo præterlabitur aſpectu, commodaq; non mediocria affert loci incolis. Puto captiuos ſua potiſsimum domicilia in ripis illis fluminum ſolitarijs habuiſſe, ibiq; dato paululum reſpirandi ocio ab hoſtibus, frequenti cœtu ad memoriam deſolatæ patriæ mutuis ſuſpiraſſe queſtibus, ſimulq; infeliciſsimum templi excidium defleuiſſe: quibus ita afflictis, nihilq; aliud admittentibus præterquã lachrymas & dolorem, inſultare ſoliti erant prętereuntes hoc modo: Agitedum, & Chaldæos quoq; rudes & indoctos, ueſtris illis quæ in templo magnifico Hieroſolymis canere conſueueratis, oblectate carminibus. Illi contrà, lætitię cantus in tam graui mœrore ſe haudquaquam proferre poſſe reſpondebant. His, inquiunt, tam inhumano ac fero iactatis in nos animo, in ripis illis ſedimus, fleuimusq; cùm dulciſsimæ recordaremur patriæ: atq; proinde

In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.

Citharas legunt alij. Solet id genus arboris, quippe quod humidis delectatur locis, amnes proximè, atq; per ripas fluminum ſparſim emergere. Cæterùm ſiue organa, ſiue citharas, quod magis quadrat ex hebræo, legas, nihil aliud ſibi uolunt hæc uerba, quàm illos omnino ab omni animi uoluptate ceſſaſſe. Quòd ſecum enim attulerint citharas, aut organa, durum id dictu uidetur, in ſtrage potiſſimum illa omniũ ſęuiſsima, & direptione. Quare nonnulli uocem illam, qua nos legimus organa, à uerbo quod Hebræis eſt ululo, deriuari opinantur, uoluntq; hunc eſſe ſenſum: Cùm inter hoſtes ulularemus, ipſi inſultantes incitabant nos ad cantum. Ideo infertur:

Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos, Verba cantionum: & qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion. Nos uerò contrà: *Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?*

Quaſi

A Quaſi dicerent: Scilicet nobis uolupe eſt domini laudes in ea terra concinere, quę ſtatuas, deoſq; nihili pro uero colit Deo. Qui abduxerunt nos, non eſt in hebræo, ſed ſic ferè uertunt: Ibi poſtulauerunt nos, qui nos ceperant, uerba cantici, & ſuſpenderamus lætitiam, canite nobis de canticis Sion. Tota illa erat ironia, à cuius dente, tanquã ab acutiſsimo tranſuerberati gladio, ſic reſpondebant: Quo animo carmina Deo tantummodo noſtro debita cantabimus in terra hoſtili & peregrina? Id minimè quidem licet. Proinde

Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea.

Illi qui uolunt Iudæos inſtrumenta muſica ſecum in exilio tuliſſe, ſic uerſum interpretantur: Suæ artis immemor mea fiat dextera, nunquamue tangat citharã, ſi tui immemor fuero exterminij, ô Hieruſalem. Alij uero ſic: Non poſſum obliui ſci Hieruſalem: quòd ſi eius obliuiſci poſſem, tum arriperet dextera mea citharã, & exerceret artem ſuam. Cui & quadrat quòd ſequitur:

Adhæreat lingua faucibus meis ſi non meminero tui, ſi non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ.

Hoc eſt, mutus fiam potius, quàm in terra aliena canere audeam canticum domini. Verùm litera Paraphraſtæ mihi uiſa eſt lucidiorem expreſsiſſe ſenſum. Ita ille: Si unquam oblitus fuero tui Hieruſalem, & dextera mea officij ſui oblita citharam pulſauerit in gratiam alterius quàm unius Dei mei, opto ut ſic hæreat lingua mea, ne poſsim loqui: imò & palato meo affigatur, ſi non quoad uixero, memor fuero tui, & ſi nõ propoſuero laudes ipſius Hieruſalẽ ſummo gaudio, quod unquã contingere poterit mihi. Felix tamen ultimam uerſus particulam ſic reddit: Si non extulero Hieruſalem ſuper caput lætitiæ meæ. quorum uerborum is uidetur ſenſus: Nulla poteſt lætitiæ occaſio accidere, quin illam ſtatim excludat memoria excidij meæ patrię, atq; ſubinde mœrorem pro oblato gaudio ingerat.

B Atqui rurſus ne noſtram omnino uideamur contemnere æditionem, is ſuus ſit ſenſus: Si tuæ aliquando oblitus fuero ruinæ Hieruſalem, tum omne pereat auxilium, non ſit mihi unquam Deus præſidio, ſed mei penitus obliuiſcatur (dextera enim pro ſalute poni in ſcripturis ſolet interdum) irrauceamq; omnino: & ſi te, ô Hieruſalem, tuamq; ſortem non ante initium cuiuſcunq; mei prætulero gaudij, obmuteſcam. Id eſt, charior mihi erit luctus pro te aſſumptus, quàm quiduis lætitiæ, quam in Babylone unquam ſperare poſſem. Interim uerò

Memento domine filiorũ Edom in die Hieruſalem, qui dicunt, exinanite exinanite vſq; ad fundamentum in ea.

Eius, tum ex græco, tum ex hebræo uerti debuerat, polletq; perinde atq;, euertite, excinditeq; eam à fundamentis. Vox erat Edomitarũ, ſiue Idumæorum, deſcendentium quidem ab Edom, nempe Eſau fratre Iacob, idcirco eiuſdem ſanguinis cum Iſraëlitis: quibus cùm dolere debuiſſet fratrum caſus, ex ipſo magis incruduerant: tanta eſt uis interdum liuoris atq; odij. Nam cùm urbem, fratrũq; bona cernerent à Chaldęis diripi, non ſolùm opem non attulêre, uerumetiam fraternitatis oblíti, hoſtes, quò illa funditus euerterent, incitauerunt. Putas'ne deeſſe nunc fratres, qui fratrum interitum ſitiant, proindeq; Chaldæos, alioqui per ſe incitatos, atq; in Dei amicos contumelioſos inſtigent? Da mihi hominem modò in ruinam aliquam coniectum, Deus bone, hinc atq; hinc, uel ab ipſis proprijs illius ædibus cernes Chaldæos ebullire, qui malum inferant, qui prouocent, qui irritatos crabrones irritent. Rident poſtea, tanquam rem mirum in modum Deo gratam obtuliſſent. Ab aris'ne? à ſacris'ne focis? à fanis tandem ipſis iſtiuſmodi ſperare debuit probitas inſaniam? Verùm domine ſimulachomines obliuioſi ſunt, memor eſto tu filiorũ Edom, qui noſtram maiorem ad miſeriam Chaldæos prouocant, dicentes: Excindite, euellite radicitus, exinanite, urgite interim, ſuffocate, uitam, nedum exiſtimationem, adimite: ſic uictores erimus. Ad hunc igitur modum Idumæis, peſsimis ſcilicet fratribus, atque ipſis Babylonijs uiciſsitudinem imprecatur captiuus populus, rogatq; ut illis par pari referatur, retalie-

C turq;,ut meriti ſunt:his quidem, quoniam hoſtes crudeliſsimos ad urbis euerſionem incitabant: illis uerò, quoniam ulla abſq; cõmiſeratione euerterant. Cæterùm diem Hieruſalem,diem illum extremum excidij uocat propheta. Siquidem frequenter in ſcripturis dies pro fatali,ut ſic loquar,cuiuſq; hora ſumi ſolet. Acerbiſsimus ſanè omniũ is eſt dolor, cùm noſtris in calamitatibus noſtri ipſi rident domeſtici,atq; de malis nobis illatis,qui impulſores fuere, triumphant. Belluinã quidem omnem ſuperat immanitatem iſtiuſmodi fratrum ſæuitia & plauſus. Et tamen hiſce belliſsimis adornati facibus & lampadibus, ſponſi aduentũ ſeuriſſimi omnium opperimur, putamusq;, quemadmodum mundo (quanquam nec mundo quidem) ita Deo impoſturam fieri poſſe. Iudicium certè id eſt Dei, hòc timendum magis,quò à pleriſq; minus animaduertitur,aut, quod magis dolendum eſt,animaduerſum contemnitur,adeò alter alterius calamitates ſitimus miſeri,atq; auidiſsimè,ut alij ſolent obſonia, perguſtamus. Fuſius hæc quàm putaram ſcripſi: querelæ enim quę paſsim ab his,qui iſtiuſmodi obnoxij ſunt naufragio,audiuntur,me ad hæc cõmemoranda citra propoſitũ adegit. Ego quidem in iſtiuſmodi tragœdiarũ genere,neq; Iudæi,neq; Edomitæ, neq; Babylonij perſonam induo: tantum quod ſuggerit ſpiritus ad ędificationẽ ſcribo. Vt alij afficiantur,non multùm moror: mihi ſat fuit admonuiſſe. Tu uerò

Filia Babylonis miſera,beatus qui retribuet tibi retributionẽ tuam,quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit,& allidet paruulos tuos ad petram.

Inuehitur in Babylonem ad hunc ferè modum: O miſera Babylon,ô infelix,ô deſolata(prædictio hæc eſt futuri)ô improuida,quæ nunc tam inſolenter ob noſtra exultas incõmoda: te fortior,beatiorq; ueniet,qui tibi reddet pro hiſce omnibus talionem,ſupplicium q; de te ſumet inexorabiliter. Fortunatus,inquã,ſuperueniet de improuiſo hoſtis,qui te apprehendet, ſtrictimq; connodabit (infelix) ac teneros liberos tuis ab uberibus abſtractos duriſsimis allidet ſaxis. De Baby-
D lonis exterminio ſic uaticinatur Eſaias: Omnis qui inuentus fuerit occidetur, & omnis qui ſuperuenerit cadet gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum,& uxores eorum uiolabuntur. Et ego ſuſcitabo ſuper eos Medos,qui argentum non quærant, nec aurum uelint: ſed ſagittis paruulos interficient, & lactantibus ubera non miſerebuntur. Vide rurſus quid in Abdiuate ſceleratis cõminetur Idumęis Deus. Propter interfectionem & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob,opperiet te confuſio, & peribis in æternum, in die cùm ſtares aduerſus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius,& ſuper Hieruſalem mittebant ſortem. Tu quoque eras quaſi unus ex eis. Cogita,mi lector,ſeueriſsimam Dei eſſe retributionẽ in eos,qui alienam excitare conſueſcunt iracundiam contra illos,quorum uirtutibus inuident ac fortunis. Cohorreſco(fateor)cùm hęc mihi in mentem ueniũt, uereorq; interdũ,ne eadem tandem detur ab irritato Deo,aut Phrygibus,aut Aphris,deſęuiendi in res noſtras ac filios poteſtas,quę olim Parthis data eſt & Medis in Babylonios. Totus, inquã, exanimor, cùm certiſsimũ atq; adeò ſeuerũ illud Dei iudiciũ uerſo animo. Sicut,inquit,feciſti,fiet tibi: retributionẽ tuam conuertam in caput tuum. Audio,ô domine,& contremiſco. Verùm tu,qui ipſa met es pietas, retribue ſeruo tuo. Id non deprecor, non detracto, ſed uiuifica me ſecundum uerbum tuum. Cui imperium ſit, atque ultio in contumaces, in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. Dauid CXXXVIII.

Confitebor tibi domine in toto corde meo, quoniã audiſti omnia verba oris mei: in conſpectu angelorum pſallam tibi.

Non poteſt ſanctiſsima Vatis anima non continenter Dei nomen laudibus efferre, atq; omnib. fermè pſalmis ſuum erga Dei religionẽ zeiũ ac ſtudiũ attexere. Quocirca multos hac de re compoſuit pſalmos, eiuſdẽ nimirũ argumenti, ac in Deum fidei, ut in hoc uidere licet, mellifluo ſanè & ſuaui-

Quid

A Quid non in ſe habet ſuauitatis Dei laus? Putant quidã Vatem odam hanc cecíniſſe, cùm interfecto Abſalon, Deum templum ingreſſus adoraret, illíq; ob reſtitutum regnum gratias ageret. Verùm incertum id omnino: illud autem certiſsimum, laudes hîc Dei celebrari. Aít itaq;: Confitebor tibi domine in toto corde meo, quoniam audiſti uerba omnia oris mei: in conſpectu angelorum pſallam tibi. Hucuſq; Hebræis unus eſt uerſus, expuncta nihilominus particula, quoniam audiſti omnia uerba oris mei, quæ inſititia uidet. Sic Felix: Celebrabo te in toto corde meo in conſpectu deorum, ſeu iudicum, ut habet Chaldęus. Siue igitur angelorum, ſiue deorum, ſiue iudicum legas, ſeniores populi ſi intellexeris, non errabis. Illiuſmodi quippe appellationibus uocari ſoliti erant ſapientiores, quíq; poteſtate aliqua digniori cæteris præſtarent. & eſt ac ſi dixiſſet: Te laudabo, ô domine, tibíq;, quęcunq; in me inſunt bona, accepta feram: & id ſanè toto animi affectu, nõ ſimulatè aut doloſe, atq; in frequenti populi corona, ubi de more ſeniores atq; optimates conuenire conſueſcunt, te dignis celebrabo canticis. Ad hæc,

Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo ſuper miſericordia tua & Veritate tua, quoniam magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum.

Si tranſtuliſſet, ſuper omnia nomen ſanctũ tuum, tota ferè extremæ huius partis ablata eſſet ambiguitas. quanquã nec ſic omnino quidem: nanq; Hebræis additur in fine, eloquiũ tuum. Sic Felix: Super omne nomen tuum, eloquiũ tuum. ut ſit hyperbole, ualetq; perinde ac, ſuper omne eloquiũ tuum nomẽ tuum. & eſt ſenſus: Ego in templo, ubi tua peculiariter inhabitat ſanctitas, ubíq; mundiſsimi tuæ religionis celebrant ritus, te adorabo, tuumq; nomen, ob tuam erga nos miſericordiã, ac qua in ſeruandis promiſsis conſtantiſsimus es, fidem prædicabo. Et illud ſanè ſerió: ſiquidem multò plura, quàm tu uerbis promiſeras, tuũ nobis præſtitit nomen, nomen nimirum ſanctiſsimũ, atq; laude quamlibet immenſa ſuperius. Quòd ſi tamẽ ſimpliciter abſq; hyperbole ordinanda eſt litera, ſic ex eodem
B fonte, unde hauſit Felix, traducunt nonnulli: Nam extuliſti ſuper omnia nomen tuum & eloquium tuum. Verùm prior ſenſus uidetur eſſe germanior.

In quacunq; die inuocauero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea Virtutem.

Per tempus præteritum uertit Felix, atq; adeò cęteri fermè ex hebręo, hoc modo: In die quo inuocaui, exaudiſti me, roboraſti me, atq; animæ meæ adjcies uirtutem. Sed in idem recidit tum ſenſus, tum litera, nempe Deum inuocatũ noſtræ pręſtò adeſſe imbecillitati. Mirum quàm iucundè noſtro Deus oblectet in precationibus & ſtudio & ſedulitate: uult enim ſuo à figmento quęri, rogari, díligi, tandemq; ab anima in orationibus feruida inueniri: quo poſtea inuento, profundiſſimo illa tunc fruitur ſilentio ac pace. In Deo quippe longo quæſito labore conquieſcens, nihil aliud pręter Deum uel ſentit, uel ſe ſentire intelligit. Hincq; fidei robore, quam hîc uirtutem auctã, multiplicatamq; appellari duco, nixa, in illud quod ſequitur, ut ueriſsimè, ita confidentiſsimè prorumpit:

Confiteantur tibi domine omnes reges terræ, quia audierunt omnia Verba oris tui. Et cantent in Vijs domini, quoniam magna eſt gloria domini. Quoniam excelſus dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.

Melius doctorũ iudicio hæc uerba per futurũ uertiſſet interpres, confitebunt, audient, cantabunt: ut eſſet ſenſus: Reges terræ omnes te laudabũt, & te dominũ eſſe fatebunt, ſimul ut nouerint te, quæcunq; pollicitus fueras, re præſtitiſſe. Indeq; in uijs domini, id eſt, ob res illius geſtas admirandas, in quib. Dei undequaque relucet ſapientia, cantabunt, & dicent: Quoniam magna eſt gloria domini, qui tametſi ſublimis ſit atq; excelſus, quippe qui in cœlis reſidet, ima hæc noſtra tamen reſpicit: neq; illius fallunt oculos, ſi quæ tumida ſunt, licet à nobis ſemotus, longeq; poſitus eſſe uideatur. Nonnulli uertunt, humilem, ſeu depreſſum, ad hunc modum: Quoniam excelſus dominus, & humilem uidet, & ſublimis à longè facit cognoſcere, nempe iudicia ſua ęquiſsima eſſe, dum humiles in altum euehit, contraq; tumidos atq; arrogantes deijcit. Iſtiuſmodi ſanè uiciſsitudinum ra-

c lectatus, mites cominus, ut ſic dicam, reſpicere uidetur: elatos uerò eminus, atq; uti res ſolent neglectæ, procul. Quare

Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: Et ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua.

Illud non ſegniter expendendum, omnes reges, in ſuperiori uerſu, pro uicinio ribus regibus ſumi oportere, qui Dauid nouerāt, quiq; audierant promiſſum illi regnum à Deo fuiſſe. Quapropter perſpectis uijs domini, conſilijs ſcilicet atque actionibus in Dauid fauorem exhibitis, illi gratias egerunt. Nanq; uiæ domini, per quas ad illius peruenitur cognitionem atq; amorem, ſunt illius operationes, conſilia, prouidentia, in rebusq; adminiſtrandis ratio, ordo, decretumq; illud amoris æternum, quo condita omnia tanquam fræno, ſuo in officio, naturaliq; uigore cōtinere ſolitus eſt. Sancta hac itaq; armatus perſuaſione Vates, clamabat: Si mihi etiam per medios ipſos anguſtiarum forcipes eundum fuerit, tu uitam meam tutaberis. O ardentem Vatis fiduciam. Mirarer equidem ſi ſic de ſe, ut ſolent noſtri, teſtatus eſſet: Occumbam ſubitò, neque erit qui manum periclitanti porrigat. Vitam, inquit, meam tu reparabis, frænabisq; ſi quid in me turpiſsimi iſti malorum inuentores moliti fuerint: & ſic tua me ſeruabit dextera, non mea, quæ imbecillis eſt ac pauida: non amicorum, quę fallax & uana: non principum, quæ ſuperba eſt, ac grauis: non tandem paſtorum ipſorum ac magiſtratuū, quoniam de more quæ ſua ſunt quærunt, non quæ gregum, non quæ filiorum, non quæ Dei. Ergo

Dominus retribuet pro me, domine miſericordia tua in ſeculum, & opera manuum tuarum ne deſpicias.

Dominus perficiet pro me, uertunt ex hebręo: hoc eſt, ſi quid in me debile fuerit & infirmum, ſupplebit dominus. Quanquam Retribuet uerbum, ſi ad mortalium referas ignauiā atq; egeſtatem, ſuum habet lepôrem, ualetq; perinde, quaſi
D id diceret: Egentiorem me prorſus eſſe fateor, quàm ut quæ digna tanto ſint domino rependere ualeam. Ideo is qui dedit, datori quoque ipſe retribuet. hoc eſt, Deus quemadmodum in dona effuſiſsimus fuit erogator, ita meam ipſe in referendo gratiam ſuppleat indigentiam, parcatq;, ac pro accepto habeat, ſi quid minus datum fuerit. atq; ita cauſam, quamobrem id agere debeat Deus, ſubinfert, & eſt mutatio perſonæ, conuerſioq; ad Deum ualde ardens. Domine, inquit, miſericordia tua æterna eſt: quare cœpta manuum tuarum opera in me tutando ne intermittas, ſed, ut cœpiſti, ad finem uſq; perfice. Cui honos ſit ac benedictio in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. Dauid CXXXIX. Vincenti.

Domine probaſti me, & cognouiſti me. Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longè.

Difficillimus is omniū eſt pſalmus, in quo exponendo, ut in multis alijs accidit, ſi noſtræ duntaxat æditionis litera expoſitores uti uoluerint, quod nonnullos obſeruare uideo, hi nihil aliud aſſequi poſſe mihi uidentur, quàm ſudando nihil omnino agere. Qui uerò hebræa tantummodo, ſimplicioris hi fidei hominibus, quorum ſaluti conſulere debent eruditiores, ſatis minimè feciſſe iudicabuntur. Verùm utranq; rationabili (ut ſic dicam) harmonia cōmiſcere uelle, id operis eſt pluſquàm Herculei, atq; hominis infiniti propè ocij & laboris. Et tamen ea uidetur ratio & uia, quam nos ſequi debeamus, quò utrunq; uitemus ſcopulum. An uerò hactenus, quod optabamus, quodq; ab amicis expectari non inſcij eramus, ſimus aſſecuti, aliorum ſit iudicium. Id ſolum profiteri de me poſſum, in hoc meo labore prodeſſe uoluiſſe, non officere. Fateor & illud, me ſupra uires mihi aſciuiſſe prouinciam: non defuiſſe tamē ſtudium, atq; in illum, qui intellectum dat paruulis, tum fidem, tum illius captandi fauorem deſideriū. Quid, oro, quod ſummam non ſaperet doctrinæ ſpiritus ſiccitatem, à monacho abiecto, indocto, addo & exagitato, ſubindeq; ab omni diſcendi literas cōmodo remorato,

A morato, expectari potuit? Egó ne à libris, doctorũq́ hominum congreſſu ac ſolatio longè ſemotus, rem tantam, in qua primi iam olim Eccleſię proceres maximo deſudarunt ingenio, atq́ dicendi copia, aggreſſus? Stultús ne fuerim, an audax nimiũ, non dico. Illud interim nõ diffiteor, quod mihi ingentẽ afferre ſolet animi conſolationẽ, me meis in ſcriptis & mentem, & ingeniũ, & quicquid demũ ſum, Dei filio, cuius honorem illuſtrari ſanequàm cupio, conſecraſſe. Vtut igitur res cæteræ defuerint, id mihi neutiquam defuit. Quare illius ductu, ut hactenus tanquam à uaſto pelago peruentum eſt, ita quod reſtat curſus abſoluendum erit.

Atqui, ut dicere incœperamus, permulta ſunt in hoc pſalmo obſcura & difficilia, quæ tametſi ingenium, quò intelligi poſſint, perſpicax requirere uidentur, animum nihilominus in primis expetũt purgatũ & candidũ. Ingenia quidem quantumlibet acuta & docta, ſi nulla eſt cordis puritas, ac ſuccus ſpiritus, uaniſſima pro ueris amplecti conſueſcũt. Diuina, atq́ adeò æterna hîc celebratur prouidentia, & in omnibus, quæ Deus ipſe condidit, & præſentia, & bonitas: atq́ ita ſuum exprimit affectum Vates, dicens: Dñe probaſti me, & cognouiſti me. Tu cognouiſti ſeſsionẽ meã, & reſurrectionẽ meã. Intellexiſti cogitationes meas de longè. Quidam ſic uertũt: Cognouiſti cogitationẽ meam longè antè: hoc eſt, longè antequã incidat in animũ meũ, tu meã nouiſti cogitationẽ. Dñe, inquit, quid miſer cæcuſq́ omnino de me ſolicitus ſum? id enim nõ me clàm eſt, te nequaq́ ſolũ generali res cunctas perpendere moderariq́ ratione, uerumetiã ſeorſim me, meaq́ opera, uerba conceptuſq́ animi, atq́ ipſas penitus latentes cogitationes, longè antea q̃ in mentẽ ueniant, exploras, rimariſq́: quin & ipſa mea quoq́ ſeſsio atq́ ambulatio, priuſquã ego aliquid eſſem, nota tibi erant. Nulli dubiũ, ſeſsionẽ hîc, & reſurrectionẽ, ſeu, ut uertunt, ſedere meum, & reſurgere meum, idem prę ſe ferre ac, quæ ſim cogitaturus, quæue conſilia ad agendum ceſſandumq́ agitaturus, tu probè noſti. Vnde ſtatim quaſi ſe ipſe exponens, addidit:

B *Semitam meam & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti.*

Hoc eſt, ades & uides omnes operationes meas. Parum ſecus ex hebræo uertunt: Semitã meã & accubitũ meum circundediſti, & cunctas uias meas explorasti. Vnde nullam hîc fieri mentionẽ de funiculo conſpicis, ſed uno omnes conſenſu uertunt ex hebræo, accubitum. & erit ſenſus: Si quopiam mihi iter facere contigerit, aut cubitum noctu ire libuerit, tu circũ me es ſemper: atq́ ita ſtudia omnia mea & actiones, compertiſsima tibi ſunt. Quid tam reconditũ unquã fuit, quod tuum uigilem latêre potuerit oculum? Omnia uides, omnia imples, omnia contines, permeas, animas, perſcrutaris.

Quia non eſt ſermo in lingua mea, ecce domine tu cognouiſti.

Non ultrà procedit uerſus Hebræis. Felix ſic: Quoniã non eſt ſermo in lingua mea, ecce domine tu cognouiſti totum ipſum, hoc eſt, ut ſe ipſe interpretaꝰ, nondum fuit ſermo in lingua mea, & tu domine cognouiſti ipſum. Totum ipſum, ut uides, neceſſariò ferè ab Hebræis poſitum, ab interprete omiſſum eſt. Ne uerbum, inquit Vates, ullum eſt in lingua mea, quod ecce tu (res mira) non prænoueris. Quare

Omnia nouiſsima & antiqua tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.

Neceſſe eſt literam in hoc pſalmo potiſsimũ, intercidere nonnunq́, ab æditio neq́ noſtra paululũ, ut iam prefati ſumus, diſſentire, ne ſi illã, prout nos legimus, interpretari coner, aut nodum in ſcirpo quærere uidear, aut ea ſomniare, quibus offenſus ſpiritus, meas has ſatis per ſe frigidas & ieiunas, conſpuat meritò lucubrationes. Sic uertunt: A tergo & à facie tu formaſti me: id eſt, undiq́ finxiſti me, ideo mirum minimè eſſe debet, ſi nihil te latet tuo in figmento. Siquidem poſuiſti ſuper me manum tuam, qua operante, certa mihi impreſſa eſt forma. Quòd me ex informi illo parentum meorum ſemine compegeris, corq́ in primis, ſedem utiq́ animæ addideris, formaueriſq́ & carnem, & oſſa, & neruos, & corpus tandem id totum ſenſibus, infinitiſq́ propémodum diſtinctum membris effigia

C ueris, altiorres eſt, quàm ut ab humano comprehendi queat ingenio. Quocirca exclamare libeat,

Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.

Tam, inquit, excelſa atq; admiranda eſt horum cognitio, ac ſupra me poſita, ut nullo ea modo aſſequi poſsim cogitatione: captum nimirum omnem ſuperãt humanum. Sed multò magis id uideret, ſi de animarũ creatione tantilla ſaltem ſubiret cogitatio. Cæterùm confortata eſt, clarius ex hebræo reddũt, exaltata eſt. Excedit, inquit, intellectum humanum. Itaq;

Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Deum ubiq; præſentẽ eſſe memorat. Infernũ pro ſepulchro, quod aliàs annotauimus, ponit Vates, ſeu pro abditiſsimis terrarũ locis. Pennas meas diluculo, uertunt alas auroræ: alluſit enim ad celerem ſolis curſum, quo ab oriente ad occidentem uelociſsimè tranſcurrit. nanq; extrema maris, pro occidente poſuit, idcirco quòd ſol noſtrũ relinquens hemiſphærium, in mare ſe mergere appareat. Sed & illud, à ſpiritu tuo, ad morem reſpexiſſe hominum naturalem uidetur, quorũ anhelitum cùm ualde proximi ſunt ſentimus. Ait igitur: Cùm totus, ô domine, ubiq; ſis, atq; omnia, etiã anteaq; ſint, intuearis, quò hinc abire potero, quòd tuũ non ſentiam afflatum? fugiám ne? quò obſecro? quò, ut à tuo me ſubtraham aſpectu, diuertam? certè ſi aſcendero in cœlum, tua propria ibi eſt ſedes: ſi in penetralia quoq; terræ deſcendero, & illic te offendam. Porrò ſi ea mihi contingat uelocitas, ut aſſumptis alis curſum ſolis, imò ipſos ſolis radios, qui ab oriente ad extremum ſubitò micant occidentem, anteuertam, neq; ſic tuam uitare potero præſentiam: ſiquidem quocunq; ferar, ſub tua ero poteſtate, ac, ne ultrà progrediar, tua
D me retinebit dextera, ſuſtentabitq; uel inuitum. Rurſus aliam excogitaui imprudens fugæ rationem,

Et dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis.

Vide an conculcabunt, pro occultabunt, uerterit interpres. Sic Felix: Tenebræ operient me. Cæterũ quid ſibi uelit, & nox illuminatio mea in delicijs meis, non ſatis exploratum habeo. Sic quidam uertit: Et nox quaſi lux circa me erit. Id dicere uoluit Vates, noctem ac tenebras rem eandem in Deo eſſe, quam diem ac lucem. Proinde ſtatim intulit:

Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur. Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Si igitur mecũ ita ratiocinatus fuero, Fortaſsis occultabunt me tenebræ: quid aio demens? En nox, en tenebræ, non magis me tua à notitia celare poterunt, q̃ meridiana ipſa lux. Siquidem tenebræ quantumuis denſæ, nunq; rem aliquam ita obſcurare poterunt, quin tibi omnino nota ſit: noxq; ipſa tantũ tibi dat lucis, quantũ dies. Etenim res eadem prorſus apud te ſunt, & atræ tenebræ, & lux ipſa fulgentiſsima. Neq; propterea mirum id eſſe debet,

Quia tu poſſediſti renes meos, ſuſcepiſti me de ventre matris meæ.

Renes, ut aliquando agere conſueuit, pro occultis uiolentiſsimisq; cordis affectib. & cogitationibus accipit Vates. quanquam & pro generationis exordio, quod in renibus potiſsimum eſſe aſſerunt, ſumi poteſt. Cæterùm, ſuſcepiſti, ex hebræo reddũt, operuiſti: & eſt uox illis quæ perinde ſonat, quaſi tabernaculo contexiſti. Intelligit enim de corpore, quod animam contegit. Felix uerò interpretatur, orditus es. Paraph. item: Non mirũ ſi nihil te latet mei, cùm ſecretiſsimas corporis mei partes ipſe poſsideas, & compegeris me incredibili artificio in abditiſsima parte uentris genitricis meæ. Quòd porrò deus hominem ex matris utero ſuſcipiat, naſciq; faciat, atq; per ætates alat, exploratior res eſt, quàm ut multis deſcribatur. Sed nequaquã ea eſt nunc Vatis intentio: uerùm illa, quo oſtendat nihil tam abditum in rebus conditis poſſe eſſe, quod diuinos fallere queat oculos.

Idcirco

A Idcirco faſſus eſt Deũ intima cordiũ ſecreta, affectuſq; alioqui imperſcrutabiles poſsidere: quod uehemẽtius eſt, q; ſi cognitionis uoce dũtaxat uſus eſſet. additq;

Confitebor tibi quoniam terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis.

Hoc eſt, ſupra naturã per fidem cognoſcet. Hîc Dauid uaſtum pelagus, atq; im menſum diuinę ſapientię potentięq; & adminiſtrationis profundũ intuitus, ocu lorũ penè uertigine affectus eſt: quare cum timore atq; admiratione ad ſeipſum reuerſus exclamauit, dicens: Gratias tibi agam (ſic uerbum Confitebor, interpre tandum eſt) quòd non ſolùm à te formatus ſum, ſed etiam terribiliter, hoc eſt, tre mendis modis, rationeq; captum omnem mortalium excedente, formatus ſum. nanq;, magnificatus es, Hebræis eſt, formatus ſum. Quocirca immenſa omnino ſunt ac ſtupenda opera tua: quod ſanè mens mea naturaliter in tam ſublimium rerum contemplatione cæcutiens, fatetur, cognoſcitq; nimis, uehementer nimirum, ac cum ſtupore.

Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto, et ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

Propheta in ſtupendę formationis humani corporis admiratione perſeuerãs, pluſculũ in ea prædicãda immoratur. Seu os, ſeu corpus, ſeu uirtutẽ illã quæ oſsib. ferè ineſt, legas, optima eſt lectio: & erit ſenſus, nullũ eſſe os quantũlibet paruũ in tam abdita corporis parte, quod deum lateat. Sub hæc, per inferiora terræ, ma ternum intelligit uterum. Iam & illud notandum, uocem illam, quam noſtra ha bet æditio, ſubſtantia, nonnullis eſſe in principio uerſus, hoc modo: Non eſt à te occultata ſubſtantia corporis mei, quando formatus ſum in abſcondito, & uariis diſtinctus membris in inferioribus terræ. quę quidem ultima particula æquè He bræis eſt, atq; ſi diceres, ut interpretatur Fel. phrygiatis formatus ſum imaginibus: uocatq; opus phrygionum texturam illam mirabilem in corpore humano,
B oſsium, neruorum, arteriarum, uertebrarũ, ſpinæq; illius tam muſicè fabrefactæ, quæ à collo ad os uſq; ſacrum mirabili protendit artificio. Quare ſic Paraph. Ve luti tapetum è neruis & uenis contextus ſum in utero matris, loco magis abdito, quàm ullum eſt antrum terræ. Atq; hîc uides quo ſenſu Campenſis accipiat uer ba illa, in inferioribus terræ. Et certè

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Quia obſcuriſsima eſt pars ultima huius uerſus, ideo mollius reddi poterat ex hebræo, ad hunc modum: Informe meũ uiderunt oculi tui, & in libro tuo omnia ſcripta erant, quæ per dies formata ſunt, cùm adhuc nullum eorum extaret. Vo cat imperfectum ſuum, ſiue informe, embryonem, maſſam nimirum illam confu ſam conceptus in utero: quæ tamen ſucceſsiuè per dies effigianda, in membraq; diſtinguenda, iam nota erat Deo, quippe qui artus illos omnes in tempore for mandos, tanq; in libro ſcriptos perſpiceret, cùm nihilominus ne unus quidem ex illis extaret. Antea quidem quàm formam acciperent, iam formata erant in Dei mente. Sic Paraph. Veluti in libro apud te deſcriptam habes omnium membro rum rationem: quæ etſi non niſi multis diebus in iuſtam magnitudinem excreſce re poſsint, apud te tamen, ô domine, non eſt ea dierum uarietas, ſed unus per petuus dies. Verùm ſi cui magis noſtra arridet litera, alioquin obſcura, ſic fortè dici poſſet: In libro tuo, ô domine, omnia ſunt ſcripta, & dies uenient, in quibus nondum ſunt qui poſtea in lucem ædentur, & tamen omnia eorum noſti. Diuus enim Chryſoſtomus rei difficultatẽ confeſſus, huiuſcemodi ex alio autore affert ſenſum. Informem me, inquit, uiderunt oculi tui, atq; ita uiderunt, ut eos uident, qui die, hoc eſt, tempeſtiuè creati & nati ſunt, ita ut ne una quidem dies ad perfe ctam eorum creationem deficiat: hoc eſt, imperfecta æquè ac perfectiſsima tibi ſunt nota. Grauiſsimi, atq; adeò doctiſsimi & ſanctiſsimi uiri ſententiam palàm facere uolui, quò non neſcius ſis, quanta in explanandis pſalmis inueniatur dif ficultas, his maximè, qui Hebræorum non conſulunt libros atq; interpretes.

C *Mihi aũt nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum: dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur, exurrexi, & adhuc ſum tecum.*

Videt̃ is uerſus, ſi noſtrã ſequaris literã, ad ea quæ dicta ſunt, nõ ſatis aptè quadrare. Nam cũ Vates demirabili corporis humani opificio diſſeruiſſet, imò cùm nondũ quæ dicere cœperat abſoluiſſet, ineptè quodammodo uiſus eſt nõnullis, ita de improuiſo ad celebrandos Dei amicos trãſire uoluiſſe. Quare germaniorẽ ſecuti Hebr̃eorũ interpretationẽ, ſic hunc uerſum trãſtulere: Quàm precioſæ fuerunt apud me cogitationes tuæ, ô Deus: & q̃ inualuerunt ſummæ eorũ: ſi dinumerauero eas, multiplicabunt̃ ſuper arenã. Vigilabo, & hucuſq; ago tecũ. Admirat̃ itaq; uir ſanctus incomprehenſibilem diuinorũ conſiliorũ in figurãdo paruo hoc mũdo noſtro rationẽ. & eſt ſenſus: Tam mirabilia ſunt ac uaria Dei inuenta, conſiliáq;, ac in formando homine cogitationes, ut numerari haudquaq; poſsint: & ego adeò attentè in his rimandis diſtineor, ut etiã nocte de illis ſomniem, cumq; euigilauero inueniã me adhuc apud te, animo nimirum in tuis operibus occupato. Vltimã tamen particulam ad aliũ retorquet ſenſum Paraph. in hunc modũ: Si peruigil durauero tota uita mea in enumerandis illis (nempe conſilijs Dei) idem egero: hoc eſt, facilius arenas numerauero in maris littore. Verùm alĳ uulgarem æditionem ſecuti, quæ & una propemodũ eſt cum Chaldæa, ſic literã exponunt: Celebrandus es tu dñe ſuper omnia, qui me tam ſtupenda figuraſti ratione: ſed & precioſi ſunt digniq; honore amici tui in oculis meis, quos tantopere auctos, ut omnẽ ſuperent numerũ, eſſe uoluiſti. Et quidem dum illorum coner numerũ recenſere, arenã mihi uideor maris numerare uelle. Hincq; ab his, quę me in mundo hoc ærũnoſo premũt, tanq; è graui ſomno euigilans, reuixi, atq; me non prorſus in tanto, tamq; honorato tuorũ numero deſtitutũ arbitrãs, adhuc, ut olim, me tecũ eſſe glorior. Hîc Vatẽ ad numerũ ſanctorũ, qui Chriſtũ, cuius ille typus fuit, ſecuturi erãt, reſpexiſſe aſſerendũ eſt: ſed in primis Apoſtolorũ, quorũ uirtus &
D principatus ita firmũ ſumpſit robur ac uirtutẽ, ut ob Chriſti nomẽ & religionẽ tyrãnos ipſos potẽtiſsimos ac reges ſpreuerint, abierintq; gaudẽtes à cõſpectu concilĳ, quoniã digni habiti eſſent qui pro nomine Ieſu cõtumelias paterent̃. Vides amicorũ Dei uirtutẽ? uides honorẽ? uides imperterritã propter Chriſti gloriam uitæ rationẽ? Poterat certè mundus odiſſe Chriſtũ: extinguere uerò omnino, aut perterrefacere non poterat, non poteſt, neq; unq; poterit. Proinde iucundiſsimũ mihi eſt illum ſic patrẽ alloquentẽ audire: Exurrexi, ab improborũ nimirũ iniurĳs penè obrutus, ab inſidĳsq; illorũ doloſiſsimis, ac morte tandem interceptus, & adhuc, uitam nequaq; mundi telis obnoxiam nactus, ſum tecum, quamlibet in me, meaq; membra crudeliter inſaniant hoſtes iſti mei perditiſsimi.

Si occideris Deus peccatores, Viri ſanguinum declinate à me, quia dicitis in cogitatione accipient in Vanitate ciuitates ſuas.

Ex hebræo, peccatorẽ, ſeu impium, numero ſingulari uertunt: & ad ſeditioſorum caput refertur, quo de medio ſublato, reſpirat innocentia, audacterq; in ſeditioſos ipſos inſurgens ita illis inſultat: Viri ſanguinarĳ, uiri maledici, uiri abſque fronte, faceſsite, abiteq; impudentiſsimi, nulla quippe uobis mecũ poteſt eſſe neceſsitudo, nulla amicitia, nullũ fœdus: tantùm uerò abeſt ut uos timeã, ut etiam tam floccipendam, q̃ res ſoleam nihili. At uerſus qui ſequit̃ ſubobſcurus eſt: nulla enim in hebræo fit mentio ciuitatũ: ſed ſic reddũt: Qui loquunt̃ contra te quod nefas eſt, & eleuati ſunt fruſtra aduerſarĳ tui: uel accipient ad uanitatem, & eſt ſubaudiendũ, nomen tuum: hoc eſt, uanè contemptimq; tuum uſurpant nomen, perindeq; de ipſo loqui conſueſcũt, ut de re omnino uana & futili. Ex græco quoque ita uerti poſſet principium uerſus: Quoniam contentioſi eſtis in colloquĳs. Quid autem ſibi uelit, accipient in uanitate ciuitates ſuas, uix coniectari poteſt, niſi ad ipſa referas populorum capita, ac factionum duces, ut nonnullos referre uideo. Et eſt pulcherrima ad illud, quod alio uerſu eſt dictum, antitheſis: Nimis confortatus eſt principatus eorum. Eſt itaque ſenſus: Hi in uanum accipient ciui-

tates,

A tates, locaq; ſibi à te, ut illa ſanctè incolant, regantq;, credita: nam nihil prorſus efficient pigri, inutilesq;, ac malæ fidei paſtores: loqui quidem poſſunt de te etiã elegantiſsimè, ſed doloſe, ſed corde duplici, ſed, quia uaniſsimi ſunt, abſq; fructu. Quis bonus tales aut amat, aut metuit magiſtratus? Quantum ad me attinet,

Nónne qui oderunt te domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.

En perfectiſsimũ probitatis morem, turpem improborũ uitam perfecto odio, hoc eſt, ſuper omnia odiſſe. Cùm enim Deũ ſummè diligant, quomodo nõ poterunt conſummato illorũ mores odio perſequi, qui illi aduerſantur? Cætera ſi quare indigent, ad opitulandum præſtò ſunt, in eoq; maximè Dei imitantur naturam, qui tametſi ſceleratiſsimos quoſq; ſupremum in modum abominetur, nunquam tamen uniuerſalem ſuam adeò illis ſubtrahit beneficentiã, quin ſolem ſuum oriri faciat ex æquo ſuper bonos & malos. Nónne, inquit, odio te habentes, ô domine, odio habebam? nónne illos tanquam rem prorſus letalem exhorrui? à me abegi? execratus ſum? nónne quemadmodum uehementer tuos deamo familiares, honoroq; & laudo, ita uehementer tuos odi inimicos? deteſtor? in illosq; amariſsima inuehor indignatione? Hęc ſunt nimirum perfecti odij ſigna, pro Dei honore contra improbos aſſumpti. Verùm interuerſo rerum ordine hæc omnia in particulares noſtros effundimus inimicos, ac leuiſsima interdum occaſione. Iam querelarum innocuorum clamoribus tum occiſorum, tum crudeliter ab immaniſsimis iſtiuſmodi Dei hoſtibus oppreſſorum, ipſum reſonat cœlum, nedum terra alioqui inquinatiſſima, atq; propter facinoroſorũ hominum licentiam probis omnibus odioſa. In iſtos igitur quãuis primarios homines perfecto exarſi odio, nihil interim illorum ueritus magnitudinem. Simulac enim in te odij dederunt ſignum, hi extemplo inimici facti ſunt mihi. Quod uerò ſupereſt,

B *Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas. Et uide ſi uia iniquitatis in me eſt, & deduc me in uia æterna.*

Quamlibet enim in his, quæ ad animarum ſalutem pertinent, profecerint pij homines, nihilominus in ſe ſemper quaſdam ineſſe prauitatis reliquias non bene exploratas ſuſpicantur, neq; ita exactè ſe ſibi notos eſſe arbitrantur, quin ſemper pauidi ſint, ac ſuis in ratiocinationibus cum Deo initis ſuum aliquid cõmiſcere, quod peccatum ſit, reformident. Attamen tunc planè ſe tutos eſſe opinentur, cùm ſua omnia, quamuis obſtruſa, Deo ſyncerè detegunt, ut hîc à Vate fieri cernimus. Proba me, inquit, ô Deus, diſcute, examina, & mea omnia explora interiora: & uide tu (iſti cæci ſunt) an tale, quale eſt in ipſis, ſit te irritandi in me deſiderium. Vide, inquam, an illorum in me odij ego autor fuerim, an illorum potius liuor, ſuſpicioq; ambitionis aſſecla, iſtuc excitauerit incendium: atq; hoc ſanè modo re optimè inſpecta, deduc me in uiam tuã, quæ ſancta eſt, recta & æterna: iſtorum uerò diuerticula, obliqua, inquinata, atq; ad mortem pertrahentia ſempiternam. Non hîc ſilebo dictionem, æterna, à nonnullis uerti, ſeculi: ualetq; ac ſi dixiſſet, deduc me in uiam ſeculi: hoc eſt, occîde me: etenim ſeculi uiam ingredi, eſt mori. Hanc lectionem Campenſi placuiſſe uideo, qui ſic reddidit: Quod ſi fuerit (nempe ſtudiũ irritandi Dei) mihi cõmune cũ impijs patiar æquo animo ut more aliorũ impiorũ occîdas me. Sanctiſsima hæc eſt hominis diuinũ honorẽ maximopere affectantis deuotio, qui mori mauult, q; Deum uel minimo quidem prauæ appetentiæ motu offendere. Idcirco deuouet ſe ſimul cũ ſceleratis morti potius, quàm cum ſui conditoris iniuria diutius uiuere. At uerò magna eſt improbi audacia, illa uiuere animi ſecuritate, melius dicerẽ temeritate, ac ſi in ſinu Dei eſſet omnium iuſtiſsimus, cùm tamen mille uitiorum capitaliũ telis transfoſſus ſit. Crudeliſsimum quidem id eſſet uiſu ſpectaculũ, ſi oculis cerni poſſet corporeis mens improbi, corq; ſanguinarij hominis, auari rurſus & ambitioſi. Sed crudelius illud, ſi ita obduruit anima, ut malint uiuere nõnulli, & mori quoq; cum Dei odio, modò nõ id reſciſcant homines, quàm probitati ſtudentes à uulgi plauſu

c præteriri. Modò regnent in hoc mundo, ſuaſq; expleant cupiditates, quid in alia futurum ſit uita, nihil penſi habent. Ergo hi è uita, ut expetunt, abeant: nos uerò, qui iſtorum ſcalpro ac lima libenter expolimur, illum expectamus qui noſtrum ueterem reformet hominẽ, illiq; interim caſtis inſuſurramus ſuſpiriis, Deduc nos domine in uiam æternam. Cui laus ſit & benedictio in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. Dauid CXL. Vincenti.

Eripe me domine ab homine malo, à uiro iniquo eripe me.

Hoc uno maximè indicio, quanti extiterit momenti perſequutio Saul, Doëg, cæterorumq; adulatorum contra Dauid, cõmonſtratur, quòd tot propterea cõpoſuerit eiuſdem argumenti pſalmos, ut is unus præcipuus eſt. Haud facilè exprimi poſſet, quàm exitialiter piorum tranquillitatem turbet iſtiuſmodi orbis lues, nempe adulatorum, falſoq; traducentium proborum uitam, apud illos potiſsimum iudices, qui leuiſsimo cùm ſint animo atq; ingenio, facilè quò impellit aſtutorum acuitas præcipitantur. Ita miſer ille rex affectus fuit, qui cùm ſe totum Doëg, atq; illius generis hominib. credidiſſet, quid non inſidiarum molitus eſt in Dauidem hominem ſanè innocentiſsimũ, ac Deo charum? Solenne id eſt in mundo, ſynceram uiuendi rationem ſimulatoribus atque inuidis infenſam eſſe. Ab hiſce enim, tanquam à duobus riuulis ex uno ambitionis fonte proruentibus, tota illa deriuata eſt Saul immanitas in generũ: qui fons poſtea funditus in mitiſsimum ſeruatorem noſtrum, tanquam in rem ſignatam, cuiusq; rex ille typum geſsit effuſus fuit. Vide igitur quid hîc dicat innocentia in arcto perſecutionum poſita, afflictaq; in puriſsimo Ieſu corpore: Eripe me domine ab homine malo, à uiro iniquo eripe me. Fingas malum hominem & iniquum hîc eſſe Doëg, cuius conſiliis uſus Saul, tam immenſo inſectatus eſt odio Dauid. Totus is primus uerſus eundem tanquam digito deſignat hominem, adu
D latorum ſcilicet principem. Ab homine, inquit, maligno illo, noxio, exitiali, iniquiſsimo, ſcelerato, me exime. Sic uocem, iniquo, interpretari liceat.

Qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia.

Tametſi ex hebræo pleriq; uertunt hunc uerſum per tempus præſens, cogitãt, conſtituunt, ſeu concinnant: non multum tamen intereſt, ut aliàs diximus, quo tempore uerba ex hebræo reddas, modò Vatis mentem non ignores. Machinati ſunt, inquit, adulatores illi res admodũ iniquas, utpote falſas & ſceleratas, contra me. Quæ porrò res illæ fuerint, alio ſtatim aperit hemiſtichio: Quotidie excitauerunt prælia. Vide perpetuum nocendi animum in maleuolis, quocirca dictũ eſt de illis: Tota die diſsidia ſtruunt ac bella. Ecquę illorum fuerunt arma, atq; ad demolitionem innocuorum machinæ? Dicam:

Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, uenenum aſpidum ſub labijs eorum.

En arma adulatorum, en oblocutorum tela ac ſpicula, en quibus expugnant tormentis principum animi. Quare non ſuperfluè in fine uerſus additum eſt Selah, quo admonemur, quàm mortiferum ſit uenenum aſſentatorum lingua. Sed neq; minoris eſt incõmodi principum ipſorum leuitas, qui ſimul ut aures adulatorum perſuaſionibus admouere occœperint, in omne facilè prolabuntur uitæ dedecus. De ueneno aſpidis præſentaneo aliàs diximus: ſunt tamen qui uenenũ araneoli, qui natura uenenoſiſsimus eſt, ſi ex rhacinorũ maximè genere ſit, tranſferunt. Expende quibus potiſsimũ ęquiparantur animantibus adulatores. Quid non inficiunt cœnoſæ iſtæ belluæ? quid non corrumpunt? Idcirco

Cuſtodi me domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me, qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos.

Idem fermè repetit, quod in primo oratum eſt uerſu. Non dico, inquit Auguſtinus, ut non noceant in cauſis ſeculi, ſed in uia Dei. & rectè: nam quemadmodum iactura illa, qua ab improbis & tyrannis, in rebus fortunæ obnoxiis afficimur, eſt ridenda: ita illa, quæ ad animam attinet, extimeſcenda. Cæterùm ſup-

plantare

A plantare uerbum, ad fraudulentos pertinet homines & doloſos: ad ſuperbos uerò quod ſequitur:

Abſconderunt ſuperbi laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.

Artes ſunt eæ ſuperborũ illorum maximè, quorum tumori coniuncta eſt ambitio. Quoquouerſus te uertas, hi tenſos habent inſidiarum laqueos, ac, ut tuos fallant greſſus, pedicas. Nihil intentatum relinquunt ſuperbi, nullumq; non mouent lapidem, ne cui inferiores ſint. Superiores enim inextinguibili perſequuntur odio. Pares contemnunt, aut effœminatè metuunt. Inferiores uerò uel prorſus calcant, uel turpiſsimis ſibi cõciliant artibus. Iſtiuſmodi quidem rerum uenaticarum nominibus anxium ſuperborum animum, atq; ad ſuppeditandos innocuos deſcribit ſtudium: quocirca aptiſsimè rurſus hîc additur Selah. In hiſce, ait, tam uariis conſtitutus periculis, nunquam, quamuis ſupra uires preſſum, deſponi animum. Proinde

Dixi domino, Deus meus es tu, exaudi domine vocem deprecationis meæ. Domine domine virtus ſalutis meæ, obumbraſti ſuper caput meum in die belli.

Domine domine, Hebræis eſt, Deus domine. Cæterùm, obumbraſti ſuper caput meum, ſic uertit Felix: Operuiſti caput meum in die armorum, hoc eſt, in die, quo arripienda fuerant arma. Paraph. uerò paulò aliter: Armaſti caput meũ quoties confligendũ fuit cum hoſte armato undiq;. Vides ne quomodo Vates quicquid roboris aut uirtutis in ſe eſſe cognouit, illud totum Deo acceptum retulit? Id porrò capitis operimentum, ſalutis galeam uocat Apoſtolus: nempe animum uigilantem, nihilq; nõ in bello hoc cum mundo periculoſiſsimo proſpicientem. Omnis quippe ignauia, atq; animi ſtupiditas militum in exercitu quantumlibet numeroſo, atq; armorum elegantia inſigni, res eſt periculoſa. Ait itaq;: Cuncta quæ me obſident mala uigilantiſsimè circumſpiciens, nullamq; meis uim uiri-
B bus adſcribens, dixi Domino, domine tu mihi Deus es, tu dux, tu ille, qui caput hoc meum alioquin hoſtilibus peruium telis, ne uulneraretur, armaſti. A te igitur armatus, num dæmonum inſidias, aut linguarum uirulentiam inter homines pertimeſcam? Id tamen orare non deſiſtam, dicamq;, ac quantum maximo potero ingeminabo clamore:

Non tradas me domine à deſiderio meo peccatori, cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur. Selah.

Vt dilucidior eſſet ſenſus, uerti poterat: Ne perficias domine deſideria impij, nefarium cogitatum eius ne permittas progredi, ne exaltentur. Orat Vates, ne cogitata ſcelera ſuccedant peccatori, impio nimirum Doëg aſſentatorum principi. Siquidem uoti is compos factus, unà cum illuuie illa ſceleratorum de adepta gloriari poterãt uictoria. Ne concedas, inquit, illum, quæ machinatus eſt, perficere, ne ſumpta de me occaſione inſoleſcant, tumideq; ſeſe efferant illius ſicarij. Selah adiectum indicat, præter naturam omnino eſſe impios extolli, atq; honoribus perornari: pios uerò præteriri & opprimi.

Caput circuitus eorum labor labiorum ipſorum operiet eos.

Laborem hîc pro moleſtia poſitum eſſe exponunt. Cæterùm duobus modis uerſum ſic legi poſſe, etiam ex hebræo opinantur: Principem circundantium me afflictio labiorum eius operiat illum. ut ſit ſenſus: Moleſtia quam mihi illorum dux impuro inferre ore connititur, in illius caput recidat. uel ita: Labor conſiliorum ipſorum obruat caput eorum qui me circumueniunt.

Et cadent ſuper eos carbones, in ignem deijcies eos, in miſerijs non ſubſiſtent.

Non præteribo quorundam ſententiam, qui ſic ſuperiorem interpretantur uerſum. Caput circuitus eorũ, hoc eſt, caput & ſumma totius illorũ impugnationis, qui me obſident, labor eſt, ac dira linguarum uirulentia, qua me perdere penitus adnituntur. Verũ omnia hæc tandem in illorum retorquebuntur infamiam atq; exitium. Quicquid enim improbi oblocutores aduerſus moliuntur innocentiã, la-

c borioſiſsimũ eſt ac moleſtiſsimũ, quoniam id contra Deum excitari certò ſciunt, præter illud, quòd perpetuò afficiuntur conſcientiæ laniatu. Nihil ſanè non moleſtiſsimũ atq; amarũ experiri poteſt, aut guſtare, mens turpis. Quòd ſi quidem neq; humanitate, neq; Dei religione, neque propriæ exiſtimationis reſpectu nequeunt quidam permoueri, deduciq;, quin ſemper mali ſint, atq; in alios iniurij, timor ſaltem pœnarum, quas hîc minatur ſpiritus, illorũ frænare deberet proteruitatem. Cadant, inquit, ſuper illos, Sodomitarum more, carbones ignis. Quid? Tu illos in flammas conijce, exureq;, ac in profundiſsimũ miſeriarũ barathrum proijce, atq; adeò penitus obrue, ut nunquam emergere ualeant. In hebræo poſt ignem addunt foueam, ſeu foueas. Sic illi: In ignem deijcies eos, & in foueas, ut non inſurgant. Hac enim uerborum periphraſi extremam illorum fore calamitatem prædicit, quam ſanè quotidie etiamnũ contingere cernunt uel cæci. Longo iam uſu edocti neſcire non poſſumus, quòd

Vir linguoſus non dirigetur in terra, virum iniuſtum mala capient in interitu.

Vir linguæ, ferè ex hebræo uertunt. Intelligit uirum loquacem, atq; proinde multa mentientem, cui nihil eorum, quæ in alienam effingere conſueſcit perniciem, ſuccedere, imò uerò malum, quod alteri præparauit, fore illi in interitũ precatur. Fiant, inquit, peruerſis iſtis uitilitigatoribus ac maledicis in exitium, quæ pijs manſuetisq; animis cooperantur ad uitam: diræ nimirum oblocutiones, confictæ delationes, exilia, calumnię, ac demum iunctæ cum cauillationibus acmendacijs iniuriæ. Probi quidem & temperati in miſerijs quamlibet acerbis diuino confiſi præſidio perſtant immoti: ſed improbi in paruis, nulliq; momenti aduerſis ſuccumbunt illicò, ac mulierum more lamentantur, atq; ita in miſerijs non ſubſiſtunt, ſed de miſeria in miſeriam infeliciſsimè proruunt. Quid porrò intellexerit Paraphraſtes per uirũ loquacem & iniuſtum, operæpreciũ erit dicere. Quiſquis, inquit, fuerit maledicus & proditor, nunquam ſtabilis erit in terris. Contrà uerò

D *Cognoui quòd faciet dominus iudicium inopis, & uindictam pauperum.*

Fides enim etiam in maximis exagitata malis, ſi in ſyncero inuenitur animæ affectu, non perturbatur, ſed res ſuas prudentiſsimè colligens ſic ſecum ratiocinatur. Non ſemel quidem, quantum Deus in ſubueniendo miſeris præſtò ſit, experta ſum. Id fore quoq; perſuaſum habeo, quòd inopum cauſas, nempe illorũ, qui nullo fulti hominũ ſubſidio, à Deo ſolo pendêre contenti ſunt, tutabitur, deq; illis, qui nos, quorum ſaluti nemo eſt qui opituletur, affligunt, ſupplicium ſumet, & ita noſtras ulciſcetur iniurias clementiſsimus dominus.

Veruntamen iuſti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum uultu tuo.

Veruntamen, etſi non ineptè poſitum uidetur, tamen ex hebræo aptius reddi poſſet, utiq;: ſeu, ut Paraphraſtes, tunc. Sic ille: Tunc iuſti celebrabunt nomen tuum. Cæterùm quid ſibi uelit, habitabunt recti cum uultu tuo, quémue ſenſum afferat, ita puto intelligi poſſe, quemadmodum illud Dei ad Abraham: Ego, inquit, Deus omnipotens, ambula coram me. atque ſeipſum exponens mox addidit: Eſto perfectus. Vis'ne, mi lector, longiori inſtrui circumlocutione? Vis'ne, inquam, te dignum reddere, cuius præſentiam, cuius lachrymas, cuius deprecationes, diuinus non auerſetur uultus? Eſto perfectus, eſto, quemadmodum Chriſtus fuit in mundo, deiformis omnino. Hoc ſanè modo in portu nauigas illius ductu, qui noſtrum ita informat arbitrium & uoluntatem, ut nihil iam libeat uelle & appetere, quod ipſius non ſit, ab ipſoq; proficiſcatur, atq; in ipſum demum, tanquam in gratiarum omnium fontem redeat. Cui laus ſit æterna in ſecula ſeculorum. Amen.

PSALMVS Dauid CXLI.

Domine clamaui ad te, exaudi me, intende uoci meæ cùm clamauero ad te.

Dauid cùm exul eſſet, atq; proinde longè à tabernaculo atq; arca fœderis, ubi ſacra fieri conſueuerant, ſemotus, mirũ in modũ diſcruciabat animi. Verũ ut poterat, uotis ſanctisq; precationib. cultũ illum reſarcire decreue

rat.

A rat. Tum quidem, opinor, noſtra adumbrabatur religio. Siquidem excluſus Chriſtus è templo, à proprijſq; reiectus conſanguineis & ciuibus, ſanctiorem fundauit religionem: cuius exordia tum primũ deliniari cœpta ſunt, cùm apud Samaritas, nempe alienigenas, & hoſtes quoq; à Iudæis execratos, aſſeruit, affore aliquando ut homines neque in monte Moria, neque Hieroſolymis adorarent patrem, qui ſpiritus cũ ſit, in ſpiritu & ueritate adorari expetit. Hæc Dauid uiderat. Attamen ritibus illis, qui donec uerius aduentaret ſacerdotium atque incenſum, ſeruandi fuerant, ſe non intereſſe mirabiliter angebatur: itaq; Deo ſuum non rarò aperuit dolorem, conqueſtusq; eſt, dicens: Domine clamaui ad te, exaudi me, intende uoci meæ cùm clamauero ad te. Ipſa quidem prima uox tenerum Vatis præ ſe fert animum erga Deum. Mi domine, inquit, ſimulac à uenerando illo te colentium cœtu, à ritibus, à ſacrificijs, à thure, me extorrem uidi, num propterea omni quoq; religione uacuus eſſe debui? Ad te itaque, cui ubique ſyncera præſtari debet pietas, meis in afflictionibus clamaui, clamoq;: tu modò, quæ tua eſt clementia, exaudi, ſineq; te exorari. quin mentem tuam illam æternam, qua cuncta quoque abſtruſiſsima permeas & rimaris, uoci meæ lamentabili atque ſuſpirijs admoue.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.

De incenſo, fumigationeq; & mixtura thymiamatis, fuſe admodum in libro Exodi ſcribitur. Sume, inquit, tibi aromata, ſtacten, onycham, galbanum boni odoris, & thus lucidiſsimum: æqualis ponderis erũt omnia. Et paulò poſt: Cùm in tenuiſsimum puluerem uniuerſa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo teſtimonij. Hem quantam myſteriorum ſyluam hîc detegi uideo: ſed aliud agimus. Illud tamen obiter annotandum, ad hunc reſpexiſſe morem, præmonſtraſſeq; ſacramentum octauum angelum illum, qui thuribulum geſtans manibus au
B reum, ſtetit ante altare, cuiq; uis magna incenſi data fuit, ut & ipſe daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum. Cæterùm de ſacrificio matutino ac ueſpertino frequens in ſacra lege fit mentio. Erant duo agni, quorum alter manè, alter ueſperi ſuper altare ritu immolari ſempiterno iubebantur. Pro his igitur tam operoſis ritibus, ſe puras extuliſſe manus ad Deum fatetur Vates: Vice, inquit, ſuffitus illius thuris odoratiſsimi, ſacrificijq; ueſpertini, mea tibi grata ſit oratio, gratum uotum, grata manuũ eleuatio. Quòd ueſpertinum ſolummodo ſacrificium memoret Vates, ea uidetur ratio, quòd occultiſsimo quodam modo ac typo ſanctius reputabatur. Etenim agnus qui manè occidebatur, ad illum qui ueſperi, reſpicere uidebatur, cùm is perfecti quodammodo illius diei ſacrificij, uenturæq; alterius rationis uictimæ, & conſummationem & imaginem præ ſe ferret. Sed quæ orare ſtatuiſſet ſanctiſsima Vatis anima, conſideremus.

Pone domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis.

Neq; ex hebræo, neq; ex græco uertunt circunſtantiæ. Ex græco ſic: Oſtium munitionis ad labia mea. Ex hebræo aũt ſimpliciter transferunt: Conſerua oſtiũ labiorum meorũ. Vnde Paraphraſtes ſic totum reddit uerſum: Adhibe domine frænum ori meo, & cuſtodiam ianuæ labiorũ meorũ. In præcedenti quidem pſalmo maledicentiã in Doẽg atq; illius aſſentatoribus deteſtatus, in hoc orat, ne & ipſe quid impiè in Deum aut homines iratus proferat. Nouerat enim quàm prona eſſet lingua ad remaledicendũ, compenſandumq; par pari in reddendo conuicio. Deteſtanda omnino hæc eſt conſuetudo, & quæ ex diametro Dei repugnat Euangelio. Dum enim alter alteri morſum infigimus, uiciſsim omnes abſumimur, linguaq;, inſtrumento nimirũ ad celebrandum Dei nomen formato, ad mutuas abutimur contumelias, fameq; dilacerationẽ. Et tamen tam capitali morbo, peneq; ob uſum immedicabili, confeſsiunculis neſcio quibus obſcuris, dubijs, obtectis, ridiculis tandem, mederi opinamur. De redintegranda uerò fratris

C aut re, aut existimatione, nulla interim neq; ab illo qui audit, neq; ab illo qui confitetur mentio: atq; hoc modo cascus cascum duxit, cæcusq; cæcum exoculauit. Quàm libenter, mi lector, in re nostra cæcutimus, deludimurq; insani. Vide, te oro, quid hac de re quidam ethnicus nostrũ ad ruborem senserit: Cum inquinatissimis, inquit, hominibus non est cõuicio decertandum, neq; maledictis aduersum impudentes & improbos uelitandum: quia tantisper similis & compar eorũ fias, dum paria & cõsimilia dicas atq; audias. Quid sanctius dici posset? quid magis euangelicũ? Ne itaq; in eandẽ planè omnium uniuersalem incidat pestilentiã Dauid, orat sibi frænũ inijci, firmoq; obsignari uecte linguę ostium (hęc quidem omnia una conficit patientia, iunctaq; cum mansuetudine temperantia) additq;:

Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum.

Hactenus hunc terminãt uersum Hebræi, & quidem aptè: alioqui sensus omnino lacerus esset atq; intercisus. sed concinnior illis est litera. Sic ferè illi: Ne patiaris cor meũ labi in uerbum malum, ut cogitem cogitationes in impietate cum uiris qui operantur iniquitatẽ: ne comedam de his, quæ illis sunt iucunda. hoc est, ne ullo unquã tenear desiderio comedendi parta rapinis atq; usuris, quantumuis furibus ipsis ac rapacibus suauissima. Breuibus hîc quidẽ, mea sententia, expressit, quid sit in reprobã tradi mentem. Huius sanè indicium rei est, cùm Deus conceptam animi malitiam sinit in opus egredi, oblectariq; sese inuicem mutua uelut scabie improbos. Hi à spiritu uasa iræ nũcupari soliti sunt. Porrò tametsi ad excusandas excusationes in peccatis, quod propriũ profligatorũ hominũ est, suam scilicet extenuare culpam, causamq; nescio quam peccati prætexere, huc utcunque aptari posset, tamen quæ germanior uisa est litera, hanc posui. Ne seducar, inquit, obsecro, istiusmodi prauorum hominum lenociniis atque adulatione,

D sed potius

Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Præfert enim bonorũ reprehensiones, improborũ fauori & blanditijs. Quantum ad literam nostrã attinet, planior uidetur sensus, ut uir iustus malit à suo haudquaquã dissimili reprehendi, cuius reprehensiones beneficij loco habiturus sit, q̃ oleo peccatoris, adulationis scilicet amœnitate, cui comes est mendacium, deliniri. Verùm litera quę est Hebræis, etsi eundem, subobscurum tamen reddit sensum. Sic illi: Percutiat me iustus in bonitate, atq; redarguat me, oleum autem præcipuum non frangat caput meum. hoc est: Opto ut me potius percutiat iustus (beneficiũ enim id erit) q̃ ut impij oleo, cuius usus iam celebris est (ita est assentatio) & præcipuus, caput meum inungant: & id proinde, ne illorũ delicijs inescatus, nefarijs etiam illorũ consilijs assentiar. Oleum quippe istiusmodi non sanat, sed uulnerat, frangit, perturbatq; caput, atq; attonitũ reddit. Simplicior tamen ea uidetur expositio, quæ oleum ad iustum illum, qui corripit in misericordia, refert, quamq; è Felicis litera posse excuti arbitror. Sic ille: Percutiet me iustus misericordia, & redarguet me, oleum capitis nõ prohibebit caput meum. hoc est: Cùm me percutit iustus, misericordia ea est. Cùm arguit, oleum est capitis. Idcirco tam salutarẽ perfusionẽ nõ prohibebit caput meũ, sed libenter admittet. Illud quoq; non prætereundũ, quod huic fauere sensui uidetur, oleum capitis, unguentum primariũ, seu optimum, à nonnullis uerti, quò omnino nõ sis nescius nullam hîc de peccatore fieri mentionem: atq; ita uersum sequenti assuunt hoc modo: Quia adhuc oratio mea contra mala eorũ. Vnde sic totum explicat uersum Paraphr. Verberet me potius iustus, & beneficij loco habiturus sum: & si castiget me, uulnus illud capiti meo molestũ non erit, sed pro saluberrimo illud medicamine amplexurus sum, nec à proposito deterrebit me, sed pergã potius orare dominum ut seruet me quamalieníssimum à sceleratis impiorum operibus. Alius uerò, pro malis istorum orabo, uertit. Hæc diffusius forsan quàm mea fuit intentio. Verùm tanta in-

A ta interpretũ uarietas nõnihil me interdũ à propoſito deerrare compellit. Quòd ſi tamen noſtræ adhuc inhæreſcere quis cupit literæ, ſic dici poteſt:

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum.

Id eſt, non ceſſo orare, dum illi interim ſuis in actionibus quibus delectantur, ualdeq; ſibi placent, perſeuerant. Huic & conuenit Felicis litera: Et oratio mea, inquit, inter mala eorum. hoc eſt, dum interim in malis perdurant, ego pro illis oro. Pium certè Vatis animum atq; imitandum. Sed & quod ſequitur, non minorem ſecum affert obſcuritatem:

Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum, audient verba mea quoniam potuerunt.

Is unus eſt uerſus Hebræis, quem ſic reddit Felix: Diſtrahantur ſuper acumina lapidũ iudices eorum, & audient eloquia mea, quoniã iucunda erũt. Ita etiam Symmachus ultimam reddit particulã. Cæterũ qui literã noſtram ſecuti ſunt, ad Moſen & Aaron, qui ad aquas iurgij iuxta petram ſubdubitarunt, referre conantur. Alij uerò ad Platonẽ, Ariſtotelem, Pythagoram, ac cæteros Ethicæ profeſſores, detorquent ſenſum. Verùm non uideo quo id fundamento aſtruant, cùm de æquiſsimo Dei iudicio in ſceleratorum principes, ut erant Saul adulatores, quos hîc iudices appellat, ſit ſermo: nihilq; aliud uult Vates in iſtiuſmodi uerborũ tropo, quàm ut crudeliter intereant fautores improbitatis. quare litera, quam ex hebræo adducunt, ad id aſſeuerandum uidetur aptior: Tantum, inquit, abeſt ut ſceleratorum gratiam & beneficia exoptem, ut etiam illorum iudices atq; altores, è ſublimi tanquam rupe in ſaxa cotesq; acutiſsimas præcipitari efflagitem, ut uel ſic addiſcãt hi, qui modò illorum perſuaſione dementati, meas ſpernebant admonitiones, illas ſalutares fuiſſe, atq; ab amanti animo profectas: quippe quæ de pace, de religione, de pietate fuerant. O ſi his miſeri auſcultaſſent, id certè, quod dicturus ſum, neutiquam contigiſſet.

B *Sicut craſsitudo terræ erupta eſt ſuper terram, diſsipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum.*

Hucuſq; legi debet uerſus, quem ſic ex hebræo transferũt: Sicut qui findit, & ſecat in terra (ligna ſcilicet) diſperſa ſunt oſſa noſtra ad os inferni, ſeu ſepulchri. Vide an forſan pro eruta, erupta uerterit interpres: aut ſcriba uicinitate literarũ, quiſquis ille fuerit, deceptus, p interſeruerit, ut ſit ſenſus: Quemadmodũ enim terra interior, quæ pinguior de more eſt, ac craſſa, uomere eruitur, & ſuper terram aliam ſpargit̃: ſic oſſa noſtra à nobis eruta ſunt, fractaq;, atq; ita diſsipata, ut ſepulchro proximi magis eſſemus, q̃ uitæ. Metaphora oſsiũ fractorũ erutorúmue, ad ſignificandũ uires adeò interdum noſtras ab improborũ ſęuitia & frangi & attenuari, ut nonnunq; mortuis perſimiles appareamus, utit̃. Paraph. uerò de lignis ſuper terrã ſecuri inciſis uerſum interpretat̃, in hunc modũ: Sicut qui amputãt arbores, & findunt ligna, & per terrã ſpargunt huc atq; illuc quæ amputata ſunt: ſic oſſa noſtra diſperſa fuerũt, & ſoluta præ metu mortis: ad ipſum em̃ uſq; ſepulchrũ perueneramus. Mirũ q̃ copioſus ſit Vates ſuo in exprimendo conceptu ſimilitudinib. Cęterũ nõ infrequenter diximus infernũ pro ſepulchro in ſcripturis poni.

Quia ad te domine domine oculi mei, in te ſperaui, non auferas animam meam.

Suo more Deũ, per ſpem, fiduciam q;, qua ſuis ſemper in ærumnis uſus eſt, obteſtat̃ dicẽs: Quoniã ad te, mi domine, mi, inquã, domine cõfugi, clamauiq;, atq; illorũ ritu qui ſupra uires affligunt̃, oculos hoſce meos præ mœrore ſemimortuos extuli, ſubindeq; tuo in præſidio meã omnẽ collocaui fiduciã, ne ſinas periclitari uitam meã. Auferas, ſeu effundas uerbo uſus eſt, quò certi ſimus Deum, quando illi placitũ fuerit, mortaliũ auferre animas, non enſem, uenenumq;, aut hoſtis dexteram. Qui quidem Deus nunquã ſuis uitam hanc fragilem adimi ſineret, niſi daturus eſſet feliciorem. Ille ſolus, qui dedit, auferre poteſt. Alioqui certè ſi quęcunque in nos moliuntur improbi, illis integrum eſſet perficere, iandudum mundus probum haberet neminẽ. Verùm Deus, qui cuncta æquiſsimo collibrat iudicio, æternaq; diſpenſat prouidentia, quicquid ſiue in cœlis, ſiue in terris geritur, id totum in ſuorum ſalutem cedere & uult, & ſic nobis perſuaſum eſſe præcipit. Qui ſa

C nè iſtiuſmodi uiuunt perſuaſione, quæcunq; accidant, ſemper tuti ſunt & quieti. Neq; aliter quidem affectum fuiſſe Vatem cenſendum eſt, licet has diras in perfidos illos Saul adulatores, nõ abſq; animi permotione contorquere potuiſſe preſſis humi animis uideri poſſet. Tranquillo cuncta hæc, quemadmodũ & ea quę ſequuntur, imprecatus eſt animo.

Cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerunt mihi, & à ſcandalis operantium iniquitatem.

Quem tetenderunt mihi, uertunt ex hebræo. Rurſus ſcandalũ pro tendiculis, ſeu uinculis, ut uertit Campenſis, poſuit: quæ omnia doloſorum hominum inſidias præferunt, & eſt ferè idem, quod in ſuperiori precatus eſt pſalmo, dicens: Cuſtodi me domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me, qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos. Huc ſanè ſpectant ſuperborum machinationes, ut ſimplicium curſum ad uirtutes, atq; proinde ad dignitates, intercîdant, retrahantq;, ne ipſi præuertantur, ab inſtituto. Idcirco paſsim, ſparſimq; inſidias obtendunt, atque occultiſsimo fraudulentiæ conſilio & arte expanſa, ſi quà, uel uerbo ſaltem, oberrare contingat, obducunt retia. Horum igitur pertimeſcens inſidias uir ſanctus clamat: Pro me uigila domine, ne in laqueum, quem in meum extenderunt exitium, prolabar aliquando, neq; in illorum muſcipulas, qui toti ſubdoli ſunt, incidam. Quin potius

Cadant in retiacula eius peccatores: ſingulariter ſum ego donec tranſeam.

Præcipitentur, inquit, maledici illi palpones in retia illius, ducis nimirum illorum, qui ſeditiones alere conſueuit: ego uerò ſingulariter ab illorum uita ſemotus ero quoad uixero. ſic noſtram exponunt literam, quæ paulò ſecus Hebræis eſt. Sic illi: Incidãt in retia impij unà omnes, ego in ſeculum tranſibo. hoc eſt, ipſi in eadem cadant retia ac dolos, quos mihi adornarũt: ego autem in ſeculum, perpetuoq; illorũ euadam laqueos: uel, ut reddit Campenſis, quoad ego ſaluus prę-
D teriero. Vterq; ſenſus immenſam Vatis fiduciam in Deum celebrat. Cui honos ſit ac gloria in ſeculorum ſecula. Amen.

PSALMVS CXLII. Eruditiuum Dauid: cùm eſſet in ſpelunca, oratio.

Voce mea ad dominum clamaui, voce mea ad dominum deprecatus ſum.

Prima inſcriptionis uox altioris nos admonet myſterij, quàm ſit fuga illa Dauid in ſpecum Engaddi, in quo tanquam in extremo ſuæ ſalutis perfugio delituit tam pius rex. Tum ſanè uiſus eſt penitus animo concidiſſe: omni enim temporis momento ſæuiſsimũ opperiens perſecutorem, anxiè admodũ afflictabat. At quæ tum egerit cogitauerit q;, præſens demonſtrat oratio, pia ualde, atq; eruditionis pleniſsima, quippe quæ Seruatoris noſtri in antro iſto mundi obſcuriſsimo cõmorantis imaginẽ retulerit. Sed tu uide, an ſecus hi agere debeant, qui improborum crudelitati expoſiti ſunt, atq; ipſe egit Dauid in ſpecu illo ancipiti metu penè exanimatus. Quid tum egerit rogas? Primùm quidem ad conſuetum diuinæ confugiens miſericordiæ præſidiũ, illius implorauit opem: deinde uerò nihil prius habuit, quàm ut inimico parceret: nam cùm Saul occidere potuiſſet, quo occiſo res ſuæ omnes in tuto eſſe uidebantur, noluit tamen, dixitq; illis qui ſecum aderãt militibus: Propitius ſit mihi dominus, ne faciam hanc rem domino meo Chriſto domini, ut mittam manum meam in eum. Conſideràs ne, ô tarde, quomodo tum planè ueram illius, cuius ipſe typus fuit, expreſsit imaginem? Quid tam exactè Chriſtus egit in terris, quàm ut ſibi patrem, orãdo, benefaciendoq; non ſolùm amicis, uerumetiam ipſis infenſis hoſtibus, demereretur? Et ut nunquã cæcis perſpectum, uſquedum uixit, illud fuerit, ne tum quoq; quidem, cùm in cruce moribundus in illam auream amoris q; pleniſsimam prorupit uocem? Pater dimitte illis. Haud graues forſan hoſtium in illum extitere iniurię, ut non multum fuerit illas condonaſſe. Credo, ſi haud multum eſt, uirum omniũ innocentiſsimum, beneficumq; in omnes, crudeliſsimis prius exagitatum iniurijs, cruciatibusq; lacerum, uinctũ, conſputum, irriſum, tandem cruci, latronũ nimirum

A mirum ſupplicio, ſuffigere, clauiſq; acutiſsimis tranſuerberare. Ita habitus fuit à ſuis Chriſtus in mundo, pepercit tamen omnibus. Imò uerò (res mira) factus eſt crudeliſsimorum hoſtium ſuorum præs, fideq; iuſſor, atq; aduocatus apud patrẽ, alioqui filij iniurias uindicaturum. An modò hac in parte ſint qui Chriſtum referant & imitentur, me omnino præterit. Illud uerò minimè, mortales ferè omnes, atq; in primis potentiores, ad odia, ad iniurias, ad perſecutiones, ad uindictam, promptiores eſſe, quàm ad charitatem, ad beneficia, ad pacem, ad ueniam. Quæ in Dei contumeliã fieri conſpicio, tum dico, tum ut reſciſcant poſteri, mando literis: dicoq; cum ſanctiſsimo meo Vate in ſpecu ab hoſtium armis circumſepto, imò cum Chriſto Dei unigenito in mundo hoc ab innumeris ſcribarũ, Phariſæorumq; ac ſynagogæ principum inſidijs obſeſſo: Voce mea ad dominũ clamaui, uoce mea ad dominum deprecatus ſum. Repetitio quidem, uoce mea, uoce mea: item, ad dominũ, ad dominum, ſolitum fidei ardorem in Vate demonſtrat. Hæc ſanè omnia, inquit Hieronymus, in humilitate corporea loquitur Chriſtus, ut ſe uerum hominem manifeſtaret. Sed & uox iſta, uox eſt cordis, affectus nimirum igneus, flagransq; deſiderium, quo anima in Deum fertur. Nec quidem quempiam uerba hæc rectè proferre poſſe arbitror, qui totus non ardeat, uiuatq; fide in Deo magis & in ſeſe: quod uenuſtè admodum is, qui ſequitur, indicat uerſus.

Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio.

Elegantiſsimè expreſsit ueri deprecatoris morem interpres in uerbo, effundo. Num putas componendas eſſe ſyllabas, aut quærendã dictionis elegantiã, cùm Deum oras? In corde enim tota res illa tranſigitur: quod quidem ſi mœrore aliquo graui aut pauore affici contigerit, quæ deſiderat, quæue orare intendit, magis euomit & effundit, quàm loquitur. Coram, inquit, illius conſpectu, qui ferre poteſt miſeris ſuppetias, meam effundo precationem: ſeu, ut reddit Campenſis, eloquium doloris mei: & ſic illi meam aperio afflictionem.

B *In deficiendo ex me ſpiritum meum, & tu cognouiſti ſemitas meas, in uia hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.*

Is unus integer eſt uerſus, quem ſic ferè reddunt ex hebræo: Cùm torqueretur in me ſpiritus meus, tu cognouiſti ſemitã meam, in uia qua ambulabã abſconderunt laqueũ mihi. Superbi, nõ eſt in hebræo. Videtur hîc additũ ex alio pſalmo, cuius initium eſt, Eripe me domine. Sunt qui, ſemitam meam, ad pauorem illum extremum referant, quo in ſpelunca ualde anxius ſic ſecum: Me hîc tutum fore arbitrabar: quis unquam putaſſet rupes iſtiuſmodi ſolùm ibicibus peruias, meos petijſſe aduerſarios? Iam ſentio uiam, qua elabi poſsim, extare nullam: quandoquidem in tramite etiam iſto ſic inacceſſo, laqueũ, quo me tandem comprehendant, ſuboccultarunt. Verùm ſemitam, qua euadam, tu probè noſti. Alij ad uitæ innocentiam, quam uitæ ſemitam appellant, referri debere opinantur. Vtrunq; Vatis mentem exprimit. Et quidem nullum adeò inculpatæ uitæ genus inuenit, cui laqueos nõ obtendant inuidi: quod ſanè Chriſto omnium ſanctiſsimo ſæpenumero contigiſſe legimus. Quare alio in pſalmo ita ſuum palàm facit dolorem: Circundederunt me uituli multi, tauri pingues obſederunt me. Hîc quoq; Cùm adeò, inquit, acerbè meus conturbaretur ſpiritus, ut omnino deficerẽ, me tamen illa omnia inſontem perpeti non ignorabas. Quid te unquam latêre potuit? Tibi certè uitæ meæ omnis nota eſt ratio ac uia. Interim tamẽ (malùm) in itinere iſtiuſmodi puriſsimo, laqueos, quò me irretirent, compoſuere. Quid illud, quod omnem ſuperat calamitatem?

Conſiderabam ad dexterã & videbam, & non erat qui cognoſceret me. Periit fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam.

Heu deſolatam innocentiã. Clamat Chriſtus in Eſaia: Circunſpexi, & nõ erat auxiliator: quæſiui, & nõ erat qui adiuuaret. Tametſi uox fugæ hîc conuenire uidetur, tamen ex hebræo uertunt perfugium, aut huic ſimile. Nanq; de alieno loquitur auxilio, non de fuga propria. Solent enim qui in maximis conſtituti ſunt

C ærumnis, nõ prorſus deſpondere animum, ſi, qui opem ferre uelint, circum ſe ſtare uiderint. Verùm cùm ab omnibus ſe cernunt deſeri, ac pro ignotis & peregrinis haberi, intolerandum in modum affliguntur, ut hîc uides. Circumſpiciebam, inquit, ad dexteram & ſiniſtram, ut uiderem an quiſpiam mihi adeſſe uellet: ſed neminem, nõ dico qui ſubueniret, ſed qui me agnoſceret, uidi. Vnuſquiſq; enim, etiam ex charioribus meis & familiaribus, ſua quærens cõmoda, ne agnoſcere diſsimulauit: atq; ita omne mihi ereptum fuit ſuffugium, nec quiſquam tunc uiſus eſt, cui mea cordi fuerit ſalus. Sic ſe habet mortalium ferè omnium conſuetudo. Quid tunc egiſſent cæteri, neſcio: ego enim ex præterito tuo fauore edoctus, animatus q;,

Clamaui ad te domine, dixi, tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.

Illud, quod penè exciderat, non omittendũ, quod in ſuperiori additum eſt uerſu, ad ſiniſtram: ita enim ſubaudiunt ex hebræo. Volunt quidam uerbum, uidebam, illuc ſpectaſſe: ſic Kimhi hebræus interpretatur. quare ſic Paraphraſtes: Reſpiciebam nunc in partem dexteram, nunc ad ſiniſtram. Porrò magna ea eſt conſolatio afflictorũ, cùm illis in mentem uenit, nullam poſſe eſſe tam calamitoſam ſortem, quam non emolliat Deus, & diſsipet inuocatus. Omni, inquit, humano denudatus præſidio clamaui ad te domine, dixiq; te meum eſſe Deum, meam fiduciam, meam ſalutem, meam omnino portionem: neque inter uiuos alium eſſe quempiam, cui me tutò credere debuiſſem. De terra uiuentium, quam mundum hunc eſſe opinantur, aliàs diximus. Sperat hîc Vates, Dei ſe bonitate in hoc quoque mundo, qui locus eſt uiuorum, fruiturum: idcirco eum uocat ſuam portionem. Qua quidem perſuaſione hi ſolùm tenentur, qui nulla alia in re ſua ſtatuunt bona, præterquàm in Deo: qui, quæcunq; contingant, ſemper electorum pars eſt ac portio. Siue igitur ex hac uita demigrem, ſiue in uita maneã, tu mea es portio, ô domine, atq; is es, in quo ſpem omnem meam, uel à puero, collocare didi-

D ci. Non multũ adeò referre arbitror, quòd meis me expoliarunt bonis, nomenq; meum traduxerunt ſceleſti iſti oblocutores: adhuc mea omnia ſalua eſſe uideo, ſimulac te hæreditatem habeo ac portionem. In te quidem tantummodo mei intenti ſunt oculi. Ideo & tu quoq;

Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus ſum nimis. Libera me à perſequentibus me, quia confortati ſunt ſuper me.

Nimis pro uehementer, ſuo more tranſtulit interpres: quemadmodũ uoce, humiliatus ſum, pro abiecto, miſero, attenuato, ſummeq; oppreſſo, uti conſueuit. Cæterũ, confortati ſunt, ualet perinde atq;, prævaluerunt mihi. Sit, inquit, iam finis malorum: equidem omnino depreſſus ſum, hoſtes uerò prævalent, quicquid moliuntur efficiunt, quicquid de me cogitant, obtinent. Dormis ne domine? audi, meamq; lamentabilem admittens deprecationẽ, me à meis iſtis tam mihi infeſtis aſſere perſecutoribus. Et

Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. Me expectant iuſti, donec retribuas mihi.

Cuſtodiam, ſiue carcerem, uocat Propheta ſpeluncam illam curarum plenam Engaddi: umbram nimirum afflictionum Chriſti, Chriſtianorumq; in hoc mundo. Ab hiſce enim penitus liberari impoſsibile uidetur, niſi per mortem. quanquam & in uita quoq; poſſumus, cùm aut æquiſsimo Dei conſilio è medio tollun tur perſecutores, aut fide, re nempe illa, qua uelit nolit (ut ſic per exceſſum dicã) Deum in noſtram cogimus factionem, ſuperant. Ergo me è teterrimo eductum ergaſtulo in ſpiritus libertatem, quò tui (ut mea eſt conſuetudo) celebrare queam nominis maieſtatem, uindica. Quod ſi (ut ſpero) impetrauero, tunc me in modum coronæ cingent iuſti, ſtipabuntq; innocentiæ fautores, poſtquam te mihi bene feciſſe ſenſerint. Ita hunc hemiſtichium reddunt ex hebræo: Me circundabunt iuſti cùm retribueris mihi: hoc eſt, cùm mihi benefeceris.

Cui laus ſit in ſecula ſeculorum.

Amen.

A PSALMVS Dauid CXLIII.

DOmine exaudi orationẽ meam, auribus percipe obſecrationem meam. In ueritate tua exaudi me, in tua iuſtitia.

Volunt interpretes hunc pſalmũ eiuſdẽ eſſe argumenti, atq; eodem in loco compoſitũ cum ſuperiori. Illud notiſsimũ, animæ extremo in mœrore conſtitutæ ac metu, precationẽ eſſe, ardentẽ eam quidem, uariíſq; intertextam ſpiritus aculeis, concitã, peracutamq;, & mirè ingenioſam. Domine, inquit, exaudi orationẽ meam, auribus percipe obſecrationẽ meam. In ueritate tua exaudi me, in tua iuſtitia. Vt ſolet interpres, ueritate pro fide tranſtulit. Etenim hîc Dei tum fidem, qua conſtantiſsimus eſt in promiſsis, tum iuſtitiã, qua undequaq; perfectiſsimus apparet, uerecundiſsimè implorat. Verùm tu interim, quid inter iuſtitiam huiuſmodi diuinam atq; humanã interſit, cogita. Homo quidem ſi ſuam humano iudici fatetur culpam, damnatur & occiditur: ſi uerò Deo, abſoluitur, atq; ad uitam reſtituitur. Confugiendũ itaq; ad illum eſſe, qui ueniam reis ſua execrantibus ſcelera eſt pollicitus, à ſpiritu admonemur. Siquidem quod promiſit, conſtantiſsimè ſeruabit: promiſit uitam, uitam dabit. Cur dabit, oro? quia fidelis eſt, quia iuſtus, quia miſericors: non quia nos iuſti, aut fideles, aut erga conſeruos noſtros miſericordes ſumus: alioqui ſtultiſsimũ omnino eſſet, hominem naturâ labilem, atq; ad Dei iniurias procliuiſsimũ, cum Deo mille quotidie offenſionibus laceſsito, uelle in iudicio diſceptare. Id ſanè periculum haudquaquã ignorans Propheta, iſtiuſmodi cum Deo rixandi genus detrectat, dicens:

Et non intres in iudicio cum ſeruo tuo domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

Ne ſummo, inquit, iure mecũ agas, ô altiſsime: quando quidẽ ne unus quidẽ eſt, ſi illius ad amuſsim uitam expendas, qui integer dici queat: utinam nõ inquiB natiſsimus. Atq; iſtuc quoq; idem cœleſtibus uſu euenire animis credo, ſi ſic tecum congredi audeant. Non angelus igitur, non apoſtolus, non martyr, non propheta, præ te, iuſti dici poſſunt: ſunt tamen ea, quam tu illis præſcripſiſti, menſura ac fine. Tu uerò tanquã bonorũ oceanus, in immenſum indiffinitumq;, abſq; temporis ſpacio, aut locorũ intercapedine, protenderis. Ego itaq; meã damnans iuſtitiã, tuam imploro, iudiciumq; tuum illud ſeueriſsimũ, in quo me iamiam damnatum iri præſentiſco, deprecor. Id certè crudeliſsimus exhorruit Cain, cùm te (prò ſcelus) clementiſsimũ fugiens patrem, abiit profugus ſuper terram. Exhorruit & Iudas, qui ueniã non expectans laqueo ſe ſuſpendit. Haud eo ſanè modo tuum refugiunt iudicium pauperes ſpiritu, qui idcirco ſe à iure ſubtrahunt, contentioneſq; tecum in iudicio auerſantur, quòd tua à miſericordia ſolũmodo ſeruari expetunt. Illi uerò animi deſperatione fracti, uel ipſam eos inſequentem rogantemq; miſericordiam ſpreuerunt, atq; indignabundi reiecerunt. Quoquo igitur modo res ſe habeant, aut ſe habiturę ſint, illud mihi abs te perſuaſum eſſe gaudeo, quòd gratia ſeruari me oportet, quodq; nulla mea eſt iuſtitia quæ id mereatur, & quòd tuo ſemper, quoad uixero, egebo patrocinio.

Quia perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam, collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi.

Sicut mortui pridem, uertunt nonnulli: hoc eſt, qui multo antea tempore (ſeculum ſpaciũ erat centũ annorũ) mortui fuerant. Augent hæc omnia Vatis timorem (deſperationẽ non audeo dicere) & eſt ſenſus: Non ſolũ quidem hoſtis me capitaliter perſecutus eſt, uerumetiã id quod efflagitauerat aſſecutus, meã penitus proſtrauit uitã, deiecit, afflixit, ac demũ me eò loci compulit, ut planè mortuo perſimilẽ iudicarent. Alij de ſeruato in carcere ad mortẽ, cui omnia obſcura ſunt, ac pauoris plena, ſimilitudinẽ hanc eſſe exiſtimant. Vtrunq; enim ad ſignificandum tum Vatis animum in ſpelunca illa obſcura latitantis, tum illius affectum, qui iudicij Dei memoria perterrefactus, mortuis ipſis potius inuideret, quàm uiuis, etſi felicibus ac beatis. Nam dici facilè quî poſſet, quàm caliginoſo uiuunt

C uitæ genere & calamitoſo hi, qui grauem ſecum ferunt ſarcinam cõſcientiæ, quæ perpetua ueluti accuſatrix reum continuis diuerberat flagellis: urget: lacerat: exterrefacit: improperat: Miſerandum profectò ſpectaculum ac lachrymabile, cùm mens rea eſt, accuſatrix conſcientia, lex læſa cauſam actitat, memoria litem conteſtatur, ac demum iudicij timor reum peragit. Putás ne illum, qui ſic affectus eſt, poſſe aliud docere, quàm illud, quod hîc dicitur: Perſequutus eſt inimicus animam meam (en hoſtis audacia) humiliauit in terra uitam meam (en ictus propémodum immedicabiles) collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi (en hoſtis uictoria & triumphus.)

Et anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Obſtupefactum eſt cor meum, uertunt quidam, præmetu nimirum & dolore, ex uulneribus ab hoſte acceptis contracto. Frigent hîc, ſcio, iuſtiſsimi noſtræ ætatis homines, quippe qui nullius ſibi conſcij cùm ſint homicidij, aut furti, aut adulterij, hos animæ ſtimulos atq; anxietates ne tenuè quidem experiuntur. Cætera uerò, illa dico quę in animę theatro peragũtur, quomodo ſe habent: Quòd ſi nullus adhuc in te ſenſus eſt, id ſaltem cogita, quæ hîc dicuntur, ab innocentiſſimo dici Chriſto. Tuam ipſe bene nouerat ab æterno oſcitantiam. Idcirco pro te (quò doleas tandem) haſce doloris atq; amaritudinis notas æquè ac ſi ipſe ſolus ſceleſtiſsimus omnium eſſet, & tu iuſtiſsimus, promit dicens: Anxiatur, miréq; exagitatur in me ſpiritus meus. Quid? torquet ſeſe cor meum, atque ob uulnerum acerbitatem & dolorem obſtupeſcit, penéq; ſenſum amiſit. Verùm & tum quidem

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuũ tuarum meditabar.

En ſuauitas illa ac dulcor, quo tota animi aufertur amaritudo. Spem dico, quę ex geſtorum Dei memoria iam inde à primis annis in mortalium ſalutem exhi-
D bitorum oriri ſolita eſt. Vnde alio in pſalmo ita de priſcis Iudæorum patribus teſtatur, dicens: Clamauerũt ad dominum cùm tribularentur, & de neceſsitatibus eorum liberauit eos. Non eſt quidem tam uetus ætas, in qua non reluceat Dei in homines beneuolentia, appareantq; beneficia & gratiæ. quibus ſanè animaduerſis mirabiles excitari ſolent ſpei ſtimuli in anima, ut & ipſa aliquando eiſdem frui poſſe ſperare audeat. Obruor, dicet aliquis, culparũ cumulo. Audio: at uide, an ulla unquã fuerit ætas, in qua, qui paribus, aut grauioribus forſan premerentur delictis, inuenti ſint, & tamen efflagitantibus data eſt uenia. Illud tantum expetit numen, ut uſu peccandi abiecto execratoq;, te tuæ pigeat turpitudinis. Cætera Deo committe. Aititaq; uir fide uegetus: Ego illorum, quæ ſuperioribus operatus es ſeculis, nequaquam immemor, uaria illa quidem & multa, animo diligentiſsimè pertractaui, in illisq; contemplandis totus fui. Vnde actutùm meã ſenſi erectam eſſe puſillanimitatem, firmatam ſpem, atque omnino cognitã Dei uirtutem, quæ in inferenda ſuis ope nunquam non præſtò adfuit. (Ipſe, inquit Paulus, ſeruator eſt omnium, ſed maximè fidelium.) Quare ſpe hac niſus, prorſusq; animatus,

Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.

Iam diximus manuũ extenſione in ſublimi, orantis affectum exprimi. Cæterùm animi uehementer ægrotantis indicium eſt in hoc uerſu reticentia. Volunt nõnunquã ſuam exprimere miſeriam atq; indigentiam orantes, ſed ſingultibus intercepti narrationem amputant & interrumpunt. Vnde nõ abſq; ſpiritus conſilio hîc additur diapſalma. Anima mea, inquit, quæ terræ inſtar ſiticuloſæ, præ nimioq; æſtu fatiſcentis, aduſta facta eſt, tibi: uoluit dicere, anhelat, ſuſpirat, ingemiſcit: quandoquidem præ gratiarũ ariditate, nec quid appetat, nec quid uelit, integrè exprimere potis eſt. quaſi diceret, aridus, planéq; aduſtus ad aquas confugio. Atqui terra, quæ imbre aut fonte non irrigatur, herbis nequaquam ueſtiri poteſt, non abundat meſſe, non floribus, non fructibus: ita anima negato gra-

A to gratiarum irriguo areſcit penitus, atq; ut diuus inquit Gregorius, non operitur uirtutibus, non cogitat de cœleſtibus, & Deum eſſe magis ſuſpicatur, quàm perſuaſum habet, tantum abeſt ut quæ hîc dicuntur, intelligat. Suum quidem ignorans periculum, nullum, quod firmum ſit, implorare poterit auxilium, neq; id quoq; quod ſequitur percipiet.

Velociter exaudi me domine, defecit ſpiritus meus. Non auertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.

Clarius ex hebræo uertunt: Ne ſimilis efficiar deſcendentibus in puteum, ſeu foueam. Porrò uelociter, arctã ſubueniendi arguit neceſsitatẽ. Videntur mihi eæ uoces, uelociter, exaudi, defecit ſpiritus, hominem nõ iam cum metu aut dolore, ſed cum ipſo mortis extremo colluctantẽ præ ſe ferre. Ita nimirũ affecti ſunt, qui ſeriò ſuum aduertunt periculum. Cæterũ explicatius rem aperuiſſet, ſi proruentibus, ſeu decidentibus in lacum aut foueã, uertiſſet interpres: alioquin poteſt quis citra periculum in foueã & puteum ultrò ſenſimq; deſcendere: qui uerò decidit, is non abſq; maximo uitę periculo uel cadit, uel illic immoratur. In eodem omni no ſunt ſalutis diſcrimine, qui ab atrociſsimis, atq;, ut nunc eſt uſus, inexorabilibus oppreſsi perſecutoribus, aut dæmonũ inſidijs irretiti, ſine Dei auxilio cum infortunijs afflictantur. Clamat igitur Vates: Nõ auertas, quaſi indignabundus atq; iratus, faciẽ tuam à me, ſed placido mihi, ne deſperem, arride uultu, adblandi req;, ne illis ſimilis efficiar, qui in profundiſsimũ delabuntur puteum, qui abſq; dubio, niſi præſtò adſint qui ferant opem, ab aquis ſuffocantur. Exinde

Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperaui: notam fac mihi viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam.

Mane, ut aliàs admonuimus, Hebræis eſt ſæpenumero, confeſtim, tempeſtiuè, ualdeq; celeriter. unde illud eſt Dei apud Hieremiã: Miſi ad uos ſeruos meos
B prophetas mane conſurgens: hoc eſt, tempeſtiuè monens. Ita in hoc quoq; loco ſumi debet, ut planè idem ſit quod in ſuperioribus precatus eſt, dicens: Velociter exaudi me domine. Quare ſic uertit quidam: Ocyus annuncia mihi bonitatẽ tuam, te enim fido. Verùm, mane neſcio quid prætendit efficacius, quàm ſi ſimpliciter dixiſſet, celeriter, aut maturè: ſpectat enim ad præteritam anguſtiarũ noctem, ualetq; perinde quaſi pronũciaſſet, diſiecta perſecutionũ, tentationumq; obſcuritate ac nocte, ſplendidum ſuccedat mane, quod tua mihi euehat clementia. A te quidem quantuſquantus ſum pendeo. Quocirca uia illa recta, qua itur ad te, per te mihi innoteſcat. Ad te, non amplius ad me, aut ad uana hominum ſuffugia cor meum dirigo, atq; à terræ craſſamento eleuo: hoc tu rege, affla, lumenq; illi, ne in tetro iſto uitæ labyrintho hallucinetur, admoue. Ad hæc,

Eripe me de inimicis meis domine, ad te confugi.

Nõ paruæ quidẽ ſecuritatis eſt confugere ad Cæſarẽ: ſed immenſæ omnino, ac certiſsimæ, ad dominũ, in quo tota animarũ, nõ modò corporũ poſita eſt quies. Ex hebræo uertunt quidã, Ad te obtego: ſeu, ad te latiturus cõfugi. Poſſunt ſanè homines procella aliqua aduerſitatũ acti in ædita atq; hoſtibus inacceſſa ſeſe loca recipere, antraq; & ſolitudines habitare: uerùm à Deo, quòd tuti ſint, expectandũ. Vide igitur quid de ſe beatiſsimus teſtetur Vates: Tametſi, inquit, locũ hunc abditũ, in quo latêre poſsim, me nactum eſſe exiſtimem, id tamẽ nihil prorſus eſſe arbitror, niſi tu ſerues, ac me ab hoſtiũ manibus eximas. Quare, ô tu qui potes, me eripe, ad te enim confugio, te inuoco, te meum eſſe latibulum, atq; inter tot rerũ pericula, defenſorem uolo. Eia tu (eruditores iſtos indoctos faſtidio)

Doce me facere uoluntatem tuam, quia Deus meus es tu: ſpiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

In uiã rectitudinis, uertit Fel. Alius uerò, in terrã innocentię. Vocat uiã rectã, ſeu terrã innocentiæ, uiã iuſtitiæ, rectũ nempe uitę inſtitutũ. Cæterũ ſpiritus Dei bonus, eſt ipſe ſpiritus ſanctus: quẽ bonũ idcirco appellat, quia omnis ſpiritus humanus, præ illo, prauus eſt & erroneus. Clamat proinde Neemias: Spiritũ tuum

C bonum dediſti eis, qui doceret eos. Cui & tanquã umbræ corpus illud ſuccinuit euangelicũ: Et docebit uos, inquit, omnẽ ueritatẽ. Huius ſanè ductu atq; auſpicio uię illę, quę aſperæ uidentur & inamœnæ, planæ prorſus efficiunt & delectabiles. Spiritus is eſt Dei, quo ſi quis imbuit, deiformis omino fit, atq; ad capeſſendas eiuſcemodi iuſtitiæ ſemitas idoneus. Ideo haudquaq; mirũ eſſe debet, ſi qui iſtiuſmodi donati ſunt munere, diuinum quiddã præ ſe ferant in terris: ab omni quidem libidine immoderata alieni, cæteras facilè ſuperant uoluptates. Calcato quippe mundo, in cœlis cum Deo iam ſuas habẽt manſiones, uitamq; iſtã ærumnoſam, peregrinationẽ, & ſe mũdi peregrinatores, nõ ciues, appellare ſoliti ſunt. Non te igitur iam præterit, quid boni afferat ſpiritus huiuſcemodi bonus Dei. ab humano autẽ quod bonũ prodire queat nõ uideo, cùm natura ſuperbiſſimus ſit, atq; mundanarũ rerũ appetentiſſimus. De utroq; enim ſic loquitur Vates quidam: Spiritus leuauit me & aſſumpſit me, & abij amarus in indignatione ſpiritus mei. Spiritus igit tuus, ô dñe, nõ huius mundi, ſeductor nimirũ trahax, impurus, procax, doloſus, fugax, per eam me ducat ſemitã, quæ ad te ducit rectà, quæ tua æterna eſt uoluntas, doctrinaq; ſpiritus: nam Deus meus es tu. Quocirca

Propter nomen tuũ domine uiuificabis me, in æquitate tua educes de tribulatione animam meã.

In iuſtitia tua, uertunt ferè omnes ex hebræo. ut ſit ſenſus: Nullum hîc meum iacto meritum, aut oſtento arbitriũ: ſed id duntaxat oro obteſtorq;, ut propter nominis tui maieſtarem, mihi uitam iamiam ab hoſtibus interceptã reſtituas, atque in iuſtitia tua, non mea, ſorde omni impuriori, ex his, quibus penè obruor, aduerſis, educas animam meam.

Et in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos, & perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego ſeruus tuum ſum.

Tua hîc res agitur, ô Deus: etenim quoniam ego ſeruus tuus ſum, idcirco impetor & affligor. Si quidem de mundo hoc eſſem, ſuum mundus diligeret, nõ per
D ſequeretur: nunc uerò & te, & qui te amant, odit. Verùm non id dico, quòd tuam me demeruiſſe gratiã arbitrer, ſed tuã ſolùm imploro miſericordiam. Per ipſam igitur obteſtor te, ut crudelẽ in me hoſtium compeſcas rabiem, iram frænes, atq; impuriſſimos illorum cœtus, qui non tantùm in me, quantum in tuam conſpiraverunt religionem, ſubuertas. Factioſos hæc lues terræ deamat: non pacificos, & eos quidem qui nihil habent antiquius, quàm ut in te uiuant, mortemq; tandẽ in te oppetant tranquillam. Cui laus ſit æterna. Amen.

PSAL. Dauid CXLIIII.

Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.

Compoſuerit'ne hunc pſalmum uates ob inſignem illã & famoſam cõtra Goliath Philiſtæorũ ducem uictoriã, an ob aliã, ignotũ eſt penitus. Illud uero notũ, ſynceras hîc Deo agi gratias ob deuictos hoſtes, ſuamq; in regnum reſtitutionẽ, in quo tum cuncta amœnitate floruiſſe uiſa ſunt. Nos interim à Vatis mente non longè diſcedentes, ad animũ hæc omnia, ut par eſt, traducere cõdiſcamus. Et quemadmodũ frigidi omino atq; ieiuni ſunt ſenſus, qui in enarranda ſolũmodo geſtarũ rerum ſerie immorant: ita parũ calidi, imò inepti exiſtimari à doctis hi ſolent, qui ad allegorias, omiſſa interim litera, actutũ tranſeũt. quare tertiũ quoddã interpretãdi genus inuentũ eſt, atq; à ſpiritu Dei ſancto adminiſtratũ, quo pulcherrimã utriuſq; ſenſus, tanq; licia uerſicoloria, intertexẽtes picturã, uti cõſueſcunt eruditiores. Quod & nos ſecuti, etſi nõ aſſecuti, utcũq; noſtram hãc ordimur telã, atq;, ut in cæteris actũ eſt pſalmis, cum ſapientiſſima Vatis anima, ſic diuinã extollimus bonitatẽ, admirabundiq; exclamamus: Benedictus dñs Deus meus, qui docet manus meas ad præliũ, & digitos meos ad bellũ. Illud in primis dicendũ uidet, multa in hoc eſſe pſalmo, quę ferè in XVIII. habentur: ideo nõ omnia exactè admodũ, ne idem ſæpe dicamus, hîc tractabunt. Laudat

A dat propheta Dei uirtutem, illíq; gratias agit, quòd hoſtes ſuos proſtrauerit. Laudandus eſt, inquit, dñs & Deus meus, qui cùm pugnandum eſſet cum hoſtibus, meas edocuit manus arma cõtrectare, ac digitos, quibus potiſsimũ tela iaciunt, enſiſq; uibratur, diligentiſsimè perarmauit. Sed arma quæ ad animum attinent, pulchrè ab armamẽtario Pauli deligi poſſunt, qui ſuo primũ militi baltheũ accinxit caſtimoniæ, loricam deinde iuſtitiæ, ocreiſq; in præparationẽ Euangelij pacis ſuras deuinxit: fidei ſcutum poſtea deauratum ſiniſtro allígauit humero, caputq; ſalutis galea cõmuniens ei, tandem optimè collimatum obtulit gladiũ uerbi Dei. hæc ſanè eſt Dei armatura, qua induta anima, iam ualet, ut ipſe ait, contra diaboli inſidias, atq; doloſas illius artes conſiſtere. Quantum (prò) laudibus dux efferendus eſt noſter, qui tam diligenter ſuos armat milites, quíq; eos admonet & inſtruit, qua animi uirtute cum hoſte cõcurrendum ſit, quando eminus, quando cominus, uel cęſim, uel punctim res peragi debeat, edocet, hortaturq;, & ne niſi uictores ex acie ſecedãt, canantq; receptui, imperat. Interim uerò miles, ſi ſapit, ne momentum quidem temporis à dũce, aut ducis uexillo (ea eſt crux) detorquet oculos, in medioq; ipſo prælij ardore conclamat:

Miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus, & liberator meus. Protector meus in ipſo ſperaui, qui ſubdit populum meum ſub me.

Notat Felix, populum meũ, & populos, abſq; pronomine legi poſſe. Diuus etiã Hieronymus populos legit. ut ſit ſenſus: Ipſe dominus turmas illas hoſtium penè infinitas mihi ſubdidit. Quòd ſi populũ meũ mauis legere, ad obedientiã diſciplinamq; militarem referendum cenſeo. Nihil propemodum tam celeriter militum diſsipat alas, & cuneos in ordinem digeſtos, quàm inobedientia atque confuſio. Quod quidem uitium ſuo in exercitu minimè fuiſſe aſſerit Dauid, cùm inquit: Qui ſubdit populum meum ſubtus me, nempe Deus: cuius auxilio fretus gigantem illum immanem Philiſtæorum ducem obtruncauit, indeq; paſsim fu-
B ſi fugatíq; hoſtes, maximam opum uim, munitionumq; & impedimentorum, Iudæis in illorum caſtra irruentibus reliquerunt. Tantáne unquam expectari potuit à populo illo ingratiſsimo Dei beneuolentia?

Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum? Homo uanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut umbra prætereunt.

Admiratur Vates, quî fit quòd Deus, tanta ſcilicet maieſtas, tam ingens, tam incomprehenſibilis, uaniſsimæ rei, ſomnoq; ſimillimæ, ut homo eſt, curã habeat? Hæc eadem admiratio in pſalmo octauo, ſubindeq; mortalium uanitas in trigeſimo nono copioſiſsimè ſunt ſcripta, atq;, ut dedit ſpiritus, expoſita. Illic enim: Vniuerſa uanitas omnis homo uiuẽs. hîc uerò: Homo uanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut umbra prætereũt. Certè ſi uitã hominis inſpectas, mera eſt umbra, imagoq; rei potius, quàm ipſa res. Nihil ſanè uelocius uita hominis: uix natus interit, & id quidem tanta celeritate, ut uentos ipſos quoq; perniciſsimos anteuertat. Ex hebræo reddunt: Quid eſt homo quòd agnoſcis eum? hoc eſt, quid audiſti in homine, ut eum agnoſcere digneris? quòd eum tam charum habeas? quòd foueas? quòd extollas? tantum (res mira) non feciſti illum Deum.

Domine inclina cœlos tuos & deſcende, tange montes & fumigabunt. Fulgura coruſcationem, & diſsipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

Hæc rurſus in pſalmo habentur decimooctauo. Optat Vates ut Deus terrificis ſeſe oſtendat ſignis omnipotentem, alioquí nulla re alia ſuos exterrefaciendos hoſtes. Alludit enim ad montẽ Sinai, in quo horrẽdis data fuit lex portentis & terræmotibus, quippe quæ lex fuerat timoris & pœnarũ. Imò uerò populus ille contumax & rebellis, iſtiuſmodi potius minis & terroribus à peccatis arceri conſueuerat, quàm beneficijs. Quare in accipienda in monte lege, aut ab arca Dei uoce, adeò perterrefacti ſunt, ut in Moſen aliquando indignabũdi exclamauerint: Loquere tu nobis, non loquatur nobis dñs, ne fortè moriamur. Ita in ſubiugandis Dei hoſtibus non tam uiribus atq; armis, quàm diuinis cœlitus miracu

C lis, ſignisq; de cœlo emiſsis, uſi ſunt: atq; hoc ſanè modo quid non audebant? Ad hunc itaq; Dei morẽ, in ſubueniendoq; ſuis conſuetudinẽ, ut uides, recurrit Vates. Paraphraſtes, montes ad hoſtium ſuperbiã referens, ſic reddidit uerſum: Percute ſuperbos illos reges, qui montibus uidentur ſimiles, ſentiant iram tuã, & ueluti fumus euaneſcant. Sed hæc ad allegoriã pertinent, quæ propémodũ hîc neceſſaria uidetur. Cæterũ, inclinari ſeu demitti cœlũ à Deo dicimus, cùm montes nubibus, globisq; caliginoſis tegi facit: tangitq; montes, quando eos fulminibus tanquam ſagittis ferit: qui fumare porrò apparent, cùm uapores illos ſpiſſos ac nigros attollunt, atramq; euomunt caliginem: quæ quidem omnia ſi fulgetris potiſsimum ac tonitrius cõmixta cernunt, quãmaximo afficiunt metu homines. Verùm ad aliud timoris genus, fumumq; alium, & montes, transferenda hæc eſſe uult ſpiritus: de quibus cùm nõnulla in ſuperioribus pſalmis ſint dicta, expoſitaq; à nobis, ad alia conſideranda deſcendamus.

Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum. Quorum os locutum eſt uanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.

In alio pſalmo, quod hîc rogat fieri, factum eſſe cõmemorat. Miſit, inquit, de ſummo, & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis. Aquas multas uocat aduerſitatum cumulum, & procellam, ut illic declaratum fuit: filios uerò alienos, filios iniquitatis, à Dei nimirũ religione extorres: quos ſanè ueluti digito cõmonſtrauit cùm dixit: Quorũ os locutum eſt uanitatem, & dextera eorũ dextera iniquitatis. hoc eſt, & lingua, & actione uani ſunt, fallaces, perfidioſi, & ſimulatores. Ab hiſce quidem monſtris, tanquã à Minotauro quodã infami & ſæuo, aut Cerbero etiam, ſancti Dei uiri non iniuria unà hîc cum Vate petunt eximi: quoniam id iam longo perdidicere uſu, pij animi tranquillitatẽ ab impudenti iſtiuſmodi hominum colluuie mirandum in modum diuexari ſolitam. Dexteram itaque uocat iniquitatis, actiones illas hominum nefarias, quibus nobis impone-
D re cõſueſcunt fraudulenti. O quis me, inquit, à tam ſceleſta perfidioſorum hominum reparabit conſuetudine? Quis tam impiè dirus fuit, qui meam auſit dolis mendacijsq; interturbare uitę quietẽ? Verùm à cœlo (ſat ſcio) tota hęc expectanda fuit, eſtq; impræſentiarum uictoria: qua ſanè impetrata, quid amplius in terra aueo? Ergo

Deus canticum nouum cantabo tibi, in pſalterio decachordo pſallam tibi. Qui das ſalutem regibus, qui redemiſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno.

Tum, inquit, nouam te laudandi, in nablo q; & decachordo tibi pſallendi me occaſionem nactum arbitrabor. Te dico, qui non ſolùm cunctis generaliter hominibus opem ferre ſolitus es, uerumetiam ipſis potentiſsimis regibus atq; magiſtratibus, & id genus alijs in mundo hoc conſpicuis. Puto equidem de regibus peculiariter mentionẽ hîc fieri propterea, quòd cùm Dei uicem in terris gerant, ſpeciali quoq; à Deo tutela gubernantur. Nihil ſanè iucundius, addo & uniuerſo orbi utilius contingere poteſt rege integro, ſapiente, atque religionis Chriſti defenſore. Is certè plus quàm homo eſt. Heu quid audio? Verúm ne eſt Otomanorum claſſem Chriſtiani regis ſtipendijs accitam, atq; ipſius iuſſu in Chriſtianorum uiſcera (malum) obtruſam? O tempora, ô ætatẽ pluſquã ferreã. Hucuſq; direpta eſt Nicea, ſtupratæ uirgines, abductus q; ui populus, ac demum diruta & exuſta eſt ciuitas. Futuræ calamitatis hoc eſt præludium. Sed ad pſalmũ. Gladiũ malignũ pro ſubobſcuris doloſisq; inſidijs metaphoricè hîc poni cenſeo, eodem ferè modo, quo Maro lunam malignam appellauit. Mirum quàm inter cætera nefandorum hominũ uitia, ſemper maiori deteſtatus ſit ſtomacho dolos & fraudulentias candidiſsimus Dei uates. Quare non abſq; cauſa faſſus eſt ſe canticum nouum, tanquam de re omnium difficillima exorata, ſi à perfidioſorum hominũ inſidijs immunis extitiſſet, cantaturum: inculcatq;,

Erue me, & eripe me de manu filiorũ alienorum, quorum os loquutum eſt vanitatẽ, & dextera eorum, dextera iniquitatis. Quorum filij ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua: filiæ eorum compo-

A *compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi. Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud, oues eorum fœtoſæ abundantes in egreſſibus ſuis. Boues eorum craſſæ, non eſt ruina maceriæ, neq; tranſitus, neq; clamor in plateis eorum.*

Id enim eſt quod tam ſæpe noſtros olim doluit maiores, & in præſentia quoq; illos dolet, qui impiorum ſortem miſerantes, altius neſcio quid contemplantur, illorum ſcilicet fortunas, dignitates, honores, rerumq; omnium lautitiam & felicitatem, ad maiorem illis data eſſe miſeriam. Putāt inſani neminem poſſe eſſe felicem, qui his careat: imò miſerrimum illum appellare ſoliti ſunt, qui aut hæc nō obtinent, aut adepta mittunt. Idcirco in maximam illos decidere miſeriam neceſſe eſt, cùm illa uel caſu aliquo inopinato, uel per mortem ſaltem, rem certè ineuitabilem, deſerere compelluntur. Vide igitur quomodo in hoc pſalmo, quod & ſæpenumero agere conſueuit, hos deplorat, ſimul & deridet uanam iſtam mundi felicitatem. Nam ſimulatq; filios illos uocauit alienos, hoc eſt, ſpiritu Dei uacuos, quorumq; uerba uana eſſent, atq; actiones ſubdolæ, ad res illas enumerandas, quas illis miſeriam comparaturas eſſe præuiderat, etſi felicitatem promittere uiderentur, ſeſe conuertit, dicens, numeroſam illis fore ſobolem, acuti plantam mirè auctam, ornatamq; in adoleſcentia ſua: pecora deinde multa & fœcunda, uim tritici ingentem, incolumitatem, pacem, atque omne bonum. Quid eiuſmodi poſſet addi opulentiæ? Vide horum ſtultitiam, ac ineptam geſticulationem:

Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.

Comparat igitur Vates illorum filios teneris elegantibusq; arbuſtorum plantis, frondibus nimirum, ac floribus onuſtis & amœnis: filias uerò, templi angulis undiq; ornatis. Quemadmodum, inquit, in feſtis diebus totum ornatur templum, ſic illorum filiæ pulcherrimo gradiuntur mundo: nulla quippe eſt illarum
B pars aut angulus in membris, quin tota ornata ſit. Immenſum ſanè amantiū ad libidinem illiciū, ut perbellè meriti ſunt, qui huiuſmodi, ut hîc depingit ſpiritus, ſunt patres. Teſſellati anguli, uertit Felix: quod quidem ad diuitū puellas, quæ ab imprudentiſsimis parentibus uenum exponuntur, quadrare mirum in modū arbitror. Nōne illæ teſſellato ſectiliq; propémodum opere compoſitę tibi uidentur, cùm purpuriſſo, ceruſſaq;, minio & ſtibio, fuco nimirū uariegato pictæ in publicum prodeunt? Quid onera catenarum? armillarū? inauriū ex unionibus auroq; fuſorio elaboratarum memorem? Veſtes omitto uerſicolores, ne ex opere tarſeato, muſæacoq;, ad upupas aut pauones effigiandos tranſire uidear. Sat ſit igitur ſuam Chimæram uecordibus impegiſſe parentibus, ne dicam maritis. Cæterùm, ex hoc in illud, id habet ſignificati, quòd illorum promptuaria, ſeu, quod uox hebræa uelle uidetur, penuaria, adeò ubertim implebuntur, quòd futuri anni fruges in præteritas refundentur, uenienteq; unius anni prouentu, alium cedere, tranſportariq; peropus erit: atq; hoc modo non ſolùm penus atq; horrea, uerumetiā anguli (ſic hāc uocē interpretaī Felix) grano, atq; omnis generis annona exuberare uidebunt. Ad hęc oues eorū fœtoſæ abundantes in egreſsib. ſuis, etſi eiuſmodi præferre ſenſum uideī, quòd fœtū adeò copioſum ædent, ut egredientes è caulis maximā ſpectantibus afferent uoluptatem, tamen ex hebræo maiori reddi poſſet efficacia ad hunc modum: Greges quoq; millia producent, & centena millia generantes in uicis noſtris: ualeq; perinde ac, adeò illorū greges augendos, ut omnes circumiacentes impleturi ſint uicos. quod ſi ad uerbum redderetur, latinæq; aures paterentur, myriadificantes uerti poſſet. Immenſum hîc numerum uult intelligi. Boues eorum craſſæ, per maſculinum genus aptius reddidiſſet. quanquam ex hebræo, boues ualidi, transferunt, ſeu oneri aſſueti & idonei: hoc eſt, qui ad agriculturā, plauſtraq; trahenda ualidi ſunt. Poſtremò, ut rem tandem, inquit, abſoluam, nulla eſt ruina, nulla diſcordia, querimonia nulla. Nemo tam audax eſt, qui illorum diruat maceriem, pertranſeatq; illorum ſata, aut uineas, aut hortum, ſepesq; à loco moueat, atq;, quò damnum aliquod inferat, cir-

c cumpoſitas exurat uepres. Nullus eſt clamor miſeriæ, nullus afflictionis, nullus calamitatis? Quid? Non eſt qui in illorũ irrumpat fortunas, hoſtis, neq; qui à propriis eos emigrare compellat laribus: nullus tandem in illorum plateis auditur plangentium ululatus, ſed tympana, ſed tibiæ, ſed plauſus, ſed choreę, ſed lętitiæ cantica. O, inquiunt, fortunatũ populum cui huiuſmodi contingunt bona. Vos ſtultos potius dixerim: ego enim ſecus rem pondero: non uos utiq; beatos appello, non felices, non tranquillos, ſed dico, inculcoq;, quod ſolus ille eſt

Beatus populus, cuius eſt dominus Deus eius,

Licet bonis omnibus illiuſmodi careat, atq; à mundo iſto ueſtro ludibrio habitus ſit, ac fabulæ. Calculis ſanè omnibus feliciſsimũ illum eſſe pronuncio, qui Deum habet. Neq; proinde quidem diuitias reprehendi hîc opinor, ſed illos qui diuitias adorant, hoc eſt, qui mundum Deo proponunt, eumq; propter diuitias offendere non reformidant. Iam illud ultimò notandum, Hebræorũ interpretes ad Vatem, atq; illius populos hæc omnia referre, quòd pia quædam illius ſit precatio ad opima illa bona, ipſo regnante, populis ſuis concilianda. Vnde illi ſic reddunt: Penuaria noſtra plena ſint, greges quoq; noſtri, filij noſtri, filiæ noſtræ, boues noſtri. Et ſic uolunt Vatem ad ſe omnia adaptaſſe. Verùm cùm rem penſiculatius diſcutere libuit, aduerti tandem ea magis à ſuperbis illis diuitibus, quorum os loquutum eſt uanitatem, prolata eſſe: unde quæ iſtiuſmodi fuerit illorum uanitas, in iſtis expreſsit uerſibus. Poſtquam igitur dixit os eorum loqui ex more uanitatem, paulò pòſt intulit quid ſint loquuti. Penus, inquiunt, noſtri pleni ſunt. atque in hunc modum cætera quæ ſequuntur ſibi petulanter arrogantes, in hanc demum dilabuntur animi impietatem, ut illos uerè beatos clamitent, quibus bona illa à mundo ſuppeditentur. Quos tamen caſtigans ſpiritus, illos ſolummodo beatos nuncupat, quibus dominus, non diuitiæ, non celebritas, non dignitas, eſt Deus: hoc eſt, quibus Deus pro omnibus ſufficit bonis, Cui laus ſit
D in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. CXLV. Laus Dauid.

EXaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Ex pſalmi inſcriptione facilè dignoſci poteſt etiam argumentũ. Laudes hîc Dei ob beneficia, quæ effuſiſsimè in omnes, tanquam puriſsimas aquarũ è fonte uiuo ſcaturigines deriuat creaturas, celebrant. Et quidem extra uires poſitum eſt humanas, immenſam beneficiorũ illius congeriem erga homines poſſe uel ore effari, uel mandare literis, aut cogitationibus aſſequi, adeò infinita illius eſt liberalitas, cuius opera, potentiam, ſplendorem, mirandas res geſtas, clementiam, iuſtitiam quoq;, qua impium gratis iuſtificat, patientiam qua peccantes ad pœnitentiam præſtolatur, miſericordiamq; qua noſtras nobiſcum deflet miſerias, prouidentiam tandem, unde omnibus ſubuenitur creaturis, non eſt cor tam eruditum, aut rimandis rebus cœleſtibus aſſuetum, quod cùm perueſtigare nititur, non laſſeſcat, non uel in ipſo primo limine cæcutiat. Audet tamen mens pia, & quod nequit aſſequi intellectu, amore ſaltem ac deſiderio ſubguſtare contendit. Procax, ut ſic loquar, amor eſt, nec ferè, etiam impoſsibilia pertentans, erubeſcit, raroq; in ſuo laudando amato defatigatur, ut in hoc pſalmo uidere licet, cùm ait:

Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum & in ſeculum ſeculi.

Primus enim uerſus ab Aleph incipit, ſecundus à Beth, tertius à Gimel. Et ſic ſeruato per ſingulos uerſus ordine alphabeti, ad calcem uſq; protendit pſalmus. Illud cõſiderandũ, iſtiuſmodi Dei laudes uix abſq; peccati nota proferri poſſe, niſi ab anima, quæ frequenter & ſuauis ſit dominus experit. Puriſsima quidem omnia eſſe debent, quæ ad Dei attinẽt religionẽ, cuius potiſsima pars eſt ac nobiliſsi

ma,

A ma ſanctum Dei nomen laudibus efferre. Laudes uerò illas, quę in templis ab im
pudicis cõtaminatisq; celebrant animis, cuiuſmodi uocari debeant nomine, me
ignorare fateor. Aut hi quidem ita duri ſunt & ſtupidi, ut nullã de Deo omnino,
quæ tanto digna ſit numine, conceperint opinionẽ, aut in malis obdurati in Deũ
ultrò iniurij ſunt. Danda eſt igitur opera, ut cor totum prius à terrenarum rerum
craſsitie releuet, quàm cum Deo, qui puriſsimæ eſt naturæ, loqui incipiat. Porrò
terrenarum rerum craſsitiem appello, nimium erga illas amorem, libidinem, aua
ritiam, ambitionem, carnis cõmoda, delicias, irritamenta nimirum uenerea, & cę
tera id genus mollia, quibus eneruatur animus, terrenusq; penitus fit, atq; à Deo
alienus. Nihil ſanè à terra, terræq; uiſco ſuſtollit, qui huiuſcemodi irretitus eſt af-
fectibus. A quibus quidem propheta, qui ut Chriſti, ita & omnium qui ſunt Chri
ſti, typus extitit, abhorrens, alio omnino motu animi ſic ſuas orditur ad Deum
laudes: Exaltabo te ô Deus meus, ô rex, ô qui condita omnia præclariſsima mo-
deraris ratione ac prouidentia. Te magnificabo, tuumq; ſanctum nomen, quoad
eius uixero, laudabo. Et id quidem per dies ſingulos. Dies autem? Imò uerò per
ſingulos dierum horas, per ipſa quoq; minutiſsima horarum momenta te laudi-
bus extollam, ac tuã mirabilem perpetuò, ultraq;, ſi fieri id poteſt, celebrabo ma-
ieſtatem. Certè

Magnus dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.

Nimis, quod ſæpenumero diximus, pro ualde, ſeu, ut interpretat Paraph. mo
dis omnibus uertit interpres. Puto hîc Vatem nõ tantum ex pulcherrima rerum
effectione, quantũ ex mortaliũ dignitate, atq; à morte per ipſum Deum redem-
ptione, quam tum præuiderat, Dei magnitudinem conſideraſſe. Quamuis enim
ſemper, atq; in omnibus magnus apparuerit Deus, in redemptione tamen homi
num magnitudinem omnem, & ſeipſum quoq; (ſi ſic de Deo loqui conuenit) ſu-
peraſſe uiſus eſt. Vide itaq; quãto id animi ſtupore, atq; admiratione proferri de-
B beat: Magnus eſt dominus. Quis tam immenſam potis eſt ſcrutari magnitudi-
nem? nónne omnem illa excedit hominum inquiſitionem? nónne conatum? non
ne laudem? Et tamen noſtro à nobis modulo laudandus es, atq; inquirendus, ô
altiſsime. Siquidem ut ius ipſum tum diuinum, tum humanum poſtulat,

Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt.

Generatio generationi, ſeu, poſteritas poſteritati opera tua laudabit, uertunt
ex hebræo. Vnde ſic Paraphraſtes: Generatio una ueluti per manus tradet alteri
laudes operũ tuorũ. Vide gratiſsimarũ erga Deum mentiũ argumentũ. Propriũ
id eſt parentũ munus, ita liberos diuinis imbuere perſuaſionibus, ut & illi, quod
in poſteros deinceps effundant, habeant. Atq; hoc modo ſanctiſsima Dei in ter-
ris conſeruat religio. Ita ueri agunt paſtores, ita præſules, ita epiſcopi. Quod ſanè
nõ ignorans Paulus, ſic ſuum admonet Timotheũ: Quæ audiſti à me, inquit, per
multos teſtes, hæc cõmenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios doce
re. Atqui ocioſum non debet eſſe Dei uerbũ in terris, neq; alicui abſq; ſpe fœno-
ris irrogatur. Idcirco enim ad multitudinis imperiũ, conuentuumq; hominũ gu-
bernationẽ in Dei Eccleſia conſtituuntur Epiſcopi, atq; cæteri antiſtites, ut ſunt
inter meæ profeſsionis homines, Abbates, Præpoſiti, & illi quidẽ qui nouis ad-
huc in huiuſmodi uiuendi ratione inſtituendis præponunt adoleſcentibus (alij
penè gradus ſuperuacanei ſunt, nec ſi diuus nunc uiueret Benedictus aliter ſen-
tiret) ut candida ſint uerbi Dei uaſa, è quibus tanq; ab aureis aquarũ uenis mira-
bilis illa, uiuaxq; ſpiritus doctrina, qua ex hominibus propè dij efficiunt audito-
res, manare ſolet. Ab iſtiuſmodi quidem heroũ genere, qui ſcilicet noſtræ aman
tiores ſunt ſalutis, & rerum noſtrarũ, ſuffragiorũ, prenſationũ, aut (ut uocant) be-
neficiorũ & penſionũ, toti ſpirituales reddimur, atq; illis prorſus ſimiles, graues
nimirũ, eruditi, noſtrî in re ſpiritus haud abſimiles, atq; in Dei obſequio ne digi-
tum quidem à maiorum degenerantes inſtitutis. Quare illud aſſerere poſſumus:
ſi quid à ſubditis peccat, à patrumq; decretis, laxioribus ueluti habenis deflecti-
tur: aut ſi ſtatur, ſeruanturq; maiorum inſtituta, atq; in primis lex ſpiritus, ac ignis

c ille tam Deo charus, quem mutuam appellare dilectionem libeat, intactus, à fumóq́ immunis reparatur, id totum noſtris paſtoribus, qui noſtrã ſuæ uolunt eſſe obnoxiam uoluntatem, acceptum referri debet. Sed ad pſalmi dilucidationem hiſce non ab re delibatis reuerto. Potentiam tuam, omnipotentiam illam in Deo intelligit, cuius uirtute condita omnia in lucem prodiere. Ad hæc,

Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Et Virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.

Paulò aliter hos duos uerſus reddunt alij. Sic Felix: Decorem gloriæ magnificentiæ tuæ, & uerba mirabilium tuorum loquar, & uirtutem terribilium tuorũ dicent, & magnitudinẽ tuam narrabo. Hac ſanè uerborũ amplificatione uult Vates intelligi Dei bonitatem in omnes effuſam creaturas. Verùm, ut quod ſentio, proferam, ad Chriſti glorificationem reſpexiſſe Vatem arbitror, qui ſe maximè conſpicuum mundo præbuit per miracula, per crucem, per doctrinã ſpiritus, per reſurrectionẽ, per felicíſsimũ ſuum ad patrem reditum. In his omnibus cunctis latè mortalibus illius patêre potuit magnificentia, uirtus, decor, ſplendor, ſanctitas, omnipotẽtia. Immenſiſsima quidem fuit uirtus crucis. Aut ego quidem quæ non ſunt ſomnio, aut abſolutiſsimã Dei notionem in rudi illo, undequaq́ tamen ſuauitatem amoris ſpirante, ſtipite uidere mihi uideor. Vt cæteri è crucis diuitijs afficiantur, diteſcantq́, neſcio: ego in illa non minus Deum contemplari ſoleo, quàm alij forſan in tertio illo Pauli cœlo, in quo quędam humanis auribus planè inaudita & inſolita ſe uidiſſe teſtatus eſt. Omne certè bonum in cruce Chriſti ineſſe ſentio, ſimul ut ab illa Dei filium pendêre, paſsimq́ infinitę ſuæ ſapientię, uirtutis charitatisq́ liquorem etiam in hoſtes effundere conſpicio. Id quidem ſenſiſſe Vatem puto, ubi tam amplam uerborum Dei magnitudinem referentium aggregauit congeriem. Scio equidem non mediocre diuinæ eſſe prouidentiæ ac
D ſplendoris ſignum, contemperatas temporum mutationes, florentes item campos, fontes uiuidos, maria, fœtus arborũ, terramq́ uarijs ueſtitam fructibus atq́ animantibus, uentos, grandinem, nimbos, fulgura, ſolisq́ lampadem illam uniuerſalem, lunam, ſtellas, addo & diluuia, incendia, terræmotus, & uaſtos hiatus, famem, bella, peſtem, atq́ innumeras propè animantiũ ſpecies tum in mari, tum in terra, tum in aëre quoq́ degentiũ. Verùm his omnibus quiddã maius ac ſplendidius eſt crux Chriſti. Tamen & hæc & illa tanquam diuinæ maieſtatis potentiam ac bonitatẽ teſtantia, noſtris prædicanda ſunt poſteris, non fabulæ, non næniæ, aut quę ad morum corruptionẽ faciunt, cõmemoranda, quò & illi alijs in poſterum enarrent, alijq́ alijs. Interea autem omnis pariter

Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & in iuſtitia tua exultabunt.

En crucis ſumma, amor & fides. Suauitas quidem ad amorem attinet, iuſtitia uerò ad fidem, per quam iuſti effecti pacem habemus, ut inquit Paulus, ad Deũ. In uulneribus igitur Chriſti, in quibus ſuum habent nidum amor & fides, pernatat anima: unde ſuauitates illas ſpiritus ineffabiles à ſponſi ſanguine epotatas, quia exprimere nequit, eructat, atq́ è puriſsimo (ut ſic loquar) ſtomacho uomit potius, q́ ordinatè porrigit. Hi nempe ſunt affectus ſpiritus, ad quos quidẽ nanciſcendos longo, atq́ adeò pertinaci opus eſt exercitio. Pertinaci dico, propter illos qui à ſpiritu in carnem facilè dilabuntur. Delicata certè uia eſt crucis, &, ut ita dicam, moroſa, quippe quæ purgatiſsimũ, firmumq́ poſtulat obſequiũ. Etenim hodie incredibili aduri flamma ad amorẽ crucis, cras uerò aut ad ſummũ perendie ad amorẽ mundi, defectionis animæ à Deo ſignũ eſt, ne dicã ſummæ leuitatis argumentũ atq́ amentiæ. Quantos (prò pudor) in adoleſcentia ardere uidi, in ſenectute uerò, quæ propria ſanctitatis ſedes eſt, adeò refrixiſſe, ut planè ignẽ illum puerilem fuiſſe, atq́ ab animi leuitate profectũ iudicarem. Quòd ſi tamen optimum fuit exordium, & maturè præmeditatũ, uicti nihilominus itineris difficultate plerique, planiorẽ poſtea aggreſsi ſunt uiam, atq́ ita ſpiritũ extinguentes, in turpiſsimã, cunctisq́ moleſtam incidêre ſenectutem, non iam ut prius diuini

amoris

A amoris ſuauitatem eructantes, ſed triſtem crapulam, uinumq́ heſternũ, aut, quod fœdius eſt, meretricios amores & libidines: tantũ abeſt ut quidpiam, quod oblocutiones, ſcurriles q́ facetias nõ ſaperet, proferrent. Tali ſene nihil ineptius uideri poteſt. Secus uerò alij, de quibus hîc loquitur ſpiritus, quòd immenſæ Dei ſuauitatis, benignitatis q́ memoria plenis, ut aiunt, buccis eructantes in illius exultant iuſtitia, nõ in propria, quę nulla eſt, multò minus in dignitatibus huius mundi ac diuitijs, quæ uitro fragiliores ſunt, atq́ aura fugaciores: dicunt q́, ut de re adeò ſublimi & ineffabili dici poteſt, ac clamant:

Miſerator & miſericors dominus, patiens & multum miſericors. Suauis dominus uniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

Non te confundat uocum repetitio, miſerator, miſericors, atq́ iterum miſericors. Sic ex hebręo mitius reddi poſſet: Clemens & miſericors eſt dñs, lentus ira, multus pietate: rurſum bonus dominus omnibus, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius, extendentur ſcilicet. Relucet, inquit, illius miſericordia, quæ uarijs oſtendi ſolet effectibus in cunctis operibus ſuis. De hiſce quidẽ pietatis, clementiæ, miſericordiæ, & bonitatis uocibus, quomodo uidelicet una ſit Dei uirtus, quę multifariã in res effuſa ſit cõditas, aliàs & crebrò, prout ſuggeſsit ſpiritus, nõnulla diximus. Eæ quidem particulares ſunt numinis dotes, ſed tardis animis uix per ænigmata cognitæ: quas tamen optimè intellexiſſe Moſen arbitramur, qui duabus iterum exciſis è ſaxo tabulis cùm montem aſcendiſſet, cõſpexiſſet q́ pertranſeuntem dominum, exclamauit: Dominator, Domine, Deus, miſericors & clemens, patiens, & multæ miſerationis, & uerax. Quod & nos etiam, ſi nõ eodem affectu, experientia ſaltem, atq́ rerum cõditarum tum uſu, tum cognitione ſentire poſſumus. nanq́ cùm ſceleratiores in dies efficimur, modus q́ Dei iniurijs ſtatuitur nullus, neq́ unquam uerè ad cor redimus (celerius enim facíliusq́ ad
B ignem colliqueſcit adamas, quàm cor in peccatis induratũ ad pœnitentiã) ipſum tamen tardiſsimũ ad ultionem, celerrimũ ad ueniã experimur. Verũ illud miſerrimum omnino, quòd unde placabilem & pudibundũ formare debuimus animũ, aſperiorẽ fecimus, atq́ ipſo ferro duriorem impudentioremq́, ac planè in ipſam Dei pietatem impium & ſæuum. At ipſe nihilo ſecius ſic malè à nobis habitus, ab uniuerſali illo ſuo in res omnes influxu neutiquam ceſſat. Idcirco

Confiteantur tibi domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi.

Aptius uertiſſet interpres per futurum, confitebuntur, & benedicent. Nam paulò pòſt intulit, gloriã regni tui dicent. Sic Paraphraſtes: Cum gratiarũ actione laudabunt te domine uniuerſa opera tua, præcipuè autem ſancti tui magnificè loquentur de te. Id proprium ſanctorum officium eſt atq́ oblectamentũ, Deũ laudare, illíq́, quæcunq́ contingant in mundo, gratias agere. Nos contrà, ipſum quidem cùm nobis bene eſt, laudamus: cùm malè, excandeſcimus, atq́ illum reprehendimus. Neq́ ob id tamẽ ab erogandis donis benigniſsimus abſterretur dominus, adeò ſui amantiſsimus eſt figmenti. Celebrabunt itaq́ te ſuum creatorem omnia opera tua, ſiue inanima illa ſint, ſiue animata: ſed in primis electi, ſanctitateq́ prædíti, magnificè de te & glorioſe prædicabunt. Inſuper

Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.

Opera quidem Dei ſuũ magnificant conditorẽ, quando à creaturis mirabilis ac beneficus prędicatur. Cœlũ, terra, mare, ſol, luna, ſydera, prouidentia q́ illa æterna demũ in creaturas latè benigneq́ effuſa, Deum ſuo in opificio mirabilem extitiſſe clamitãt, naturali q́ ſibi ingenito celebrãt modo. Verùm ſancti Dei uiri non ſolùm ea omnia cum cæteris admiranda eſſe fatentur, uerumetiã fide percipiunt ac retinent, cùm interim dicat impius in corde ſuo, non eſt Deus: híq́ ſubinde regni Dei gloriam ſplendoremq́, quam iuſtitiam & iudicium, ſeu ęquitatẽ appellare mauis, eſſe iudico, cõfitentur, miriſq́ efferunt laudibus. Fatentur, inquam, in Dei regno, quæ eſt illius Eccleſia, peccata gratis condonari, ſeruaríq́

C electos ad uitam per Dei clementiam, ut qui gloriatur, in domino, non in ſe glorietur. Fatentur rurſum felicíſsimi iſtius regni potentiam, qua propria motus bonitate Deus, omnia facit, diſponit, conſeruat, punitq; impios, & tyrannos deprimit, pios uerò oppreſſos erigit, ac beatiſsimo ſuo recreat ſpiritu: & id quidem propterea, quò filios hominum, nempe rudes adhuc & mundo addictos, non prorſus iſtiuſmodi regni Dei tum gloria, tum uirtus, tum, qua maximè oblectantur, miſericordia, lateat. Nam certè

Regnũ tuum, regnũ omnium ſeculorũ, & dominatio tua in omni generatione & generationẽ.

Videtur hîc mihi Vates illud dicere, quod uates alius poſtea de regno Chriſti uaticinatus eſt, dicens: Poteſtas eius poteſtas æterna. Illud quoq; cœleſtis paranymphi ad Virginem: Regni eius non erit finis. Regnum, inquit, tuum in omnia extendetur ſecula, in cunctasq; in tua regia prorogabitur poteſtas generationes. Infinitum tuum erit imperium. Et certè

Fidelis dominus in omnibus uerbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Is totus uerſus in hebræo non inuenitur, cuius tamen is ſenſus eſto: Dominus quidẽ ſuis in uerbis ac pollicitationibus uerax eſt, ac dignus cui conſtans habeatur fides. Sanctus rurſum, atq; adeò irreprehenſibilis, ut nullam alicui iuſtæ præbeat querelæ occaſionem. Id dictũ eſſe puto propter ea quæ ſequuntur. Etenim nulla unquam tam remota à nobis fuit ætas, quin Deus miſeros iuuerit, ſubleuauerit q; ab impiorum tyrannide: ut ueriſsimũ ſemper illud extiterit, quod in pſalmi fine dicetur: Cuſtodit dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet. Quare ut ſemper uerbis pollicitus eſt, re q; præſtitit,

Alleuat dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos.

Solent enim mundi huius potentiores ac principes, diuitibus tantũmodo & fortunatis eſſe utiles, abiecta pauperũ interim ac miſerorũ curatione. Contrà ue-
D rò Deus, illis plerunq; cõtemptis, alleuat omnes qui corruũt, eliſos q; erigit & cõſolidat. Corruentes uocat ſpiritus illos, qui in uarijs periclitantes aduerſis, morti magis quàm uitæ ſunt proximi. Eliſos uerò, ſeu, ut uertit quidam, incuruos, appellat morbo aliquo grauiori & egeſtate preſſos, aut tyrannorũ iniurijs atq; odijs obnoxios. Ex hebræo autem ſic quidam tranſtulit: Fulcit dominus omnes qui caſuri ſunt, & erigit omnes collapſos. Miror niſi hîc rubore ſuffundãtur regionũ, religionum q; primates. Surdis ne canit ſpiritus? non audiunt. Idcirco, honeſto atq; alijs potius debito deſtitutus auxilio,

Oculi omnium in te ſperant domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Benedictionem perinde ualere hîc arbitror ac, abunde omne animal ſaturas. Quid, inquit, tam anxiè tyrannos, illos q; qui cõmunia ſibi uindicantes æraria, nulla unquam habendi tenentur ſatietate, in ſubditam ſibi plebem auariſsimi & crudeles, ſibi uerò ac ſuis, de re non ſua liberaliſsimi, pertimeſcitis? Ab illo enim qui cibum ubertim omnibus ſuppeditat animantibus, ueſtra expectanda ſunt & ſpiritus & carnis alimenta. Si auari ſunt paſtores & indocti, ut magna in mundo eſt copia, nobis tamen qui pauperem atq; ærumnoſam ſponte nos noſtra potius uitam elegimus, quàm uanam illorum felicitatem, deeſſe non poteſt deus, qui non auarè, ut illi agunt, ſed effuſiſsimè res ſuas porrigit, ſatiat q; omne animal benedictione, cibo nimirum unicuiq; apto & idoneo, atq; eo quidem ad uitæ uſum copioſiſsimo. Hîc certè meam pungi ſentio puſillanimitatem, ac frigidam de deo perſuaſionem & fidem. Quid mihi iam tandem (uah) iſtuc afferre poteſt incommodi, quòd is aut ille iniquiſsimus rerum cõmunium adminiſter ſit? quòd unus ſibi & ſuis tantummodo proſpiciens cæteros negligat? alius uerò neque ſeipſe, nec q; cæteros diligens, in ſorde marceſcat auaritiæ? Vt ut hi ſuas abundè expleant cupiditates, id haud me præterit, quòd

Iuſtus dominus in omnibus uijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Eſt

A Eſt fermè idem, quod in alio dictũ eſt uerſu: Fidelis dominus in omnibus uer bis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Et eſt tanquam epiphonema ſuperioribus reſpondens Dei laudibus. Cæterùm uiæ domini in hoc loco ſunt ſapien tiſsima illius conſilia, cogitationeſq; & decreta, quorũ uirtute cunctis, ut illorum expetit indigentia, opitulatur. Multa, inquit, dixi quæ ad Dei laudes, tyrannorumq; uituperationẽ facere iudicaui: uerùm quò pĳs tandem ſed ſubtimidis conſulam animis, dico iuſtiſsimum eſſe dominũ ad omnes, ac ſuis cunctis in actionibus ſanctum, blaneq; beatum. Ideo

Propè eſt dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in ueritate.

Permagna hîc omnibus iniecta eſt electis cõſolatio, quando quidẽ propè illis eſſe dominũ, utcunq; procul abſint homines, affirmat ſpiritus ille, qui uerax eſt, & de quo illud canitur uaticinium: Spiritus meus erit in medio ueſtrî. Proinde nulla pertimeſcenda eſt rerũ mundanarũ inopia, aut aduerſitatũ copia. Propè eſt iuſtus meus (clamat ad timidos Deus in Eſaia) egreſſus eſt ſaluator meus. Sed & propè eſt interitus Moab. En quanta armantur fide credentes: en quàm efficaci, firmaq; promiſsi auxilĳ ſpe fulciuntur hi, qui ſerìò, non ſubdolè & frigidè diuinum implorãt ſubſidiũ. Sic quidam ex hebræo hunc uerſum tranſtulit: Dominus adeſt omnibus qui ſe inuocant, dummodo inuocent ex fide. Fide igitur opus eſt in petitionibus quæ Deo fiunt: alioqui nullus rogatarum rerum ſperari poterit effectus niſi confuſus, & qui mortẽ animæ afferre conſueuit. Nam fœdiorẽ quendam in modũ diuina offenditur maieſtas ab his qui hæſitantes orant, quàm ab his forſan qui nihil omnino. Omnibus igitur illis duntaxat, qui inuocant eum in ueritate, ſpe uidelicet ac fide exorandi quæ petunt, præſtò adeſt dominus, qui

Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.

Clarè exprimit, quid ſit haud procul eſſe dominũ ab his, qui hypocritarum ne
B quaquã more orare conſueſcunt. Optata, inquit, illorũ faciet dominus, qui puro uenerabundoq; & fideli, res ſuas cùm orant, exponunt animo. Domine, inquit ille, non ſum dignus leuare oculos meos ad cœlum. O immenſam certè erga miſeros, ſeq; agnoſcentes, Dei facilitatẽ. Vide quid inferat ſcriba ille ſanctiſsimus: Et deſcendit, ait, iuſtificatus præ illo, qui ſua ſecum inſolenter annumerans merita nõ Deũ orauerat, ſed ſe ipſe laudauerat. Puto Phariſæũ illum, ſordidũ ædes ſacras ingreſſum fuiſſe, ſordidiſsimũ uerò diſceſsiſſe. Illorum itaq; uota cœleſtis admittit pater, qui in humilitate, timoreq; illo, qui filĳs conuenit, orant: hos audit, hos ſeruat, hos, quantacunq; incidant mala, uult eſſe incolumes. Siquidem

Cuſtodit dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet.

Perpendis ne copiã, & eam quidem elegantiſsimã in Vate hoc noſtro? Prius eñ Dei filios in ueritate deprecãtes appellauit, poſtea uerò Deũ timentes, nunc demum amantes nuncupat. Eæ nempe præcipuæ ſunt animæ dotes, quæ nihil charius habet in hoc mũdo, quàm quomodo ſuperuacaneo ſpreto curarũ tumultu, Deo per amorẽ uniat. Hæc eſt uoluntatis Dei ſumma, quòd ſe amantes amat, ſeruat, tutaturq;, ac beat tandem. Contrà uerò peccatores, hoc eſt, qui ſponte ſua mali ſunt, & qui in peccatis non tantùm perſeuerant, uerumetiam oblectantur, ac ſuum more uolutantur, à ſeſe abigit. Quocirca diuino deſtituti patrocinio, in omnem prolabuntur uitæ turpitudinem, traditiq; in mentem reprobam, infeliciſsimo degunt uitæ genere, etſi felices in terra eſſe uideantur. Non eſt quidem ferarum laniatus cum illo æquiparandus, quo illarum laceratur conſcientia, qui peſsimè ſibi conſcĳ ſunt, quiq; cùm nulla affecti ſint ſpiritus ſuauitate, in ſceleribus facilè obbruteſcunt: id eſt enim hominem à Deo, ut canit Vates, diſperdi. Quod ſanè cùm mihi in memoriam uenit, ab imis unguibus uſq; ad uerticem totus cohorreſco. Video neſcio quid in me, tum in his quos æquè atq; proprium diligo cor, non omnino ab hoc periculo tutũ. Vt uerò uideant alĳ, haud mea multum intereſt ſcire: quantum ad me attinet,

Laudationem domini loquetur os meum.

C Quid os tantũmodo? Egóne qui & ore, & corde, & animo, in Deum nõ multò pridem iniurius fui, nunc demũ ad gratiã aſcitus, os ſolummodo tam immenſi beneficij teſtem eſſe patiar? Laudes itaq; indefeſſè dicat os, dicat cor, dicat anima, dicantq; uel ipſi minutiſsimi corporis mei nerui & arterię. Totus enim cùm mundus factus ſim, quî non totus quantus quantus ſim, in diuinis occuper laudibus? Id quidem aueo, id quæro, id non tantùm à me fieri expeto, petóq; à cœleſti patre, uerumetiam ab omnibus id fieri creaturis maximopere efflagito. Quare, quic quid conditum eſt ſuum laudibus efferat conditorem.

Et benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum & in ſeculum ſeculi.

Omnis uiuẽs, inquit. At ego inanima quoq; addo, ut ſunt, ſol, luna, aſtra, plantæ etiam, atq; ipſa inertia montium ſaxa & cotes, ſuum celebrent effectorem, atq; ſanctiſsimum illius nomen, uel uſq; ad cœlum condignis euehãt panegyricis in perpetuum, & ſi quid ultra eſt. Amen.

PSALMVS CXLVI. Halleluia.

Auda anima mea dominũ, laudabo dominũ in vita mea, pſallã Deo meo quãdiu ſum.

Is eiuſdem eſt argumenti pſalmus, cuius eſt prędcedens, eo excepto, quòd in hoc peculiariter nos admonet Vates, nullo modo hominẽ in homine quamlibet principe & magno, ſperare debere. Eo quidẽ ipſo quòd homo eſt, mille uitę huius miſerijs eſt obnoxius. Tametſi enim diuites ſint homines & potẽtes, poſſũnt ne ſeipſos ineuitabili fortunę uulnere repararę? poſſunt ne, inquã, cõtinua mundi infortunia deuitare? Quod ſi poſſunt, quanquãim poſsibile id omino, poſſúntne mortẽ? Velint nolint, illorũ demigrat ſpiritus: quo ſanè abeunte, tunc ſtudia illorũ omnia, curæ deliberationesq;, & quicquid moliebantur interit. Itaq; in dño, cuius potentia ſumma eſt, immenſę opes, uis infinita, quíq; & cœli, & terrę, & maris, & omniũ omnino rerũ effector eſt ſapientiſsimus,
D atq; earundẽ tutor & cõſeruator, ſperandũ eſſe cõdita omnia proclamãt, nedum mens humana, ad perueſtigãda cœleſtia à ſummo opifice formata. Hæc ferè ſumma eſt pſalmi. Quòd uerò oppreſſos ulciſcitur, collapſos erigit, uictumq; cunctis uiuentibus ſuppeditat, uinctos à carcere & catenis aſſerit, morbo fractos conſoli dat, atq; hoſpitibus tandem, pupillisq; ac uiduis, nempe miſerorũ turbæ ſubuenit, id omne ad prouidentiã illius æternã, qua cuncta ſuo procedũt ordine, referri debet: niſi malis ſpeciali quadã prærogatiua mortalium naturã à Deo, ut facta fuit, ſic ſeruari, atq; ad feliciorẽ uitę ſtatũ, q; is præſens ſit acciri & diſponi. Quam quidẽ rem cõſiderans Propheta, timensq; ne mens in rebus hiſce nihili occupata creatoris amorẽ in creaturas retorqueret, illã penè ſopitã dormitabundamq;, blandiuſculis inuitat uerbis, dicens: Lauda anima mea dominũ. Mea animula, inquit, uagula, delicatula, quid in imis uerſaris? quò tuũ deſtinaſti amorẽ? infelix. Quid, oro, in terris eſt, quod admodũ laudare debeas, & admirari? quid putas in ueniri poſſe in hoc mundo, quod tuũ non quærat interitũ? quod te nõ deprimat? quod tetra tuã non obducat caligine dignitatẽ? Agedũ te tandẽ in diuerſa diſsipatã collige, rebusq; hiſce caducis, quibus ſanè omnibus longè melior es, neglectis, tuã inſpice nobilitatẽ. Quid tam altũ, ſublimeue in toto terrarũ orbe, quod uel cogitatione cõprehendi, uel cerni oculis poſsit, quod te inferius nõ ſit? Id'ne tanquã Deũ laudabis? nõ credo. Dñm igitur pulcherrimarũ rerũ autorẽ lauda, & admirare, mecũq; delibera, & dic: Laudabo dñm in uita mea, pſallã Deo meo quandiu ſum. Id firmũ eſſe debet hominis propoſitũ, ut Deũ quoad uixerit, tum ore, tum optimis, quæ à charitate uitæq; ſapientia & candore proficiſcunt, actionibus referat. Ea quidem uera eſt in primis Dei laus, quã ante omnia ab homine requirit Deus, à templis exigit, à mundo quoq; uniuerſo, ut ſolent fœneratitiæ pecuniæ, uel inuitis dñis, extorquet. Adeò ſalutis hominũ generaliter amantiſsimus eſt deus. Quocirca tempus laudandi dñm tota hæc eſt uita. Vnde nõ iniuria clamat Vates: Laudabo dñm per omnẽ uitã meã, ipſiq; Deo meo uſquedũ uixero, cãtabo pſalmos. Donec, inquit, halitus in me fuerit in diuinis occupabor laudibus.

A díbus. Sanctíſsimũ certè animæ uotum, dignumq́ quod ſerió nuncupent hi, qui nihilominus fatentur ſeſe in laudando Deo occupatíſsimos. Admonuíſſe nõ inutíle fuerit. Laus quippe Dei, quod alías díximus, omni ex parte ſyncerã requírit hominis uitam, fidemq́ unam in illo fixam ſolummodo, quem toto uítæ noſtræ currículo laudare intẽdímus: quamobrẽ aptíſsimè addita eſt à ſpíritu generalis, quæ omnes tangit, omnes admonet, omniũ uellít aures præceptío, clamatq́ ex alta ueluti ſpecula Deus: O qui ſublimem iuſtitiæ montẽ aſcendere contenditis, quiq́ ex ima hac ueſtra ærumnarum ualle extrahí deſideratis,

Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus nõ eſt ſalus. Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Aut uertendum erat, in filio hominis: aut, exíbit ſpíritus eorũ. Sic Fel. in filio hominis, in quo non eſt ſalus. Quantauis, inquit, potentia prædíti ſint homines, mortales tamen ſunt, proinde inſtabiles & uarij, uariaq́ illorũ ſalus & infirma. Haud ſecus enim in illis tua firmanda eſt ſpes, ô homo, atq́ ſolent in glacie ueſtigia firmari. Sí gelu quidem lapſantibus ſecuritatem bona pollicetur fide, ita uos uobis inter uos fidere permitto. Vos hortor, ut uana & caduca ſpe hominũ contempta, in me ſolo ſperare cõdíſcatis. Vide hîc, oro, quàm prudenter nos Vates à ſpe in homine collocanda deterreat. Nam poſteaq́ principũ mentionẽ fecit, actutũ addidit, in filio hominis, nos interim ad fragilẽ illorũ naturã conſiderandã excitans. Quamlibet, inquit, potentes hi ſint & diuites, ſunt tamẽ homines, ſunt mortales, ſunt caduci, & qui ne ſibi quidẽ auxílio eſſe poſſunt. Siquidem dictũ factũ illorũ auolat ſpíritus: ipſi uerò in terrã, unde formati ſunt, relabunt: atq́ hoc modo in ípſo mortis tempore omnia illorũ peribunt conſilia, deerit fauor, ceſſabitq́ hodie potentia in illo, qui heri cunctis formidíni fuit ac terrori. Heu uaniſsima omniũ ferè mortaliũ cõſilia. Putás ne illos meæ patriæ ciues, ad quos tanquã ad triarios, res cunctæ omnino à príncipe, alioquí natura gratioſo, atq́, ut tota il
B la eſt familia, ingenuo & liberali, reiectæ fuerant, penſi aliquid de futuris habuiſſe euentis, cùm principis facilitate abuſi, illud ſibi in rebus adminiſtrandis conciliarunt apud ciues odij genus, ut mortuũ ex dyſenteria príncipem, illí haud multò pòſt, fato tamen diuerſo, ſed uiolento & miſerando, ſecuti ſint? Quæ (prò Dei fidẽ) exempla, percupidos, importunoſq́ in rebuſpublicis magiſtratus mouere poſſunt, ſi hæc non mouent? Non igitur illi beati, ut forſan fortunæ riſu decepti ſibi perſuaſerant: ſed

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in domino Deo ipſius. Qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, qui cuſtodit veritatem in ſeculum.

Magno profectò inter ſe diſtant interſtitio, Dei potentia, uirtus, bonitas, magnitudo, & quęcunq́ in homine cuiuis in terra beato eſſe poſſunt, cùm Deus quidem omnipotẽtiſsimus ſit, fortiſsimusq́ omniũ & ſempiternus: homo bulla eſt, infirmus, mortalis, ac, ſiue is princeps ſit, ſiue rex, aut imperator, nihilí. Vaniſsima itaq́ ſpes ea eſt, quæ in tam tenuí ponitur recula, ut homo eſt: firmiſsima uerò, quæ in Deo. Quare hîc clamat Vates: Felix nimirũ, atq́ iterum felix is eſt, cui Deus Iacob, Deus, inquam, ille quem ſanctæ colunt animæ & adorant, eſt præſidio, cuiusq́ fiducia ſolùm domino Deo ſuo, non conſeruis ſe interdum debilioribus, nititur: qui Deus cœlí autor eſt, terræq́, mariſq́, atq́ omnium omnino rerum quæ in illis inſunt, conditor. Idcirco infinitæ illíus ſunt diuitiæ, opesq́ immenſæ, atq́ incomprehenſibilis illíus ad omnia fides ac prouidentia, nempe omnia quæ condidit perenni ſalutariq́ gubernantis ratione, uiuificantis, adaugentis, ſeruantisq́ incorruptè. Vnde additũ eſt: Qui cuſtodit ueritatẽ in ſeculum. Et

Qui facit iudicium iniuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus. Dominus ſoluit compeditos, dominus illuminat cæcos, dominus erigit eliſos, dominus diligit iuſtos, dominus cuſtodit aduenas. Pupillum & viduam ſuſcipiet, & viam peccatorum diſperdet.

In límine hæc quidem omnia domorũ principũ, atq́ aliorũ, quorũ intereſt res urbiũ regionumq́ adminiſtrare, inſcribí debent: melius dicerẽ in corde. Tametſi

C enim ad omnes uulgò homines ſpectare uidentᵉ, ad illos tamen in primis attinẽt, qui uice Dei cęteris preſunt. Eę certè uerę illæ ſunt operationes, quę Dei promerentur gratiã, quibuſq; omiſsis mirum q̃ inexorabiliter in nos ſeueriſsimus animaduertat dñs. At uide quid in totius enarrationis capite affixit Vates. Deus, inquit, eſt qui oppreſſorũ iniurias ulciſcitᵉ, ſtatq; in acie pro calumnias paſsis tanq; imperterritus uindex. Quid poſtea? Victũ omnibus, tum mẽtis, tum uentris, modò cibũ appetant, ab eoq; opperiantᵉ, largiſsimè impartitᵉ. Soluit inſuper in carcere detentos, uinctiſq; manicas nõ tam ferreas, q̃ in corde effœminatas laxat. Cæcis uiſum, nõ ſolũ corporeũ, uerumetiã ſpiritualem elargitᵉ: collapſos, afflictoſq;, quod non faciunt noſtri proceres, erigit, ſuſtentat, recreat, iuſtoſq; omnes, qui ſibi fidem adhibent, deamat, ac tandem hoſpitũ, peregrinorũ, pupillorũ, uiduarumq;, ac cæterorũ id genus deſolatorũ curã habet indefeſſam, illoſq; utpote ab aliis reiectos ſuſcipit, fouet, exoſculatur, beat tandem. Contrà uerò, uias impiorum erroneas, conſilia uidelicet, inſtituta, machinationes, temeritatem, fundet, diſsipabitq;, ac, uti res ſolent leuiſsimæ, diſperdet. Atq; ita uictor

Regnabit dominus in ſecula Deus tuus Sion, in generatione & generationem. Halleluia.

In hoc ultimo uerſu ſempiternũ Dei eſſe regnũ canit Propheta, illudq; Sion, tanquam præcipuo religionis domicilio congratulatur. Ex eiuſcemodi quidem cõtemplatione immenſo afficitur gaudio mens noſtra, ſpeq; erigitur in illo, quẽ eſſe æternũ nouit. Cæterũ ab æterno, quid niſi æterna expectari poſſunt? Aeternus igitur cùm ſit benefactor, æterna quoq; eſſe beneficia neceſſe erit, æternam protectionem, æternam ſalutem, æternam uitam. Ait itaq;: O Sion, ô ſancta Hieruſalem, ô Dei ſponſa, nutantẽ iam tandem collige animum, ſiquidem dominus ille, ut dixi, tam potens, tamq; tui cupidus & amãtiſsimus, Deus, inquã, ille tuus, hoc eſt, quem tuam eſſe felicitatem, uel ſerò, intellexiſti, regnabit in æternum, illiusq; protectio in generationem à generatione ullo abſq; unquam fine proroga
D bitur. Cui laus ſit in ſecula ſeculorum. Amen

PSAL. CXLVII. Halleluia.

Laudate dominum quoniã bonus eſt pſalmus, Deo noſtro ſit iucunda decoraq; laudatio.

Rurſus, ut in proximè præteritis egit pſalmis, accingit ſe ad Dei laudes beatiſsima Vatis anima, quod facilè abſq; alia lectoris admonitione ex titulo comprehendi poteſt. Nihil certè tam amantis animum delectare conſueuit, quàm cùm crebra illius laudandi quem amat, offertur occaſio. Vnde iucundiſsimũ id eſſe ſolet ſpectaculum, intueri, ut interdũ intueor, hilari quempiã tum ore, tum animo, quæcunq; agi contingat, exclamantem: Semper laus eius in ore meo. Quẽ unquã ſermonẽ aliũ? imò uerò quã actionẽ? quos mores tam gratos aut cernere, aut audire poſſumus, quàm illi ſunt, qui Dei laudes referunt? E cõtrario quid triſtius? quid, quod animũ candidũ tam efflictim laceret, proſternatq; & cõturbet, experimur, q̃ ſermones noxios & illiberales? Blaſphemi uerò atq; oblocutoris uerba quo nomine appellare, aut qua arte exprimere debeã neſcio: quando quidẽ ipſo ſuo horrore & turpitudine omnẽ ſuperãt dicendi uim & copiã. His proinde, cæteriſq;, qui inſtrumentis eiuſcemodi idcirco homini datis, ut ſuũ laudet opificẽ, abutunᵗ, omiſsis, animã diuini honoris ſtudio ſiſsimam audiamus, ita cæteros adhortantẽ: Laudate dominũ quoniã bonus eſt pſalmus, Deo noſtro ſit iucunda decoraq; laudatio. Sic Felix: Laudate dominũ, quoniã bonũ eſt pſallere Deo noſtro, quoniã iucundũ, decora ęſt laus. Ex eodẽ item fonte ita alius: Laudate dñm, quoniã bonũ eſt canere deo noſtro, atq; iucũdum, optabilis eſt laus. Vide q̃ ſuauibus appelletur uocibus Dei laus: decora, inquiunt, eſt, pulchra, decens, optabilis, amœna: quę quidem nomina laudi nequaquam illi adulatrici, quę ſit principi, aut turpi, quæ ſit ſcorto & adulteræ, conuenire arbitror, cùm è contaminatiſsimo proficiſcatur affectu, cordeq; mirè anxio & perturbato. Bonum itaq;, imò optimũ omnium eſt pſallere, ut nos facimus: ſed Deo: canere item, ſed Deo: lætitia affici, geſtiréue & exultare, ſed Deo, non lenæ,

A & meretrici. Quod ſanè fit, cùm cor in his tantũmodo, quę Dei honorẽ repræſen tant, occupatũ, os alioquí mutũ atq; iners ad promendas Dei laudes aſſuefacit, retorquetq; à praua loquendi futilia, atq; ut ea uocat Chriſtus, ocioſa cõſuetudí ne, ad caſtos Dei ſermones & uiuidos, ut olim edocta fuit uirgo illa celebris dí ui Benedicti ſoror, ad quã de more è ſummo Caſini uertice, in quo ampliſsimũ exædificatũ erat cœnobiũ, ut nunc quoq; eſt, ad planitiem, in qua ſecretiſsimus quídam erat ſeceſſus, nympharũ quidem cœleſtiũ domus, deſcendere conſueue rat. Quid putas? teſſeris ne ut luderent, aut bacchantiũ more pergræcarent? Ví de quomodo uirgo tam ſanctum fratrem iamiam cum ſuis ad montis aſcenſum ſe accingentẽ compellat, obteſtaturq;: Quæſo te frater, inquit, ut iſta nocte (iam totum diem in Dei laudibus, ſacrisq; colloquíjs ad noctem uſq; produxerant) nõ me deſeras, ut uſq; manè aliquid de cœleſtis uitæ gaudíjs loquamur. Felix pe ctus & beatũ, quod diuino exæſtuãs incendio, à Deo, quod à fratre negabat, ob tinuit. Videor enim uidere, cùm hæc ſcribo, aut aliquando locũ ſemidirutum in uiſo (uix parua extant ueteris illius lararij ueſtigia) inter ſenem & puellam arden tiſsimas, tanquam duobus igneis ſimul colliſis lapidibus, in ſuis illis colloquíjs feliciſsimoq; congreſſu, emicare diuini amoris ſcintillas, cordaq; illorum ex bea tiſsimis illis ſermonibus à corporeis euulſa fibris in cœlum rapi. Quem quidem effectum in illis minimè locum habere ſat ſcio, qui non noctem unam atque al teram cum die, ſed menſes integros, annosq;, ac totam demum ſuam ætatem in ſcurrilibus conſumunt tum iocis, tum ineptiſsimis facetijs & moribus ita diſſo lutis, ut illam nunquam mei paſtoris legiſſe præ ſe ferant admonitionem: Scur rilitates, inquit, uel uerba ocioſa, & riſum mouentia, æterna clauſura in omnibus locis damnamus. Aurea profectò inſtitutio, atq; euangelicis conſentanea præce ptionibus. Quid ni igitur laudes illius purè, ab omnibus, ubicunq; degant homi nes, pro fabulis, uanisq; nænijs, perſolui efflagitemus, qui tam ardenter noſtram
B dilígit ſalutem? Ipſe quippe eſt

Aedificans Hieruſalem dominus, diſperſiones Iſraëlis congregabit.

Apertius uertiſſet interpres, ſi ſic ex hebræo uertiſſet: Dominus ædificat Hie ruſalem, diſperſos Iſraëlitas congregabit. Hîc Vates ad ueterẽ illã Hieruſalẽ in ſtaurationẽ poſt reduces è Babyloníco exílio Iudæos alludens, Eccleſiæ effígiat exordia. Iam, inquit, uídeo præſentiſcoq; Deum diruta Hieruſalem mœnia in ſtaurantẽ, ædificantemq; meliora: ad hæc, afflictas Iſraëlitarum reliquias paſsim per orbẽ diſperſas, in unũ, quò tandẽ unus unius ſit paſtor ouílis, colligentẽ. Id quoq; præuidit Eſaías, quando in ſuis de Eccleſia uaticinijs illud addidit: Cõgre grabit profugos Iſraël. Quales uerò futuri hi eſſent Iſraëlitæ, alío in loco aperit, dicens: Congregamini, uenite, & accedite ſimul, qui ſaluati eſtis de gentibus. En eccleſiæ ſagena peregrinis repleta piſcibus. En libertas filiorum Dei, quibus da ta eſt requies, ut ait Oſeas, ut quieſcant pauliſper ab onere regis & príncipum, nempe à mundi tyrannide, atq; immiti hominum imperio, cui ferè ueri obnoxij ſunt Iſraëlitæ, qui in ſpiritu, nõ in carne circunciſionem profitentur. Atqui ſi Dei manu inſtaurata fuiſſent urbis illius mœnia, quæ prophetarũ, atq; adeò filij Dei interemptrix fuit, adhuc ſuũ ſeruaret decorẽ, extaretq; ciuitatũ omniũ pulcherri ma, ut modò extat Eccleſia, cuius typus illa fuit, manerentq; etiamnum reliquiæ illæ Iudæorum incorruptæ. Verùm aliã exædificandã fore Hieruſalem, aliudq; templum reformandum, quàm illud fuit à Chaldæis exciſum, atq; alios colligen dos Iſraëlitas ab illis, qui dicturi erãt, Super flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus, præuidit Vates. Ecce, inquit, noua facio omnia. Noua itaq; deducen da erat ſponſa, nouæ conſtituendæ nuptiæ, noua erigenda conclauia, nouũ tan dem conſtruendũ ædificiũ: atq; hæc quidẽ omnia in humano perficienda fuerãt corde, quod poſtea breuiſsimo expreſsit Paulus, Corínthijs ſcribens, apophthe gmate: Vos eſtis templum Dei uiui. Ecce in quam paruam deſijt reculam acer uus ille templi ueteris cæremoniarum, uictimarumq;, laboris nimirum ac defati gationis propémodũ infinitæ. Cor igitur humanũ rerũ omnium illarũ in ſpiritu

C capax factũ eſt, cuius ſtructura amore deliniatur, fide cõſtruit, ſed Dei clementia perfectiſsimã nanciſcitur formam. Ipſe quidem eſt, haud ars noſtra, uel ingeniũ,

Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina uocat.

Contritos corde, uocat ſummè afflictos & deiectos. Cæterũ alligat uerbo propterea uſus eſt, quoniam uulnera, quibus medemur, inſtitis faſcijſq; diligentiſſimè à medico ſtringi ſolent, acquò dolor mitigetur, concinnè admodum obligari. Vnde ſic Paraphraſtes: Qui ſanat eos qui fracto ſunt animo, & leniter curat dolores illorum: quiq; numerum planè infinitum ſtellarum ſupputare ſolitus cùm ſit, atq; illarum ſingulas ſuis appellare nominibus, perfectiſsimam rerũ cognitionẽ in ſe eſſe teſtatur. Siquidem quibus nomina imponimus, ea nobis ſunt nota. & erit ſenſus: Eadem facilitate, minori etiã, poſſe Deum diſsipatos per regiones Iſraëlitas in unum coire facere, qua ſparſas per uaſtiores multò regiones cœli ſtellas, alioqui innumerabiles, numero complecti. Sed de æterna hîc proborum electione, quorum nomina ſcripta ſunt in cœlis, uerba fieri arbitrantur nonnulli, de quibusq; ſic diuus Deum alloquens ediſſerit Auguſtinus: Quos tu tibi elegiſti de multis in templum ſanctum tuum, ipſos mundas, effundens ſuper eos aquam mundam, quorum nomina, numerumq; tu noſti. Quocirca cum puriſsima Vatis anima exclamare liceat:

Magnus dominus noſter, & magna uirtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus.

Felix, atq; adeò cæteri uertunt ex hebræo: Intelligentiæ eius non eſt numerus ſeu menſura. In idem tamen recidit ſenſus. Siquidem mens eſt Vatis, Dei potentiam, qua ſuos ſeruare potis eſt, rurſusq; ſapientiam, qua uias ad id perficiendum probè callet, extollere. Vnde confeſtim addidit:

Suſcipiens manſuetos dominus, humilians autem peccatores uſq; ad terram.

Eſt idem ferè, quod in ſuperiori cecinit pſalmo, dicẽs: Dominus erigit eliſos,
D & non multò poſt: Viã peccatorũ diſperdet. Manſuetos appellat illos, qui æquo placatoq; animo ferunt aduerſa. Et tunc quidem illos æquabiliter, toleranterq; idcirco res ferre aduerſas aſſerimus, quoniã illis fauet numen, ſuſcipitq; eo planè modo, quo à medico, aut parentibus grauiter ægrotantes ſolent ſuſcipi liberi atq; refocillari. Caue putes minorem eſſe in Deo erga afflictos & peccantes commiſerationem, quàm illa eſt, qua afflictim cõmouentur in filios patres morbo ali quo grauiori preſſos. Imò hanc patrum curam nullam omnino eſſe præ illa, qua Deus aſsiduè lapſantes in uia iuſtitiæ ſuſtentat, non deſunt qui experiuntur. Afflictos itaq;, ærumnoſos, in turpitudinemq; aliquam peccatorũ delapſos patientiſsimè tolerat, illisq;, ne in preſſuris deſperent, ſecretiſsimis non ceſſat illud inſuſurrare monitis: Ego ſum, nolite timere. contrà autem ſuperbos innocuorum perſecutores, atq; in ſecundis fortunæ euentibus elatos, deijcit, proſternitq; penitus, atque eo allidit modo, quo res ſolent uitreæ in terram proiectæ collidi. Ergo cùm hæc fore perſuaſum habeamus,

Præcinite domino in confeſsione, pſallite Deo noſtro in cithara. Qui operit cœlum nubibus, et parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.

Hac quidem uocum naturalium annumeratione innuere uult Dauid, noſtris in calamitatibus, uel quas perſecutores irrogant, uel quas aëris inclementia, atq; cœlorũ intemperies deuehit, nullatenus deſpondendũ eſſe animũ. Siquidẽ æterna Dei prouidentia, quæ minutiſsimarũ etiam rerum curam habet, non poteſt res ſuis amicis neceſſarias atq; opportunas, non affatim ſuppeditare. Canticũ, inquit, quod laudes, gratiarumq; actiones reſonet in cithara, ſono nimirũ ſuauiſsimo, Deo noſtro præcinite. Ipſe enim, cùm nobis eſt cõmodùm, tegit cœlum nubibus, tonatq;, atq; inde aquas præparans imbrem omnibus gratiſsimũ etiam in ſiticuloſos perpluit montes, unde herbæ egerminant, uerſicoloribusq; loca illa arida & inculta conueſtiuntur floribus, atq; diuerſi generis oleribus ad uſum hominis

A minis fœcundantur. Ad hæc cuncta terræ animalia ſuo cuilibet apto naturaliter cibo enutrit: quia & coruorum pullis à matre deſtitutis, conuenientiſsimã illi ætati ſubminiſtrat eſcam, id agens (opinor) illorum miſerans crocitationem, queſtuſq; lamentabiles, qui uotorum loco ac ſupplicatione à patre exaudiuntur æterno. Ferunt enim coruum uiſo partu degeneri (albi naſcuntur coruorum pulli) indignabundè auolare, nidoq; derelicto ſuum execrari fœtum: quem tamẽ cùm implumis ſit, atq; ad quærendum paſtum inutilis, nocturno paſci rore, uermiculisq; nido ſubnaſcentibus, mirabili Dei prouidentia nutricari aſſerunt. Res mira ſanè, atq; quidem, quę omnem ſuperet bonitatis modum. Vnde nõ immeritò, in ſuperiori dictũ eſt uerſu: Et ſapientiæ eius non eſt numerus. Verùm neq; abſq; myſterio de coruis facta eſt mentio. Contra omnino cœleſtium rerum naturam uidetur, teneras in fide adhuc animas diuino alí poſſe edulio, niſi eas mater deſerat, antiqua nimirum peccandi conſuetudo, aclex peccati: qua quidem à cõſcientiæ nido & domicilio, noſtro læſa candore, abeunte, à Deo mens paſcitur, coaleſcitq; in ſpiritu. Sed alij hæc uideant, nos ad inſtitutum. Semel enim diſcipulorũ anxiam quærendi uictum ſolicitudinem caſtigans Chriſtus, coruorum adduxit ſimilitudinem, inquiens: Conſiderate coruos, quia nõ ſeminant neq; metũt, quibus non eſt cellarium neq; horreum, & Deus paſcit illos: quanto magis uos, qui pluris eſtis illis? Conſiderate, inquam, lilia, quomodo creſcunt, quomodo non laborant, quomodo omni uacant uitæ cura & anxietudine. O tardos in credendo animos. Iob quoq; inter miranda diuinę prouidentiæ conſilia & res geſtas, coruum interſerit eſurientem, facitq; Deum interrogantẽ in hunc modũ: Quis præparat coruo eſcam ſuã, quando pulli eius clamãt ad eum uagientes, eò quòd non habent cibum? Iſtiuſmodi itaq; argumento, quo uſus eſt Chriſtus de coruo, fœno & liliis, uſus eſt & Vates. Modò ſurdis hæc decantata non ſit fabula, ſumma certè infidelitate infectus eſt orbis uniuerſus. Dic, te oro, colitúr ne Deus ſyncerè, ab his etiam qui cultũ Dei profitentur? Id nego. quid uulgus aget? quid ſimplices mulierculæ? unde tanta ortum habet concupiſcentiarum rabies? unde auaritia? unde inſaturabilis illa habendi ſitis? Vin' dicam? à fidei penuria, ſpeq; omni no in hiſce caduciſsimis mundi rebus proſtituta. Iam illud annotandum, ſeruituti hominum, nõ inueniri in hebræo, ſed ſic duntaxat, ut uertit Felix: Qui facit germinare montes herbam. ita & alij.

B

Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neq; in tibijs viri beneplacitũ erit ei. Beneplacitũ eſt domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant in eo.

Tibias hîc poni pro fortitudine non eſt ambigendum, ne quis inſtrumentum neſcio quod, muſicum imaginetur. Eſt enim tibia, quæ à genu incipiens ad malleolos uſq; protenditur: cuius partes ſunt, crea ac ſura. Igitur pro eleganti hîc hominis greſſu ac robuſto ponitur. Vult Vates ſyncerioris nos admoneri fidei ac religionis, quæ potiſsimùm in illo uim habet, quòd perſuaderi nobis patiamur nulla illam externa mundi gloria aut ambitione delectari. cuius ſanè rei imaginem perbellè equorum adumbrat ſuperbia, atq; arduus ille, cùm è ſtabilis educuntur, hinnitus: uir item alto gradiens paſſu, atq; in digitis obambulans, ſignũ nimirũ ut fortitudinis, ita uani, elatiq; animi & glorioſi. Hos uerſus elegantiſsimè ſic reddidit Paraphraſtes: Fortitudinem equi nhili faciet, nec quæ uidentur eſſe fortia crura uiri ad amorem inuitabunt illum: ſed amat dominus, qui reuerenter colunt eum, & qui ſpem ponũt in clementia ipſius. Et ſic uides, uoluntatẽ beneplacitũq;, pro amore hîc uſurpari. Nõ illius, inquit, amor in his tranſitorijs occupatur rebus, neq; illos qui iſtiuſmodi fidunt rerum inanitati amare poteſt. Verumenimuero tota illius uoluntas, amorq; totus & cura in illos ſolùm directa eſt, qui metu filiorum more uenerando affecti, ſpem ſuam omnem in illius collocant miſericordia. Hi quidem Deo grati ſunt, cæteri infenſi. Cui laus ſit in ſecula ſeculorum. Amen.

C *Diuiſio ſecundum noſtros.*

LAuda Hieruſalem dominum, lauda Deum tuum Sion.

Omni ſublata in his quæ dicta ſunt, diffidentiæ origine, rurſus Hieruſalem, nempe proborum multitudinẽ, & Sion, quò Deum laudibus concelebrent, hortatur: dicitq; Deum illius offirmaturum portas, ciuibusq; benefacturum, pacem inſuper, annonæq; abundantiam ſuppeditaturum. Ex cœleſtium quidem donorũ cõmemoratione, Dei laudem elicere conatur Vates: alioqui certè ignaua adeò mortalium eſt natura, ut raro ad diuinum laudandum nomen, niſi præmijs illecta, excitaretur. Vtinam & ſic quoq;. Deſunt ne in mundo, qui gratiarum actionum loco blaſphemias referunt? Non eſt ſcelus, modò eluceat tantillum commodi, quod nõ aggrediantur homines. Clamant cœli, ſol, luna, ſydera, elementa, laudandum eſſe Deum: & quod quidem clamant, re quoq; ipſa exhibent: nec eſt in rebus conditis, quæ à præfixo ſibi ordine, legeq; naturæ, uel paulum aberret. Solus homo animantium omnium ingratiſsimus, in ſuũ creatorem iniurius inuenitur. Solus, inquam, homo à præſcripto Dei mandato etiam (malùm) à conditarum rerum exordio diſceſsiſſe repertus eſt. Qui iſtiuſmodi uiuunt uitæ genere, quiq; adhuc à facie Dei ambulantis in paradiſo poſt meridiẽ, tanquã ſtolidus Adam, ſe occulũt, hîc retracti à fuga inuitanẽ, ut omiſsis in Deũ iniurijs, excuſſoq; reatuum onere, ac reiecto in Chriſtum, atq; omni prorſus eliminata diffidentiæ caligine, ad lucem, ad ueniam, ad uitam confugiant, nouaq; laudum cantica pro antiquo uæ Deo dedicent. Ait ergo: O Hieruſalem, quid Deo pro beneficijs reddere non erubeſcis iniurias? pro amore odium? pro gratia damnum? lauda honoraq; dominum, lauda, inquam, Deum tuum ô Sion.

Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum, benedixit filijs tuis in te.

Hæc eſt effigies Eccleſiæ, cuius filij & ciues, ſanctorum ſunt animæ. Seras po-
D ſuit pro uectibus, quibus ſerari ſolent portæ atq; obfirmari. Tutam urbis cuſtodiam hac uoce denotat. Rurſus abundantiam, cùm dicit, Hieruſalem ciues, ſeu liberos, à domino benedicendos: quod magis exprimit in ſequentibus.

Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.

Felix profectò ea eſt ciuitas, quæ nullo affecta bellorum incommodo ac ſectarum, rebus illis, quæ ad uitæ uſum ac lautitiam attinent, abundat. Contrà autem longis afflicti prælijs ciues, atq; inter ſeſe diſsidijs conſumpti, etiam rebus uitæ neceſſarijs plerunq; carere uiſi ſunt. Verùm ut huiuſmodi rerum humanarum exitia à peruerſis ciuium animis oriri ſolent, ita ſalutem à benigniſsimo domino proficiſci non eſt qui dubitet. quare à ſpiritu dicitur: Qui poſuit fines tuos pacem: hoc eſt, non ſolùm intra urbis mœnia pacem, concordesq; ciuium animos eſſe uoluit, uerumetiam in omnibus latè finibus, conterminisq; locis & regionibus. Hincq; illud quod ſequitur euenire neceſſe erit, locorum ſcilicet incolas rebus omnibus affluere, non tantumq; paſci à domino, ſed opiparè paſci. Adipem enim frumenti pro ſimilagine, nempe farina cribro tenuiſsimo extracta, idcirco candidiſsima & delectabili, poſuit. hanc ſanè tritici medullã appellare ſoliti ſunt hi, qui furnariam exercent. Delicatiſsimo itaq; iſtiuſmodi panis genere, rerum omnium lautarũ copiam intelligi uoluit Propheta. Quæ tamen omnia ad interiorem quoq; opulentiam relata, mirum quàm iucundo afficiant guſtu animam. Et ut breuiter dicam, adeps hîc tritici, Dei eſt uerbum, quod diligenter ab hæreticorum furfure ſecretum, mirabilem illum in corde panem, qui de cœlo deſcendit, quoq; refocillanẽ animæ, atq; in Deo uiuunt, conficit. Vnde ſubinfert Vates:

Qui emittit eloquium ſuum terræ, uelociter currit ſermo eius.

Cùm iubet, inquit, illi ſubitò dicto parent omnia: nam ſumma currit uelocitate ſermo eius: hoc eſt, quod iuſſerit, quodq; uoluerit effici, efficitur illicò. Per id ſignatur, felicitatem huiuſcemodi nõ diutius ſuſpendendam, quippe qui ſolo uerbo, quæcunq; uult, efficere potis eſt. Quod ſanè in niue, pruinaq; & grandine,

A ne, quã ueluti buccellas quamprimũ è cœlo deiecit, uidere licet. Quare ſequitur:

Qui dat niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?

Pruinam ſicut cinerem ſpargit, uertunt ex hebræo, & aptè quidem: nam nulla eſt cum cinere ſimilitudo nebulæ, quæ uelum potius, aut tentorium, ſi denſior eſt, præ ſe fert, quàm cinerem. Pruinæ uerò quadrat magis comparatio. Sic Paraphraſtes: Qui tribuit niuem ſimilem lanæ, & pruinam tanquam cinerem diſpergit. Cæterùm cryſtallum neq; ex græco, neque ex hebræo uerti debuit, ſed glaciem aut grandinem, quæ globulis quibuſdam frigidiſſimis inſtar buccearũ, utpote glacie concretis, è cœlo repentina aëris mutatione ac nimbo erumpere conſueuit. Verùm ex gelu quoq; uehementiori naſci formaríq; cryſtallum aſſerunt: ſed non in aëre, ut grando, ſed potius in locis ubi perpetuæ ferè ſunt niues, ac gelu. Iam illud admirandum diuinę potentiæ argumentum, aquas æſtiuo tempore congelaſcere, formaríq; buccellas illas nõ longè à terra plerunq; à Syrio peruſta frigidiſſimas: & has quidem tanta celeritate atq; impetu, ut antea quàm animum aduertas, ſata unà interdum cum uineis populata, ſyluasq; frondibus denudatas expoſtules. Quid rurſus? (mira res)

Emittet uerbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus eius & fluent aquæ.

Iubente, inquit, domino glaciem illam dictum factum cernes liquefieri, in pluuias q; cùm uentum, quencunq; uoluerit, ſpirare fecerit, reſolui. Atq; hæc quidem omnia derepentè fiunt, mutanturq; ſubitò. Quo ſanè colligi uoluit Propheta, nullam poſſe eſſe tam conclamatam miſeriam, quin ſtatim in feliciorem commutetur ſtatum, ſi ſic iuſſerit numen. Certè is eſt qui ducit ad inferos, & reducit. Ipſe, inquam, eſt, qui deponit potentes de ſede, & exaltat humiles. Quòd ſi interdum tamen ſuperbos humilibus præponi, exaltaríq;, ac mitra nõnunquã,

B pileo ſceptroq; regio donari conſpicis, tardus nimium es, ſi felicitatem, quam ſuis pollicitus eſt Deus, in hiſce rebus fortunæ ludibrio expoſitis inueniri cogites. In ſpiritu quidem dona hæc inſunt aurea, atq; in conſcientia ſibi optimè conſcia, menteq; tranquilla, ac rerum mundanarum contemptrice, præter id, quòd ſpe firma uenturam iam poſſidet beatitudinem in Deo, ſentitq; intra ſeſe, atque experitur, quid ſibi uelint conuerſiones iſtiuſmodi grandinis, induratiq; gelu in pluuiam: quid rurſum nix, ad inſtar lanæ ob candorem è cœlo lapſa: quid pruina, quid frigus illud grandinis ferè tactu intolerabile, niſi id Deus temperaret, præ ſe ferat, intelligunt in diuinis exercitati contemplationibus. Putás ne animam in iſtiuſmodi rebus perueſtigandis occupatam, ab illoq; accenſam igne ac ſpiritu, quo flante, ſuauiſſimi, ut hic canit Vates, defluunt aquarum riui, minori illis affici gaudio, qui ſecundarum rerum ſucceſsibus elati, uix ſe homines eſſe aliquando cogitãt? hos certè miſeros calculis omnibus, licet in ſinu, quod aiunt, fortunæ dormire cæcis appareant, affirmare poſſumus. Siquidem, quæ nobis ueram conciliant felicitatem, æternamq; comparant beatitudinem, pro qua ſanè adipiſcenda uniuerſus omnino contemnendus eſt orbis, hæc ferè ſunt: fides, amor, pietas, ultroneaq; mundanarum rerum atq; honorum deſpicientia: ſimplex uitæ uſus & conſuetudo: gaudium item ſpiritus, quo mirum in modum oblectatur Deus: ac ſui prorſus, ob Dei honorem, ſalutemq; proximi, neglectus. Si hæc quidem in diuite homine, mitratóue capite contingere uideris, nihil amplius in hoc mundo, quod cœleſtem referet ſtatum, perquiras. Verùm illud nunquam me intellexiſſe fateor: quî fit, quòd cùm primùm ad eccleſiaſticas, ut uocant, dignitates quiſpiam aſcitus eſt, nihil prius quęrere uidetur, quàm ut lautius, faſtuoſiusq;, quàm prius egerat, uiuat? Quis nodum hũc mihi ſoluet? Aut certè Dei religio laxior, diſſolutiorq;, quàm ipſe ſit mundus, facta eſt, proinde ludibrio habita: aut hi bonarum rerum corruptores dici poſſunt. Mihi nunquam perſuaderi paſſus ſum, fidei ſynceritatem in capite ſuperbo, menteq; mundo addicta, manere poſſe. Quòd ſi porrò ſe à mundo alieniſſimos eſſe, ut profitentur, mihi iu

C rarent,uix crederem:ſiquidem quæ fidei candorem teſtentur,niſi omnino plumbei ſimus,non ignorare poſſumus. Et hæc quidem ad reconditiorem ſenſum eorum quæ dicta ſunt, ſcribere non ſum ueritus, quo uniuerſalem eſſe ſpiritus doctrinam, uel ipſæ ſciant textrices mulierculæ, ac cæteri è uulgo rudes per officinas mechanici, quos hîc à ſpiritu ad laudandum Dei nomen inuitari cum cæteris arbitror.

Qui annunciat Verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſraël.

Statuta ſua, ſeu cæremonias & iudicia, transferũt ex hebræo: quib. ſanè uocibus Dei legem intelligi uolunt, quæ uni data tunc fuit populo, exteris excluſis gentibus. Indicium nimirum ſummę Dei beneuolentiæ erga Iudæos, quos ſolos in terris ſuæ conſecratos eſſe uoluit religioni. Quod quidem admirans Moſes, ſic populum illum ingratiſsimũ, atq; in Deum contumacem exhortans, aiebat: Quæ enim eſt alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, iuſtaq; iudicia, & uniuerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos ueſtros? Dauid uerò:

Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

Aliàs diximus morem eſſe ſpiritus in ſcripturis, Iacob, ſeu Iſraël, Dei amicos appellare, quibus ſolis nota ſit Dei uoluntas: id eſt, quod fide de Deo perſuaſum habent, re id præſtare ſatagunt. Peculiaris illa Iudæorum cura, eorum qui in Dei Eccleſia Chriſtum uitæ ratione & cultu imitaturi erant, fuit typus. Quibus ſanè haud minus, quàm populo illi Iudaico, facta illa fuit Moſis admonitio: Cuſtodi, inquit, teipſum, & animam tuam ſolicitè. Solicitudinem uerò hanc in ſeruandis Dei præceptis, quæ iuſtitias ac iudicia, in ſuperioribus appellari uidimus, in arduo uerſari exercitio, longoq; uſu, experimur. Et ut quidem nulla extat natio, ut inquit Moſes, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter ſuæ adeſt Eccleſiæ: ita id proprium illius munus eſt ac cura, ob omni ſe gentium contaminatione alieniſsimam ſeruare. Et ne quæ ſit iſtiuſmodi gentium contamina-
D tio te neſcire cauſeris, illam ſub nomine operum carnis ita adumbrat Paulus: Manifeſta ſunt, inquit, opera carnis, quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ, inquit, prædico uobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnũ Dei non conſequentur. Hæc ſunt uerba Pauli illius, qui de ſe olim ſic apud Corinthios teſtatus eſt: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſti? Ergo Chriſtus eſt qui aſſerit, neque ſcortatorem, neq; effœminatum, neque idolorum cultorem, neq; ueneficum, neq; inimicitiarum ſatorem, contentioſum, inuidum, rixoſum, diſſidiaq; ſpargentem, homicidam, ebrium, heluonem, paraſitum, ſectam nimirũ ac diſciplinam ſanequã egregiã, primariis etiam mundi hominibus gratiſsimã, poſſe Dei regnum ingredi. Eæ ſunt ferè immundarũ gentiũ de more operationes, quas puriſsima Chriſti ſponſa auerſatur: cuius ſanè alia eſt uitæ ratio, fructuſq; alij, qui à ſpiritu Dei ſancto ortum habent, nempe charitatis, ut idem inquit Paulus, gaudij, pacis, patientiæ, bonitatis, benignitatis, manſuetudinis, fidei, modeſtiæ, continentiæ, caſtitatis. Felix profectò ea eſt arbor, quæ huiuſmodi ſpiritus onuſta eſt fructibus. Quàm uereor, ne peiora multò adhuc in mũdo, quàm illa quę à Paulo in recenſendis carnis operationibus iam laſſo cõmemorata ſunt, perpetrentur. Si hęc quidem in excellentioribus fieri locis, etiam palàm, cernimus, quid de uulgo cenſendum? Ad hæc ſi Iudæos, populum nimirum à cæteris ſelectum, & de quo id dici audio, quòd non fecit taliter omni nationi, cuiq; data eſt lex & teſtamentũ, à iuſtitiæ ſemitis deerraſſe legimus, quid impios tum egiſſe Philiſtæos arbitramur? quid Chananæos? quid Hiericontinos? Quid modò (ne multis) arrogantes agere Mahumetanos, Turcasq; exitij Chriſtianorum ſitibundos exiſtimamus, cùm audiunt, nobiliora religionis noſtræ membra corrupta eſſe? Ridẽt hæc, ſcio, carnis lenocinijs irretiti. Ridet mundus, ſubſannatq; illa, quæ à ſpiritu huc ſunt ad electorum ſolatium adducta. Verùm ut mundo, mundiq; amantioribus ſuus breui debetur interitus, ita Eccleſiæ

ſuus

A ſuus ſemper ineſt decòr, merceśq; æterna, quæ eſt uita abſcondita in Deo per Ieſum Chriſtum. Cui honos ſit in ſecula, Amen. Halleluia.

PSALMVS CXLVIII. Halleluia.

Laudate dominum de cœlis, laudate eum in excelſis.

Iam tandem ueluti laborioſiſsima peracta nauigatione, uela contra himus, portuḿq; haud procul aſpicientes, Deo unico in freto hoc mundi tempeſtuoſiſsimo deſudantibus effugio, laudes, letuḿq; celeuma canere inſtituimus. O ſi quod tanta ſit dignum maieſtate, à frigido meo pectuſculo atq; ad meditanda cœleſtia tardo & ieiuno, prodíſſe quicquã iudicabitur, tunc me beatum dixero. Proinde ſi quid, quod ſpiritum ſapiat & eruditionem, eſt dictum, id totum Dei eſto: ſin minus, meum, hominis nimirum indocti, inertis, imbecillis, incauti, qui tamen illius ſanctum nomen laudare conatus ſim, mortalium uerò rudiores inſtituere, doctiores monere, atq; meæ profeſsionis homines ad grauiora ſcribenda allicere, & me tandem minimum Dei mancipium profiteri, aſſuefacereq; ad illius cognitionem & amorem, quem in terris penè extinctum eſſe non ſemel queſtus ſum, querarq; tantiſper dum uixero, non alios ſanè reprehendens, ſed me ipſe, meaḿq; deſidiam arguens. Siquidem cùm ſecundum & quinquageſimum iam agam annũ, ſexq; & triginta in habitu hoc lugubri tranſegerim (melius dicerem, propter meam ſtupiditatem atq; in Dei obſequio inertiam, perdiderim) uix unius quidem horulæ ſpatij, ut decuit, peracti mihi conſcius ſum. Serò quidem (infelix) cognoui uirtutem crucis: cuius ductu ego haud ita pridem pacatiorem quærens uitæ ſtatum, ad ſolitudinem unà cum uno ex fratribus meis confugi. Quid tunc inſidiarum contumeliaruḿq; in ſolitudine etiã illa moliti fuerint nonnulli, quidue iniuriarum ſubierim, non uacat modò, neq; opus eſt recenſere, atq; adeò id magis, quòd querelas illas omnes iampridem ad
B Deum æquiſsimũ omniũ iudicem retuli, penes quem maxima indelebilisq; pro me in extremo omniũ examine producenda extat dica. Illic enim innocuorum cauſæ aurificis (ut ait ille) ſtatera, non populari trutina, ut nunc fit, examinabuntur, ſed diuina, hoc eſt, optima expendentur æquitate, abſq; dolo, quæ in præſentia pleriſq; à tribunalibus inauditæ reijciuntur. Ab eodem porrò ſpiritu à ſolitarijs locis retractus, rurſus noua mihi ſubeunda fuit ob ualetudinẽ crucis neceſsitas. In qua quidem nonnihil impeditus, hos meos paululum diſtuli commentarios, finiendos tamen ſecundum uoluntatẽ domini mei Ieſu Chriſti, cuius ſplendorem in terris extolli, emergereq; tanquam è caligine, propter quorundã ignorantiam, atque coniunctam cum improbitate ſuperſtitionem, tam ardenter cupio, quàm quis alius: cuiq; præterea omnes ferè liberos pientiſsimi mei parentes olim conſecrauerant: quorum primum diuus ſibi aſciuit in Scopetea familia Auguſtinus: ſex, inter quos una fuit ſoror, quoruḿq; ego penè ultimus ætate eram, Benedictus. Ad cuius nunc ſepulchrum in Caſini uertice meos recogitans annos in amaritudine, extremam manum hiſce ponere commentarijs, anno à Chriſto nato quingenteſimo, & ſupra milleſimum ſecundo & quadrageſimo, uolui. Cuius quidem Chriſti benignitate ſilentiſsimo Albanetæ receptu, haud multò procul à cœnobio monachoruḿq; conuerſatione ſemoto, nunc utor, conorq; iam tandem iſtiuſmodi animi exercitio ab hac diſſolui uariarum incurſionum turbaruḿq; moleſtia, qua nolens premor, & frui Deo: qua re impetrata, uitam aliam, quæ infortunio obnoxia ſit nulli, me tunc impetraſſe mihi perſuaderi patiar. Verùm penè ſerò illius datorem noui: notum uerò & quæro, & in ipſo purificari operam nauo ſedulam: & niſi, anteaquam è uita demigrem, aſſequor, perij. Aſſequar tamen, ſpero, ipſomet duce, quem, quoquouerſum me uerto, uidere mihi uideor meam increpantem oſcitantiam. Interim autem quòd miſellum hunc uermem è puluere ſuſcitet, atq; ad ſe accedere iubeat, in ipſius continenter occupabor laudibus, dicaḿq; cum Propheta: Laudate do-

c minum de cœlis, laudate eum in excelsis. Condita hîc omnia, tum cœlestia, tum terrestria, ad celebrandas Dei laudes inuitantur, ualetq; perinde quasi diceret: Laudate dominũ, ô uos cœlestia. In sequentibus uerò de his, quæ in terris sunt, ita ait: Laudate dominum de terra. Vos, inquit, cœlestes spiritus, quiq; corporeę sarcinæ expertes uitam uiuitis in supernis felicissimam, laudate Deum.

Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.

In primo uersu cœlestes omnes generatim complexus est spiritus, in hoc uerò particulares, eos nimirum qui in ministerium illorum mittuntur, ut inquit Paulus, qui hæreditatem capiunt salutis: idcirco illos angelos appellauit. Cæterùm uirtutes eius, pro exercitus eius, positum esse non est qui ambigat. Sunt enim beatissimi illi spiritus tanquam satellitium Dei patris, quo quæcunq; fieri in terris decreuerit, ad ea perficienda uti solet. Vnde alio in psalmo ministros illos uocat, qui faciunt uoluntatem eius. Maxima profectò ex istiusmodi purificatarum mentium obsequio dignitas apparet humana: quæ quidem (si fas est in cœlestibus illis animis ægritudinem aliquam imaginari) graui afficiuntur molestia & cruciatu, si ex his, quibus hi seruiunt, perire quempiam contigerit. Quanquam nulla illis adscribi debet incogitantia, atque in curanda mortalium salute tarditas & socordia: sed tota illa culpa est lapsi, qui etiam inuitis reluctantibusq; custodibus cadere uoluit. Etenim inexcusabilis iam omnino uidetur anima quę peccat: quandoquidem tam tutis circumuallata præsidijs, ultrò tamen succumbit, ac sese turpissimo prostituit mœcho.

Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen.

Stellæ luminis, uertunt pleriq;: hoc est, stellæ lucentes. Sentit (opinor) de Planetis, quas stellas erraticas uocant, & quę stellis cæteris lucidiores sunt. Vnde sic reddit Campensis: Laudate illũ Planetæ, qui lucetis præ cæteris stellis omnibus. Sol igitur, lumen nimirum stupendum, lampasq; ardentissima atq; uniuersalis,
D lauda Deum. Laudet rursus luna, laudent stellæ, sed in primis lucidissima Planetarum sydera, quorum ordine ac motu, pulcherrimis distinctum esse cœlum formis ad signanda quidem tempora, distinguendasq; mortaliũ actiones plerasq;, ut sunt res nauticę, agricolationisue, medicorum, & similium, à Deo fabrefactis, non ad Alchimistarum, magorumq; diuinationes, & uanitatem, contra rerum naturam, summiq; opificis mandatum cœlitus ostensis. Nulla unquam fuit tam bene instituta res à Deo, quin statim ad maleficium impia hominũ retorserit audacia. Hoc sanè modo cœlestium rerum effector non laudatur: quoniam quo illæ conditæ sunt fine, aut qui in illis inditi sunt effectus, atq; ad ima hæc terræ influxus & deriuationes, aut ignorant homines, aut cognitum suis inseruire affecti bus, excusso propémodũ è Dei manu prouidentiæ sceptro, modis omnibus conquirunt. Stultissima illa est scientia, atq; uana omnino, quæ diuinationibus nixa mortalium animos fascinat potius, quàm futurorum notitiam impartit. Qua quidem nostro à theatro, ut par est, explosa exibilataq;,

Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes quæ super cœlos sunt.

Hîc non ultrà procedit uersus Hebræis. A suprema quidem cœlorum molitione, per tractus aërios ad terram usque, ordine seruato naturæ, descendit Propheta. Siquidem cùm à mentibus illis æthereis cœpisset, ad cœlestia q; mox transijsset corpora, ab his iam ad cœlos cœlorum, nempe loca ubi sedes est ignis atque aëris, delabitur: indeq; statim ad terram, atque illa quæ circa nos sunt, commemoranda procedit. Non rarò quidem aërem cœli nomine uocant autores: nulliq; dubium esse debet, supra aërem hunc nobis proximum, quem, ut diximus, cœli nomine dignantur autores, aquas quasdam tenuiores, quàm ut destillare queant, esse: nam pluuiæ ex crassioribus formantur nubibus. Vnde dictum est, & aquæ quæ supra cœlos sunt: quod & de primo illo firmamento die secundo condito intelligi uolunt Hebræorum expositores, quodq; expansum appellant. Fecit (inquit Moses) Deus firmamentum, diuisitq; aquas

quæ

A quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum: hoc eſt, raras illas & tenues, proinde in ſublimi ob leuitatem pendentes, ab illis alijs, poſito inter ſeſe interſtitio: quæ cùm graues ſint ac denſæ, aut in pluuias conuertuntur & defluunt, aut infra nubibus retentæ ſtagnant. Sunt qui cœlum huc Cryſtallinum aduocent, quod ſupra ſydereum locatum eſſe uolunt. Verùm non longius hîc eſt philoſophandum, de his maximè, quæ ut immenſas Dei laudes ſua excitare queunt pulchritudine atque ornatu, ita occulta propémodum ſunt, & (blaterent ut lubet Philoſophi) incognita. Quod porrò cœlos cœlorum dixit, amplam illam ac uaſtam aëris regionem, cuius terra mareq; tam immenſo ambiuntur complexu, exprimere uoluiſſe arbitror. O uarij igitur, uagiq; cœlorum orbes, ô aquæ, quæ ſupra cœlos ipſos ſtupendo Dei miraculo manetis, laudate Deum. Inſuper

Laudent nomen domini, quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Statuit ea in ſeculum, & in ſeculum ſeculi, præceptum poſuit & non præteribit.

Vide prudentiam Vatis. Ad terram enim è cœlis deſcenſurus, mortales prius admonitos eſſe uoluit, illa omnia tam admiranda, de quibus mentionem fecerat, ſolo Dei uerbo fuiſſe condita, ſuoq; in officio ac lege à Deo præſcripta, perpetuò permanſura. Iam diximus, ſeculum ſeculi, ſempiternumq;, & his ſimilia, non ſemper æternitatem ſignificare in ſcripturis, ſed longiſsima tempora, ut tunc fuſius adnotauimus. Quare Paraphraſtes ſic hunc ultimum reddidit uerſum: Et ſtabilitas, quam tribuit illis, durabit ſeculis plurimis, legem dedit ſingulis illorum, quam nequaquam tranſgredientur. Illius itaque iuſſu in lucem prodiere, ſuntq; modò id, quod ſunt. Atque propterea æterna quædam fixa illis eſt lex, ac præſcriptum, quod tranſgredi haudquaquam poſſunt. Ad hæc (ne in ſuperflua inter Facere & Creare differentia nequicquam immoremur, quod
B nonnullos facere uideo) non uos lateat ſic ſolummodo ab Hebræis uerſum legi: Laudent nomen domini, quoniam ipſe mandauit & creata ſunt. Quòd ſi tamen adhuc uerbo inſtare libeat, illud compertiſsimũ, uanam illam omnino eſſe differentiam quam ponunt, facere ad Deum & ad hominem pertinere, creare autem ad Deum tantummodo. Princeps quidem Romanæ eloquentiæ propriũ artis eſſe affirmat creare & gignere, uocatq; Romulum creatorem urbis Romæ. His itaq; de cœleſtibus leuiter ſummatimq; prælibatis, inquit: Vos quoq;

Laudate dominum de terra, dracones & omnes abyſſi.

Hoc eſt, ô quæcunq; de terra eſtis, uel in primis uos immanes belluę, atq; profundi aquarum gurgites, mariaq;, lacus atq; amnes, laudate dominũ. Dracones hîc uolunt intelligi monſtra marina: abyſſos uerò cuncta aquarum receptacula, quæ omnia mirabilem ſui fuiſſe conditoris potentiam teſtantur, clamantq; Deũ ob tam ſtupendam rerum effectionem laudandum eſſe. Ad hæc,

Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.

Faciens uerbum eius, uertit Hebræus: id eſt, quicquid iuſſerit Deus, parens dicto. Et ad ipſum ſpiritum procellarum, ſeu uentum turbinis, ut reddit quidam, referunt, haud ad ea omnia quæ in ſuperioribus cõmemorauit. Siquidem iſtiuſmodi uento tempeſtuoſo ſolet Deus res exequi admirandas, ultionesq; in homines grauiores, ut de Aegyptiorũ interitu legimus. Per ignẽ quoq; tonitrua intelligit, fulminibus horrendisq; aëris mugitibus coruſcationibusq; permiſta, quæ cuncta in aëre terræ proximo formari cernimus. Cæterùm uox quam noſter uertit interpres, glacies, Hebræis eſt uapor, per quem notantur ſiccæ illæ exhalationes, unde exeunt uenti, noxijq; flatus ac turbines. Neque hîc te moueat, difficillimum uideri res omni carentes ratione ac uoce, laudare poſſe Deũ. Laudant nihilominus, nosq; itidem ad laudandum opificis ſapientiã, admirandis excitant ſtimulis, quippe quæ ne tantillum quidem à præſcripto ſibi ordine deflectunt, parentq; continuò numini. Et quidem nemo tam durus eſt, qui conditarum rerum motum, ordinem, ſitum, pulchritudinem, uim, formasq; uarias, atq; illarum effe-

C ctus contemplans, non mirabilem in illis Dei ſapientiam deprehendat, potentiã turſus & bonitatem. Hincq́ anxium quoddam oriri ſolet laudandi Dei ſtudiũ, addo & exercitium, iunctaq́ cum hilaritate ſolertia. Itaq́ & uos etiam

Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri. Beſtiæ, & uniuerſa pecora, ſerpentes & uolucres pennatæ.

De pennis, ſeu alis uolucrũ, mentio quæ hîc fit, aptè poſita mihi uidetur, tantum abeſt ut ſuperuacaneam iudicem. Quid enim miraculo ſimile poteſt audiri, ſi quis pennis aut alis ornatam uolucrem dixerit? Sed niſi uſus rem attenuaret, tam immenſum in illis diuinæ relucere conſpiceres potentiæ ſignum, ut penè ſtupore inſanires. Quid nõ mirabile apparet, dignumq́ Dei honore, ſi alarum, pennarúmue ordinem in aue, texturam, formam, decorem, colorem q́, & ad uolandum aptitudinem ac celeritatem, diligenter inſpicias? Quod etiam de uaria arborum tum ſylueſtrium, tum domeſticarum natura intelligere nos admonet ſpíritus, cùm ligna fructifera, ac cedros ad Dei laudes concinendas hortatur. Cedros pro ſterilibus, ſyluaticisq́ poni arboribus aſſerunt interpretes, proceris tamen, atq́ ad ædificia uel nauium uel ædium aptiſsimis. Ait igitur: O uos montes, ô loca omnia ædita, è planitie q́ ſurgentia, ut ſunt colles, cliuiq́ humiliores: quin arbores plantæq́ ad producendos fructus procreatæ, inferaces quoq́ & incultæ, quarum nobiliores ſunt Cedri, laudate Deum. Quid? Vos item belluæ immites, mitesq́ & manſuefactæ, uos reptilia, uos alites tam uarijs ornatæ plumis, hucq́ illucq́ tam concinnè celeriterq́ uolitantes, laudate Deũ. Serpentes, pro quibuſcũq́ animantibus quæ repunt ſerpuntq́, poſuit. At iam, ut ad nobiliorem laudandi opificis uniuerſi occaſionem deſcendamus, uos appello, ô mortales, ſed in primis

Reges terræ, & omnes populi, principes & omnes iudices terræ. Iuuenes & uirgines, ſenes
D *cum iunioribus.*

Omnes qui poteſtate aliqua inſigni prædíti ſunt ac dominio, ut ſunt potiſsimum reges, hîc à Vate ad laudandum Deum admonentur. Omnes populi, reſpublicas omnes intelligit, illosq́ qui priuatis utuntur legibus, ut nunc ſunt Veneti in Italia, Lucenſes, Sena ciuitas in Hetruria, Peruſium, atq́ non multò prídem Florentia, ac cæteri iſtiuſmodi generis proceres, qui turmatim res populorum moderantur, uelut indice cõmonſtrat. Principes uerò & iudices, pro magiſtratibus generaliter ius populo adminiſtrantibus, frænoq́ iuſtitię nocentes homines coërcentibus, hîc ſumi poſſunt: qui ſi boni ſunt & iuſti, quid in regionibus optabilius? quid ſanctius? quid tam dignũ, quo diuina laudari queat prouidentia, uiſum eſt unquã? Secus uerò ſi inueniuntur, nónne illud ſtuporẽ omnem excedere cenſeri debet (proinde maximis efferendus eſt Deus laudibus) cùm regi improbo, aut magiſtratui, tot hominũ millia parêre abſq́ ſeditione & tumultu cernuntur, illosq́ pro dijs in terra uenerari? Tametſi quidem maximum id ſit infortunium, ab impijs aut ſtolidis magiſtratibus hominum multitudinem gubernari, non idcirco tamen temerè dijudicanda ſunt Dei conſilia, qui noſtra ob ſcelera ſinit nonnunquã regnare, ut olim comminatus eſt, hypocritas. Sub hypocritæ nomine peſsimum undequaque intellige hominem. Sint itaque amentes noſtri, ut lubet, atq́ iniqui ſuperiores, ſemper tamen, ut dixi, laudandus eſt Deus: cuius in diſponendis hominum rebus conſilium ac prouidentiam uelle arguere, frænoq́ noſtræ temeritati iniecto reluctari, genus omne ſuperat ſocordiæ, ne dicam ſuperbiæ. Cæterùm neq́ mediocre id quidem eſt laudandi Dei argumentum, quod in ætatum hominũ uarietate ſplendeſcere cernimus. Morũ enim candor & ſimplicitas in aduleſcentulo, aut uirgine, nónne res eſt diuina? Quid robur in iuuene? quid agilitas? quid promptũ ad arma, ad literas, ad diſciplinas perdiſcendas ingenium? Debet ne in his laudari Deus, an reprehendi? Senum uerò maturitatẽ, grauitatem q́, prudentiã, in rebus q́ agendis mentem ue

getam

A getam & pudicam, quis non miretur? quis non, uti donum à ſupremo Deo collatum, mortalibus gratuletur? Vide igitur quomodo in quauis hominum ætate euidentiſsima nō deſit laudandæ Dei bonitatis occaſio. In omnibus ſanè his ueſtigia quædam numinis impreſſa eſſe animaduertimus, exin tremendā illius ueneramur maieſtatem. Quapropter

Laudent nomen domini, quia exaltatū eſt nomen eius ſolius: confeſsio eius ſuper cœlū & terrā.

Is unus eſt uerſus in hebræo, cuius ſenſum elegantiſsimè à Paraphraſte ſic redditum accepimus: Laudent nomen domini, exaltatum enim eſt & ſuſpiciendum nomē illius ſolius. Honor & gratiarū actio debetur illi ab his, qui ſunt uel in terra, uel in cœlis. quid? non ſolum quidem cœli ipſi & terra, diuinis reſonare debent laudibus, gratiarūq; actionibus, ſed & laudes illæ omnes quamlibet excelſæ & perfectæ, ſuperandæ oīmino ſunt, in dieſq; magis amplificandæ. Meritò igitur Dei nomen ſolum, nō noſtrum, aut immoderatè principum amicorumq;, colendū eſt tum in cœlis, tum in terra: meritò celebrandum, meritò laudibus efferendum: nanq; ſolus ipſe ſuam adamauit ſponſam, auxitq; illi gratias, dignitatē, robur, exiſtimationem. Ideo infertur,

Et exaltauit cornu populi ſui.

Diximus nōnunquā, quid cornu ſignet in ſcripturis. In hoc loco, dignitas eſt ac robur: niſi malis opinari, Vatem tum Chriſtū Dei uirtutē hîc præſagiſſe, quem non raro in prophetis cornu appellari legimus: ſed illud in primis, Erexit cornu ſalutis nobis, quod de Chriſto accipi non eſt qui ambigat, modò ſit uel mediocriter in prophetis exercitatus. Ergo

Hymnus omnibus ſanctis eius, filijs Iſraël populo appropinquanti ſibi.

Ab illis, inquit, quos ipſe ſanctificauit, quosq; ut ſui eſſent ab æterno delegit ſeculo, nempe Iſraël filios, credentes nimirum, atq; illi per amorem, uitæq; imitationem, propinquos & familiares, hymni panegyriciq; ardentes, atq; gratiarum
B perſoluantur actiones. Cui laus ſit & benedictio in ſecula ſeculorum. Amen.

PSAL. CXLIX. Halleluia.

Cantate domino canticum nouum, laus eius in Eccleſia ſanctorum.

Nulli dubium, hîc Vatem populi Dei liberationē è Babylone præuidentem, liberationem aliā, cuius illa typum gerebat, prædixiſſe. In illa quidem ſeruitute, à Chaldæis, hoſtibus ſcilicet immanibus & cruentis, miſerandum in modum oppreſsi fuere Iudæi: in hac uerò, à peccato, à morte, à diabolo, totū genus humanum. Ab illa, inquam, tantillam orbis portionem per Cyrum Babylonis regem manumiſſam legimus, ab hac autem per Chriſtū uniuerſorū dominū, orbem totū. Idcirco ut illi ſolitis ſuis cantiunculis, atq; inſtrumentis muſicis, à conſueto ſeruitutis onere liberi, Deo tum gratias egere: ita nos ab inſperata erepti captiuitate, nouo ſcilicet liberationis genere liberi facti, ad nouū dedicandum Deo canticum à ſpiritu inuitamur, qui ſic ſuam orditur paracleſim: Cantate domino canticum nouum, laus eius in Eccleſia ſanctorum. Ob nouum, inquit, atque eximium beneficium, nouum benefactori rependite canticum, reſonentq; illius laudes non ſanè in qualibet Eccleſia, ut eſt illa malignantium, ſed in Eccleſia ſanctorum, purarum ſcilicet mentium cœtu & congregatione. Vos itaque, qui noua facti eſtis per Dei filium creatura, nouam uiuendi rationem, quod nouum eſt canticum, aſſumite. Vetus iam error abijt, ueritas uerò per Ieſum Chriſtum facta eſt: quare nouum canendi modum conſtituite, gaudeteq; gaudio magno.

Lætetur Iſraël in eo qui fecit illum, & filiæ Sion exultent in rege ſuo.

Siue Hieruſalem filias, ſiue Iſraëlem, aut Iacob, in hanc ſcenam introducas, hi omnes Eccleſiæ perſonam referunt: cuius id proprium eſſe debet, in ſuo lætari ſponſo, in illoq; oblectari, atq; omni reiecta mundi conſolatione, exultare, quē ſuum regem eſſe ac dominum perſuaſiſsimum habet. In ſuo igitur conditore ſapientiſsimoq; architecto, lætetur Iſraël, populus uidelicet credentium: atq; ſub-

C inde, qui è Sion progeniti ſunt ſancti, cœleſtibuſq; ſpeculationibus aſſueti, talem contigiſſe ſibi regem gaudeant, exultentq; & triumphent. Hinc

Laudent nomen eius in choro, in tympano & pſalterio pſallant ei.

Eæ ſanè inſtrumentorum uoces ingentem debere eſſe lætitiam, gaudiumq; in ſpiritu ſancto, in electis arguunt. Eiuſcemodi quidem inſtrumentorum modulationes non niſi in præcipuis populi gratulationibus, ſtatisq; diebus, ac ſolennitatibus adhiberi conſueuerant. Eam ob rem ut innuat qualis debeat eſſe ob reconciliatum genus humanum Deo per Chriſtum lætitia & gratiarum actiones, uult Dei nomen & choro, & tympano, & pſalterio celebrari. Sunt qui, in choro, uertunt, in tibia, illud opinantes, de inſtrumentis ſolùm muſicis fieri mentionẽ. In honorem igitur illius nominis pſallant choro, pſallant tympano, pſallant chely, quotquot ad ſanctorum numerum attinent.

Quia beneplacitum eſt domino in populo ſuo, & exaltabit manſuetos in ſalutem.

Apertius ex hebræo uerti poterat, ut uertit Felix: Quoniam diligit dominus populum ſuum. polletq; perinde, ut, ne graue ſit uobis illum, qui uos diligit, laudare: deamat certè dominus populum ſuum. Effectus uerò huiuſce amoris qualis? Exaltabit, inquit, manſuetos, depreſſosq;, quò ſalui ſint, ſuſtollet. Id eſt enim manſuetos exaltari in ſalutem. Homines quidem de more præteritis in honoribus manſuetis, exaltant turgidos & ſuperbos. Contrà Deus, excluſis faſtuoſis extollit humiles. quod ſanè maximã tum nobis, quibus permagna eſt cum mundo cõcertatio & pugna, conciliare deberet uim fidei, tum illis qui ſe uictores putant, metum, ſuæq; ruinæ prænotionem atq; infortunij. Verùm quomodocunq; hi ſuum non aduertant periculum, atq; ideo in rebus exultent peſsimis, in innoxiosq; efferatiores in dies appareant, nihilominus

Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.

D Hoc eſt, tanta illorũ erit de ſuperatis hoſtibus gloria, quòd non ſolùm lætitia geſtient, uerumetiã in ipſis ſuis lectis & cubiculis, alioqui curarũ altoribus, gaudebunt, iucundeq; requieſcent. Sed aliud hîc mihi gloriationis genus ſubolere fateor, quo hilarem in modum efferri ſolent piæ ſanctorũ animæ, optimũ ſcilicet conſcientię teſtimoniũ. Non eſt (opinor) gaudium quod id æquare ualeat. quare non iniuria clamat Paulus: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimoniũ cõſcientiæ noſtræ. Quid illud? Abſit mihi gloriari, niſi in cruce domini mei Ieſu Chriſti. Ergo gloriatio ſanctorum crux Chriſti eſt, ſancteq; ſibi conſcia mens. Alij ut lubet, de adeptis, uel uſq; ad ſummum, diuitijs, delicijsq; & honoribus glorientur: mihi autẽ (inquit mens ſobria) tota mea erit gloriatio in cruce Chriſti: cuius uirtute adeò in ſublime euehor, ut ſperare audeã fore aliquando, ut in futura illa gloria, in qua multæ ſunt manſiones, cubiculaq; multa & cõclauia, exultem, lætercq; in ſponſo, qui eſt perfectiſsimus animæ ſtatus ac felicitas: ad quam quidem die noctuq; ſuſpirant ſancti. Interim uerò quòd eò proficiſcatur, ubi ſuus eſt amor,

Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.

Exultationes Dei in gutture eorũ, hebraiſmus eſt, quò iucundam illis fore exultationem exprimitur. Rurſus pro gladijs utrinq; collimatis, inuictam illorum uirtutem, roburq; hoſtibus formidabile intelligi uult Dauid. Vnde ſequitur:

Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorũ in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciant in eis iudicium conſcriptum.

Hoc eſt, iudiciũ à Deo præfinitũ, & de quo in ſacris ſcriptũ eſt annalibus, ſuũ tandem ſortietur finem. Iam illud uidetur fuiſſe hac de re atq; ultione ſcriptum in Deuteronomio iudicium ac ſententia, à Deo quidem lata, à prophetis uerò ſcripta: Si acuero, inquit, ut fulgur gladiũ meum, & arripuerit iudiciũ manus mea, reddam ultionẽ hoſtibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. Propterea, inquit, læti, glorioſiq; in aciem progredientur ſancti Dei uiri, enſesq; bicipites & denudatos idcirco geſtabunt manibus, quò ſeſe queant de exteris peregrinisq; ulciſci nationibus, populosq; penè infinitos caſtigare, ac ſuis à finibus arcere: re-

ges

A ges insuper, & cæteros sibi infestos tyrannos, catenis, arctisq; compedibus ac bois ferreis, & manicis, deuincire. Atq; eo sanè modo Dei iudicium suis à prophetis conscriptum, promissumq; in scripturis, suo non frustrabitur effectu. Quę quidem res sanctorum gloriæ atq; existimationi non poterit non feliciter uerti, obuenireq; ad uota. Ideo additum est:

Gloria hæc est omnibus sanctis eius.

Hanc gloriam puto esse sanctorum in acie spiritus uictoriam, ad quam sanè in hoc toto supercœlesti psalmo spectasse Prophetam arbitror. Etenim quæ hîc dicuntur, tametsi ad bellum, quo corporeis concurritur cum hoste telis atq; machinis, aptari & possunt & debent, attamen ad spiritum, cuius tutissimis armis muniri solent credentes, transferenda sunt. Arma enim militiæ nostræ, ut inquit Paulus, non carnalia sunt, sed potentia per Deum ad destructionem munitionum. O certè arma à pijs tantummodo tractata animis. Tu uide quas arma istiusmodi demoliantur arces & propugnacula. Consiliũ, inquit, destruentes, atq; omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiã Dei. Credo equidem, si nostrates hac proceres instructi forent armatura, quòd felicius suis in expeditionibus in infideles sese haberent. Verũ cùm his careant, quid illa ex ære, fuluoq; auro fabrefacta ostentant? In Turcas quidem hoc maximè tempore & terra & mari bellacissimos uictores, atque cum ipsis Christianorum regibus (infandum) confœderatos, absq; armis fidei, hoc est, non sedato prius ab omni turpi affectu animo & uoluntate, accersitaq; in societatem, quæ iampridem nostris è castris aufugerat, Dei religione, exercitus parare, haud tutum est: imò periculosissimũ, ut frequentissimis acceptis cladibus, amissisq; Christianorum copijs, augurari possumus. Succedent (suspicor) & infeliciora, simul ut uideo unà cũ flagellis augeri scelera, planctusq; miserorum ab atrocissimis rectorum prouinciarum depe
B culationib. exortos percrebrescere. Hinc enim (dirũ spectaculũ) milites Christianos ab inexorabilibus Arabis ac Turcis aceruatim contrucidari cernimus: illinc uno atq; eodem omnino tempore Christianos à Christianis opprimi, affligi, bonisq; propriis ac fortunis iniquissimè expoliari. Quid? uidi ego his oculis Christianum (prò facinus inauditum) in Tyrrheno hoc nostro ab infidelium manibus elapsum, ad Christianum littus capta iam naui confugere, opemq; à spectantibus è litore implorare: qui tamen præda (credo) allecti, miserabilem illum fesse admodum natantem (baltheum gestabat nummis plenum) afflictum, atq; (impedior lachrymis) quanto poterat nisu uicina petentem littora, fuste præacuto tranfixere, corpusq; deserto in littore inhumatum deseruere.

PSALMVS CL. Halleluia.

Laudate dominum in sanctis eius, laudate eum in firmamento uirtutis eius.

Non absq; mysterio psalmorum concinnator (quisquis tandem ille fuit, qui psalmos in eum, quẽ nunc habemus, digessit ordinẽ) illos ferè omnes, qui Dei laudes præ cæteris ardentius celebrant, sub finem uoluminis collocauit: sed hunc in primis, quem de laudibus in æterna patria concinendis differere non ignorauit. Tunc enim maiori affecti cognitione, in Deũ purius intenti erimus. Etenim quandiu in hac mundi crassitie positi, cum tardis sensibus, cũ peccato, cũ morte, cũ uarijs uitę incõmodis ac miserijs cõflictamus, uix raro ad ea intelligẽda, quę Deũ nobis unicè admirandũ faciũt, admittimur. Quare hebetiori, quæ acutissimo debueramus, intuentes oculo, illius magnitudinẽ nõ eo, quo conuenit, studio atq; animi libertate extollimus. Purius hæc omnia atq; ardentius à beatis iam animis in cœlo peragunt. De hoc itaq; æternarũ rerũ statu à Propheta hîc dici arbitror, cùm ait: Laudate dñm in sanctis eius. Videt dictio, sanctis, absolutè posita, pollereq; perinde atq;, in sanctis sanctorũ, seu, ut diuus uertit Hieron. in sancto eius. Fel. uerò, in sanctitate eius: hoc est, in sacrario Dei æterno: quod de loco sacro in Sion monte cæteroqui religioni cõsecrato, atq; in quo erat arca illa celebris testamenti, ob ea quæ sequunt, minimè dici posse iudi-

C co. Laudate, inquit, eum in firmamento uirtutis eius. Firmamentũ Hebræis eſt, expanſum, quod quidem doctiſsimus adnotauit Fel. qui ſic tranſtulit: In extenſione uirtutis eius. quã ſanè extenſionẽ de cœleſtis regni ſtatu per catachreſim intelligi uolunt. & eſt ſenſus: Laudate eum in firmamento potentiæ eius: id eſt, ubi potentia eius, alioquin in hoc mundo, ob ſenſuum tarditatem penè incognita, ſeſe detracto ignorantiæ huiuſce ſpiſſæ uelo, clarius uiſendam exhibet. Et ut quidem ueriſsimum hunc eſſe ſenſum non ambigo, ita illum quem uulgò ſequimur, exoſculor, & placuiſſe Paraphraſtę uideo. Sic ille: Laudate dominũ ob inſignem ſanctitatem illius, laudate illum ob cœlum, quod argumentum eſt fortitudinis illius. Primus tamen ſenſus mirum in modum placere ſolet his, qui ex aſsidua pſalmorum lectione ac guſtu, in eam tandem deuenere mentis alienationẽ, ut perfecto pſalmorũ curſu, ſe metã, qui Deus eſt in maieſtate reſidens, uel cùm non animaduerterint, attigiſſe gaudeant. Vnde ſi quid in pſalmis quod altiſsimũ idem non ſit, audire contigerit, faſtidiunt illicò. Siquidem cœleſtes iam facti, res illas ſolummodo admittunt & amplexantur, quæ cœleſtem uitæ ſtatum referunt. Proinde & illos qui ſequuntur uerſus ad eum interpretantur modum:

Laudate eum in virtutibus eius, laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius.

Virtutum nomine res ab eo, cùm in terra, tum in cœlis, ſapienter fortiterq; geſtas intelligit: hoc eſt, ea ratione factas, quę humanum penitus ſuperet ingenium & uires. Idem de multitudine amplitudinis eius, uarijs nimirum ſuæ prouidentiæ, quæ in cœlis maximè relucet, argumentis oſtenſæ, par eſt interpretari. Quæ ſanè omnia quemadmodum in hoc mundo tenui magis apprehendimus coniectura, quàm perfectè aſſequimur, ita ſimulatq; moribundis his artubus exuti, Deum facie ad faciem intuebimur, infinitò propius, quàm nunc fit, illa uti ſunt contemplabimur. Quanta, Deus bone, rerum illarum, quæ modò in ænigmate, ac ueluti per tranſennam cernimus, tunc erit cognitio, quantusq; amor,
D quàm immenſa uoluptas, quàm inenarrabilis, quàm longè à ſenſibus his brutis remota iucunditas. Interim uerò quòd ſtatum illum feliciſsimum nanciſcamur, mecum, inquit, unà omnes

Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in pſalterio & cithara. Laudate eum in tympano et choro, laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis.

Nunquam tanta uſus eſt inſtrumentorũ huiuſcemodi Muſices congerie Vates, quanta in hoc extremo omnium pſalmo, quo nimirum ad nobiliorem copioſioremq; nos hinc pertrahat conſiderandam, quàm ea ſit quæ in hoc mundo etiã à perfectiſsimis uiris impenditur, laudem. Etenim ſi in iſtiuſmodi cultu extero aut his aut illis quæ rei, de qua uis canere, ſint apta, utendum eſt inſtrumentis atque harmonia, in æterna nihilominus patria & beatitudine omnes intendendi ſunt nerui, plectroq; pulſandum, aut uoce contemperandũ humana, ſi quid eſt, quod harmoniam ciere poſsit. Id quidem uidetur natura omnibus comparatũ, ut ſi quem excellenter laudare, teſtimoniumq; illi uirtutum inſigne tradere affectant, quicquid lætitiam præ ſe ferre poteſt, magno adhibeant ſtudio ac plauſu. Sic uates mirabilem illam æternæ uitæ lætitiam, ac tripudium cum Deo, uolens exprimere, tot adhibet, ut uidemus, inſtrumentorum uoces, tubæ ſcilicet, pſalterij, quã uiolam eſſe iam diximus, tympani quoq;, chori, chordarumq;. quanquã hæc dictio Hebręis eſt, minim, inſtrumentum omnino noſtra etate incognitum. Rurſus organi, cymbaliq; bene ſonantis ſeu auditus: hoc eſt, ut interpretatur Felix, quod adeò magnũ excitet ſonum, ut à longinquo audiatur. Vnde ſic quidam ex hebræo uertit: Laudate eum cymbalis canoris, laudate eum cymbalis clangentibus, more nimirum tubarum in bello clangentium. Paraphraſtes etiã: Laudate illum taratantaris ſonoris, laudate illum taratantaris ad hilaritatẽ excitantibus. Vide quomodo ad exprimenda diuina, cõcita, ſummeq; ardentia & feſtina inculcat Vates. Ita ſe habent res ſpiritus: qui carnali adhuc uiuũt ſenſu, hæc

ut

A ut non intelligunt, ita derident. Raro enim quæ non cognoſcimus, amamus. At iam Vates ſuis impoſiturus modum ac finem laudibus, ad quas ſanè quæcunq; paſsim per orbem uniuerſum, addo & in cœlo, ſunt condita, ardenti, ut uidimus, inuitauit ſtudio, ad nobiliorem ſe uertit uniuerſi partem, dicens:

Omnis ſpiritus laudet dominum.

Hoc eſt, omnis uita, cùm hominum, tum angelorum, & quicquid tandem uitæ habet indicium, ſuum agnoſcat creatorem, illíq; ſoli gloriam, qui uita eſt omnium in ſe credentium immortalis, æterna, beata, inuariabilis, & ſuper omnem felicitatem feliciſsima, tribuat. Ad quam ego peccator, qui obſtruſiſsima omnium myſteria frigidiſsimis hiſce meis commentarijs dilucidare, melius dicerem contaminare, auſus fui, ſuſpiro, ingemiſco q;. O ſi, humaniſsime Lector, uel dictionem unam atque alteram, quæ diuinum referat honorem, in hoc meo tantillo labore ſcriptam inuenias, tum felix ſum & beatus, per Ieſum Chriſtum dominum meum, per cuius miſericordiam te rogo atque obteſtor, quiſquis es, qui hæc legere uolueris, ut meam miſeratus infantiam, ſic apud te dicas: Is pauper, quia aurum aut gemmam non habuit, papyraceum dedit donum. Dei quippe confiſus clementia, atque in peccantes facilitate, hæc non eſt ueritus balbutire. Nouerat ſanè quidem & ſe & ſua, ſed & illum quoq;, cui ſe à puero conſecrauerat. Cui laus ſit, honorq; & benedictio in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS HYMNORVM DAVID REGIS ISRAEL.

ELENCHVS OPERIS.

Numerus, paginæ: litera mox ſequens, eiuſdem paginæ partis, quam ipſa margini adiecta occupat, index eſt.

ABBATIS officium 299.d
Abel quale ſacrificium Deo obtulerit. 244.b
Abiæ ad hoſtes oratio 284.c
Abimelech præcidit ramos 251.b
Ablutiones Iudæorum 314.d
Abraham fidelium omnium pater. 349.c
Abrahæ filij qui reuera nominandi. 302.b
Abſtinentiæ commendatio 363.d
Abuſus in rebus omnibus perniciosiſsimus 346.b
Abyſſi ſignificatio in ſcripturis. 143.d.175.b.264.c.d. 446.b
Achab diuina ultione quàm ſeuerè punitus 253.a
Achitophelis aſtutia 262.b
Actiones noſtræ in re ſalutis cùm ſunt dubiæ, dubia et ipſa redditur ſalus 38.d
Actionibus noſtris fidere nequimus, quantũuis candidè & nobis & cæteris uiuere uideamur. 64.a
Adam cur fugerit faciem Dei. 294.a
Adæ præuaricatio 252.a
Adeps pro rerum affluentia 48.b 270.a. 385.c. 443.d
Adiurati qui dicantur 236.c
Adoleſcentia ad uitia procliuis. 87.c. 380.a
Adoleſcentiæ elegans deſcriptio. 380.a
Adorare apud Hebræos quid 5.d. 102.c
Adoratores ueri qui 330.b.c
Adorandi ritus 375.b
Adorandi uera ratio 334.b. 375.b
Admonitio popularis ac beneuola quo loco adhibenda 198.b
Aduerſitates cur feliciſsimæ appellandæ 162.d
Adulationis deteſtatio 211.a.b. 305.d. 339.d
Adulterij & ſcortationis malum in uniuerſum orbem debacchari. 205.d
Adulterij pœna 355.c
Aedes ſacræ & cœnobia quamobrem ædificata 94.b. 95.b.c. 96.c
Aedomæi gens ſordida 230.b
Aegypti deſcriptio 288.a
Aegypti ad fidem acceſſus 254.d
Aegypti plagæ 282.a.351.b.c
Aegyptiorum in Hebræos odium. 296.d
Aegyptiorum lingua Hebræis incognita Ibid.c
Aemulatio pro ira 289.b
Aequitas quid 335.b
Aëris frigidam plagam, & Solis ardorem, in ſcripturis pro aduerſitate accipi 195.b
Aeruginis dictione ſcriptura quid uelit 288.b
Aetas noſtra quare aurea dici queat 51.d

Aetatis felicis descriptio 130.b.c.d
Aetatis nostræ imago & facies spiritus sancti penicillo efficta 73.d. 130.c
Aetatis nostræ sanctimonia libentius publicis inseruit aspectibus, quàm secretis diuinæ maiestatis obtutibus 93.c
Aeternum seu sempiternũ Hebræis sæpe pro longo & indefinito tempore poni 200.a.246.a
Aethan locus 275.c
Aethiopum religio 254.d
Aeui nostri conditio tanquam penicillo depicta 39.b.74.a.130.c.d
Affectiones unde nascantur. 244.d
Affectus & animi motus in constantem etiam uirum cadunt 215.a
Affectus humani in Deo qua ratione dicantur 51.c
Affectuum ardores atq; ignes unde. 70.b.c
Affectuũ mouendorũ ratio ac summa 24.b
Afflictio piorum assidua 243.d. 267.c.d
Afflictio piorum quàm necessaria. 294.a
Afflictio quo crudelior, eò magis Deus interpellandus 236.a
Afflictiones piorum quàm graues. 366.a Vide Crux.
Agag typus 286.d
Agarenorum origo 300.c
Agnoscere quid significet in scripturis 204.c
Agricolatio sedula ad quid prosit. 240.c
Agrorum dimensionis ratio. 273.b 289.a.349.d.350.a
Alæ propitiatorij quid doceant. 258.a
Alarum similitudo immensam Dei bonitatem erga nos demonstrat. 47.d
Alarũ in scripturis significatio explicata 143.d.144.a
Alarum tutela quæ 221.d.318.b
Alexandrinorum schola 254.d
Alieni qui in scripturis 213.c
Allegoriæ non ubiq; in sacris literis quærendæ 435.d
Altaris cornua 378.c.d
Alter ut alterius uitam mordeat, omnibus quasi à natura ingenitum. 41.a
Amalechitarum origo 300.c
Amalechitarum crudelitas 267.a
Ambitio ædificãdi notatur 200.a.b
Ambitio sacerdotum 301.d
Ambitio spiritualis 240.d
Ambitio atq; dominandi cupiditas post deposita arma, abijcienda. 58.b
Ambitionis descriptio 276.d
Ambitionis imago 354.b
Ambitionis uis 126.a
Ambitionis detestatio 269.d.280.d 291.b.335.b.370.b
Ambitione labefactatur Christi Ecclesia 301.d. 302.a
Amen dictio explicata 172.d
Amens qui non satius ducit afflictionibus à Deo probari & perfici, quàm in croceis enutriri 101.b
Amicus rectus & æquus quis 91.d
Amicorum falsorũ descriptio 338.b
Amor diuinus quantus 230.a
Amor diuinus quasi ignis consumẽs 244.c
Amor diuinus nulla temporum intercapedine intercidit 235.d
Amoris natura 342.d
Amoris uis 317.c
Amoris exemplum explicatũ 26.d
Amoris diuini uis explicata. 128.b.c 302.a.319.b
Amoris stimulus clementia 363.a
Angeli triumphantis Christi comites 251.c.d
Angelorum descriptio 52.d
Angelorum obedientia 344.a
Angelorum officium 318.d. 319.a. 344.a. 345.a
Angelorum circa homines studium. 128.d. 311.d
Angelorum circa homines fidissima custodia 128.d
Angelorum pro reprobis tutela. 319.a
Angelorum operationes laudandæ. 311.d
Angelorum prauitas deprehensa. 31.b
Angelis inest uis ignea 344.a. 345.a
Angustia inseruiendi uitijs Deũ immensum & amplissimum à nobis excludit 77.d
Anima quid intelligatur 16.a
Anima pro toto homine 19.a
Anima pro desiderio & cupiditate nonnunquam in scripturis accipitur 98.d
Anima pro corpore animato 108.d 350.c
Anima cur corpori à Deo infusa. 84.b. 291.b
Anima cur aduersitatum lima corrodatur 205.a
Anima plumbea notata 22.d
Anima depositi nomine apud unũquenq; hominem à Deo collocata est 142.c
Anima terrenis rebus non satiatur. 268.b
Animæ uariæ acceptiones 285.c
Animæ fastus per iniuriarũ limam & scalprũ ualde atteritur 159.c
Animæ cõditio eleganter descripta. 90.a
Animæ hominis præstantia 200.d
Animæ cum Deo coniunctio quæ. 223.a.b
Animæ nigredo 250.d
Animæ uoces quæ 12.a.b
Animæ oculi, cognitio et fides. 90.d
Animæ pedes, affectus esse 144.d
Animæ frustra corporibus unitæ. 138.b
Animæ duritia miserabilis 217.c
Animæ calamitas maxima quæ. 173.d. 218.a
Animæ angustiæ enarratæ 112.c
Animæ anxietas depicta 35.d 256.a.b
Animæ afflictæ descriptio 207.b.c.d
Animæ exercitationes 216.d
Animæ tentationes descriptæ. 114.b
Animæ iacentis fulcra quæ 222.b
Animæ sitis 234.d
Animæ quies & perfectio 205.a 263.d.272.d
Animæ perfectio unde 219.c
Animæ perturbationes & consolationes 216.d
Animæ uoluptates ac deliciæ summæ quæ 82.b.c
Animæ periclitantis liberatio explicata 80.c.d
Animæ consuetudo ut sui contemptum non multi faciat 126.a
Animæ secreta 90.b
Animæ laquei ac retia quæ 90.c.d
Animæ interitus indiciũ quod. 139.c
Animæ mors quid sit 200.d
Animam in manu ferre quid. 389.a
Animam sceleſtam corpore pro malleo uti ad fabricanda uitiorum simulachra 211.d
Animarum perfectarum cibus quis. 198.c
Animarum purificatio in quo sita. 208.b
Animarum beatitudo perfectissima quæ 85.a

Animarum domicilium descriptum 399.b
Animarum sanctarum preces 30.b
Animarum insidiatores qui 54.c
Animaliũ uocibus pij interdum nuncupantur in sacris 249.c.d
Animus humanus natura ad legum obseruantiam amore magis ducitur quàm ui. 120.a
Animus languens in carnem quoq; ipsam mœroris notas emittit. 101.b.c
Animus rectus qui 121.b
Animi elati certa indicia 278.d Vide Superbiam & Arrogantiã.
Animi odoratus qualis 37.d
Animi diuitias omnes in fide erga Deum sitas esse 146.c
Animi morbo affecti signa 38.c.d
Annalia sacra 34.c
Antiochi imperium crudelißimum. 291.a
Antiochi impietas 274.d
Anthropopathia Deo tributa 37.d
Antistes ecclesiæ quibus uirtutibus præditus esse debeat 254.b Vide Pastores
Apostolorum sanctitas 255.a
Apum labor & opus quid significet 63.c
Aqua contradictionis 297.a
ex Aqua quomodo orta salus. 345.c
Aquæ Aegypti sanguineæ factæ. 282.d
Aquarum inundationes pro uitiorum profluuijs 402.b.c
Aquarum in scriptura significationes 54.a.243.d.256.a
Aquarum translatio pulchrè explicata 54.b.81.a
Aquilæ renouatio 342.a. senectus Ibidem
Aquilonis latus quid significet 195.c
Arabiæ felicis descriptio 267.b
Arbitrium liberum quod 89.b.c
Arbitrium nihil aliud quàm sui libertas 12.c
Arbitrium an homini liberũ. 348.a. 349.a
Arbor plantata quæ dicatur 2.a
Arca Dei cur in bello capta 289.c
Arcæ ueteris testamenti mysteria. 247.a.b
Arcus pro celeritate pœnarũ 20.c
Arcus pro robore ac fortitudine. 180.a
Ardea auis 346.c
Argentum in scripturis pro doctrina & uita puriore 35.a
Arietes in scripturis quid 241.b
Arma omnia, omnes uires in Deo sitas esse 50.b
Arma Christiani militis 436.a
Aaronis fides 351.b
Aaronis sacerdotium quale 365.c. 421.a Erga Deum studiũ. 333.c
Aaronis familiæ sanctitas 372.a.b
Arrogantia & fastus doctè confuta ta 87.d
Arrogãtia impiorũ euanescit. 247.c
Arrogantiæ detestatio 272.a. Vide superbiam.
Arũdinis significatio in sacris 254.c
Ascensionis CHRISTI fructus. 251.d.252.a
Asini nomen quibus hominibus conueniat 249.d
Assensus, uoluntas, & ipsa quoq; potestas amplectendi bona, Dei donum 31.d
Assentatorum improbitas 211.b. 305.d.339.d
Astra etiam ipsa immunda coram Deo 31.b
Astrologorum & magorum præsagia confutata 111.c.d
Auaritiæ imago 354.c
Auaritiæ malum in uniuersum orbem debacchari 205.d
Auaritiæ studium 382.d
Auaritia quàm pernicioſa 294.b. 369.b
Auaritia sacerdotum taxatur 281.d
Audaciæ genus periculosißimum quod 87.d
Aurum in scripturis pro fide & charitate 35.a
Aurum Arabicum 268.a
Aurum & lapides precioſos pro diuinis eloquijs usurpari 63.c
Autoritas principem ornat 291.a
Azymorum solennitas 296.b
Azotiorum pœnæ 290.a

B

Baal deus 355.b
Babylonis infelicitas 425.c.d
in Babylone quanta Iudæorum fuerit captiuitas 424.b.c
Babylonicæ captiuitatis typus. 277.a
Baculum, uirga & pedum, quid significent 82.a.b
Baptismi uera imago 359.a
Baptismi iuramentum 236.c
Baptismi uotũ quàm sanctè seruandum 335.d
Barbari Iudæorum 370.d
Basan diuina ultione punitus 252.d
Beatitudo & felicitas æterna unde proueniat 407.d
Beatitudo uera in quibus consistat. 302.b.303.c.304.c.309.a. 368.a.b.379.b
Beatitudo uera quæ 1.a.117.b.c.d
Beatitudo falsa quæ 134.d
Beatitudinis Christianæ summa. 1.a. 295.d
Beatitudinis norma compendioſa. 137.a
Beel deus 355.a.b
Bellum nostro tempore in Aegæo et Punico mari contra Scythas & Arabes 20.d
Beluarũ genus nullũ quod in sui simile, nec in alienũ quidẽ ita sæuire audeat ut homo in hominẽ. 402.c
Benedictio & benedicere quid. 8.a
Benedicere in sacris quid 344.b
Benedictio sacerdotis 246.b
Benedictionem & misericordiã in scripturis frequenter idem significare 84.d
D. Benedicti cõtra scurrilitatẽ præceptum 442.a Eiusdem de obedientia præceptum 344.a
D. Benedicti cum sorore colloquiũ. 442.a
Benedictinorum infinita cœnobia. 340.c. Eorundem regula qualis 367.b Vota 389.d
Beneficentiæ diuinæ dona quàm ampla 305.b
Beneficentiæ diuinæ effectus 268.a
Beneficia Dei cum gratiarum actione extollenda 235.b
Beneficia Dei ubiq; & ab omnibus celebranda 328.c
Beneficiorum exprobratio 283.d
Beneficiorum obliuio inhoneſtißima 373.b
Beneuolẽtiæ diuinæ cogitatio quàm neceſſaria hominibus 282.b.c
Beniamin tribus omnium minima. 254.a. unde nomẽ accipiat. Ibid.
D. Bernardi laus 317.d
Bethsaida patria trium Christi discipulorum 254.a
Bona corporea, media appellari. 410.d
Bona fortunæ mutationi semper obnoxia 368.b.c
Bona hæreditaria qualia 43.d
Bonum summum quod 102.c
Bonorum omniũ solus Deus autor 272.c
Bonorum calamitates citò finiendæ. 108.a

Bonorum omnium consilium in hoc uno uersatur perpetuò, ut Deus colatur 76.c
Bonorũ desideria & meditationes. 44.d

C

CAesaris naufragium 347.c
Cain quale sacrificium Deo obtulerit 244.d
Calamitatem occasionem esse uirtutis 108.d
Calcaneus pro uitæ exitu in scripturis 199.d
Calicis descriptio 44.d
Calicis significatio explicatur 33.b c.82.d.83.d
Calumnia quid 391.c
Camilli Vrsini exemplum memorabile 109.d
Campaniæ concionatores quales. 388.d
Campaniæ mulieres piæ Ibid.
Candax Aethiopum regina 254.d
Canticum in psalmis quid 278.d
Canticum nouum quod 121.d.122.d
Cantilenæ quæ pias aures offendunt inter Christianos non ferendæ. 384.b
Cantilenarum in templis usus 253.c
Cantiones ad Deum referendæ, non ad obscœnos amores 60.b
Cantionum nouarum ratio & mos antiquus 121.d
Canum in sacris significationes. 226.d.227.d.242.b
Captiuitas humani generis 40.b
Caput quid in sacris significet. 252.d
Caput erigere quid 6.d
Capitum motio liuoris & contemptus signum 363.d
Carbones pro bonæ naturæ dotibus 52.b
Cardinalatus desiderium 301.d
Carnis quæ natura 212.d
Caro pro amore proprio 43.b
Castigationis diuinæ fructus quàm salutaris 377.b
Cataractarum significatio & definitio 175.b.c
Cedri arboris natura 321.c usus. 446.c
Cedri arbores frequenter in scripturis pro mundi huius potentioribus accipiuntur 103.b.c
Ceila urbs à Dauide liberata 214.b
Ceilæ urbis obsessio 373.c.d
Ceilæ urbis exemplum 216.d
Ceremoniæ non pietas sunt, sed pietatis testificatio 55.c
Ceremoniarum & rituum ratio. 188.b. 220.d
Ceremoniarum ratio quæ seruanda sit 55.c
Ceremoniarum ac libationum immensum aceruum neminem unquam integrè executum 204.b
Cerui animalis natura & proprietas 104.d. 105.d
Ceti marini natura 347.d
Cham terra quid 350.d
Chananeæ mulieris fides 264.d
Chaos descriptio 345.b
Charitas perfecta quæ 41.c
Charitas Christianorum symbolum 274.c
Charitatis ueræ uis 86.c
Charitatis ueræ præcipua indicia. 41.b
Charitatis fructus uberrimus. 261.d.b
Charitatem cur tam exactè à nobis requirat Deus 363.d
Charitatem à seipso incipere, ut falsum abrogatur 41.c
Cherubin 293.c
Cherubin ueteris testamenti quid significarint 332.b
Cheteb dæmon 318.c
Choræ seditio 354.b
Christus promissus in scriptura. 303.d.311.d.c.315.b.331.c
Christus Abrahæ olim promissus. 268.c
Christus ex semine Dauidis 311.d. 418.d
Christus cum suis cõsanguineis cur è tribu Iuda 254.d.290.b
Christus summum bonum constituitur, contra definitiones philosophorum 130.d
Christus dum stulta in hoc mundo elegit, omniũ dominus factus est. 381.d.b
Christus uerus Deus & homo 313. c.364.b.c
Christus Dei patris misericordia dicitur 196.d
Christus propitiatorium 247.d.b
Christus solus mediator 331. c. 377.c
Christus caput suæ ecclesiæ 251.d. 418.d
Christus ecclesiæ suæ fundamentum 307.d
Christus ecclesiæ suæ autor et instaurator 277.d
Christus uerus pastor 292.d
Christus confractæ religionis instaurator 245.c
Christus sui Euangelij æternus propugnator 266.b
Christus sol iustitiæ 254.c
Christus cur soli assimiletur 314.b
Christus scopus unicus salutis nostræ 307.d.308.d
Christus unionis nodus 241.c
Christus immunis ab omni peccati labe 256.b.c
Christus Oceanus quidã è quo gratiarum amnes profluunt 68.c
Christus finis & perfecta uirtutum omnium consummatio 32.d.112.d
Christus sanctorum omnium nexus est 133.d
Christus omnia iura regnorum disponit, calcatq; regũ colla 69.d. 191.c
Christus cur exercituum dominus. 191.c
Christus præteritarum rerum omnium & uaticiniorum nodus & finis 196.c
Christus solus, rex magnus uerè appellatur 192.d
Christus signũ cõtradictionis. 307.b
lapis offensionis 377.c.d
Christus cur in signũ factus cui contradicitur 297.d
Christus persecutionũ imago 59.b. 247.d.b
Christus quibus malis in hoc mundo expositus fuerit 307.d.309.b.c.d
Christus mundo fabula 257.c
Christus à fratribus suis cõtemptus. 257.d
Christus uerus psalmorum multorũ interpres 361.c
Christus peccatores non reijcit. 241.c
Christus quomodo dona accipere dicatur 251.d
Christus cur admonitus à patre. 4.d
Christus hodie quoq; in suis membris proditur, uænit, crucíq; affigitur 171.d
Christi nomen æternum 268.b
Christi natiuitas 307.b
Christi miraculosa natiuitas. 365.b.c
Christi natiuitas in quibus præfigurata 266.b.c
Christi natiuitatis fructus 295.d. 303.c.d
Christi ætas aurea deliniata 191.d
Christi aduentus maiestas descripta. 144.c
Christi diuinitas perpetua 314.b

Christi naturæ duæ declaratæ. 364.b.c. 156.d.313.c
Christi regnum 238.d.289.b 294.c.311.d.313.d
Christi regnum quo loco inceperit. 364.b.c
Christi regnum quale 265.b.c 329.b
Christi regnum uniuersale 266.d
Christi regnum quàm amplum. 266.d.313.c
Christi regni uis tota in misericordia consistit 60.c
Christi regnum, et æqualis cum Deo potestas 322.a
Christi absolutißima in Deo sapientia 256.d
Christi sacerdotium quale 289.b 365.b
Christi uoluntates duæ 68.b.c
Christi uita qualis 137.d.214.c
Christi mores & uirtutes pulcherrimè enarratæ 79.d. 80.a
Christi clementia 259.c humilitas 309.b in hoc mundo paupertas 260.b
Christi beneficia erga genus humanum descripta 155.b.6.c.d
Christi iugum quàm amœnũ 259.a
Christi crux quàm aspera 301.a
Christi in monte Thabor transfiguratio 312.b
Christi in Iudæos pertinaces imprecationes 259.b
Christi ad patrem oratio charitatis plena 305.b.c
Christi ad patrem pro sua Ecclesia oratio 271.b
Christi conciones omnibus expositæ. 198.b.c
Christi uerba, iacula erant ignita. 183.d
Christi in genus humanum immensa beneficia 223.b.256.a
Christi anxia pro suis cura 255.d
Christi meritum 364.d
Christi meritum quàm amplum. 304.c.d.327.d
Christi sacrificium quàm efficax. 365.b.c
Christi perfecta & consummata uictoria 365.d
Christi diuina præsentia descripta. 202.c.d
Christi crux Iudæis scandalum, gentibus stultitia 256.d
Christi cum tenebrarum principe congressus 252.a
Christi obsidio ostensa 74.b
Christi uictoria et triumphus 85.c 331.b
Christi triumphantis arma 304.a
Christi mors quàm preciosa 251.a 273.b. 293.b.353.b
Christi resurrectio ad quid prosit 247.b.251.d
Christi ascensio 251.d
Christi ascensionis fructus 252.a
Christi ascendentis in cœlum dona. 251.d.252.a
Christi absentia quid toti orbi incõmodet 131.b
Christi in spiritu effigies deliniata. 137.c
Christi iudicium q̃ horrendũ. 277.a
Christi nomen cur Dauid sibi attribuat. 303.a
Christi amici quomodo in terris tractati 215.a
Christi sectatores cur habeantur odio 258.a
Christi hostium descriptio 256.b.c
Christũ in psalmis continuũ esse. 8.b
in Christo omnes sapientiæ thesauri 254.b
in Christo duæ naturæ 265.c.313.c 364.b.c
in Christo duarum naturarũ typus. 299.a
Christianæ uitæ descriptio 335.b
Christianæ religionis hostes potentißimi 256.a.b
Christiani nominis professio quid requirat 277.b
Christiani animi officium 257.d
Christiani hominis uita quomodo instituenda 275.d.242.d.309.a 319.d.374.b
Christiani perfecti typus 320.b
Christiani pectoris signa 274.c
Christiani fucati qui 13.b
Christiano nil turpius quàm mortis metus 39.c.d
Christianorum in religione quanta oscitantia 378.b.c
Christianorum arces Christi hostibus ob custodum auaritiam prodi tæ 197.d
Christianorum reipublicæ membra diuersa 10.a
Christianorum libertatem cœlorum alterationibus subiectam esse, summa impietas 99.c
Christianorum cum Turcis comparatio 396.a
Cibus cœlestis quàm efficax 286.b
Cirtæ obsidio 347.c expugnatio. 422.c
Citrus arbor quæ, & quomodo à Cedro differat 103.c
Ciues urbis sanctæ descripti 408.c
Clamor in scripturis cordis est, non uocis 11.d
Clamoris significatio explicata 77.c
Clementis VI. Pontificis max. mors 351.c
Cœlum crystallinum 446.a
Cœlum pro aëre 23.d
Cœli animati 255.a
Cœli qui uocentur 203.d
Cœlorum descriptio 60.d
Cœlorum seruitus ad Christi nutum 203.b.c
Cœlorum structura ordinatißima. 60.d
Cœlorum noua facies 341.a
Cœlorum animatorũ deliciæ 255.a
Cœlestium rerũ profunditas 238.a
Cœlestium rerũ memoria quàm delicata 348.d
Cœlestium rerum cognitio quàm necessaria 320.c
Cœnobia cur à ueteribus instituta. 340.b.c
Cœnobiorum uerus usus 276.b
Cogitationes tetræ & immundæ quæ 32.b.113.a
Cogitatio sui uera, totius salutis fermè summa est 142.b
Cognitio nulla neq; in cœlis neq; in terris de salute nostra esse potest, nisi Christus nos doceat 76.c
Cognitio rerum quando noxia. 401.a
Collium nomine in sacris quid intelligendum 265.d
Colloquiorum leuitas uitanda. 227.c.d
Columbæ significatio 218.d
Columbarum similitudo 215.b.c
Comedere fructus uiæ suæ quid signet 298.a
Commodi proprij studium 257.b 344.b.c
Conceptus hominum turpitudo summa 207.d
Concilij uniuersalis expectatio. 406.c
Conciliorum celebrandorum robur & fundamentum 8.a
Concilia & conuentus sancti qui. 137.c
Cõcionatoris diuini sapientia. 199.a Vide Pastores.
Concharum natura 346.d
Concordiæ piorum 237.b
Concordia in Ecclesia Christi quàm

neceſſaria 302.a.420.b.421.a
Concordia in Chriſto quærenda. 340.b
Concordiæ commendatio 306.c 420.b
Conditarum rerum trifaria diuiſio 347.b
Confeſsio quid 21.b
Confeſsio auricularis 333.d
Cõfeſsiones auriculares tam crebræ unde natæ 246.b
Confeſsio fidei quàm neceſſaria. 246.a.277.a.b.383.a
Confeſsio ad ſalutem ſit intrepida. 254.b
Conſcientiæ felicitas quæ maxima. 18.d
Conſcientiæ uulnera 156.a.b
Conſcientiæ malæ tormenta 8.c. 434.b.c
Cõſcientiæ purificatæ ſplendori ſol ipſe cedit 25.b
Conſcientiarum tranquillitas.266.d 444.c
Conſilia Dei inſcrutabilia 320.b.c
Conſilia noſtra quid ualeant 36.a
Conſilia impiorum aduerſus ueros Chriſtianos 300.a.b
Conſiliarij principum praui deſcripti 35.c
Conſolationis neruus ac robur præcipuum 396.c
Conſuetudines ſanctæ ſupplicandi Deo quatenus in Eccleſia ferendæ. 70.a
Conſtantia fidei 233.c.d
Contemplatio rerum conditarũ mirabilis 21.d.22.d
Contemptus Dei & proximi unde naſcatur 269.d
Contemptores ueritatis piorum interitu gloriantur 273.d
Cõtemptores Dei ac Euãgelij quàm grauiter puniantur 301.a
Contentioſos, mundi amantiores eſſe, quàm Dei, qui pax ſumma eſt. 116.b
Conuenticula impia in Euangelij expugnationem 253.d
Conuentus religioſiſsimi qui 398.c
Conuerſatio impiorum fugienda. 336.a.b.385.a
Conuerſio uera ad Deum quomodo fiat 304.a
Conuiciis non certandum 431.c
Conuiuia ſacra olim inſtituta, in quibus Deo gratiæ agebantur. 374.d
Conuiuiorum luxus & impietas Ibid.
Cor, animæ receptaculum 210
Cor humanum nunquam ſuos ſedare poteſt affectus & appetentias, niſi illis in rebus quæ æternæ ſunt. 147.b
Cor cœleſtis originis eſſe 8.d
Cor quando ſanctarum cogitationum domicilium fieri poſsit. 65.a
Cor purum & immaculatum Deo offerendum 235.b.c.238.c
Cor maris, pro medio maris 189.d
Cordis peruerſi indicia 29.d
Cordis mundi excellentia 208.d 209.a
Cordis puritas quæ 208.d
Cordis lætitia quid differat à terrena 11.b
Corde inquirendus Deus 380.b.c
Cornu in ſacris quot modis accipiatur 278.a
Cornu pro potentia 312.d
Cornu in ſcripturis pro robore, uirtute, potentia, gloria, & regno denique 50.b
Cornua altaris 378.c
Corporis odoramenta deteſtabilia. 37.c.d
Correctio quàm uariè accipiatur. 329.a
Correctio diuina quàm ſalutaris. 313.d.385.d
Correctio fraterna quàm neceſſaria. 257.b
Corruptum & integrum quomodo ſumantur 37.c
Corui nigredo in ſacris quid. 250.d
Coruorum pulli quàm mirabili Dei prouidentia alantur 443.a
Coruorum Noë typus 250.d
Coturnices uento in Hebræorum caſtra allatæ 286.c. 352.a
Credentiũ numerus diminutus. 33.d
Credentium unitas 306.c.d
Cremium quid 337.c
Crudelitatis deteſtatio 363.b
Crux ſemper pijs impoſita 350.c
Crux quàm neceſſaria hominibus. 337.b
Crux cur pijs interdum oneroſa. 259.d.279.b
Crux pijs eſt uita, impijs mors. 377.b
Crucis uia delicata 438.d
Crucis tolerantia 366.a
Crucis ſuauitas & myſterium quod 229.c
Crucis myſterium priſcis temporibus cultum 24.a
Crucis piorum uera effigies 235.a 267.d.307.a.374.d
Crucis ac perſecutionis imago Chriſtus 247.b
Crucis & afflictionis fructus 292.b 377.b.385.c.d
Crucis ac afflictionũ finis quàm glorioſus 236.c Vide Afflictio.
Cubile in ſcripturis pro ſecretioribus cordis latebris 10.c.143.b
Cultus diuini & munditici morum diſcrimen 77.d
Cultus diuini rudimentum primũ, linguæ candori ac munditiæ aſſueſcere 130.b.c
Cultus diuini ſumma, amor, nõ cruor aut timor 204.b
Cupiditatũ comparatio ad belluas. 18.d
Curarum nimiarum uanitas declarata 408.d.409.a.b
Cuſtos malus ſuarum rerum, bonus haudquaquam aliorum eſſe poterit 28.d
Cyniphes quid 351.c
Cynomyiæ quid 288.b
Cyſaræ ducis interitus 300.d

D

Daemonis imago 347.d
Dæmones docti 253.c
Dæmones ad tempus filio Dei præualere uidentur 54.b
Dæmonum acuitas 257.c nequitia 91.c inſidiæ 258.a.288.b
Dæmonum uaſtum imperium in orbe terrarum ante acceſſum diuini uerbi 25.b
Dæmonum malorũ nomina 319.b
Dæmonum uenatio in animarũ perniciem 403.b.c
Dæmonum uates furore temerario atq; impotenti perciti, nihil quàm falſa effutire poterant 165.b
Dæmonum caſtra deſcripta 96.b
Dæmonum uictoria qualis 134.c
Damarum natura 346.c
Damnatorum cruciatus deſcriptio. 199.c.d
Dathan interitus 354.b
Dauid an omnes hos pſalmos ſcripſerit 417.b
Dauid cur in pſalmis contraria interdum adferre uideatur 317.a
Dauid Ceilæ urbis defenſor 213.a
Dauid diuina prouidentia paſtor factus 290.c
Dauid in multis fuit typus Chriſti uenturi 236.d
Dauid cur ſe Chriſtum uocet 303.a
Dauid & ſancti uiri cur aliquando tam

tam dira hoſtibus imprecati ſint. 17.d
Dauidis & Moſis mira conuenientia. 23.c
Dauidis doctrina 225.c
Dauidis domus pro Dei familia. 399.d
Dauidis in lege domini peritia. 293.c
Dauidis erga legem Dei ſtudium. 380.381.382.383.384.
Dauidis fides quàm firma 311.b 374.b
Dauidis humilitas 375.a
Dauidis in regem electio 313.a
Dauidis imperiũ quàm latum 313.c
Dauidis regniũ æternũ dicitur quatenus deſinit in Chriſtum 96.c
Dauidis perſecutiones 232.c 373.b 374.c.376.b.c.426.d exilium 430.d anguſtia in deſerto Ziph. 234.c
Dauidis in ſpecum Engaddi fuga. 432.d
Dauidis ſcelus horrendum 207.a pœnitentia Ibid.
Dauidi factæ de Chriſto promiſſiones 311.b.315.b
Dauidi perpetua ſeminis ſucceſsio promiſſa 311.b
Dauidi cur ob adulterium, promiſſiones diuinæ non factæ ſint irritæ 313.b
Deber dæmon 318.c
Decoctores hæreditatum & bonorum eccleſiaſticorũ notati 161.a
Defectio à fide quàm perniciosa. 272.c
Defectionis ultroneæ à Deo iudicium 55.b
Defectiones Aegyptiorum à fide. 254.d
Delatorum impudentia 214.b
Dentium ſignificatio in ſacris. 224.c
Deſperatio aliquando homines etiã perfectiſſimos occupat 116.c
Detrectatio unde naſcatur 363.b
Detrectantium ingenia 270.c
Detrectationis deteſtatio 336.b
Deus nomina omnia, & nullum nomen habet 21.c.d
Deus talis nobis eſt, qualem uolumus nos eſſe ac credimus 55.d 317.a
Deus in ſcripturis more humano ſe nobis accommodat 33.a
Deus abſq; ſimulachris cultus olim. 371.c
Deus ſolus adorandus, & creaturæ creatori nõ præferendæ. 327.d 328.a
Deus ubiq; & in omnibus 427.c
Deus cur in cœlis habitare dicatur. 67.c
Deus quare certã ſibi ſedem in qua rogaretur præſcripſerit 65.d
Deus in iudicijs non præuertendus. 103.d
Deus bonorum omnium copiæ cornu 116.d. 262.c. 348.a
Deus ſolus uerè immaculatus ex ſe & eſt, & dici debet, nos uerò per ipſum 57.b
Deus in electorum cordibus qualem ſedem habeat 330.a
Deus ſuis ſemper præſens 352.a
Deus perpetuus indefeſſuſq; ſuæ Eccleſiæ defenſor 198.a
Deus uiciſsitudine miſeriarum & conſolationum ſuos experiri ſolet 108.b
Deus perfectiſsimos quoq; interdũ uſq; ad deſperationem animi exagitari ſinit 174.d
Deus ſuos igne aduerſitatum exercet 33.a
Deus immutabilis 234.b. 314.a 341.a
Deus quibus placari poſsit uirtutibus 328.b
Deus ſua dona uult noſtra eſſe 46.a
Deus cur terribilis eſſe à ſcriptura dicatur 327.d
Deus quàm conſtans in ſuis promiſſionibus 255.c. 335.a. Vide promiſsiones
Deus admonet antequam puniat. 355.a
Deus eo propoſito mortalis factus eſt, ut homo homini abolitam naturæ legem innouaret 81.a
Deus licet nefarios interdum homines in pios concitet, eos tamen nõ inultos ſinit 288.d
Deus per dæmones & angelos malos interdum punit homines. 288.b
Deus obliuionis cur à pijs accuſetur 276.d
Deus qua ratione quærendus & inueniendus à peccatoribus 393.a
Deus ſemper laudandus quoquouer ſum ſe ſors et fortuna uertat 127.b 312.a. 348.b. 357.d
Deus quare ignis urens dicatur. 345.c
Deus zelotypus animarum 326.b
Dei bonitas imperſcrutabilis. 342.d 343.a
Dei bonitatis deliniatio 83.b
Dei digitus eſt ipſe Spiritus ſanctus. 23.a
Dei facies pro uiſitatione eius. 115.a
Dei uox ſeu uerbum, uis & uirtus eius appellatur 102.d.103.a.b
Dei nomen quid 65.c
Dei nomen fortiſsimum 67.b
Dei nomẽ cognoſcere quid 319.b
Dei nomen cur toties in pſalmis inculcatum fidelibus 252.c
Dei nomen duabus rationibus extollendum 255.b
Dei nomen celebrandi deſiderium unde naſcatur 255.b
Dei facies ſeu uultus quid 97.d
Dei facies uera de illo notio eſt. 173.d
Dei aures, ſapientia & miſericordia 110.c
Dei uterus quid 365.b
Dei clypeus 303.b
Dei uijs inambulare quid 411.c
Dei præſentia in omnibus conſideranda 298.d
Dei ſuper arcam fœderis præſentia. 274.a
Dei ſedes deſcripta 51.b
Dei cum Adæ poſteris pactum æternum 372.c
Dei cum Abrahamo pactum quale. 349.c.d.352.b
Dei in diſtinguendis moderandisq; rebus conditis prouidentia. 275.c
Dei magnitudo in terris quæ 222.c
Dei imperiũ omnibus numeris perfectum 351.d
Dei potentia quàm immenſa 332.c
Dei æterna poteſtas ex quibus intelligenda 323.d
Dei benignitas declarata 88.a
Dei ingentia in nos beneficia. 124.d 233.c.245.b.c.252.b.262.c.363.d
Dei in infimæ ſortis homines beneficia. 245.a.b. 248.b. 298.d. 343.c. 345.c.d. 346.a.b
Dei beneuolentiæ erga electos ſigna 280.b
Dei dona etiam in Ethnicis agnoſcenda 41.d
Dei abſque Chriſto nulla cognitio. 333.b
Dei erga inuocantes ſe clementia. 262.a
Dei clementia etiam erga rebelles quàm magna 356.c
Dei longanimitas 176.b.c.287.c

Dei misericordia quàm multiplex. 245.c.258.a.b
Dei misericordia quàm abundans. 342.b.c.d
Dei erga suos uigilantia 293.b
Dei iustitia quæ 110.b
Dei maiestas ac splendor 255.c
Dei sapientia in creaturis admiranda. 345.c.d.346.a
Dei consilium immutabile 234.b.c 349.d
Dei consilia inscrutabilia 320.b.c
Dei consilia immensa, & quæ omnem numerũ & cogitationem excedant 165.d
Dei uerbum pro signo et uexillo esse 229.d
Dei uerbum uerum animæ edulium. 78.b
Dei uox fortissima contra Hiericontinos 105.a
Dei uerbum rerum conditarũ exordium atq; origo 125.d
Dei uox etsi supera & infera omnia perterrefaciat, suos tamẽ occultissimum in modum recreat 105.b
Dei populus qualis 8.a
Dei seruus quis 141.d
Dei filiorũ felicitas descripta 152.d
Dei uoluntas quomodo explorandа 380.d
Dei furor & ira quæ 15.c
Dei ira quàm terribilis 279.d
Dei irati signa 288.b
Dei, aut Dei nominis inuocatio. 39.c
Deum in sole habitare quid 62.b
Deum magnificare quid 140.d
à Deo eiusq; uerbo discedere quàm periculosum 271.c
Deo uel tantillum absente recidunt omnia in peius 47.b
de Deo non superbè uel temerè loquendum 278.a
Deo soli omnis debetur gloria. 255.a.b
Deo gloriam offerre quid 102.c
Dij alieni qui 297.b
Dij qui in scriptura appellentur. 102.a.202.b
Dij appellantur principes ac magistratus 298.d
Dij gentium non adorandi neq; colendi 327.d.328.a.330.b.c
Deorum simulachra detestantur. 330.b
Deorum terrenorum explicatio. 297.c
Dextera Dei pro uirtute & potentia eius 47.d pro uita æterna 46.a pro misericordia. 18.a
Dextera patris Christus 57.d
Dextera Dei quid 197.a.377.a
ad Dexteram patris sedere 364.c
Dialogorum ratio 318.d
Diabolus mendaciorũ pater. 242.b
Dialectica tractandarum scripturarum spiritualis, quieta & pacifica est, non illa contentionum plenissima 31.b
Dies cœli quid 313.d
Dies pro fortunatis uitæ successibus in sacra scriptura frequenter sumi 175.d
Dilectionis fraternæ commendatio. 274.c.287.b
Dilectionis fructus 261.a.b
Diluuij aquæ quid portenderint. 105.c
Diplois uestes 364.a
Discipulorum Christi symbola quæ 274.c
Discordiæ detestatio. 252.d.306.c.d 373.d
Discordia in Ecclesia Christi quàm pernicioſa 301.d
Discordiarũ fabricatores plurimi, pacis uerò perpauci 396.b
Dispensationis diuinæ ordo mirabilis descriptus 101.b
Disputationes de gratia & arbitrio impudentes notatæ 126.c
Dissidium inter Ecclesiæ proceres subditosq; elegãter depictũ. 169.b
Dissipator quis 47.a
Diuina non nisi in uasa tanti numinis capacia infundi debent 198.d
Diuina in improbos scueritas. 238.a.b
Diuinæ potentiæ signa 329.c.d
Diuini in nos furoris signa 310.b.c.d
Diuitiæ qua conscientia parandæ. 234.a
Diuitiarum natura 368.c
Diuitiarum ratio quæ esse debeat. 148.c
Diuitiarum usus legitimus 369.b
Diuitiarum fragilitas 239.c
Diuitum in hoc mundo conditio. 149.b.269.d
Diuitum descriptio 129.d
Diuitum impiorum exitus 202.a
Doctores falsi qua ratione hominibus imponant 387.a
Doctorũ legis diuinæ arrogantia et peruersitas notata 206.a
Doëgi crudelitas 210.d.262.b
Doëgi delatoris assentatorisq; interitus 211.c
Dolus leuiter, etiam cùm non suspicamur, in spiritum clàm repit. 119.a
Dolum in spiritu uersari quid. 118.b
Doloris descriptio 50.c.d
Doloris notæ 309.d.310.a
Dominus exercituũ descriptus. 9.c
Domini tribus 399.b.c
Domino canendum esse 26.a
Domus iniquitatum 276.b
Donec, indeterminatum tempus apud Hebræos significat 364.d
Dormire cur Deus interdum uideatur 280.a.339.a
Dorsum incuruare quid 259.a
Draco in ueteri testamento quàm uariè accipiatur 275.b

E

EBoris castitas 186.c
Ecclesia magna, gentium multitudo significatur 138.c
Dei Ecclesia quorsum erecta in terris 196.d
Ecclesia Christi 370.c
Ecclesiæ definitio 67.d.76.c
Ecclesia bonis ac malis hominibus mixta 248.c
Ecclesia cor unum & anima una in domino 241.c
Ecclesia una tantũ quæ sponsa Christi 247.c
Ecclesia Dei hæreditas 249.c
Ecclesia malignantium. 253.d.279.a
Ecclesia suum splendorem à Christo accipit 266.b
Ecclesia quibus artibus dissipetur ab impijs 274.a.b
Ecclesia Christi quàm miserè lacerata hodie 291.a.b.c
Ecclesia quantopere à Deo diligatur 273.b.308.a.b
Ecclesia cur lunæ assimiletur 314.b
Ecclesia Christi quàm sit ampla. 322.d
Ecclesia Christi quibus subnixa præsidijs 328.c
Ecclesia quàm improbis hominibus infecta 336.d
Ecclesia næuis quidem aspergitur, sed non deletur 337.a
Ecclesia Christi à gentibus instauranda 339.a
Ecclesia Christi ex quatuor mundi partibus collecta 357.a.b
Ecclesia ancilla iustitiæ 375.b
Ecclesia arca sanctificationis est. 418.b

Eccleſia ſanctorũ & malignantium. 447.a.b
Eccleſia ſuo ſponſo ſemper lætatur. 447.b
Eccleſiæ noſtræ ſtatus notatur. 66.d
Eccleſiæ fundamenta, uates & patriarchæ 109.d
Eccleſiæ puritatẽ ac ſanctimoniam è turpiſſimis ſordibus exuſcitatam eſſe, miraculum ingens 188.a
Eccleſiæ exultantis geſtus eleganter deſcripti 192.b.c
Eccleſiæ dominatio & poteſtas immenſa 193.a
Eccleſiæ pulchritudo depicta. 195.b
Eccleſiæ fundamentũ 204.a. 308.a.328.c. quàm firmum 277.d
Eccleſiæ puritas 238.b.256.c. felicitas 241.b. ubertas 241.b.c.
Eccleſiæ Chriſti uera bona 239.c
Eccleſiæ Chriſti iuriſdictio 240.b
Eccleſiæ alæ 250.c
Eccleſiæ antiſtitum munus 250.b
Eccleſiæ qui candor & ornatus. 250.c
Eccleſiæ candor ex Chriſti uulneribus 251.a
Eccleſiæ ſpiritualis pompa 253.b
Eccleſiæ conſolationes. 273.b. 277.b
Eccleſiæ ueræ progreſſus 277.d
Eccleſiæ nomen cur etiam mali & & impij recipiant 279.a
Eccleſiæ limites 294.d
Eccleſiæ typus 254.c.260.d.279.a.294.d.296.d.328.a
Eccleſiæ ſinus 302.b
Eccleſiæ dignitas 308.a.b
Eccleſiæ Chriſti deſcriptio 312.c. 322.c.d
Eccleſiæ reformatio quàm neceſſaria 339.b.c
Eccleſiæ principes 254.a
Eccleſiæ miniſtri, Dei uirtus, per uerbum 254.b
Eccleſia fidelium cõmunio 255.c
Eccleſiæ muri ſanctorum animæ. 261.a
Eccleſiæ perſecutio 261.d.299.d. 419.d. Vide Afflictio & Crux.
Eccleſiæ fabrica quàm artificioſè à Paulo deſcripta 375.c.d
Eccleſiæ caput Chriſtus 418.a
Eccleſiæ cũ Chriſto affinitas 418.d
Eccleſiæ lucerna 419.d
Eccleſiæ concordia ad quid proſit. 340.b.375.d.420.b
Eccleſiæ ſpecies 419.d
Eccleſiarum bona hodie minutiſſimi quiq; magiſtratus pro libidine & impunè depopulantur. 400.a. 401.c
Eccleſiæ paſtores ſine ſpiritu ſancto fruſtra laborabunt 255.b
Eclipſis ſeu defectus dictionum admodũ familiaris ſcripturæ 101.d
Effundere in ſacris quid 233.d
Elati animi certa indicia 336.c Vide Superbiam.
Electio 239.b.316.a
Electio non ex merito pendet 313.a
Electionis ratio 290.a.b
Electi moriuntur ut ſemper uiuant. 36.c
Electi & ſancti qui ſint 129.a
Electi uiua Dei templa 330.a
Electorum multitudo ſemen Dei appellatur 60.c
Electorum præmia 239.b.c
Electorum Dei conditio 306.c. 444.c.d
Electorum corpus quidem ſed fides nequaquam læditur 318.c
Electorum cum Deo teſtamentum. 311.c
Electorum dolor in hoc mundo. 393.c
Eleemoſynæ cõmendatio 369.b
Elementorum concuſſiones quare à Deo factæ 51.d
Eliſæi uiſio quid præ ſe tulerit 128.d
Eloquia Dei quanto ſtudio proſequenda 381.b.c
Emanuelis nomen explicatũ 191.c
Ephraim ſuperbia 284.c
De Ephraim tribu cur carnem ſuſcipere Chriſtus noluerit 290.b
Ephraim tribus in Deum tumida regnum affectauit 290.c
Ephraim quid 417.d
Epiſcopi ſedes qualis eſſe debeat. 195.d
Epiſcoporum munus 250.d
Epiſcoporum ac paſtorum Eccleſiæ officium 251.a.253.c.d.438.b
Equorũ in ſacris ſignificatio 279.d
Erubeſcentiæ cõmoda enumerata. 86.b.c
Eſdræ exemplum 210.a
Ethan muſicorum princeps 311.a
Euangelium prædicare omni creaturæ, quid ſit 189.b
Euangelium rerum omnium bonarum finis & terminus 191.b
Euangeliũ quibus reuelandũ 311.d
Euangelium purè ac abſq; ſomnijs prædicandum 253.d
Euangelium in omnem terrarum orbem latè ſpargendum 260.d
Euangelium qua fide ac diligentia populo prædicandum 378.a.b
Euangelij uerba qualia puris aut impuris appareant 198.d
Euangelij iugum leuiſſimum 205.b
Euangelij uis & excellentia 204.b
Euangelij imago per Dauidem expreſſa 221.b
Euangelij ſalutaris ſplendor 317.d
Euangelij ſuauitas 249.d
Euangelij perpetuitas 367.c. 387.b.c
Euax dictio exultantis 261.c
Euge uox exultantis Ibid.
Euchariſtiæ fructus 366.d
Exaſperare in ſacris quid 248.c
Exequiarũ ratio deſcripta. 408.a.b
Exercitia ſpiritualia non parũ prudentiæ exigunt 106.c
Ezechiæ uictoria memorabilis. 278.d.276.a

F

Facies pro fauore 349.b
Faciẽ peccatorũ ſumere quid. 299.a
Faciem auertere in ſacris quid. 418.c
Fames uerbi Dei 228.c
Fames Dei flagellum 350.b.359.d
Familia quomodo gubernanda. 335.d
Familiæ integræ noſtra ætate, parentum impietate funditus extinctæ 70.c
Familiaritas cum pijs tantum hominibus habenda 385.a. Vide Conuerſatio.
Faſtus & ſuperbiæ deſcriptio 31.a. Vide ſuperbiam.
Fauor diuinus qua ratione cõciliandus 245.a
Fauus uetus teſtamentum adumbrat 63.c
Felicitas hæc inferna, miſeria eſt. 38.d
Felicitas uera cum falſa iſta comparatur 49.c
Felicitas uera quæ 126.b
Felicitas uera in quibus conſiſtat. 211.d.302.b.303.c.d.304.c
Felicitas impiorum 269.d.270.a.c
Felicitatis totius ſumma 126.a
Felix uerè quis dici poſſit 199.b
Felicem fuiſſe ſumma eſt infelicitas. 74.a
Felices quoſdam ideo uideri, quia impij & ſcelerati 404.b
Fertilitatis cauſæ 360.a

Fideles qui 42.d
Fidelium animis quæ deſideria ineſſe oporteat 410.c
Fides rei chriſtianæ ſumma 66.d
Fides animæ gloria appellatur. 188.c
Fides Eccleſiæ turri munitiſſimarũ urbium comparata 197.c
Fides etiam politica ſanctiſſimè colenda 336.c
Fides animæ cibus ſaluberrimus. 358.d
Fides Dauidis quàm cõſtans 374.b
Fides porta ad iuſtitiã aſſequendam. 377.b.c
Fides uera nunquam eſt ocioſa. 383.d
Fidei perfectiſſima definitio 375.c
Fidei ueræ argumentũ & indicium quod 286.a
Fidei ſtabilitas ac conſtantia 211.d
Fidei lex quæ 211.d
Fidei probatio quàm neceſſaria. 243.b
Fidei lumen unde 245.b
ad Fidei confeſſionem quæ requirantur 246.a
Fidei præconium 249.d
Fidei imbecillitatis cauſa 256.d
Fidei & dilectionis unitas 261.a
Fidei obedientia deſcripta 204.a
Fidei gradus duo 205.a
Fidei ſumma in quibus conſiſtat. 234.b
Fidei naufragium ex epiſcoporum negligentia 277.a
Fidei rudimenta in qua Iudææ parte orta 312.b
Fidei uis 331.d.342.d.351.b
uirtutes 337.b.383.c
Fidei confeſſio ad quid proſit. 348.d
Fidei neceſſitas 349.b.c.d.352.d
Fidei labefactantis imago 354.a
Fidei modicæ exemplum memorabile 355.c.d
Fidei neglectus omnium malorum cauſa 358.c
Fidei ſigna quàm neceſſaria 383.d 384.c.d
Fidei in aduerſis conſtantia quàm neceſſaria 430.d
Fidei præcipuum argumentũ quod 51.a
Fide erga Deum ipſa quoq; rerum natura immutari poteſt 46.d
Fide gratis iuſtificamur 233.c. 357.d
Fiduciæ definitio 92.d
Fiduciæ in Deum uis 169.c
Figurarum & troporum cognitio neceſſaria eſt ad pſalmos 35.b
Filij Dei qui dicantur 261.b
Filij pauperum qui 266.a
Filij pro parentum delictis cur puniantur interdum à Deo 460.d. 292.b
Filij Adam 316.a
Filij à parentibus oblati in ſacrificijs Moloch 356.a
Filiorum defectio explicata 59.c
Filiorum in parentes pietas in quibus conſiſtat 284.b
Finis in pſalmis quomodo intelligatur 8.b
Firmare pro exaltare 351.a
Flagellarum nomine ſcriptura quid uelit 269.d
Flumina longo ſub terra ferri interuallo, & tandem emergere 84.a
Fluminum uſus 345.c.d
Fœdus Dei antiquum cum homine. 55.c
Fœderis ſumma inter Deum & hominem 90.b.c.311.b.c
Folengius qua fide ac diligentia hæc ſua cõmentaria ſcripſerit 280.b. 317.a.b
Folengius quot annos egerit in cœnobio 445.a
Folengius deplorat uitæ ſuæ conditiones 337.b
Folengius quando hæc ſua cõmentaria abſoluerit 445.b. quid potiſſimum in ijs quærat 255.d
Folengij parentes 321.d patria 355.b. 388.a. fratres 445.b
Folengij in Surrentinis agellis latitantis oratio ardens 415.a
Folengij deambulationes amœniſſimæ 389.d
Folengij ætas 337.b.445.a
Folium in ſcripturis quid ſignificet. 2.b
Fontium uſus 345.c.d
Fornicatio in rebus ſpiritualibus. 356.b
Fortitudo ſumma & doloris immenſitas in pectore Chriſti coniuncta 72.c
Fortunæ inſolentia 360.c
Fortunæ mutatio 271.c.d unde procedat 282.b
Fortunarum & diuitum uita ampulloſa 146.b
Fraterni amoris memorabile exemplum 354.d
Fructus boni arboris qui 2.a
Fructus ſpiritus quid uocet Paulus 239.c
Frugum copia unde 360.a
Fulgura diuina quæ 53.b.c
Fulminis natura 345.a
Fulminis miraculum in Caſino monte ſpectatum 52.c
Fumigationes in ſacrificijs unde. 431.a
Fumi natura egregiè depicta. 150.b
Funeralium ſumptus notati 132.c
Funibus olim hæreditates metiebantur 44.b
Fures in eccleſia Chriſti quid tentẽt. 240.a
Furoris diuerſa ſignificatio 17.b

G

Gabelitarum origo 300.c
Galaad ubi 230.b
Gaudium uerum in quibus conſiſtat 334.c.d
Gaudij ſolidi ſedes in corde 45.a
Gaudij cœleſtis & ſolidi deſcriptio. 405.c
Gedeonis ſtupendum miraculum. 266.b
Genitricum immundities 208.a
Gentium ritus impiiſſimi deſcripti. 43.b.c
Gentium eccleſia quare ampla dicatur 77.c.d
Gentes quæ dicantur 3.b
Gentes impuræ & exleges è mundo & terra uiuentium eijciendæ. 31.b
Gentes in ſacris quid 292.c
Gentium ad Euangelium uocatio. 240.b.254.d.260.c. 266.d.267.a.b.289.a.294.c.306.b. 308.b.c. 328.b. 329.a. 330.a. 365.a.370.c. 375.c
Gerrones futiles à iuſtorum congregatione longè expellendi 41.b
Geſtus corporis animi indicium. 434.d
Gigas pro uiro forti & ſtrenuo. 125.b
Gloria pro diuinorum beneficiorũ memoria 109.c
Gloriatio ſanctorum in quibus rebus conſiſtat 447.c
Gloriatio nominis Dei in quibus cõſiſtat 268.c
Gloria ſolida 15.a
Gradus in eccleſia 420.d
Gradus perfectionum 216.a
Græcorum hæretici in concilijs uicti 7.d
Græcorum perſecutio 292.d
Gratiæ diuinæ natura quàm ſit excellens

cellens 100.b
Gratiæ Euangelicæ dignitas 313.d
Gratitudo erga Dei beneficia. 262.c
Gratitudo erga Deum 331.d
Gregorij Nouarienſis mors 324.b

H

Haereditas æterna 4.d
Hæreditas Dei eſt Eccleſia. 249.c
Hæreditatis diuinæ ſtatus 231.d. 367.b
Hæreditates olim funibus metiebantur 44.b
Haraboth quid apud Hebr. 248.a
Harmoniæ in ſacris uſus 448.d
Vide Muſicam.
Hebræorum magna impietas 286.d.287.a.b.c.d
Hebræorum in Aegypto clamor. 297.a
Hæreticus in Eccleſia magis toleran dus quàm hypocrita 380.d
Hæreticorũ perſuaſiones quàm pernicioſæ 387.a
Heman Leuitarum ſapientiſsimus. 309.a Muſicorũ princeps. Ibid.
Hermon mons 312.b.420.d
Herodes perturbatus gentiũ typus. 203.a
Hieruſalem cœleſtis quæ 399.b
Hieruſalem urbis cur tam crebra mentio 403.c.d
Hieruſalem quare regis magni ciuitas appellata ſit 195.b
Hieroſolyma perturbata Iudæorũ typus 203.a.b
Hieruſalem Eccleſiæ typus 210.c
Hieruſalem deuaſtationis uaticinia. 272.d
Hieruſalẽ deuaſtatur 291.a.424.c
Hieruſalem manufacta, & cœleſtis. 307.c.d
Hodie, dictio biſariã explicata 4.c
Holocauſtum quid 244.a
Homo an maior angelis 23.b
Homo quanto minor beatis ſpiritibus 23.b
Homo qualis 27.c.d
Homo quicquid ſibi arrogauerit, id totum diuino honori detractũ æſtimet 85.a
Homo in deligendo bono facilè cæcutit 89.d
Homo ipſe humilis quomodo Deum exaltare dicatur 107.b
Homo quàm miſerũ ſit animal 15.d
Homo interior quis 178.a
Hominis uia quæ dicatur 1.b
Hominis conditio deſcripta 71.c
Hominis primi caſus miſerrimus quotidie deflendus 413.b
Hominis feritas deſcripta. 200. b.c.d
Hominis animæ præſtantia 229.b
Hominis ortus duplex 209.d
Hominis Chriſtiani in hoc mundo officium 372.d.373.a
Hominis nobilitas Ibid.
Hominis miſeria 202.b.343.a & fragilitas 255.d.440.c
Homini uita cur data 16.c
Homini nil maius quàm ipſe Deus. 49.c
Homines dij appellantur mediatore diuino ſpiritu 23.d
Homines ad perſcrutanda Dei iudicia prorſus hebetes 28.a
Homines eò longiore interuallo à Deo diſtant, quò uiciniore ſpacio uitijs inſiſtunt 85.b
Hominũ perfectiſsimorũ mos. 87.d
Hominum labes ac morbi uarij deſcripti 93.d
Hominũ genus infeliciſsimũ. 407.c
Hominum inconſtantia & fallacia deſcripta 129.c
Hominum perſuaſiones uentoſæ deſcriptæ 163.b
Hominũ genus omne quomodo populus Dei uocatum 204.a
Hominum uanitates 233.d
Hominum mutabilitas 376.b
Honores ſtudio & anxietate quæſiti, non honores, ſed meræ curæ & profana negocia appellari debent 96.c
Honores ambiendi mos corruptiſsimus 335.c
Honoribus cur cumulentur impij. 233.a.b
Hora nulla, nullus locus à dæmonũ laqueis tutus 111.b
Hoſtiæ omnes ſanguinariæ umbra fuere ſanguinis in cruce oblati. 43.c
Hoſtiarum ratio 361.a
Hoſtes Euangelij cur pijs feliciores in hoc mundo 269.a.b
Hoſtes Chriſti qui 364.d
in Hoſtes ſuos cur ſancti interdum tam grauiter inuehantur 386.b
Hoſtium Chriſti audacia 274.b
Humanæ naturæ conditio 264.c
Humanarum traditionum uilitas. 203.d
Humilium preces exaudit Deus. 339.c
Humilitas ſola legis diuinæ ſenſum aſſequitur 63.a
Humilitatis deſcriptio 91.b
Hyadum ſydus 329.d
Hypocrita cur peccator in pſalmis dictus 205.c
Hypocrita hæretico multò deterior 380.d
Hypocritarum deſcriptio 173.b. 205.c.d. 233.b. 357.a.380.d
Hypocritarum turba copioſa. 256.b
Hypocritarum ſuperbia 381.c
Hypocritas deteſtatur Deus 287.b. 303.b
Hyſſopi herbæ deſcriptio 208.b

I

Iacob cur Iſraëlis nomẽ adeptus. 349.c
in Iacob tribus omnes originem duxerunt 289.d
Idololatria finis impietatis 295.b
Idololatria Hebræorum 297.b.c
Idololatria uera 297.c.371.d
Idololatriæ peccatum quàm latè ſeſe extendat 330.a.b
Idololatriæ deteſtatio 327.d.328.a. 330.b
Idolorum cultus unde ad nos tranſlatus 371.c
Idumæorum origo 300.c
Iecur quid in ſacris 270.a
Ieduthun inſtrumentum muſicum. 281.a
Ieiunia precationibus ſemper cõiuncta 363.d
Ieſus cur dictus Chriſtus 268.c
Ignis carbones pro fulgetris ac fulminibus 53.a
Ignis occultus de cœlo lapſus holocauſta quondam abſumebat. 66.a
Ignis cœleſtis deſcriptio 203.a
Ignis pro perſecutione 243.b.d
Ignis ſpiritus ſancti typus 255.b. 285.a
Iha dictio quid Hebræis 252.b
Imagines deorum rudiorum ſunt documenta 371.c
Imber quid in ſacris ſignificet. 249.b.c
Imperantibus quæ ſcitu neceſſaria. 290.d
Imperatoris officium 336.c.367.b
Imperfectiones noſtræ quæ 38.a
Impietas nulla tam execrabilis, quin per Chriſtum poſsit ablui 303.a
Impietatis radix præcipua, ad conſiderandã Dei opera non applicare animum 100.d
Impietatis ſimulachrum 29.b
Impietatis gradus qui 299.c

Impietatis captiuitas 363.b
Impij hominis deſcriptio 1.a.b. 357.c
Impij ſi dilata à Deo pœna, exaltentur ſicut Cedri Libani, ferẽdi ſunt æquo animo 103.d
Impij frequenter in ſcripturis mari æſtuanti comparati 189.d
Impij ſæpenumero cadũt in laqueũ, quem poſuerunt pijs 233.a
Impij in hac etiam uita puniuntur à Deo 236.b
Impij quibus artibus pios traducãt, & inuiſos reddant alijs 236.b
Impij uitæ exitum non conſiderant. 269.c
Impij quæcunq; expetunt, aſſequuntur, ſed non ſine magno malo. 286.c.d
Impij puniti à Deo deteriores fiunt. 287.a
Impij non temerè damnandi 287.b
Impij admoniti ac caſtigati, interdũ reſipiſcunt 301.b
Impiorum animæ & mores deſcripti 12.d.218.c
Impiorũ potentia & ſucceſſus 29.a
Impiorum inſidiæ depictæ 30.a.b
Impiorum ſucceſsibus inuidere, eſt tales ſucceſſus etiam ſuos eſſe uelle 145.d.146.a
Impiorum ſtudia frequenter paleis comparata 2.c
Impiorum conatus 213.c
Impiorum pœna grauiſsima 176.c. 236.b. 247.c.d. 252.d. 259.b.c. 267.d.289.a.321.a.325.c
Impiorum contra Chriſtum conſilia 237.c.238.a.300.a
Impiorũ conatibus nõ reſiſtit Deus, ſed ad tempus tantum 238.a
Impiorum calumniæ 257.a
Impiorum natura ac ingeniũ 259.d 287.a.371.c
Impiorum in hoc mundo felicitas. 201.c.d. 202.a. 224.d. 269.a.b.c. 270.c.d.271.c.d
Impiorum interitus crudelis 176.d. 177.a.300.d.301.a
Impiorum in Eccleſiam Chriſti crudelitas 232.d.274.b.307.a
Impiorum conſilia cœlitus diſsipantur 279.b.c
Impiorum concordia ad ſupprimendos pios quàm firma 300.b
Impiorum ira toleranda ad tempus. 321.b
Impiorum felicitate pij etiam offenduntur 323.b
Impiorum de Deo iudicium 323.c
Imprudentia eſt, ſi nos conſtantiores & ſolidiores in fide futuros ſperemus quàm ipſi uiri perfectiſsimi fuerint, Dauid & Petrus. 108.b
Inanimatæ res cur Deum laudare dicantur 331.d.332.a
Inclyti qui 9.a
Incredulitatis malũ quàm amplum 286.a
Induere in ſacris quid 322.b
Infantium & lactentium argumentum mirabile 22.a.b
Infelix qui 38.d.39.d
Inferni ſignificatio in ſacris 16.d. 306.d.309.c.324.c
Inferi qui 16.d
Inferorum cruciatus 372.d
Infidelitatis ſummæ indicium quod. 55.b
Infidelitatis contra Deum notæ. 338.a
Infirmitatis propriæ conſideratio quid efficiat 87.b
Ingenia præclara quomodo hodie perdantur 84.a.153.b
Ingratitudo mundi erga immenſa Dei beneficia 138.d.260.b.269.d. 284.d. 297.b. 312.a.327.a.332.a. 349.b.c.361.d
Ingratitudo mundi erga Euangeliũ 254.d
Ingratitudo Iudæorũ quàm magna. 286.d
Ingratitudo fons omnium peccatorum 319.b
Ingratitudo patrum erga Deum. 352.c
Ingratitudinis uitium explicatum. 136.b
Ingratitudinis deteſtatio 373.b
Inimici mentiuntur quò potentiam aduerſantium imminuant 242.a
Inimici quatenus odio habendi. 389.b
Iniquitas ſumma quæ 211.c
Iniquitatis filij qui dicantur 313.b
Iniquitatis nomine omnia ſimul peccata complectuntur 358.c
Innocentis definitio 84.b
Innocentia ſemper in terris malè habita 258.d.214.b.237.c
Innocentia cordis dei ſedes 290.d
Inopia pro afflictione 310.a
Inſignia omnia quibus in dei Eccleſia inter cæteros conſpicui ſumus, ſeruitutem magis, quàm imperiũ aut dominiũ portendunt 102.b.c
Inſultatio uictis plerunq; acerbior quàm ipſa mors 36.c
Intellectus uis una, non plures 27.b
Interceſsionis Chriſti umbra. 354.d
Interitus & exitus pro negocijs actionibusq; uitæ humanæ 398.a
Inueteraſcere quid 17.c
Inuidiæ deteſtatio 325.b
Inuidiæ natura 369.c.433.b
Inuocare pro adorare 292.a
Ioannes Baptiſta quo pacto lucerna ardens 203.a
Ioannis Ludouici Gonzagæ factum præclarum enarratum. 71.a
Iob libri quis autor fuit 3.b
Iob magis credendum quàm Plinio, uel eius deo Ariſtoteli 104.d
Iordanis reciprocatio miraculoſa. 371.a
Ioſeph quanta à Deo acceperit beneficia 293.b
Ioſeph typus Chriſti 293.c.350.b.c
Ioſeph in fratres pietas 350.b
Ioſephi hiſtoria 350.b.c
Ira laudabilis quando in zelum exit 10.a
Iræ & excandeſcẽtiæ motus in Deo quare dicatur 51.d
Iræ diuinæ uehemẽtia. 279.d.303.d
Iræ diuinæ placatæ indicia 304.b
Iſmaëlitarum crudelitas 267.a
Iſmaëlitarum origo 300.c
Iſraël Hebræis quid 349.c
Iſraëlis ſanctitas 372.a
Iſraëlitæ, non omnes ueri Iſraëlitæ. 83.c
Iſraëlitæ quomodo per gyrũ tabernaculi à Deo diſtincti 293.b.c
Iſraëlitarum magna impietas 289.b
Iter ad cœleſtem patriam quale ſit. 142.d.206.d
Iudas Iſcariota perfidioſorũ typus. 361.c
Iudas Iſcariota num uxorem habuerit 369.b
Iudæ ſceleſtus exagitatum 211.a.b
Iudæ Iſcariotis auaritia 262.b. Deſperatio 281.d.294.b.325.b
Iudæ filiæ in ſcripturis piorum animæ dicuntur 291.b
Iudæ ſera pœnitentia 325.b
Iudæi cur Chriſtum ſint perſecuti. 257.a
Iudæi quantopere à Deo dilecti. 278.d.279.a
Iudæorum uſuræ 41.d
Iudæorum mos antiquus circa nuptias. 62.a. Item in conuiuijs. 82.c

Iudæorũ populus olim omnibus nationibus terrori erat, nunc eo nil abiectius in toto orbe 69.b
Iudæorum ritus altare circumeundi hostiarum corona 94.b
Iudæorũ sacrificandi mos antiquus. 97.d
Iudæorum obstetricibus cuiusmodi domorum ædificia data 408.b.c
Iudæorum mos legem suam conuoluendi in oblongas mẽbranas quid portendat 166.c
Iudæorum reliquiæ duræ 185.a
Iudæorum consuetudo in uictorijs. 250.a
Iudæorum crudelitas 258.d
Iudæorum prisca religio 94.a.b. 97.c.268.c
Iudæorũ famosa captiuitas quid nos doceat 277.a
Iudæorum reiectio 289.c.293.c. 328.b
Iudæorum festa & celebritates quæ 296.a
Iudæorum erga Deum ingratitudo 256.c.284.b.297.d
Iudæorum in seruandis promissis leuitas 298.b
Iudæorum in captiuitate Babylonica querelæ 314.b.c
Iudæorum prærogatiua ac dignitas 373.c.444.c.d
Iudex quomodo exoculetur 42.a
Iudicis integritas quæ esse debeat. 25.c
Iudicis iusti descriptio 232.b.312.c
Iudicis Christiani partes ac uirtutes. 246.c.373.d
Iudicis impij ac corrupti imago. 299.a
Iudicis incorrupti descriptio. 299.a
Iudices nostri æui taxati 24.d
Iudices nostræ ætatis ad Deum comparati 46.b
Iudices iusti dij in terris quodammodo censendi 152.c
Iudicum arrogantia & peruersitas notata 206.a
Iudicum iniquitas 214.c
Iudicũ integritas et peruersitas quæ 223.c.d.224.a
Iudicium pro lege 349.c
Iudicium Dei quàm iustum ac integrum 246.c
Iudiciũ iustum à quo expectandum. 46.b
Iudicium diuinum contra impios. 212.d.218.b
Iudicij humani peruersitas 280.a
Iudicij iniusti sententia Deo cognita 280.a
Iudicio excelso in rebus diuinis secernendis opus est 133.c
Iudicia hominum quàm uana 393.a
Iudicia diuinæ iustitiæ quæ 379.d
Iudicia diuina tacitè præstolanda. 147.c
Iudiciorum Dei inæqualitas accusatur 176.b
Iudiciorum prauitatis origo. 224.a
Iugum grauissimum quod 3.d
Iuramentum quatenus permissum. 41.c
Iuramentum monachorum quatenus pium 236.c
Iuramenti usus 418.d
Iurandi apud Hebræos modus 59.d 236.d.314.a
Iurare Deo quid 236.d
Iustificationis ratio pulcherrimè declarata 119.b
Iustitia à malis causidicis uenundatur 299.a
Iustitia Dei pro ipso Deo 13.d
Iustitia nostra solus Christus. 357.b
Iustitia gratuita 304.d.312.d
Iustitia uera ex fide 304.d.312.d 438.d
Iustitia est qua Deo uiuitur per fidem 201.c
Iustitia quando muta 223.d
Iustitia uirtutum omnium perfectio. 149.a & cumulus 121.b
Iustitia iudicio coniungenda 324.c
Iustitiæ definitiones elegantissimæ. 80.b.81.b
Iustitiæ & æquitatis conseruatio in quibus consistat 312.c
Iustitiæ diuinæ iudicia quæ 379.d
Iustitiæ sacrificium descriptum. 10.c
Iustitiæ fructus 321.c
Iustitiæ statera 233.d
Iustitiæ officium 305.b
Iustitiæ plantatio 266.a
Iustitiæ porta 377.b
Iustitiam omnium uirtutum summã esse 80.b
Iustitiam à Deo datam, nostram esse dicimus ob fidei integritatem. 46.b
Iustitiam unà cum innocentia laceram sæpe à tribunalibus discedere 95.b
Iustitiarij 434.c
Iustum quẽ scriptura uocet. 404.b
Iustus quando apud Deum propriã iustitiam iactare soleat 46.a
Iustus quare inops appelletur. 40.a
Iustus & rectus quis 121.b
Iustus per Dei gratiã quomodo audacter diuino iudicio alioqui seuero ac terribili sese offerat. 92.c
Iusto nullus locus siue in solitudine siue in multitudine tutus 110.d
Iusti hominis proprietates 395.a
Iustorum uiæ quæ 2.d
Iustorum lætitia de uindicta malorum qualis 225.b
Iustorũ gaudiũ et triumphus. 247.d

L

Labia pro sermone in scripturis 183.d
Laboris significatio quæ 216.a
Lachrymæ sanctæ qua uirtute præditæ sint 163.b.c
Lachrymarum et gemituum qui effectus 221.a
Lacus significatio in Scriptura. 107.a
Lætitia uera in quibus consistat. 334.c.d
Lætitiæ oleum pro Spiritu sancto. 185.b
Laus uera quæ 59.b
Laus qua Deus delectatur in quibus consistat 262.c
Laus & gloriatio felicissima quæ. 181.c
Laudis sacrificium 205.b
Laudis sacrificia Deo gratissima. 360.b.c
Laudis diuinæ cogitatio quos fructus adferat 235.c
Laudibus in Ecclesia semper celebrandus Deus dator bonorũ omnium 253.d.352.c.421.d
in Laudibus Dei celebrandis ordo. 253.b.c Tempus 440.d
Laudandus Deus non obiter, sed puro corde 238.d.437.c
Lex quid intelligatur 1.d
Lex uarijs nominibus appellata. 62.d
Lex naturæ 343.d
Lex Dei quid 334.b
Lex Dei quid reuera doceat 389.c
Lei Dei quàm preciosa 390.d
Lex uetus 342.c
Lex noua data per Christum. 331.b
Lex uitæ in Christo 358.a
Legis natura 382.c
Legis diuinæ commendatio. 379.a.b.c Certitudo 234.b Terrores 249.c
Legis diuinæ usus 342.c
Legis priscæ omnia, umbra fuerunt

eorũ quæ poſtea uiris ſanctis acci derunt 43.d
Legis diuinæ meditatio quàm neceſſaria 387.a.b.c.388.b.c
Legis diuinæ deſertores qui iudicandi 392.d
Legis reiectio 365.b.c
Leges de promulgandis Dei beneficijs ſancitæ 284.b
Legum munitiones 312.c
Legũ & mandatorũ Dei obſeruatio quàm neceſſaria 343.c.390.d
ex Legum diuinarum exercitatione quæ bona proueniant 389.b.c
Leonum natura 347.a
Leuiathan 275.b.347.d
Libanus mons 321.b.c
Liber uiuentium quid 259.d.260.a
Liberalitas in rebus ſpiritualib. Deo gratißima 382.d
Liberalitatis erga pauperes cõmendatio 369.b.c
Liberatio uera & ſola, à uitiorum laqueis abſolui 406.d
Liberationem à malis eſſe in aduerſis patientiam 132.b
Liberos habere, an donum Dei præcipuum 410.a
Liberorum fœcunditatis ratio explicata 412. a.b.c
Libertas ſancta in quibus conſiſtat. 383.c
Libertas Chriſti à negocijs huius mundi 309.c
Liberum arbitrium 348.a.349.a
Liberum arbitriũ homini quatenus datum 287.c
Libidinoſorum nequitiæ oſtenſæ. 206.a
Lignum pro arbore 1.d
Lilium teſtimonij quid. 228.d.293.a
Lingua cur à Deo hominibus conceſſa 130.c
Lingua effrænis nullum non malum in orbem inuexit 160.d. 211.c
Lingua quanto ſtudio frænanda. 431.b.c
Linguæ peruerſæ mala innumera. 222.b.c
Linguæ diſpartitæ cur diſcipulis prædicaturis apparuerint. 255.b
Linguarum cognitio quàm neceſſaria theologo 388.c
Literarum ſtudia qualia eſſe debeãt. 40.d
Liuoris natura 369.c
Liuoris deteſtatio 294.b.325.b
Locus ſanctus, pro Dei habitaculo. 248. b.c
Locum nullum tam aptum eſſe ad decorandum Dei cultum, quàm cor. 94.d
Locuſtarum ingens multitudo. 351.c.d
Locuſtarum natura 363.c
Longanimitatis Dei memorabile exemplum 287.b.c
Loquacitatis & mendaciorum deteſtatio 430.c Vide Lingua.
Lumbos nutare quid 259.b
Luminis appellatione quid ſignificetur 10.d.11.a
Luminis diuini inuiſibilis plenitudo, tenebræ & caligo 52.d
Lunæ motus, eiuſq; ratio 346.d
Lunæ curſus quomodo ab Hebræis diſtinctus 346.d
Lux uera quæ 95.d.294.d
Luxuriæ peſtis 286.d
Luxuriæ pœna 354.a.b

M

Madianitæ Iudæis quàm infenſi. 300.d
Madianitarum crudelitas 267.a
Magiſtratus q̃ neceſſarius. 243.c
Magiſtratus quomodo ambiendus. 335.b.c
Magiſtratuum electio quomodo inſtituenda. 336.c
Magiſtratus officium 39.b.336.c 367.b.370.b.373.d
Magiſtratus boni commendatio. 436.d
Magiſtratuum correctio 215.d
Magiſtratuum dignitates 5.c
Magiſtratuũ in regendis ſubditis faſtus & oſcitantia notatur. 333.a.b
Magiſtratuum contemptus perditionis ſignum 360.c
Maledicentiæ uirus quàm deteſtandum 237.b.336.b
Malus quis ſit in mundo, propter ſimulationes uix à perſpicaciſſimis ingenijs deprehendi poteſt. 27.a
Mali ſic moriuntur ut ſemper mortui ſint 36.c
Mali non temerè damnandi 287.b
Malorum omnium caput atq; origo unde 101.a
Malignantes ex ſanguine nõ ex Deo nati 43.c
Manaſſes tribus 230.b
Mandata diuina in quibus conſiſtãt 368.a.b
Mane ſeu matutinum tempus frequens in ſcripturis 12.b.c.217.b.c 435.a
Manna quid 386.b.352.b
Manſueti qui dicantur 127.c
Manſuetudo pro uiriũ defectu 316.d
Manſuetudo Deo gratißima. 280.a
Manus Domini in ſcripturis quid ſignificet 394.d
Manuum ſignificatio in ſcripturis. 94. a
Manuum ablutio ac puritas quid in ſacris 270.d
Maria cur de tribu Iuda 290.b
Marinæ tẽpeſtatis deſcriptio. 359.b
Maris utilitas 359.a
Maris pericula 347.c.359.b
Maris miraculoſa animalia 359.a
Maris rubri deſcriptio 357. b. 401.d
Maris rubri miraculum 285.a
Maris rubri typus 242.c
Martyres celebrati 34.c
Mel pro rerum abundantia 298.c
Mel nouum teſtamentum adumbrat 63.c
Melchiſedech rex & ſacerdos 365.b
Melchiſedech Chriſti typus. Ibid.d.
Memoriæ uis una, non diuerſa 27.b
Mendacium quid 13.a.14.b
Mendacij fons 242.a
Mendacij deteſtatio 287.b.430.c
Mendaciorum inter homines omnia plena 33.d.34.a
Mens hominis uera domus 408.c
Mens humana quando Deo dedicetur 160.a
Mentis conceptus à Deo formari. 210.a
Mentis benignæ et rurſus ferinæ indicium 47.c
Mentis bona quamobrem cæteris præſtantiora 133.b
Mentis Chriſtianæ ſublimitas et perfectio quæ eſſe debeat 59.d
Mentis humanæ ſtupor 264.c
Mentis tranquillitas & pax deſcripta 11.c
Menſa Chriſti in qua pij conuiuantur 374.d
Menſæ ſignificatio in ſcripturis. 82. b.259.a
Mercenariorum in Eccleſia Chriſti deſcriptio 254.b
Mercuriales ſtatuæ 253.c
Merita noſtra, dona Dei eſſe 117.b
Meritorum noſtrorum uanitas. 312. d.313.a
Militis boni dotes 57.b.c
Militis Chriſtiani armatura 436.a
Milites noſtri temporis notantur. 50.c.57.d

Miniſtros Dei quid deceat. 336.c
Vide Paſtores.
Mirabilia quæ uocitet ſcriptura. 24.b.26.a
Mirabilia in Aegypto ædita 285.a 286.a.b.312.a.351.b
Miracula Dei uirtute facta quàm integra 240.b
Miſericordia et ueritas inter Dei opera, maxima 88.b
Miſericordia Dei quàm diues ac ampla 235.b.442.c
Miſericordia diuina piorum laudibus ſemper extollenda 311.a
Miſericordiæ diuinæ finis 235.b
Miſericordiam cur tam exactè à nobis requirat Deus 362.d.363.a
Mizraim pro Aegypto cur ſumatur 288.d
Moab peruerſitas 384.a
Moabitæ gens ſordida 300.c
Moabitarum origo 300.c
Moabitarum impietas & in Iudæos odium Ibid.d
Moabitarum libido 355.b
Mœnia & ualla fortiſſima quæ. 400.b
Mœroris deſcriptio 337.d
Mollities animi quorundam notatur 54. c
Moloch gentilium deus 356.a
Monachi defuncti qua fronde coronentur 321.c
Monachos quid deceat 238.c
Monachorum uita qualis 215.b 278.a
Monachorum in congregatione & capitulo conſuetudo 246.d
Monachorum ſolitudines 248.d
Monachorum in canendis pſalmis oſcitantia 306.c
Monachorũ in diuerſa monaſteria migrationes pernicioſæ. 363.c.d
Monocerotis deſcriptio 321.a
Mons Domini 251.b
Mons ſanctus 7.a.40.c
Mons ſanctificationis 288.d
Mons Sion 290.b
Montis nomine quid in ſacris intelligendum 239.d.265.d
Montes, terra, flumina, &c. cur Deũ laudare dicantur 332.a
Monumenta ſuperba turpem immortalitatem oſtendunt 408.b
Mordacitas Chriſtianis prohibita. 431.b.c
Mors pœna peccati 358.a
Mors ab omnibus curis nos liberat. 309.a
Mors piorum quàm ſalutaris 269.c
Mortis umbra 81.d.182.a.309.d
Mortis imperiũ quàm latũ 315.a.b 340.a
Mortis metus 432.b
Mortem formidauit etiam Chriſtus lege naturæ 310.a
Mortales omnes & turpiter & crebrò in peccata labi 120.b
Mortalium uariæ uiuendi rationes deſcriptæ 89.c
Mortui uocem filij Dei audient. 79.c
Mortuorũ perfuſiones meretriciæ magis quàm Chriſtianæ 82.d
Morum portenta enarrantur. 48.a
Mos eligendi antiſtites deteſtandus. 91.b
Mos lugendi antiquus 109.b
Mos in templis deplorandus inoleuit 96.c
Moſis oratio pro impijs 354.d
Moſes quantopere à Deo doctus Ibid.
Moſes ueri paſtoris typus 287.c
Moſis fides 351.b
Moſis fides non ſemper perfecta. 355.c.d
Moſis incredulitas grauiter punita Ibid.d
Moſis in Aegypto miracula diuina uirtute facta 285.a
Moſis ſeueritas 354.b.c
Moſis cum Deo colloquiũ. 247.a.b
Moſis comminatio in Deuteronomio explicata 133.b
Muliebris ambitionis exemplum. 267.a
Mulierum per Campaniam ſanctitas 388.a
Mundus corde quis 84.b
Mundus tantum quæ ſua ſunt amplectitur 300.a
Mundi creatio qualis 345.a
Mundi amor homines à Deo auocat 255.b
Mundi in rebus diuinis cæcitas. 259.b.327.b.c.344.b
Mundi curæ ac moleſtiæ 234.d
Mundi tribunalia quomodo corrupta 158.d
Mundi interitus 344.b
Munerum uis improba 42.a
Murus inexpugnabilis Dei potentia 15.b
Muri ſignificatio quàm latè pateat in ſcripturis 197.d
Muri, piarum animarũ typus 210.c
Muſicæ uis diuina in canendis hymnis & pſalmis 121.a
Muſicæ in templis uſus olim apud Iudæos 253.b.c.296.a.320.b. 332.a.447.c.448.d
Muſicis inſtrumentis pſalmi decantati 265.a.b
Muſicæ fructus 384.b
Muſici comparatio 1.d
Mutui ratio quæ 42.a
Myſteria 355.b

N

NAbli inſtrumenti muſici definitio 121.c
Nathan prophetæ grauitas in increpando Dauide 227.a
Natio nulla tam remota quæ non audierit uoces rerum conditarũ, ſuo more loquentium & prædicantiũ conditoris uirtutes 61.c
Naturarum diuerſarum una perſona in Chriſto 92.c
Naufragiũ in obſidiõe Cirtæ. 347.c
Nauigationis pericula 359.b.c
Nauigationis utilitas 347.b
Nautica ars admirabilis 359.b
Nephthalim tribus unde nomen accipiat 254.a
Nequitia quid 270.b
Niceæ direptio 436.d
Noë diluuium 345.b
Nomen Dei quid 21.d.212.c.213.b
Nomine domini uenire quid 378.b
Nomina mentita, & ab infimo inferorum barathro euocata 42.a
Nominum Iudæorum commutatio miſerrima 43.d
Norma ad intelligendas ſcripturas uniuerſalis propoſita 164.b
Noui hominis exercitia 388.d
Nox in ſcriptura quid 201.a
Nox contemplationi ac precationi aptiſſima 282.a.385.a.421.b
Noctis uſus ac fructus 347.a
Noctis diuiſio 316.b
Noctis apud Hebræos uigiliæ quatuor 392.d
Noctis gloria 61.b
Nubium definitio 102.d.344.d
Numinis uis 357.b
Nycticorax auis 338.a

O

OBlationes uoluntariæ. 389.a
Obligationes pro improbis actionibus 404.c.d
Obtrectationis deteſtatio 237.b
Obtrectatorum nomen è libro uitæ expunctum 212.b
Ocij deteſtatio 320.d
Odium piorum in impios quatenus

probandum 348.c.429.a
Olei natura ac uirtutes 431.d
Onagri natura 345.c.d
Onocrotali auis descriptio 337.d
Opera fidei quàm necessaria 357.d 383.d
Opera nostra quamuis bona in re spiritus intertexere, peccatũ tur pissimum 93.a
Operũ iustitia quàm friuola 117.c
Operũ nostrorũ infirmitas 353.a
Operum quantumuis bonorum consuetudini plus tribuentes quàm ueræ in Deum fiduciæ, miserè errãt. 70.a
Operationum nostrarũ audacia equo effræni comparata 67.b
Operationes nostræ ideo bonæ, quia à gratia habent quòd bonæ sunt. 126.b.c
Oppressorum pro Euangelio exitus describitur 268.a
Opus pro mercede 363.b
Orãdi cõpendiosissima ratio. 244.c 334.b.c
Oratio qualis esse debeat 213.b. 337.b
Oratio ad Deum fiat mente pura. 244.d
Orationes quæ à domino exaudiantur 238.d.373.c
Oratio spei stimulus est 115.a
Oratio spei auxilio denudata, impia est 115.a
Oratio sine fide manca & inutilis. 440.a
Oratio sanctorum quàm efficax. 333.d.334.a
Orationis siue precationis uis. 131.d 244.c
Orationis quod initium esse debeat. 86.b
Orationes nostræ cur hodie à deo non exaudiantur 333.d
Orationibus cur ieiunia debeant esse coniuncta 363.d
Orbis terrarum totus ad æternæ uitæ immensitatem collatus, angustissimus angulus est 345.a
Oreb Madianitarum factionis dux. 300.d
Organorum in templis usus 253.b 307.d Vide Musicam.
Orphani significatio in scripturis. 30.d.248.b
Ortus hominum turpitudo summa. 207.d
Os hominibus cur à Deo datum. 262.d
Oris formandi uim à Deo esse. 210.a
Osculandi pedes summi Pontificis mos unde 267.b
Osianna quid 378.a
Ossium significatio quæ in scripturis 113.c.132.b
Otomanni crudelitas 436.a
Ouium comparatio ualde elegans. 80.c
Ouium cur tam crebra in scripturis mentio 283.c.d

P

PAlma cur uictoriæ signum. 321.b.c
Palmæ natura Ibid.
Panis doloris quid 409.c
Panis uitæ Christus 286.b
Panis necessitas 346.b
Parabola quid 283.d
Paradisi descriptio 248.d
Parentum in filios affectus 315.c 356.c.362.c.d
Parentum munus ac officium. 438.b
Partitiones in rebus sacris diuiendis quatenus admittendæ 261.a
Passer prudentiæ typus 338.a
Passeris ad hominẽ comparatio exquisita 403.a
Passerum duorum sacrificium quale 208.b
Pastoris ueri officium. 240.a.254.c 290.c.315.c.d
Pastoris ueri effigies 287.c
Pastores Ecclesiæ, reges spiritus. 251.a
Pastores falsi 254.b.302.d 378.b
Pastorum cura & industria descripta 81.a
Pastorum bonorum uirtutes 254.b
Pastorũ Ecclesiæ negligentia quàm perniciosa 267.c.277.a.283.c
Pater cœlestis per Christũ omnia sapientissimè condidit 57.d
Patris & filij consentiens uoluntas. 251.b
Patrũ peccata cur puniantur in posteris 362.c.d
Patres antiqui cur præsentis uitæ adeò amantes fuerint 16.b.c
Patrum antiquorum in rebus diuinis contemplandis celsitudo. 66.d
Patientia piorum 237.b
Patientiæ exemplum 211.b
Paulus agnus ex lupo effectus. 25.c
Paulus è tribu Beniamin 254.a
Pauperis in scripturis significatio. quæ sit 30.d
Pauperes qui 25.d.26.b
Pauperum desideria descripta 31.c
Pauperum patientia nõ inanis 27.b
Pauperies homini bene instituto honesta mater, mendicitas uerò nouerca est 86.d
Paupertas uera 152.a
Paupertas pro contemptu 276.a
Pax piorum in medio persecutionũ. 279.b
Pax spiritualis quàm necessaria hominibus Ibid.
Pax conscientiarum 266.c.304.d
Pax piorum qualis 394.a
Pacis finis & terminus glorioissimus 400.c
Pacis diuinæ ratio duplex 141.b
Pacis totius orbis summa quæ esse debeat 146.b
Pacis definitio elegans 148.c
Pacis custodia principibus data. 265.d
Pacis amator Christus 266.c
Pacis commendatio 420.b.421.b
Pacem non nisi maxima ui animi ab hominib. apprehendi posse. 131.a
Peccatoris descriptio 1.b
Eius pœna 206.b.c
Peccatoris lætitia quæ esse debeat. 208.b
Peccatorem se fateri nõ satis est, nisi peccata corrigat et emendet. 118.a
Peccatores quatenus exaudiantur à Deo 239.d
Peccatorum habitatio 303.a
Peccatorum etiam in hac uita pœnæ 319.b
Peccatorum in mundo felicitas uertetur in damnationem 320.d
Peccatum maximum 64.d
Peccati epitheta 43.b
Peccati pœna mors est 72.b.358.a.c
Peccati labes 160.a
Peccati sordes ineuitabilis 208.a
Peccati captiuitas grauissima 303.c
Peccato excluso nihil mali nomine uocari debet 127.c
Peccata quæ letalia 38.a
Peccata à Deo tegi dicuntur, cùm nos non tegimus 117.b.c.d
Peccata quantopere extimescenda. 229.a
Peccata aliorũ tegenda potius quàm reuelanda 257.b
Peccatorũ dominium deprecandum 64.c
Peccatorũ in homine multitudo æstimata 167.b.c

Peccatorum gratuita eſt remiſsio. 341.c
Pectoris erga Deũ exercitatio quæ eſſe debeat 26.b
Pecorum carnificinã nihil ad ſacrificia facere 208.b
Pedicularis morbus 351.c
Pelicani auis deſcriptio 337.d
Pellis pro carne Ibid.c
Penuriæ cauſæ 359.d
Perfectio hominis quæ 208.d
Perfectionis ſummæ indicium, nos nihil aliud niſi ſtrumam ac luem peccati eſſe confiteri 119.a
Perfectionis ſumma 146.c
Perfectorum uita qualis 262.d
Perfidorum mores 218.a
Perfidiæ pœna 362.b
Perfidiã omnes locos occupare. 35.b
Perfidioſorum hominũ deſcriptio. 233.b
Perfidioſorum pœna cruentiſsima. 236.b
Perfidioſorum typus Iudas 361.c
Periculum magnum exiſtimari debet, in celebrãda Dei erga electos memoria nõ ſedulò uerſari. 107.b
Periculo nihil uicinius quàm periculum non timere 87.a
Periuriũ inter oris uaria peccata maximum 84.d
Periurij genus quod periculoſiſsimum 236.c.d
Perſarum ſapientes Chriſtum adorant 267.b
Perſecutio pijs q̃ neceſſaria 259.d
Perſecutio piorum 299.d
Perſecutionis atrocitas ad deſperationem ferè compellit pios interdum 234.c
Perſecutionis horror fidem extinguit 256.d
Perſecutionis deſcriptio 363.c
Perſecutiones piorum 256.b
Perſecutionum tempus in ſcripturis æſtui meridiano aut frigidis lunæ radijs comparatum 397.c
Perſecutionum immanitas quando probis ac improbis exitioſa ſit. 211.d.212.a
Perſecutionum imago Chriſtus. 247.b.267.d
Perſecutionum frequentia terret etiam pios 279.b
Perſecutionum acerbitas pijs etiam mouet indignationem 329.b.c
Perſecutionum horrenda monſtra deſcripta 46.c
Perſonarum in pſalmis crebra mutatio 318.a
Perſonarum cur tam crebra in prophetis mutatio 333.a
Perturbationes unde naſcantur. 244.d
Peruerſitatis noſtræ ſumma, timoris diuini abſentia 39.a
Perſuaſio falſa quæ 29.b
Peſtis hominum & iumentorum memorabilis 288.c
Petræ ſignificatio in ſcripturis. 231.c.285.b
Petræ confractæ miraculũ 285.b
Petri lapſus 294.b
Pharaonis deſperatio 280.c
Interitus Ibid.& 252.d
Phariſæorum uita 212.d
Philoſophorum iuſtitia 2.d
Philoſophorum ſcholæ notatæ. 83.d
Philoſophorum hæreſes 345.a
Phinees quàm iuſto zelo ſcortatorẽ occiderit 355.c
Phlegethontis, Aetnæ, aliorũq; igniũ comparatio ad deſperatorum æſtum 70. c
Phyſiognomi potiſsimum ex oculis iudicant, & maximè ſuperbos. 56.b
Pietatis uis 306.c
Piſcium marinorum magnitudo. 347.b
Pij cùm regnant, populus uelit nolit ad Deum conuertitur 19.c
Pij eò minus ſe iuſtos arbitrantur, quò magis iuſtitia à Deo donantur 119.b
Pij à malorum impetu tuti 279.b 317.d.318.a
Pij Dei iudicia reprehendere interdum uidentur 276.b
Pij quatenus odio homines proſequuntur 386.b.429.a
Piorum ad impios comparatio argu ta 19.d
Piorum querelæ 33.d
Piorũ imprecationes quare nõ paruipendendæ 414.a
Piorũ execrationibus atq; diris ſub ijci periculoſum 168.b
Piorum lapſus 176.b
Piorum exercitatio ad perfectionẽ quæ 218.b
Piorum præmia 239.b.253.b.341.a
Piorum conſilia ſalutaria 247.d
Piorum irriſiones & opprobria. 257.c
Piorum pœnis licet acerbis nunquã ſatiantur impij 259.d
Piorum uita laudatiſsima 262.d
Piorum cum Deo expoſtulationes 276.c
Piorum in afflictionibus conſolatio. 281.c. 288.d. 330.d. 342.b. 350.a 351.a. 352.a. 353.d. 364.a. 375.a 376.a.b. 383.d. 393.d. 430.d
Piorum perſecutiones tam diras cur Deus permittat 281.c
Piorum ad ueram religionem amplectendam ſtudium ardentiſsimum. 301.d
Piorum in hoc mundo dolores. 393.c
Pios cur contemni patiatur Deus. 259.d
Pijs totius orbis confuſio et fluctuatio in tranquillitatem cedit. 148.a
Plagarum omnium miſerrima, clamare ad Deum, & non exaudiri. 58.d
Plantæ infructiferæ in tecto ſuperbiæ enatæ deſcriptio 414.b
Pluuia in ſacris quid ſignificet. 149.b
Pluuiæ fructus 266.c.346.a
Pœnitentia ad aſſequendam beatitudinem neceſſaria 53.d
Pœnitentia uera quæ 157.a.d
Pœnitentiæ forma 17.a
Pœnitentiæ luctus depicti 118.c.d
Pœnitentiæ deſcriptio 208.b.c
Pœnitentiæ exemplum 209.a.d
Pœnitentiam agentes peccatores nõ aſpernatur Deus 357.c
Pollicitationes diuinæ 213.d
Pomorum cuſtodiæ ratio 291.b
Ponere pro dare 241.d
Pontificis pedes cur exoſculentur. 267.b
Populi qui dicantur 3.b
Portæ in ſacris ſignificatio. 26.c 308.a.335.a
Portæ mortis quæ 26.c
Portæ Sion Ibid.d
Portarũ tabernaculi typus. 377.b.c
Portenta 349.b.c
Poſteritatis relinquẽdæ ratio. 412.d 413.c
Potentũ immanitas deſcripta. 37.b
Potentum conſilia cõtra ueritatem quàm irrita 441.a
Potentia impiorum quàm oneroſa Eccleſiæ 278.b
Potẽtiæ diuinæ ſigna 247.c.275.b.c
Poteſtas eorum peruerſa, qui ex aliorum ſubiectione atq; humilitate ſolummodo grandes apparere contendunt 405.a

Præceptorum Dei ſumma 368.b
Prædeſtinatio 260.a
Prædeſtinatio in Dei amore ſita. 290.a.b
Præſes aut princeps quis 5.b
Præſulis ueri ac falſi deſcriptio 315.c
Præteriti temporis pro præſenti apud Hebræos acceptio quàm frequens 373.b
Precatio qua ratione ad Deum fieri debeat 244.c
Precatio ex corde immundo profecta, quàm pernicioſa Ibid.d
Precationis feruidæ ad Deum uis & efficacia 131.d
Precationes immundæ quæ 49.6
Precationes quæ exaudiantur. 238.d 239.a
Precationes piorum quàm efficaces. 333.c. Vide Oratio.
Priapus deus 355.b
Primates cur præcipui hoſtes ueritatis 237.a
Primogenitorum prærogatiua. 313.c
Principis officium 3.b.336.c.367.b
Principis boni uirtutes 373.d
Principis boni laus 82.a 436.d
Principes nobiliſsimi à mortalium memoria adeò elapſi, ut nunquam eos fuiſſe iures 104.a
Principes dij terreni 262.a
Principes cur dij in ſacris appellati. 292.d.293.c
Principes cur hodie à ſubditis contemnantur 360.b
Principum inſtitutio 380.b
Principum & aulicorum mores deſcripti 69.d
Principum eſt, attentis auribus audire ſubditos 262.a
Principum noſtratium mores taxantur 211.a.262.a
Principum facilitas 262.a
Principum leuitas Ibid.b
Principum bonorum deſcriptio. 267.c.373.d
Principũ mores inciuiles taxantur. 360.b
Principũ fauor momẽtaneus 376.b
Probitatis ſtudia maximè remunerantur 271.b
Proborum uita qualis 212.b.218.c
Proborum uita periculoſa 213.b
Proborum ſermo, Dei ſermo eſt. 219.c
Proditionis pœna 362.b
Proditorũ mores et ingenia. 171.a.b 219.c.d
Profunditas pro afflictione 253.a
Promiſsiones factæ de Chriſto. 311.a.c.331.c
Promiſsiones à Deo factæ quàm certæ 255.c.304.b.c.311.b.c.314.a 315.b.349.c.d.359.b.375.c.d. 383.d.384.a.393.c
Promiſsiones duinas cur ſcriptura toties inculcet 359.b
Prophetæ falſi deſcriptio 387.a
Prophetæ cur ſubinde repetãt, hæc dicit Dominus 253.a
Prophetæ falſi in ſuo nomine ueniunt 378.b
Prophetarum uerba quomodo accipienda 3.a
Prophetarum mos ſententias eaſdem nonnunquã repetere et inculcare, ad maiorẽ uim orationis manifeſtandam 73.a
Prophetarum ſanctitas 255.a
Propitiatorij ueteris teſtamenti myſteria 247.a
Propitiatorij typus 332.c
Prouerbium quid 283.d
Prouidentia Dei gubernantur omnia 255.a.264.b.293.c.316.a
Prouidentiæ diuinæ ratio occultiſsima 242.d
Prouidentiæ diuinæ ſigna 442.d 273.b.346.c
Prouidentiæ imago 346.c
Prudentiæ commendatio 291.a
Signa 366.c.d
Pſalmus fermè nullus in quo ſpei mentio non inſeratur 109.d
Pſalmum cantici, antiqui quid uocarint 307.c
Pſalmi Solomoni adſcripti quomodo cenſendi 3.a
Pſalmorum concinnitudo pulchrè obſeruata 68.b
Pſalmorum interpretatio quæ requirat. 225.c
Pſallendi in Eccleſijs ratio 320.a
Pſalmorum inſcriptiones quàm difficulter interdum intelligantur. 232.c
Pſalmorum in Eccleſia uſus 253.c
in Pſalmorum libro temporum nulla ratio obſeruatur 329.a
Pſalmorum ſubiectum & interpres Chriſtus 361.c
Pſalmorum cantationes Deo gratiſsimæ 384.b Vide Muſicam.
Pſalmorum ſcriptores qui 417.b
Pſalmos omnes à Dauide compoſitos eſſe 3.a
Pſalmos aliquos de Chriſto eiuſq; membris enarrari 169.a
Pſalterij uerſionum obſcuritates. 280.b
Puellarum apud ueteres chori. 253.c
Puellarum ornatus ſuperfluus taxatur 437.b
Puerorum exemplum inter miranda rerum maximarum exempla adductum 22.a
Pueris in Chriſti ſcholam introductis nihil minus quàm Chriſtus proponitur 94.c
Pugna multò atrocior quæ cum uitijs & cupiditatibus conflictatur, quàm corporis 96.a
Pugnæ cum mundo finis 217.a
Pupillorum nomine ſcriptura quid intelligat 30.d.248.b
Puritatis robur quod 92.b

Q

QVies perfecta in hoc mundo nunquam ſperanda. 26.c

R

RAhab quid 308.b
Rãcoris ſimilitudo perquàm apta 38.c
Rapinæ nomine quid in ſacris intelligendum 234.b
Rationis humanæ quæſtio 10.d
Rectores animarum & uitæ aliorũ qui eſſe debeant 209.c
Redemptionis beneficium quàm amplum 245.d.317.c
Regnum qua ratione adminiſtrandum 243.c
Regnum Chriſti æternum 314.a
Regnum Dei pax & tranquillitas. 247.c
Regnum Chriſti innouatum 360.d
Regnandi libido 266.d
Regnandi libido quàm pernicioſa. 347.c
Reipublicæ malè ordinatæ deſcriptio 336.d
Religio uera in quibus conſiſtat. 76.d.178.c.304.d
Religio noſtra quô hodie deuenerit 411.a
Religio eorum qui timoris affectu ducuntur 287.a
Religionis ſumma & perfectio. 168.c
Religionis ſimulatæ exempla peſſima 47.a
Religionis falſa perſuaſio quàm pernicioſa 372.a
Religionis neglectus Dei iram concitat 284.d

Religionis contemptores quibus artibus pijs inſidientur 274.a
Religionem in animorũ unione & tranquillitate ſitam 223.c
Religionis reformatio quomodo inſtituenda 334.a
Religionis contemptus etiam apud Chriſtianos 378.b.c
Remedium præſentaneum in anguſtijs acerbioribus 50.b
Renes qua ſignificatione in ſacris accipiantur 20.a. 44.c. 92.d. 270.a
Requieſcere quid 40.c
Rerum cœleſtium notioni quidam in terris præſcriptus finis & modus, amori uerò nullus 129.b.c
Rerum conditarũ magnitudine & pulchritudine, quaſi proportione quadam conditoris excellentia cõſideratur 61.a
Rerum ordo & ſucceßio in ſtructura mundi pulcherrima 61.b
Rerum ſublimium notitia non cunctis æquè expoſita & obuia eſt. 198.c.d
Reſpublica felix quæ dicatur 86.a
Res prorſus latentes in rebus ſacris interpretandis omittendæ ſunt. 395.b
Riſus proborum qualis 212.a
Ritus in Eccleſia qua ratione obſeruandi 348.d
Reſurrectio Chriſti 251.d
Reſipiſcentia impiorum Deo quàm grata 301.b.c
Reſurrectio Chriſti ab angelis nunciata 250.c
Reſurrectionis Chriſti myſterium. 252.c
Reſurrectionis Chriſti utilitas 247. b. 248.a
Rex magnus qualis 202.c
Regis boni commendatio 436.d
Regis officium 336.c
Regum potentißimorũ familiæ funditus exciſæ 104.a
Regum adoratio unde 267.a.b
Regum tremores doloribus mulieris parturientis eleganter comparati 196.a
Reges & principes crudeliſſimè ab aſſentatoribus falli 145.b
Reges, principes & magiſtratus omnes ſuum integrum munus non obire 401.b
Reges ſpiritus qui 251.a
Reges terræ qui dicantur 3.c
Regibus duo neceſſaria 290.d
Ros uoluntarium quid 249.b
Roris typus 266.b.c

S

Sabæa regio Arabiæ 268.a
Sabbati uera obſeruatio 319.d. 320.b
Saccus, genus eſt ueſtis lugubris. 109.b
Sacerdotum uita ſit inculpatißima. 246.b
Sacerdotũ ambitio & auaritia 257. a. 301.d. 444.b Leuitas 262.b
Sacerdotum & monachorum uita ſumptuoſißima taxatur 278.a
Sacerdotum ueſtes quid adumbrent 418.c
Sacerdotum officia quæ 419.c
Sacerdotum luxus & libido 419.c
Sacerdotium Chriſti quale 365.b.c
Sacrificij ueri & diuini deſcriptio. 204.d. 206.d. 210.d
Sacrificia puerilia quæ 205.a
Sacrificia uera quæ 210.b.c
Sacrificia quæ Deo gratißima 260. c. 303.b
Sacrificia matutina & ueſpertina. 431.a.b
Sacrificiorum & rituum ueterum magnus aceruus breui ſumma concluſus 166.c
Sacrificiorum ueteris teſtamenti myſteria 244.a
Sacrificiorum lex abolita 204.a. 244.a
Sacrificiorũ acerui atq; oneris quæ ſumma 204.c
Sacrificiorũ aceruos in unum corculum & illud quidem fractum contuſumq; deſiſſe per Chriſtum. 210.b
Sacrificiorum ratio quæ 203.c.d. 361.a
Sacrificandi ritus apud Iudæos. 378. d
Sacrificiorum omnium ueteris teſtamenti typus 378.d
Sagittæ pro fidei uerbis 184.c
Salomon noui teſtamenti 265.b
Salomonis regni amplitudo 266.d. eius typus 267.a
Salutis noſtræ uis ac ſumma 66.a
Salutis ſpes unica quæ 413.c
Salutis ſumma ratio in quibus uerſetur 312.d
Samuelis ſanctitas 333.c
Sanctificatio nominis Dei in quibus conſiſtat 268.b.c
Sanctitas popularis deſcripta. 110.b
Sanctimonia malè ſuaſa periculoſè ſibi adblanditur 89.a
Sanctimoniæ falſa perſuaſio quantum obſit hominibus 324.c
Sanctitas quot modis in ſacris accipiatur 305.c
Sanctitatis malè ſuaſæ natura quæ. 79.b
Sanctitatis locus 235.a
Sanctuarium quid 271.b. 300.d. 301.a
Sanctus ſat doctus eſt 29.c
Sancti Deo, & Deus ſanctis hæreditas 44.a
Sancti uiri cur interdum tam ardenter in ſuos hoſtes inuehantur. 386. b
Sanctorum conditio 43.a
Sanctorum felicitas quæ 169.d
Sancti qui uocentur 185.c
Sanctorum res geſtæ 220.b
Sanctorum dignitas 303.d
Sanctos non ſui, ſed gloriæ diuinæ cauſa uindictam efflagitare 30.d
Sanguinarius quis 13.c
Sanguinis ſignificatio in ſcripturis. 209.c
Sapientia mundi quàm ſtulta apud Deum 320.c
Sapientia piorum ſtultitia iudicatur in hoc mundo 262.d
Sapientiæ munus proprium quod. 198.c
Sapientiæ ueræ deſcriptio 360.d. 368.a
Satan iurgiorum pater 258.a
Saturari conſilijs quid 298.a
Saturnus deus à gentibus ſanctißimè cultus 356.a
Saul uictor Muſica excipitur 250.a
Saulis leuitas 211.a
Saulis in generum crudelitas unde. 219.a. 429.c
Scabellum pedum Dei quid 333.b
Scandalum Hebræis pro calumnia & opprobrio 206.b
Schola Chriſtianorum Alexandriæ. 254.d
Scientiæ plenitudo, charitas eſt. 52.c
Scortationis pœna 355.b.c
Scribarum & ſacerdotum apud Iudæos conditio deſcribitur 74.b
Scriptura diuina imperitis mulierculis & paruulis ſapientiam ſuppeditat 62.d
Scripturarum uirtus in quo poſita. 198.c
Sculptilium adoratores iuſto Dei

iudicio damnantur 330.a.b
Scutum pro fiducia 20.b
Seculũ ſeculi quid 69.b.172.d
Seculi futuri umbra oſtenſa 92.b
Seculi noſtri ob cognitam ueritatem felicitas 357.a
Seditionum pernicies 252.d
pœna 354.b
Seditioſorũ hominũ mores. 354.d.
conſilia 237.b
Selah quid notet 27.a
Selah dictio explicata 190.b
Selmon mons 250.d
Senectus uiuida 342.a
Senectutis incommoda 316.d.321.d
Senectutem quid deceat, quid non. 359.d
Senex bene moratus, mundi ſydus 359.d
Sene intemperato nihil turpius. 263.a
Senilis prudentia 263.a. ignauia. 321.d. probitas Ibid.
Senum ſtudia 319.c
Seniores uigintiquatuor qui in Apocalypſi 189.a
Septenarius numerus pro indefinito in ſcripturis 34.d.35.a
Septenarij numeri perfectio 293.a. 393.d
Sepulchra, diuitum domus eſſe perpetuas 200.a
Sepulchrorum momentanea corruptela cum futura uita minimè conferenda 45.c
In ſepulchris habitare qui dicantur. 248.b.c
Sermo nequam quid 237.c
Seruitus uera in quibus potiſſimum rebus conſiſtat 369.d.370.a.b
Serui Dei qui nuncupandi ſint. 261.a
Seruorum Dei differentia 261.a
Seruos Dei quid deceat 336.d
Sfortiadum familiæ interitus 413.a
Siccitatis nomine quid intelligendũ 248.c
Signum olim Cain datum in malum. 307.b.c
Signum diuinæ beneuolentiæ 274.c 307.b præſentiæ 229.c
Silentium pro patientia 232.d
Silicernij deſcriptio 115.b
Silo reprobata ob peccata populi. 289.b.c
Similitudines cur in ſacris literis tam frequentes 250.d
Similitudinum utilitas 250.d
Simpliciores hodie à recto perfectionis curſu non retardari, miraculo ſimile 95.b
Simplicitas Deo ſemper gratiſſima. 303.b
Simulachrorum ſuperſtitioſa adoratio 371.d.372.a.b.
Simulationis & hypocriſeos peſtis deſcripta 93.b
Simulatores odit Deus 303.b
Simulatorum & hypocritarum ſtudia deſcripta 34.a.b
Simulatorum numerus infinitus. 256.b
Simultas ſemper plurimum Eccleſiæ obfuit 48.d
Simultatis incommoda 373.d
Sinai mons 251.c
Sinai montis concuſsio miraculoſa. 371.b
Siniſtra pro ira 18.a
Sinus pro interiori animæ parte. 293.a
Sion mons deſcriptus 4.b. 195.b. 420.b
Sion mons in ſcriptura pro Eccleſia 197.a
Sion, Hieruſalem eſt in ſcripturis. 202.c
Sion mons ſpeculationum pleniſſimus 230.d
Sion mons fidei imago 238.c
Sitis animæ 234.d
Solatia piorum in cruce 383.d. Vide, Piorum conſolatio.
Solis ardorem in ſcripturis pro aduerſitate accipi 195.b
Solis & lunæ curſus 346.d
Solem præ cæteris cœli ſyderibus maieſtatem Dei atteſtari 61.d
Solitarij qui 248.d
Solitudinis laus 317.b.345.c
Solitudines cur piorum hominum refugia 276.b
Somno ſimilis eſt uita humana. 279.d
Sopor pro morte acceptus 7.b
Sordidum atq; impurum nil magis in terris, quàm iuſtitia noſtra, ſi tantummodo noſtra 55.b
Species in Iudæa quatuor millia hominum capientes 221.b
Spes uirtutum omnium neceſſarium condimentum 115.d
Spes quid 42.c
Spes orationis calcar eſt 115.a
Spes ignaua eſt, niſi feruida oratione incaleſcat & inflammetur 115.a
Spes in afflictionibus pijs non abijcienda 356.d
Spes in ſolo Deo firma ac quieta. 376.b
Spei definitio 18.c
Spei telum ualidum aduerſus mundi aduerſitates 417.a
Spei commoda & laudes celebratæ. 154.d
Spiritualia carnali uocabulo deliniari 69.a
Spiritualium rerum meditatio qualis eſſe debeat 387.d
Spiritus arbor deſcripta 1.c
Spiritus finis eſt rerum cœleſtium. 9.b
Spiritus copia in diuinis odis. 42.d
Spiritus inſtructio bellica contra uitia 58.b
Spiritus odoramenta quæ 82.d
Spiritus ebrietas quæ 82.d
Spiritus feruores atq; ignes explicati 398.b
Spiritus uarij motus 215.a.b
Spiritus unitas in ſacris quid. 248.b.c
Spiritus ſancti dona & officia 249. b.c.348.a.b.435.c
Spiritus ſancti neceſsitas 255.b
Spiritus ſancti uis 198.c. 208.d. 321.b
Spiritus ſancti ignis quàm efficax. 329.c
Spirituum beatorum caſtra quæ. 96.b
Spirituum malorum poteſtati, nulla ſuper terram comparanda. 402.c
Stare quid in ſacris 1.b
Statuæ ſanctorum, rudiorum documenta 371.c
Statuarum uanitas 371.d
Sterilitatis cauſæ 359.d
Studia & labores omnes uani, quibus diuinam gratiam promereri ſperamus 140.b
Sub præpoſitio, pro in 244.c
Subditorũ peccata quomodo corrigenda 257.b
Superbia quàm odioſa apud Deum 323.a.336.b.c.381.c
Superbiæ & faſtus exitus atq; euentus qui 145.c
Superbiæ deſcriptio 276.d
Superbiæ typus 347.d
Superbi omnes & potentia aliqua inſigni præditi, ui uerbi Dei confringendi 103.d
Superborum conditio deſcripta. 47.d.49.a

Superbos in omnis generis errores proruere 145.b
Superborum finis & exitus 269.d
Superborum natura, mores ac ingenia 278.a.362.a
Superstitio exitialis, lues religionis est 363.a
Superstitionis detestatio 348.d
Superstitiones unde emerserint. 393.b
Superstitionum genera uaria notata 57.a
Supplicationum uis & uirtus 52.c Vide Oratio
Synagoga quãdo inceperit, et quando desierit 347.a.b

T

Tabernaculum uerum 296.a Tabernaculorũ festum 296.a.315.d. Cur institutum 296.c
Tanis Aegypti oppidum Dei miraculis clarum 285.a
Tareph quid 366.d
Tempestas pro potentia diuina. 203.a.b
Templum sanctum, est Ecclesia fidelium 105.b
Templi conflagratio per Antiochũ. 273.c
Templi nouissimi sub Christo ædificandi descriptio 196.c
Templa cur ædificata 348.d
Templa Dei uera 244.b
Templorum usus legitimus 223.b 257.a.b
Templorum insignis apparatus. 253.b.c
de Templis Christianorum uaticinium 274.b
Tempus gratiarum, seu miserendi, quando 119.b
Temporũ mutationes in lingua Hebræa frequentissimæ 76.a.373.b
Tendicularum & laqueorum genera uaria 90.c
Tenebrarũ in sacris acceptio diuersa 368.d
Tentatio grauissima quæ 6.b
Tentatio maxima piorum, dum felicitatẽ impiorũ intuentur 269.c.d.270.c.d
Tentationes à dæmone diuersis artibus exerceri 6.b
Tentationum utilitas 243.b
Tentationum malleus, tenacissima carnis forceps 46.d
Tentatori libentius seruimus quàm ipse nobis imperet aut dominetur 64.d
Terra mystica 246.d
Terræ significatio elegans 229.b
Terræ operationes 240.c
Tempestatis significatio 215.c
Terrena sectari & ambire fallacissimum 9.a
Testamentum quid significet 88.d 205.b.311.c.314.a
Testamentum inter Deum & homines 311.b.c
Testamentum Dei æternum quale. 349.d
Testamentum nouum quid præstet ueteri 203.c
Thabor mons 312.b
Thalmudicorum de diuisione maris opiniones 423.d
Theophili Folengij hendecasyllabũ 367.d.
Thorah lex 379.a
Tharsis Ciliciæ quondam metropolis descriptio 196.b
Thomæ Apostoli in prædicando Euangelio studium 267.a
Tibiæ pro fortitudine 443.b
Timor domini ad quid prosit 367.d.368.a.b
Tituli psalmorum explicatu difficiles 71.d
Tonitrui diuini descriptio 53.a.b
Topazij gemmæ natura 390.d
Tormentorum & inferni loca indicata 39.d
Tormentorũ genera horribilia descripta 33.b
Tradi in manus domini quid 30.d
Traditionũ humanarũ utilitas 203.d
Tranquillitas animi in quibus consistat 272.d
Tribum Ioseph cur repudiarit dominus 290.a.b
Trinitatis effigies 220.c
Trinitatis mysterium 247.a
Trinitatem totam rerum omnium quæ conditæ sunt, creatricem extitisse 122.c
Terrarũ seruitus ad Christi nutum. 203.b.c
Tristitiæ descriptio 208.b.c
Triumphus Christi speciosissimus. 251.c.d
Triumphus fidelium 251.c
Triumphat hodie etiã Deus in Christo 252.b
Triumphantium ceremoniæ 251.c
Tumuli patentis cõparatio elegans. 14.c
Turcæ superbia 347.d
Turcarum in Christianos seueritas. 448.a
Turtur quot modis accipiatur. 275.d
Tyranni unde 292.b
Tyranni imperiũ quàm graue 243.c.262.b.296.d.298.d.300.b
Tyrannorũ interitus crudelis 299.c

V

Vanitas quid 382.d
Vasa pro instrumentis musicis 265.a
Vatis prudentia in explicanda scelératorum uita 39.c
Venetorum malleus Turca 347.d
Ventorum officium 344.d
Verbum Dei cur assiduè audiendum 388.c
Verbi Dei contemptus omnium malorum origo 358.a
Veritas Dei quid 318.b
Veritatis apud Christianos contemptus quàm magnus 378.b.c
Versionum psalterij mira uarietas & obscuritas 208.b
Vertex pro intellectu 21.b
Vestimentorũ luxus taxatur 437.b
Vestis nuptialis quæ 187.b
Via ad salutẽ quàm scrupulosa. 258.d.282.d.283.a
Vicissitudinis rerum causæ 282.b
Victimarum ratio descripta 97.c
Victimæ antiquæ, umbræ & imagines fuere tantùm 166.a
Victimarũ carnificinã lanijs potius quàm uiris iustis conuenire. 116.d
Victimarum & sacrificiorum nomina diuersa explicata 166.a
Victimarum uim ingentem nulli usui Deo fuisse 204.b.c
Victoriarum in bello quæ ratio esse debeat 52.a.b
Viduæ significatio in scripturis. 30.d
Viduarum pater Deus 248.b
Viduarum misera conditio 323.c
Vigilare, pro obseruare 338.a
Vincula quid Iudæi uocent 3.d
Vineæ domini quid 294.b.c
Vini modicè sumpti utilitas 346.a
Visio diuina quæ 208.d
Visitationis significatum duplex in scripturis 226.c
Vita uera est quæ futuram appetit. 99.b
Vita etsi ob nullam nostri rationem, attamen ut gloria Dei emineat, instituta est 108.d
Vita alioqui desiderabilis & iucunda, nimis in longum protrahi ui-

detur cœleſtia contemplantibus. 413.d
Vita cur à Deo hominibus data. 361 361.b
Vita longæua magnum Dei donum. 319.c
Vita longæua quam ob cauſam pijs expetenda 373.a
Vitæ autorem non cognoſcentes, uita indigni 27.a
Vitæ uia quæ 45.c.d
Vitæ humanæ deſcriptio 68.a.79. a.128.a.160.d.234.d. 243.d.256. a.279.c. 315.a.b.316.b.d.337.c.d. 340.a.341.a.363.c.436.b
Vitæ imitatione altiſſimi regis nato ſimiles euadere, res eſt non parui momenti 101.b
Vitæ humanæ inſtitutiones non temerè & populariter ab omnibus uſurpandæ 198.c
Virtus pro uia Dei quæ nos ad ipſum ducat 56.d
Virtus humana labilis & infirma. 100.a
Virtutis actiones omnes à Deo eſſe. 210.a
Virtutis honos ac præmium 265.d
Virtutis nomine in ſacris quid intelligendum 448.c
Virtutum gradus 302.c
Vitiorum monſtra nobis ex ignauia emergere 173.b
Vituli, labiorum typus in ſacrificijs. 210.d
Vituli cultu ac ueneratione quid adumbratum 354.b.c
Viuendum ea ratione eſt in terris, ut bona noſtra omnia in cœlis eſſe et credamus & iudicemus 31.a
Vltio quomodo expetenda. 227.c
Vltio diuina iuſtiſſima 229.c.238.a
Vltio diuina in hoſtes ſuæ Eccleſiæ. 300.c.d. 301.a.b. Vide, Impiorum interitus.
Vltionis diuinæ ſignum 4.a
Vltionis diuinæ crudelitas 236.b
Vltionis diuinæ exemplum memorabile 286.b.354.b
Vmbra mortis quid 309.d
Vmbrarum tempus deſcriptũ. 78.d
Vmbraculorum feſtum 296.b
Vnctio in conuiuijs ueterum. 346.a
Vnctio capitis in ieiunijs 363.d
Vnctio ſacerdotum 420.c
Vnguentorum abuſus 346.a
Vnicornis ſimilitudo perquàm elegans 76.a
Vocatio in rebus ſacris neglecta. 240.a
Vnitas fidelium 250.b
Vocatio non negligenda 313.a
Vocatio miniſtrorum Eccleſiæ ſit legitima 378.b
Vocati, non omnes ueri uocati 83.c
Volũtas Dei unde explorãda 380.d
Voluntatis uis una, non duæ 27.b
Voluptatis pœna 354.a
Votum ſolenne quod 214.d
Votum præcipuum 220.d
Voti nomen in ſcripturis cum Dei laude ſemper coniunctum 205.a
Vota ſubita & immediata, periculoſa 205.a
Vota ultronea 214.a
Vota monaſtica quatenus pia. 236. c.d.286.c.d
Vota cum diuinis laudibus coniuncta 238.c
Vota in baptiſmo Deo facta ſeruanda 280.c.d
Vota qualia Deus à ſuis requirat. 280.c.d
Votorum ratio pulchrè explicata. 78.a.205.a
Vox magna ſatis in canendo, ſi à magno & forti pectore proficiſcatur 122.a
Vocis acerbitas in diſputando, animum parum tranquillum indicat 116.b
Vocis ſignificatio quæ 214.d
Vrbs quæ optimè ædificata 399.d
Vriæ innocentia generoſa 207.a & mors Ibid.
Vſuræ pernicies 267.c.d
Vſuræ deteſtatio 369.a.b
Vſuram à Chriſtiano homine euulſam uult Deus 42.a
Vulgi temeritas notata 185.d
Vulgi inſipientia et ſtoliditas. 275. d
Vulgi mores ac ſtudium 307.a
Vulpium natura 236.b

Z

ZAbulon tribus in Galilæa. 253.d.254.a. Vnde nomen habeat Ibid.
Zeb Madianitarum factionis dux. 300.d
Zelus quid 257.a.b.291.d.391.d. à zelotypia quomodo differat. 291.d
Zelotypia quid 291.d
Ziphæorum proditio 213.a.b

ERRATA SIC CASTIGABIS.

Folio 8.c. uerſ.20.qua mentis. 38.d.24.deriuari. 41.c.15.adeò diſcerptus. 53.a.24.ictæ nubes. 73.b.23.quid tam lachrymis. 102.c.23.& 24.Quid dignum. Ibid.25.indicabo. 119.d.11.qui iacentem.


PALMA ISING




2505

FOLENGINPSAL

ENCUADERNACIÓN RENACENTISTA

S. XVI

Piel castaña gofrada, sobre tablas

En: Giovanni Battista FOLENGO. In Psalterium Davidis Isralitarum regis... commentariis... Basileae: per Mich. Insigrinium, 1543?.

Biblioteca Pública de Logroño FA/2505

ENCUADERNACION RENACENTISTA

S. XVI

Giovanni Battista FOLENGO. In Psalterium Davidis Isralitarum regis...commentariis.. Basileae: per Mich. Insigrinium, 1543?

Biblioteca Pública de Logroño FA/2505